

L. Christian Friedrich Garmann
Medicus R. et E. S. Provincialis, Physicꝰ
Chemnicensis Academicꝰ curiosꝰ d. Pollux.
Natus Martisb. d. 19. Januar. 1640.
Obiit Chemnit. d. 15. July. 1708.

L. CHRST. FRID. GARMANNI,

Medici R. E. S. Provinc. Phys. Chemnicensis,

Academici Curiosi,

DE MIRACULIS MORTUORUM

LIBRI TRES,

Qvibus præmissa Dissertatio

de Cadavere & Miraculis in genere.

OPUS PHYSICO-MEDICUM

Curiosis Observationibus, Experimentis, aliisqve rebus, qvæ ad elegantiores literas spectant, exornatum, diu desideratum & expetitum, beato Autoris obitu interveniente editum

à


L. IMMANUELE HEINRICO GARMANNO,

Autor. Fil. Poliatro Sneebergensi,

cum Indicibus necessariis.

DRESDÆ & LIPSIÆ,

Sumptibus JOH. CHRISTOPH. ZIMMERMANNI, ANNO M. DCC. IX.





J. J.

Lectori Candido & Benevolo

Salutem & Obſervantiam.







Vi in pandendis mortuorum miraculis non mediocriter hactenus erat occupatus, ac circa noſocomia, feretra, Coeme-

meteria, tumbas ſepulchrales verſabatur qvotidiè Parens meus deſideratisſimus, ipſe, Deo ſic volente, morti ſuccubuit, & qvâ corpus tumbæ illatus feriatur, ærumnis ac moleſtiis hujus miſerrimæ vitæ exantlatis omnibus. Bonam integri ſeptennii partem lecto affixus hæſit, qvi per octo & qvod excurrit luſtra in debellandis morbis ad ægrotorum grabatos ſuam eamque divinâ gratiâ præclaram locaverat operam. Doloribus noctes diesqve exercebatur acutisſimis, ex internis renum, qvod Anatome docuit, exulcerationibus lienisqve abſceſſu in ulcus externum

fiſtu-

fiſtuloſum deſinente oriundis: Qvicqvid tamen lucidi & â doloribus liberi intervalli experiebatur, qvantum curæ praxeos & amplioris familiæ permittebant otii, id ſtudiis, qvæ ſenectutem oblectant, impendebat unicè. Scilicet â Juventute ſtudiis & laboribus aſſveto ſumma voluptas erat non relaxari ab occupationibus, ſed ab una in aliam tranſitu facto mutare & renovare operas. Hinc etiam factum, ut, cum Fautores & Amici Eum idcirco compellare non deſiſterent, hos DE MIRACULIS MORTUORUM commentarios ad umbilicum perduceret, & ad illos edendos

ſe pararet. Tantum verò abeſt, ut hunc ſuum fœtum, cui lambendo ac perpoliendo tot annos inſudaverat, in lucem plenius emiſſum amplexari datum fuerit, qvin potius, vix prioribus conſpectis pagellis, viribus ſenſim fractus, morbo maraſmode emaciatus, ſeptuagenario vicinus acerbisſimo Suorum imprimis ac qvotqvot eum noverat bonorum omnium dolore die 15. Julii currentis anni placide expirarit. Adeo lugubria hæc meditamenta funeſti fuere omnis! Præclare *Cicero*: (*l. 1. qvæſt. Tuſcul.*) Tota Philoſophorum (rectius Chriſtianorum) vita commenta-

tio

tio (meditatio) mortis. Et qvî accuratius philoſophabimur, qvi melius? qvam ſi trutinando ſingularia in mortuis noſtram expiemus ignorantiam. Eqvidem non dubito fore plerosqve, qvi ad conſpectum hujus tituli ſupercilium contrahant, & hos conatus lugubres Orco potius qvam libero Jovi deſtinandos reputent: aſt cordatum minimè abſterrebit frons libelli, cum natura in cadaverum ſitu ac putrilagine æqvè admirabilis deprehendatur, ac in rerum generatione & productione. Vel eam ſolam ob cauſam ſe commendabit iſte tractatus, cum qvemvis, cui volupe erit in-

inſpicere, mortalitatis mox futuræ admoneat. Miraculi autem notionem in laxiori ſenſu acceptam ſciat L. B. quod enim Aliis Obſervationes rariores, & mira in mortuis phænomena, id beato Autori mortuorum miracula. Primus ac ſolus quantum ſcio ea olim propalavit *Henricus Kornmannus* in tractatu quem *de Miraculis Mortuorum* inſcribit, edito An. 1610. qui vero ab inſtituto beati Parentis mei alieniſſimus. Præterqvam enim quod varia *Ille* admiſceat exotica & incongrua, in recenſendis fabulis ab otioſis & nugacibus monachis excogitatis mirum qvantum

tum luxuriat. Dignus inde qvi censuram incurrat *Gisbert. Voëtii (P.2. Disp. Select. p.914.)* Judiciosè *Plutarchus (T.1. Camill. p.m. 239.)* Nos multa è nostræ ætatis hominibus audivimus mira commemoratu, ac qvæ non sint temerè contemnenda â qvoqvam: Verum in his rebus nimiam & credulitatem & incredulitatem periculosam efficit humana imbecillitas, cum ea non intra certos terminos se contineat, sed efferatur vel ad superstitionem inflatiusque de iis sentiendum, vel ad contemtum religionis. Optimum est cautionem adhibere, ac ne qvid nimis. Juvat ascribere qvæ *Livius (l.24.c.10.p.m.333.)* ha-

habet: Prodigia eo anno, *inqvit*, multa nunciata ſunt, qvæ qvò magis credebant ſimplices & religioſi homines, eò plura nunciabantur. Nec rationem hujus vel illius miraculi reddere auſus eſt *Kornmannus*, nec ordinem certum obſervavit, ſed in ſolâ recenſione acqvievit. Anno præteriti ſeculi ſeptuageſimo beatus Parens librum hujus Operis primum typis evulgavit, qvi impræſentiarum multò auctior cum aliis incedit. Methodum tractandi qvod attinet, eandem obſervavit, qvam profeſſus in Oologia Curioſa & reliqvis opuſculis antehac editis. Liceat eam Ipſius

Au-

Autoris verbis delineatam dare. (*vid. Præfat. Oolog. Curioſ.*) Poetica, *inqvit*, aliqvando miſceo medicis, philologica phyſicis, & flores ubiqve delibans miſcellaneam ſector doctrinam. Nec intra Scholaſticæ methodi circulos ubiq; me contineo, qvodqve diſſerentes in more habent, non rarò evagor, non ut argumentoſa prolixitate Lectori ſtomachum moveam, ſed animum ejus divertens indirectâ viâ lucem theſi fœnerer. Rationum momenta ad experimentorum & obſervationum trutinam expendo. Nihil mihi arrogo, unicuique ſuum tribuo. Autores curiosè

cito, verbis eorundem utor, mentem excutio, verum amplector, falſum rejicio, ſed hoc ſine felle ſtyliqve mordacitate. Aculeos Orationis ſicubi inſpergo, cum Sophiſtis, Idiotis, ſuperciliosis, magnidicis & vanis promiſſoribus mihi res eſt, eosqve candor & veritatis amor extorſit. His qvibus nihil ſapit, niſi qvod proprium parturiit cerebrum & ſupercilium, qviqve Autores evolventes & allegantes in compilatores & exſcriptores numerant, illud *Lipſii (l.1. Polit. c.1. p.m. 4.)* repono: Lapides & ligna ab Aliis accipio; ædificii tamen exſtructio & forma tota noſtra: Architectus ego ſum, ſed materiam variè undiq; conduxi. Nec aranearum ſanè textus ideò melior, qvia ex ſe fila gignunt, nec noſter vilior, qvia ex alienis libamus ut apes. *Hæc Autor (c.l.)* Utere igitur his, B. L. eo candore, qvo beatus Autor inſtinctu Fautorum ac Collegarum

rum communicare voluit, ac fruere his laboribus, qvi non eloqventiæ ſed curioſitatis gratia, ut cum *Flavio Vopiſco* loqvar, in lucem prodeunt. Tandem in eo ad huc Te compellandum habeo, ut qvi per abſentiam errores irrepſerunt vel Typographi culpâ, vel incuriâ eorum, qvibus deſcribendus erat hic tractatus, Ipſe pro humanitate Tua velis emendare, præſertim cum per temporis anguſtiam erratorum ſyllabus non potuerit perfici & annecti; hunc tuum favorem ſi intellexero, ac Deus vitam & ſanitatem conceſſerit, allaborabo, ut Pnevmatopægnion, ſ. de halitus humani ſalubritate & noxa Diſſertatio, qvin & alia B. Parentis opuſcula, eaqve nitidiora, in publicum prodeant. Sic divinæ commendatus tutelæ ex voto Vale. Dab. è Muſeo Nivemontii in Sudetibus d. 22. Septembr. A. R. S. 1708.

L. Immanuel Heinricus Garmann.

Conſpectus totius operis

DISSERTAT. PROOEMIAL.

Sectio I. De Cadavere.

Sectio II. De Miraculis.

LIBR. I. Titul.

1. De capillorum augmento.
2. De naſi inſititii Sympathia.
3. De cadaveribus porcorum mandentium inſtar in cryptis feralibus ſonantibus, vulgò Schmætzende Todte.
4. De faciei mutatione in Cadaveribus.
5. Mira qvædam circa os & faciem phænomena.
6. Dentium ſingularia.
7. De Cordis augmento & in igne duratione.
8. De Abdominis rupturâ & viſcerum egeſtione.
9. De Partu Cadaverum.
10. De Ungvium, cornuum & oſſium incremento.
11. De penis in cadaveribus erectione.

LIBR. II. Titul.

1. De maculis Cadaverum.
2. De Contagio.
3. De levitate & gravitate.
4. De frigiditate, rigiditate, caliditate & mollitie.
5. De motu.
6. De Sudore aqvoſo & cruento.
7. De cruentatione.
8. De fragrantia.
9. De Luce.
10. De Spectris.

LIBR. III. Titul.

1. De Cadaverum Putredine.
2. De Cadaverum Incorruptibilitate & Mumiis.
3. De Cadaverum Petrefactione.
4. De Cadaverum Reſurrectione & Reſuſcitatione.

J. J.

DISSERTATIONIS GENERALIS PROOEMIALIS

SECTIO I.

DE

CADAVERE.

Summarium.

I. *CAdaveris Etymologia. Cadere. Mori.* 2. *Cadere dicitur homo dum nascitur.* 3. *Allusiones.* 4. *Cadavera Urbium.* 5. *Cadavera dicuntur deformes.* 6. *Cœci nati.* 7. *Lienosi.* 8. *Senes.* 9. *Domus quæ non habitatur.* 10. *Mystica significatio.* 11. *Corpora mortua vel videntur, vel sunt talia.* 12. *Apparenter mortuorum historiæ.* 13. *Morbi.* 14. *Apoplectici.* 15. *Epileptici an huc referendi?* 16. *Variis modis suffocati.* 17. *Lethargici fabulosi.* 18. *Examinantur.* 19. *Veri.* 20. *Ab assumtis stupidi & Comatici.* 21. *Ephialtici, Syncoptici.* 22. *Hystericæ.* 23. *Pestiferi.* 24. *Exanimati frigore, casu ab alto, vulnere, fulmine, incantati.* 25. *Ecstatici.* 26. *Ecstasis quid?* 27. *Divina.* 28. *Diabolica.* 29. *Naturalis, imperfecta.* 30. *Perfecta. Puer Sunamitidis.* 31. *A causa dubia.* 32. *Ecstases Helmontianæ.* 33. *Nostradami. Bohemi sutoris. Pueri rustici.* 34. *Voluntariæ. Presbyteri restituti. Cardani.* 35. *Somnium Rabbinis animæ à corpore secessio.*

formæ. 94. Quatuor vitæ differentiæ. 95. Vita media Paracelsi & Helmontii. 96. Vitæ gradus Kergeri. 97. Paracelsi & Helmontii mentis cum corpore unio. 98. Balsamum an Paracelso rectè dicta vita. 99. Ratray Helmontium carpit. 100. Distinctio vitæ in primam, mediam & ultimam. 101. Vita media Helmontiana. 102. Magnum Oportet Helmontianum. 103. An possit pars una emori reliqvo corpore salvo? 104. Affirmatur, non contra. 105. Explicatur. 106. Uteri post mortem vita. Caro Lieniformis Helmontii. 107. Sangvis in venis non coagulatur. Vita musculorum. 108. Philosophia mortis meditatio. 109. Duplex vita, duplex mors. 110. Etiam mortis naturalis. 111. Mortis in philosophicam & naturalem distinctio Scaligero displicet. 112. Suspirium morbus quid Senecæ, an mortis meditatio? 113. Asthma an latinum nomen habeat? Pontani conjectura. 114. Kergero mors nulla, refutatur. 115. Aristoteles raro mortis meminit, inde malus quibusdam Philosophus. 116. Mors quid Peripateticis. 118. Epicuro. 118. Paracelso. 119. Helmontio positivum & reale quid. 120. Gentilibus. 121. Hauptmanno, Paulinio. 122. Mors an nihilum. 123. An mors finis cujus gratia. 124. Recentiorum definitio. Mors brutorum. 125. An corpus animam, an anima corpus relinqvat. 126. Triplex Platoni mortis genus. 127. Stoicorum mens. Cartesii Platonizantis. 128. Aristotelis. 129. Occisa & mortua differunt. 130. Mortuus homo an verus homo? 131. Cadaver quid? 132, 133. Scaliger notatur. 134. Forma Cadaveris. Corporeitatis. 135. Novam in morte formam non generari. 136. Formæ cadaveris proscriptio. 137. Nil de animâ in cadavere. 138. Neque calore & humido vitali. 139. Spiritus mortuales frigidi. 140. Cadaveri sensum dant Judæi. 141. Gentiles. 142. Tumulorum & Cipporum inscriptiones. 143. Vulgi superstitio. 144. Sævitia in mortuos. 145. Sensum in Cadavere credidere etiam Medici. 146. Causæ expenduntur. Animæ in corpore remanentia. Forma assistens figmentum. 147. Anima corporalis non sentit. 148. Animarum in homine triga rejicitur. 149. Vis vegetans. 150. Spiritus essentialis.

DE CADAVERE in Genere DISSERTATIO.

§. I.



Ere *disertus ille Pater floridissimique styli scriptor, Q. Septimius Florens Tertullianus, (l. de carne CHRISTI p. 24.)* sine anima nihil sumus, ne hominis quidem, sed cadaveris nomen. Enunciatur autem *secundum eundem (l. de Resurr. Carn. c. 28. p. 57. add. Isidor. l. 11. Etymolog. c. 3. & serv. l. 5. Æneid. v. 581. p. 531.)* à cadendo cadaver, quia stare non possit, quod morte subruatur; aut quod ceciderit velut ex usu humano, & illo exciderit, *judicio Caspar. Barthii (l. 53. advers. c. 4. p. 2484.)* Cadere multis est obire, interire prisca ratione. Tam in frequenti usu fuit, ut inde potissimum corpus morte obita cadaver sit appellatum, censuit *Idem Barthius (lib. 7. advers. c. 19. p. 349. & l. 44. c. 29. p. 2048.)* Homo vero non cadit respectu spiritus, sed respectu carnis suæ, vere judicat *Joh. Pearson, (Expos. symb. Apost. Artic. 11. p. 673.)* Hominis autem cadaveri id recte tribui, qvia solus rectæ staturæ, *Thomas (l. 6. d. somn. & Vigil. ap. Bernardin. Seminar. Arist. Philos. Col. 194.)* Cadere dicimus corpus in terram per mortem, dictitat iterum *Tertullianus (l. 5. advers. Marcion. c. 9. p. 313.)*, sicut & res ipsa testatur. Ex DEI lege corpori enim dictum est, terra es & in terram ibis. Ita, quod de terra est, ibit in terram. Hoc abit, quod in terram ibit, hoc resurget, quod cadit. Ita mortui vocabulum corpori competit. Expressit id *Prudentius (l. Peristephan. in Roman. v. 535.)*

Nam membra parvi pendo, quo pacto cadent,
Casura certe lege Naturæ suæ,
Instat ruina, quod resolvendum est, ruat.

Cadere bello apud Poëtas legitur, & cadere sæpius de eo, qui in acie occumbit,

 dictum

dictum apud Oratores & Historicos reperies. Ita (*in Amphitruon. Act. 1. sc. 1.*) *Plautus:*

Cadunt vulneris vi & virium.

Convenit cum hoc Græcum πλῶμα, â veteri πλόω, in cujus locum πίπλω successit, quod per cado explicatur. Labi etiam pro mori & in putredinem diffluere *apud Poëtas* invenies, *v. g. Virgilium* (*l. 2. Æneid. v. 429.*) & *Statium*, *de quo iterum Barthius* (*ad lib. 9. Thebaid. v. 885. p. 1110. & lib. 12. v. 209. p. 1460.*) Ruere, corruere, etiam mori signat, ita *Q. Serenus* (*d. r. m. c. 6.*)

Sylla quoque infelix tali languore peresus
Corruit.

Inde mors ruina vocatur, aliquando & occasus. Vernacula nostra etiam τὸ mori, occumbere morti non raro per τὸ *fallen* exprimit. In quem modum v. g. locus *l. 2. Samuel. c. 3. v. 34. ex Megalandri Lutheri versione* sonat: *Du (Abner) bist gefallen, wie man für bösen Buben fällt. Et v. 38. Der König David sprach: wisset ihr nicht, daß auf diesen Tag ein Fürst und Grosser gefallen ist in Israël?* Quocirca & mortui κεῖσθαι, f. jacere dicuntur. Dicuntur etiam positi, cum positi in pherethro, animadvertente id (*l. 22. advers. c. 11. col. 718.*) *Adriano Turnebo.*

§. 2.

Notat hic Excell. JCtus Gerhard. Feltmann. (Tr. de Cadav. inspic. c. 1. §. 5. p. 2.) hominem, si nascatur, etiam cadere dici. Probat id ex (*l. 3. c. de posthum. hered. sapient. 7. 3.*) *Papinio* (*l. 5. sylvar. 5. v. 69.*)

Tellure cadentem
Excepi, & vinctum genitali carmine fovi,
Poscentemque novas tremulis ululatibus auras
Inserui vitæ.

Ad quod ipsi alludere videtur *Claudianus* (*l. 1. in Rufin. v. 92.*)

quam prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio.

Ipsum *Homerum* verbo græco cadere (πίπτειν) pro nasci usum, paulo post (§. *6. p. 3.*) *ex Iliad.* (*l. 19. v. 112.*) probare sategit:

Η μὲν τὸν πάντεσσι περικτιόνεσσιν ἀνάξειν
Ὅς κεν ἐπ' ἤματι τῷδε πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικὸς.
Certe quidem hunc omnibus circumvicinis dominatum iri
Qui in die hoc cadet in pedibus mulieris.

Mos autem veteribus fuit primum natos in terram deponendi, mox tollendi inque sinum recipiendi, quod ad *Papinium Statium* (*c. l. 507.*) notavit *Barthius.*

thius. Et hac de cauſa *Opis* Dea ſpem ferre naſcentibus excipiens eos ſinu Terræ, & Levana, quod levet eos de Terra, fingebantur, de quibus (*l. 4. de Civit. Dei c. 11. p. m. 231.*) *Auguſtinus.* Et ſuſceptio ſolennis infantis recens nati in greminum parentum, indicium erat prolis agnitæ & educandæ, *ſecundum Eundem* (*ad loc. citat. Claudian. p. 1111.*)

§. 3.

Cadaver dici quod careat honore ſepulturæ *Servii* (*l. 8. Æneid. p. 508.*) conjectura eſt. Omnis namque mortuus, *juxta Iſidorum* (*c. l.*) aut funus eſt aut cadaver. Funus eſt, ſi ſepeliatur; cadaver, ſi inſepultum jacet. Sed hæc, recte judicante *Feltmanno* (*c. l. §. 2. p. 1.*), non eſt Etymologia, ſed alluſio; quæ tamen nec ſcita, nec vera. Svaviter nugantur (*aſſerente Caſp. Sagittario in not. ad Sulpic. Epiſt. Conſol. ad Ciceron. p. 40.*), qui (ut habetur in veteri vocabulario), Cadaver conflatum autumant ex tribus vocibus: Caro data vermibus. Forte melius Cadaver appellari, quod homo, quando mortuus eſt, cadat vermibus, auguratur (*c. l.*) *Feltmannus.* Inde Noſtris *ein Aaſ*, quod, *ipſo etiam Joh. Goropio Becano* (*in Vertumn. p. 38.*) *teſte*, eſcam ſignificat. Id nomen tamen potius de bruto, quam de homine mortuo (*quod iterum Feltmanuus c. l. §. 4. p. 2. monuit*) uſurpatum invenias.

§. 4.

In latiore ſignificatu urbium cadavera apud Scriptores legi, conſtat. Spectat huc illud *Rutilii Numantiani* (*l. 1. Itinerar. v. 413.*)

Non indignemur mortalia corpora ſolvi,
Cernimus exemplis oppida poſſe mori.

Spectat & huc, in *Berythri* urbis conflagrationem, *Johannis Poëtæ Barbucalli Epigramma*, (*l. 1. anthol. Græc. edit. Hieronym. Megiſeri p. 475.*) quod etiam vertit & allegavit *Nicol. Rittershuſius*, (*Comment. ad Salvian. p. 74.*) in quo quidem non Urbs ſe cadaver appellat, ſed, quod jaceat mixta cadaveribus, ſive mortuis, ἄμμιγα νεκροῖς κεῖμαι quiritatur. *Ciceronem* ſuper morte filiæ *Tulliæ* conſolaturus *Servius Sulpicius* (*l. 4. ad famil. Epiſt. 5.*) in reditu ex Aſia tot oppidorum florentiſſimorum cadavera (Æginæ, Megapyræi, Corinthi,) projecta ſe proſpexiſſe narrat. Sicut corpus, à quo deceſſit anima, cadaver dicitur, cur non & oppidorum rudera ſua forma, quæ privata ſunt, hoc nomine appellemus? quærit laudatus *Sagittarius* (*c. l. p. 40.*) Picturæ & imagines corporum etiam cadavera vocari ſolitæ; ita cadavera à pictoribus repræſentari, non res, *Philipp. Bonnanni* (*p. 2. de Teſtac. p. 86.*) monuit.

§. 5. Alia

§. 5.

Alia translatione de deformi, rugoso & annis obsito accepit *Claudianus* (*l.1. in Evtrop. v.38.*)

Postquam deforme cadaver
Mansit, & in rutas totus defluxit aniles.

Eodem sensu *Sulpicius Lupercus* extremum formæ dedecus referre ait

Corpora de priscis tumulis.

(*l.1. Epigramm. Vet.*) ut *Claudianum* (*p.1285.*) iterum illustravit *Barthius*. Quid *apud Terentium* (*Hecyr. act.3. sc. 4. v. 28.*) cadaverosa facies? ubi inquisiverat (*l. 11. adverf. c.12. col. 331.*) *Adrianus Turnebus* fœdam & turpem eandem interpretatur. Cadaver, *inquit*, quod pollueret & funestaret, aversabantur, hinc cadaverosa facies fœda, invisa, aversanda. Tetram & exsanguem exposuit (*in Indic. Terent.*) *Joh. Kockert*, qui è *Scaligero* morticina κενέβρεια, & morticinus, convitium in tetros & exsangui facie olim fuisse, addit. Δημιλείας καὶ δημιλειακὸς Græci. *Vid. Frid. Taubmann.* (*in Plaut. Perf. A. 2. sc. 4. p. 965.*) Qui *Terentium* Germanice loqui fecit *Anonymus* (*P. Terent. sechs Freuden-Spiele zur Lehr-Art in die Hochdeutsche Sprache versezzet. Hamburg. 1670.*) per τὸ *gar heßlich* vertit. Enatum inde apud Græcos tritum: Εὐχρεῶς δὲ φάναι, καὶ χαρίεις ὥσπερ νεκρός. Colore vivido & venustus instar cadaveris, quod de Leotrophide Trimetro *Aristophanis commentator ex Theopompi Papionibus notavit.* (*vid. Hadr. Junii adagia Erasmi Chiliad. inserta, p. m 165.*) Nostri exprimunt: *Du siehest so schön wie eine Leiche.* Vid *infra* (*l.1. Tit. 4. §. 32.*)

§. 6.

Cœcos natos mortuis ascripsit *Manilius*, (*l.4. Astronom. v.424.*)

At niger obscura Cancer cum nube feretur
Quæ velut extinctis Phœbeis ignibus ingens
Officit, & multa fuscat caligine sidus,
Lumina deficient ortos, geminamque creatis
Mortem fata dabunt: se quisque ut vivit, & effert.

In quem locum ita *Josephus Scaliger* (*Comment. & Castig. in Manil. p. 329.*) commentatur: Cœcus & vivit, & effert se funus quotidie. Mortuus enim vivens est. Propterea, ait, cœcis genitis geminam mortem dari. Nam & vita quam vivunt, mors est, quia sine luce, & mors altera, omnibus communis, nihilominus eos manet. De Tyrrheno vulnere excœcato (*l. 3. Phasal. v. 736.*) *Lucanus*:

Hoc habet ex magna defunctum parte Cadaver.

Cada-

Cadaver se vocat *apud Senecam (Thebaid. a. 1. v. 36.) Oedipus*, postquam se occœcasset, & reliquias corporis trunci, corpus luminibus orbatum. *(in Oedip. v. 1021.)* Eleganter Charite Thrasillum, cum eidem oculos effoderat, alloquitur: *(ap. Apulej. l. 8.)* vivo tibi morientur oculi, nec quicquam videbis, nisi dormiens. Faxo feliciores inimici tui, quam vitam tuam sentias. Nec mortis quiete recreaberis, nec vitæ voluptate tætaberis, sed incertum simulacrum errabis inter Orcum & Solem. Plura huc spectantia expetuit *Casp. Barth. (in stat. lib. 11. Thebaid. v. 582. p. 396.)* Leprosam sororem *Mirjam Aaron* (*Num. 12. v. 12.*) fœtui in utero demortuo annumerabat. *Naëmannum Syrum belli Ducem* Theta nigro signabat *Rex Israëlis. (2. Reg. c. 5. v. 7.)* Egregius est *apud omnium doctissimum, censente Casp. Barthio, (l. 54. advers. c. 26. col. 2568.) Scriptorem Tertullianum (de resurr. carn. c. 28.)* locus: Moyses manum in sinum condit, & emortuam profert, & rursus insinuat, & mortuam explicat.

§. 7.

Lienosos mortuis accensebat *Stratonicus Citharoedus.* Hic namque Cariæ incolas omnes Lienosas conspicatus exclamabat: Mortui hic ambulant. (*vid. Strab. l. 14. Geograph.*) Ita Melancholici sibi visi mortui, ita ut cibum & potum sumere fastidirent, & etiam coacti respuerent, dicentes, se esse mortuos. Morbis emaciata corpora, viva ut sceleta, ita & cadavera dixeris. Tale depinxit *Excell. noster Rosinus Lentilius. (Miscell. Curios. Decur. 2. Ann. 7. obs. 138. p. 265.)*

§. 8.

Quin & Græcis **νεκρὸς ἔμψυχος** vivum cadaver, & ἔμψυχος τάφος vivum sepulchrum, decrepitus senex & effœtus Libitinarius, *Plauti joco* nuncupatus. *Conf. Andr. Alciati* in *Sophoclem* senem decrepitum fœminæ juvenis maritum *Emblema, infra (l. 2. Tit. 3. §. 31.)* adductum. De Anu quadam senio curvata ista *lepidus Apulejus (l. 4. Metamorph. p. m. 84.)* Tu busti cadaver extremum, & vitæ dedecus primum, & orci fastidium solum.

§. 9.

Domum, ut & hoc addam, quæ non habitatur, miro, non dicam absurdo, philosophandi modo cadaveris nomine notare lubuit *Th. Campanella, (l. 4. d. sens. Rer. c. 12. p. 317.)* verba *Ejus* ita habent: Experientia docet, domum, quæ non habitatur ab hominibus, quamvis bene consolidata & ornata sit tota munitaque citius senescere & corruere, quam domus male concinnata

 & exi-

& exiliter munita, ſed habitata. Homo enim eſt cauſa ejus efficiens, & idealis & finalis. Effectus autem omnis præſentia ſuæ cauſæ vivificatur & eſſentificatur magis: Ac veluti corpus â ſpiritu inhabitatum vivit, & ſpiritu abeunte remanet Cadaver mortuum: Sic domus habitatore vivificatur, & ſine ipſo remanet ipſa Cadaver. Præterquam naſcuntur herbæ, pulvere necatur, madeſit, vermiculis ſcatet, impletur muribus, non ſecus ac cadaver, cui creſcunt pili & ungves, pulvere obruitur, madeſit, vermibus ſcatet, muribus perforatur. Hauſerat id forſan è paganorum fabulis, qui urbibus & imperiis Genios attribuebant, ut eſſent ipſis tanquam animæ naſcentibus. *Ita Symmachus: (in Relat. p. vet. Deor. cult. adv. Chriſtian.)* Varios cuſtodes urbibus cunctis mens divina diſtribuit. Uti animæ naſcentibus, ita populis fatales Genii dividuntur. Sed hunc adeò docte eleganterque *judice Caſp. Barthio (animadv. ad bell. Gildon. Claudian. v. 28. p. 37.)* irridet *Prudentius, (l. 2. contr. Symmach.)* ut contendere nihil eruditius illud ſeculum tuliſſe. Concludo *cum Prudentio: (c. l. v. 432.)*

Hæc quis non videat ſapientum digna Cachinno.

§. 10.

Myſtico ſenſu *in lege Moyſis* cadaver hominem vitam pecuinam viventem deſignare *Heſychius Presbyter (in Levitic. c. 5.)* docuit. Et quem fugit peccatores perſeverantes, impœnitentes, Atheos &c. in ſacris in peccatis mortuos dici. Priſci Chriſtiani eos vocabant mortuos, qui negabant Reſurrectionem mortuorum *(ad Salvian. l. 1. adv. avarit. in not. p. m 357.) monuit Stephanus Baluzius.* Vitam aliam eſſe vivificantis Spiritus, aliam mortificantis, putabat *Joh. Sophron. à Kozack, (Tr. d. ſal. c. 4. ſ. 10. p. 173.)* qui idcirco mortuorum certos conſtituit ordines, quem, ſi lubet, vide. Cadavera ideo Judæis non attingenda, ne ſe impuritate eorum contaminarent, dum ſacri codicilli inculcant, etiam myſticum quid ſub hac lege latitare *Clemens Alexandrinus (l. 4. ſtromat. p. 392.)* inculcavit. Plura Theologi, *Conf. & Barth. (in Stat. Tom. 2. p 288. ſq.)*

§. 11.

Corpora demortua ſunt vel φαινομένως ſ. apparenter, vel ἀληθῶς ſ. vere talia. *Joh. Jacob Krafftius (ap. Gvilhelm. Fabric. Hildan. Cent. 2. Obſ. Chir. 96. p. 176.)* inter corpora FERE & VERE mortua diſtinxit. Illa, mendacia cadaveris *Aupulejus (l. 2. Metamorph. p. m. 48.)* nuncupavit. Ut vita dupliciter *apud Ariſtotelem & Ejus ſectatores & interpretes* accipitur: Per modum actus primi, quatenus eſt principium vitalium operationum; & per modum actus

actus secundi, pro ipsis operationibus vitalibus, quæ sunt nutritio, sensatio externa & interna, atque appetitus sensitivi actus, & cognitio & volitio; *Vid. Franc. d. Oviedo. (Curs. Philos. Tr. de anim. Disp. 1. qvæst. 1. p. 717.)* Priori modo sumtam vitam substantialem, posteriori accidentalem vulgò appellant: Ita mors duplicem habet significatum & statum, quatenus (α) signat animæ à corpore separationem & discessum & (β) operationum saltem vitalium ad certum tempus cessationem. Priori ratione mors vera, apparens posteriori nuncupatur. Et de hac intelligendum illud *ap. Qvintilianum (Declamat. 8.)* Vidimus frequenter ad vitam post conclamata suprema redeuntes. Quamdiu igitur anima manet formaliter in corpore, hoc est, quatenus limitata per ideas ad tale animal, non potest dici mortuum, tametsi nulla actio vitæ sit conspicua, prout contingit in suffocatis, in quibus etiamnum manet potentia proxima ad vitam, quam fundari dixi in flammula vitali, *docet Joh. Marc. Marci (p. 1. philos. vet. restitut. s. 6. p. 48.)* Et tum quidem, pergit, anima illius animalis non dicitur inesse nisi entitativè: quoniam desiit jam limitari; estq; actu nullius, in potentia verò ad omnia; non formaliter. *(c. l. s. 5. p. 41.)* Aliud est vivere, aliud agere, *Dan. Sennert. (d. Consens. & Diss. c. 9. p. 118.)*

§. 12.

Historiæ apparenter mortuorum, & semivivorum, aut semimortuorum aliquando sepultorum apud varios prostant variæ. In genere tales, nullo addito morbi, quo obierunt, genere, recensent è Veteribus *Plinius (l. 7. c. 52. & l. 26. c. 3.)* de Aviola Consulari, L. Lamia viro Prætorio, Corsidio & aliis. *Valerius Maximus, (l. 1. memorab. c. 8. n. 12. p. m. 46.) Apulejus, (l. 4. Florid. p. 364.)* E recentioribus *Joh. Schenckius, (l 6. obs. med. p. 794.) Joh. Evichius, (l. 2. de offic. magistr. temp. pest. c. 4. p. 140.) Christoph. Landinus, (ad l. b. Æneid.) Joh. Jac. Krafftius, (c. l. p. 175.) Camerarius, (Cent. 15. syllog. memor. n. 1. p. 1205.) Zeilerus, (part. 1. Cent. 1. Epistol. 91. p. 281.) Theod. Kirchmajer, (Disp. de Hom. appar. mort. c. 1. §. 6.) De Vitrario Wittebergensi Augusto Schwencke.* Inde *Celsus: (l. 2. c. 6. p. m. 62.)* Illud interrogari me posse ab aliquo scio: Si certa futuræ mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti â Medicis convalescant, quosdamque fama prodiderit in ipsis funeribus revivixisse? quin etiam vir jure magni nominis *Democritus*, ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit.

§. 13.

In specie tres præcipue morbos esse, in quibus solet aliquando homo, absque sensu & motu permanere, & mortuo simillimus apparere *dictitat*

Paul. Zacchias (*l. 4. Quæst. med. legal. T. 1. qv. 11. n. 29. p. 371.*) Apoplexiam, Syncopen, (cui non incongrue ut quartum addidit *l. 2. de util. ex adverſ. capiend. p. 249.* animi defectum *Hieron. Cardanus*) & uteri ſuffocationem. Alia ſuffocationis genera non excludit c. l. Cardanus. An autem, qui non ſentiunt, mortui ſint, ingenioſe diſquiſivit *Joh. Nicol. Pechlin* (*de vit. ſub aqv. p. 89.*)

§. 14.

Quæ de Apoplecticis tradidit, ea non ignoravit *Avicenna*, dum (*l. 3. Fen. 1. Tr. 5. c. 12. f. 212. a.*) ſcripſit: Aliquando accidit, ut homo apoplexiam incurrat, & non ſit differentia inter eum & mortuum, & non appareat in ipſo aliquid anhelitus, deinde reviviſcit & ſanatur. Obſervationes & hiſtorias ſuggerunt *Arnold. de vill. nov.* (*l. 1. Breviar. c. 14.*) *Amat. Luſitanus*, (*Cent. 4. Cur. 23. de quibus vid. Juſt. Cortnummii Tr. de morb. atton. c. 52. §. 9. p. 216. judicium*) *Joh. Schenckius*, (*l. 1. obſ. med. p. 88.*) *Horat. Augenius*, (*l. 11. Epiſt. med. 40. p. 434*) *Levin. Leminus*, (*l. 2. de occult. Nat. mirac. c. 3. p. 145.*) *Zacut. Luſitanus*, (*l. 1. med. Princ. Hiſt. 32. p. 65. & l. 1. Prax. admir. obſ. 19. & 20. p. 5.*)

§. 15.

Apoplecticis accenſet *Zacchias* (*c. l.*) Epilepticos, ſuffocatos, Lethargicos. Sed quid hoc? quæ ἀκρίβεια in totius ſtatus Eccleſiaſtici Romani Medico? Si affectuum diverſitatem exactè examino, nulla. Interim cum in hoc ſtadio verſer & hoc agam, & Epilepticorum cum aliis obſervationes conquirere ſtudebo. Si verum fateri liceat, in Epilepticorum Choro, qui pro mortuis reputati, vitæ uſuram receperunt, non multa annotata Exempla reperio, nec forſan annotari in vere Epilepticis poterunt, cum Paroxiſmo exſoluto vis Archei redeat, neque convulſiones, oris ſpumæ, pulſus aliqualis conſtantia, nihil minus quam mortem præſentem, aut patratam præſagiant. De *Zenone* Imperatore (*p. 7. de mirac. mort. c. 59.*) id quidem affirmat *Henr. Kornmann*, ſed qui præter exſcriptorem in ſuis operibus nil egit, cum hunc ſive ob cibi potusque nimiam ingluviem ſive ob ſummam ægritudinem animi deliquio correptum aſſeruerit (*in baſil.*) *Zonaras*, & ex hoc forſan *P. Zacchias.* (*c. l. n. 37. p. 372.*) Nec quod de Scoto *Phil. Salmuth* (*Cent. 2. obſ. 95. p. 108.*) prodidit, ad credulitatem quempiam trahet, cum Apoplecticum obiiſſe *Zacutus*, (*c. l.*) & *Laurent. Strauſſius* (*Reſponſ. de Foet. Muſſipont. ad Deuſing. p. 72. & in Reſponſ. ad ſecundin. F. M. Deuſing. p. 246.*) & Apoplecticum aut Epilecticum, (*c. l.*) *Paul. Zacchias* Syncopizatum *Anton. Sabellicus* (*l. 9. c. 4.*) hariolentur potius, quam declarent; morbum verò non determinent,

nent, *Jul. Cæsar Claudinus.* (*Respons. Medic. 14. p. 118.*) Ecstaticum interim proclamant plurimi. (§. *25. & 30.*) De Nobili Anconitano *Horat. Augen.* (*l. 11. Epist. Med. 40. p. 434.*)

§. 16.

De suffocatis ista habeo. Aqua strangulatos & nigro theta jam signatos in vitam rediisse etiam post quadraginta dies, autor est *Alex. Benedictus,* (*l. 10. de Cur. morb. c. 9. p. 396.*) *Petrus Borellus,* (*Cent. 2. Obs. Med. Phys. 2. p. 105.*) *Sebastian Albini,* (*Handgriff wie mit aus dem Wasser gezogenen zu verfahren*) *Isbrand Diemerbroeck.* (*l. 2. anat. c. 13. p. 464.*) Musti vaporibus *P. Borellus,* (*c. l. obs. 4. p. 107.*) *Felix Platerus.* (*l. 1. obs. med. p. 17.*) Exhalationibus Thermarum Lossinensium, de se ipso *Thom. Jordan* (*Tr. de aqu. med. Morav. p. 9.*) acidularum Schwalbacensium *Magnif. Noster Joh. Febrius,* (*ap. Excell. Jac. Philipp. Sachsium, l. 2. ampelogr. S. 6. memb. 1. c. 3. p. 162.*) Fumosis ignis & carbonum exspirationibus *Reiner. Solenand.* (*s. 5. Cons. Med. 6. p. 461.*) *Dominic. Panarolus,* (*Pentecost. 1. obs. 19. p. 11.*) *Frid. Lossius,* (*l. 1. obs. med. 26. p. 73.*) Cœnosis puteorum effluviis *Vega,* (*l. 3. art. Med. S. 5. c. 8.*) Laqueo tandem, de quibus *Diomed. Cornar.* (*Hist. admir. 1. & 2. p. 3. & 4.*) *ex quo cum aliis citat Gregor. Horstius* (*ad Marcell. Donat. l. 7. obs. med. mir. c. 9. p. 705.*) *add. Joh. Stumph.* (*l. 12. Chron. Helvet. c. 28. f. 399. b.*) *Sebast. Münster,* (*l. 5. Cosmogr. c. 98.*) *P. Borell.* (*Cent. 3. obs. 44. p. 231.*) *Joc. Wepfer.* (*Exerc. de apopl. p. 181. & 189. J. B. ab Helmont,* (*tr. d. lithias. c. 9. n. 46. p. 719.*) *Joh. Nic. Pechlin.* (*de aer. & alim. defect. c. 7. p. 86. Petr. Schumacher* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 2. Epist. Med. 96. p. 718.*)

§. 17.

De Lethargicis res probatu difficilis non est. Exempla curiosis obvia. Fabulosa videntur *Fr. Baconi de Verulamio,* (*Hist. Vit. & mort. col. 531.*) quæ de Epimenide Gnosio habet *Pausanias* (*l. 1. Attic. p. 27.*) qui in rus egressus in spelunca dormiisse dicitur, nec prius à somno experrectus, quam annus quadragesimus præteriisset. De viris qui in Sardo apud Heroës longissimum dormivere *Aristotel.* (*l. 4. Phys. c. 4.*) Puerum æstu & itinere fessum in specu septem & quinquaginta annos dormiisse *Plinius* (*l. 7. c. 52.*) retulit. De septem dormiensibus Thuromensibus *fabulosus ille Callisti filius Nicephorus,* (*l. 14. Hist. Eccl. c. 45.*) *Fulgosus,* (*l. 9. c. 12.*) *Paulus Warnefried,* (*l. 1. Gest. Longobard. c. 4.*) quos excitatos scripsit *Gregor. Thuronens.* (*l. 1. de glor. mort. c. 95.*) ut Resurrectionis fides, quæ tum in plerisque vacillare videbatur, stabiliretur. Speluncam horum prope Ephesum adhuc monstrari *Jacob. Spon.*

(*itinerar. p. 68.*) teſtis eſt. S. Johannem non morte abreptum, ſed in ſepulchro Epheſi dormire adhuc *quidam quos citat Joh. Sebaſt. Mitternacht* (*Diſſ. 18. de Joh. Evangeliſt. p. 167.*) aſſeruerunt, terramque in Ejus ſepulchro anhelitu ſcaturire & ebullire, quod etiam habet *Sandys* (*l. 1. Itinerar. p. 196.*) Rem incomperta novitate mirabilem vocat illam de Scholaſtico Lubecenſi per integrum ſeptennium dormiente, narrationem *Albert. Kranzius*, (*l. 8. Wandal. c. 39. f. 200.*) *Guagninus* (*p. 2. Rer. Polonic. p. 207.*) & *ex eo Henric. Kornmann* (*p. 2. de mirac. mort. c. 41.*) *narrat*, quosdam Lucomoriæ populos ultra Olbi fluvium in montibus ſitæ, quotannis d. 2. (quidam 27.) Novembris mori, & 22. (quidam 24.) Aprilis reviviſcere. Refer huc è *Poëtis* ſomnum Bacchi apud Proſerpinam triennalem, de quo *Orphei Hymnum* recitat *Natalis Comes*, (*l. 5. Mythol. c. 13, p. 483.*)

§. 18.

Fabuloſas narrationes dixi, nec forſan ſine ratione. Ut in genere præmoneam *ex Joh. Nicol. Pechlino Medico eruditiſſimo juxta ac ingenioſiſſimo*, (*c. l. c. 6. p. 79.*) hominis prærogativam ante cætera animalia & animæ illud imperium ſola mobilitate conſtans, qui animadvertit, vix ullo modo capiet, qua ratione ſpiritus, ceu vappa, obtorpeſcere ſalva ſua divinitate poſſit, De Epimenide dubium reddit annorum numerus, quem dormiiſſe dicitur. Quadraginta numerat (*c. l.*) *Pauſanias*, *Plinius* (*l. 7. c. 52.*) quinquaginta ſeptem, quinquaginta tantum *Paulus Skalich à Lika.* (*Tr. occult. occultor. c. 4. Canon. 14. p. 44.*) *Plutarchus* (*Tr. num ſeni gerenda Reſpublica f. 260. b.*) Eum adoleſcentem dormitum iviſſe, & in ſenectute excitatum retulit; *add. Petr. Victor.* (*l. 24. var. lect. c. 1. p. 372.*) *Joh. Meurſ.* (*Comment. ad Apollon. p. 35.*) Hi vero ſinguli teſtes auriti. In ſolitudine vixiſſe *Hieronymus Cardanus* (*l. 3. de util. ex adverſ. p. 800.*) auguratur, ſomnum præterea hunc myſticè citatus *Skalich. à Lika* (*c. l.*) explicat. Quod ad ſeptem dormientes (quibus & quinque illos quos è *Paulo Diacono citat. Henr. Kornmann p. 2. de mirac. mort. c. 43.*) addere liceat) fabulis iſtam narrationem accenſuit ipſe *Cæſar Baronius* (*ad ann. Chriſt. 853. add. Joh. Mitternacht.* (*c. l. p. 178.*) Non dicam quod circa tempus diſſideant, quo monſtroſum iſtum ſomnum completum aſſerunt, qui hunc recitant, quod jam *Caſpar à Rejes* (*Camp. Elyſ. qu. 58. n. 14. p. 731.*) notavit. Ut adeo, qui *cum Paulo Zacchia* (*l. 4. quæſt. med. legal. Tit. 1. qu. 11. n. 8. p. 370.*) ad miraculum confugiunt, prodigii loco habendi. Haberi eandem in *Alcorano* (*ſurat. 19.*) *à Mahumede* ridiculè relatam & à Commentatoribus mire interpolatam, *Adam Olearius* (*in Roſenthal. p. 8.*) animad-

madvertit. De Endymione æterno ſopore à Jove in Latmo monte quieſcente, Poëtæ, & ex his *Th. Zwingerus.* (*Vol. 2. Theatr. vit. human. l. 5. p. 415.* De Johanne Evangeliſta dormiente, quin & in ſepulchro reſpirante *Jac. Thomas;* (*præf. in Horat. Turſelin. de part. Lat. orat.*) *plura* (*c. l. p. 170. ſq.*) *laudatus Mitternacht.* Nec certius quid ſperare nos jubet Ariſtotelica de Heroibus in Sardinia dormientibus hiſtoria. Quidam, *inquit, Joh. Ludovic. Havenreuter,* (*Comment. in phyſ. Ariſtot. c. 11. p. 383.*) accipiunt de novem Herculis Filiis, qui in ſardinia vita defuncti integris corporibus longo tempore, tanquam ſomno ſopiti, perſeverarunt. *Add. Lit. Gyrald.* (*Dial. 2. de hiſt. poët. p. 187.*) *Auguſt. de Laurent.* (*Dec. 1. diſſ. med. 1. p. 10.*) Alii ad iſtos Heroas *pergit,* Maniacos adduci ſolitos fuiſſe ſcribunt, & ſi ibi aliquandiu manſerant, biduum aut triduum dormiviſſe, & ſic ſanatos fuiſſe, quod quidem remedii genus non inferioris notæ cum illo videtur, quod è ſeptem dormientium nominibus concinnatum ad ſomnum inducendum à ſuperſtitioſis, *teſte Cardano,* (*l. 8. de var. rer. p. 578.*) adhibebatur. Ejusdem farinæ eſt Lubecenſis relatio, vel ex eo, quod etiam auritum teſtem ſe *Kranzius* venditet. De Lucomoriis rem dudum ſuſpectam reddidit *Sigismundus Liber Baro ab Heberſtein:* (*Comment. de reb. Muſcovit. p. 82.*) Et hos aut glirium fratres eſſe, qui ternos menſes quotannis ſomno tranſigunt perpetuo, tamque alto, ut à mortuis non differant, aut præſtigias ſubeſſe diabolicas, dictitat *Cigogna.* (*part. 1. Theatr. mag. omnifar. l. 4. c. 7. p. 535.*) An illam recenſere debeat, dubitat *Dan. Sennert.* (*l. 3. Med. Pract. part. 1. ſ. 2. c. 2. p. 77.*) Hos contra nivium numeroſas & graves moles tantum ſe occultare *Pechlinus* (*c. l. p. 80.*) decidit. Triennalem Bacchi apud Proſerpinam ſomnum fabulam olere, cum promos condos habeat Poëtas, quis inficiabitur? Explicatum dedit *Natalis Comes* (*c. l. p. 500.*) à Naturâ vitium, quoniam ante triennium expletum, cum in radices creſcant, non ſint feraces. *Add. Chriſtoph. Neand.* (*Bacchanal. memb. 10. ſ. 1. p. 148.*)

§. 19.

De veris Lethargicis, Caroticis & Comaticis hæc proſtant: Timonis in Cilicia nutricem, *Ariſtoteles retulit,* quovis anno per duos menſes in foveâ quadam ſe continuiſſe, ſola reſpiratione oſtendentem, ſe vivere, *allegat Plutarchus.* (*l. 8. Sympoſ. probl. 9. p. 362.*) Exemplorum nubem habent *Joh. Jac. Craſſtius* (*ap. Gvilh. Fabric. Hildan. Cent. 2. Obſ. Chirurg. 96. hiſt. 3. p. 230.*) *Joh. Sophron. à Kozack,* (*de ſal. c. 5. ſ. 20. p. 230.*) *Mich. Watſon,* (*Synopſ. Contempl. Phyſ. 489.*) Quibus vero remediis corporis ſuſtentarint machinam, ſi quæ-

ſi qværis? ſomnus vitalem deprædationem compeſcuit *Franc. Bac. Verulam.* (*Hiſt. vit. & mort. Col. 531.*) reſpondet. Quod ſi in antris dormiant excluſo aëre propter calores ſolis prædatorio, corporibus parum deceſſit.

§. 20.

Jungendi his ab aſſumtis ſtupefacti & ſomnolenti, v. g. vino, quo obrutum Zenonem Imperatorem tumulo illatum (*in annal.*) *recenſent Cedrenus & Zonaras, Phil. Salmuth.* (*Cent. 2. obſ. 90. p. 105.*) Ac opio pro apio aſſumto idem Conſilario Anhaltino contigiſſe memorat. Fuere, qui aſſumto opio temperato elati è carceribus pro mortuis veram ementiti mortem evaſere, *Hieron. Cardanus* (*l. 3. de util. ex adverſ. capiend. p. m. 249*) annotat. Ab Herbæ Bella donna dictæ uſu ſomnus quatriduanus, ut ab omnibus mortuus judicaretur. (*Joh. Bap. Porta l. 8. Mag. nat. c. 1. p. 335.*) Baccas hujus largius ſumtas ſomno inexpugnabili comeſtores afflixiſſe, ex Aliis & propriâ experientia *Joh. Moiban.* (*comment. in l. 1. Euporiſt. Dioſc. c. 11.*) didicit, quem etiam (*in Strychnom. obſ. 6. p. 20.*) *Joh. Matth. Faber* citat. Narbonenſem Nobilem à piratis Turcicis captum ſopore à Narcoticis conciliato omni ſenſu privatum narrat *Joh. Bodinus.* (*l. 4. Theatr. Nat. p. 503.*) De ſtupore & inexpugnabili fere ſomnolentia ex cicutæ uſu, res in vulgus nota. Eſu ſeminis Cicutæ obſtupeſcere Aves, ut etiam manu capi poſſint, (quamvis etiam vigilias aliquando contumaces inferat *ſecundum laudatum Fabrum c. l. p. 80.* quod & exemplo *Franciſci Trapolini* confirmabat *J. C. Scaliger Exerc. 152. ſ. 1. p. 506.*) *Andr. Cæſalpinus* (*l. 7. Hiſt. Plant. c. 28.*) *autor eſt.* Animalibus quibusdam tantum induxit ſoporis, ut pro mortuis abjicerentur, ceu *Scaliger* (*c. l.*) prodidit. De Hetruſcis Aſinis notavit *Petr. Andr. Matthiolus,* (*l. 4. Herbar. c. 78. fol. 384. a. non vero in comment. in Dioſc. quos citat Anton. Mizaldus Cent. 8. memorab. 100. p. 185. add. Joh. Riſt. im alleredelſten Naß p. 42.*) illos ab eſu cicutæ tam profundo ſomno opprimi, ut heri, credentes illos eſſe mortuos, incipiant eos excoriare, quo dolore excitati Aſini riſum moveant prætereuntibus. Suſpicor inde Veteres ſuccum Cicutæ propinaſſe ſontibus, ut indolenti morte obirent. *Thraſias Mantinenſis* tale ſe comperiſſe, *referente Theophraſto Ereſio* (*l. 1. Hiſt. Plant. c. 17. p. m. 124.*) ajebat, quod & facile & absque ullo dolore inferre obitum poſſet. Nec alio quam ſucco Cicutæ & papaveris & alio ejusmodi. De hauſtu ſucci Cicutæ & ejus qualitate à *Socrate* abſorpto legi poterit erudite diſſerens *Joh. Jac. Wepferus* (*anat. Cicut. Aquat. c. 6. p. 60. ſq.*) Quod ad externa exhibita, referenda huc ungventa ſagarum è ſuperi-

è soporiferorum succis, quibus sibi ipsis sensuum sensum pessundant. (*vid. Joh. Bapt. Port. l. 2. Mag. nat. c. 6. f. 85. edit. prior.*)

§. 21.

Supersunt Ephialtici, quos quidem exclusos mallem, nisi ad hos referret *Hermotimnum (Hermodorum vocat l. de sacrat. Genio p. m. 614. Plutarchus) Tertullianus, (l. de anim. p. m. 677.)* sed & in hoc pio Patri aliquid condonandum. Syncoptici potiorem faciunt paginam cum fœminis Syncopticis. Exempla suggerunt, *Joh. Manlius, (Locor. commun. Collect. p. 30.) Felix Platerus, (l. 1. obs. med. p. 170.) Joh. Jacob Crafftius, (ap. Hildan. c. l.) Phil. Salmuth, (Cent. 3. obs. 78. p. 149.) Petr. Borellus, (Cent. 2. obs. med. phys. 70. p. 167.) Helmontius, (Tr. blas human. n. 19. p. 146.) Georg. Hieron. Velschius Noster. (obs. med. Episagm. 100. p. 67.)* Spectat huc infans reviviscens, ut & alii hujus commatis, *ap. Joh. Schenck. (l. 4. obs. med. p. 587.) & Henric. Smetium (l. 10. miscell. med. p. 530.)* Spectant & huc Cardialgici, de quibus iterum. *Crafftius. (ap. Hildan. c. l.)*

§. 22.

Hystericarum ut mentionem faciam, observationum Scriptores calcar addunt, *v. g. Amat. Lusitanus, (Cent. 4. Curat. 23.) Alexander Benedictus, (l. 10. d. curat. morb. c. 9. p. 369.) Georg. Pictor, (l. 1. Sermon. Convivial. p. 28.) Diomed. Cornarus, (Histor. admir. 15. p. 48.) Albert. Botton. (l. de morb. mul. c. 44.) Petr. Forestus, (l. 10. obs. med. 79. p. 418. & l. 28. obs. 26. p. 667.) Crafftius, (ap. Hildan. c. l. obs. 96. p. 176.) Joh. Math. (Quæst. med. 4. p. 21.) Ambros. Pareus, (l. 23. Chirurg. c. 46. p. 530. & l. 24. c. 19. p. 569.) Phil. Salmuth, (Cent. 2. obs. 86. 87. p. 102.) Joh. Marc. Marci à Kronland, (p. 4. Phil. vet. Rest. subs. 1. p. 394.) Joh. Jonston, (Cl. 10. Thavmatogr. c. 7. artic. 7. p. 492.) Caspar à Rejes. (Camp. Elys. qv. 79. n. 11. p. 1055.)*

§. 23.

Pestifero Contagio enectos in vitam rediisse apud observationum Scriptores Exemplorum Sylva occurrit. *Vid. Joh. Uldaric. Runler, (obs. med. 67. p. 39.) Theodor. Zwinger, (T. 2. Theatr. Vit. Hum. l. 7. p. 564.) Hildanus, c. l. obs. 95. p. 173.) Gregor. Nymman, (Tr. d. apopl. c. 31. p. 179.) Joh. Baptist. Siton. (Jatrosoph. miscellan. tr. 1. p. 3. & 4.)* Referenda huc mulier Coloniensis, cujus historiam præter alios recensuerunt, *Joh. Rud. Camerarius, (Cent. 7. memor. med. n. 46. p. 456.) Philipp. Camerarius, (Cent. 4. Hist. succis. c. 46.) Georg Hieronym. Velsch. (Episagm. 100. p. 68.) Isbrand. de Diemerbroeck,*

merbroeck, (*l. 4. de Pest. Noviom. hist. 85. quam repetit l. 2. anat. c. 13. p. 464.*) eamq; minime inter commenta humani animi esse reponendam, censuit *Kozák.* (*c. l. c. 5. f. 20. p. 231.*)

§. 24.

Sunt & morbi, qui ab externis injuriis illati vitæ filum occant, sed & hoc modo defunctos vitæ usuram recepisse Medicorum observationes prostant. Frigore multos exanimatos in vitam rediisse testimonium perhibent *Joh. Sperling*, (*Meditat. in Exerc. Scalig. 10. p. 257.*) *Martin. Kergerus*, (*de Fermentat. f. 1. c. 6. p. 59.*) *Joh. Amos Comenius*, (*de calor. & frigor. Nat. p. 69. & Phys. Reformat. c. 10. p. 168.*) Casu ab alto extincti crediti animam recipisse variorum testimonio constat. *Vid. Act. Apostolic* (*c. 10. v. 10.*) *Plutarch.* (*de ser. Num. vindict. f. 200. a.*) *Franc. Valeriol.* (*l. 6. obs. med. 4. p. 491.*) *Petr. Borell.* (*cent. 2. obs. 20. p. 120.*) De vulneratis, quos quidem non sine ratione ad Syncopticos referas, *Albertus Kranzius*, (*l. 3. Metropol. c. 45.*) Geronis Archi Episcopi Coloniensis historiam texuit: Ludovici Civilis Nobilis Normanni *Augustus Thuanus*, (*Histor. l. 32.*) qui *Ziglero* (*Labyrinth der Zeit n. 404. p. 816.*) ter mortuus, ter sepultus, scribitur, & ter à morte surrexisse. *Phæreus* quidam *Pamphilius* (*Eris Armenius* forsan rectius) inter exanima cæsorum cadavera decem dies integros jacuisse, & rogo impositus revivixisse *Platoni* (*l. 10. de Republ.*) dicitur. Fulminati sine sensu & spiritu mortuis similes cadunt, vocamus *Ertöbt.* Collimat huc illud *Nasonis* (*l. 1. Trist. Eleg. 3. v. 11.*)

Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit: & est vitæ nescius ipse suæ.

Consternatio, metus & pavor hic multum conferunt, & mortem etiam accersunt, quod inter alios *Plutarchus* (*l. 4. Sympos. qv. 2. p. m. 244.*) & *Th. Bartholinus* (*cent. 3. hist. 3. p. 12.*) notarunt. De Incantatis *Dan. Sennert*, (*l. 6. med. Pract. p. 9. c. 6. p. 422.*) *Heinric. ab Heer*, (*obs. med. rar. p. 117.*) & à philtro alibantarum numero adscriptis. *Idem* (*obs. 13. p. 171.*) & *Frid. Losfius.* (*l. 1. obs. med. 23. p. 59.*)

§. 25.

Ultimo loco Ecstatici recensendi veniunt, vel ideò, quod multi credant, hactenus recensitos non tam morbo quodam, v. g. Epilepsia, Apoplexia &c. correptos, sed Ecstaticos mortuorum instar jacuisse, & Ecstasis aliquando in Apoplexiam degenerasse observatum fuerit, quo de *Paul Zacchias* (*l. 4. quæst. med. legal. 6. n. 8. p. 339.*) evolvendus. Quin & non raro Ecstatici Apoplecticis similes cadunt, quod exemplo *Balaami* (*Num. 24. v. 4.*) ista secundum vulgatam versionem proferentis firmare *Idem* nititur. Dixit Auditor sermonum

num DEI, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, (*der da nieder kniet, vertit Lutherus*) & sic aperiuntur oculi ejus. Somnum *Adami* Ecstasin à DEO in somno immissam, ex aliis pronunciant *B. Joh. Cunr. Danhauerus*, (*Colleg. Psycholog. Disp. 5. Controv. 1. p. 136.*) *Th. Bartholinus.* (*de morb. Bibl. p. 1. p. 3.*) De octiduana *Ignatii Lajolæ* Ecstasi, *Jac. Bidermann.* (*Rer. gest. ab Ign. Lojol. n. 180. p. 126.*) Pios & contemplativos aliquando sine respiratione vixisse *Libert. Frommond* (*l. 2. de anim. c. 5. artic. 4. p. 304*) retulit. Epimenidem Cretensem & septem dormientes hac ipsâ abreptos *Joh. Bodinus* (*c. l. p. 102.*) credidit. Talem & Scotum tumulatum reputavit *Idem* (*l. 2. Dæmon. c. 5. p. 321.*) quamvis & quibusdam fabula hic Scoti exitus æstimetur, quod observat *Anton. Deusing*, (*Fœt. Mussipont. secundin. s. 21. p. 146.*) nec vivus sepultus videatur *Casp. Schotto*, (*l. 3. Phys. Curios. c. 20. p. 448.*) qui à discipulorum graphiis exemplo *Cassiani* compunctum vitam cum morte commutasse asserunt, *Pauli Jovii* (*in Elog. Vir. doct.*) & Petri *Criniti* (*in annal. Gallic.*) refutat autoritas, qui illum Scoti quidem nomen obtinuisse referunt, alium tamen ab isto Scotisticæ Sectæ fundatore extitisse declarant.

§. 26.

Non autem mihi hoc loco Ecstasis in sensu Hippocratico & Galenico, (*vid. loca ab Anut. Fœsio in Oecon. Hipp. p. 192. & Lud. Mercato l. 3. de morb. p. 1. Cl. 1. qv. 180. p. 67. collecta*) quibus mentis alienatio, læsio, motio, mania, delirium, phrenesis & insania definitur; sed alienatio imaginationis ab omnibus rebus cum detentione in alicujus rei consideratione, *juxta citatum* (*c. l.*) *Mercatum. Dan. Sennerto*, (*l. 1. Med. Pract. p. 3. c. 30. p. 596.*) vulgariter Ecstatici dicuntur ii, qui omnibus animæ sentientis, moventis ac intelligentis functionibus privati & quasi mortui jacent, & sæpe postquam evigilant, mira, quæ audierint & viderint narrant. *Add. Paul. Zacchiam.* (*c. l.*) Quomodo Scholastici Ecstasin, raptum & mentis excessum distingvant & definiant, *Gisb. Voëtius*, (*p. 2. Disp. Select. p 1040.*) & quot modis vox Ecstaseos sumatur, *Herwartus* (*Tr. de Raptu Pauli, c. 2. §. 6. p. 48.*) curiosis satisfaciet, qui in ea esse privationem animæ sentientis concludit. (*c. l. § 7. p 55*)

§. 27.

Hoc minimè prætereundum videtur, varia dari Ecstaseos genera. Commode ad duo referuntur, ut unum sit supernaturale, naturale alterum. Supernaturalis est vel divina, vel diabolica. Divina est, cum quis abstrahitur ab actu sensuum s. externorum tantum, sive etiam internorum ad aliqua supernaturaliter videnda, visione sive purè mentali, sive intellectuali, sive etiam imagineria

ria. Prioris exemplum vulgò ſtatuunt in *Paulo*, (*2. Corinth. 12. v. 2. & Actor. 22. v. 17.*) poſterioris in *Petro*, (*Actor. 10. v. 10.*) & *Johanne Evangeliſta & Apoſtolo.* (*Apocal. c. 1. v. 10.*) *Hæc è Giſb. Voëtio (c. l.)* Rectè verò dixit Raptum Pauli ad Ecſtaſin referri, cum illam eminentiori prope modulo ac gradu ſuperet, & ἁρπαγεὶς raptus, quad vocabulum intenſiorem vim exterius illatam apprime denotet. Sanè, *optime judicat Herwartus (c. l. §. 8. p. 59.) cum Actor. c. 22. v. 17.* orans in templo aliquando factus eſt in ſtupore, utitur vocabulo ἐν ἐκστάσει, ecſtaſi ſcilicet correptus, at hoc loco intenſius quid indicaturus, dicit ſe ἁρπαγέντα. Deinde in hoc raptu audivit ἄῤῥητα, quod ad rei magnitudinem oppido facit, raptu hoc non ad ſtatum gratiæ, ſed gloriæ relato. De Ecſtaſi Curinæ de Turma municipii Tullienſis prolixam narrationem leges *apud Auguſtinum. (l. de cura mortuorum.)* Ecſtaſeos ejusmodi Exemplum etiam reperies *apud Cornel. Gemmam, (l. 2. Coſmocrit. c. 4. p. 257.)* de quo quidem an genuinum ſit, meritò quis dubitaret. Quæ huc præterea faciunt, habet *Martin. Schvockius: (tr. de Ecſtaſ. p. 82. ſq.)* ſacras valetudines *apud Firmicum, (l. 4. Aſtronom. c. 7.)* raptus & Ecſtaſes ab afflatu divino & lymphationes interpretatur *Petrus Petitus.* (*l. 2. de Sibyll. c. 12. p. 250.*)

§. 28.

Sed & hic certat ex ſuperbia & ambitione cum vero DEO, inſidiaturque gloriæ DEI, nec ulla in parte ei vult inferior videri Diabolus, *ſcripſit Simon Majolus, aut è doctis forſan alius. (T. 2. Dier. Canicular. Colloqu. 3. p. 231.) Conf. Caſp. Schottum. (l. 1. Phyſ. Curioſ. c. 35. p. 126.)* Taliſmodi Diabolicæ Ecſtaſeos Exempla Lappones ſuggerunt, quippe qui, dum quæ in remotioribus regionibus aguntur, explorare ſatagunt, poſtquam uſitatis Ceremoniis, inter quas Tympani, ab *Olao Wormio* (*l. 4. Muſ. c. 12. p. 385.*) depicti pulſatio eminet, evocatos ſuos DEOS, (Diabolos) compellarunt, ſubito collabuntur, & ultra 24. horarum ſpatium exanimes jacent, de quibus *Ol. Magnus*, (*l. 3. Epit. Hiſtor. ſeptentrion. p. m. 119.*) & qui hunc ſeqvuntur, *Caſp. Peucerus (de var. divinat. gener. p. 282.) & Joh. Schæfferus.* (*Deſcript. Lappon. c. 11. p. 151.*) Interim ut adſint ſemper aliqui oportet, qui projectum & exanime corpus cuſtodiant, ne Dæmones illud eripiant. Quodſi tangantur, etiam à muſcis, aut vocentur, emoriuntur. (*Schæffer. c. l. p. 156.*) Tales Magorum & Sagarum raptus ad ſua ſabbatha. Quamvis equidem negandum non ſit, eas aliquando à Dæmone vere in altum tolli, & ad conventicula conſveta deduci, juxta ea, quæ *Gothofr. Voigt (Delic. Phyſ. c. 7. ſ. 3. p. 233.)* propoſuit: Interim illis extra ſe raptis per imaginationem ſ. phantaſiam,

am, quæcunque in ſynodo Satanicâ aguntur, earumque perſonæ in Conventiculis veluti præſentes exhibentur. vid. Joh. *Marc. Marci.* (*p. 3. Philoſ. vet. Reſtitut. Subſ. 5. p. 269.*) Refert huc *Epimenidem Magum*, *Joh. Henric. Urſin.* (*l. 4. Acerr. Philol. c. 19. p. 234.*) *Phæreum Pamphilum & Soleum*, *Caſp. Peucerus.* (*c. l. p. 277. & 293.*) His adjungendus juvenis ille ebrius, qui cum ad Liparæ tumulum ampla voragine hiantem obdormiiſſet, & tertio poſt die à queritantibus repertus & pro mortuo ſublatus & jam buſto deſtinatus, ſubito experrectus quæ viderat & perpeſſus fuerat, *teſte Ariſtotele*, ſi quidem autor eſt, (*l. de mirabil. auſcult.*) magna cum admiratione commemoravit. Referendas huc etiam cenſeo ſagas in Gehenna dormientes, qualia Exempla *Petrus Borellus*, (*Cent. 2. obſ. 50. p. 147.*) *Hector Schlamhoſius* (*ap. Gregor. Horſt. l. Epiſt. Med. ſ. 7. p. 415.*) *cum Aliis* in literas retulerunt.

§. 29.

Ecſtaſis naturalis definitio ex illis, quæ (§. 25.) dixi, facile elici poterit. Conſiſtit illa in exceſſu mentis à conſtanti & profunda rei alicujus conſideratione, aut imaginatione ſpiritus concentrante, ut aliqua ἀναισθησία inde ſequatur. Eſtque vel imperfecta, quando quis profundis meditationibus ad tempus immerſus, immotus ſedet, ſtat aut cubat, qualis in *Franciſco Vieta* (*ap. Jac. Auguſt. Thuan. l. 129. Hiſtor. p. 1003.*) advertebatur. De Ecſtatica hiſtoriam recitat *Mart. Zeiler.* (*p. 1. Epiſt. p. 248.*) De Ecſtaſi à Philtro, *Frid. Loſſius.* (*l. 1. obſ. med. 23. p. 59.*) Spectat huc Ecſtaſis Poëtica, de qua pluribus (*in Jonte*) *Plato.* Hanc ab Aquis Caſtaliis Delphis guſtatis contigiſſe *Jacobus Sponius* (*l. 4. Jtinerar. p. 11.*) obſervat. Putabant nempe Enthuſiaſmo correpti, audire ſe Apollinem ad Chelyn ſ. Citharam incinentem, ejusque verba & cantus excipere, adeoque in Parnaſſo ſomniare. Viſa igitur Poëtarum ſomnia vigilantium quidam *teſte Plutarcho* (*l. amator. p. m. 408.*) dicere non eſt veritus. Sed *de furore Poëtico*, quo ſine Poëticas fores fruſtra pulſari *Plato* (*in Phædro*) aſſerebat, plura *in peculiari Diſſertatione* (*l. 3. de Sibyll. c. 9. p. 335.*) promiſit *Petrus Petitus.* In Exemplum trahere poſſemus *Socratem*, de quo *Alcibiades*, (*ap. Platon. in Conviv.*) quod in medio exercitu aliquando uno gradu diem & noctem ſtetit usque ad ſolis exortum cogitabundus. *A. Gellio* (*l. 2. Noct. Attic. c. 1. p. 41.*) ſtare ſolitus dicitur *Socrates* pertinaci ſtatu perdius atque pernox à ſummo lucis ortu ad ſolem alterum orientem, inconnivens, immobilis, iisdem veſtigiis & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus tanquam quodam ſeceſſu mentis atque animi facto à corpore. Facit tamen & *Phavorinus* (*ap. A.*

Gell c. l. qui fortitudini viri id dedit. Catalepticis igitur Eundem annumeravit *Petrus Forestus*. (*l. 10. obs. med. 41. p. 367.*) An secutus indefessum Gymnosophistarum in Physicis studium, quippe qui, referente *Plinio* (*l. 7. c. 2.*) *& Solino* (*Polyhist. c. 65. p. 191.*) ab exortu ad usque solis occasum contentis oculis orbem candentissimi sideris contuentur in globo igneo, rimantes secreta quædam, arenisque ferventibus perpetim diem alternis pedibus insistunt. De *Platone strenuo Socratis æmulo* idem *Alii*, quem etiam ejusmodi contemplatione abreptum vitam finiisse fabulantur, cum in nuptiis discumbentem mortuum *apud Diogenem Laërtium*, (*l. 3. in vit. Plat. p. 187.*) & quidem die natali *apud Senecam* (*Epist. 59. p. m. 96.*) legamus.

§. 30.

Perfecta Ecstasis correptos insensibiles planè & â mortuis vix differentes efficit. Et quis *Joh. Duns. Scotum* hac detentum non crederet? Si vera essent, quæ de Ejus morte vulgò circumferuntur. (*vid. §. 15. supra.*) Ecstaticis etiam non mortuis adjungere puerum Sunamitidis fœminæ ab Elisæo resuscitatum (*2. Reg. c. 4. v. 17.*) *Franciscum Vallesium*, cui nobis astipulari videtur *Petr. Borellus*, (*Cent. 3. obs. 58. p. 241.*) inculpat *Henric. Kippingius*, (*l. 8. Instit. Phys. c. 15. n. 3. p. 354.*) eumque acuto confodit obelo; & ut hoc quidem ex merito, ita memoriæ Ecclipsin passus est *Kippingius*, dum non Ecstaticum sed Syncopticum renunciavit *Vallesius*. Verba *Ejus* (*Philos. sacr. c. 35. p. 232.*) hæc sunt: Siquidem per sanctam Ecclesiam Romanam, penes quam veritas est, licet dicere; fuisse puerum hunc non penitus mortuum, sed lictum animo; atque adeò Syncope correptum, dicique jacere mortuum, ut dicere consvevimus de Apoplecticis & Catalepticis, ac denique de omnibus, qui sine sensu & motu jacent quasi exanimes. Animadvertit etiam in hunc *Vallesii* locum *Valent. Henric. Vogler*, (*Comment. de Reb. natur. & med. in S. S. p. 176.*) Ejusque rationes discutit. *Add. Pnevmatopægnion*, (*S. 1, Artic. 15. §. 14. & 15.*)

§. 31.

Supersunt Ecstases quarum causa dubia & abscondita, quas dubias quidem diceres, an scilicet DEUM, an Dæmonem, an Naturam causam agnoscant? Non in medium afferam fictas, quibus nomen & sanctimoniæ umbram parere sibi satagunt Hypocritæ. Talis fuit illa Sacerdotis, cujus ex Rondeletio meminit *Petrus Forestus*, (*c. l.*) qui quoties audiebat verba illa Passionis: Consummatum est; Ecstasi è mentis & sensuum potestate se abripi simulabat, sed quam feliciter baculo allato suspicax, excussit *Rondeletius*.

Gemel-

Gemellum de muliere Siculâ recitat *Paul. Zacchias* (*l.3. quæst. med. legal. Tit. 2. qu. 6. n. 8. 2. 298.*) & vereor ne ad hanc claſſem ſpectent, quæ αὐτόπτης *Chokier* (*Cent. 1. Fac. Hiſtor. c. 24. p. 57.*) recenſuit. Epilepſiæ familiaris pallium ſummo iſti impoſtori *Muhammedi* Ecſtaſis fuit, in qua cœleſtium revelationem & divinorum colloquiorum ſibi contingere donum arrogabat. (*Vid. Joh. Hornbeck, l. 3. ſumm. controverſ. p. 74.*) Quid vero ad illam *Joh. Marc. Marci* (*p. 2. Phil. vet. reſtitut. ſ. 3. p. 111.*) relationem? Cum *Divus Adelbertus* Romæ miſſam celebrans Pragæ ſuos fratres ſepeliret, in Ecſtaſi poſitus ſenſibus ſopitis videbatur: neque voluntas ad motum & inceſſum qui neceſſariò ſecutus fuiſſet inclinabat. Nihil ſane habeo dicere quam quod *Marcum* à credulitatis ecſtaſi abreptum ſuſpicer, quin & credam firmiter.

§. 32.

Et ſe expertum profitetur Ecſtaſes *Joh. Bapt. ab Helmont*, quem in multis admiror & ſequor; (*Fr. Dem. Idea n. 12. p. 222.*) Cœpit ille (*Tr. Venat. ſcient. n. 40. p. 22.*) contueri, quod intellectus plus proficeret per figuras, imagines & viſiones Phantaſiæ ſomniales, quam per rationis diſcurſus. Enthuſiaſtæ inde titulum retulit à *Caſparo Poſnero*, (*S. 1. Phyſ. General. Diſput. 3. Th. 8.*) & forſan non inique cum animæ Sabbatiſmum cum Enthuſiaſtis habuerit communem. (*Præf. ad Lect. Philiatr. in Tr. de lithiaſ. p. 645. Conf. Joh. Hornbeck l. 6. ſumm. Controv. p. 446.*) Legat quiſpiam ſomnium, (*Tr. Poteſt. Medicam. n. 3. p. 377.*) & expendat,

Qvid tanto ferat hic promiſſor hiatu.

Accepit à Janitore intellectu libellum, cujus nomen erat Gemma Roſæ nondum apertæ, quem comedit. Erat autem ſaporis auſteri & terreſtris, ut quaſi laryngem præcluderet, ſic ut ingenti tarditate laboris illum deglutiret. Unde dein totum ſibi caput viſum diaphanum. *Wer wolte nun nicht gläuben, daß er die Kunſt alleine gefreſſen?* Recitat ſomnium de Ratione, (*Tr. Venat. Scient. n. 3. p. 17.*) de anima, quam vidit ſatis exiguam, ſpecie humana, ſexus diſcrimine liberam, (*Tr. imag. DEI p. 565.*) quod ferè cum viſione Ecſtatica ſororis revelationum chariſmata ſortitæ convenit *ap. Tertullianum*, (*l. de anim. p. 646.*) cui oſtendebatur anima corporaliter, & Spiritus videbatur, ſed non inanis ac vacuæ qualitatis, imò quæ etiam teneri repromitteret, tenera & lucida, & Ætherei coloris, & forma per omnia humana. Generationis noſtræ initia ſomniotenus viderat *Helmont*, (*Tr. Flux. ad generation. p. 580.*) Recenſuit etiam in Medicorum opprobrium ſomnium: (*Tr. præfat. n. 12. p. 388. & Tr. Tumul. Peſt. p. 830.*) Dii boni! cur non exclamemus *cum Galaxidoro*, (*ap.*

(*ap. Plutarch. l. de Socrat. Gen. p. 592.*) quam difficile eſt hominem invenire faſtus vacuum ac ſuperſtitionis. Alii enim inviti ob imperitiam aut imbecillitatem hiſce affectibus capiuntur: Alii ut Diis chari & ſingulares videantur, divinitatem quandam ſuis actionibus affingunt, ſomnia, ſpectra aliaque id genus ab ipſis excogitata amplificandi gratiam apponentis. Quod quidem civilibus viris (in uſum traductum *à Minoë, Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 2. Antiquit. Rom. p. 122. Lycurgo, apud Xenophont. l. de Republ. Lacedæm. p. 12. Numa Pompilio ap. Livium Dead. l. 1. c. 19. Scipione, ap. Polyb. l. 10. Hiſt. p. 654.*) & quibus neceſſe eſt vitam ſuam adverſus contumacem & diſſolutam turbam inſtituere fortaſſe non eſt inutile: ut ſuperſtitione quaſi fræno multitudinem compeſcant, & ad utilia torqueant. Philoſophiam autem non modo dedecet hic prætextus, ſed & profeſſioni ipſius repugnat. Et vereor *cum Exc. Paulo Ammanno*, (*Orat. de Autopſ. Med.*) nec mira (*Phyſica*) Medicinæ facies exſurgat, ſi cujusvis Phantaſiæ modulo illam metiri vellemus. Digna ob hanc cauſam ſcripta Helmontiana cenſuit *Mart. Schoockius*, (*l. de Ferment. c. 4. p. 405.*) quæ Endymioni pro pulvinari ſupponantur.

§. 33.

Sunt & veræ, ſed dubiæ, Ecſtaſes, quas ad quam claſſem referas in ſuſpenſo ſit. Illum *præteriti ſeculi vatem Michaëlem Noſtradamum* ἐκςατικὸν fuiſſe, è ſcriptis Ejus fidem fecit *Petr. Petitus* (*l. 3. de Sibyll. c. 9. p. 335.*) qui ſua nil referre aſtruit, (*p. 340.*) quo ingenio & Numine impulſus *Noſtradamus* divinaverit, modo divinum fuiſſe conſtet. De Ejus ſepultura *è Jacobo Sponio* (*l. 1. Itinerar. p. 6.*) notandum: *Er liegt in ſeiner Geburths-Stadt von Solon halb in der Kirchen, halb auſſer derſelben begraben, vielleicht darum, weil man nicht wiſſen konte, ob Er ein Hexenmeiſter, oder ein Prophet geweſen. Joh. Bœhm calcearius ille Görlicenſis* Anno 1600. Ecſtaſi ſpirituali ſeptem diebus ſe abreptum fuiſſe ad divina & cœleſtia contemplanda fruendaque dixit, & poſt iterum Anno 1610. quum jam in conjugio viveret, & binos filios aleret, in cujus rei memoriam libellum conſcripſit, cui titulum fecit: Aurora; Libellum mere nugacem, quem à nemine recte intelligi, nec ab Autore quidem, certo mihi perſvadeo *ſcribit Joh. Hornbeck*, (*l. 6. Summ. Controverſ. p. 456.*) non quod tam ſublimia doceat, ſed cum hoc non agat, tamen tantum ſublimia loquatur. In hunc cenſum venire poterat puer ille ruſticus σκόθρωπος, taciturnus & fortè demens, ſed ſimul Ecſtaticus, qui quoties concidit, jacuit tanquam ſenſu orbatus, non poſſe aliter, dixit, quod cogeretur à quodam nigro, *referente Sigism. Schnizzero*, (*ap. Joh. Hornung. Ciſt. Med. Epiſt. 31. p. 81. ſq.*) hic ſe ad loca quædam

montis

montis Veneris raptum asserebat, quo videret omnia perquam laute exornata & homines bibentes quidem, sed mox à potu fumum patente ore reddentes.

§. 34.

Tales sunt aliquando voluntariæ, qualis illa *Presbyteri Restituti, (ap. Augustin. l. 14. de Civitat. DEI c. 24.)* qui quoties volebat ita à sensibus abducebatur, ut tametsi dolorifica, etiam ignis actualis adhiberentur, nihil prorsus sentiret, quod præter Naturæ Ordinem esse & monstrum dici posse *Stephan. Rod. à Castro (l. 2. de meteor. microcosm. c. 9. p. 67.)* asseruit. Inter quatuor è Natura sibi indita etiam hoc recensuit *Hieron. Cardan. (l. 8. de Variet. Rer. c. 34. p. 539.)* quod quoties voluit, extra sensum quasi in Ecstasin transiit. Audiamus ipsum: Volo docere, *inquit*, quomodo id agam, & quid sentiam: Nam eodem modo, quo ille Presbyter, afficior: Ille enim dolorem magnum non sentiebat, anhelituque destituebatur: Voces tamen è longinquo quasi audiebat. Mihi vero non ita, sed vocem quidem leviter audio, quid dicant non intelligo. Dolorem magnum an sensurus sim nescio: vellicationem validam & podagræ dolores vehementissimos nihil prorsus sentio. Sed diu in ea permanere non possum. Sentio dum eam ineo, ac, ut verius dicam; facio juxta cor quandam separationem, quasi anima abscederet, totique corpori res hæc communicatur, quasi ostiolum quoddam aperiretur. Et initium hujus est à capite, maxime Cerebello, diffunditurque per totam dorsi spinam, vi magna continetur: hocque solum sentio, quod sum extra me ipsum, magnaque quadam vi paululum me contineo. Multos per solam imaginationem *(ut scribit Cælius)* animam à corporibus in Ecstasin adduxisse, talemque rumorem *de Fratribus Roseæ crucis* percrebuisse recitat *Wilhelm. Davisson (Prodr. Comm. in Petr. Severin. Id. Med. phil. p. 176.)* quod quidem an fas sit credere dubitat. Omnes has Ecstases voluntarias Dæmonis auspiciis contingere, *Joh. Bodinus (l. 2. Dæmonom. c. 5. p. 316.)* concludit, adeoq; & *Cardanum* pacti cum Diabolo insimulat, & id præterea vel hac ex causa quod parens ejus triginta annos Pythonem habuerit, quod ipse *(l. 16. de var. Rer. c. 93. p. 1102.)* confitetur. Add. *J. C. Fromman. (l. 3. de Fascin. p. 4. s. 1. c. 3. §. 6. p. 564.)*

§. 35.

Cur verò hactenus recensiti apparenter mortui sensu motuque destituti corruant, & non raro ad aliquot dierum spatium tales deprehendantur, paucis expendere operæ pretium putamus. Animam non quiescere in somno, *Galen. (l. 2. de mot. muscul. c. 5.)* proprio docuit exemplo, qui noctu iter faciens

ens integrum ſtadium dormiendo peregit, & ſomnia videns non prius excitatus eſt, quam in lapidem impegit. Seceſſionem animæ ſomnium vocabat *Tertullianus*, (*l. de anim. c. 44. p. 677.*) ſomnusque huic (*l. c. p. 676.*) ſpeculum mortis. Somnum ad Ecſtaſin inclinare, mentemque in Ecſtaſi ab inferioribus facultatibus ſeduci *Martin. Schoock* (*tr. de Ecſtaſ. p. 25.*) non diſſimulat; quod nec Rabbinis diſplicuit. Hi namq;, ut è *Joh. Mich. Dilherro* (*T. 2. Diſput. Academ. Philolog. 4. th. 1. p. 45. & ſq.*) id inſeram è *Pſ. 25. v. 1.* Ad Te, Domine, animam meam levabo, nocturnas animarum emigrationes & ad DEUM elevationes locales elicere conati ſunt. Ita *R. Kimchi* (*ſuper h. l.*) Homo cum dormiturus eſt, commendat Spiritum ſuum D. O. M. ne forte ſurgens craſtino mane requirat animam ſuam nec inveniat; aut reperiat ſuam in corpore alterius, alteriusve viciſſim in ſuo. Et *R. Alexandrinus*: ſcito Tibi rem ita ſe habere: Homo expedit opus ſuum interdiu, unde veſpertino tempore anima ejus fatigata eſt & attrita. Cum igitur ipſe dormit, DEUS laborat & redintegrat animam, ut ſequenti mane revertatur in corpus ſuum vegeta nova & quieta. Abutuntur at hoc loco. *Threnor.* (*c. 3. v. 23.*) Novæ ſunt quovis diluculo animæ, *Pſeudo Dionyſius ille Areopagita* (*de divin. nomin. c. 7.*) nos totos à nobis diſcedere, totosque in DEUM tranſire præcepit & hanc rationis expertem & amentem atq; fatuam ſapientiam ὑπεροχικῶς ὑμνῦντες omnis mentis & rationis omnisque ſapientiæ & intelligentiæ cauſam dictitat.

§. 36.

De Ecſtaticis eadem Rabbinis mens, eadem ſententia. Tradunt namque in *Cabbala* ſua, *Autore Joh. Bodino*, (*c. l. p. 302.*) Angelum animarum electarum ſacrificium ferre DEO, iſta animæ à corpore abſtractione, ſed ita, ut vita fruatur interim homo. In quam ſententiam trahunt, *Pſ. 116. v. 15.* Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus; & hanc mortem ſvaviſſimam *Plato* dicere *Bodino* videtur. Nec *ipſe Bodinus* (*c. l. & l. 4. Theatr. Nat. p. 502.*) veſtigia Rabbinorum calcare abhorret. Ipſos Lappones in ea eſſe ſententia Diabolum, Ecſtaticis Spiritus abducere, qui è remotioribus cultros & annulos afferunt, *Joh. Schæfferus* (*Lappon. c. 11. p. 151. & 154.*) retulit. Reperimus inter Exempla (*tradidit Plinius l. 7. c. 57.*) *Hermotimi Clazomenii* Animam relicto corpore errare ſolitam vagamque è longinquo multa annunciare, quæ niſi a præſenti noſſe non poſſent: Corpore interim ſemianimi: donec cremato eo inimici, qui Cantaridæ vocabantur, remeanti animæ velut vaginam ademerint. *Ariſtei* etiam viſam evolantem ex ore in Proconneſo corvi

corvi effigie. Ex dormientis *Gontrami Burgundiæ Regis* ore animalculi, secundum quosdam muris, mustelæ secundum alios, specie egressam & iterum ingressam vidit ejus famulus, ceu ex annalibus Gallicis *M. Cl. Paradinus* (*in Symbol. Heroic. p. 233.*) prodidit. Ex ore instar igneæ muscæ animas sagarum evolare ad remotiora loca & rerum absentium afferre cognitionem, è *J. de Nunault* (*c. 3.*) *Thom. Bartholin.* (*l. 1. de luc. c. 23. p. 212.*) narrat, *Eberhardus, Eques Germanus* graviter laborans (recitat *Joh. Marc. Marci à Kronland p. 3. Phil. vet. restitut. subs. 5. p. 262.*) cum aliquantisper ceu mortuus mansisset, posteà ad se reversus dixit, spiritum suum à malignis Spiritibus Hierosolymam perductum, deinde in Saladini Castra, qui eo tempore Ægypti Regnum obtinebat, mox in Lombardiam, ubi in quadam sylva Germanum amicum suum allocutus esset, postremo ad Urbem Romam perlatum, sedente *Innocentio III*, descripta ipsius situs ac locorum ædificiorumque forma, atque effigie Principum ipsorum, ut erant graphicè. His futura multa addidit, quæ secuta sunt. Quod si aliquando animæ in copora non remeent, illas partem constituere furiosi Exercitus s. Familiæ Hellequini, aut Sodalitii *Wodani vel Odini* (quem sagarum à Dæmone prægnantium turmam putabat *Aureol. Theophr. Paracels. Fragment. Philos. de sagis tr. 8. c. 3. p. 260.*) rudi plebeculæ persvadebant.

§. 37.

Enimvero, *monente Tertulliano* (*c. l.*) omnia potius consectanda, quam hæc animæ licentia sine morte fugitivæ, add. *Gisbert. Voët.* (*P. 3. Disp. select. p. 585.*) Præterea fieri non potest, ut anima humana sine oculis videat, & reliqua externa sine sensibus, quorum actio corporea est, cognoscat, totum istud figmentum concidit, concludit *Andr. Libav.* (*de Cruent. Cadav. p. 174.*) Quomodo ipsa (anima) res externas percipiet, & judicabit etiam in ignota gente, loco & lingva sine instrumentis notitiæ? Quibus manibus corripiet crepundia, & secum per tam vasta spatia deferet? In corpore aptissimis instrumentis donato hebes est animæ virtus, quid dicendum in defectu eorum: Nata est cognoscere per corpus. *Idem* alibi, (*p. 1. singular. de Strigiport. p. 325.*) *Casp. à Rejes*, (*Camp. Elys. jucund. qvæst. q. 27. n. 23. p. 451.*) Ad hæc si per animæ à corpore solutæ transvectionem itinera Lamiarum caminaria procuraret Pseudotheus, corpus Lamiæ anima cassum insequente animæ recidivatu Diabolica virtute resuscitaretur, ut optime arguit *B. Joh. Conrad. Dannhauer.* (*Colleg. Psycholog. Disp. 5. Controvers. 1. p. 138.*) Juvaret deliramentum præfatum Cartesianum commentum, quo statuitur posse in corpore

humano, in quo ſangvinis & ſpirituum motus, & præcipuæ ejus partes recte ſe habent, quodque per conſequens ſit vivum, omnes motus corporeos edi, etſi nulla præditum animâ rationali, ſed hoc Carteſianorum Paradoxum, ut multa alia enervavit *Pl. Rever. D. Joh. Adam Oſiander. (Colleg. Conſiderat. in Dogm. Carteſian. c. 12. th. 3. p. 225. & c. 21. th. 1. p. 403.)* Nec malæ cauſæ patrocinabitur Homo internus *Paracelſicus & Helmontianus*, cum non Ens ſit, ut infra (*l. 2. Tit. 10. §. 113.*) monſtrabitur. Multo minus quis *Almarici* & rudiorum contemplativorum aſtipulabitur errori, qui *(annotante Cornelio à Lapide c. 6. cantic. p. 369.)* in Ecſtaſi animam annihilari & tranſire in DEI eſſentiam ſomniabat. Quis enim furor hic, quod delirium, animam annihilari? Nec hoc tantum, ſed annihilatam demum tranſire in eſſentiam DEI? De exceſſu & reditu animarum, quod non ſit creatæ virtutis, dudum probatum dederunt *Caſp. Beucerus, (de divinat. gener. p. m. 279.) Chriſt. Moldenar, (l. 4. Exerc. Phyſiogn. c. 9. p. 293.) Martin Biermann, (de Mag. Action. contr. Bodin. Theor. 20. p. m. 245.) Martin Weinrich, (p. 1. de Monſtr. c. 17. f. 168.) Joh. Chriſt. Frommann, (l. 3. de Faſcin. p. 4. ſ. 1. c. 3. §. 6. p. 563.)* qui mecum miratur, cur *magni nominis Theologus Fried. Balduin. (l. 3. c. 5. caſ. conſc. 7. p. 736.) Bodino* aſtipuletur, nec ferre poſſum, quod *Henric. Kipping. (l. 2. inſt. Phyſ. c. 7. §. 23.)* idem aſſerat, animæ â Dæmone raptum non inferre mortem, ſed vegetativæ facultatis reliquias & ſpiritum inſitum vitam utcunque ſuſtinere. Naturalis potentia recipiendi animam adhuc ineſt in corpore, pergit, ubi calidum innatum viget, & omnia membra valida ſunt.

§. 38.

Unde verô futurorum & præſentium, quæ in disſitis locis contingunt cognitio? Vim magicam naturalem animæ, quæ extra ſe agit, virtute imaginis divinæ, latere obſcuram in homine, & obdormire poſt prævaricationem, poſtquam ſcientia pomi manducata fuit, *J. B. Helmontii (Tr. de Mag. Vuln. curat. n. 98. 99. p. 610.)* philoſophia eſt, & quamdiu (hæc, quæ eſt carnis, ſanguinis, exterioris hominis & tenebrarum) viget, peſſundata eſt nobilior illa (animæ) poteſtas magica. At quia in ſomno (addere etiam licet in Ecſtaſi, Lipothymia &c.) ſubinde tota pomi ſcientia dormit, *pergit Helmont*, hinc etiam quandoque inſomnia Prophetica ſunt, & DEUS ipſe in ſomniis ſæpius homini per effectum propinquior eſt. Gabalin ſeu hominem ſideream inſomnia talia inducere, & hominem illuminare *Paracelſo, (Fragm. Med. l. de Morb. ex incant. c. de Morb. ſomn. p. 141)* placuit. Animam in Ecſtaſi quodammodo è corporeis impedimentis ſeparatam aliquid ſcientiæ quam poſt mortem

mortem habitura est, acquirere, ratiocinatur *P. Borellus*, (*Cent. 2. obs. 54. p. 151.*) add. *Anton. Deusing.* (*de Fœt. Mussipont. s. 24. p. 163.*) Quod anima in se reducta atque collecta, nec in corporis organa diffusa, habeat ex vi propriæ essentiæ aliquam prænotionem, divinat *Francisc. Baco de Verulamio.* (*l. 4. de Augm. Scient. c. 3. col. 117.*) Omnium acutissime Problema hoc excussisse videtur *Marc. Marci à Kronland*, (*c. l. p. 261.*) dum scribit: Cum unio animæ cum objectis ad notitiam ex iis habendam eidem sit naturalis, nihil forte absurdi habet, si dicamus posse eidem convenire etiam in corpore existenti; ubi impedimenta hæc amota fuerint, uti prope mortem & in ecstasi, anima (tota absque materialitate) à sensuum vinculis libera & veluti sui juris facta, & ad vitam purè intellectualem disposita. (*p. 267.*) Notitiam autem futurorum non haberi posse per ejusmodi unionem ad objecta, quæ nec dum sunt, (*p. 266.*) sed per repræsentationem interius, (sive à DEO, Angelis aut Dæmonibus) factam. Add. *Athan. Kircher.* (*l. 2. art. magn. Luc. & Umbr. c. 11. p. 113.*)

§. 39.

Visi sunt quidam Ecstatici, si referentibus fides non deneganda, in aërem elevati, ut *S. Catharina*, & *S. Franciscus* ad nubes; qui DEI amore corpulentiam vicerunt, non autem victi sunt. Si attrahi ferrum magnes, sursumque elevare facit, & in sublimi sustineri, stultitia crassa est Aristotelicorum negantium Ecstasin divinam, *ratiocinatur Th. Campanella* (*l. 3. de Sens. Rer. c. 11. p. 236.*) Hic ut rationem phænomeni reddat, subjungit: Prophetia qua DEUS homines donat, non in Spiritu corporeo initiatur, sicut in Melancholicis & brutis naturales Prophetiæ fiunt, sed in mente ab ipso hominibus immissa, & ea ostentat res altissimas, in eaque residet ipse solus, movet, docet, in abstractionibus adeò vehementibus, quæ trahunt una Spiritum corpusque consequenter in cœlum. Et hoc in sagis præstare posse Diabolum nulli inficiamur; Si enim ad loca remotissima corpora Sagarum ad conventus suos transportare potest, cur non & eadem in aëre librare & detinere.

§. 40.

Ecstasis quamdiu durare possit in disquisitionem venit. Protrahi eandem non raro ad aliquot dies historiæ loqvuntur. Ad annos aliquot produxit *Joh. Marc. Marci à Kronland*, (*p. 4. Phil. Vet. restitut. Subsect. 1. p. 395.*) Quid prohibet, *infit*, hanc Ecstasin longissimè produci? aut etiam perpetuam esse? Annon ejusmodi corpus tametsi non evigilaret, vi imaginationis in pedes erigi, aut etiam deambulare, prout in Noctambulonibus contingit, valeret?

Est autem, *pergit*, differentia inter Ecstasin continuatam & mortem, quod per hanc anima rationalis è consortio corporis separatur: In ea vero superstes manet veluti somno profundo detenta: usûsque rationis non extinctus, sed sopitus eidem inest, unde ejusmodi motus sunt vitales & humani. At vero motiones corporum vita destitutorum, si quæ sunt, non jam humanæ dicendæ, sed brutorum, seu potius Zoophytorum actionibus similes. Et *(Subsc. 2. p. 397.)* hoc agit, ut Ecstasin diuturnam atque in annos plures deduci posse declaret, inprimis inediarum diuturnam Exemplis in rei fidem adductis. Neque referre ait, *(p. 398.)* in cubili, an in sepulchro quis à cibo abstineat.

§. 41.

Ego vero multum referre dicerem, cum inter inediam ac Ecstasin multum intersit. In inediâ diuturna, modo ficta non sit, qualia Exempla collegit *Edo Neuhus. (l. 2. Sacr. Fatidic. c. 15. p. 271.)* sed verâ, & in corpore sano cum vix ultra septiduum extendi possit, sed ægro, nec â causa supernaturali, nempe divina, qualis in *Mose, Elia & CHRISTO*, aut Diabolica qualis in juvenculo Arabe, cujus historiam *è Prospero* narrat *Caspar Schottus*, *(l. 3. Phys. Curios. c. 14. §. 13. p. 414.)* & forsan in illa *Conradi Vietoris* filia, eò quod Genius ipsi apparuisse dicatur *ap. Henric. Smetium*, *(l. 10. Miscellan. Med. p. 552.)* respiratio & transpiratio libera est, & varia vitæ prostant subsidia, quibus, ut ea recensuit *David Lipsius (ap. citat. Smet. c. l. p. 554. & Dan. Sennert. (l. 3. Med. Pract. p. 1. s. 2. c. 2. p. 85. sq.)* motus sanguinis, debilior quamvis, conservatur. In Ecstasi autem hæc deficiunt, immotumque jacet corpus. In inedia, in loco & aëre temperato vitam servat homo; in Ecstasi tumulo infertur corpus aëre spisso, frigido, udo & putrido, adeoque flammulæ s. lumini vitali quam maxime hostili contaminato & repleto. Frustra igitur mulierem post quadraginta annos in sepulchro adhuc incorruptam vivorum ordini inserere laborat *Marci*, cum aliæ, ipsomet non diffitente, prostent causæ, *infra (l. 3. Tit. 2.)* allegandæ.

§. 42.

Ἄπνυς Heraclidis & *Empedoclis* quod sit, & an huc spectet, forsan requires? De Heraclide quid dicam? Heraclidem vocat *Diogen. Laërt. (l. 8. p. m. 605. & 610.)* & *Heraclididem Ponticum, (in Proëm. p. 8.)* mendum igitur suberit, quando Heraclitum *(alibi p. 606.)* dixit, vel ipsius *Isaaci Casauboni (in not. ad Proëm. Diog. Laërt. p. 10.)* & ante hunc *Hieron. Mercurialis, (l. 4. var. lect. c. 14. p. 226.)* divinatione. Fuit autem *Speusippi* primum & *Pythagoræorum* &

rum, & tandem *Sotione teste, Aristotelis* auditor, ut *Laërt.* (*l. 5. in Vit. Ejus p. 358.*) prodidit, non verò ille, qui *Caji Claudii & Neronis temporibus* vixit, de quo *Gerard. Joh. Voß.* (*l. 1. de Histor. Græc. c. 9. p. 45.* Librum hunc περὶ τῆς ἄπνε (ἀπνεῦσι f. abolita Respiratio *Antonio Deusingio* (*in fœt. Mussipont. secund. f. 21. p. 146.*) vocatur) condidisse iterum *Laërt.* (*in Proëm. p. 8. & l. 8. p. 610.*) autor est. Nobile apud Græcos volumen *Heraclidis* declaravit (*l. 7. c. 52.*) *Plinius*, septem diebus fœminæ exanimis ad vitam revocatæ. *Galen.* (*l. 6. de loc. affect. c. 4. p. 589.*) ista habet: Prima species (de affectu Hysterico loquitur) cujus *Heraclides Ponticus* (*in suo commentario*) mentionem fecit, multam exhibet de ortu suo ambiguitatem. Ait enim sub hac specie neque pulsum, neque spirationem mulieris deprehendi posse. Atque ob id duntaxat non videri morbum, quod exiguum in mediis corporis partibus calorem haberet. Est autem titulus libri Apnus, id est perdita spiratio, *Heraclida*, ac adstantes quoque Medicos quæsivisse *ait*, an nondum sit mortua? Sed cur librorum *Heraclidis apud Laërtium* Catalogus τὸν ἄπνεν non exhibeat, non immerito quæritur? Sunt qui *Pausaniam* libri περὶ ἄπνε autorem esse, *Heraclidem vero* eum solum in libris περὶ νόσων explicasse tricantur. Vid. *Ægid. Menag.* (*in not. ad Proëm. Laërt. de Vit. Philos. Segm. 12. p. 9.*) Sed rem dudum his expedivit (*l. 9. p. 505.*) ipse *Laërtius*: *Heraclides* quoque in libro de Morbis ait, ipsum *Pausaniæ* dictasse, quæ de Apno ille scripsit. Erat autem *Pausanias*, (ut *Satyrus* & *Aristippus* ait), cui & libros de natura compositos ita declaravit: *Pausania Archìti* sapientis percipe fili. Et hoc ipsum forte postea *Pausanias* operi περὶ νόσων adjecit, & magni operis, *cum Elegantissimo D. J. N. Pechlino* (*l. de Aër. & Alim. def. & vit. sub aqv. c. 7. p. 85.*) loqui liceat, fecit laciniam. Non igitur est, ut *cum Isaaco Casaubono* (*in not. ad Diog. Laërt. Proëm. p. 10.*) credamus, aut *Heraclidem Ponticum* duobus in libris de eadem fœmina scripsisse, aut eundem librum habuisse duas Epigraphas περὶ ἄπνε vel περὶ νόσων.

§. 43.

Quod si igitur hoc *Heraclidæ* dogma exactius pensitamus, quid fuerit ἄπνες, an morbi historia? an morbi nomen? an medicamen? an morbus *cum laudato Mercuriali* (*c. l.*) ambigere possumus. Ut verò hic ad posterius inclinat, cum hic tum alibi; (*l. 1. Lect. Patavin. c. 19. p. 82.*) ita & ego antegressores secutus viros in Arte illustres, v. g. *Galen.* qui (*l. 1. de Diff. Resp. c. 6.*) respirationem, quæ penitus periisse putatur *Heraclidem Ponticum* spiritu privatam & mortuam dixisse scripsit. Hanc ἄπνοιαν *Idem* vocabat (*l. 4. de Loc.*

Aff. c.

Aff. c. 7.) & *(quod* §. *præcedente* allegatum) tales hystericas pronunciabat, Affectus autem hic non est aliquot momentorum, sed dierum. Ad septem dies *(c. l.)* extendit *Plinius*, ad triginta *Laërtius (l. 8. p. 606.)*. Fuisse tamen & Medicamen ex illo *Laërtii (c. l.)* colligi poterit: ἄπνουν igitur *Heraclitus* tale quiddam esse *ait*,, quod triginta dies corpus absque strepitu (ἄπνουν sine respiratione καὶ ἄσηπτον) integrum incorruptumque servaret. An veritati hic litavit accurate *Heraclitus*, non decerno. Suspectæ hunc fidei insimulant quamplurimi. *Cicero (l. 1. de Natur. Deor.)* puerilibus fabulis eundem refersisse libros monuit, & *Plutarch. (in Vit. Camilli p. m. 250.)* Heraclidem fabulas & figmenta scribere solitum asseveravit. Semper Heraclidi consvetudo est miracula confingere, qui & ex Luna cecidisse hominem dicat, *Laërt. (c. l. p. 613.)* decernit. Et hoc in divinitatis proco nulli mirum videbitur.

§. 44.

Democritum etiam scriptum περὶ τῆς ἄπνου edidisse, aut forsan *Heraclidæ*, *Democriti* esse, vir quidam doctissimus, *teste Casaubono, (c. l.)* censuit, quid autem secutus sit, se nescire fatetur. Tacite hic *Josephum Scaligerum* mordet, qui (*Comment. & Castig. in l. 4. Manil. v. 20. p. 297.*) locum è *Cornelio Celso*, *(l. 2. de re medic. c. 6. p. m. 62.)* eruit, quem ex eo descripsit *Joh. Kirchmannus*, (*l. 1. de Funer. Roman. c. 13. p. 69.)* Verba ita è *Celso* habent: Illud interrogare me posse ab aliquo scio: Si certa futuræ mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti à Medicis convalescant, quosdamque fama prodiderit in ipsis funeribus revivixisse? Quin etiam vir jure magni nominis *Democritus*, ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse proposuit, quibus Medici credidissent. Adeo illud non reliquit, ut certa aliqua signa futuræ mortis essent. Intelligit *Celsus* volumen, *subdit Kirchmannus, (c. l.)* quod *Democritus* scripserat περὶ ἄπνου, hoc est, de exanimi muliere, quæ post septem dies revixit. Sed quo ex Antiquitate scriptore id probabit *cum Scaligero Kirchmann.* Inter libros *Democriti*, quos *Thrasyllus* notavit, atque in ordinem digessit secundum *Platonis* quadripartitum ordinem *ap. Diog. Laërtium (l. 9. p. 659.)* non extat. Quare causæ suæ diffidens Alii Heraclidi tribuunt, non Democrito, subjungit. An pro περὶ τοῦ ἄπνου, περὶ τοῦ ᾅδου legendum? Ita in Excerptis meis invenio, absque quidem Autoris & libri mentione insertum, quod aliquoties mihi excerpenti ad alia avocato contigisse vidi, lego: Δημόκριτος ὁ Φυσικὸς ἐν τοῖς περὶ τοῦ ᾅδου γράμμασι.

§. 45.

Empedocles Agrigentinus, ut erat insignis divinitatis affectator, adeoque DEUS

DEUS immortalis haberi
secundum *Horat.* (*de Art. Poët. v. 465.* add. *Lactant. l. 3. instit. c. 18.*) cupiebat, quod clare innuit carmen illud *ap. Laërtium*, (*l. 8. in Vit. Ejus p. 606.*) quo incolas Agrigenti alloquitur:

Salvete, immortalis ego conversor apud vos,
Ut par est, DEUS, & tali me dignor honore.

Quocirca omnia studio perennantis famæ posthabens non tantum apud suos, dum vivebat, coli & suspici, sed & mortuus adorari volebat, ut de Eo *Georg. Horn.* (*l. 3. Hist. Philos. c. 12. p. 181.*) loquitur, & ἄπνου scientiam & inventionem forsan sibi arrogabat. Ex eo autem maximam gloriam consecutus dicitur, *Laërtio*, (*c. l. p. 610.*) quod mulierem defunctam vivam misisset, quod & *Suidas* in literas retulit. Hunc in opinionem hominum irrepsisse ob restitutam vitæ mortuam mulierem Illustrius (*de Vit. quorund. Philosoph. p. 32.*) commemorat, qui (*p. 33.*) addit: Quod de exanimi muliere fertur miraculum, ejusmodi esse perhibent, quasi triginta diebus corpus absque Spiritus & cibi usu conservaverit. Ἄπνουν φασὶ τοιοῦτόν τι εἶναι, ὡς τριάκοντα ἡμέρων τηρεῖν ἄπνουν τὸ σῶμα καὶ ἄσιτον. Plura de hoc *Ægid. Menag.* (*c. l. p. 8. sq.*) In historiis est, *meminit Andr. Libav.* (*Tr. de Med. Vet. & Hermet. in l. Joseph. Michelii de Alchym. n. 41. p. 145.*) Eum medicamine quodam restituisse quendam elatum, & velut ab inferis revocasse. Id appellant ἄπνουν, *pergit*, quod absque cibo, potu, spirituque creditum sit hominem servari posse. Sitne hæc causa vera an ficta? an potius nomen ex rumore natum, quasi restituere posset eum, qui per mensem non spirasset, non licet judicare. Videntur tamen hinc habere Chemici, quo sui medicaminis (*L. P.*) laudes efferre possint.

§. 46.

An Heraclidæ & Empedoclis ἄπνους una eademque sit, disquirit *Exc. Joh. Nicol. Pechlin.* (*c. l. p. 84.*) idque negare videtur, cum *Heraclidæ*, &, qui cum Eo facit, *Galeni* nihil aliud quam obvium & mulieribus familiare symptoma declaret, ubi superstes circa umbilicum calor, cæteris partibus frigore collapsis vitæ luculentum præbet testimonium. Addere & licet ἄπνουν etiam medicamentum adversus hunc morbum (quod supra §. *43.* tetigi) vocatum. In Empedoclis historia autem Libavii & mea quidem sententia Medicaminis nomen est, quod Chymicum è *Libavio* decernendum putares, cum ab hoc *Empedoclem Chymicum Practicum* constituat. Fuit namque *sui seculi Vates, Physicus & Medicus excellens*, quæque de Natura & expiationibus scripsit, ad

 psit, ad

psit, ad quinque millia versuum pertingunt, quæ vero de Medicinâ, ad sexcentos, *teste Laërtio*, (*c. l. p. 616.*) Et patriam Ejus.

Nil - - hoc habuisse viro præclarius in se
Nec sanctum magis, & mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris Ejus
Vociferantur, & exponunt præclara reperta:
Ut vix humana videatur stirpe creatus,

censuit (*l. 1. de Nat. rer. v. 729.*) *Lucretius*. Interim *Empedoclis* ἄπνουν vel fabulam aut γοητείαν fuisse necesse credat, qui rem attentius expendit, & *Apollonii Magi* fraudibus mutuo comparat, *laudatus Pechlin.* (*c. l. p. 86.*) judicat. Quod ad fabulas *Plutarch.* (*l. de Socratis Genio p. 593.*) *Socratem* Philosophiam spectris, fabulis & superstitione obsitam *à Pythagora & Empedocle*, & admodum bacchantem accepisse prodidit. Quod ad Magiam, *Xanthum* (non priscum illum, sed *Lydum*, ut exposuit *Joh. Jonsius l. de Scriptor. Hist. Philos. c. 19. p. 105.*) de *Empedocle Mago* in magicis suis (horum mentionem fecit *Clemens Alexandrin. l. 3. Stromat. p. 431.*) egisse citatus *Jonsius* suspicatur. Certum est (*inquit Hermann. Conring. l. 1. de Med. Hermet. c. 11. p. 107.*) *Orpheum*, *Onomacritum Musæum*, *Pythagoram*, ut & *Empedoclem* Magiæ fuisse studiosissimos, & Magicam Medicinam professos. *Apollodorum* huic Magiam exercenti affuisse *Satyrus Laërtio* retulit, ipsumque *Empedoclem* in poëmatibus ista profiteri (*c. l. p. 604.*) addit:

Pharmaca queis pellas morbos, levisque senectam
Percipies, quæ cuncta Tibi communico soli.
Compescesque truces ventorum rite procellas,
Exorti in sanis qui vastant flatibus ægros:
Sursum (si libeat) mox flamina pigra ciebit,
Et media induces à tempestate serenum,
Induces media pluvias æstate salubres,
Et flatus sicca, qui perflent omnia messe;
Extinctumque hominem nigro revocabis ab Orco.

Audisti Philosophi, sed μεγαληγόρου verba, μεγαληγορίαις magicis, quarum farraginem collectam dabit *Martin. Delrio* (*c. l. p. 307. sq.*) & *Casp. Barth.* (*Animadv. in Claudian. l. 1. in Ruffin. v. 156. p. 1163. sq.*) maxime conformia.

§. 47.

Quodsi igitur ἄπνουν illud exquisite expendas, ad hystericas reducendum veniet, aut ad lipothymicos & syncopticos, si mares tales offendas. Præterea

terea Ecstaticos hic mihi in mentem revoco, quibus quidem hoc nomen tribui posse, mihi quidem absurdum haud videtur, cumprimis cum hi sine omni sensu & motu mortuis similes aliquot dies & noctes (*ut supra §. 30. dictum*) jacuisse, quin & pro mortuis sepultos compertum fuerit. Accenseo his Pios & Contemplativos, quos aliquando sine respiratione vixisse *Libert. Fromond.* (*l. 2. de anim. c. 5. Art. 4. p. 304.*) commemorat. Quodsi Ecstasis illa præterea sit Magica, præscientiæ futurorum aut absentium & longius remotarum rerum scientia dicata, qualis Lapponibus & Finnonibus, *teste O. Magno,* (*l. 3. Epit. Hist. Gent. Septentrion. c. 17. p. 119.*) usitata, τὸ ἄπνουν commodè præcedet τὸ ἔμπνουν & ἔμφρων. Ἔμπνουν autem id quod spiritu (in Enthusiasmo s. furore divinitus immisso) repletum, & ἔμφρων quod prudentia (*ap. Plutarch. in Amator. p. m. 407.*) designat.

§. 48.

Præmissis his an ejusmodi homines sine omni respiratione ad longum tempus, spatium nempe aliquot dierum & ultra vivere possint? disquirendum. Respirationem ad vitam necessariam summis visum Medicis, ipsa non reclamante Experientia. Aëris (πνεύματος) tanta omnibus inest necessitas, ut siquidem aliis omnibus & cibis & potionibus quis abstineat, duas tamen & tres vel plures dies possit vitam ducere; At si quis spiritus in corpus vias intercipiat, vel exiguâ diei parte homini pereundum sit. Adeò necessarius est spiritus in Corpore *Hippocrates* (*l. de Flatib. p. m. 79.*) dictitavit. Ἐν τῷ ἀνα-καὶ ἐκπνεῖν τὸ ζῆν, καὶ τὸ ἀποθνήσκειν annuit (*ap. Aristot. l. de Respir. c. 4.*) *Democritus*, quod & ipse repetiit *Philosophus.* (*c. l. c. 21.*) In confesso est, succinit *Galen.* (*l. 4. de loc. affect. c. 7. p. 518. & l. 6. c. 4. p. 590.*) & spirationem â vitâ & vitam â spiratione separari posse, & spirantem non vivere esse impossibile. Parem esse aëris necessitatem cum ad animalium vitam tam ad ignem conservandum *Th. Cornel. Consentin.* (*Progym. Phys. 7. p. 313.*) asseruit, & spiritus igneos in Corde, uti flamma ardens, aëre privatos, illico cum flamma suffocari *Georg. Ent.* (*Demonst. Circulat. sangvin. Digress. 6. p. 185.*) Manifestum id erit iis, qui motum sangvinis non ignoraverint, at iterum *Consentin.* (*c. l. p. 307.*) Pulmones non flabella, sed ληνὸν, torcular esse circulando sangvini dicatum *Alex. Maurocordat.* (*Pnevmat. instr. Circul. sangv. c. 2. p. 28. it. c. 7. p. 46. & c. 10. p. 90.*) Pulmones, quâ motu reciproco aërem agunt, folles æmulantur, quâ vero sangvinem exprimunt, & circulationem ejus efficiunt, torcularia jure merito nuncupaveris, quæ aëris adjumento in inspiratione quidem sangvinem è sinistro ventriculo exprimunt,

in exſpiratione verò è dextro revehunt. Atque inde eſt quod animal obit abolita reſpiratione, quia nimirum ceſſat ſangvinis circulatio, quam ad vitam animalis perfecti neceſſariam eſſe hoc ſeculo in Republica Medica communi ſophiſmate ſtatutum decretumque eſt *Alexander Maurocordat.* (*c. l. c. 7. p. 49. ſq.*) ratiocinatur, cum quo eandem inflant tibiam *Joh. Pecquet.* (*Diſſ. Anatom. c. 10. p. 134.*) *Paul. Marquart. Slegel*, (*de mot. ſangv. c. 7. p. 82.*) *Guerner. Rolfinck*, (*l. 3. Diſſert. Anat. c. 31. p. 569.*) *Malach. Thruſton.* (*Diatrib. de reſpir. uſ. S. 14. p. 60.*) Reſpirationis neceſſitatem demonſtrat *Fr. Bayle* (*Probl. 100. p. 148.*) Hinc *apud Plautum* (*Mil. Glor. A. 4. ſc. 8. v. 26.*) *Pleuſides:*

Tentabat, ſpiraret, annon

mulier, malo forſan hyſterico obnoxia.

§. 49.

Ad Problema datum quidam affirmativè reſpondent & non ſolum ægrotos, ſed & ſanos ad tempus ſine reſpiratione vivere poſſe probare satagunt. Neque reſpiratio neque cordis & arteriarum motus ad vitam abſolute neceſſaria ſunt: Siquidem hujus in ſemine, uti pulmonum in utero nullus eſt uſus, cordeque exſecto vita perſtat, *Joh. Marc. Marci*, (*Phil. vet. Reſtit. p. 4. S. 1. p. 392.*) diſſeruit. Actiones animales diu in multis perſiſtere, ac inoffenſe peragi reſpiratione nulla ſuſcepta *Jab. Jac. Wepfero* (*de loc. aff. in Apopl. p. 180.*) placuit. Addit: (*p. 181.*) Novi ab utero ſuffocatas ad ſenſum non reſpiraſſe, & tamen anxiæ ſolicitudinis & dictorum ab aſtantibus prolatorum paroxiſmo ceſſante probe recordatas eſſe. Hortulanum Suecicum cætera ſenſu & motu deſtitutum ſonantes Stockholmii Campanas ſub aquis obſcurius percipere ſibi viſum *Exc. Joh. Nicol. Pechlin.* (*c. l. c. 10. p. 131.*) & ex eo *immortalis famæ Vir, Th. Bartholin.* (*Vol. 4. Act. Haffn. obſ. 42. p. 136.*) quamvis hujus non meminerit *Joël. Langellotti* (*Miſcell. Curioſ. Dec. 1. Ann. 6. obſ. 20. p. 30.*) recenſita hiſtoria. Aſſentiuntur his *Joh. Matthæus*, (*Med. quæſt. 4. p. 20.*) *Frid. Loſſius*, (*l. 4. obſ. Med. 13. p. 355.*) *Isbrand à Diemerbroeck.* (*l. 2. Anat. c. 13. p. 464.*) Ipſe *Dan. Sennert.* (*l. 4. Med. Pract. P. 2. S. 3. c. 4. p. 237.*) hyſtericas non reſpirare putavit. Nec *Ariſtoteles* forſan ab hac mente alienus, dum ſcriberet: (*l. 1. hiſt. animal. c. 11. p. 828.*) Datur vivendi facultas, etſi ſpiratio deſit.

§. 50.

Cum vero vitam extra uterum ab inſpiratione incipere, exſpirandoque finiri *cum Ludovico Mercato* (*l. 1. de Uſu Cord. Arteriar. & Pulſ. Tr. 2. p. 529.*) experientia certiſſima perſuaſus & adactus credam, negativæ parti potius me aggre-

aggrego, & in antecessum noto (*a*) me loqui de homine perfecto extra uterum ejusque membranas vivente. Fœtum in utero respirare voluerunt ex Antiquis quidam à *Joh. Bapt. Sitono*, (*Jatros. Miscell. Tr. 47. p. 300. sq.*) citati; sunt & è recentioribus *Anton. Deusing.* (*p. 3. Genes. Microcosm. S. 1. §. 49. & Ex. de respir. §. 158. p. 177.*) & *Gualth. Charleton*, (*Exerc. Phys. Anat. 8. §. 15. p. 164.*) *Theodor. Craan.* (*Tr. de hom. c. 149. p. 741.*) Obscuram in fœtu respirationem admisit *Rob. Boyle.* (*Digress. de Respir. p. 330.*) Fuit autem Antiquorum opinio, quod fœtus attrahat aërem aut potius halitus ex matre, sicut attrahit sanguinem & nutrimentum per easdem vias. Ita etiam *Barthol. Kekermann.* (*l. 3. System. Phys. c. 28. p. 441.*) Conf. *Joh. B. Siton.* (*c. l. p. 301.*) *Cosm. Viardel.* (*Anmerck. von der Weibl. Geburth. c. 24. p. 103.*) quamobrem mulierem gravidam duplo majore respiratione uti, quam non gravidam *Joh. Heurn.* (*in Hipp. S. 5. aph. 31. p. 358.*) cum *Eustachio Rudio* (*l. 2. de Puls. c. 3. p. 82.*) somniabat.

§. 51.

Non ego succum à matre infusum materiæ aëreæ mobilioris copiis proportionatis imbutum esse cum sangvini arterioso involutus intra illius pulmones vitalitatis perpetuandæ Characterem receperit, ut bene *Excell. Bohn.* (*Progymn. 3. p. 38.*) auguratur: Et fœtum à matre rarefactum ideò sangvinem vel liquorem fermento aëreo imbutum recipere argute concludit *Joh. Nic. Pechlin.* (*c. l. c. 8. p. 98.*) Conferantur cum his, quæ habet *Mayow.* (*in Tr. de Respir. foet. in Ultro & Ovo p. 173.*) Quæ ipsa etiam est causa, quod sanguis fœtus absque nova fluidi aërei mistura constare potest, ut iterum *Pechlin.* (*c. l. c. 9. p. 111.*) Illum vero actum respirationis nomen mereri, adeoque respirationem per vasa umbilicalia admittere, monstro propius videtur, ac illud *Alcmæonis*, qui (*teste Aristotele c. l.*) Capras per aures respirare docuit. Non enim quamdiu foetus in utero & extra uterum etiam membranis adhuc inclusus reperitur, respirat, quod olim etiam *Asclepiades* docuit *ap. Galen.* (*l. 6. de U. P. c. 13. p. 512.*) qui & ipsum Galenum habet consentientem. Plura *Isbrand à Diemerbroeck*, (*l. 1. anat. c. 24. p. 332.*) *Martin Schoock*, (*de Ferment. p. 199.*) ubi rationes insimul prostant. Qua de Causa etiam infantes, qui amicti nascuntur (*welche ihr Kleidgen mitbringen*, in masculis galea, in fœmellis vitta, Italis indusium vocatur, ut est *apud Andr. Vesal. l. 5. de corp. human. fabr. c. 17. p. m. 483.*) membranis non divulsis in lucem prodeuntes non suffocantur, quanquam utero exclusi aliquantisper jaceant, aëris usurâ privati. Eadem sors fuit plurimorum infantium, qui mediante partu cæsareo alvo exemti sunt. Facta â me canum fœmellarum dissectione sæpi-

us observare licuit catulos utero exclusos aliquot horis intra membranas eos ambientes citra respirationem vivere, *narrat Franc. Bayle*, (*ap. Nicol. de Blegny Ann. 1. Zodiac. Gallic. mens. Jan. obs. 9. p. 25.*) Gemella experimenta dabunt *Rob. Boyle* (*c. l. p. 326.*) & *Joh. Nic. Pechlin.* (*c. l.*) quibus & mea addere possem. Filia *Antoniæ Giraud* quanquam menses novendecim in utero manserit, non ideo suffocata fuit, *Idem* (*c. l.*) habet. De muliere, quæ sedecim amplius menses fœtum in utero gessit, eumque ultra decem menses huc illuc variè se commoventem sensit, tandemque vivum peperit *Gvilh. Harveus.* (*Ex. de part. p. 335.*) Quid de illis qui viginti tres menses, biennium, triennium, quin & quadriennium in utero morati vivi lucem aspexerunt, quorum historias vide sis (*l. 6. obs. med. p. 581. sq.*) *apud Joh. Schenckium*, dicamus? Sed hæ aut supra naturæ sphæram, aut fabulæ sunt.

§. 52.

Nec naturam unquam intendisse Embryonis in utero respirationem, res ipsa loquitur. Infantis sane intra membranas & aquas eisdem inclusas positus id evincit. Commode huc referenda arcta uteri clausura in gravidis, de quâ ista *Isbrand. à Diemerbroeck.* (*c. l. p. 333.*) In ancillæ veneno interemtæ cadavere invenimus inter alia uterum â longitudinis manus fœtu tumidum, ejusque osculum non modo arctissime contractum, sed tam glutinoso ac tenaci humore pituitoso obseratum, ut nusquam tenuis stylus immitti posset, nisi majore vi per gluten illud adigeretur. Illud ipsum etiam vidimus, & medicinæ studiosis demonstravimus, in alia muliere circa septimum mensem gravida. Add. *Hieron. Fabric. ab Aquapend.* (*de Fœt. Format. P. 2. c. 9. p. 143.*) Aërem igitur per uterum, per membranas & aquas in os fœtus adigi mihi semper, ut *Pechlino*, (*c. l. p. 99.*) durissimum visum, quamvis id crediderit *Lambert. Velthus.* (*Tr. de Generat. Animal. c. 11.*) Nec vagitus uterini defensor *Gvalth. Needham*, (*de Format. Fœt. c. 3.*) accurate calculum posuisse videtur, dum aërem quidem extrinsecus ad fœtum accedere posse inficiatur, eundem tamen per humorem intus delitescentium fermentationem illic produci, sicut flatus in ventriculo, intestinis aliisque partibus generantur, affirmat.

§. 53.

In quem usum vero in fœtu pulmones & reliqua respirationis organa fabricavit supremus conditor? regeres, ut prospiceret de futuro Embryoni, alias si his destitueretur imperfecto, & ad vitam extra uterum non rite disposito. Talem habent usum, qualem cerebrum, oculi & reliqua sensuum instrumenta, imo qualem etiam in jam expositis testiculi, uterus & ovarium. Accedit demum

demum interna partium singularis constitutio & fabrica, ab in lucem editorum dispositione multum differens, foramen siquidem ovale & canalis arteriosus in fœtu sunt, quibus patulis sanguis pulmonibus intactis circumferri potest. Ne autem sangvis semel de vase in vas transfusus remeet, foramini quidem venarum præfixa est valvula laxa mollisque, canali autem datus positus obliquus, ne sangvis redire possit eâ viâ, quâ venit. Accuratissime igitur aliam rationem esse Embryonis adhuc virginis, aliam expositi in lucem; ille sine aëre ob causas datas vivere potest; hic naturaliter non potest, arbitratur *accuratissimus Pechlin.* (*c. l. p. 97.*) Et respirationis desiderium in Embryone promanare, ut quietis impatiens, dum in utero hactenus in statu somni versabatur *secundum Gvilhelm. Harveum*, (*Exerc. de Partu, p. 331.*) & *Malach. Thruston*, (*de Us. Respir. s. 23. p. 92. & in Animadv. p. 163.*) exitum quærat, cum sanguinis & musculorum vis majorem exposcat activitatis sphæram, & corporis moles plus alimenti, & pro robore illo corporis aliter affecti flagitet. Clarius & felicius forsan *Excell. Joh. Bohn.* (*Circul. Anat. Progymn. 3. p. 37.*) rem paucis expediit scribens: Fœtus auram liberiorem exposcit & anhelat, quod fluidum ejus intrinsecum sine motore externo machinæ magis grandescenti impar evadat. Quod si igitur vinculis uterinis solutus vitale lumen aspexit fœtus, auras etiam vitales haurire incipit, subita vociferatione, nisi sit debilis, nativitatem suam annunciat, quod ab irrumpentis in fauces ac pulmones externi aëris impulsu tam valido ac inconsveto, re adeò insolita, ipso præsertim aëre inter exspirandum primum reflexo arteria aspera & fauces irritentur ac sollicitentur, ut bene conjecturat *ingeniosissimus Joh. Christ. Sturm.* (*P. 1. Colleg. Curios. Experiment. Auctuar. ad Tentam. 6. Cons. 5. p. 55.*), adeoque pulmones in perpetuo hactenus otio constituti, & à sangvinis crassioris nutrimento purpurei densi & graves à suscepto aëre albicant, & leviores redduntur, perpetuoque damnantur motui.

§. 54.

Foramen illud ovale in fœtu sub dextra cordis auricula prope coronariam, antequam cava se plane in dextrum ventriculum aperiat positum, per anastomosin venam cavam unit cum vena pulmonaria, vena arteriosa antiquioribus dicta, cui foramini à parte hujus venæ prætenditur valvula membranea tenuis, firma tamen & dura foramine major, sangvinis in sinistrum ventriculum à cava illapsi refluxum impediens, de die in diem arctius clauditur, usq; dum tandem obliteretur & conspectui nostro se subducat. Ita & canalis extra cor, quo arteria pulmonaria jungitur cum arteria magna & sangvinem

è dex-

è dextro cordis ventriculo in pulmonem expulſum in aortam transfundit, ita ut in ſiniſtrum ventriculum non illabatur. Vid. *Isbrand. à Diemerbroeck*, (*l. 2. anat. c. 10. p. 409.*) poſt partum concidit, & nulli uſui in poſterum futurus extabeſcit. Contigit utrumque non ſtatim atque animal editum eſt, ſed poſt aliqvot ſeptimanas, quod *è Veſalio* recitat *Caſp. Hoffmann.* (*l. 3. de Thorac. c. 13. p. 97.*) In vitulo duarum aut trium ſeptimanarum id perſpicue ſe oſtendiſſe aliquoties affirmat. Vere rarum eſt in quinquagenario illud adhuc patuiſſe, quod notat *Ol. Borrich. ap. Th. Batholin.* (*Cent. 3. Ep. 97. p. 420.*) Et hæc cauſa erit cur modicè reſpirent modo nati infantes, & non ita facile ſuffocentur, prout bigam obſervationum communicat *ſæpe laudatus Bohn.* (*c. l. p. 40.*) Et ipſe novi infantem à matre adhuc rubentem in ſpelæo vulpis abſconditum firmiter occluſo introitu diem & noctem ſalva vita latuiſſe. Plu. ar *Th. Cornel. Conſentin.* (*Progymn. 7. p. 310.*) Patere id etiam poterit in illo phænomeno, quod nos in tenellis adhuc deprehendimus, ubi in momento cumprimis ira correptis reſpiratio ad aliquot minuta ſufflaminatur, ut facie tumidâ & rubeſcente morti proximi videantur, quod vulgariter *das Auſſenbleiben der Kinder* vocant.

§. 55.

Noto præterea (β) circulationis ſangvinis in fœtu præſentiam, antequam reſpirare incipiat Embryo, reſpirationem ad vitam nil conferre affirmantibus nil probare. Punctum illud ſaliens in ovo incubato quarto die conſpicuum ſuam habet Diaſtolen & Syſtolen. In ſua Diaſtole ceu minima ignis ſcintillula effulget, & mox in Syſtole viſum prorſus effugit & diſparet, *tradidit Gvilhelm. Harveus*, (*Exerc. de Gener. Animal. 17. p. 62.*) Oculatior *Harveo* armatoque oculo *inſtructus Marcell. Malpighius*, (*de Ovo incubato p. 4.*) poſt triginta ab incubatu horas cor deprehendit. Poſt quartum vero diem ex hiante pectore cor erumpebat, & primo ſanguis ab auricula propellebatur per canalem ſubalbum in cordis dextrum, à quo in ſiniſtrum, indeque in continuatas arterias. (*p. 5.*) Succedente tempore ubi cor cum vaſis & reliquis viſceribus perfectum fuerit, ſangvisque circulariter moveri incipit, longe alia via in utero ac in recens nato circulum illum promovet Natura, ut jam (*§. præcedenti*) dictum, & ita cordis motus & ſanguinis absque reſpirationis ſubſidio celebratur, licet debiliter pro exigentia tamen Naturæ ſufficienter. Pulmonum vices ſupplet maternus calor & vaſa per Epar uterinum diſperſa. Vid. *Malach. Thruſton.* (*Diatr. de Uſ. Reſpir. S. 13. p. 54. & S. 21. p. 81. ſq.*) In nato autem infante motus cordis debilis ac vix perceptibilis.

Egre-

gium est *Roberti Boyle* (*c. l. p.325.*) experimentum: Prægnantem Canem cepimus jamjam parituram, eique suspensæ abdomen aperuimus & quatuor catulos in utero invenimus, & postquam integumentis, quibus involvebatur, & à liquore in quo natavit, illum liberassemus, observavimus, quod repente plurimum hiaverit, linguam moverit, respirationemque exercuerit. Reliquos etiam ex utero exemimus, in quibus dissectis tantum spiritus vitalis non invenimus, ut qui ulli in corde eorum motui perceptibili producendo sufficeret, cum tamen alterius catuli (dissecti) Cor, qui semel respirationem exercuisset, tamdiu pulsum continuavit, ut nos ipsi auriculam pulsare quinque vel sex horas postea observaverimus, servusque, qui nobis dormientibus experimento invigilavit, attestabatur, vidisse se pulsationem istam duas usque horas continuatam. Hoc ipsum *Pechlin.* (*c. l. p. 98.*) plus semel deprehendisse, ipse testatur. Contraria huic videtur *Joh. Riolani* (*l. 4. Anthropol. c. 8.*) narratio: Si ovis vel capræ (gravidæ) uterum secueris, intactis membranis videbis trans membranas cor agitari. Nam supra membranas appressa manu thoraci cordis motum senties. At nondum respirat fœtus, quia sunt integra involucra, quibus undique septus & obvolutus est. Quod si supra membranas os fœtus apprehendas & ante constringas, ut nequeat ore vel naribus aërem inspirare, & discissis membranis thoracem momento incidas, cor ipsum micare deprehendes, quod sæpe à nobis observatum & publice demonstratum. In *Boylei* historiâ candor & acumen ejus de veritate nullum injungunt dubium: In *Riolani* secandi dexteritas & exercitatio. Utraque à vero aberrare non potest, si strangulationem lentam, & violentam discernas, quæ motum matris suffocandæ & agonizantis modo lenem modo excessivum fœtibus imprimere potuit. Salva interim res est fœtum exclusum modeste & vix sensibiliter spiritum haurire, quod iterum (*è præcedente §.*) abunde patet.

§. 56.

Neque (γ) respirationem contingere ob pulsum, luce sua radiat, cum ante respirationem micet punctum saliens, & usque ad partum ipsum Cor cum auriculis pulsitet, licet nullus respirationis actus tum contigerit. Nec in difficili respiratione pulsum non variare perpetuum non est. Cohibe Spiritum, quantum potes, *inquit Casp. Hofmann*, (*l. 2. de Thorac. c. 18. p. 45.*) videbis subito mutari pulsum. Pulsus sane à respiratione peculiaris quispiam motus est, & quadantenus accidentalis, neque finem habere videtur *Aristoteli.* (*l. de Spirit. c. 4.*) Ipse *Galen.* (*l. de puls usu c. 2. p. m. 141.*) miratur

 quid,

quid, tum Medicis omnibus, tum Philosophis sui temporis, in mentem venerit, ut respirationi & pulsui eundem usum tribuerint, præsertim illa nobis, ut videtur, necessariâ, hoc, ut apparet, vel omnino nullum, vel plane exiguum conferente usum. *Galeno* se associabat *Augustin. de Laurent.* (*Decad. 1. Discept. Med. 5. p. 101.*) & (*Tr. Blas human. n. 51. p. 152.*) *Helmont.* Multa hyemis spatio sub luto absque respiratione victitant, quamvis non sine pulsu pronunciat *Idem*, (*c. l. n. 24. p. 147.*) quod exemplo ranarum & hirundinum (*c. l. n. 33. p. 140.*) firmat. Interea secundum ætates, juxta tempora, & regiones, & omnes nos ambientis aëris constitutiones, tum pulsus cum respirationibus, tum respirationes cum pulsibus proportionem habere non diffitetur. Exacte & exquisite tamen ea talis non est. Motus enim Cordis frequentior est *juxta Georg. Ent.* (*Demonstr. Circul. Sangv. Digress. 6. p. 208.*) quia sangvinis copia uberiore opus est, ut pulmones ad contractionem sui, sangvinisque propulsionem stimulentur. Nisi quis cum Eo velit id accursui solum sangvinis ad flammulam attribuere. Add. *Paul. Marquard. Slegel* (*de mot. sangv. c. 7. p. 50.*) Intra horam 360. indigemus respirationibus, quarum quævis duret secunda decem *J. B. Ricciolus è Marino Mersenno* (*T. 1. Almagest. nov. p. 1. l. 2. c. 17. p. 75.*) indicat. *Alexander Mautrocordat.* vero semihora plus quam bis vel ter millies nos respirare (*de mot. & us. pulmon. c. 10. p. 90.*) commemorat, qui tamen male calculum mihi posuisse videtur. De Corde vero quod una semihora plus quam mille pulsus faciat, imo in aliquibus & aliquando bis, ter vel quater mille, *Guilh. Harveus* (*Exerc. Anat. de mot. Cord. & sangv. Circulat. c. 9. p. 88.*) asseruit., ex *Richardi Loweri* autem computo (*Tr. de Cord. c. 3. p. 155.*) intra horam ad minimum duo mille. Si igitur *Fr. Baconi de Verulamio* (*Hist. vit. & mort. col. m. 556.*) assurgas, pulsus arteriarum & motus Cordis systoles & Diastoles triplo velocior quam Respiratio. Accuratiori calculo usus videtur *Augustin. de Laurentio* (*c. l.*) & *Zacut. Lusitan.* quando (*l. 4. Med. Princip. Hist. 27. qu. 36. p. 884.*) ferè quinquies pulsare Cor uno respirationis intervallo astruxit: qui si sexies scripsisset, *Mersenni* & *Loweri* computo accuratius responderet iste numerus respirationis 360. in hora, per sex multiplicatus 2160, per quinque vero 1800. pulsus sistat: Pulsum mutari posse celerrime, ita, ut in minimo puncto temporis alteretur *Joh. Baptist. Montano* (*l. 1. de Urin. c. 2. p. m. 584.*) libenter assentior, ubi verò pulsum millies in hora mutari propter animi affectus Idem asserat, me hactenus apud illum legisse non memini, nec id possibile fore credo, quamvis hanc sententiam alleget & approbet (*l. 2.*

de

Thorac. c. 20. p. 49.) exacti alias judicii vir, Casp. Hoffmann. Præterea cum pulsus & respiratio à diversis contingant facultatibus, & per diversa instrumenta; fit secundum *Fr. Valles.* (*l. 3. Controv. c. 2. p. m. 126.*) ut respiratio & pulsus à similibus, aut iisdem causis alterentur eodem modo, ut qui irascuntur aut exercentur declarant. Verum hoc ex ipsius sententia intelligi debet demta voluntate, quæ potest, ut lubet, permutare respirationem, pulsum minime, (addo nisi summa respirationi vis inferatur) ut modo dictum. Proinde phrenetici quanquam habent respirationem magnam & raram, non tamen habent talem pulsum. Excipi etiam debent vitia organorum; Nam cum hæc diversa sint, possunt respirationem aliter atque pulsum permutare. Plura (*c. l.*) *Zacut.*

§. 57.

Neque hic exactè (δ) opponi urinatorum statum veritati conforme est, quamvis & ad hos provocet *J. N. Pechlin.* (*c. l. c. 20. p. 141.*) Quis omni respiratione destitui Urinatores prodidit unquam? Neque hos spiritum susq; deq; habere tot machinarum fabricæ satis evincunt. Allegavi quasdam *alibi*, (*M. N. C. D. 1. ann. 5. & 6. obs. 89. p. 126.*) ex Aliis. Audivi esse, qui, quo diutissime sub undis durare possent, vitro commode in hoc facto prægrandi ac capaci utantur, in quod narium orisque spiritum effunderent, faciei circumpressim alligatum, *narrat Nicol. Wynmann.* (*Colymbet. E. 7. 6.*) Φιμὸς *ex veteri Etymologico* recensuit *Marc. Aurel. Severin.* (*Diatr. de pisc. Respir.*) cujus excerpta dedit *Matthias Zimmermann*, (*Analect. Miscell. Mens. XII. Tit. 6. p. 623.*) Arundinis aut proboscidis coriacei cujus inventionem ab Elephante homines didicisse *ex Aristotele* (*l. 2. Hist. anim. c. 1. & l. 9. c. 46.*) constare poterit. Delineavit rem *Robert. Fludd à Fluctibus*, (*Utr. Cosm. Hist. tr. 2. p. 6. l. 1. p. 419.*) & per ejusmodi canalem aërem hausisse navis submarinæ Drebbelianæ cives *Georg. Philipp. Harsdörffer* (*T. 2. Delic. Philos. Mathem. p. 13. propos. 8. p. 493.*) suspicatur. Per ejusmodi canalem etiam species sonorum sub aqua urinantes haurire *B. Joh. Conr. Dannhauera*, (*Disp. 3. Colleg. Psycholog. Contr. 1. §. 2. p. 100.*) & lucernæ subsidio isto lucem in regiones submarinas deferri commode posse, commodiusque ibidem operari *Marino Mersenno* placuit, quam quidem speculationem optimam, sed difficulter in opus deduci judicavit, *Athanas. Kircherus*, (*l. 10. Artic. magn. luc. & umbr. p. 2. c. 7. p. 723.*) cum variis rationibus, tum comprimis quod experimentum ab urinatoribus Melitensibus in usum deductum sit irrito conatu. An huc lebes *Aristotelis* pertineat, (*S. 22. probl. 5.*) disquirere nec est animus, nec locus. Sunt præterea cacabi, loricæ, caligæ, de quibus vid. *Casp. Schott*, (*l. 6. Technic.*

Curios. c.393.) &, quos ille citat, *Schwenter. Taisner. Kesler.* Catinus ligneus & dolium ap. Francisc. Bacon. de Verulamio, (*Impet. Philos. col. 102.*) Campanæ Urinatoriæ, de quibus *Excell. Joh. Christ. Sturm.* (*P. 1. Colleg. Curios. Tentam. 1. p. 1. sq. P. 2. Tentam. 1. p. 1. sq it. T. 1. Philos. Elect. Exerc. 7. c. 2. Phænom. 1. p. 325.*) & *Casp. Bartholin. Th. F.* (*Vol. 4. Act. Hafn. obs. 22. p. 62.*) qui & integrum de urinatoribus promisit Tractatum. De inventore harum campanarum *citatus Sturmius.* (*in auctar. ad phænom. p. 3. sq.*) Deferunt præterea certis machinis inclusum aërem secum ad maris fundum, quo defectum aëris futurum suppleant, quales sunt Ampullæ vitreæ, & cum hæ facile frangantur vesicæ. Ex urinatore rescivit *immortalis famæ Philosophus Robert. Boyle*, (*de vi aër. Elast. Exper. nov. mechan. 41. Digress. de respir. p. m. 332.*) non potuisse se ultra duo minuta sustinere, nisi ad aërem se contulerit, quem secum portabat in machina quadam. Ex *Cornel. Drebbelii Genero* accepit *Idem*, quod (*c. l. p. 321.*) retulit: *Drebbelium* in submarinâ suâ navigatione Chymicum habuisse liquorem, quem præcipuum inter submarinæ navigationis Arcana duxerit. Quotiescunque puriorem aëris partem consumtam, vel nimium respiratione degravatam, & eorum effluviis, qui navigarunt saturatam animadvertit, recluso vase illo liquore repleto derepente turbato aëri talem vitalium partium proportionem restituit, qualis efficere potuit, ut respirationi aliquandiu subserviret. Ingeniosè id pluribus prosequitur *J. N. Pechlin.* (*c. l. c. 9. p. 128.*) Sal aëris balsamicum fuisse *Kenelm. Dygby* (*de plant. vegetat. p. 54.*) conjiciebat: Mihi dubium non est, definit *Joh. Tack.* (*Phas. Phil. 3 p. 33.*) fuisse Spiritum aëris concentratum, rerum omnium vitam, aquam in mari mundi versantem, cœlum philosophorum, cujus pater est sol, mater luna; rem per quam in triplici regno animali, vegetabili & minerali fiunt adaptationes mirabiles, cujusque virtus integra est, si versa fuerit in terram, & cujus beneficio & secreta unione cum humido radicali & fixo, quod adhuc in cineribus latet, rerum procuratur resuscitatio quædam. Judicat de his *Barthol. Kekermann.* (*l. 3. system. Phys. c. 28. p. 441.*) Urinatores nisi habeant peculiare pactum cum Diabolo, admodum ægra uti respiratione: Nam etsi per suas fistulas & vitra aërem attrahant, tamen id inter natandum necesse est impedite fieri. Hæc de urinatione artificiali.

§. 58.

Quod simplicem & naturalem spectat, seu urinatores absque ullo machinarum subsidio, ex astris hos deduxit *Jul. Firmic. & Manil.* (*l. 4. Astronom. c. 1. v. 217.*) dum canit:

Ultima quos gemini producunt sidera Pisces,
His erit in pontum studium, vitamque profundo

Cre-

Credent, & puppis aut puppibus arma parabunt,
Quicquid & in proprios pelagus desiderat usus.

A primis annis huic assuescunt in insula Lesbo *(Sandys l. 1. Itinerar. p. 39.)* & qui illam optimè callent, à virginibus adamantur. *(ibid. p. 140.)* Pulmones ut amplitudinem consequantur, exercitio singulari opus est. Audivit *ex Vesalio Levinus Lemnius, (l. 2. de Occult. nat. mirac. c. 6. p. 160.)* Maurum quendam urinatorem Ferrariam ex triremi adductum, qui unus longius producebat vocem, ac continuo clamore absque respiratione insistebat diutius, quam quatuor robustissimi Pugiles: Idem rursus cohibito suppressoq; spiritu ac naribus, oreque occluso absque ulla halitus animæque reductione cum illis certabat. Quo naturæ munere hoc erat consecutus, ut semel iterumq; captus elapsus sit, mergoq; avi similis intima maris per semihoræ spatium penetrans captivitatis jugum morte acerbius excussit. Prout quisque magis aut minus se exercuerit, ita respiratione intensiore, aut non nisi remissiore opus habet *juxta Joh. Mayov. (de Respir. fœt. in uter. & ov. p. m. 281.)* Exercitio ejusmodi aperiri etiam posse & apertum servari foramen ovale. Integrum & pervium à Natura id servatur in Amphibiis v. g. Lutris, Castoribus, Phocis, Anatibus &c. quæ proinde sub aquis diutule vivunt & collotenus prehensa difficulter suffocantur. In quadrimulis, qvinquennibus imo & grandioribus pueris id etiam observatum *Th. Consentino. (Progymn. 7. p. 309.)* Repertum esse ad trigesimum annum adhuc patens *(Th. Bartholin, (l. 2. anat. reformat. c. 7. p. 410.)* retulit, in viro quadragenario ab Anglis, *teste Pechlino, (c. l. p. 108.)* & in sene Patavino iterum *(c. l.) Bartholin.* Habet tamen quædam, eaque non contemnenda, quæ hanc opinionem labefactare poterunt, sæpius laudatus *Pechlin (c. l. p. 109.)* Temperamento tales esse frigido, & ad piscium & sirenum ingenium accedere *(c. l. p. 110. & 119.)* edixit, hisque sanguinem nitrosum *(p. 121.)* attribuit. Addo quod talium sanguis serosus adeoque in grumos non ita facile coagulabilis, ut in calidioribus animalibus. Testantur rerum Scriptores naturalium, *inquit Nicolaus Wynmann, (c. l. E. 6. b.)* eos ad natandum (uriandum, hos enim etiam includit) idoneos maxime ac præstantissimos esse, qui quam minimum habeant aut nihil Lienis, & hoc fortassis sic se habet, quo eodem modo constituti ex veteri fabula *ap. Plin. (l. 10. c. 37)* pernicissimo cursu alios anteeant.

§. 59.

Urinatorum & insignium natatorum indiculum dedi alibi; *(M. N. C. Dec. 1. ann. 5. & 6. obs. 89. p. 127.)* Urinandi artem exercent quidam alimento-

rum gratia, quod Ichtyophagis (*Plin. l. 7. c. 33. Solin. Polyhist. c. 58.*) in more positum. Novit hominem Tubingæ *Nicol. Wynmann*, (*c. l. E. 7. b.*) qui natandi dexteritate præstigiosaque spiritus præter naturam hominis retinendi arte in imos Necchari gurgites sese dejiceret gurarétque diu; Pisces quosq; optimos, velut delectu, colligebat, nescio qua magia delusos ac circumventos etiam, tandem onustus prædâ longe inferiori loco emersit. Margaritarum piscationi vacant in Indiis, de qvâ hoc loco plura non attinet dicere. In Dæmonoso Cartaginensium insula æs est in mari natans usq; ad duas Orgyias *Aristoteles*, aut alius quidam fabulator rectius. (*de mirab. natur.*) Recte interpretatur *Dominus de Grensemesvil, judicio Sam. Bocharti* (*l. 1. Chanaan c. 26. p. 556.*) æs quod urinando effoditur à fundo maris ad duas Orgyias alti: In China Jaspidem gemmam è flumine Kothan erunt urinatores. (Vid. *Die dritte Holl. Gesandschafft nach China, p. 43.*) Etiam ad res naufragio à mari absorptas, anchorasq; relictas recuperandas accersuntur amphibii illi homines. Vota hujusmodi explevit *apud Lucan. (l. 3. Pharsal. v. 607.)*

Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutariq; fretum, si quid mersisset arenis,
Et nimis affixos uncis convellere morsus,
Adductum quoties non senserat Anchora funem.

§. 60.

Ut igitur in Embryone, qui nondum expertus est aërem, & in eo, qui maris intermedia lustrat, & per intervalla spiritum haurit, si *Pechlinum* (*c. l. p. 111.*) evolvas magna est discrepantia; ita & inter urinatorem, in quo anima suos actus exercet, quiq; aëris reciprocationi per intervalla adhuc vacat, & inter eum, qui liberæ auræ expositus, nec spiritus retentioni pulmonumq; amplificationi studuit unquam. Non igitur concludit: Urinator absq; spiratione semihora & amplius (quod & ipsi forsan impossibile si rem accurate metiaris) vivere potest, ergo & alius bipedum, ergo respiratio ad vitam non est necessaria. Eadem fere argumentandi ratio: Amphibia in aëre & sub aqva vivere possunt, ergo & reliqua bruta, quamvis etiam amphibia aëris defectu suffocari assera, (*Franc. Bayle.*) *Probl. 100. p. 151.*)

§. 61.

Nec est, quod (*) opponas, quo sanior homo, eò tardior & fere insensibilis est respiratio. Quis è sanorum genere unquam docuit vehementem respirationem & subitam arguere hominem in statu sanitatis versari? Insensibilis ferè licet sit, non tamen est nulla, sufficit ad sanitatem, si absque impedimen-

mento & interruptione, paucis, si libera sit. Præternaturalis spirationis differentiæ id approbè evincunt, quas (*Prænot. Conc. n. 260.*) proposuit *Hippocrates*, aut alius ex Asclepiadarum familia, qui ut *Anut. Foes.* (*in animadv. in h. l. p. 146.*) ex Prognostico & Epidemiis sententias istas suffarcinavit, & istos velut centones condidit.

§. 62.

Ipse verò pulmonum defectus (*n*) allegatus si ad obrussam exploretur nil obtinet. Quis namq; Medicorum aut Physicorum pulmonem omnem in subjecto abfuisse memorat? In quatuor annorum puero marasmo extincto notavit *Nicol. Fontan.* (*l. 1. Respons. & Curat. Medic. p. 55.*) pulmones nullos, quorum loco erat vesicula membranosa flatu repleta, venulis exiguis munita, originem sumens ab aspera arteria, quæ refrigerium afferre videbatur cordi. Momentosa plurimis hæc judicatur observatio. Quod si tamen exactiori pensitetur judicio, mira sane non erit, nec id cujus gratia affertur evincet. Vidit id *acutissimus Th. Bartholin.* (*Diatr. de Pulmon. s. 2. p. 32.*) adeoque puerum istum inventum asseruit non sine omni, sed sine vulgari tantum pulmone. Vesicula illa etiam pulmonis officium tuebatur, ipso id non diffitente *Fontano*, & qui casum istum seriò expendit, *Fortunato Plempio*. Et si ad fœtus in utero adhuc conclusi pulmones attendamus, ex observatione *Gvilh. Harvei à Bartholino* allegata (locum non addit, neque me legisse recordor) pulmones ad quartum mensem membranacei sine sangvinis affusione deprehenduntur, quos tamen quarto mense sangvinolentos cum jecore & renibus vidit. (*Exerc. de Generat. Anim. 56. p. 237.*) Et si ex observationibus *Malpighii*, (*in Epist. de Pulmon. 2. T. 2. Op. p. 328.*) ipsaq; αὐτοψία suffragante Ranarum (addit Bufonum, piscium & serpentum *Harveus*, *c. l. Exerc. 3. p. 5.*) explores pulmones, è vesiculis numerosissimis nulla carne parenchymatosa vestitis constant, quæ cum æstate vehementius respirant, aëris plus solito in vesiculas numerosissimas absorbent, (unde earum tam ingens tumor) quo eundem postea in coaxatione liberaliter exspirent, ut iterum (*c. l.*) *Harveus*; Et humanos pulmones meram vesicularum congeriem docuit & demonstravit post *Malpighium*, *Carol. Musitan.* (*T. 3. Trutin. Chirurg. Phys. c. 55. p. 293.*) Audax igitur & barda nimis est *Theodori Craanen* (*Diss. de hom. c. 30. p. 257.*) opinio, quando sine pulmonibus hominem (in lucem editum) vivere posse astruit, & valde exiguum tanti visceris usum esse propalat, cum ipse sui oblitus paulo ante dixisset, pulmones fulcire vasa sangvifera tam venosa, quam arteriosa pulmonalia dicta, motum

præte-

præterea promovere sanguinis per pulmones suo motu reciproco in & exspirationis, qui sane usus exigui momenti haut sunt æstimandi.

§. 63.

Verum interim est illud *Plinii*, (*l. 9. c. 7.*) pulmonum vice aliis possunt alia spirabilia inesse viscera. Ita bronchias quasi ad spirandum piscibus datas *Aristoteles* (*l. 4. de part. anim. c. 13.*) censuit. Has quidem è plurimis radiosis semicirculis componi accuratus *Marcell. Malpigh.* (*Epist. de pulmon. 1. T. 2. Op. p. 325.*) accuratè tradidit. Attrahunt hæ aquam, ut pulmones aërem. Et hæc ratio est cur nullum unquam visum fuerit pulmones & bronchias habens animal, quod iterum *Philosophus* (*l. de Respir. c. 10.*) annotavit, causam hanc subjungens: Pulmo refrigerationis gratia à Spiritu est; (videtur enim & nomen accepisse pulmo propter susceptionem Spiritus) bronchiæ autem ob refrigerationem ab aqua, unum autem ad unum opportunum est instrumentum, & una refrigeratio sufficiens omnibus. Quare quoniam frustra nil facientem videmus naturam, duobus autem existentibus alterum utique esset frustra, propter hoc hæc quidem habent bronchias, illa autem pulmonem, ambo verò nullum. Bronchiæ hujusmodi non sunt balænis, nec Delphinis, ut iterum (*c. l.*) *Plinius*: Hæc autem duo genera fistulis spirant, quæ ad pulmonem pertinent, balænis à fronte, delphinis à dorso. Hauserat id ex *Aristotele* (*l. 1. Hist. animal. c. 15. & l. 8. c. 2.*) Rectè igitur *Plin.* (*c. l.*) credidit omnia in aquis spirare naturæ suæ sorte: hancq; respirationem piscium πνευιχθύαν vocabat *Marc. Aurel. Severin.* (*Diatrib. Antiperipat.*) Pisces spirare *Hippocrati* (*l. de Flatibus*) placuit, qui & (*in 2. de Vict. Rat.*) plus etiam dicit, ut præter plantas alia quoq; includat omnia (*J. C. Scaliger in l. 1. de Plant. p. m. 115.*) de plantarum pulmonibus *Marcell. Malpigh.* (*T. 1. Op. anat. Plantar. p. m. 32. sq.*) *Exc. Joh. Bohn.* (*de aër. in sublunar. infl c. 1.*)

§. 64.

Nec transpirationem insensibilem (θ) respirationi surrogare commodum, imò absonum videtur, quamvis id asseruerit *Galen.* Vid. *Joh. Nardium.* (*Noct. Genial. 3. c. 3. p. 186.*) Transpiratio insensibilis (ἄδηλος διαπνοή) ita vocatur, judicante *J. C. Baricello*, (*l. 1. Hydronos. Nat. c. 1. p. 13.*) quia est quædam evacuatio latens sensum: nam conspectum præ tenuitate effugit. (*Galen. l. 1. de T. S. c. 12.*) quæ ejus generis tenuioris sunt substantiæ, ea partim per difflationem, quæ sensum refugit, partim sensibiliter, ut per sudores cutem perrumpat. (*Id. l. de atra bile c. 4.*) In sanis corporibus transpiratio è vapore effi-

efficitur, qui non ſolum ab aquoſo humore, verum etiam à ſanguine & reliquis ſuccis exhalat, quibus vero pravi humores, à Cute pro vaporibus fuligines exeunt. *Hæc Baricellus.* Et hanc dari *Theodor. Craan (Tr. de Hom. c. 37. p. 294.)* quibusdam probavit argumentis.

§. 65.

Via per quam excipit & egerit pori cutanei ſunt. Dari autem poros in cute humana, quis in dubium vocabit? comprimis ſi illuſtris *Rob. Boylei* Tentamina *(de corp. animal. poroſ. c. 3. p. 6.)* & *Magnif. Dn. D. Joh. Bohnii Circul. Anat. Phyſiol. progymn. 25. p. 237.* evolverit, ut mirum ſit *Virum celeberrimum Iſaacum Voſſium (de quo Ephem. Erud. T. 2. Ephem. 33. p. 38.)* aſtruxiſſe non dari atomos, neque etiam dari poros in ipſa quoque humanâ cute. An riſu an rationibus refutanda ſit ejusmodi ſententia, cui non patet? Fit autem tranſitio iſta inſenſibilis per poros minutisſimos, ſicut ipſe aër indefinitæ parvitatis. Quod ſi autem organorum illorum contextus omnem ſenſum fugiunt, qui ſenſiliores ſuccos ſecernunt, quanto magis tenúia iſta cutis noſtræ & aëris cribra oculi fallere fidem credibile eſt *Joh. N. Pechlin. (de aër. & alim. def. c. 9. p. 115.)* decernit. *Franc.* equidem *Bayle (probl. Phyſ. & med. 100. p. 149.)* majorem, quæ per pulmones, quam quæ per totum habitum corporis fit, tranſpirationem, vaporum egeſtionem admittit: Audiamus tamen & *Boylei (c. l.)* non improbandam conjecturam, quæ ita habet: Licet aſperam arteriam intuear, tanquam magnum corporis caminum, comparatè ad minores illos caminos in cute, quibus conſumta perſpirationibus materia emittitur, tantus tamen eſt exilium illorum ſpiraculorum numerus, ut fuliginoſæ exhalationes per eas elabentes non posſint non eſſe numeroſiſſimæ. Add. *Malach. Thruſton. (tr. de Reſpir. p. 128.)* qui id certe oportuit *à Sanctorio* animadverti judicat, cum illius rei computum tam ſubtiliter inſtituerit. Illo vero monitore non opus erat. Fugitivo ſaltim oculo luſtrarat *Sanctorii* ſtaticam medicam bonus ille *Thruſton:* Ita namque *(l. 1. aph. 4.)* ſonat: Perſpiratio ſenſibilis ſola ſolet eſſe longè plenior, quam ſenſibiles omnes ſimul unitæ. Quod hæc Ejus ſententia in hominibus conſtanter & ex æquo vera ſit, non audet ſtatuere *David. Græbner (Med. Vet. Reſtitut. c. 37. p. 267.)* Vias regias vocavit cum neceſſariis corpori ſuppeditandis, tum ſuperfluis eliminandis *Joh. Vesling. (Syntagm. anat. c. 1. p. 5.)* poros.

§. 66.

Ut reſpirationis, ita & Tranſpirationis geminæ videntur partes, *Joh.*

Nic. Pechlino, (*c. l. c. 9. p. 114.*) inſpiratio, & exſpiratio. Hæc Ipſi eſt motus corpuſculorum fluidorum à ſingulis ferè ſuperficiei corporis punctis in hanc athmoſphæram; illa eſt fluidi aërei externi ex ſingulis athmoſphæræ lineis in minutiſſimos quosvis poros immiſſio. In iſto ergò cum reſpiratione convenit, hoc uno diſtincta, quod nullæ manifeſtæ partium iſtarum alterationes, quemadmodum ibi compareant. Ita Tranſpirationem duplicem fecit *Baricellus*, (*c. l.*) vel vaporis, in exſpiratione, vel aëris in inſpiratione.

§. 67.

Quod ad materiam, quæ inſpiratione attrahitur, illa cumprimis aër aut athmoſphæra eſt. Non enim ſimplex aër tranſpiratione excipitur, ſed Chaos illud corporum ſeu atomorum, perinde ut illud reſpiratione pulmonum veſiculæ & vaſa excipiunt. Spectant huc appenſorum & applicatorum in cute medicamina, in quibus compilandis & illuſtrandis egregiam navavit operam *Rob. Boyle.* (*c. l. c. 3. 4. & 5. à p. 9. ad p. 15.*) Expirari & tale vel ex contagioſis elucet morbis Tranſpirata illa tanta copia egeruntur, quod etiam monitum (§. *65.*) ut aërem ſaturent, illud omnium exhalationum receptaculum, reſpirationi quo ineptus reddatur, langvoremq; quin & deliquium aliquando corpori inducat & ſpiritibus. Et ita explicanda forſan erit *laudati Boylei* (*Tr. de fundo maris, c. 8. p. 40.*) ſententia, dum ſcribit: Non paucis experimentis mihi cognitum eſt, quod exhalationes ab animalium corporibus prodeuntes, ita vitient aërem illis oppletum, ut reſpirationi eorum fiat inidoneus, & ægra & languida efficiat.

§. 68.

Egeritur autem ſecundum Philoſophos modernos pars alimentorum, excrementorum etiam congeries. Totum ſangvinem diſpergi per diaphoreſin absque omni fece *J. B. Helmontii* (*tr. Blas human. n. 13. p. 148. n. 33. 34. p. 50. & n. 46. p. 51.*) decretum eſt. Quocirca quo major tranſpiratio, eo major copia deſideratur alimenti, accuratè id expendente *famigeratiſſimo G. W. Wedelio.* (*Phyſ. Reform. c. 9. p. 220.*) Si cibus & potus unius diei ſit octo librarum, tranſpiratio inſenſibilis adſcendere ſolet ad libras quinque circiter, *Sanctorius* (*c. l. aph. 6.*) pronunciat. Quis igitur ciborum, ut nobis videtur, ingluviem vitio vertet Ruſticis iſto trito: *Treſcher*, *Freſſer*.

§. 69.

Præter alimenta, & excrementa Tranſpiratione eliminantur, imprimis quæ tertiæ aſcribuntur concoctioni. Accuratus ut ubique, ita & hic voluit

ſuas

ſuas partes tueri *Caſp. Hoffmann.* (*l. 2. Inſt. med. c. 142.* §. *2. p. 264.*) Sangvinei, profitetur, ferè habent ἀτμόν, vaporem aqueum, qui facile putreſcit, facitque ut tales perpetuo hircum oleant. Qui pituitoſi ſunt, vicini quidem ſunt his; ſed tamen καπνόν potius habent, vaporem quidem, ſed frigidiuſculum, qui difficulter putreſcit. Qui bilioſi λιγνύν, fuliginem eamque ſatis acrem, qua obſtipatam cutim, retenta, facile febriunt tales, cujus rei aliquot, præcipue *Primigenis*, *Galenus* affert. Qui Melancholici, αἰθάλην habent favillam ſ. cinerem ignitum, qui per poros cutis exiens ſemper facit pruritus, quamvis ſcabioſi non ſint, ſubinde tamen cogantur ſcalpere modo hanc modo illam partem. *Hactenus Hoffmann.*

§. 70.

Cohibita tranſpiratione putredinem effici, qua ignis internus quidem non efficitur, ſed augetur, *Steph. Roder. Caſtrenſis* (*l.3. de meteor. microcoſm. c. 6. p. 108.*) mens eſt. Inde putredinis occaſionem tranſpirationis prohibitionem (*l. 11. M. M. c. 8.*) dictitabat *Galen.* & variarum febrium variorumque morborum matrem *Gothofr. Mœbius.* (*Fundam. med. Phyſiol. c. 13. p. 308.*) De febribus *Galen.* (*l. 2. de diff. febr. c. 5.*) Si imminuta tranſpiratio, quæ per corporis habitum fit, eſt cauſa putredinis ſangvinis, febris, aliorumque effectuum ſcribit (*c. l.*) *Fr. Bayle.* Tympanitidem, hydropem, Cachexiam ſ. Leucophlegmatiam & Anaſarcam ex hoc fonte derivavit *Theod. Craan.*, (*c. l. p. 295.*) *Sanct. Sanctorius*: (*c. l. aph. 11.*) pulmoniam, Hydropem pulmonis, pleuritides ſpurias his ſuperaddidit *Dominic. Panaroll.* (*Pentecoſt. 3. obſ. 35. p. 92.*) idque in Cappucinis, quorum cutis calloſa, ut etiam cultrorum aciem in mortuis retundat, & vix inter centum unus ſudorem febribus correptus emittat. Et hanc ob cauſam cohibitam tranſpirationem urinæ copiam cauſari, *Richard. Lower.* (*Tr. de Cord. c. 2. p. 141.*) aſſeruit, quod ſi accidit ab hydropis malo taliter præſervabuntur. Vix credibile eſt, quod *Theod. Craan.* (*c. l. p. 296.*) tradidit: Homo creparet, ſi omnes vapores intus continerentur. Et ſi corpus ſolito augeri incipiat ſine majori cibi vel potus additione, vel ſenſibilium excrementorum retentione adiapneuſtiam ſuſpicabatur *Sanct. Sanctorius* (*c. l. aph. 9.*) non incongrue.

§. 71.

Quicquid ſit, Tranſpirationem tamen reſpirationis officio fungi poſſe contendunt *Jul. Cæſ. Claudin.* (*Reſponſ. Med. p. 118. Frid. Loſſius*, (*l. 4. obſ. med. 13. p. 355.*) cum exſangvia inſectilia tranſpirent tantum & fœtus in utero tranſpiret, non reſpiret, & tamen vivant, Vid. *Auguſtin de*

Laurentio (*Decad. l. Discept. med. 5. p. 93.*) *Joh. Nicol. Pechlin.* (*c. l. p. 142.*) & hujus beneficio etiam absq; respiratione vivere cum Apoplecticos, tum hystericas & alios morbidos. Interna transpiratione hystericas vitam trahere, quæ non pectoris aut pulmonum motu perficitur, sed cordis potius internarumq; arteriarum obscura quadam & latenti motione, eodem modo ut quædam animalia tota hyeme frigida & mortua videntur, quæ in cavernis vitam trahunt, *Dan. Sennert.* (*l. 4. Med. Pract. p. 2. s. 3. c. 4. p. 237.*) suspicatur. Ita *Avicenna*, (*l. 3. Canon. Fen. 1. Tr. 5. c. 12. f. m. 212. a.*) aliquando accidit, ut homo apoplexiam incurrat, & non sit differentia inter ipsum & mortuum, & non appareat in ipso aliquid anhelitus, deinde reviviscit & sanatur. In hysterica passione respiratio cessat deficienti usu, concludit *Lazar. River.* (*l. 15. Prax. Med. c. 6. p. 451.*) Cum respiratio ad cordis refrigerium necessaria sit, dum ab aura ista venenata narcotica, quam quidam Torpedinis efficacia illustrarunt *ap. Galen.* (*l. 6. de loc. aff. c. 4.*) cor impense refrigeratur, non indiget refrigerio sibi per respirationem communicato, & ita cessat respiratio cessante usu. Dicere etiam possumus, *pergit*, auram illam venenatam & narcoticam Cerebrum impetere, & spirituum animalium influxum impedire, unde motus diaphragmatis & musculorum respirationi inservientium impeditur. Adde quod destructo spiritu vitali animalem etiam destrui necesse est, qui ex eo generatur. Hos igitur sola transpiratione vivere & hac calorem exiguum foveri, quemadmodum animalia per hyemem sola transpiratione vivunt, quia frigidissima sunt, & exiguum habent calorem, qui respiratione non indiget. (add. *Anton. Santorell. post. Pr. med. c. 40. p. 132.*) Ob convulsionem Diaphragmatis, musculorum intercostalium & nervorum pulmonicorum respirationem cessare posse superstite vita, *Joh. Jac. Wepfer.* (*Histor. & nox. Cicut. aquat. hist. 8. p. 169.*) opinatur.

§. 72.

Cum vero, *ut modo*, (§. 66.) *dictum*, transpiratio, qualis quidem in respispirantibus est, absq; respiratione commode & perfecte consistere non possit, parum ab hac contrariæ sententiæ fautoribus subsidii sperandum. Ut namq; motu musculorum Thoracis & Diaphragmatis, de quo posteriori è veteribus *Galen.* (*l. 8. de administr. anat. c. 2.*) de priori verò *Bass. Landus*, (*l. 2. anat. corp. l. 4. p. 172.*) ut nihil novi afferant Carteriani & Recentiores alii, respirationis negotium expeditur: Ita & transpiratio, absque respirationis & aliorum musculorum subsidio sufflaminatur & expirat. Conf. *J. N. Pechlin.* (*c. l. c. 9. p. 117.*) Distinguendum sane est inter spirationem aut expirationem & tran-

transſpirationem. Spirant inſecta, ſerpentes & alia reptilia mimica morte per hyemem detenta. Spirat in utero Embryo, ſed non transſpirat. Spirant, *inquam*, & exſpirat animalia quædam excrementicias fuligines per pororum tubulos, foraminula & anguſtias, aërem tamen non viciſſim recipiunt. Qualis aëris reciprocatio transſpirationi vernacula, eaq; ſine muſculorum motu in actum deduci nequeat. Sed & hic muſculorum motus à reſpiratione dependet. Quin nec inanimatis ſpiratio & exſpiratio deneganda, nec mortuis ſ. cadaveribus, quod narium judicio facile explorandum. (Vid. *lib. 3. Tit. 1. §. 81. & 82.*)

§. 73.

Ut igitur reſpiratio ablata, ex mente *Hieron. Mercurial.* (*l. 2. lect. Patav. c. 5. p. 200.*) ſalva & ſuperſtite vita non poteſt lædi, nec ad hujus excluſionem totalem patet regreſſus: Ita ad ſenſum ſaltem reſpirationem penitus intercipi, accurate pronunciavit *Joh. Jac. Wepfer.* (*de loc. affect. in Apopl. p. 181.*) & *Franciſc. Bayle.* (*Tr. d. Apopl. c. 3. p. 15.*) Diſtingvunt igitur inter reſpirationem ſenſibilem & inſenſibilem *Mart. Panſa* (*Conſil. Peripnevmon. qv. 22. p. 98.*) & *Caſp. à Rejes.* (*c. l. qu. 79. n. 18. p. 1058.*) Vivunt multi ſine reſpiratione ſive motu illo thoracis viſibili, (quod de ægris aliqui explicant *ap. Bartholin.* (*de Cruc. §. 2. p. 9. & 10.*) at non vivunt ſine uſu reſpirationis. Tantillus enim ignis ventilatur ſine manifeſto motu, rem expedire tentat *Caſp. Hoffmann.* (*in 6. de Ul. P. Galen. n. 388. ſq.*) Non omnis in totum motus deficit, decernit *J. N. Pechlin.* (*c. l. c. 3. p. 44.*) Sed ille tantum, qui ſolidorum manifeſta palpitatione vitæ præbet indicium, circularis ſc. motus ſanguinis, & iſte quoq; ſpirituum? Relinquitur autem principium motus, unde ille in orbem dependet, virium augmento, major ſive ad ſpirituum fluidum, ſive ad ſangvinem ſe referat, nam & is ea parte liquidi æmulatur naturam, quâ particulæ ejus circa proprium axem moventur putredinis immunes.

§. 74.

In defectu reſpirationis ſenſibili, corporeq; omnis motus & caloris vacuo, ut de inſenſibili, ut vocant, motu thoracis & vitæ præſentia certiores reddant aſtantes, jam olim & adhuc varia fecerunt experimenta. Nonnulli *Heraclidæ* poſteriores credentes (in hyſtericis) ſervari aliquid ſpirationis, quamvis ipſa non appareat, *tradit Galen.* (*l. 6. de Loc. Aff. c. 4.*) carptæ lanæ flocculos coram naribus ſuſpendi jubent, ut exacte deprehendatur, num ſpiritus aliquis inter ſpirandum, tum intrò, tum foras rurſum deferatur. Sunt, *pergit*, qui poculum aquæ plenum ori ventriculi imponere præcipuunt, quippe immotum omnino ſervari humorem ajunt, ſi tota perierit ſpiratio. Pennam alii leviorem ori aut naribus adhibent, quidam ſpeculum terſum ori

 admo-

admovent, videntque an halitu ex ore emisso inficiatur. Candelam accensam ceream quidam naribus aut ori applicant. Conf. *Hieron. Mercurial.* (*l.1. Lect. Patav. c.19. p.83.*)

§. 75.

Verum non satis tuta hæc signa judicat *Dan. Sennert*, (*c. l.*) utq; minus tuta respuit & parvi perdit *Jac. Holler.* (*l.1. de morb. cur. c.59. p. 608.*) Optassem igitur cum *Paulo Zacchia*, (*l.4. quæst. med. legal. Tit.1. qv.11. n.54. p.373.*) ut alia signa & tutiora experimenta, si fieri potuisset, adduxissent. Valet illud Democriteum *supra è Corn. Celso*, (*l.2. de R. M. c.6.*) adductum, ne finitæ quidem vitæ satis certas notas esse, quibus Medici credidissent. Subjungit alia *laudatus Zacchias*, sed quæ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ valent, neq; regulam omni exceptione carentem constituunt. Ita Apoplecticos spumantes reconvaluisse aliquoties notavi, & mecum *Avicenna*, (*l.1. Canon. Fen.3. tr.5. c.12.*) Conf. *Zacut. Lusitan.* (*lib.1. Prax. Hist. c.7. p.192.*) nec sternutasse, acri in nares inflato sternutatorio, qui tamen Charonti naulum subtraxerant.

§. 76.

Certissimum signum mortis fœtorem allegat *Zacchias*, (*c. l. n.58.*) cui nemo dicam scribet. Et hæc ratio effecisse dicitur, discurrit *Lev. Lemnius*, (*l.2. de Occult. Nat. Mirac. c.3. p.146.*) ut *CHRISTUS* captatâ occasione *Lazarum* quatriduanum, quem maligna febre occubisse concludit (*de morb. Bibl. n.21. p.98.*) *Th. Bartholin.* in vitam postliminiò revocarit, ne quis calumniari possit, illum non fuisse mortuum, sed animi diliquio correptum ex ementita morte revivixisse.

Sole quarto jam carentem,
Jam sepulchro absconditum
Lazarum jubet vigere,
Reddito spiramine,
Fœtidum jecur reductus
Rursus intrat halitus.

Poëtico stylo eleganter (*Hymn. omni hora v.91.*) historiam *Prudentius* explanavit. Allegant id etiam *Anton. Mizald.* (*Cent. memorab.9. n.84. p.m.194.*) *Joh. Wittich.* (*Consil. Apopl. p.183. Conciliator* ante hos omnes (*Diff.185.*) quem & citat *Mercurial.* (*c. l.*) Trahit hic illud *Herodoti* (*l.1. Histor. p.m.26.*) Cadavera defunctorum Persarum non prius humari, quam aut ab alite aut cane trahantur *Paul. Zacchias*. An verum sit *ipse Herodotus* dubitat dum narrat: At ista, quæ de mortuis produntur obscuriora, neque perinde certo. Magos tamen

men ſat ſcio hæc factitare, quandoquidem aperte faciunt. Cur verò id faciant, id (*c. l.*) affert, ſatis quidem ridicule, quod ex nullis aliis ſignis poſſit haberi mortis certitudo, niſi cum alites & canes fœtore allecti è Cadavere exſpirante ad illud accurrunt.

§. 77.

Ordinis ratio jam expoſceret de Morte quædam huc facientia commentari, dum de mortuis nobis ſermo eſt. Nolo autem *cum Hieron. Cardano & Theophr. Paracelſo*, (*l. 4. de Nat. Rer. p. 889.*) omnia vivere exiſtimare, quamvis ſenſum omnibus entibus ineſſe edixerit *Th. Campanella* (*l. 1. de Senſ. Rer. c. 5. p. 14.*) dum ſcripſit: (*p. 15.*) Omnia ſentiunt, alias mundus eſſet Chaos; idq́; laborioſe per totum librum ſecundum demonſtrare ſatagat. Nec ab hac opinione mihi recedere videtur *J. P. Faber*. (*l. 2. Panchym. c. 5. p. 110.* & alibi) Si quis pro *Cardano* inſurgens viventium nomen ad omnia voluerit extendere. De nomine non contendam ſe explicat *Steph. Rod. Caſtrenſis*, (*l. 1. de Met. Microc. c. 15. p. 34.*) Quatuor autem actus vitæ conſtituit *citatus Faber*, (*c. l.*) ut primus actus ſit eſſe, ſecundus vegetare, tertius ſentire, quartus ratione uti & intelligere. Tripliciter notionem vitæ accepit *Anton. le Grand*, (*p. 7. inſtit. Philoſ. ad ment. Carteſ. Art. 1. n. 1. p. 657.*) (1.) pro vita ſimplicis exiſtentiæ, (2.) pro vitâ actuoſa, cum ipſum vivere pro agere & operari accipitur, ita ignis, flumen, ſpiritus vitales vivere dicuntur. (3.) pro vita exiſtentiæ cum altero, ſive ad coexiſtentiam aut durationem cum altero. Si vita hominis in animæ & corporis nexu paſſim conſtituitur. Eadem fere *Ludov. de la Forge* (*Tr. de Ment. Human. c. 7. n. 2. p. 33.*) Taxat *Leonh. Fuchſium*, *Caſp. Hoffmann*. (*l. 2. Inſtit. Med. ſ. 7. c. 151. §. 14. p. 286.*) quod *cum Galeno* (*l. 9. M. M. c. 10.*) vitam nimis late acceperit pro anima. Vita & anima confunduntur, profitetur *Steph. Roder. Caſtrenſ.* (*l. 2. de Met. microc. c. 14. p. 83.*) non quod utraq́. ſit unum, ſed quia non poſſunt non eſſe ſimul. Vita uno modo dicitur anima, quæ eſt principium operationis, *Thomas*, (*5. Polit. l. 7.*) philoſophatur, alio modo operatio, cujus anima eſt per ſe principium. Clarius (*p. 2. Summ. Theolog. qv. 18. art. 2.*) Vita ſumitur ſubſtantialiter pro actu primo, â quo velut principio vitales actiones proveniunt; quo ſenſu ab anima non differt realiter, ipſumq́; vivere viventibus eſſe eſt. Accidentaliter pro actu ſecundo ſive operationibus vitalibus, quales ſunt nutritio &c. Prius ſignificatum valet hoc loco. Evolv. *Henric. Kipping*. (*l. 7. inſtit. Phyſ. c. 4. p. 277.*)

§. 78.

Regerit his *Scaliger*. (*Exerc. 102. ſ. 5. p. 374.*) Si vita eſt actio animæ, igitur ani-

anima vivere dicetur, non corpus. Adhæc actionis esset actio. Nam vitæ actiones esse quatuor, *ait Philosophus* (*2. de anim. c. 2. t. 13.*) intelligere, sentire, moveri, nutriri. Adde quintam, si vis, generare. Cum vero hominis anima extra hominis corpus actionem habeat nullam, *paulo ante*, (*p. 374.*) vitam unionem animæ cum corpore, seclusa omni operatione definivit, idq; *alibi (Exerc. 111. p. 417.)* repetiit.

§. 79.

Distinctionem hic adhibet non contemnendam *Mart. Schoockius* (*tr. de nihilo, c. 28. p. 114.*) dum philosophatur: Anima hominis ut est immortalis & incorruptibilis: Ita certum est, illam eo ipso tempore ad huc vivere, quo homo in statu mortis est. Ergo initio observetur à parte hominis (ut pateat quâ ratione physice moriatur) considerandam esse duplicem vitam, essentialem & accidentalem. Vita essentialis subjective non modo est in anima (quod non placet *Magno Scaligero Exerc. 102. S. 5. p. 375.*) sed ab animâ, velut motum ab anima non in anima. Ab ea namque esse vult ille: in ea esse non vult. Quemadmodum à sole calor, qui in Sole non est. Refutat autem hoc ipso Philosophum, qui (*l. 9. Metaph. c. 8. t. 16.*) vitam in anima esse dixerat, propria hominis forma, verum etiam ab eadem est inseparabilis, secus enim non posset in anima separatâ remanere. Vita vero accidentaria, ratione hominis maxime habita nihil est aliud, quam effectus formalis proxime proveniens ab unione animæ rationalis cum corpore, qui effectus quoque referri debet ad animam rationalem non tanquam causam efficientem, sed ut causam formalem. Eoque quæ est ratio ipsius essentia ad existentiam, quæ Essentiam proxime quidem insequitur, non tamen formaliter ipsa essentia est, ita vita hæc non est ipsa animæ humanæ essentia formaliter, sed ab essentia ejusdem immediate oritur atque promanat. Adeò ut dicere liceat, vitam hanc accidentariam esse medium quid inter animam rationalem & proprietates: ut quæ immediatius animam respiciat ceu formam, mediatius vero, ut proprietates, quæ eam velut causam efficientem respiciunt. Idem sensisse videtur *Aristoteles*: (*l. 2. de anim. c. 1. t. 3.*) Corpus, *inquit*, omne naturale particeps vitæ, substantia, & ita substantia ut composita. Quibus verbis manifestò ostendit, vitam hanc ipsam accidentariam corpori non convenire ut parti, sed ut est quid compositum è materia & forma, hoc est, ut suppositum in se includens corpus partiale, velut materiam, & animam ut formam. *Hæc Schoockius.*

§. 80.

§. 80.

Quærunt hic an vita animæ diversa sit â corporis vita? Plures, qui id affirmant, allegat (*c. l. §. 6. p. 278.*) *Henric. Kipping*, quibus addere placet *Casp. Bartholinum*, *Theologum & Medicum*, (*Manuduct. ad Psycholog. & Anthropol. è S. S. c. 7.*) qui cum in sacris in homine dicatur esse spiraculum vitarum plurium, non immerito ridet illos, qui per plures vitas duo foramina narium intelligunt, aliæ vel plures cogitari non possunt, *concludit*, quam corporis vita & mentis, cum nihil aliud in homine dici possit vivere. Vita animæ propria toto genere distat à vitâ, quam ipsa operatur in composito &c. Anima enim non sentit, sed sentit totum compositum per animam, tanquam causam efficientem, disserit *Barthol. Kekermann.* (*l. Gymnas. Log.*) Contra hos ita argumentatur *Kipping*, (1.) Assumens & communicans in uno subjecto arctissime copulata, non efficiunt diversas numero operationes. Atqui corpus assumens & anima communicans in uno subjecto, videlicet corpore vivente, arctissime copulata sunt. Ergo non efficiunt diversas numero operationes. (2.) Ubi duplex vita, ibi duplex vivens. (3.) Si anima ipsa nequaquam cum facultatibus suis, verum noviter productis & specie diversis effectis corpus vegetat, movet, regit, sanè erit forma assistens quod est contra unanimem Philosophorum (addo & Theologorum) consensum. Fons igitur & principium (*πρῶτον δεκτικόν*) vitæ anima est, à quâ dimanat in corpus, & vitales operationes perficit, vegetando, nutriendo, augendo, procreando, (§. 5.) & anima facit corpus animatum, ut causa formalis s. formaliter, non effectivè. (*§. 7. p. 279.*) Plura eaque egregia huc spectantia (*Colleg. Consid. Dogm. Theol. Cartesian. c. 12. th. 2. p. 219. sq.*) *Joh. Adam. Osiander* exhibet.

§. 81.

Vitam dum unionem animæ cum corpore dicunt Philosophi, sollicitudo illos tenet, quid sit, quod immateriale materiali uniat, eamq; unionem constantem, glutinis instar, conservet. In calorem nativum id negotium devolvunt quidam, inter quos *Arnold. Sengverd*, (*l. 6. Introd. ad Phys. c. 1. p. 467.*) *Joh. Sperling.* (*l. 7. instit. Phys. c. 2. qv. 1. p. 1125.*) *P. Claud. Frassen*, (*Philos. Acad. Phys. P. 2. Disp. 3. s. 2. p. 259.*) qui & *Aristotelem* in consortium trahit, vitam de finientem per mansionem animæ in corpore cum calore. Additur cum calore, *subjicit*, quia calor est nexus animam corpori copulans, tamdiu enim anima inest corpori, quamdiu remanet calor naturalis. Digitum forsan intendit (*in l. de Respir. c. 18.*) ubi vitam mansionem cum calido nutritivæ animæ in corpore dixit *Philosophus*. Vitam igitur definivit *Frassenius* animæ unionem cum corpore be-

neficio nativi caloris. Hic verò an mentem *Aristotelis* assecutus fuerit, aliis pensitandum relinquo.

§. 82.

Corporis animæque vinculum expressis verbis dictitat (*Exerc. de Generat. anim. 52. p. 197.*) *Gvilh. Harveus* sanguinem, qui paulo ante (*p. 196.*) nullum aliud calidum innatum, aut influens reperiri, quod sit immediatum animæ instrumentum præter sanguinem, adeoque vitæ autorem sanguinem declaraverat. Alii Spiritibus id deferunt. Sed hos non esse vincula cum corporibus, sed instrumenta tantum *Steph. Rod. Castrens.* (*l. 1. de meteor. microc. c. 3. p. 6.*) statuit. Doctrina vero Spirituum maxime displicet *Arnoldo de Reeck* (quæst. *Epist. ap. Jacob. de Back, Diss. de Cord. c. 2. p. 80.*) quippe qui Spirituum in corpore nostro existentiam pernegat, & animam non indigere illo medio ad sui cum corpore conjunctionem expressis tradidit. Etenim forma & materia uniuntur se ipsis, & immediate, docet, & anima est vera forma, corpus est materia, & conjunguntur ut materia & forma, & faciunt Ens unum per se: ergo non debent uniri medio ejusmodi Spirituum. Pollicem huic premit *Back.* (*c. l. p. 71.*) qui & ipse Spiritus in exilium proscripturus inficiatur penitus, illos animæ cum corpore existere vinculum, quasi substantia incorporea cum corpore solido nisi subtilioris interventu convenire non posset. Nihil magis incertum & dubium, quam de Spiritibus doctrina tradita censet etiam *laudatus Harveus* (*Exerc. de Circul. sang. 3. p. 227.*) Compingit autem Idem spiritus & sanguinem, dum (*c. l. 288.*) docet: Spiritus per venas aut arterias excurrentes à sanguine non separantur, ut nec flamma à nidore inflammabili; sed sangvis & spiritus unum & idem significant, nec diversi sunt, ut vinum generosum & Spiritus ejus. Sangvis deniq; totum corpus adeo circumfluit & penetrat, omnibusque ejus partibus calorem & vitam jugiter impertit, ut anima primo & principaliter in ipso residens, illius gratia, tota in toto & tota in qualibet parte, (ut vulgò dicitur) inesse merito censeatur. (*Harv. Exerc. 51. p. m. 194.*)

§. 83.

Animas corpora continere velut gluten tum se ipsum, tum applicata continet, non animas à corporibus contineri Epicureorum mens erat, *Petro Gassendo* (*in Physiol. Epicur. p. 500.*) *censente*, qui idcirco *Posidonium apud Achill. Tatium* (*in Arat. phœnom. c. 13. comm. 10.*) coarguere pronunciat Epicureos animas à corporibus contineri asserentes. Nempe voluerunt animal esse quasi telam in qua stamen sit corpus, subtegmen verò anima; adeò ut utrumq; mutuo intertextum opus evadat constans; altero autem dissoluto, alterum (atque adeò utrum-

trumq; simul) dissolvatur. Fluxit ista similitudo ex illa *Epicuri* hypothesi, qua nihil in hoc universo incorporeum professus est, præter solum inane, animam autem esse tenuissimum, seu ex partibus tenuissimis contextum corpus, ac ipsum quidem per animalis massam, quam solemus vulgo appellare corpus diffusum, ut *Diog. Laërt. (l. 10. in Vit. Epicur.)* prodidit. Idem placuisse Platonicis *Plotin. (l. 3. Ennead. 1. c. 20.)* & *Marsil. Ficin. (l. 15. Theol. Platon. c. 5.)* testantur.

§. 84.

Apud Cartesium & Cartesianos unio corporis & mentis ex similitudine & dependentia aliqua deducitur. Ita dicunt animam rationalem sive mentem esse unitam corpori, quando corporis operationes dependent à cogitationibus mentis, & è converso, quando aliquæ cogitationes fiunt dependenter ab operationibus sive potius motibus ipsius corporis. Ita *Anton le Grand, (c. l. p. 9. artic. 3. n. 4. p. 927.)* Verosimile autem est eam incipere simul ac corpus occasionem menti dare potest habendi aliquam cogitationem, & mens rursum aliquem in corpore motum excitare, eamq; desinere simul ac corpus commercium illud amplius continuare neqvit. Nam quemadmodum ea unio consistit in dependentia mutua, quæ inter utramque est respectu aliquarum suarum actionum passionumq;, ea citius aut tardius incipere aut desinere neqvit, ita *Ludov. de la Forge (Tr. de Ment. Human. c. 14. n. 16. p. 110.)* Calorem & motum membrorum procedere à corpore astruit. Cogitationes ab anima deduxit *Cartesius Magister, (part. 1. de passion. art. 4. p. 2.)* Spiritum autem animalem, quem aërem aut ventum subtilissimum appellitat, *(c. l. art. 7. p. 5.)* & nervos in hujus actionis executione solertes se præstare inculcat.

§. 85.

Omnium clarissime ob oculos id posuisse mihi videtur *Conr. Philipp. Limmer. (Disp. Phys. de Union. ment. cum corp. org. §. 4.)* Commercium mentis humanæ cum corpore organico, si experientiam consulimus, in nullo alio consistit, quam in mutua actione & passione; Ita scilicet, ut positis certis cogitationibus in mente, sequantur certæ determinationes spirituum animalium mediante sensorio communi in corpore organico, & vice versa, positis certis determinationibus spirituum animalium circa sensorium commune in corpore organico, sequantur certæ cogitationes in mente. Ita cum ea cogitat de ambulatione illamque vult & imperat, protinus sequitur in corpore organico sano influxus spirituum animalium in musculos crurum gressui inservientium, & corpus ambulat. E contrario eadem docet experientia, (*pergit* §. 5.) quod

ubi certi motus excitantur in corpore, mox inde certæ ſequantur cogitationes in mente. Plura ap. Autorem.

§. 86.

Id autem, quod unionem mentis corporisque humani adeò reddit admirabilem, commentatur *prædictus de la Forge*, *(c. l. n. 3. p. 102.)* conſiſtit (1.) in eo, quod ſit reciproca: (2.) quod ſit univerſalis & nihilominus quodammodo particularis: (3.) quod ſit immediata & aliquo modo mediata: (4.) quod ſit conſtantisſima, & nihilo minus alicujus generis mutationi ſubjecta: (5.) quod ſit valde arcta, ſed tamen arctior eſſe potuerit: (6.) quod ſit independens â noſtra voluntate, & nihilominus aliqua parte ab ea dependeat: (7.) quod ſit validiſſima, & tamen rumpi poſſit, & denique (8.) quod ſit adeo conveniens, adeò conformis, adeò late extenſa, ac quis ſibi imaginari poſſit inter mentem & corpus, ſine alterutrius noxa & præjudicio.

§. 87.

Si illud commune Philoſophorum Brocardicum valet, materiale & immateriale non poſſe uniri, niſi â medio, quod de utroque participet: Dicant quæſo, quale ſit illud medium hermaphroditicum? Si ſpiritus, ſi calorem, ſi ſanguinem obtrudunt, annon hi æque materiales ſint atque corpus ipſum, ab illis erudiri optarem. Subtilitas materialitatem non tollit. Et quis definiet, quomodo materialitas ſit capax immaterialitatis, ut tertium quid inde emergat? Si ſpiritus, calor, ſangvis, de anima & corpore participant, perfectum compoſitum conſtituunt, cum forma & materia, anima & corpore conſtent, adeoque perſiſtant. Videant præterea hi, ſibique caveant, ne Tripartitis, quibus hominem in animam, ſpiritum & corpus diſpeſcere ſolenne fuit, accenſeantur.

§. 88.

Hos ſcopulos ut præternavigent circumſpectiores, non è corpore corporeum vinculum adoptant, ſed æthereum qvid è cœlo aut ſtellis, quod quidem quintam quandam Eſſentiam *Ariſtoteli* vocare lubuit. Peroret horumque mentem explanet *(l. 1. de occ. Philoſ. c. 14. p. m. 19.) Henric. Cornel. Agrippa.* Cum anima primum mobile ſit, & ut dicunt ſponte & per ſe mobile, inquit, corpus verò vel materia per ſe ad motum inefficax, & ab ipſa anima longe degenerans, idcircò ferunt opus eſſe excellentiori medio, ſcilicet quod ſit quaſi non corpus, ſed quaſi jam anima, ſive quaſi non anima & quaſi jam corpus, quo videlicet corpori connectatur. Medium autem tale fingunt (loquitur *de Democrito, Orpheo & quibusdam Pythagoricis*) eſſe ſpiritum

tum mundi, scilicet quem diximus essentiam quintam, quia non ex quatuor elementis, sed quoddam quintum super illa aut præter illa subsistens.

§. 89.

De spiritus mundi existentia & viribus in corpus humanum, res nondum confecta. Corpus Æthereum s. Æther, s. materia Cartesii subtilis etiam materialitati & corporeitati subjacent, adeoq; de eorum influxu in animam æque incerti sumus. Et si corpus materiam, animam formam declaramus, quid opus erit vinculo combinatorio? Cum materia formam appetat, ut mulier virum, secundum Philosophorum sancitum, & sicut in aliis corporibus naturalibus sive simplicia existant, sive mixta in formarum cum materia combinatione nullus glutini locus: Ita nec in partium essentialium hominis conjugio. Post creationem generatio successit, qua res è semine suo, materia & forma prægnante, emergunt & in conspectum veniunt. Si quod vinculum est comminiscendum, illud FIAT divinum præsto est, divino etiam illo Crescite & multiplicamini obsignatum, quod etiam de Machinæ corporis humani motu optimo jure pronunciavit *accuratus ille Artis Nostræ in academia Kiloniensi Professor, Dn. D. Gunth. Christ. Schellhammer.* (*l. 1. de Natur. c. 5. §. 13. p. 98.*)

§. 90.

Vita ideò hominis consistit in continuata mentis & corporis communione, seu versatur in his operationibus, ad quas & corporis motus & cogitatio mentis concurrit, egregiè *in Alma Fridericiana Artis Nostræ decus egregium Dn. D. Frid. Hoffmann* (*Fundam. med. Physiol. c. 3. n. 6. p. 12.*) ratiocinatur. Anima imperat, corpus obtemperat. Cum anima & corpus totum compositum constituant, utrique, quod suum est & debetur, assignandum. Non solum cogitationem mentis concurrere, sed & voluntatem probavit *Joh. Adam. Osiander*, (*c. l. c. 11. th. 2. p. 211.*) & illud Cartesianum εὕρημα, de quo Imperator cum suis Solduriis adeò triumphat & gloriatur, Cogito, ergo sum, enervatum stitit *Eccard. Leichner* (*anticartes. Exerc. 2. §. 28. p. 24.*) & *Martin. Schook* (*l. 2. de Scepticism. c. 4. p. 87. & c. 5. p. 93. & c. 6. p. 98.*) idque non novum, sed *Augustino* quoque notum pronunciat. Non frustraneum videtur illud *Helmontianum*: (*tr. Ment. Complem. n. 8. p. 252.*) Cogitat quidem sensitiva humana vi propria: sed illustratur à mente. Ac propterea tota cogitatio nostræ sensitivæ est totius hominis. Perinde enim accidit, prout in Lunâ & Sole. Illa quidem habet proprium sibi lumen: at Solis reflexo lumine, splendet magis, suumq; lumen in luna veluti perit. Sensitiva igitur

in nobis diversimode cogitat, ac gradus amplitudinis sentiuntur in cogitando. Castigatur etiam *ab Osiandro (c. l. c. 12. th. 2. p. 219.) Cartesius*, quod *(P. 1. de Passion. Anim. artic. 4. 5. & 6. p. 2.)* animam dare motum & calorem corpori & per consequens vitam largiri erroneum reputavit.

§. 91.

Aureol. Theophr. Paracelso (l. 1. de Vit. Long. c. 1. p. 838.) vita nihil aliud est, quam Mumia quædam balsamica conservans mortale corpus à mortalibus vermibus & eschara, cum impressa liquoris salium commistura. Et post: *(l. 4. c. 7. p. 854.)* Quamcunq; vitam corpus vivit, ex mumia vivit. Tandem *(l. 4. de Nat. Rer. p. 889.)* vitam his descripsit: *Nun ist das Leben des Menschen anders nichts dann ein astralischer Balsam, eine balsamische Impression, ein himmlisches unsichtbares Feuer, eine eingeschlossene Lufft, und eintringender Salzgeist.*

§. 92.

Helmontius formam rei esse quoddam velut lumen monstrat, *(Tr. formar. Ort. n. 2. p. 105.)* unumq; quasi fieri vitam, lumen, formam & animam sensitivam, *(tr. Blas human. n. 31. p. 149.)*, & tot esse luminum vitalium species, quot vitalium creaturarum, *(Tr. Spirit. Vit. n. 23. p. 160.)* patremq; luminum ludere abundantia ineffabili genericorum luminum, multo majori largitate, quam in unico vultu humano propemodum infinitas varietates effingens; quin & ex nihilo creans, *(Tr. formar. Ort. n. 2. p. 105.)* qui ipse vita in abstracto est. *(Tr. Blas human. n. 23. p. 147.) Paracelsi* vero thesin minime approbat, dum dictitat *(Tr. Vita, p. 585.)* Non est vita balsamus, non mumia, non denique Spiritus sangvinis, licet hic sit corporis conservator. Eò quod vita non sit materia, imò nec substantia; sed ipsissima rei forma. Definit autem vitam lumen & initium formale, quo res agit, quod agere jussa est. Hoc autem lumen à Creatore rebus infusum datur unico instanti, prout à silice ignis excutitur, sub formæ identitate ac unitate clauditur, perque genera & species distinctum.

§. 93.

Ut vero fundamenta assertionum suarum jaciat, secundum quatuor in rerum systemate gradus, quadruplicem illarum posuit formam. *(Tr. Formar. Ort. n. 66. p. 116.)* Unam quidem eorum, quæ vix ullam vitæ manifestationem promittunt, ut cœlum, saxum, metallum, marcasita, sal, sulphur, liquores terræ, item vegetabilia effœta, ossa arida &c. Quorum forma est lumen quoddam materiale, forma continens & tribuens rei esse, ideoque & merito

merito essentialis dicta est. Altera verò rerum series vigore alimenti & incrementi vitale initium & animæ characterem continere videtur: Ut sunt plantæ, quarum forma à præcedenti varians, titulo vitæ decora, ideo forma vitalis appellanda est. Non quidem, quod sit ejusdem forma anima vivens, sed vitalis duntaxat, quatenus sensitivæ & vitalis animæ prældia gestat. Tertia demum classis rerum formam viventem, non per similitudinem, sed per verè motivam atq; sensitivam obtinet. Ideoq; pariter dicitur forma substantialis, non quidem absoluto nomine substantia (cum inter formas sola mens sit substantia, alias autem formas omnes esse de classe vitæ extra accidens & substantiam (*Tr. Form. Ort. n.22.p.108.*) adeoque vita belluina sit ex lumine vitali vivente & creatura inter substantiam & accidens neutra (*Tr. de Anim. Nostr. Immortal. n.13.p.284.*) sed substantialis duntaxat, quasi per modum abstractæ cujusdam spiritalis substantiæ se gereret. Ac tandem est quarta, atque unica inter omnes vere substantia: ita sola vocari debet substantia formalis, nunquam interitura, durationis infinitudine. Reliquæ formæ non corrumpuntur unquam: Intereunt quidem. (*Tr. Magn. oportet. n.17.p.123.*)

§. 94.

Ex his formarum gradibus vitæ differentiæ profluunt, quas (*Tr. Vita, p. 585.*) his descripsit: Quædam muta est & vix apparet, qualis occurrit in mineralibus, quæ tamen vivere ac defungi se per suas declarant notas & virium vitalium insignia. Altera deinde paulo est explicatior, qualis in rerum seminibus, ad periodum suæ speciei tendentibus. Tertia demum visitur in plantis, se ipsas augentibus, & successiva multiplicatione prolificantibus. Quarta deniq; per motum, sensum, arbitralemq; electionem manifesta in brutis, cum aliquali imaginationis discursu. Postrema tandem in mente immortalique substantia nunc obscuratur, & per animam sensitivam sui vicariam quadantenus explicatur.

§. 95.

Sæpius vitæ mediæ *apud Pyrosophum nostrum* fit mentio, qui & *Paracelsum* subinde vitæ & materiæ mediæ (forsan quod ad vitam mediam *l. 1. Paramir. c. 6. p. 33.* quoad materiam mediam *Labyrinth. Med. c. 5. p. 271. & Tr. 3. d. mod. Pharmacand. p. 777.*) mentionem fecisse, sed non sibi appropriasse narrat. (*Tr. Magnum Oportet, n. 6. p. 122.*) Vitam primam rerum parum prodesse in medicina exemplo Rosæ demonstrare conatur *Paracelsus*, (*l. 1. Paramir. c. 6. p. 33.*) ubi & secundæ & ultimæ meminit. Quid ista voce designet *Helmontius*, sequentia (*c. l.*) illustrant: Cum vita media sit dicta respectu duarum extremarum

rum; prima erit recepti & operantis ſeminis, ſita in Archeo, rerum agendarum poteſtate donato. Quæ cum nacta eſt maturitatem aliquam, ut dum ſemen corpus eſt, habens carnem & oſſa tenella, juxta ſpeciei requiſitam: tum adeſt rei vita media. Ex Archeo namque, tanquam mediatore, vitæ organo, ipſam vitam metiri convenit. In ſeminibus ergo gliſcit vita prima; in Embryone vero vita media; Ultima vero cum totalis perfectio conſtituti adeſt. Quæ quidem etſi ſit vita ultima rei: eſt tamen Archei media, ſi vita prima rei inchoët cum ultimâ ſeminum. In herbis enim licet videantur ſemina vitam inchoare, dum turgent & hiſcunt; attamen tunc potius moriuntur in vitâ ultima ſui, ut germineſcant in vita prima rei conſtituendæ. Prima ergo vita fructus eſt ultima ſeminis. In media vita herbæ radices & caules accreſcunt. Flores verò & fructus vitæ ultimæ minantur periodum.

§. 96.

Hæc quidem Helmont, ſed more ſuo confuſe & imperfecte, adeoque obſcure. Cum igitur vitæ gradus quibus in primam, mediam & ultimam diſtinguitur, lucem inſtituto fœnerari ſperem, è *Martino Kergero (S. 1. de Fermentat. c. 6. p. 47.)* ſequentibus iſtos gradus illuſtro. Vita prima eſt ἐνέργεια animæ, qua actiones in ſuo genere exercet perfectiſſimas; mineralia creſcunt, vegetabilia attrahunt ſuccum & germinant, animal nutritur, ſentit & ſi quid præterea. Vita media ipſi eſt ἐνέργεια, animæ operationibus quidem ſuis, ſed non vitalibus inſtructa, ad quas tamen ei regreſſus dari poteſt. *(p. 48.)* Tales actiones recenſentur, certa magnitudo, figura, ſitus, ordo, numerus, ſapor, color, odor, cum aliis qualitatibus, viribus & operationibus. Diſtingvit vitam mediam in reſurgentem, decidentem & neutram. Reſurgens ad vitam primam aſpirat, decidens vitæ ſpem abjicit, & ad ultimam tendit, neutra inſtar puncti ſe habet, & verè media eſt. *(p. 49.)* Vita ultima eſt ἐνέργεια animæ, operationibus quidem ſuis, ſed non vitalibus inſtructa, ad quas etiam regreſſus ei non datur. Inter operationes recenſet magnitudinem & reliquas, quæ in vita media allegatæ qualitates, etiam communes & proprias. A formis ſpecificis & ſubjugatis, quo refert putrefactionem, deſtillationem, coctionem vel infuſionem parata olea, extracta, Spiritus, Eſſentias, partes animalium v. g. pingvedines, urſi tempore hyemali intumeſcentes &c. Hanc vitam vivunt etiam animalia perfecta omnia, quæ poſt vitæ primæ receſſum, nunquam vitam primam recepiſſe ſunt obſervata, *(p. 62. 63.)*

§. 97.

Quod ad unionem mentis cum corpore *apud Paracelsum* nihil invenies, quamvis mortale cum immortali unitum *(l. 1. de vit. long. c. 2. p. 839.)* non diffiteatur. *Helmont.* verò *(tr. Nexus sensitivæ & mentis, n. 7. p. 286. & Tr. Mort. introit. in nat. human. n. 11. p. 514.)* animam sensitivam ante lapsum non fuisse in nobis, ut neque necessariam. A transgressione vero mentem esse alligatam animæ sensitivæ, eo quod in corpore morti obnoxio nil esset menti propinqvius, magisque affine in quo sederet. Quodque ea propter in lucido illo vitalique initio ceu diversorio se demersisset Mens, divinitusque annexa fuisset usque in vitæ periodum. Cognovit tandem animam mortalem à lapsu deinceps, ita mentem suo obtenebrare hospitio, eamque cooperire desidem, atque velut soporantem detinere, ut nedum actiones regeret corporales: sed ita plerumque ipsam mentis præsentiam obfuscaret, ut nil prorsus expeditè hac vita, quasi non amplius sui juris esset, agere queat. Cum sensitiva & vita copulasse mentem conditorem *(Tr. formarum Ortus, n. 81. p. 118.)* astruit. Copulari autem non uniri menti eamque penetrare, sed attingere irregulariter atque ideò perituram sensitivam *(n. 81.)* conclusit. Substerniculum atque hospitium animæ immortalis atque immediatum syndesmon declarat *(tr. de lithias. c. 9. n. 32. p. 715.)* anima sensitiva jam deinceps â peccato proprietatem vitæ totam ad se traxit, & vitæ vinculum cum corpore evasit. *(tr. Mortis Occasiones, p. 591.)* Animam sensitivam in homine dum brutalem appellitat *Helmont*, *(tr. nex. sensit. & ment. n. 13. p. 281. tr. mort. introit. in nat. human. n. 13. p. 514.)* male id habet *Martin. Heer, egregium Helmontii interpretem: (introd. in archiv. archei vital. & fermental. tr. 2. §. 9. p. 104.* quia charactere humano insignita, aut *ut Helmont (c. l. n. 14.) loquitur:* Anima sensitiva in homine radio mentis illustrata, quod non usque adeò in brutis est obvium. Addidit insuper *Heer. (c. l. p. 7103.)* Nec abusus tollit usum, nec propter aberrationem animæ sensitivæ post lapsum ejus justa actio tollenda erat, & deneganda ante lapsum. Utraque anima gliscebat in aurâ Archei, qui animarum substerniculum erat, *Idem (c. l. p. 106.)* docuit.

§. 98.

Dum vitam balsamum dixit *Paracelsus*, idiotismo suo indulget. Balsamus veterum sophorum participat aliquid â vero ac purissimo illo vitali spiritu, qui ceu medium corpus atque spiritum mutuò sibi invicem unit, ut inter se cohæreant, inculcat *Joh. Ernest. Burgrav. (Biolychn. p. 82.)* Hic balsamus corporis vita & astrum est, quo corporis membra vitalibus radiis illuminan-

  minan-

minantur, perinde ac ſolis lumine tota magni machina mundi illuſtrari ſolet, ſuccinit *Joh. Bicker.* (*S.1. Hermet. rediviv. Schol. ad c. 2. & 3. p. 42.*) Adeò in ſano ſenſu accepta hæc theſis attendi meretur, utut hæc diſpliceat *Paracelſi diſcipulo Helmontio*, de quo idem poſſet dicere *Paracelſus* quod *de Ariſtotele Plato: Ariſtoteles* in nos recalcitravit non ſecus atque in matrem pulli geniti: Vid. *Ælian.* (*l. 4. hiſt. var. c. 9.*)

§. 99.

Par pari retulit *Helmontio Scotus ille Sylveſter Ratray* (*adit. ad occ. Sympath. & Antipath. Cauſ. p. 51.*) dum veritati magis conſentaneam Helmontianam quidem ebuccinat, tamen eandem multis haud levibus ſcatere erroribus adhuc non diſſimulat. Primo, *inquit*, hæc diſtinctio (omiſſa ſubſtantia formali) in formam eſſentialem, vitalem & ſubſtantialem inepta eſt, quia omnia formam habentia vivunt & ſentiunt, licet alia obſcurius, alia luculentius, gradus autem rei non infert differentiam ſpecificam, ideoque ſi unum habeat formam ſuſtantialem, alia habere neceſſe eſt. Nam inferendo animalia, quia vivunt & ſentiunt habere formam ſubſtantialem, tunc ſi omnia ſentiant, omnia habebunt formam ſubſtantialem. Secundo dicere formas omnes ſpecie diverſas de novo ſemper creari à DEO (Vid. *Tr. demonſtratur theſis, n. 12. p. 523. ignota actio regiminis n. 48. p. 272.*) & accendi (*tr. de Lithiaſ. c. 9. n. 35. p. 715.*) præter quod contradicit ſacræ Scripturæ, dicendi DEUM ſex dierum ſpatio totum opus creationis finiviſſe: vult DEUM immediatè præſentem eſſe in productione cujusvis muſcæ, apis, crabronis, ſine concurſu cauſæ ſecundæ, confundens modum productionis animæ humanæ, cum productione talium viliſſimorum ex ſterquiliniis productorum. Præterea dicit formam annihilari per ſe, aut per accidentia, cum tamen neget accidentia poſſe eas producere, & tamen requiritur eadem potentia pro annihilatione, quæ requiſita erat pro creatione. *Hæc Ratray.*

§. 100.

Diſtinctio vitæ in primam, mediam & ultimam, non omnibus ſalivam, quin potius bilem movet. Hanc diſtinctionem *cum Kergeriana* quidam confundunt, inter quos *Gothofr. Voigt* (*curioſ. Phyſ. c. 1. S. 2. p. 5.*) & *Joh. Reiskius* (*Exerc. Hiſtor. Phyſ. de cornu Hammonis, c. 6. §. 5. M. C. D. 2. A. 7. Append. p. 210.*) cum multum inter ſe diſtent, & comprimis quod *Kergeriana* formarum materialium à ſuo corpore inſeparabilitati ſuperſtruatur (Vid. *Kerger. de Ferment. S. 1. c. 4. p. 18.*) *Helmont.* contra (*tr. Magnum oportet, n. 17. p. 125.*) eas quidem non corrumpi, interire tamen profiteatur. Cum vita

media

media atque ultima verè non sit vita, *judicat Voigt (c. l.)* & falsò supponat animam inanimatorum, meritò eam tanquam merum cerebelli *Kergeriani* figmentum, rejicio, statuens corpora illa, quæ mediam atque ultimam vitam vivere dicuntur, aut nunquam vixisse, aut vivere desiisse, adeoque mortua esse. Et paulò post: *(S. 4. p. 27.)* vita illa media est non-vita. Hinc nullæ ejus affectiones nullæ effectiones. *Reiskius (c. l. p. 111.)* hæc opponit: Quantis contradictionibus vita, quam appellabant, media & ultima implicatur? vitam enim operatione omnem definiunt, sed mediam ultimamque operationibus non vitalibus instructam volunt. Siccine vita non vitalis erit, aut operationes non vitales exseret? Siccine à privatione vitalium operationum ad eas per naturam dabitur regressus? Quippe ubi operationes non vitales adsunt, ibi vitalium erit privatio & defectus: ut vel ideo nova hæc sententia domesticis Auctorum contradictionibus evertatur. *Hæc Reiskius.*

§. 101.

Interim non inanis est illa Helmontii de vita media Philosophia. Scilicet hic vitæ mediæ qualitates remanere in transmutatis (*Tr. Magn. Oportet, n. 10. p. 122.*) edixit. Tametsi namque cibus omnimoda transmutatione formam sanguinis acquirat, hic tamen conservat non obscura accidentia cibi prioris, quæ ideò ambulant de una materia in aliam (*c. l. n. 4. p. 121.*) ambulatoriæ idcirco illi vocatæ (*n. 43. p. 127.*) Quæ pertinacius vitam sui mediam conservant, non facile ab Archeo superantur (*Tr. potest. medicam. n. 55. p. 385.*) licet Archeus noster victor ciborum Archeos sibi subigat: Peregrinorum tamen proprietatatum reliquiæ superstites manent. Ultima nempè ciborum vita quidem abit: Superstite media. (*Tr. Magn. Oportet, n. 42. p. 127.*) Manet vita media in Archeo transmutato, non secus atque forma ossis in defuncto homine. (*c. l. n. 8. p. 122.*) Ita transeunt in sanguinem sapores & odores rerum infracti Propè montes ad Zonam porcus recedente marisquillis, conchilibus &c. vescitur, caro ejus sapit axungiam piscis (*n. 4. p. 121.*) Suilla est suilla, licet horridus axungiæ piscium gustus remanserit in vita sui media. (*n. 10. p. 122.*) Oves Johtyophagæ in India, inde pisces redolent. In Galliæ parte la Provence Rosmarinum; in nostris serpillum in tractu Sueviæ Albecensi allium & alliariam. *Joh. Dan. Horst, Phys. Hippocr. Disc. 7. th. 8. p. 49.*) Herbarum odor & sapor quibus vescuntur vaccæ in lac & butyrum transmigrat. Ita & vis elastica & purgatrix in lac, quod de muliere & capra elaterio pasta noster *Hippocrates (6. Epid. s. 5. n. 31. p. 279.) Fr. Valles. (in h. l. col. 664.)* cui adde *Joh. Nic. Pechlin. (Exerc. de Purgant. c. 4. p. 54.)* Ita sæpè videmus in urina lactantis pueri subsistere odores rerum quas nutrix assum-

ſit, puta oleum aniſi, macis &c. ad illum finem nutrici propinantur. (*Helmont. c. l. n. 48. p. 128.*) Plura *infra* (*l. 2. Tit. 2. §. 65. & Tit. 8. §. 43. ſq.*)

§. 102.

Ex iſta vita media earumque proprietatibus in corpore remanentibus profluxit Magnum illud *Helmontianum oportet.* Oportet, (*ait Tr. Magn. oport. n. 10. p. 121.*) prorſus eſt neceſſarium, quo vitæ mediæ qualitates remanent in hanc mutato. Eo namque niſi conceſſo nulla erit medicaminum poteſtas, ut neq; morborum occaſio. Nil enim felicius operatur ad ſanandum, quam quod per ſui transmutationem penitisſime intravit, & proximè unitum eſt illi, quod ſanari debet. Vocat ergo magnum oportet neceſſariam remanentiam proprietatum vitæ mediæ in alito & conſtituto. (*c. l. n. 22. p. 124.*) Unde ad mortis inteſtinam calamitatem ſe deveniſſe gloriatur *Idem* (*c. l. n. 1. p. 121.*) Conſequens ideò proclamat eſſe eandem vitæ mediæ reſiduitatem de cibis & potibus judicari tributos & ſpinas, quæ terra à prævaricatione erat proferendo. (*Geneſ. 3. v. 18.*) Alioqui tribuli & ſpinæ, *commentatur*, quatenus plantæ, ſunt creaturæ ad uſum & ornatum mundi, ante lapſum factæ. An boni & accurati commentatoris titulum hic ſibi vindicet *Pyroſophus* Theologis judicandum offero. De tribulis autem & ſpinis Helmontianis *alibi* (*Exerc. de Dolore* §. 74.) ago. Si igitur Archeus & anima ſenſitiva, ut in ſtatu integritatis, ſub animæ immortalis regimine, quod eleganter iterum (*c. l. §. 10. p. 106.*) expreſſit *laudatus Mart. Heer*, aſſumta conficere & absq; remanentia qualitatum ambulatoriarum (*vitæ mediæ vid. §. præc.*) ulla transmutare poſſet, nec aura ejus per Idearum impreſſionem deturpatio aut abalienatio invidiſſet. His vero dotibus deperditis occaſiones morborum in naturam humanam introierunt, ſed non impune, cum Archei debilitas etiam ut non venenorum, ita & medicaminum vitæ mediæ proprietates frangere & ſubire valeat, ut hæ tribulos & ſpinas corporis humani eradicent penitus, aut ſaltem eorum proterviam ſubjugent, & temperent. Addo & hoc ſi vita media mixtorum ab Archeo ſuperari poſſent & ſubigi ingeſta omnia eſſent alimenta, nullaq; darentur medicamenta. Et ſi contingat medicamenta nutrire in tantum non medicamenta, ſed alimenta dicenda ſunt. *Vid. Arnold. Senguerd.* (*l. 6. introd. ad Phyſ. c. 2. p. 475.*)

§. 103.

Partem unam ſenſu vita deſtitui poſſe, reliquo corpore ſalvo & incolumi, & è contra ſuperſtite vita unius membri corpus reliquum mori. *Joh. Marc. Marci* (*p. 4. Philoſ. vet. reſtitut. ſubſect. 3. p. 404.*) dictitat. Hic vero quoad prius partes in principales & minus principales ſummo neceſſitatis jure diſtinguendæ,

de

de posterioribus verum erit effatum, neutiquam de prioribus. Opponis *ex Helmont.* (*Tr. Sedes animæ, n. 2.p.229.*) Sæpe aliquis conciso vultu, & capite velut imminuto mortem adesse sibi testatur, cujus tamen cor tepore & pulsu suo animam adhuc præsentem promittit. Idque dudum in agonizantibus est quotidianum. Desponsa retulit *Idem (c.l.n.3.p.230.)* cujus tempora sphærula plumbea penetrarat, caputque cadaver tenue concisum ac plane frigidum. Juxta cor tamen tepor & pulsus notati. Item statua quædam cecidit è sublimi, in verticem mulieris, sic ut ferè binis digitis totus cranei vertex, cerebrum depresserat obiisse censa est: Sex tamen horis, pulsus in utroque brachio exilis erat, fuitque à pluribus notatus. Sed ex una eaque fatiscente & debili perfectæ vitæ præsentia incongrue concluditur. Anima in exilium proscribenda non amplius ad clavum vitæ sedebat. Umbra vitæ, non vita, erat. Et forsan motus cordis & pulsus non amplius motus naturalis, sed convulsivus reputandus, à debili cordis & fibrarum tensione. Illustriora exempla in brutis & hominibus vide sis *infra.* (*l. 2. Tit. 5. per totum*) De minus principalibus partibus *Marci* dictatura facilè admittitur, sed iterum cum discrimine, si sint externæ, quod in Gangræna & Sphacelo toto die deprehendere licet. Quod si internæ, in confiniis mortis versari quis dubitabit?

§. 104.

Contra superstite uno membro, totum corpus fato devoveri posse, quis inter sanos *Marco* assurget; Id verò ut probet, manifestum est in utero, qui exsectus vitæ motusque indicia non semel exhibuit: *Vid. infra* (*l. 2. Tit. 5. §. 30.*) quin etiam longe post mortem partu fuit solutus. Ostendit *Helmont.* (*Tr. vita multiplex in homine, p. 579.*) qui istum uteri monarchatum astruxit (*Tr. ignota actio regim. n. 43. p. 270. Tr. Deliram. Catharri, n. 63. p. 361. Tr. de Concept. n. 12. p. 454.*) quia scil. post mulieris mortem prolem adhuc enititur (*Tr. ignot. actio regim. n. 46. p. 271. Tr. de Flatib. n. 16. p. 337. Tr. de Concept. n. 16. p. 454.*) Ostendi quoque, *pergit Helmont.* (*p. 579*) vivere quidem lieniformem quandam carnem inter secundinas & acetabula uteri obnatam: ejusque vitam sibi propriam, sic, ut non vivat vita matris aut fœtus: Sed quadam promiscua, non quidem vita sensitiva, quanquam vegetetur vi quadam vitali: non autem animæ cujusdam herbaceæ aut vegetantis favore. Carnis lieniformis quidem meminit (*Tr. Fluxus ad generat. p. 581.*) dum scribit: Culina Embryonis præparatoria, in carne lieniformi, qua utero adhæret secundina, exercetur. Vitæ propriæ autem mentionem in isto recensu subticuit. Tandem quoque venis suam à morte hominis adhuc permanere vitam, qua multos dies ab obitu

personæ, cruorem in se detentum à coagulatione præservat, & hactenus vita quadam illustrat. Quapropter venarum esse aliam vitam, qua nedum vivant: Sed & in vita ipsum cruorem conservent. Loca quæ sanguinea mortuo corpore non coagulari prodidit *infra (l. 2. Tit. 7. §. 17.)* cito. Postremo & demonstravi vitam quandam peculiarem musculis inesse cum facultatibus sensitiva & motiva, per quam se tendunt pavido spasmo omnes adsensationem mortis. Ut patet in Tetano, rigoribus & convulsionibus in quibus tàm in vivis, quam à morte musculi moventur invita voluntate etiam post vitæ extinctionem.

§. 105.

Sed hæc ipsa *Marci* & *Helmontii* opinio vix verisimilitudine illustrabitur, Si in genere reputemus, vitam corporis esse partium, & quæ his sit anima, etiam illi assistat. Peculiaris namque vita, animam peculiarem signat. Multiplex vita, multiplicem animam præsupponit, & requirit. Et si ex motu post mortem vita singularis concludenda, Capiti, Cordi, Ventriculo, Intestinis, Sanguini (*Vid. l. 2. Tit. 5. §. 7. 16. 22. 30. 55. &c.*) talis assignanda, atque ita privatarum vitarum phalanx, & consequenter animarum corpori dabitur. Etsi partes illæ peculiari vita instructæ, cur non perennat illa, sed aliquando paucis â morte momentis, aliquando aliquot horis, rarissime diebus aliquot exspirat? Si vivunt, ubi reliqua præter tantillum motus umbram vitæ operationes conspicuæ, quale & unde his alimentum in corpore jam putrere incipienti, aut mox putredini subjiciendo. Longe aliter se res habet in pilis & unguibus, quorum unicuique sua est anima, (*Conf. l. 1. Tit. 1. §. 30. & Tit. 20. §. 3. & 10.*) idcirco vitam corpore vita functo servant, & quamdiu justum alimentum his suppetit, augentur & crescunt.

§. 106.

Quod in specie ad uterum in vivente *ipse Plato* (*in Tim. f. m. 301. B.*) vulvam matricemque in fœminis animal avidum generandi definivit, quando procul à fœtu per ætatis florem, aut ultra diutius detinetur, ægre fert moram ac plurimum indignatur, passimq; per corpus oberrans (vid. amicularum nostrarum de uteri excursu fabulam in ipso fundari *Platone*) meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbis denique omnibus premit. Hanc de motu animali figmentum vocabat *Ludov. Mercat. (l. 2. de Morb. Uter. c. 11. p. 586.)* Sed & aperto statim post internecionem uteri sinu, undosum ac testudineum motum sæpe vidit *Guilh. Harveus*, (*Exerc. de Gen. Animal. 68. p. 292.*) qualis in ima parte cochleæ aut limacis dum repit, conspicitur, quasi uterus esset animal in animali, motumque proprium exerceret. Præterea non infi-

cier

cior historias à Medicis relatas partus post mortem matris exclusos (*Evolv. l. 1. Tit. 9. §. 6.*) declarantes. Sed dubitatum *infra* (*c. l. §. 18.*) ac disceptatum gravidas tales revera mortuas, sed intra orcinos cancros, ut illa *Apulejo* adoptem positæ, ultimo naturæ conatu fœtum exturbarunt. Quod si revera mortua humorum in utero conflictus & fermentatio fœtum ad egressum ritè positum, quod maximè necessarium, excusserunt. (*vid. ibid. §. 19.*) Caro lieniformis inter secundinas & acetabula uteri obnata *Helmontio* absque dubio uteri placentam signat. Obtinuit autem in homine id nomen propter similitudinem, quam refert cum arte facto libo, aut pane rimas ducente. (*Nicol. Hobboken Anat. Secundin. human. artic. 2. §. 4. p. 14.*) Circularem, sed inæquali circumferentia descripsit *Th. Barthol.* (*Cent. 1. Hist. 61. p. 104.*) quocirca & Epatis uterini nomen obtinuit, (*Jac. Back. Diss. de Cord. Alloqu. ad Lect. p. 46.*) quamvis & inde etiam dictum aliis videatur, quod placentæ & caruncularum tale munus existimarit, quale Epati atque mammis vulgo tribuitur *juxta Guilh. Harv.* (*Exerc. de Gener. Animal. de Placent. p. 369.*) Jecur, *inquit*, est organum nutritivum corporis, mamma infantis, placenta Embryonis. Videtur igitur *Helmont.* placentam humanam nunquam spectasse aut saltem insubide. In reliquis animalibus vero quamvis caro illa colore, mollitie, laxitate, raritate, crassitie sit humanæ similis, at magnitudine, positione, figura, numero admodum dissimilis (*Hieron. Fabric. ab Aquapendente p. 1. de Fœt. Format. c. 3. p. 4. Harv. c. l. 370.*) Carnis verò non figuræ similitudo *Helmontio* patrocinium suggerere poterit. Est enim caro hujus placentæ, *astruente Adriano Spigelio*, (*p. 1. de Fœt. Format. c. 3. p. 5.*) lienis parenchymati prorsus simile, cui pollicem premit *Jac. Back.* (*c. l.*) apud quem & ob similitudinem Chorii pancreas audit. Quod vero carnem inter secundinas & acetabula obnatam appellat, non accuratè ad Anatomicorum fidem loquitur, cum secundinam maximam partem constituat placenta & acetabulorum nomen æquivocatione apud Prosectores laboret. Acetabula in omnibus animalibus non inesse *Harveus*, (*c. l. p. 373.*) advertit; in muliere non invenias: neque in aliis ullis (quod sciam, addit) quibus una duntaxat carnea moles sive placenta obtigit. Rationem aut αὐτοψίαν qua vitam istam probaret aut demonstraret reticuit *Helmont*, forsan quia pransam paratamque non habuit. Id certum est secundinam non esse matris, sed fœtus partem, ut *Jac. Back.* (*c. l. p. 47.*) à quo & cum quo vitæ possessionem illam consequi, extra omnem dubitationis aleam positum.

§. 107.

Quod sanguis in venis post mortem non coaguletur, sed fluiditatem ser-

vet suam, id peculiari vitæ venarum neutiquam ascribendum. Dixi de hac venarum facultate *infra (l. 2. Tit. 7. §. 15. 16.)* hujusque phænomeni causa est, quod sit in loco naturali & proprio, quodque aëri ad eundem accessus non detur. Nec musculorum vita rationibus *Helmontianis* stabilietur, quod homo cum totali virium extinctione moriens relinquit suum cadaver generali Tetano. Ast ubi violenta abripitur morte est ejus cadaver flaccidum. Unde dicit *Helmont. (Tr. de Flatib. n. 14. p. 337.)* vitam quandam sensationem & motum s. Blas esse in carne præter voluntarium. Vita illa nimirum venena & mortem cum extinctione apprehendens utrinque tendit tendines. Absente sc. in animali sensu, motus nunquam in actum deducetur. Et cum musculus solus sit membrum exsecutivum motus voluntarii & nervus delativum imperii voluntatis (*Helmont. Tr. de Lithias. c. 9. n. 119. p. 732.*) non tamen facile probabit præter hunc alterum motum inesse sibi proprium, ut distinguit (*c. l. n. 129. p. 733.*) absente anima iste nisus esset evanidus, ut id inficietur *Helmont. (Tr. de Flatib. n. 16. p. 337.)* si vivunt à morte musculi adhuc, cur non calent, cur non nutriuntur, cur demum maculis? cur maculis vibicibus devenustati fœtent & putrescunt? Quæ desunt supplet (*l. 2. Tit. 5.*)

§. 108.

Inquisivi in vitam, mortis consideratio restat. Hujus contemplationem inculcare posset illa philosophiæ *à Pythagora, secundum Hieronymum (ad Ruffin.)* prolata definitio, dum scripsit. Primus *Pythagoras* dixit, Philosophiam meditationem esse mortis, & quotidie de carne corporis nitentem educere animæ libertatem. Inculcat eandem Philosophiæ descriptionem *apud Platonem (in Phædone f. m. 204. â) Socrates*, quare ab omnibus ferè illa *Platoni* ascribitur. Factum id *à Macrobio (l. 1. in Somn. Scipion. c. 13. p. m. 52.)* dum scribit: *Plato (in Phædone)* dicit mortem Philosophantibus appetendam, & ipsam Philosophiam meditationem esse moriendi. Non ita scite mihi in latium traducta videatur, cum *ap. Platon.* lego μελέτην τȣ̃ θανάτȣ meditationem mortis, quod omnes interpretes, commentatores & Platonici approbant. *Plato* duas hominis mortes novit, *pergit Macrobius*, unam animæ, animalis alteram: Sed ipsius quoque animalis, hoc est, hominis duas asserit mortes, quarum unam natum virtutes alteram præstent. Homo enim moritur, cum anima corpus relinquit solutum lege naturæ: mori etiam dicitur cum anima adhuc in corpore constituta corporeas illecebras, philosophia docente, contemnit & cupiditatum dulces insidias reliquasque omnes exuitur passiones. Et paulo post: Hanc mortem dicit *Plato* sapientibus

appe-

appetendam: illam vero, quam omnibus natura constituit, cogi, vel inferri vel accersiri vetat. *Platoni* Philosophia est mortis meditatio, exponit *Marcus Marci*, (*Philos. restitut. p.3. subs. 5. p. 267.*) non, quæ corpus anima privat; sed quæ animam â vita sensitiva & passionibus abducit, & ad vitam pure intellectualem disponit. *Add. Anton. Santorell.* (*Post Prax. c. 17. p. 50.*)

§. 109.

Duplex est vita, accedit *Damascen.* (*Dialect. c. 3.*) Naturalis, secundum quam vivimus, & electiva, qua præsentem vitam impensius affectamus & retinere studemus. Duplex item mors: Naturalis (θάνατος φυσικὸς), qua est animæ & corporis separatio; & Electiva (προαιρετικὸς), qua præsentem vitam præ futura, ad quam tendimus, spernimus. *Add. Cæl. Ludov. Rhodigin.* (*l. 16. lect. antiqu. c. 26. col. 872. & l. 29. c. 8. col. 1622.*)

§. 110.

Meditationem mortis naturalis etiam philosophiam dicendam non unus è Philosophis asseruit. *Flumen illud eloquentiæ Cicero* (*l. 1. Tuscul. quæst.*) sequentia suggerit. Tota Philosophorum vita commentatio mortis est. Nam quid aliud agimus cum â voluptate, id est, â corpore, cum â re familiari, quæ est ministra & famula corporis, cum à Republica, cum à negotio omni sevocamus animum? Quid, *inquam*, tum agimus, nisi animum ad seipsum advocamus, secum esse cogimus, maximeque à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum ne quidquam aliud est, quam emori discere. Quare hoc commentemur, disjungamusque nos à corporibus, id est, consvescamus mori. Omnium clarissime Damascen. (*c. l.*) Philosophia est meditatio mortis Electivæ & naturalis. O salutaris hæc definitio & monitio, etiam illo sensu, ut ultima & posthuma meditemur, & vivamus morituri, iterumque victuri.

§. 111.

Quicquid sit, quamvis hos sapientes mortis Physicæ meditatione occupatos deprehendas, Physicam tamen ἀκρίβειαν circa mortis scrutinium exhibere nemo profitebitur, omninò verò moralem. Nec placet illa mortis distinctio *Magno J. C. Scaligero*, (*l. 3. Poëtic. c. 10. p. 226.*) Qvum mors sit vitæ privatio, ea fit per separationem animæ à corpore, neque enim verum est, quod ajunt *Platonici*; separationem esse duplicem, unam quam dicunt esse animæ à corpore, aliam quæ sit corporis ab anima per mortem. Verum hæ meræ picturæ sunt garrientium, æque enim alterum ab altero separari dicitur, non

enim

enim fit quemadmodum, qvum abstrahimus intellectu accidentia à substantia, aut substantias ab eo quod appellant Philosophi, Hic & Nunc. Sed corpus ubi semel sine anima est, fit cadaver. Ecstasis autem sit potestatis tantum, non autem essentiæ. *Hæc Scaliger.*

§. 112.

Dum *Senecam* forte evolvo in (*Epistolas*) summo acumine & rara eloquentia scriptas incido, & imprimis (*in 55.*) ubi ista ad *Lucilium suum*: uni morbo, quasi assignatus sum, quem quare Græco nomine appellant nescio. Satis enim apte dici suspirium potest. Brevis autem valde & procellæ similis impetus est, intra horam ferè desinit. Quis enim diu exquirat? omnia corporis incommoda aut pericula per me transierunt. Nullum mihi videtur molestius. Quidni? Aliud enim quicquid est ægrotare est: hoc est animam agere. Itaque Medici hanc meditationem mortis vocant. Qualis fuerit iste suspirii morbus *Hieron. Mercur.* (*l. 6. Var. lect. c. 26.*) sollicitum habuit, ὀρθόπνοιαν vix dicendam cernet, cum ajat *Seneca* intra horam desinere consvevisse, illa vero diutius protrahebatur. Ipsam itaque δύσπνοιαν vel cordis palpitationem statuendam restat, cum in ea non modo gravissima anhelandi difficultas, quasique suspiratio, verum etiam præsentaneum mortis periculum sit. Adeoque elegantiores quosdam latinos dispœnam suspirium dixisse asseruit *Hieron. Mercurial.* (*l. 2. Lect. Patavin. c. 5. p. 200.*) Nam, *inquit iterum*, Philosophus: Quis enim diu exspirat? itaque miratur hoc loco *Mercurialis*, cur ajat *Seneca*, medicos malum hoc mortis dixisse meditationem. Maluisset ille exercitationem, cum profiteatur *ipse Seneca*, nihil aliud esse ejusmodi ægritudinem, quam animam agere. Hæc, cum non sine *Mercurialis* encomio recensuisset, Asthma fuisse recensuit *Isaac Pontan.* (*Collect. ad Macrob. l. 1. de Somn. Scip. c. 13. p. 625.*) ἆσθμα fuisse censuit, nam ut *Celsus* (*l. 4. de Remed. c. 4. p. m. 194.*) diserte, ἆσθμα est cum vehementior est spirandi difficultas & spirare æger sine sano & anhelitu non possit. Hinc sibi suam vocem & mentem eruisse sibi videtur tali emendatione: Modulationem mortis vocant. Modulationem mortis quam signate dixerit funestum illum reciprocumque Spiritum velut κύκνειον ἆσμα à Martiali celebratum comprobatum comprobaverit:

Dulcia defecta modulatur carmina lingva
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

§. 113.

Ab Asthmatis nomine abstinuit *Seneca*, ne barbara voce fœdaret patrii sermonis nitorem. Interim asthma latinum nomen non habet, *testatur Casp. Hoffmann.* (*l. 3.*

(*l.3. instit. Med. c.79. §.3.p.413.*) Bene mihi vertisse videtur suspirium *Senecæ*, & elegantius forte quam Anhelationem Alii, *ut Cœl. Aurelian.* (*l.3. tardar.c.1.p.m.71.*) Ex Sus namque & Spiro compingitur, & sus, vetus vox, motum cœlum versus significat, ut & *ap. J. C. Scalig.* (*l.1. de caus. L. L. c.34. p.75.*) à quo susum, quod sursum modo dicimus. Inde *ap. Plautum* (*Cistellar. a.2.s.3. v.78.*)

Quid nunc supina susum in cœlum conspicis?

Ubi vide *Fried. Taubmann.* (*p.456.*) & *Gerh. Joh. Voss.* (*Etymol. L. L. p. 150.*) suspirium igitur est, juxta *Gabriel. Humelberg.* (*comment. in Apul. de Herb. c. 41. p. 149.*) spiritus & anhelitus difficultas, & suspiratio angusta, difficilisque. Suspirare autem, *secundum Franc. Valles.* (*in l.7. Epid. Hipp. hist.6. col.739.*) Spiritu magno & raro uti. Ad suspirium medicamenta exhibet *Plin. secund.* (*l.2. de R. M. c. 2. f. 35. a.*) morbum non exprimens, & σύνοι Græcis dici, Trochiscosque πρὸς τὸν σύνον describit, ad pectoris augustias facientes. Refert huc Herbæ Buglossæ succum cum melle datum *Apuleji* (*de Herb. c. 41. p. 147.*) & Herbam Basilicam. (*c.228. p.302.*) Non mirum autem meditationem mortis hunc morbum Medicos vocasse, cum alia nomina & circumscriptiones morborum mirabiliores excogitarint; *E Plinio* saltem (*l. 7. c.50.*) applico huc illud: est etiam aliquis morbus per sapientiam mori. De quo quædam *Casp. Calder. de Hæredia* (*Ferat. ad tun. Anti-Thes. stat. 5. p. 388.*) multa vero *Casp. à Rejes,* (*camp. jucund. quæst. Elys. qu.100. p. 1243. sq.*) ut neque *Senecæ,* (meditationem mortis) ita neque *Plinii* morbum apud alios ex Antiquis, Autores, quales tandem fuerint, facile leges. Nil vero vesani accidit *Senec. Sapientissimi* Medicis dum Asthma meditationem mortis appellarunt, siquidem asthmate corripi sit animam agere. Et cui non mortis meditatio in mentem veniret, quando asthma statim velut injecto laqueo minatur præfocationem toto accessu & quidam aliquando toto triduo suffocationis metu laboribus & sudoribus inter mortem agonizent, quale exemplum tradidit (*tr. Asthma & Tussis n. 22. p. 290.*) *J. B. Helmont.* semper equidem tales inter agonizantes reputatos ab Astantibus, audivi, nec unus eo animo, quo *Seneca* fuit, qui ut (*l. c.*) de se scripsit: Ego in ipsa suffocatione non desii cogitationibus lætis ac fortibus acquiescere. De hac *Senecæ* invaletudine *Just. Lips.* (*in not. ad hanc Senec. Epist. p. 474.*) quæsivit, utrum Asthma s. spirandi difficultas in hoc impetu est: Et minus quam orthopnœa in brevitate. Id vero ipsi utpote extra Medicinæ lineas constituto condonandum. Ignoravit Asthmatis convulsivi historiam, forsan etiam nomen, quod

suis coloribus egregio penicillo delineavit *Th. Willis* (*de Morb. Cereb. c. 12. p.m. 218.*) Fruatur interim *Helena* sua *Mercurilis*, debasiet etiam *Lesbiam* suam *Pontanus*, per me licet. *Pontano* equidem suppetias fert (*c.l.*) *Cels.* dum propter angustias pulmonum, per quas Spiritus evadit sibilis elidit, & imprimis *Casp. Hoff.* (*c.l.* §.4.) sibilum adeo necessarium reputat, siquidem asthma esse debet. Ante enim quam fiat asthma non est, sed dispnœa. Quocirca ἆσθμα quasi ᾆσμα cantus ipsi dici videtur. *Hesychius* exponit per σύρισμα fistulationem fortassis (*ex Hipp. 7. Epid. hist. 28. p. m. 314.*) *cui* συριγμὸς ἐν φάρυγγι. *Add. Anut. Fœs.* (*in not. ad h. l. p. 316. & in œconom. Hipp. p. 601. & p. 642.*) Quid Asthma aliud, quam respiratio anhelosa & rara, iterum *Fr. Vales.* (*in l. 6. Epid. Hipp. s. 4. h. 4. col. 624.*) & Asthmaticos suspiriosos & anhelatores, promulgavit (*l. 23. c. 7.*) *Plin.*

§. 114.

Sed ad pensum redeo. Quid mors sit, non ita unanimes deprehendes Physicos & medicos. Quid ergo? Mors nulla? Rei nullius? infit *Martin. Kerger.* (*s. 1. de Ferment. c. 6. p. 46.*) Annon quotidie moriuntur plantæ, arbores, insecta, pisces, aves, quadrupedes, & eheu, ipsi homines? Sic est, & quod mireris, ita moriuntur, ut tamen vivant. Etenim, (*pergit, p. 47.*) quoniam animæ sive formæ à suis corporibus separari nequeunt, nec operari omnino desinunt, etiamsi mortua videantur, manifestum est, vitam adhuc esse præsentem. Gratulatur sibi mirè de hac hypothesi novo lumine Physicam & Medicinam illustraturus Autor. Interim non advertit vitæ gradus ab ipso confictos ad mortem tendere. Si namque ultimæ vitæ descriptio *supra* (§. 95.) data evolvatur, & ad eandem spectare certam magnitudinem, figuram, situm, ordinem, numerum, saporem, odorem aliasque qualitates communes, & proprias operationes v. g. vim purgandi, calefaciendi &c. confitetur, quis non videt has omnes tandem perire & annihilari, & si quis hos vitæ gradus admittat, eosdem viam ad mortem esse fateri cogetur. Resuscitationes, quibus hanc suam opinionem statuminare annititur, aut è trivio petitæ & proletariæ, adeoque fabulosæ, aut chymicæ, experientiæ rarò aut nunquam respondentes, imaginariæ & phantasticæ, nec ad scopum collimantes. Mentio quarundam *infra* (*l. 2. Tit. 10.* §. *114. sq. & l. 3. Tit. 4.* §. *11. sq.*) instituta & explorata.

§. 115.

Aristoteles raro mortis mentionem Philosophiæ suæ inseruit, ut id non immerito miretur *Nobiliss. Dn. D. Ernest. Gotth. Struve*, (*Dissert. Inaug. de Mort. Theor. Med. Th. 1. p. 6.*) his verbis: Sunt, qui Philosophiam appellant meditationem

nem mortis. Ita ſanè *Stagyrita*, de reliquo abſolute Philoſophus appellatus, non eſſet tam inſigniter Philoſophus: Quia mortis planè oblitus videtur, uno ſolo loco vix obiter mentionem faciens. Niſi potius temporis rerum edacis vitio hoc eſſe factum interpretemur, ut *de libro*, quem inſcribit *de Adoleſc. & Senect. vita atque morte*, illud interierit, quod hoc membrum poſterius tractat. Neque enim facile crediderim, quod illis, quæ de duplici interitu ignis ibidem diſſerit, arduum hoc negotium condignè abſolvere ſperaverit. Cæterum vita *Ariſtoteli (l. de Reſpir. c. 18.)* eſt manſio nutritivæ animæ: Mors verò & corruptio, eſt hujus caloris extinctio, ſed potius ejusdem negatio. Quod & expresſis indicat *(l. de Juventute & Senectute, c. 4.) Philoſophus*. Mortem etiam putredinem dixit quandam & caloris interioris refrigerationem *(ſ. 4. probl. 9.)*. Quæ verò de duplici ignis corruptione habet Philoſophus (*l. de Juvent. & Senect. c. 5.*) mortem concernere, easque cauſas *μάραναιν* & *σβέσιν* omnes fere Philoſophi mecum interpretantur.

§. 116.

Si Peripateticos excutias, mors his privatio, aut privativum quid eſt. Vita habitus; mors privatio. Vita eſt actus corporis; mors illius in corpore privatio. Vita eſt, eſſentialiter eſſe viventis; mors, non eſſe viventis. Placet nequaquam *Martin. Schoock, (Tr. de Nihilo, c. 28. p. 115.)* Si voluerimus accuratè loſophari, mors in communi conſiderata, privatio vocari non poterit. Nam ut omnis privatio ſupponit potentiam in ſubjecto, habetq; reſpectum ad habitum; Conſtet autem, qua vegetabilia, qua animalia, excepto ſolo homine per mortem ſic deſtrui, ut nullam potentiam ad vitam retineant, deſtructo totaliter vitæ ſubjecto: certe non poteſt (licet Philoſophi vulgo ſic loquantur) mors cenſeri vitæ privatio, ſed potius ejusdem negatio, morte vitam annihilante, & ad ſtatum nihili redigente. At ratione hominis habita, cui accidentalem vitam ultimo judicii die, per reunitionem animæ rationalis cum corpore reſtituendam eſſe certum eſt: aliqualis privatio hic attendi poteſt, non ea quidem, quæ includat potentiam naturalem (ſic enim per naturæ vires reſurrectio mortuorum posſibilis foret) ſed ſolummodo potentiam obedientialem in ordine ad abſolutam DEI potentiam: Cujus habita ratione, ut occurrit in homine mortuo non contradictio ad reſurrectionem, notari quoque poteſt privatio aliqua, quod posſibile ſit per abſolutam DEI potentiam homini mortuo vitam reſtitui. Sive quod DEUS homini mortuo hanc accidentariam vitam reſtituere queat: æque facile atque ei è nihilo contulit ſuum eſſe, vivere & intelligere. Quoniam vero ad accidentariam hanc vitam *(vid. ſupra §. 79.)* pertinet,

ipſum corpus, ex cujus unione cum anima rationali eadem reſultat, non poteſt non quoque in reſurrectione mortuorum homini tale corpus reſtitui, quale dum viveret vitam hanc accidentatiam, in hoc mundo circumgeſtabat. *Hæc ille.*

§. 117.

Epicurus *ςέρησιν αἰσθήσεως, ἀναισθητάν* mortem definivit. Bonum omne ac malum in ſenſu eſt, ſenſus igitur privatio mors eſt, profitetur (*Epiſt. ad Menoc. ap. Diog. Laërt. l. 10. p. m. 786.*) & hanc illi, qua mortem generaliter privationem vitæ dici valeamus, prætulit *Gaſſend.* (*c. l. p. 524.*) Sanè cum vita nihil aliud eſſe videatur, quam aliquis motus; neque mors aliud, quam aliqua quies, ejusve motus privatio, unde & flammam vivam & aquam vivam donec moventur dicimus & utramque mortuam, dum is ceſſat abeſtque motus, idcirco donec facultas ſentiens motus ſuos obit in corpore vivere animal dicimus; dum non obit, mori ſive mortuum eſſe. Argumentum petit porro hujus definitionis ex ſomno, qui, ut dici ſolet germanus, eſt imago mortis, qui hujusmodi dicitur non à privatione cæterarum vitæ functionum ſed ab illa ſolum, quæ ſentiendi eſt. Non nequicquam autem ſomni memini, *philoſophari pergit Gaſſend.* (*c. l.*) quatenus non modo *Epicurus*, ſed pene etiam cæteri Philoſophi omnes utcunque varia de natura colligationeque animæ cum corpore ſenſerint, pro ſuis tamen principiis, eandem eſſe cauſam tam ſomni, quam mortis, ſecundum magis & minus ſolum differre exiſtimarunt. Opium forſan ſumſerat, cum hæc diſſereret *nobilis ille Philoſophus*, mentisque ſtupore occupabatur.

§. 118.

Paracelſo (*l. 1. de Vit. Long. c. 2. p. 839.*) eſt diſſolutio mortalis ab immortali, quæ ubi accidit, tunc demum moritur corpus. Hic à Corroſivis hujus duxit originem (*c. l. c. 3. p. 840.*) Tribuit eidem etiam hoc Paradoxon *Thom. Eraſt.* (*p. 3. Diſput. de Nov. Paracelſ. med. p. 141.*) quod morbus hominem quendam interiorem generet, & quod homo ille, qui mortem obit, internus ille ſit. Citat *librum de morb. Phyſiognom.* in quo contendit, morbum quemlibet integrum eſſe hominem, corpusque habere inviſibile, & corpus eſſe microcoſmi, imo microcoſmum exiſtere. Id verò *habetur* (*l. 2. de Podagr. p. 585.*) ubi de Phyſiognomia morborum agit & ſequentia ſuggerit: *Es iſt zu wiſſen, daß eine jegliche Kranckheit ein Menſch iſt, und hat einen unſichtigen corpus, und iſt ein corpus Microcoſmi, und auch Microcoſmus ſelbſt.* Idque Exemplo Icteritiæ declarare nititur. Mortem vero his definivit: (*l. 5. de Reb. Nat. p. 891.*) *Der Tod des Menſchen iſt nichts anders, als ein Ende des Tagwercks, ein Hinnehmung der Lufft, eine Verſchwindung des Balſams, und eine Ausleſchung des natürlichen Lichts,*

Lichts, und eine grosse Separation der 3. Substansen Leib, Seel und Geists, und eine Hingebung wieder in seiner Mutterleib.

§. 119.

Morbus & Mors etiam *Helmont.* (*Tr. Ignot. Hosp. Morb. n. 40. 41 p. 394. & n. 90. p. 404.*) constat materia & efficiente, non secus atque reliqua naturæ entia. Vita humana, (*tradit. Tr. Blas human. n. 23. p. 147.*) ipsi est lux formalis, & modo ipsa anima sensitiva lucida, adeoque hujus exsufflationem mors è vestigio sequitur. Quia animæ sensitivæ involuta est mens immortalis hominum, quæ à morte avolat, pereunte altera. Mortem ideò nil aliud esse, quam vitæ extinctiorem, *alibi* (*Tr. ign. hospes morb. n. 8. p. 391.*) concludit. Vita evanescit, dictitat, (*Tr. Phys. Arist. & Galen. Ignar. n. 16. p. 41.*) per modum luminis pereuntis. Et Vulcanus, cum sit quædam vitalis aura, evolat. Utrumque sine corruptione sui, & corpus quod vita destituitur, proprie eo ipsò non corrumpitur, licet defectum vitalis balsami mox corruptio subsequatur. Discontinuitate etiam lumen illud perit, quod exemplo suspensorum (*Tr. Blas hum. n. 24. p. 147.*) declarat. Docuit idem *Martin. Heer,* (*Tr. 2. Archiv. Arch. p. 97.*) *non inglorius Pyrosophiæ Helmontianæ adsertor & emendator*, differens: Morbus est Ens constans causis suis primordialibus in nobis tendens ad dispositionem corruptionis & destructionis nostræ integritatis vitalis, ad quam si hæc attigerit, sequitur virium labefactatio, lucisque extinctio, quæ est mors ipsa, vitæ privatio causata ac dependens à causis suis positivis morbificis. Et *alibi* (*Tr. 9. p. 334.*) Syncope nihil aliud est, quam mors minitata, quanquam imperfecta. In morientibus autem est Syncope prolongata seu terminans in ipsam vitæ privationem propter Spiritus vitalis plenissimam & totalem exsolutionem finaliter.

§. 120.

Pro positivo ente etiam habuit quondam mortem Gentilitas. Pertinet huc fabula de morte ad tumulum *Alcestidis* ab *Hercule* correpta & penè interstincta, quam ad hujus versus illustrationem protulit *Luc. Joh. Scappa* ex *Zezis Commentario in Lycophronem.* Et ita *Herculem* mortis domitorem agnoscit *Alcmena* mater *in Senecæ Hercule œteo* ad finem (*v. 1945.*)

Agnosco, agnosco victum est Chaos
A styge nate redis iterum mihi
Fractaque non semel est mors horrida.

Hæc *Casp. Barth.* (*in Papin. Stat. l. 3. Sylv. 1. v. 172. p. 288.*)

§. 121.

Fecerat id etiam nostra memoria superiori seculo *Dn. D. August. Hauptmann, Fautor & Amicus, dum viveret colendus (in Epist. præliminari tractatui de viva mortis imagine præmissa, & Francofurti Anno 1650. in publicam lucem emissa, quam postmodum Tr. de Thermarum Walckensteinensium natura & usu Anno 1657. p. 160. inseruit.)* eamque animalculum vivum declaravit. Mors naturalis (describit eandem *l. c. p. 178.*) est omnium minutissima & ferme invisibilis bestiola atque insensissimus vermiculus, qui ex subtilissimo excrementi genere corpus suum minutulum assumit, quo crassius enim est excrementum, eo etiam evidentius ex illo generatur insectum; tenacissimæ autem est vitæ, quia ex constantissimi principii excremento, vid. Salino eandem capit, quia in sale omnia animantia, ut & cœteræ res cunctæ vitam suam atque vigorem fulciunt, & eo se corrumpente, totum postea corrumpitur compositum. Pollicem huic pressit *noster Paulin. (Tr. de Mort. verminos. §. 8. p. 13.)* & peccatum originale & mortem entia realia, nec aliter quoad prius poterit, cum im possibile sit accidens substantiam producere proclamat. *(§. 81. p. 173.)* Superstruxit huic Paradoxo suam Pathologiam animatam *Optimus Præceptor, artisque nostræ Professor accuratissimus, Dn. D. Christian. Lang.* quam in Collegio privato exponentem Lipsiæ audivi, cujus etiam encomia & laudes his ebuccinat *Paulin. (c. l. §. 60. p. 124.)* Manducit fumi fucique nescia veri cupidos ad naturæ & sapientiæ scrinia omnes ejus divitias pretiosiores pandens. Ipsa habet vitæ mortisque claves. Amplexus eadem exosculatur alibi (*Cynograph. s. 4. c. 8. §. 1. p. 183.*) Ego rem salvam esse putarem, si assereret quispiam *Hauptmannum* causam ponere pro effectu. Adeoque vermes ut plurimum causare morbos, & consequenter mortem, quamvis non negandum, vermes etiam aliquando non esse causam, sed productum morbi, comprimis in ulceribus, vermesque non tam in corpore nascantur, quam ab extra eidem se ingerant. Ideoque si mors insectum, exclusa generatione æquivoca, ex ovo orietur, cujus causam efficientem peccatum originale & præterea nil aliud, declarandum Antihelmonticum autem hic non dari & locum habere dolendum quam maximè.

§. 122.

Oho! clamas fortè, num tu ignoras mortem? perorat, & quærere pergit *Paulin. (de Mort. Verminos. §. 8. p. 13.)* at dic mihi quid mors sit? talis enim mors, quæ aut separatio animæ sit à corpore, aut cessatio omnium actionum, revera purum putum figmentum Scholasticum, modo intelligas tres distinctos vitæ gradus *à Cl. Kerger.* solidè & perspicuè traditos. Talem mortem non

non dari, etiam *Excell. noster Joh. Lud. Hannemann*, (*in Phœnic. Bolan.* §. 4.) voluit. Scripserat *Cothurnatus Seneca* (*Troad. act. 2. v. 395.*)

Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

Sed alio sensu. Explicat *Tertullian.* (*l. de Resurrect. Carn.*) nihil esse post mortem *Epicuri* Schola est. Ait & *Seneca*, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. Addit idem *Seneca Epicuri sectator:* Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: Quod vero ipsum nihil est, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit. An mori sit nihilum *Martin. Schoock*, (*Tr. de Nihil. c. 28. p. 110.*) disputavit. Qui *Paulinio* assentiuntur, mortem qualis describitur, ibidem dari non asserunt, mortis tamen existentiam penitus non negant, qui namque mortem verminosam describere, & probare potuisset. Quæ *biga Senecarum* protulit, secundum *Epicuri* idiotismum accipienda sunt, juxta cujus hypothesin: *Mors omnia finit.*

§. 123.

An autem mors finis sit, cujus gratia nati sumus, *ut Poëta*, quem *Euripidem Philoponus* cum aliis voluit (*vid. Joh. Ludov. Havenreuter. in Comment. l. 2. Phys. Arist. c. 2. p. 155.*) ejus senarium insertum fuisse cuidam operi, quod injuria temporis intercidit, cum in iis, quæ nunc extant non reperiatur, suspicantur *Conimbricenses* (*in h. l. p. 283.*) *ap. Philosophum* (*l. 2. Phys. c. 2.*) scripsit, qui de mortuo adeptus est finem, cujus causa factus est. Sed hic risum movit Philosopho, cum non omne ultimum sit finis, sed optimum. Varias confixit hic finis divisiones *Franc. Piccolhom.* (*Comment. in h. l. p. 267.*) qui si commodum erit evolvendus. In Poëtæ defensionem asserunt quidam *Aristotelis* sententiam (*l. 4. Metaph. c. 16. t. 22.*) mors metaphorice dicitur finis, congruunt autem Poëtis metaphoræ, & sic varii Poëtæ Latini, Græci & Etrusci mortem nuncuparunt finem. Respondit his *Piccolhomin.* (*c. l. p. 268*) id non defensioni Poëtæ conducere, quod addidit finem cujus gratia nati sumus. Placet *Havenreuteri* distinctio, qua finem facit duplicem, alterum ἔσχατον ultimum cujusque actionis & operationis; Alterum τὸ οὗ ἕνεκα, cujus gratia instituitur actio & operatio, ac dicitur causa finalis. Mors est quidem finis & extremum, sed non cujus gratia homo generatur. Siquidem non est optimum quid, sed quatenus vitam destruit. est quiddam malum, & propterea non est causa finalis.

§. 124.

Recentiores varie pariter ea circumscribunt & definiunt mortem. Calidi

lidi innati à causa morbifica suppressionem *David van der Beck*, (*Experiment. circ. rer. nat. princip. p. 322.*) oppresso à causa morbifica calido innato primo in Corde, secundo in Sanguine musculorumque ventriculis habitante motore ac principe omnium actionum animalium, necesse est, necesse est ipsas actiones omnes cessare, adeoque animal mori, antea (*p. 238.*) philosophabatur. Definitio tamen ista verius morbi, quam mortis reputanda, cum in hac non calidi innati suppressio, sed suffocatio contingat, neque cor primo illam patiatur, sed sanguis cum aliis partibus & visceribus, hoc modo namque cor non esset ultimum moriens. Nec hæc definitio morti violentæ quadraret, quippe quæ causam morbificam non agnoscit. Verius mortem *Kenelm. Digby* (*Diss. de Plant. Veget. p. 13.*) essentialem corporis dissolutionem proclamavit. Mortem defectum vitæ ex separatione animæ & corporis *Henric. Kipping.* (*l. 7. instit. Phys. c. 4. §. 14. p. 281.*) perhibuit, vitalitatis privationem *Isbr. à Diemerbræck*, (*l. 1. de Pest. c. 9. p. 43.*) Animam à corpore in morte separari indubium, adeoq; mortem animæ à corpore disjugationem (*l. adv. gent. c.*) pronunciavit *Arnobius*. Et hæc definitio soli homini competit. Mors ergo brutorum dijudicat *Helmont.* (*Tr. vita, p. 585.*) digna non fuit vocabulo mortis, quæ extinctionem, & annihilationem luminis, non autem ejusdem separationem, cum separati conservatione includebat. Mortis initium in ipsa corporis nostri constitutione (*c. 13. v. 18. comment. in h. l. n. 2. p. 586.*) *Joh. de Pineta* concludit.

§. 125.

An corpus anima relinquat, an animam corpus, hodie in quæstionem venit. Non putandum, *dictitat. Theod. Craane* (*Diss. de Hom. c. 1. p. 2.*) corpus humanum mori, quod mens â corpore recedat, sed ex eo potius, quod corpus recedat â mente. Et *alibi* (*c. 156. p. 765.*) statuendum, ex eo nos mori, quod corpus ab anima recedat, hoc est, tunc animam â corpore discedere, quod illud ineptum planè est ad animæ servitia præbendum, ita ut anima eo amplius uti nequeat, ad sua imperia distribuenda; jam suo tempore adnotavit *Aristot.* (*l. de Respir. c. 17.*) Animalium bronchias & pulmones desiccari, obdurescere & terrestres fieri. Organa quædam sunt adeo (ad vitam) necessaria, ut eorum destructionem protenus sequatur Spirituum extinctio, interveniente minimi temporis spatio, discurrit *Fr. Baco Verulam.* (*Sylv. Cens. 4. Exper. 400. col. 839.*) Probant id abunde vulnera visceribus Cerebro, cordi &c. illata. Accurate igitur *Joh. Carol. Rosenberg.* (*p. 2. Rhodolog. c. 33. p. 315.*) Non in solo nativo calore, nec humido radicali, nec mutuis horum operis & reactionibus, sed & idonei Ellychnii, fibrarum optima con-

constitutione, vita consistit; quod fibrosum ellychnium, si omninò foret inconsumtibile aut saltem reparabile constantissima vitalis caloris in humido daretur prolongatio ac perpetuatio. Parum autem intererit, anima an corpus relinquat, an corpus animam. Animæ optimo jure id dabitur negotii, cum Spiritus sit, comprimis cum ipsa sacra asserant spiritum redire ad DEUM, quem eundem corpori largitus est. Sufficiat dixisse hanc partium hominis essentialium bigam unitam dissolvi idque mortis nomine venire.

§. 126.

Triplici modo vitam finiri crediderunt Veteres Philosophi, & in his *Plato*, tradidit *Claud. Salmas. (de Ann. Climacter. p. 759.)*, naturali, fatali, & fortuito s. violento. *Servius (ad. l. 4. Æneid.)* ad illum versum:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.

Fortuna, *inquit*, non natura, nec fatum. Natura cui ultra centum & viginti annos concessum non est, fato cui nonaginta anni, hoc est tres Saturni cursus exitum creant, nisi fortasse aliarum stellarum benignitas etiam tertium ejus superet cursum. Fortuna, id est, casu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinsecus accidunt, ut ruinæ incendia, naufragia, venena. Fatum hic agnoscit Astrologicum *(Subjicit Salmas. p. 760.)* Quod si ita est, cœteri duo modi ab astris non pendebunt, naturalis & fortuitus, sive casualis, sed solus fatalis. Sed hæc inscita sunt, & Mathematicorum sententiæ contraria, qui omnes exitus vitæ ab astrorum decreto deducunt, item Philosophorum, qui nullum inde arcessunt. *Plato ipse*, cujus hæc divisio est per εἱμαρμένην, id est, fatum longe aliud intellexit, quam γένεσιν sive fatum Astrologorum. Tria ille *(in Timæo)* facit genera leti. Unum, quod κατὰ φύσιν accidit; alterum, quod κατὰ εἱμαρμένην, tertium, quod κατὰ ἐξανάγκης παθήματα. Hi sunt violenti exitus, qui βιαιοθανασίαν inducunt, & per vulnera, incendia, ruinas, naufragia, suspendia, venena eveniunt. Casus in his, sive fortuna plurimum potest. Fatalis exitus propriè de eo dicitur, quem morbi faciunt, quia quadantenus homini congeniti sunt, & fato debitum terminum imponunt. Is vero, qui secundum naturam accidit, neque morbum habet caussam, neque casum violentum, sed senectutem ipsam & defectum vitalis substantiæ. Quo autem spectat αὐτόματος θάνατος; Hunc â naturali & fatali separat *Jocob. Guther. (l. 1. de jur. Man. c. 3. p. 10.)* quod non â casu, sed â fortuna, & meditato consilio proficiscatur. Animadvertit igitur in *Agellium (l. 3. c. 1.)* qui αὐτόματον θάνατον quasi naturalem & fatalem interpretabatur mortem, cum debuerit violentam ac temerariam intelligere. Tumultuari-

um mortis genus *Apulejo (l. 1. Metamorph. p. 87. ubi & vit. Philipp. Beroaldi not.)* vocatum, de quo iterum *Guther. (c. l. c. 10. p. 62.)*

§. 127.

Stoici volunt ſenectutem fieri, & inde mortem διὰ τὴν τ̃ θερμῦ ἔλλειψιν ob defectum caloris innati. Cœterum *Plato, pergit Salmaſ. (p. 762.)* non hanc aut illam cauſam affert defectionis animalis & φθίσεως naturalis, ſed ſolutionem compagis. Ut enim in machina ex genere αὐτομάτων, ubi axiculi, orbiculi, funiculi, & alia quibus movetur, fatiſcere incipiunt, primo langveſcit motus, deinde etiam ceſſat cum laxiora facta ſunt, aut tempus exiit motionis, quod ab artifice ex dimenſo acceperat. Idem & noſtri corporis compagi ex tot organis μηχανικῶς plane contexti & compoſiti accidit. Sed *Plato* ejus compaginationem & texturam ut navis eſſe vult. Quod cum illuſtret *Salmaſius* prolixius, ipſum, ſi lubet, evolve. Recte igitur *Renat. Carteſ. (de paſſion. Anim. p. 1. art. 6. p. 2.)* ratiocinatur: Mortem nunquam accidere vitio animæ, ſed ſolummodo, quod quædam ex principalibus partibus corporis corrumpitur; & judicat porro corpus hominis viventis differre tantum â corpore hominis mortui, quantum differt horologium, aut aliud automatum, cum recte diſpoſitum eſt, & in ſe habet principium corporale motuum, quorum gratia elaboratum eſt, cum omnibus, quæ ad ejus actionem requiſita ſunt, ab eodem horologio vel alia machina, cum rumpitur & principium motus ipſius agere ceſſat. En Platonizantem *Carteſium!*

§. 128.

Mortem in naturalem & violentam diſtinxit δυχοτομίας procus *Ariſtotel. (l. de Reſpir. c. 17.)* Violenta ipſi eſt, quando principium extrinſecus fuerit. Secundum naturam autem quando in ipſo, & partis conſiſtentia ex principio talis, ſed non adventicia aliqua paſſio. In plantis igitur ariditas, (ἄυανσις) in animalibus autem vocatur ſenectus. Mors autem naturalis dicitur, arbitratu *Henr. Maji (Synopſ. Phyſ. vet. nov. tr. 4. p. 1. c. 2. ax. 9. p. 113.)* non quod ſit de naturæ inſtitutæ principio, ſed quod ſit de naturæ deſtitutæ imperio & immutabili lege conſequatur naturam corruptam. Hinc etiamſi arbor vitæ è Paradiſo hodie nobis adeſſet, non tamen immortalitatem cauſaret. Quia mutata eſt recipientis conditio. Factus eſt nimirum homo alterius generationis, corruptæ naturæ, & longæ alterius vitæ Syndeſmo conſtructus, perhibet *(c. l. p. 586.) Helmont.* Ratione Ætatis tria eſſe gene-

genera mortis, acerba, immatura, naturalis. Acerba infantum immatura juvenum, naturalis ſenum, *Iſidor. (l. 2. orig. c. 2.)* perhibet. *Jacob Guther (l. 1. de Jur. Man. c. 12. p. 73.)* Tradunt *Magiſtri Talmud-Cod. Berachos. (Fol. IIX. col. 1.) recenſente B. Joh. Ad. Scherzer. (Progr. 5. p. 51.)* nongentos & tres mortis eſſe Species, ſubjunguntque, graviſſimam omnium eſſe ſtrangulationem vel anginam, ſvaviſſimam vero oſculum.

§. 129.

Manu ducit nos illa mortis Ariſtotelica diſtinctio ad illam Paracelſicam, qua *(l. 6. de Nat. rer. p. 896.)* ubi in uſum medicum revocanda ſunt Cadavera, inter mortua & occiſa non ſine ratione diſtinxit. *Sehen wir an einen Menſchen der da ſtirbt eines natürlichen prædeſtinirten Todes, was iſt weiter an ihm nutz oder gutes? nichts, allein mit ihme in die Erden, den Würmern zu, dann es iſt ein fauler Cadaver, und gehört unter die Erden: das aber mit einem getödeten Menſchen, welcher durchs Schwerdt oder dergleichen Tod gefallen iſt, nicht alſo zu verſtehen iſt, ſondern an dem iſt all ſein Leib nuz und Gut, und mag zu einer gar köſtlichen Mumia bereitet werden.* Plura infra *(l. 3. Tit. 2. §. 154. ſq.) Add. Annym. (fund. med. rec. jact. p. 210.)* Ita & capillos vivis abſciſſos â mortuis differre mox *(l. 1. Tit. 1. §. 11.)* demonſtrabitur.

§. 130.

Mortuum autem corpus Cadaver dicitur, de quo jam *ſupra (§. 1. ſq.)* philologica quædam ſparſa, quæ Phyſica & Medica reſtant jam pertexenda veniunt. An mortuus homo ſ. Cadaver ſit verus homo, apud Philoſophos controvertitur? Mortuus homo, quanquam figuræ formam habet eandem, tamen homo non eſt. *(Ariſtot. l. 1. Hiſt. Animal. c. 1.)* Cadaver hominem mortuum dixeris, ſimpliciter hominem appellare non poſſis. *(Severin. Boëth. de l. 4. Conſol. Philoſ. Proſ. 2. p. m. 103. Joh. Stobæus, Loc. commun. c. 121. p. 657.)* Æquivoce hominem cadaver proclamavit diverſis in locis *(l. 4. Meteor. c. 12. 2. de Anim. c. 1. t. 8. l. 1. Polit. c. 2.) Ariſtotel.* Aſtipulatur *Andr. Libav. (de Cruentat. Cad. p. 339.) Joh. Conr. Dannenhauer, (Colleg. Pſychol. Diſp. 6. Theor. 2. p. 168.)* corpus ἄψυχον corpus humanum metaphoricè exprimere docuit. Inde etiam partes cadaveris partes æquivoce dici concludunt v. g. carnem, *Ariſtot. (l. 2. de Gen. Animal. c. 1.) Andr. Libav. (p. 1. ſingul. p. 260.)* manum amputatam, *Joh. Marc. Marci, (p. 1. Phil. vet. Reſtit. ſ. 5. p. 41.)* oſſa, *Scaliger. (Exerc. 6. ſ. 12. p. 38.) Caſp. Bartbol. (libell. 4. inſt. Anat. c. 1. p. 365.) Isbr. à Diemerbroeck. (l. 9. Anat. c. 1. p. 769.)* Oculum, *Joh. Fernel. (l. 1. de Abd. Rer. cauſ. c. 4. p. 20.)* Et quis quæſo cada-

cadaver hominem declararet, cum ſit altera pars hominis eſſentialis tantum, adeoque non totus homo.

§. 131.

Si, quid cadaver ſit, quæras? De fructibus putrefactioni obnoxiis *Scaliger.* (*l. 1. de Plant. p. 242.*) iſta: Qui è propria forma excidere, ut putrefacti, ii non ſunt amplius in ulla fructuum differentia: Sed cadavera ſunt fructuum, & corpora modo naturalia. Diceret & hinc forſan corpus naturale ingeniorum apex. Non differt autem à corpore vivente in eo, quod ex ſe & ſua craſi habet; ſed ſolum juxta rationem vitæ influentis, quam in animali dum viveret habebat, eaque ratione carnem ſeu os æquivoce dici volebat *Ariſtoteles*, propterea, quod præter naturam propriam, quam ubique retinet, rationem partis organicæ includit: quæ non niſi in vivente eſſe poteſt, ratiocinatur *Joh. Marcus Marci* (*p. 4. c. l. ſubſ. 3. p. 405.*) in cadavere eadem accidentia, eadem dimenſio, eadem figura, aut ſi hæc non vetera illa, ſed nova, à quo obſecro agente producta? vel cujus cauſa? quærit *Sim. Simonius*, (*Diſp. de Putred. contra Th. Eraſt. com. 137. p. 277.*) *Ego hanc difficultatem illis* (*ſpecie corpus mortuum à vivo differre putantibus*) objicio, diſcurrit *Heerbord*; (*Philoſ. Nat. p. 50.*) Ac ſolvant ſi poſſunt, quomodo in morte ac corruptione hominis poteſt corpus mortuum diſtingui ſpecie à vivo, ſi ſit & maneat idem numero corpus hominis vivi & mortui? poteſtne diverſitas ſpecifica ſtare cum identitate numerica? hoc eſt de fide, quod eodem numero corpore ſimus reſurrecturi, & tamen illud ibidem corpus mortuum, quod reſuſcitabitur in vitam diſtinguetur ſpecie à ſe ipſo, quomodo hæc conſiſtunt? certe quæ diſtingvuntur ſpecie, ea quoque diſtingvuntur numero. Quod vero de corpore, verum id extra omnem dubitationem etiam de partibus verum erit. Nos unum argumentum dabimus, cui reſiſti non poſſit, arbitratur *Petr. Petit.* (*l. 3. de Nat. & Morib. Anthropophag. c. 14. p. 144.*): Si nihil eſſet in cadavere hujus quod fuit in vivente, ac ne materia quidem, ſequeretur cadaver CHRISTI in ſepulchro non fuiſſe perſonæ divinæ conjunctum; Siquidem eadem caro, eadem oſſa, quæ verbum aſſumſerat, non erant ibi amplius, ſed ſpecie & genere, ac numero diverſa. Eritque falſum, quod Theologi ſummo cum conſenſu docent: quod DEUS ſemel in incarnatione aſſumſit, nunquam dimiſiſſe.

§. 132

Contrarium quidem ſuſtinet *Scaligeri* acumen. (*Exerc. 6. ſ. 12. p. 38.*) Dixerat *Joh. Fernel.* (*c. l.*) vita excedente ſingularum partium unaquæq;, os, nervus, caro, ſuam ſibi formam retinet, & quod tum ſuperat os, verum os eſt, non homony-

monyma, ut oculus mortuus, (hic enim propria instrumenti ratione orbatus est,) sed simplici & illi peculiariter tributa appellatione. Eique tum sua species est, â nervi, â carnis & aliarum similarium formis distincta. Hunc igitur confutare aggreditur *Scaliger*, asserendo, sententiæ huius absurditatem sic deprehendere licet: Una est in vivente forma, qua unum est. Os Cæsaris viventis vivum est. Auctum enim fuit suo tempore, & nunc etiam alitur. Ubi Cæsar erit Cadaver: abierit forma. Tunc corpus illud non erit id, quod nunc, hoc est numero. Ergo neque partes ejus: quæ unum erant per id, per quod illud unum erat ens, & tale aliquid ens. Vulgi sensibus id videtur, at vivens, & non vivens, genere differunt ac distant. Caret igitur cadaveris os ea forma, qua erat vivens. Caret etiam fine. Nullum enim officium ut prius. Non est igitur idem. Quas objectiones cum annexis, expendit *Joh. Sperling, (Meditat. in Scalig. 17. Essat. 1. p. 465.) Scaligeroque* sequentia reponit: Ossa (addo & alias partes, quin totum cadaver) considerat *Fernelius* tripliciter (α) quatenus mista sunt, (β) quatenus ossa (γ) quatenus animata. Post mortem tertium tollitur, manente primo, manente secundo. Primum manet, quia elementa manent ad tempus conjuncta, eo modo, eo ordine, eodem situ, quo in viventibus. Secundum manet, quia forma ossium partialis manet, ergo discedat anima, forma communis; manent tamen formæ partium, à quibus peculiare esse peculiares obtinent partes. Rationem, quam de fine affert, parvam admodum, imo nullam reputat, *(p. 466.)* & acute reponit *(p. 467.)*. Nonne idem homo postquam discessit ab officio? Extremum quid officium est, externa causa finis: essentiam rerum non ingreditur. Non mutatur essentia mutato fine aut officio; Sicut nec mutatur mutato Efficiente. Negat prætereà exemplo Petri & Pauli ea, quæ numero differunt, specie differre. *(p. 470.)*

§. 133.

Aristotelis mentem, ad quam provocat, expendit an *Scaligero* faveat *(p. 471.)* & eundem tres classes constituere asserit, *(p. 473.)* quarum prima manus, oculos & alia instrumenta complectitur: Secunda, carnem, ossa & reliquas partes similares continet: tertia terram, ignem & cætera elementa, habet. De primis pronuntiat (*Aristoteles*) apertè, æquivocè oculum mortuum esse oculum, manum mortuam, manum. Instrumenta enim extra usum nihil sunt. De secundis id minus asserit; minimè omnium de tertiis *Petr. Petit. (c. l. p. 143.) Scaligeri* rationem falsa hypothesi niti, nempe unicam tantum esse formam ossis aliarumque partium corporis humani, qua scilicet in gradu viventis constituuntur, *Petitus* vero quidem unam formam principalem animam, qua est vivens admittit,

sub-

ſubjungit tamen huic formam miſtionis, qua os & aliæ partes perficiuntur. Aliud igitur ipſi eſt aliquod corpus, quod erat vivens, non eſſe amplius vivens; aliud, non eſſe idem corpus. Loca *Ariſtotelis*, quibus in mortuo omnia eſſe ὁμωνύμως dicit, ait eſſe accipienda eo ſenſu, quo idem(.*Meteor.*) docet eum ignem, qui proximè lunari globo eſt ſubjectus vocari ignem, licet non ſit; Et *Alex. Aphrod.* non prædicari univocè id nomen de illo ſuperiore, & iſto inferiore, quo utimur. Gemina huic fere habet *Petr. Laurenberg.* (*Anat. Corp. Hum. Exerc. 12. §. 21. p. 482.*) Si (poſt animam exſpiratam) conſideres formam corporeitatis oſſis, per quam os eſt os & non cutis, perque quam os à cute & carne diſtinguitur, (idem enim dat eſſe & diſtingui,) illa ultimæ formæ (animæ) ſubordinatur, quæ ea ceu inſtrumento utitur, quæque, abolita anima, os in ſua eſſentia & perfectione obſervat. Si *Helmontium* audias, (*tr. Magn. oprrtet n. 11. p. 132.*) manet media vita in Archeo transmutato non ſecus ac forma oſſis defuncto homine. *Thomas* (*p. 3. qu. 50. art. 5.*) philoſophatur corpus hominis & cujuscunque alterius viventis, licet non ſimpliciter; ſecundum quid tamen idem manet poſt mortem; quia eſt idem ſecundum materiam, non autem idem ſecundum formam ſ. ſpeciem, quam ſententiam etiam amplectitur in alma Salana fideliſſimus (*Diſp. Phyſiol. de forma corporeitatis materiæ primæ coæva §. 40.*) *Dn. D. Wilhelm. Zeſchius, Præceptor olim fidelisſimus.*

§. 134.

De forma Cadaveris in diverſa aguntur Philoſophorum & Medicorum ingenia. Corpori ſuam inſtare formam, quam formam corporeitatis vocant Scholaſtici eamque materiæ coævam aſſerunt, ejusque propugnatores *Joh. Dun. Scotus*, (*in 4. Sentent. Lombard. diſt. 11. qu. 3. art. 2. f. 59. ſq.*) & reliqui Scotiſtæ, in trivio natum. Qui his delectatur, conſulat, *Joh. Pontium* (*Curſ. Philoſ. Scotiſt. de Anim. Diſp. 1. qu. 3. p. 724.*) & quos ille citat. Hos debellare contendunt Thomiſtæ, & qui his eos aggregat Iſenitæ *cit. Pontius.* Examinavit è Thomiſtis & rejecit hanc corporeitatis formam *Franciſc. de Oviedo* (*Curſ. Philoſ. Thomiſt. Phyſ. contr. 3. p. 2. §. 1. n. 8. p. 159.*) & *Laudatus Zeſchius*, (*c. Diſp. §. 14. ſq.*) Ego probabilius cenſeo, judicat *de Wiedo*, formam cadaveris non eſſe ſpecialem aliquam formam, ſed omnem formam immediate ſuccedentem viventi dici Cadavericam, dum illius figuram externam materia retinet, quam habebat in viventi. Quod ſi ſemper eadem appareat, quia quod præcipue ſenſibus ſentimus in cadavere ſunt accidentia, quæ remanent ex præcedenti forma, quæ neque ab illa in conſervari dependebant; neque cum cadaverica apponuntur, & ita remanent in compoſito, quo usque ab aliquo extrinſeco agente corrumpan-

pantur. Quod si quis contrarium defendere nitatur dicere tenetur, in his omnibus occurrere semper aliqua accidentia, tum ex his, quæ remanent ex forma viventis, tum ex aliis advenientibus, eadem semper in omni corruptione viventium ejusdem speciei, quæ ad specialem formam cadavericam disponunt, licet alia simul his adjungantur, quæ necessaria non sunt ad illam formam specialem introducendam, conducunt tamen ad expulsionem dispositionum formæ viventis, & consequenter ad hujus corruptionem. Eandem neque Metaphysicam, neque Physicam, neque Mathematicam esse demonstrat *Benedict. Perer.* *(l.5. de Comm. Rer. Princ. c.16.p.319.sq.)* & exsibilat. Modo tricæ resecentur, nulla est in hoc difficultas, nam datur quidem ratio, & conceptio corporis, hoc est forma metaphysica, ut ratio substantiæ & entis; atverò physicè loquendo cum nullum sit corpus sub præciso esse corporis, sed sub esse vel elementi, vel mixti, vel viventis &c. certe nulla datur forma physica corporis. Dices datur esse corporis physicum, ergo & forma Physica hujus esse constitutiva; respondeo, negando, dari esse corporis physicum præcisè, sed talis corporis. Igitur eadem forma quæ constituit tale corpus, constituit etiam rationem corporis. Et his litem hanc dirimere conabatur *Honorat. Fabri* *(l.2. de Hom. Prop. 46. n. 6.p. 260.)* Qui ubi de forma ossis, carnis, nervi &c. in cadavere quæritur ad formas partiales recurrit, quæ ipsi non proprie dicuntur viventes, sed ratio illius esse cui forma vivens deinde accidit. *Conf. Eustach. à S. Paulo (Philip.p. 3. Tr. 1. Disp. 1. qv. 10.)* Formam autem substantialem has partiales connectere in vivo asserunt, quibus regerit *Sebast. Basso,(l.3. Philos. nat. adv. Arist. artic. 4.p.234.)* Quod si partes mortuæ hoc vinculo non egeant, cur vitæ eguerint?

§. 135.

In morte hominis non est nova formæ generatio, sed formæ mixti relictio. Nec aliquam esse putamus formam cadaveris, in quantum cadaver, sed in quantum mixtum est, dictitabat *olim venerandus Præceptor Joh. Zeisold. (in not. ad Gilb. Jachæl. l.4. instit. Phys. c. 11.p. 494.)* etiam formam corporeitatis *Scoti* esse formam mistionis *Franc. Suarez, (Disp. Metaph. 15. s. 10. n. 12.)* innuit. Formam hanc mixti etiam approbare videtur *Joh. Marc. Marci, (c. l. p. 405.)* Sed hac sententia, quæ duplicem in homine formam astruit, alteram animam, formam mixti alteram, unumque hominem numero, duplicem numero Geryonem sistit, non est ad palatum *B. Dn. D. Joh. Conrado Danhauer. (Colleg. Psycholog. Disp. 1. Controv. 3.p. 14.)* nec mihi aliisque solidioris Philosophiæ basiatoribus. Expirata anima humana corpori constat forma sua, cum tamen hominis

minis forma decesserit, anima ratione prædita, observat *Timoth. Bright*, (*in l. 1. Guilh. Adolph. Scribon. Physs. p. 11.*) Non anima corpus informat, sed hominem.

§. 136.

Cadaveris formam relegant plurimi, à quorum parte etiam stare lubet. Nec dum avis (homo) moritur, perhibet *Helmont. (Tr. Physic. Arist. & Galen. ignar. n. 13. p. 41.)* est quædam cadaveris forma essentialis, aut generatio. Omnis siquidem generatio in natura clauditur forma essentiali, qua cadaver caret, prout & semine ac moderatore Archeo. Et *paulo post (n. 14.)* Per mortem in toto aut in singulis, nulla cadaveri forma vel essentialis quidditas supervenit. Duntaxat *(n. 15.)* quod vitale erat est separatum. Erroneum itaque esto, quod unius corruptio sit alterius generatio. Siquidem vitæ corruptio solum advenit per extinctionem vitalis balsami, vel formæ, sine nova proinde creaturæ generatione. Frustra macerant sese interpretes, ratiocinatur *Henric. Kipping*, (*l. 7. Instit. Physs. c. 4. §. 14. p. 281.*) quærendo formam, quæ cadaver faciat. Atqui cadaver est ens aggregatum, quod ex se & per se formam habuit, tunc cum erat corporis viventis pars, nunc non habet, cum vitales operationes non habet. Nulla in obitu forma acquiritur, sed corpus privatur forma, cujus beneficio erat, & erat vivens. Stultitia est, memorat *G. B. de Saint. Romain*, (*p. 4. Scient. Nat. c. 21. p. 356.*) aliquam sibi imaginari cadaveris formam substantialem, vel formas agnoscere partiales, ossium, carnis, venarum, arteriarum, & aliarum ejusmodi rerum subjectarum formæ cadaveris, aut solarum sine hac forma: Illusiones hæc sunt & Chimæræ. Materia eadem est, & omnis quæ accidit mutatio in eo consistit, quod absente anima rationali, nihil præter materiam superest. Organa paulatim figuram suam amittunt, & compositione perdita, suam actionem. Et cur formam cadaveris comminiscimus? cum corpus mortuum dicatur præcise per hoc, quod forma in eo desierit. Quousque corruptioni non subjacet cadaver, externam habet figuram rectius quam formam, quasi peculiari gauderet, in tabum non diffluerct.

§. 137.

Interim animam aut saltem aliquid de anima in cadavere remanere, sunt qui credunt. Eminet inter hos *Hieron. Cardan. (l. 3. de Util. ex adv. s. p. m. 727.)* dum scribere non erubuit, superesse animam, ex hoc etiam conjectari licet, quod vitæ portio in ipsis cadaveribus ad aliquot annos durat, absumitur certe quod liquidum est, quod pingue est exedunt vermes. At ubi exesa fuerint & absumta, qualis in lapidibus & plantis non omnino illustribus & manca, quoniam humidum & pinguis substantia absunt. Vitam primam huic tribuit

Ele-

Elementorum, secundum principium Chemicorum. Illa per putrefactionem succedere autumavit *Joh. Ernest. Burggrav.* (*in Biolychn. Tit. Cur. Magnet. & Mumial. Theophrast. p. 123.*)

§. 138.

Reliquias caloris & humidi non vitalis, sed elementalis in cadavere superesse, unde etiam pilorum & unguium incrementa deduxerunt varii (*vid. l. 1. Tit. 1. §. 26.*) Macularum proventum (*vid. l. 2. Tit. 1. §. 34.*) caloris reliquias in Cerebro *Joh. Marc. Marci*, (*c. l. p. 404.*) introducit, nec calorem putredinalem abominatur *Laur. Joubert.* (*de Peste c. 4. p. 308.*) Reliquias lucis in demortuis allegat *Th. Bartholin.* (*l. 2. de Luc. c. 4. p. 353.*) quod idem est ac si vitæ reliquias dixerit, cum vita sit lux formalis *Helmontio*, (*vid. supra* §. *92.*) vitamque consistere in *luce G. W. Wedel.* (*Phys. Reform. c. 3. p. 48.*) declaret. Hujusque cum luce Analogiam propalet *Paul. Casat.* (*Diss. 12. de Ign. p. 341.*) quamvis spiritus animales de luce participare diffiteatur *Exc. Joh. Bohn.* (*circ. Anat. Progym. p. 299.*) Forsan (*inquit Plotin. l. 2. de Dub. Anim. ap. Cœl. Rhodigin. l. 18. c. 13. col. 959.*) quia corpus animatum non illuminato, sed calefacto corpori simile est, post animæ demigrationem superest in eo ad breve vitale vestigium, quasi sub lumine calor: Calor, *inquam*, naturalis spiritusque aptus motibus. Ita & *Claud. Salmas.* (*ad Enchirid. Epictet. com. c. 1. p. 176.*) Stoici nativum calorem in morientibus ita exhalari scribunt, ut aliquanta pars tam calidi nativi, quam Spirituum in mortuis etiam remaneat, qua propriam animam (θερμὸν πνεῦμα illis dictam) ipsius cadaveris postea constituat. Formas materiales à corpore suo inseparabiles esse *Martin. Kerger.* (*Tr. de Ferment. s. 1. c. 4. p. 19.*) ut modo dictum, probare satagit.

§. 139.

Spiritus distinxit *Fr. Baco Verulam.* (*hist. vit. & mort. col. 564.*) in vitales & mortuales. Mortuales minime sibi continuantur, & sunt tanquam abscissi & circumdati corpore crassiore, quod eos intercipit, quemadmodum aër permixtus est in nive aut spuma. At spiritus vitalis sibi omnis continuatur per quosdam canales, per quos permeat, nec totaliter intercipitur. Spiritus mortuales aëri proxime consubstantiales sunt. Spiritus vitales magis accedunt ad substantiam flammæ. Hic est in viventibus; ille in mortuis. In Cadavere spiritus frigidos hospitari, contendit *Seb. Wirdig.* (*l. 1. de medic. Spirit. c. 10.* §. *10 p. 31.*) Hi prout in moribundis facultatem habuerunt Spiritus vitales è corpore ejiciendi, ita eandem post mortem retinent corporis alterius cujusdam vivi spiritus calidos fugandi, necandi, malitiam &

invidiam extingvendi: Et omnis Necromantia, quæ per mortuorum cadavera exercetur, dependet ex ſpiritibus corporum ſeu cadaverum frigidis. Et exinde *colligit*, inveniri poſſet medicina hactenus incognita pro coërcendis ſpiritibus morboſis, enormanticis, copia, caliditate & orgasmo peccantibus. Iſti frigidi Spiritus forſan nigri ſunt & tenebricoſi, cum facultatem habeant extingvendi corporis noſtri ſpiritus radiantes. Spiritus corporis noſtri eſſe natura ſua frigidos *Helmont.* (*vid. l. 2. Tit. 4. §. 2.*) voluit.

§. 140.

An igitur cadaver ſentiet? Rides otiosè quærentem. Senſum in mortuis ſupereſſe, quin & vitam multis perſvaſum fuit. Mortuos dolere inter Rabbinica commenta, an deliria, referam? Mortuo gravior eſt vermis, quam acus carni viventi, diſſerit *R. Lipmann.* (*l. Nizachon, n. 299.*) idque impiis non piis contingere, quod ex male intellectis *Eſaiæ* (*c. 66. v. 24.*) concluſiſſe, putant. Pluribus id explicatum dedit *Moltherus* (*Theol. judaic. c. 20.*) citatus *ab Henric. Kornmann.* (*p. 8. m. m. c. 45.*) dum ſcripſit: Quando anima â corpore diſcedit, ſecundum Hebræorum doctrinam, ſemper memor eſt corporis, & triſtatur de corpore, utpote in quo habitationem & ſedem habuit ſuam. Et quamvis corpus poſt diſceſſum animæ trunci inſtar jaceat, ſcias tamen, ſi vis verus eſſe Apella, corpus omnia adhuc audire, & ſcire quid in mundo fiat, & quanto ipſum devorant vermes, væ illud ſentit, ac ſi acu pungatur vivens, ideo & vetitum ad cadaver & funus plura loqui, quam quæ ad ejus neceſſitatem & honorem vergunt, ideoque & cœmiteria adeunt ad defunctorum ſepulchra, ut miſereantur viventium, & DEUM pro iis orant.

§. 141.

Nec gentibus id diſplicuiſſe videtur. De oſſibus quædam collecta ſuggerit *Petr. Laurenberg.* (*Exer. Anat. 12. th. 2. p. 460.*) & magna ſuperſtitione cavebatur, nequis ſuorum ſepeliendorum ſanguine calcato manes eorum irritet, diſſerit ad illud *Statii* (*l. 12. Thebaid. v. 36.*)

nec certa facultas
Noſcere, quam miſeri vitent, calcentve cruorem.

Vetus Scholiaſtes Lutatius. (*ap. Caſp. Barth. in h. l. p. 1433.*) Ita defuncti patris membris vetat moleſtus eſſe Hetruſcus, etiam *ap. Stat.* (*l. 3. Sylv. 3. v. 17.*)

Tenet ecce ſeniles
Leniter implicitos vultus, ſanctamque parentis
Canitiem ſpargit lacrymis, animæque ſupremum
Frigus amat.

§. 142.

§. 142.

E quo fonte scaturiit, quæ in tumulorum inscriptionibus solennis formula S. T. T. L. sit terra tibi levis, legitur, aut in cippis VII. literæ solebant celari: H. S. E. S. T. T. L. Hic situs es, sit tibi terra levis. (*Eilhard Lubin. Comment. in Pers. Sat. 1. v. 36. p. 634,*) Quæ è Poëtis colligit *Jac. Pontan.* (l. 4. Progymnasm. L. L. 66. p. 1142.) & *Mart. Rader.* (ad Martial. l. 5. Epigr. 35. p. 393.) ubi & Latinos à Græcis hanc precandi formulam accepisse demonstrat, illudque elegans *Agathiæ* cavillum appellitat (*l. 3. de Funer. Roman. c. 9. p. 250.*) *Joh. Kirchmann.*

Κȣφη σοὶ τελέθοι γένος ἀντὶ κονίης
Αὐτὴ γάρ σε φέρει καὶ χθόνος ȣ̓ καλέεις

Sit levis ô infans uterus pro pulvere, namque
Is cum te condat, non tibi terra opus est.

Sepulchro incantato terram gravem mortuis obtingere, locus *ap. Quintilian.* (*Declamat. 10.*) declarat. *Ita Tertull.* (*l. de testim. anim. c. 4.*) cujus memoriam cum alicujus offensæ morsu facis, terram gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: æque ex bona parte si cui gratiam debes, ossibus & cineribus ejus refrigerium comprecaris, ut bene requiescat apud inferos cupis. *Et Senec.* (*in Hippol. act. 5. v. 1274.*)

Istam terram defossam premat,
Gravisque tellus impio capiti incubet.

Idem de lapidibus *Tibull.* (*l. 1. Eleg. 4.*)

O tua qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisqvis es, infelix urgeat ossa lapis.

Levioris etiam *Cippi Persius* (*Sat. 1. v. 36.*) meminit. Mitem undam etiam in aqua suffocatis precabantur. Applicat huc non sine causa *Anton. Santorell.* (*Post. prax. Med. c. 20. p. 657.*) illud *Martialis* (*l. 6. Epigr. 68.*)

Quicquid id est subitæ quæcunque est causa rapinæ,
Sit precor & tellus, mitis & unda tibi.

§. 143.

Nec â vulgo, superstitione maxime implicato, alienæ sunt istæ cogitationes. Hinc sæpius audias. *Thut gemachsam mit der Leiche, stosset nicht an &c.* Memini, memorat *Casp. Barth.* (*in Stat. l. 3. Sylv. 3. v. 17. p. 307.*) quod & repetit (*l. 3. Thebaid. v. 131. p. 507.*) me adolescentulum maximæ Principis exequiis adhibitum, audiisse ex viduo Duce: qui portarent, incederent mol-

 liter,

liter, ne funus aliqua molestarent. Quod utique, *addit*, non inscitiæ, aut superstitionis ergò, sed inexpleti amoris fiebat.

§. 144.

Stet penes Lectorem judicium an ex hac causa, an ex vindicta aliquando sevitum fuerit in mortuos? Ita *apud Homer. (Iliad. 23. v. 13.) Achilles*:

Postquam junxisset sub curribus veloces equos,
Hectorem ut traheretur, ligabat post currum
Ter autem raptans circa sepulchrum Menoëtiadæ mortui
Rursus in tentorio quiescebat, illum vero sinebat
In pulvere extendens pronum.

Singularis verò & forsan non audita extitit sævorum tributorum exactorum in mortuos sævitia, quam *Philo Judæus (l. de Septenar. & Festis p. 1185.)* consignavit: Non tantum è facultatibus pecunias exigunt, sed etiam è corporibus, contumeliis, flagris & excogitatis recenter tormentibus ad immanitatem. Exaudio jam multos ne à Cadaveribus quidem abstinuisse ob feritatem, & inauditam rabiem, qua eo usque efferati sunt, ut aculeatis loris è corio aspero ferire mortuos audeant. Et cum aliquis culparet nimiam hanc sævitiam, quod ne mors quidem, quæ omnium malorum medela & revera finis est, conservaret ipsis fato functis statum inviolabilem: verum sepulchri & justorum loco verbera paterentur. Defensionem, quæ pejor erat accusatione, utebantur, cum dicerent, se gravi contumelia afficere mortuos, non ideo ut surdum & stupidum pulverem dedecorarent, siquidem inutile istud fuerit, sed ut genere propinquos aut sodalitii jure conjunctos ad misericordiam impellerent, & provocarent ad pretium redemtionis corporum extremo beneficio collato.

§. 145.

Sed nec rudis plebeculæ, aut tyrannorum solum hæc expectatio, sunt & è Philosophis & Medicis, quæ omnem sensum cadaveribus adimere verentur. *Affaytatus ap. Hier. Cardan. (Comment. in Hippocr. de Aliment. t. 6. Lect. 54. p. 552.)* credidit hominem multo post mortem tempore vivere, quod in mortuis ungues & capilli augeantur, quæ sunt functiones ipsius jecoris. Non secessit ab hoc *ipse Cardan. (l. 3. de util. ex advers. cap. p. 727.)* Sensum nobis occultum vocavit *Th. Campanell. (l. 4. de Sens. Rer. c. 9. p. 297.)* obtusum & communem *(c. l. p. 298.)* sopitum *ibid. (c. 14. p. 325.)* naturalem *Joh. Marc. Marci (p. 4. Phil. vet. restit. subs. 3. p. 404.)* sensui & imaginationem super addidit *Sylv. Ratray. (adit. ad Symp. & Antipath. caus. p. 54.)* ut autem ad

ad ſenſum iſtum nos quaſi manu ducerent, Sympathias & Antipathias ex hoc cadaverum ſenſu deduxerunt *Campanell.* (*c. l. c. 10. p. 300.*) *& Marci* (*c. l. p. 405.*) Demonſtrare id præterea conatus eſt è cruentatione cadaverum *Cardan.* (*c. l. l. 3. p. 728.*) eorundemq; verminatione *cum Eodem* (*c. l. p. 727.*) *& Th. Campanell.* (*c. l.*)

§. 146.

Ad cauſas provocant modo (*§. 136. 137.*) prolatas, quas expendere ordinis ratio jubet. Quæ de remanentia animæ in corpore proferuntur Philoſopho indigna ſunt. Si mors eſt animæ & corporis dijugatio, ut cum *Arnobio* (*l. adv. gent.*) loquar, quomodo in cadavere permanebit anima. Et ſic hoc cadaver non erit, ſed homo. Stultus eſſet, qui hæc maxime repugnantia aſſereret, & vitam & mortem ſimul in eodem cadavere hoſpitari crederet. Dices animam exulem ad corpus quaſi poſtliminio redire, illudque denuo informare, aut ſaltem aſſiſtentis formæ rationem haberes. Bardus es, ſi id quidem tibi perſvadere ſinis. Anima ſemel è corpore egreſſa non niſi divina potentia ad id revocatur. *Vid. ſupra* (*§. 37.*) Si naturaliter excedit, quia calor (inſtrumentum animæ) abſumtus evaneſcit, ob hujus in cadavere defectum regredi nequit. Nec fieri poteſt, ut ulla humana arte calor nativus ſemel abolitus reſtituatur. Natura autem cum ipſo deſtructa eſt. Ubi autem nulla eſt natura, nulla eſt medicina, quia hæc naturæ miniſtra. Si exceſſit per vim; idem conſequens. Nam una ejus calor & ſpiritus vitalis deſtructus eſt, & vis hic illata incompenſabilis eſt. Recte *Andr. Libav.* (*de cadav. cruentat. p. 190.*) Forma vero aſſiſtens quid eſt? ut in communium Philoſophorum ore quotidie verſetur? Chimæra eſt; & obtuſioris cerebri partus. Ubi de formis aſſiſtentibus in Phyſicis ſermo ſit Ecclipſim judicii Sophici non ſatis demirari & irridere valeo. Anima diverſiſſima â corpore citra vinculum, arguit *idem* (*c. l. p. 178.*) quod utriusque naturam participet, nec ineſſe illi, nec aſſiſtere poteſt. Et quomodo aſſiſtet, aſſiſtendi inſtrumentis carens? Ineptæ perſvaſionis ineptus ſermo profectus ex ſtulta imaginatione, quaſi anima, velut parvus homo, in corpore, tanquam vaſe, latitaret. Et nec corpus erit, *Eodem judice* (*p. 186.*) altera pars hominis, ſed tantum carcer animæ, aut ergaſtulum verum. Nec quid ſibi illud, aliquid animæ, aut ut *Marcus*, aliquid vitæ in corpore remanere velit, capio. Animæ rationalis reliquiæ non dantur, cum ſit indiviſiblis, & ſi ineſſent corpori aliqua quoque membra moverent, *Tertullian.* (*l. de Anim. p. m. 682.*) concludit.

§. 147.

§. 147.

Animam corporalem quam etiam homini tribuit *idem* (*c. l. c. 2. & 9.*) cujus mentem explicavit *Gisbert. Voët. (p. 1. Disp. Select. p. 848.) Tertullian.* sentire ac pati (*de Resurrect. Carnis c. 47. p. 57. add. Beat. Rhenan. adm. p. 900. & B. J. C. Danhauer. Christeid. s. Dram. Sacr. Act. 1. Theatr. 1. Phænom. 8. p. 375.*) Hanc in brutis materialem vocant, quia educitur à potentia materiæ extensæ, ut iterum *Danhauer.* (*Colleg. Psycholog. Disp. 1. Controv. 4. p. 19.*) Cæterum in homine animarum pluralitatem abhorreo, abhorrent & cordatiores mecum Philosophi. Inter hos tantum recenseo *Franc. de Oviedo* (*Curs. Phil. de Anim. punct. 9. p. 29.*) *Claud. Frasse.* (*Philos. Academ. Disp. 3. concl. 4. qv. 1. p. 225.*) *Joh. Pont.* (*Curs. Philos. de Anim. Disp. 1. qv. 7. p. 737.*) *Henric. Kipping.* (*l. 9. Instit. Phys. c. 3. §. 5. p. 406.*) & quos ille citat. Extra dubitationis aleam est, philosophatur (*c. l. Controv. 3. p. 17.*) *Danhauer.* defendere *Aristotelem* (*l. 2. de Anim. c. 3. tr. 30.*) animæ unitatem cum potentiarum diversitate, quo pertinet illa comparatio, quod quemadmodum triangulus est in quadrangulo, una existente trianguli figura; Ita una est anima rationalis in homine, in qua animæ reliquæ insunt, non formaliter sed eminenter. Confer præsertim (*l. 1. de Anim. c. 5. t. 91.*) Nec caret hac sententia (α) Ratione, nec (β) autoritate S. S. nec (γ) absurdi consecutione, nec (δ) experientia, de quibus omnibus vide Dn. Autorem exerte disserentem. Dices, quam oppositionem fingit *cit. Frasse* (*c. l. p. 228.*) implicat idem esse spirituale & corporeum, sed anima quatenus rationalis spiritualis est, quatenus vero sensitiva & vegetativa materialis. Ergo eidem animæ hæc competere non possunt. Respondet & distinguit *idem*: Secundum entitatem concedo; secundum operationes nego. Anima enim rationalis licet secundum suam entitatem spiritualis sit; secundum tamen suas operationes (vegetativas & sensitivas) dici potest corporea, quippe cum corpus humanum actuet, & informet.

§. 148.

Quod si præterea inferas, absente anima rationali, in cadavere remanere formas materiales, earumque à suo corpore inseparabilitatem *cum Martino Kerpero* profitearis & urgeas (*s. 2. de Ferment. c. 4. p. 18.*) Hypotheses istæ tormenta sunt *Tertullian.* (*l. de Anim. c. 18.*) cruciandæ simplicitatis (animæ) & suspendendæ veritatis. Monstra sunt opinionum (autumat *Stephan. Cloz. de Sud. CHRIST. Sanguin. Exerc. 14. th. 5. p. 140.*) quæ ad instar equi Trojani pluribus nos animabus implent, aut Centaurorum instar binis ternisque impingunt, ut de *Herilo Virgil.* (*l. 8. Æneid. v. 563.*)

Nascenti

Nascenti cui tres animas Feronia mater,
Horrendum dictu, dederat: terna arma movenda
Ter letho sternendus erat.

Si tot in homine mortis, tot vitæ genera, homo cum moritur, deficiente anima rationali, non totus morietur, sed compositum ex anima sensitiva & corpore humano superstes manebit, & sic non semel morietur, quod Apostolus asseruit. (*Epist. ad Hebr. c. 9. v. 27.*) Optimè *Thomas* nullam aliam esse, *ait*, substantiam formalem in homine, nisi solam animam intellectivam, quæ virtute continet animam sensitivam, nutritivam, & omnes formas inferiores, & facit ipsa sua, quicquid imperfectiores formæ faciunt, in aliis. Per eam solum est homo & animal, & vivum & corpus & substantia & ens. *Hæc Clozius.* Discedente igitur abs homine per mortem vita animæ rationalis, vitam etiam animæ sensitivæ & vegetativæ, qua unius istius in homine naturæ facultates sunt, simul discedere necesse est, colligit *idem (p. 141.)* Gemella habet *Cl. Salmas. (in Epictet. not. & animadv. p. 134.)* è quo forsan ista habet *Clozius.* Certe, *concludit Salmas.* si ex tribus animæ facultatibus tres animas fieri placet, quarta accedat anima oportet, quæ tres illas in unum colligere, & colligare sit idonea. Addo & hoc, si tres animæ, tres erunt mortes, homoque primò obibit ut homo; altera vice ut brutum; tertia ut planta, quod quidem hactenus experientia non edocuit, nec quidem unus è Philosophis somniavit.

§. 149.

Vim vegetantem aliquam in corpore persistere putabat *Lev. Lemn. (l. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 7. p. 174.)* id imprimis alii ex eo urgent, quod in mortuis pili & ungues crescunt. Ita *Plotin. (l. 2. de Dub. Anim. c. 20.)* id fieri contendit, quod in corpore mortuo remanet per aliquod tempus vestigium vitæ, quod quidem efficax est ad generandos pilos, perinde ac videmus post excessum ignis ab aliquo loco adhuc permanere per aliquod tempus calorem, sic se habent animæ facultates ad animam, ut ignis calor ad ignem, Symbolum suum addit *Joh. Grammat. (Proëm. Int. 1. de Anim.)* Nunc vero servatur calor ab igne impressus in domo, etsi ignis à domo removeatur. Quare servari poterit aliqua facultas animæ in corpore, etsi anima corpus deserit. Eandem inflat tibiam *Hieron. Mercurial. (Tr. de Mac. Pestil. c. 8.)* si dicamus, ratiocinatur *Anton. Santorell. (post Prax. Med. c. 20. p. 58.)* (*a*) potentiam animæ esse ipsius accidens, non remanet aliqua animata facultas in cadavere. Cum propria passio alicujus non potest separari ab eo, cujus est passio. Quamobrem cum sint animæ facultates animæ ipsius passiones, non potuerunt illæ in aliquo esse, in

N quo

quo anima non insit. Esto tandem assentiret *Mercuriali*, quia hæ facultates ad operandum egeant naturali calore, qui cum nullus sit in extinctis, non posset facultas destituta caloris beneficio operari. (β) Si quæ superest esset illa imbecillior & fere extincta. (γ) Est illa facultas animæ instrumentum conjunctum. Non poterit itaque citra concursum animæ operari. Ea enim est instrumenti conjuncti natura, ut non nisi motum valeat movere.

§. 150.

A spiritibus hæc expectant alii: Spiritus quibusdam fingitur essentialis qui ad constitutionem hominis concurrere propalatur. Sunt namque ex Antiquioribus qui hominem tribus partibus constare docuerunt: Anima, Spiritu & Corpore. In horum acie ponitur *Hermes Trismegistus*. Sed quæ *Hermetis* prostant seculo circiter post natum CHRISTUM secundo ab homine semi-Platonico & semi-Christiano confecta evicit *Isaac Casaubon*. (*Exerc. ad Baron. Annal. 1. n. 14.*) & post hunc *Petr. Lambec.* (*l. 2. Prodrom. Hist. Liter. t. 1. p. 140.*) ideoque illi titulo falsissimo attribui. *Joh. Gorop. Becan.* (*Hermathen. p. 12.*) affirmat, & inter supposititia recenset *Gisbert. Voët.* (*p. 2. Disput. Select. p. 612.*) quin & *Hermetem* unquam fuisse *Joh. Henr. Ursin.* (*Exerc. de Hermet. f. 8. p. 157.*) pernegat. *Platonis* hanc fuisse mentem (*in Phædone*) *Marsil. Ficin.* (*argument. in Phædon. f. m. 198. b.*) contendit, dum scripsit: Certe hic *Plato* significat, quod vult *Proculus*, sc. inter corpus æthereum, quod immateriale est, & simplex & sempiternum atque corpus terrenum, quod est materiale compositumque & perbreve perdurans, esse corpus aërum quidem, sed quodammodo simplex & longioris ævi: in quo animæ diutius habitent etiam post discessum: quod hoc dissoluto corpus iterum compositum induantur, vid. si purgatæ non sint: si vero purgatæ cum solo æthereo cœlum petant. Si *Syllæ ap. Plutarch.* (*l. de Fac. in Orb. Lun. p. m. 410.*) disputationem audire libeat, ita infit: Hominem plerique compositum recte hoc, non recte, quod è duobus tantum partibus constare putant, sc. mentem quoque partem animæ opinantes. Etenim mens tanto est præstantior anima ac divinior, quanto anima præstat corpori. Et paulo post: His tribus compactis terra corpus, animam luna, mentem sol creando homini præbuit. Inter sequioris temporis Philosophos & Medicos eminet *Paracels.* (*l. de Secret. Creat. p. m. 114.*) qui easdem partes amplexus docet: *Die Anima kömmt vom Himmel, der Spiritus von der Lufft, das Corpus von der Erden. Durch den Tod des Menschen geschehen drey Separationes, die erste ist die Separatio animæ von dem Corpus, die andere ist Separatio Spiritus von dem Corpore, die dritte Separatio des Spiritus von der Anima.* En tres separationes

&

& forsan etiam mortes. Non alienus a suo Magistro est *Valentin. Weigel*; quorsum & quidem trahunt illud *Helmontii, (Tr. Sedes Anim. n. 171. p. 231.)* Mens non habet propinquius aut similius sibi subjectum, in quo hospitetur, quam illud lumen vitale, quod dicitur anima sensitiva, in qua sc. mens involvitur, & mandato divino ligatur vitæ vinculo. Pereunte autem sensitiva, per sui annihilationem, non potest mens diutius in corpore subsistere; ideoque ad Ens Entium properat, ut ad deputata sibi loca transeat. Addunt præterea locum *(Tr. Mortis introit. in Nat. Hum. n. 11. & 12. p. 514.)* de quo quidem judicent, quibus id commodum. Omnium clarissime *Joh. Amos. Comen. (Phys. ad Lum. Divin. Reform. c. 11. p. 172.)* componitur tribus homo, *docet*, Corpore, Spiritu, Anima. Corpus habemus ex Elementis conflatum, æque ut bruta; Spiritum à Spiritu mundi, æque ut illa; sed anima seu mens, ex DEO est. Illud circumferimus mortale; istum dissipabilem; homo vero persistentem etiam extra corpus, ut per fidem constat. Hominem igitur vides, Regem te videre cogita, Regie vestitum, & in Regio Residentem solio. Rex enim mens est, vestis ejus spiritus, solium corpus. Quid hoc ad rem? *inquis.* Maxime, sunt namque qui Spiritus partes corporis integrales cum Spiritu quatenus essentia'is pars exhibetur, confundunt, iisque varia in cadaveribus phœnomena ascribunt. Videbis id ipsum fecisse *Comenium (c. l.)* comprimis *(c. 10. p. 168.)* ubi Spiritus in cadavere relictos Sympathiam & Antipathiam variam exhibere prodidit. Patet, docet, *(c. 11. n. 11. p. 180.)* cur homo corpore tantum & anima constare vulgo dicatur? quod nim. anima rationalis è Spiritu & in Spiritu est. Nam sicut corpus nostrum constituitur è quadruplici materia, id est, quatuor Elementis: Ita anima nostra (generaliter loquendo eamque corpori contra distinguendo) è quadruplici Spiritu, naturali, vitali, animali & mentali. *Bernhard. Connor. (Evangel. Med. Artic. 2. p. 7.)* Homo totus ex triplici coalescit substantia, Spiritu, Corpore & Anima. Spiritus est pars hominis cogitans, quæ vulgo anima rationalis nuncupari solet, etsi nullum animæ ministerium vere exerceat. Anima ipsi sunt fluida corporis, sanguis nempe ac Spiritus animales. Corpus vero ipsum est mira illa ac concatenata partium solidarum s. organorum series & fabrica, quæ Spititus & Animæ fulcrum est & domicilium. De qua Controversia forsan *alibi.*

§. 151.

At Spiritus quatenus sunt pars integralis & impetum facientes dicuntur *Hippocrati*, quibus multum operationis & actionis in hoc negotio ascribitur passim. Fuere qui horum existentiam facerent dubiam *infra. (l. 2. T. 3. §. 27.)*

 recen-

recensiti. Sufficit Spirituum existentiam in dubium revocanti, commentatur *Joh. Theod. Schenck.(Humor. Corp. Hist. General. c. 19. p. 127.)* pro affirmativa actionum celeritas, quæ in instanti fit, quod occlusi nervi pereat sensus & motus interceptis hac ratione spiritibus animalibus. Quod in Syncope præceps virium lapsus contingat. Quod sanguis ex arteria spumans prosiliat. Ab ira, tristitia, aliisque pathematibus corporis repentina mutatio instet, non humoribus tantum, quantum spiritibus imputanda. Repetit hæc cum auctuario *Seb. Wirdig. (l. 1. Med. Spirit. c. 13. p. 43.)* Ante hos vero memoratus erat *Casp. Hoffmann. (l. 2. de Calid. innat. & Spir. c. 2. p. 88.)* Dissentientem *Gv. Harv. & Jacob. Backii infra (c. l.)* attuli, cum quibus eadem *Cornel. Bontekoë, (p. 1. Abhandl. von menschl. Leben, Gesundheit, Kranckheit und Tod* §. 49. p. 94.) qui naturales & vitales explodendo, quod in homine nullus sit Spiritus, adeoque confusioni locus detur, sequenti Epiphonemate discursum obsignat: *Es ist wohl wahr, daß man feine Säffte Geister kan nennen: Aber so es andern so beliebet, hat uns auch niemand Ursach zu tadeln, wenn wir dasjenige so ein Safft ist, einen Safft nennen: und Willis thut unrecht, daß er einen Spann-Ader Safft erkennet, mitten in demselben Geister erdichtet, und jenes für das Vehiculum derselben hält, welches eben so viel ist, als ob er für Wasser Rauch nehme.* Ipsi *Rob. Boyle. (de Vi Aër. elast. p. 308.)* Spiritus maximè subtiles & unctuosæ sanguinis partes videntur. Spiritus animales in Lympham facessere *Georgii Segeri, (Diss. Anat. de Lymph. Barthol. Art. 2.* §. *8. p. 18)* mens est, idque ideò, quod Spiritus vitales semper sangvini inhæreant, neque absque hoc vehiculo persistant: Animales autem liberè vagentur, commune Medicorum sit dogma. Et ex hac ratione etiam forsan *Exc. Bohn. (Circul. Anat. Progymn. 4. p. 64. & 70.)* Spiritus vitalis dubius, qui tamen animalium existentiam alibi (*Progymn. 19. p. 195.*) rationibus suffulcire contendit.

§. 152.

Sympathias cadaverum aut partium ejusdem Sensum hujus oculis propalare proporro tradunt. In Phocæ pelle pili ad æstus marini & Lunæ incrementum, notante *O. Magno (l. 20. Hist. Septentr. p. 508.)* & *Athanas. Kircher. (l. 3. M. S. S. 2. c. 2. Disquis. 1. Exper. 3. p. 142.)* surriguntur. Orbem piscem, Physam etiam vocatum, Nili & Rubri maris incolam exsiccatum & tomento vel alga oppletum inter Templorum anathemata vel cubiculorum ornamenta suspensum eam Cœli partem, à qua ventus flat nostro ad eam converso significare, *Guilb. Rondelet. (l. 10. Hist. nat. Pisc. c. 11.)* autor est, quod iterum *Kircher. (l. 3. Mud. magnet. p. 6. c. 2.* §. *6. p. 529. sq. & tripl.*

Regn.

Regn. magnet. S. 4. p. 168.) puncto firmat suo, ut idcirco Magnes Æolius, ab Arabibus vero passim Alalrucho, hoc est DEUS ventorum, â Germanis *Sechatur* f. Gallus marinus appelletur. Idem & hirundinem marinam præstare laudatus *Kircher. (c. l.)* propria edoctus experientia perhibet. An Gulo veracissimum animal huc spectet, cujus pellis detracta & præparata in hominis phantasiam adhuc agit *(Vid. Ol. Magn. l. 18. Hist. sept. p. 436.)* & solo tegmine externo traducitur phantasia animantis quondam vivi, pellibus hospitata in homine ad dormiendum, *ut J. B. Helmont. (tr. de magn. vuln. curat. n. 165. p. 618.)* loquitur, ut dormientibus sub harum pellium integumentis evenire soleant somnia, ejus animalis vitæ & naturæ conformia, in insatiabilitate devorandi & bestiis insidiis faciendis & præcavendis, quod forsan sub ratione fit, ut qui Zingiber & Piper commedunt comburi videantur: & Sacharum manducantes aquis suffocari credantur. Videtur, *pergit Olaus*, & aliud subesse naturæ secretum, ut iis pellibus induti bibendo & comedendo nullum saturitatis signum relinquant. Apum cum homine vivente Sympathiam concludet, qui leget *ap. Ciceron. (l. 1. de divinat.) Plin. (l. 1. c. 17.) Valer Max. (l. 1. c. 6.) Edmund. Neuhus. (l. 2. Fatid. Sacr. c. 14. p. 249.)* eas sessitasse in ore & cunis *Platon. Ambros. (Sim. Majol. Colloqv. 5. p. 167.) Pindari* juvenis, Thespias proficiscentis, & in via dormientis ori mellis succum adleverunt, *(Paus. in Bœot. s. l. 9. c. 23. p. 754.) Nic. Leonic. Thomæus (l. de var. hist. c. 48. p. 70.)* infanti vero pro lacte mel præbuisse *(Ælian. l. 12. var. hist. c. 45. p. 332.)* Hieron. expositum congesto circa jacentem melle multis diebus aluisse *(Justin. l. 23. c. 4. Plura* collegit *Nicol. Frischlin. in Hymn. 1. Collimach. v. 49. p. 185.)* Apes in alveariis mortuo patre aut matre familias, si non comperta morte eorum oppidò in alium transferantur locum, plerumque emori, idque ab iis compertum esse, quos minime superstitione circumveniri credidit *Phil. Cammerar. (l. 1. Horar. Subsec. c. 73. p. 335. sq.) Add. Simon. Majol. contin. (T. 2. Colloqv. 3. p. 234.)* Quin ut Apes in tumulis circa cadavera inventas *infra (l. 3. T. 1. §. 1. 49. 150.)* commemoravi. Quando canes, Equi, oves & alia domestica animalia repente moriuntur, mortuo hero longè distante, ut mortem ejus animalia illa cognoscere non potuerint, id non ex Sympathia accidere, sed itidem vel casu, vel alicujus etiam mali genii opera, quos credibile est talia crebro præstare, ut homines ad superstitiones, observationes & augurandi artes inducat, suspicatur *Laurent. Forer (Virid. Philos. Disp. de Symp. & Antipath. p. 193.)*

§. 153.

Addam & illud, bruta viva erga humana cadavera etiam suam declarasse Sympathiam annotatum. Delphino præter omnia animalia & soli id natura dedit, docet *Plutarch.* (*l. de Solert. anim. p. m. 90.*) quod optimi requirunt Philosophi, ut amet gratis. Nullam enim ad rem homine opus habet omnibus, benignus est, omnes amat, multis auxilium tulit. Atque *Arionis* historiam omnium ore celebratam nemo ignorat. Et paulo post: Apud Nemeum Delphini cadaver *Hesiodi* mari jactatum sustulerunt, aliique ab aliis studiose excipientes ad ripam exposuerunt, occisumque hominem demonstrarunt. Et (*p. 19.*) De *Cœrano* naufrago â succurrente Delphino sublato, & in Cydnum delato meminit, cum defuncti necessarii prope mare cremarent, multi Delphini ad littus apparuerunt veluti ostentantes se ad persolvendum justa venire, & dum id conficeretur advenire. Sola Raja in mari Gethico, ubi Rocca dicitur, observata est insigni pietate naufragorum corpora â grassatoribus piscibus tueri, *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 189. s. 5. p. 621.*) constat testimonio. Os milvi piscis aurum trahere *Scaliger contra Cardanum*, quid impossibile judicabat (*l. 5. de Subtil. p. 273.*) *Exerc. 102. S. 5. p. 374.*

§. 154.

Antipathiæ crebriores, quæ mortuo corpori cum mortuo intercedunt secreta & quadam abdita proprietate, ut *Ambr. Pareus*, (*l. 1. Op. Chirurg. c. 40. p. 41.*) loqui amat, apud historiæ naturalis scriptores leguntur. Qui & Lupi dissidium cum morte non expirare multis probatur. Si altera pars tympani lupina pelle, altera ovilla obducta fuerit, tum pulsato tympano illico ovilla rumpitur, differit *Jacob. Pontan.* (*p. 3. Bellar. Attic. Syntagm. 4. n. 17. p. 359.*) illiusque magis, quæ â lupo vim aut terrorem pertulit, addit *Th. Campanella* (*c. l. p. 299.*) Ita namque remanere affectum in pelle ovis â lupo quid passæ, ac deinde tympanizando excitati, sicuti nausea Spectandi cibum, quem alias evomuit, palam esse dicit. (§. *300.*) Lupi sic ovibus exitio, ut odium post obitum servent, narrat *J. B. Porta* (*l. 1. Mag. nat. c. 14. p. 33. & 34.*) nam si lupina pelle tympanum accommodabit, inter cætera ex ovibus pulsatum audies sonoris omnibus & obmutescere ea faciet, ex ursi vel lupi corio confectum & pulsatum longè equos abigit & fugat. Et si ex omnibus eorum intestinis Chorda in lyris tereduntur, obstrepent nec temperamentum unquam efficient. Lupi tympanum facit tympanum ovis obmutescere & raucum edere sonitum *Casp. Caldera de Hæredia* (*Tribunal. Mag. Med. Stat. 13. Artic. 2. p. 83.*) meminit, & addit, Lupi pellis pellem ovis con-

sumit.

ſumit. *Add. Oppian.* (*l. 3. Cynæget.*) *&* *And. Chioc.* (*S. 6. Muſ. Calceolar. p. 682.*) ob Antipathiam in pellibus Lupinis & ovinis pediculi dicuntur naſci. Corium Leonis cum corio Lupi poſitum, hoc & alia coria depilare *Alb. Magn.* (*l. 22. Hiſt. Animal. f. 181. a.*) in literas retulit. Hyænæ præcipue Pantheris terrori eſſe traduntur, ut ne conentur quidem reſiſtere, & aliquid de corio eorundem habentem non aggredi, mirumque dictu ſi pelles utriusque contrariæ ſuſpendantur, decidere pilos Pantheræ *Plin.* (*l. 28. c. 8.*) habet. Reliquarum avium pennæ, ſi cum aquilæ componantur pennis, pereunt, defluentibus ob putredinem plumis, *Plutarch.* (*l. 5. Sympoſ. probl. 7. p. m. 270.*) obſervat. Aquilæ pennas avium mixtas pennas devorare *Henr. Ranzov.* (*Calendar. Roman. &c. p. 38.*) pronunciat.

§. 155.

Sangvinem Ægithi & Flori piſcis miſceri non poſſe *Ariſtotel.* (*l. 9. Hiſt. Anim. c. 1.*) tradidit. Bellant inter ſe Aquilæ & Dracones, Cornices & Noctuæ, pari & ſpini, (Ægitalli & Acanthillides, Ægithum & Anthum habet *Plin. l. 10. c. 74. & hunc è Plutarch.* corrigendum cenſuit *Joh. Langius l. 2. Epiſt. Med. 31. p. 697.*) adeo ut horum ne quidem interfectorum ſanguinem prædicent permiſceri, & ſi confuderis diſſociet ſe fluatque ſeorſim, declamat *Plutarch.* (*l. de od. & invid. diff. p. m. 316.*) Fortaſſis ſi periculum fieret interemti & veri percuſſoris ſanguinis non ſimiliter miſcerentur, ſed confuſi ſeparentur, *Andr. Libav.* (*de Cruent. Cadav. th. 244. p. 128.*) conjicit. Balænæ oleum cum ſevo nulla arte poteſt componi. Continet enim Balenæ adeps & orcæ & aliorum ejusdem ſeminaria quædam aquæ, quibus diſſimilis ſit, in ſpecie *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 101. ſ. 10. p. 355.*) ratiocinatur.

§. 156.

Cadavera duorum Rabbinorum inimicorum ſanguinem in ſe vibrantium hiſtoriam *Joh. Gerſon.* (*p. 2. Talmud. p. 499.*) condidit. De *Oedipi Thebanorum Regis* filiis *Eteocle* & *Polinice*, de Regno certantibus, mutuisque vulneribus ſe conficientibus perhibent, eorum cadaveribus vago impoſitis fumum & flammas quaſi diſciſſas apparuiſſe, ventus quamvis vehemens extaret. Ita *Higyn.* (*Tab. 68. p. 77.*) *Joh. Boccat.* (*l. 2. de Geneal. Deor. c. 73. p. 54.*) De his *Papin. Stat.* (*l. 12. Thebaid. v. 429.*)

Ecce iterum fratres primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, & novus advena buſtis
Pellitur, exundant diviſo vertice flammæ
Alternosque apices diviſa luce, coruſcant.

Idque

Idque imprimis notatu dignum sacra Thebis facta semper flammis hoc modo dissilientibus memorat *Pausa.* (*Bœot. s. l. 9. c. 19. p. 745.*) succinit *Ovid.* (*l. 5. Trist. Eleg. 6. v. 33.*)

Consilio, commune sacrum cum fiat in ara
Fratribus, alterna qui periere nece.
Ipsa sibi discors tanquam mandetur ab illis,
Scinditur in partes atra favilla duas.

Et in Ibin (*v. 35.*)

Et nova fraterno veniat concordia fumo,
Quam vetus accensa separat ira pyra.

Dixit *Bianos*, (*l. 3. Aritholog. Vet. Græc. Edit. Hier. Megisseri c. 14. p. 216.*) nec hos apud inferos concordes fratres, hoc argumento, quod semper ubi inferiæ iis fiant, ignis dissilire consueverit. Plura in hanc rem *Casp. Barth.* (*in c. 12. Thebaid. Stat. v. 431. Animadv. p. 1492. sq.*) suppeditat.

§. 157.

Imitatus *Statium* forsan *Silius Italicus*, (*l. 16. de Bell. Punic. v. 537.*) aut ille forsan hunc cum *Papinius* floruerit A. P. N. C. 85. *Silius* A. 68. vid. *Seth. Calvis.* (*Chronol. p. 326. & 334.*) de *Corbe & Orsua* sequentia cecinit:

Concurrere animis, quantis confligere par est,
Quos regni furor exagitat, multoque cruore
Exsatiata simul portantes corda sub umbras
Occubuere; pari nisu per pectora adactus
Intima, descendit mucro, superaddita sævis
Ultima vulneribus verba & convitia volvens
Dirus in invitas effugit Spiritus auras
Nec manes pacem passi: nam corpora juncta
Una cum raperet flamma rogus, impius ignis
Dissiluit, cineresque simul jacuisse negarunt.

Multa in hoc recensu desiderat *Casp. Barth.* (*ad. l. 11. Thebaid. Stat. v. 500.*) Ficta non vera hæc narratur historia, *infit*, ad Thebanum par composita, neque enim gemini aut fratres fuerunt, neque ceciderunt ambo. Nec ideo flammarum portentum, *addo*, *Livius* (*l. 28. c. 21. p. m. 346.*) qui primus hanc historiam recensuit, subjunxit, nec qui *Livium* (*l. 9. memorab. c. 11. p. m. 432.*) secutus est *Valer. Maxim.* Antipathiam illam in Rosas tumulis inimicorum plantatas, quasi è *Libavii* narratione concludere quis posset (*c. l. th. 250. p. 129.*) Nolumus, *ait*, pro certo affirmare: asserunt tamen aliqui, quod duorum

hosti-

hostium sepulchris contiguis impositæ Rosæ, postquam adoleverant, licet studiosissime connexæ fuissent non potuerint una manere. Contra de duorum amatorum itidem sepulchris impositis Rosis refertur, quod divelli non potuerint.

§. 158.

Mortua in vivos agere pariter annotatum animadvertes. Credo, *notat. Th. Campanella. (c. l.)* Tympana lupina equos fugare posse; & ex pelle Draconis Elephantes. Nam si conficias Chordas ex intestinis vulpis pulsando eas in lyra, fugiunt Gallinæ: & ex Lupinis fugit ovis, & ex nervis viperæ absterrentur mulieres ab hac bestia pavere solitæ, & contrariorum animalium chordæ in duobus instrumentis pulsatæ obstrepunt & rumpuntur. Lupi stercus in stabulis pecudum occultatum non solum eas â consveto cibo deterret, sed etiam veluti œstro quodam maleficii actas ultro citroque exagitari, balare & continenter trepidare cogit, ac si præsens esset, aut cum eis diversaretur ac voracissimus illorum hostis Lupus (*Cent. 8. memorab. n. 5. p. m. 164.*). *Anton. Mizald* voluit, Magorum cadavera aves non attingere *Andreas Libav. (ap. Gregor. Horst. l. 2. Epist. Med. S. 17. p. 589.)*. Adde infra *(l. 2. Tit. §. 62.)* Pestifera etiam (§. *60.*) & venenis enecta (§. *62.*)

§. 159.

Felicitatem in bello operari Alexandri M. Cadaver olim quibusdam persuasum. *(J. C. Dannhauer. Colleg. Decalog. p. 59.)* Refert historia Francica (*De Turcic. Imp.*) *Agmet* modernum imperatorem regnantem patris sui *Mahometi III.* defuncti cadaver in exercitu secum transportasse, ex eo victoriam certam sibi pollicens, & persvadens, narrat *Heinr. Kornmann. (p. 4. d. m. m. c. 90.)* Idem de ossibus *Georgii Castriotæ S. Scanderbegii Polemarchi illustris* olim superstitiose creditum fuit apud Turcas, quod testatur *Paul. Jovius (l. 3. Elog. p. 234.)*. Quocirca eorum, in Lyssum oppidum irruptione facta, ossa ejus è Sepulchro violenter eruta singuli milites pixidulis seu argenteis, seu aureis sedulo includebant, ut per ea sese â cunctis belli periculis vindicatos servarent, sibique adversus insurgentes bellantium hostium impetus animos præstarent invictos, *citat Mich. Baldit. (Specul. Sacr. Med. angul. 5. p. 177.) Joh. de Trosnoa, Trosnau* vel *Trosnova*, in inscriptione sepulchri *ap. Zach. Theobold (p. 3. de Bell. Hussit. c. 56. p. 226.)*. *Joh. Ziska â Calice* vocatur, Nobilis Bohemus post amissum in conflictu oculum *Tziska* dictus *(Vid. Nobiliss. Dn. Joh. Dan. Major. Hesperus Noster Bevoelckertes Cimbrien. c. 30. p. 42.)* moriturus mandat mortuo sibi cutim carnis deradi, eam pro corio induci tympano,

quod ubicunque audiverint hostes pollicetur fugituros. Moritur ille, faciunt amici quod jussit: reperiunt quod ille promisit. Ita permittente DEO regnat Diabolus in membris suis, *commentatur Alb. Kranz.* (*l. 3. Wandel. c. 9. p. 253.*) Add. *Æn. Sylv.* (*Hist. Bohem. c. 46. p. 100. & l. 1. Epist. 130. p. 600.*) *Joh. Cochlæus*, (*l. 5. de Bell. Hussit. p. 226.*) Zach. *Theobald.* (*c. l. p. 227.*) citat *Theod. Funccium*, (*Histor. Scanderbeg.*) *Kornmann.* (*c. l. c. 89.*)

§. 160.

A verminatione Cadaverum etiam sensum cadaverum deduxit *Hieron. Cardan.* (*l. 3. de util. ex advers. p. 727.*). Generantur vermes in cadavere, quorum sensus ex nihilo manare potis non est, nec ex materiæ potentia, vel sinu, quæ suscipit tantum, non dat. Ergo inerat cadaveri sensus, calorque nobis occultus, qui natura activus cum sit, nunquam agere cessat, aut obliviscitur, proptereaque cessit & liquefacit & attenuat molem & fœtere facit. Dum ergo agitatur calor, & ex portione viscosa tenuem segregare non valet, ingenerat Spiritum & fit vermis, vel aliud animal, cui magis cognata est temperies, illius caloris & illius sic effictæ molis, conclusit *Th. Campanell.* (*c. l. c. 9. p. 297.*) Idem ex unguium & capillorum incremento & proventu colligit *Cardan.* etiam (*c. l. p. 298.*) in cruentatione cadaveris præsente occisore.

§. 161.

Sed hæc omnia gratis afferuntur & citantur. Non anima sentit, non corpus, sed homo. Veritate sua micat illud *Scaliger.* (*Exerc. 102. f. 5. p. 374.*) Hominis anima extra hominis corpus actionem habet nullam. Ratio præstò est, cum absque instrumentis anima possit nihil, adeoque ad actiones edendas corpore organico opus habeat. Si verum est illud *Tertulliani* (*l. de carn. CHRIST. p. 24.*) opinor, *inquit*, sensualis est animæ natura, adeo nihil animale sine sensu, nihil sensuale sine anima. Et ut pressius dixerim animæ anima sensus est, cadaver anima exutum, unde sensum obtinebit? Qui inani conjectura ad animæ reliquias devolvuntur, qui suam ignorantiam palliabunt? Audiamus iterum *Tertullian.* (*l. de Anim. p. 649.*) Anima rationalis est simplex, & de suo tota non magis instructibilis aliunde, quam divisibilis ex se, quia nec dissolubilis. Si enim structibilis & dissolubilis jam non mortalis. Itaque quia jam non mortalis neque dissolubilis, neque divisibilis. Nam & dividi, dissolvi est, & dissolvi mori est. Adde *supra* (*§. 145. 146. 147.*) *infra* (*l. 2. Tit. 7. §. 70.*) & *Henric. Kipping.* (*l. 7. instit. Phys. c. 3. n. 9. p. 270.*)

§. 162.

§. 162.

Reliqua de anima vegetativa & ſenſitiva, de Spiritibus etiam modò expedita. Ad innati caloris remanentiam provocas. Et quomodo â cadavere proficiſci actiones prioris formæ per calorem nativum deducis, cur cadaver ſit cadaver per extinctionem calidi nativi? *Joh. Sperling.* (*de calid. innat. p. 58.*) Detur, Spiritus S. calidum innatum remanere in cadavere, quales vero illi, quantique pauci & debiles, adeoque nullius virtutis & efficaciæ, ſi tempus requiras, breve eſt & aliquando momentaneum. Quod ſi calorem putredinalem in medium afferas, & ille vix talis apparebit in cadavere præterquam accedente prohibita tranſpiratione, de quo paucis olim egi (*Epiſt. ad Mollenbroc. Caſp. Theophili Bierlingi Theſaur. Theoret. Practic. neſcio quo fato n. 16. p. 189. inſerta.*)

§. 163.

Quod ad Sympathias & Antipathias mortuorum cum vivis, aut mortuorum cum mortuis ſpectat, judicium inſignis illius Philoſophi Anglici *Franc. Bacon. de Verulam.* (*oper. col. 483.*) impura eſt admodum hæc pars Philoſophiæ, de Sympathia & Antipathia rerum, quam etiam naturalem Magiam appellant, atque (quod ſemper ferè fit) ubi diligentia defuit. Operatio autem ejus in hominibus, prorſus ſimilis eſt ſoporiferis nonnullis medicamentis, quæ ſomnium conciliant, atque inſuper læta & placentia ſomnia immittunt. Primo enim intellectum humanum in ſoporem conjicit decantando proprietates ſpecificas, & virtutes occultas, unde homines ad veras cauſas eruendas non amplius excitantur, nec evigilant; ſed in hujusmodi otiis acquieſcunt: Deinde innumera commenta, ſomniorum inſtar, inſinuat & ſpargit. Sperant enim homines vani naturam ex fronte & perſona cognoſcere, & per ſimilitutines extrinſecas, proprietates internas detegere. Practica quoque inquiſitioni ſimillima Præcepta Magiæ naturalis talia ſunt, ac ſi confiderent homines terram ſubigere & panem ſuum comedere absque ſudore vultus, & per otioſas & faciles corporum applicationes rerum potentes fieri, ſemper autem in ore habent, & tanquam ſponſores appellant Magnetem, conſenſum auri cum argento vivo & pauca hujus generis ad fidem aliarum rerum, quæ neutiquam ſimili contuitu obligantur. *Add. Excell. Joh. Chriſtoph. Sturm.* (*T. 1. Phyſ. Electiv. S. 1. c. 9. p. 444.*)

§. 164.

Hæc omnia ad exactam veritatis lancem & obruſſam *Vir Magnus.* Bone DEUS, quot in doctrina de Sympathia & Antipathia rerum fabulæ, anilitates, futili-

futilitates, oscitantiæ & supinitates. Digessit has ingenti promiscuaque farragine, *Sylvester Ratray*, (*adit. ad Sympath. & Antip.*) non intentus an vera, an falsa, an veritatis sustineant cotem, an è paludoso quin & superstitioso vulgi & mulierum promanarint cerebellulo. Scilicet segreganda erant vera à fabulosis, incerta & dubia à probatis & expertis, quin & illa quorum ratio haud difficulter dari potest, ab illis quorum ratio in *Democriti* puteo adhuc latitat. Sunt, qui fingunt occultas proprietates, quas experientia deinde non comprobat, *scribit* (*l. 1. System. Physc. c. 8. Theorem. 2. p. 52.*) *Barthol. Keckermann*, aut qui etiam quæstus vel gloriæ causa hominibus imponunt, iisque persuadere conantur, quasi nonnullis rebus mirabiles quædam & occultæ vires insint aliis hominibus incognitæ, sibi autem solis notæ: Id quod usitatissimum est Gemmariis & Alchymistis, à quibus plurimi sub titulo occultarum proprietatum omnibus temporibus decepti sunt. A latere horum stant etiam Mercatores & Patres Jesuitici cum aliis missionariis, quod è *Francisco Redi*, (*Experim. Natur. passim.*) constat. Ut unda undam trudit; ita error errorem excludit. Datoque uno absurdo plura seqvuntur. Quod imprimis è præsupposita de ovis cum lupo Antipathia mox clarum evadet,

§. 165.

Quod de Phocæ pelle, pilorumq; in eadem motu, aëris dispositioni ascribendum, poros pellis crispantis, ut pilos surrigat. De Physa & hirundine marina id quidem, cum experientiæ tantorum Virorum prostent, non nego, nec vim ἀνεμοδεοπτικὴν in mortua explodo, non tamen sensus inde elicietur, de quo nobis hic sermo, adeoque inter specificas qualitates, etiam in mortuis remanere solitas, recensuit *Athan. Kircher.* (*l. 3. M. Magnet, p. 4. §. 6. p. 531.*) E Gulonis data historia atomorum evaporantium sphæræ singularis pariter proprietas emergit, non secus ut è pelle lupina ventriculi regioni superstrata appetitum movere quidam è Medicis moliuntur. Quæ de Apibus allegantur casu, non motu interno facta credo, si contigerunt, quamvis etiam adulationem subolere quis posset, ut in postremo casu credulitatem. De Delphini etiam in hominum cadavera propensione, historia non ita firma mihi videtur, ut quidem conjiciunt talium assertores. Fictiones potius Poëticas esse dixerim. Aut si joco locus esset, ex *Scaliger.* (*Exerc. 224. s. 5. p. 704.*) proderem, Delphini carnem, corium, oculos ad suillam speciem non malignè accedere. Inde maris sus Vasconibus, Gallis, Germanis. Sanguis autem porci & sanguis hominis sunt similes in omni re, sicut & carnes amborum sunt similes in omni re, docuit (*l. 2. Canon. Tr. 2. c. 610.*) *Avicenna*, quod allegat *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Hist.*

1. *Hist. Med. Princ. 28. qu. 18. p. 54.*) ſed non bona fide, quod vitium ipſi familiare fere eſt. Locus namque allegatus eſt de ſplene, ubi ſplenis ſaltem porci mentionem fecit, nil de humano. Nec ubi de carnium differentiis bonitate & noxa verba fecit (*c. l. c. 142.*) hujus homo geneitatis aliquid annotavit. Clarius *Galen.* (*l. 3. de Alim. Facult. c. 2.*), Suillæ carnis ſimilitudinem cum humana ex eo poteris intelligere, quod quibusdam factum fuiſſe jam compertum. De odore carnis humani facile aſſenſum ſuum, qui coctioni oſſium pro ſceleto conficiendo mecum interfuerunt, largientur. Succinunt noſtri in trivio: *Ein Menſch ſey im Leibe geſtalt, wie ein Schwein.* A ſimilitudine igitur, ſi joco ratiocinari licet, Sympathia iſta propullulat. Ut *Philippus Naufragus* ſuper patris cadavere caſu ſalvus enatavit, ut eſt ap. *Cüchler.* (*Antholog. Græc. Cent. 4. p. 313.*) & *Cornutus* alterius in *Mario.* (*p. 76.*) Ita & hic Delphini Sympathia donec res compera felicior exulare poterit.

§. 166.

Ridiculæ ſunt Antipathiæ v. g. ovis & lupi Animal pavidum eſt ovis, non ſolum lupum pavet, ſed & canes, & quæ non bruta, quin & hominem? Ovem lupus interimit, non ex Antipathia, ſed Sympathia, cum ejus carne paſcatur & ſatietur. Quis inter capreas, cervas & cervos & lupum unquam Antipathiam commentus eſt, cum æque eos occidat, iisque veſcatur. Si vis ad mentem Carteſii philoſophari audire, *Anton. le Grand* (*Hiſt. Natur. p. 2. Art. 10. n. 4. p. 90.* audi. Ovis viſo lupo in fugam ſe conjicit, quoniam talis eſt in ea fibrarum plexus, ut lupi corpore reflexum lumen, eam affectionem producat, ex qua fugæ motus ſequatur. Evibrantur enim è lupi corpore rodii, qui tenuiſſima nervorum opticorum fila moleſte afficientes, cerebrum ſpiritusque in eo contentos commovent, eosque in nervos & muſculos deducunt eo modo, quo ad fugam arripiendam neceſſum eſt. Fecit fabula fabulis fidem, in quas retrolapſa ſecula pronos invenias. Inde fidium ex inteſtinis lupi & ovis, tympani etiam ex pelle lupina & ovilla diſſonantia. Non viderunt boni iſti Viri inteſtinorum lupi & ovis pellium inter diverſam texturam. Idem in corio lupi & arietis divinare licet. Quid ſi è *Mart. Zeiler.* (*Cent. 5. Epiſt. 17. p. 734.*) ovem lupum peperiſſe adderem? Quod una pelle citius aut tardius pili decidant, pororum cutis laxitati, & radicum debilitati, tribuendum. Aquilæ pennæ aliis pennis additæ, eos non conſumunt, ſed durabiliores & firmiores, reliquis ſua natura conſumtis, perennant. Et ſi conſumerent, prout etiam vulgo placet, dum dicit: *Es ſind Adlers Federn*, cur quis Antipathicum quid inferret, non video. Quod fluida, v. g. ſanguines non omnes miſceri invicem queant, à diverſa

versa eorundem textura dependet. Idem in Balæna oleo & sævo cogitandum, & quis oleum aquæ Antipathiæ contrarium finxit, cum pororum & atomorum irregularitas & indispositio id removetur. Si sanguis interfectoris & interfecti misceri exacte recusent, aliæ causæ suberunt, cum primis calor in occisoris, frigus in occisi sanguine multam faciet paginam. *Vid. infra* (*l.* 2. *Tit.* 17. *§.* 85. *sq.*)

§. 167.

Sanguinis duorum Rabbinorum in se vibratio, Rabbinicum, seu trabale mendacium est. Flammarum in rogo divisio ut naturæ contraria & annilis, ita furori Poëtico debetur, & Rosarum dissensus in hostilibus, liliorum verò consensus in amantium sepulchris lepidum & svave somnium. Capita in vita contraria post mortem juncta absque vindictæ sensu recitat *Joh. Weick. Valvasor.* (*l.* 4. *Carinth. c.* 24. *p.* 575.) De ponte etiam cadit mortuorum in vivos actio. Quæ de heroum reliquiis adduntur, si superstitionem & palpum excludas, pari passu ambulant. Qui à verminatione cadaveris sensum præstolantur & præsumunt, cerebrum in calcaneo gestant. Quis & caseo sensum denegaret, è quo etiam vermes reponit? *Sim. Simon.* (*Diss. de Putred. comm.* 211. *p.* 210.) addo, & quis ipse stercori ipsi? Aliam esse verminationis, non ridiculam illam causam, *infra* (*l.* 3. *Tit.* 1. §. 169.) disputatum. *Add. Vol. General.* (*Diss.* 2.)

§. 168.

Cujusdam Anonymi tenebrionis *Thom. Erast.* (*p.* 3. *de Nov. Paracels. Med. p.* 23.) mentionem fecit, qui (*propos. Sarmat.* 7.) in carne cadaverum vitam superesse, non veram quidem, sed aliam quandam, quam præservatam vocat, dum putrescat. Ac proinde segregari ab ea quintam essentiam, non vivam, sed tanquam mortuam. Similis *inquit*, ratio est herbarum exsiccatarum. At metalla, gemmæ, lapides unicam vitam & essentiam habent: non moriuntur. Quæ quidem obscure satis novarum vitarum artifex, quem non moror. Cæterum verum est remanere in cadavere corrupto accidentia, *Helmont.* (*Tr. de Magnet. Vuln. Curat. n.* 38. *p.* 601.) quod vires eorum aprico exponunt soli. Spiritum insitum confermentatum vocat acute *Mich. Ettmüller.* (*Vol.* 1. *Op. p.* 3. *§.* 13.) à quo omnia mirabilia in cadavere patrantur. Mumiam post *Paracels.* vocat *Andr. Tenzel.* (*Med. Diastat. Tr.* 1. *c.* 1. *p.* 13.) Expresserunt id primi Philosophi vi specifica, quam etiam totius substantiæ proprietatem (*l.* 3. *de Art. Magn. p.* 3. *c.* 3. *p.* 542.) *Kircher.* indigitavit, & hanc in vivo non tantum esse, sed & in mortuo manere dictitat (*c. l. p.* 6. *c.* 2. *§.* 6. *p.* 531.) vegetabilium Mo-

nar-

narchia id apprimè comprobat, Aromaticorum imprimis Oleoſorum, quod Chemicorem operæ blando exponunt ſoli.

§. 169.

An expirando, an inſpirando moriamur, non ſemel in Controverſiam venit. Morbi & genus mortis diſtinguendum. In laqueo aut aqua aut fumo ſuffocatis inſpirando vitam finiri probabile eſt, quod & in Dyspnœa, in Aſthmate apoplexiæ & morbis convulſivis Diaphragmatis contingere certum, & his ſubſidens ſeptum transverſum & viſcera abdominis conſuetum ſuum occupant ſpatium. Contra cum laxantur fibræ pulmonum (ut in omnibus cadaveribus videre licet) ſurſum fertur Diaphragma, & fit expiratio, & infimi ventris retractio. Fieri autem expirationem in fibrarum hac laxatione, & ſepti retractione ex mortuorum inſpectione abundè probatur. Expirando enim omnes moriuntur, *concludit Nathanaël Highmor.* (*l. 2. Corp. Hum. Diſquiſ. p. 3. c. 3. p. 186.*) in quibus ſeptum laxum & ſurſum retractum ſemper invenire licet.

§. 170.

Aliud problema *Dn. D. Joh. Lud. Hannemann.* (*ap. Th. Bartholin. Vol. 4. Act. Hafn. obſ. 13. p. 45.*) in medium produxit, diſquirendo unde plerique moribundi circa oceanum cum receſſu maris animam proſcribant? Meo arbitratu, *reſpondet*, id inde evenit, quod quando oceanus recedit cum ſuo refluxu, tum ſimul inſitum in aëre pabulum ſpirituum ſecum rapiat, ac illud ipſum tum in tanta copia non perſiſtat, quantam ſufficit ad ſpiritus alendos & refocillandos, tumque una maximè conveniens refrigerium, dulce nectar ſpirituum vitalium, & oceano aſſurgens ſubtrahitur, quamdiu enim oceanus ſubſiſtit in ſuo affluxu, quam jucundiſſime illud refrigerium alluit fauces & pulmones, imo cor ipſum, ac hominem quaſi in vita retinet, cum autem illud nunc cum refluxu oceani rapitur, neque novum ſuccedit recedente mari, homo extinguitur. Quare oceanus ſuis accolis aërem purificando, ad eum jucundiſſima refrigerii aura imprægnando uſui eſt, hinc etiam homines imbecilles ut plurimum recreantur rurſum affluente mari vel oceano. *Hæc Dn. D. Hannemann.* cujus ratio an hic militet, equidem diſquirere nolo, fore verò quam plurimos, quibus eadem non ſufficiat, facile conjectandum.

§. 171.

Fuit autem animalium cadavera videre jam olim & nunc omnibus fere hominibus abominabile, in quam rem præclara collecta ſuggeſſit *Caſp. Barth.* (*in l. 6. Thebaid. Papin. Stat. v. 205. p. 425.*) & gentilibus ad funeris occurſum principis

cipis oculos temerari & impiari erat persvasum. De cadaverum contagio quædam *(l. 1. Tit. 2.) infra.* De eorum fœtore intolerabili (*l. 2. Tit. 3. §. 1. & l. 3. Tit. 1. §. 81. 82.*). Cur DEUS in lege vetuerit, corpora suspensorum (etiam Ethnicorum) relinquenda in patibulo, neve sol super ea occidat, quærit *J. B. Helmont.* (*tr. de mag. vuln. curat. n. 118. p. 612.*) quem vide.

§. 172.

Interim multa ex homine arcana ex Alembici & cucurbitarum uteris prodire Chemici gloriantur. Secretum totius Artis maximum est medicamenta à corpore humano desumta in hoc arte miracula maxime præstare posse, si debite adhibeantur, inculcat *Gvillelm. Maxvell.* (*l. 2. Med. magnet. c. 6. p. 108.*) cautelasque (*c. 7. p. 110. sq.*) suggerit. Plura magnifica & miraculosa suggerit *Paracels.* (*l. 4. de orig. morb. invisib. p. 106.*) quem, si lubet evolve. Carnem interim vivam & mortuam differre maxime *Honorat. Fabri* (*l. 2. de generat. hom. prop. 47. p. 260.*) non omnino improbandum decretum, prout etiam inter occisa & mortua probe distinxit (*l. 6. de Natur. rer. p. 695.*) *Paracels.* Ideo cadaver morbo defunctum paucarum aut nullarum virium erit. *Vid. Helmont.* (*tr. de mag. vuln. Curat. n. 95. 96. p. 610. & tr. Tumul. pest. p. 857.*) Quod sane contra Mumiarum Ægyptiacarum basiatores notetur volo, neve è retolleo Artis arcana expectent, & nubem pro Junone venerentur. Conf. supra (*§. 129.*)

§. 173.

Homines pharmacos natura & arte tales *olim* (*Pnevmatopægn. S. 1. Artic. 11. §. 5.*) in Theatrum produxi. Jam cum mortuos vivorum Medicos aliquando extitisse propria experientia prodiderit *Dn. D. Petr. Romel.* (*M. C. Dec. 3. An. 2. Obs. 255. p. 335.*) pauca quædam noviter propalata (reliqua antecedentium seculorum experimenta collata) dudum *libris duobus in Medico Microcosmo s. Spagyria Microcosmi* evulgavit. *Dan. Reckher. & Joh. Joach. Becher.* (*in Parnass. med. p. 5.*) De sudore morientium hæc *Helmont.* (*Tr. latex humor. neglect. n. 17. p. 303.*) sudor ille mirificas vires mortificandi hæmorrhoides, & excrescentias possidet.

§. 174.

Solum etiam tactum cadaveris manus & fricationes partium morbosarum; Immatura morte raptorum manu strumas, parotidas guttura tactu sanari, *Plin.* (*l. 28. c. 4.*) affirmat. Ita refertur de quadam matrona in Anglia (*commentatur Noster Georg. Wolffg. Wedel. Physiolog. Med. S. 3. c. 27. p. 189.*) quod Scirrho Lienis laborans solo manus defuncti ad anatomen desti-

destinati cadaveris affrictu fuerit curata. Novi quendam consiliarium Saxonicum Lubecæ, *pergit*, ab excrescentia palpebrarum ingentis magnitudinis phtisicæ defunctæ manus applicatione & affrictu solo fuisse curatum. Repetit hæc, (*M.C.D. 2. An. 1. obs. 11. p. 23.*) *vir. celeberrimus* & (*p. 25.*) de tuberculis in palpebris, tumore sub mento & verrucis in manu non contemnenda supperaddidit. De verrucis hoc modo curatis evolv. *Act. Ang.* (*A. p. 156.*) Imprimis in Sturmis eradicandis celebre nomen tulit (*Vid. iterum Wedel. l. 6. comp. Clin. Exempl. c. 23. p. 162.*) Ægrotum etiam lento morbo consumtum manu scrupuloso tumori imposita, donec de ejusdem frigiditate ad intimas tumoris partes sensum percepit, singularem observationem *Rob. Boyle* (*de Specif. Remed. propos. 6. p. 97.*) reliquit. Manus pthisi mortui præferunt *Ido & Joh. Christoph. Wolffii* (*l. 1. obs. Chirurg. Med. 23. p. 80.*) cum penetrans calor sudorque in pthisicis observetur & sæpissime in & statim post mortem udæ sint horum manus. Meminit hujus curationis etiam *Th. Bartholin.* (*cent. 3. hist. anat. 66. p. 128.*)

§. 175.

Singularis est illa *Frid. Lossii* (*l. 3. obs. med. 42. p. 272.*) quæ ita habet: Novi hydropicam quandam, cui venter in tantam molem excreverat, ut in dies rupturus videretur, & ægra â Medicis pro deploratis fuerit habita, quæ tamen peregrini cujusdam forte transeuntis svasu ventrem manu demortui adhuc calente aliquoties demulcendo & hydrope paucissimorum dierum spatio in totum fuit liberata, profusa tum per alvum, tum vesicam, incredibili aquarum copia. An hoc factum sit imaginationis vi, an verò effluvio aliquo ex demortui corpore emanante, judicent Alii. Maculas fœtus præterea delere *Helmont.* (*tr. de mentis idea n. 46. p. 227. & tr. Tumul. pest. p. 857.*) testimonio constat; Macula (aut verruca) fœtui impressa admota manu cadaveris longa tabe extincti omnique vitæ proprietate exuti, donec frigus partem maculatam penetraverit, (quod fit spatio unius miserere,) de cætero sponte evanescit. Quid *Romelio nostro* profuerit cadaveris anatome in dolore carpi & debilitate manus inde emergente (*c. l.*) prolixius narrat. Curam ebriositatis, quam curam per mortificationem Angli dicere solent, recitat *Dn. D. Ambros. Stegmann.* (*M. C. D. 3. A. 1. obs. 15. p. 35.*) Si vas quoddam, vid. Cantharus, vitrum, vel aliud ejusmodi infra bracchium mortui cujusdam per aliquot horas collocetur, & postea ex vase hoc liquor contentus ebrioso propinetur, quod mox liquorem ejusmodi alium nauseat, & per vitam

ſuam averſetur, referunt *prodidit Cardan.* (*l. 8. de var. rer. c. 44. p. 574.*)

§. 176.

Has vires dubias reddere & infirmare non pauci edoctis conantur. Eminet inter hos *Th. Barthol.* (*Epiſt. de Transpl. morb. p. 51.*) vulgo noſtro perſvaſum eſt ſtrumas, tumoresque alios affrictos ad manum cadaveris humani ſenſim aboleri, prout cadaver putret. Difficile tantam mortuæ manus vim concipimus, parumque abeſt, quin hic me *Thomam* profitear, cum ne ipſa quidem omnis bonæ malæque materiæ fœcunda artifex natura rationem rerum reddiderit, ut loquar cum *Valerio* (*l. c. 8.*) ſed ſimplex negatio non è medio tollit ſimplicem affirmationem variis obſervationibus ſtabilitam.

§. 177.

Proſtant & apud Autores rationes, quibus hanc opinionem fulcire ſatagunt. Antipathiam cadaveris allegat *Cardan.* (*c. l.*) indita enim eſt hæc ratio contrarietatis etiam inſectis, & eo magis imperfectioribus animalibus, & maxime equis & canibus, ut odorem mortuorum ſui generis fugiant: Quanto magis humana natura, quæ admodum ſenſu prædita eſt, atque eo exquiſitisſimo? itaque occulta vi natura non amplius audet transmittere exterius humorem peccantem, atque hæc eò magis, ſi hic patiente, hæc ſciente fiant. At dices, retenta ergò majoris morbi cauſa erit? non, nam colligitur, & una emittitur per alvum, aut ſudorem, aut alia via; in quibus concoquitur. Interim allegata difficultas non ſine nervo eſt. Repercuti namque poterit cadaveris frigiditate materia morbifica, aut productum morbi. Exemplum notabile extat *ap. Frideric. Loſſ.* (*l. 1. obſ. med. 34. p. 93.*) quod ita habet: opera triduana ſeptimi filii ſola manuum impoſitione ſine aliis præſidiis ſcrophulæ intro repercuſſæ ægram in præſens vitæ diſcrimen conjecerunt, donec debitis adhibitis remediis erumperent. Quod ſi hoc præſtitit manus calida vivens adhuc, cur non æquè ſummè frigida Cadaveris poterit in actum deducere?

§. 178.

Cadaveris namq; frigiditas, *de qua infra* (*l. 2. Tit. 4. §. 2. 3.*) Archeum pavore concutit, & in fugam conjicit, ſi *Helmont.* (*Tr. Tumul. Peſt. p. 870.*) auſcultes. Manus noſtra; *inquit*, cadaveri ſponte extincto admota, mox ita propter fugam Archei friget, ut longo demum igni vix recaleſcat. Attamen canes, *ſubdit*, non ſentiunt iſtud frigus, dum cadavere vorant, prout non multum friget nobis cadaver pecuinum. Fraudulentum itaque & accidentale cadaveris

veris humani frigus est, plusque frigefacit, quam frigoris habet. Plusque cadaver sensim extinctum friget nobis, quam cadaver podagrici, aut acuta febre mortui. Cum tamen per machinam, qua metimur ambientis auræ gradus, utrumque horum cadaverum par frigus fit. Scilicet, Archeus extimescens mortem, quam apposita manus cadaveri diutina infirmitate extincto, percipit, fugit, manum deserit, nec facile, (quia memor,) redit. Patet ergò Archeum mortem sentire, fugere, etiam illam, quæ ante & extra se est. Idcirco mandant, ut tamdiu fricetur scrophula, Ganglion, verruca &c. donec in illa summum frigus sentiatur. Habent id radii lunares cum cadaveris spiritu mortuali commune, attestantibus id *Helmont.* (*Tr. Formar. Art. n. 55. p. 115.*) *Sylv. Ratray* (*de Caus. Symp. & Antipath. p. 26.*) *Laurent. Strauss.* (*Epist. ad Kenelm. Dygb. de Pulv. Sympath. p. 131.*). Spectant huc *infra* (*l. 3. Tit. 1. §. 60. sq.*) quæ exhibentur. Pavet etiam in conum collectum Lunæ lumen Archeus, ubi id quidem sentit, & fugit? Vix credo, ut inanis illa *Helmontii* persuasio videatur.

§. 179.

Contra, id contingere ob sal illud mumiale & balsamicum resolutione sanguinis & coacta Archei expulsione in extremis partibus effusum, quod ipsum magnetismum illum, quem alii pro causa adducunt, optimè videtur explicare *Magn. Wedel.* (*S. 3. Physiol. Med. c. 27. p. 190.*). Pluribus ingeniose hoc argumenti genus prosecutus est *alibi* (*M. C. D. 2. Ann. 1. obs. 11. p. 26.*) unde cum huc spectent, quædam in mea tram pomœria. Duo hic concurrunt præcipue ad tumorem vel excrescentias has fovendas; exorbitans Archeus & humor alibilis serosus, vel per se subsistens magis, vel crispaturæ fibrarum propullulascentium vitiose adimi. Quæcunque his obviam eunt, id præstare judicant. Aptum vero ad hoc esse cadaveris contactum illum atque frictum facile patere potest. Horremus cadavera, quod exterminium maxime adversetur natura, horremus conspectum, nedum contactum insuetum ingratumque. Refugit igitur Archeus, & desistit ab opere, ideam contrariam complectens; quo astite & velut fabro destitutum corruit, quod studio quodam congestum videbatur. Adde quæ seqvuntur. Concludit demum (*p. 27.*) sit hoc Antipathiæ exemplum nobis, non Sympathiæ. Nulla enim hoc loco fieri potest confermentatio mumialis.

§. 180.

Ad quasdam corporis humani partes progredior, cutis, ut totius corporis involucrum & vestis, ita humana coria Scythis pro amiculis serviunt, si con-

ſuantur *Vid. Joh. Boëm.(l. 2. de Mor. Leg. & Rit. omn. Gent. c. 9. p. 115.)* Novi, dum ſtudiis Medicis in quodam Academia incumberem, Profeſſorem Medicum Anatomicum celeberrimum, ocreas corio humano in uſum traxiſſe. Cutis vero humana ut præparari debeat, modum deſcripſit *Th. Bartholin. (Cent. 3. Hiſt. Anat. 87. p. 178.)* ubi & uſum cingulorum è cute humana indigitat.

§. 181.

Porro inter has crebrius oſſa celebrari apud Autores deprehendo. Omnia cujuſcunque membri corporis humani ulcera continua oſſium humanorum potatione tandem curari *Eberhardus à Pinu* ſe ſæpe numero, etiam in vetuſtisſimis plagis obſervaſſe *Achilli Gaſſero, (vid. obſ. Med. 24. p. 17.)* in comitiis Auguſtanis 1555. Menſ. April. Proprie tamen experimentum hoc ad extremorum ulcera antiqua pertinere adſerens, eaque conditione, ut ſi qui in brachiis laborant, oſſa cubiti & radiorum bibant per annum, qui in pedibus & tibiis earundem partium oſſa uſta, & ſic deinceps. Ad dolores ventris cohibendos oſſa profuiſſe *Anton. Mizald. (Cent. 8. Memor. n. 62. p. 177.)* in literas retulit, qui & oſſa humana ad lævorem pulverata & ex vino rubro ſub auſtero rubro ſumta in dyſenteria & ventris proluvie *(Cent. 9. n. 43 p. 196.)* laudat. Plura lege ſis *ap. Dan. Beckher. (l. 2. Microcoſm. Med. c. 6. p. 254.)* Oſſa *judicat cit. Beckher. (c. l.)* inſignes edunt effectus in exſiccandis, abſumendis & extirpandis vitioſis in corpore humoribus pituitoſis. Salina enim ut ſunt corpora ita etiam ſalinam exſiccandi & abſumendi obtinent facultatem. Etiam quod ichores affluentes ſiccando abſumant, id fieri credidit *(in not. ad Achill. Gaſſer. obſ. 24. p. 18.) illuſtr. G. H. Velſchius.* Inter medicamenta quæ pediculorum examen fugant, non ultimum locum tenere oſſa de mortuorum intra veſtes quocunque modo geſtatata vel à collo ſuſpenſa, quorum effectum ſalutarem plus ſemel ſe vidiſſe aſſeruit *celeb. noſter Roſin. Lentil. (d. 3. M. C. A. 7. & 8. obſ. 78. p. 129.)*

§. 182.

Cranium imprimis prærogativam inter omnia ſibi ſumſit, ob dotes, quibus præ cæteris pollere fertur. Saltem os capitis valet ad Epilepſiam, non ita oſſa reliqua, *ſcribit Helmont. (Tr. de Magnet. Vuln. Cur. n. 51. p. 603.)* tum demum, cerebrum totum in cranio conſumitur & liqueſcit, cujus liquoris ab Autoribus rarò commentatur accuratius (viſceris inquam) irroratione (evaporatione forſan rem explicuiſſet,) continua vires cranium acquirit alias, quas aliis abeſſe oſſibus animadvertimus. An una pars Cranii prævaleat alteri,

Salo-

Salomon. Albert. Hiſt. part. corp. hum. p. 7.) libet audire. Meo arbitratu ex æquo omnibus calvæ partibus eadem vis ineſt, neq; anticæ, neq; poſticæ præter cæteras egregia, aut prærogativa. Quamvis prætulerim tamen ego quoq; anticam cæteris, quippe quæ aſpergine & rore cerebri ſubinde humeat, uni homini in infantia ſimiliter arteriis quadam vicisſitudine per intervalla palpitet, neq; roboretur ante primum ſermonis exordium. A cerebri irroratione parum forſan expectandum cum illud à Cranio hiatu quodam fere ubiq; ſeparetur, interveniatq; comprimis dura meninx, quæ prima facie rudem ac panni linei denſioris texturam repræſentat, in extima ſuperficie quidem aſperiorem in concava magis levigatam, ut *Anton. Pachion.* (*de Dur. Mening. Fabr. & Uſ. c. 1. p. 3.*) loquitur. Reliquis totius membranis craſſiorem duriorem & robuſtiorem proclamarunt Anatomici, ut inde duræ meningis nomen ſibi aſciverit. Vid. *Caſp. Bauhin. (l. 3. Theatr. Anat. c. 8. p. 289.)* Cum tamen diverſâ textura gaudeant oſſa, forſan & dotibus inter ſe diſtinguentur. Quod ad vires Cranii in febribus intermittentibus ſpectat, eadem hujus ratio videtur *Georg. Hieron. Velſch.* (*in not. ad Hieron. Reuſner. obſ. Med. 118. p. 65.*) quæ cornu cervini cochlearum, lapillor. ex Aſtac. fluv. & ſimilium.

§. 183.

Quod ad oſſa ſpecialiora capitis, monuit olim *teſte Plinio (l. 28. c. 1.) Democrit.* ad alia noxii hominis è capite oſſa plus prodeſſe, ad alia amici & hoſpitis. Sutura Cranii λαμβδοειδὴς nonnunquam ingeminata excludit in medio ſui triquetrum oſſiculum, quod præter cætera capitis oſſa, neſcio quam vim mirificam adverſus comitiales obtinet, idque indultu familiæ *Paracelſi:* quod de oppoſita oſſis parte, coronalem deſcribente ſuturam, noſtri affirmare audent, quorum utrumque non ſenſus, non ratio, ſed una patefaciet experiendi & obſervandi conſuetudo, diſcurrit *Salom. Albert. (c. l. p. 6.)* verba *Paracelſi (l. de Caduc.* §. *4. p. 603.)* hæc ſunt: *Ein Bein iſt am Haupt, nehmlich es iſt gerad und gleich das Centrum: So daſſelbig getruncken wird, ſo genieſt der Menſch.* Et paulo poſt: *Das Bein iſt nicht über ein Kreuzer breit, etwas ecklet, und ſpalt ſich ſelbſt binden, und wird nicht in allen gefunden, ſondern in etlichen, denn die Aſtra ſpaltens, und nicht die Corpora, auch nicht die Geburth.* Negat id ipſum in Cranio reperiri, *Th. Eraſtus, Paracelſumque* id ipſum affirmantem arguit. Verum immerito. Etſi enim *Eraſtus* id ipſum ſuis nunquam conſpexerit oculis, alii tamen celeberrimi Medici fide maximè digni id ipſum viderunt. Citat hos *Beckher. (c. l p. 236.)* Audiendus *Guilh. Fabric. Hildan. (Cent. Epiſt. 65. p. 1008.)* qui iſta ad *Joh. Küferum:* Mitto oſſa aliquot triangularia, quæ ad Epilepſiam

debellandam singularem vim habere expertus sum. Ante sexennium ultra centum horum ossium habui, inter quæ, quod notandum, vix duo reperiebantur, quæ sibi invicem magnitudine & figura respondebant.

§. 184.

Novit milites, *Hieron. Reusner.(obs. Med. 31.p. 22.)* qui digitum hominis demortui secum gestarent, quo se experimento ab omni pediculorum pulicumq; molestia liberos testabantur. Magis pediculis timendi vivorum digiti, & imprimis pollex, quem sane utroque pollice laudere verentur, ipsis adeò infestum, φθειροκτόνον, (*den Laüseknicker*) optimo jure proclamare possint. De ossium pedum medulla intro sumta, & extra in contractura applicata, notabile exemplum retulit *Mich. Bapst. (Artzeney Kunst und Wunder-Buch N. n. iiij.)* De mentulæ exsiccatæ in morbis mulierum feliciter exhibita, Vid. *Christ. Francisc. Paulin. (l. 1. obs. Med. Physic. 16. p. 25.)* Ita & Priapum Cervi hystericis utiliter adhibitum recordor, quem & ad Venerem promovendam à Medicis præscriptum *Joh. Andr. Graba (s. 2. Elaphogr. c. 20. p. 250.)* fidem facit.

§. 185.

Hesiodi cinis s. ossa Naupacti jacentia ad oraculi Delphici monitum, valido pestis contagio Orchomenios invadente, ab Orchomeniis domum portata, pestem fugasse, *Nicol. Leonic. Thomæus (l. 2. Hist. Var. c. 85. p. 248.)* ex aliis recitat. Quod si fuit, Dæmonis opus fuit, in superstitionis Labyrinthum Gentiles allicientis. A *Deliis* edocti *insulani* & *Iones* cœtus agere instituisse & nominatim *Argin & Opin* decantare (Hic olim è Lycia profectus alios quoq; vetustos fecit hymnos, qui cantantur in Delo) dum cinis, qui supra sepulchrum est *Argis* & *Opis*, dispergitur super infinitam ægrotorum turbam, qui ad aram sunt, *Autore Herodoto (l. 4. p. m. 103.)* Vulnera â sagis illata sagarum combustarum cinere curarii *Exc. Joh. Dolæus (M. C. D. 1. A. 6. obs. 61. p. 91.)* intimat. Qui vero obtinebitur sine cinerum & carbonum mixtura? Asbesto hic opus. Id non reticendum puto, quod *magnus ille Dan. Georg. Morhof. in P. Constantii Albini Villanovensis Magia Astrologica s. Clave Sympathiæ septem Metallorum & septem Selectorum lapidum ad Planetas* pro majore illius dilucidatione *(l. 1. Polyhist. c. 11. p. 100.)* ex alterius relatione excerpsit, de vitro è cineribus cadaverum strangulatorum certiq; mineralis conflando, cui lotium ægri immissum affectas corporis partes in ipsa urina ostendat.

§. 186.

Cadaverum insignis copia terræ pinguedinem conciliare, ut ubertim fruges propullulent. Post pugnam cum barbaris commissam & victoriam nullis

lis seculis similem, in qua supra millium hominum occidere aut cepere, tellurem consumtis in ea cadaveribus, ac per hyemem imbribus delapsis, ita pingvem redditam, quippe putredine in profundum penetrante repletam, ut legitimo tempore abunde fructuum protulerit: & quod *Archilochus* dixit, hoc modo agros pingvescere, id tum fuisse confirmatum *Plutarch. (T. 2. vitar. Parall. in Mario. p. 58.)* prodidit. Cadaver animalis juxta radicem plantæ sepultum eandem valdè recreat & laborantem reficit, *Honorat. Fabr. (l. 2. de Plant. prop. 57. p. 40.)* dictitat. Ratio est, quia Cadaver illud non parum pinguioris succi (urinosi non septici & corrosivi, sed mumialis volatilis) suppeditat, & exquisiti, utpote, qui in corpore animalis multiplici percolatione præparatus est. Igitur exquisitum alimentum est. Canis imprimis commendat(*c. l. Prop. 141. n. 9. p. 71.*) At ego cum *Paulinio meo* (*f. 3. Cynogr. c. 1. §. 5. p. 131.*) omnis generis animalium cadavera ad arborum radices spe ulterioris fructuum proventus tumulari vidi.

§. 187.

Chemia etiam hic operas suas locat, quid in destillatione suppeditaverit *Francisc. Josepho Burrho his Th. Barthol.* (*Epist. de Cerebr. p. 15.*) edocuit. Scias, *inquit*, tres partes ponteris illius abiisse in aquam insipidam, partem unicam circiter contractam fuisse in massam pinguem & flavescentem, â qua postea calidissimum expressit oleum incombustibile insigne Anodymum ad leniandos exterius applicatum dolores Podagricos, quod in modico frigore gelascit, quasi fuisset eductum â squamis Ceti. Quid vero mistura, cum sperma Ceti Orcæ piscis cerebrum reputetur? Huc pertinere videtur aqua, quam nonnulli divinam appellant, ob mirabiles ejus virtutes & sic conficiunt: Accipiunt totum Cadaver hominis morte violenta peremti, qui sanus antea fuerit, ejus carnem cum ossibus & visceribus in frustula minutissima secant, & omnia quam optime inter se invicem permiscent, postea per alembicum aquam inde proliciunt, eandemque rectificant. Hæc aqua, præter alias in medicina virtutes, dicitur de vita vel morte infirmi certum ferre judicium, vid. tres vel novem guttæ sangvinis ab ægro aliquo extracti, uni drachmæ circiter illius aquæ imponantur, & igni lento admoveantur. Si sanguis & aqua invicem commiscentur, signum est vitæ; si manserint incommista mortis imminentis est indicium. In defectu sangvinis similiter procedunt majori tamen dosi, cum urina, sudore sanie, aliisque corporis excrementis. Hæc (*de Typh. Gen. Hum. c. 6. n. 3. p. 56.*) *Hieron. Hirnhaim.*

§. 188.

§. 188.

Jecur vulturis tritum cum ſuo ſangvine propinatur ter ſeptem diebus, meliusque prodeſt, ſi ea avis, quum occiditur ſatura ſit humano cadavere. Carnes caprinæ in rogo hominis toſtæ comitialem pellunt morbum, *Caj. Plin.* (*l. 2. de re. med. c. 58. f. 61. b.*) memorat. Comitialem ſanari cibo è carne feræ occiſæ eodem ferro quo homo interfectus ſit; (*Plin. 28. c. 4.*) Ferrum quo homo occiſus ad varia prodeſſe, *Anton. Mizald.* (*Append. ad Centur. p. 264.*) refert. Sed hæc ludicra, nullum in natura fundamentum habent.

§. 189.

Sangvis *Canuti* terræ redditus ſalutarem fontis ſcatebram perpetuis uſibus mortalium adminiſtrat, *Saxo Grammat.* (*l. 14. Hiſt. Danic. p. 240.*) teſtatur. Additque corpore tenui funere Ringſtagium delato, divina beneficentia locum, in qua pauſantibus gerulis funebris ejus lectus conſtiterat, repentino fontis ortu ſignavit. In Norwegia, quo loco *Iſtenii Regis* ſangvis decidit *à Simone* obtruncati, fons proſiluit, aliusque ſub monte prope templum, ubi cadaver ejus pernoctaverat, dicuntur, quod *è Sturlejo* (*in Chronic. Norweg. A. C. 1157.*) allegat *Thom. Bartholin.* (*Addit. ad Med. Danor. p. 518.*)

§. 190.

In amoris caſti & conjugalis Symbolum cineres & oſſa conjugum & amatorum demortuorum adhibitos novi. *Arthemiſia Mauſolum* virum, *teſte Agellio* (*l. 10. c. 18.*) amaſſe fertur ſupra omnes amorum fabulas, ultraque affectionis humanæ fidem. Hoc fato perfuncto Arthemiſia luctu atque deſiderio mariti flagrans oſſa cineremque ejus mixta odoribus contuſaque in faciem pulveris aquæ indidit, ebibitque, multaque alia violenti amoris indicia feciſſe dicitur. Non ita pridem, *tradidit Henric. Engelgrav.* (*p. 2. Luc. Evang. p. 254. è P. Speelbergen Wesken der Saliger. f. 578.*) puella amantis cineres (an & cur crematus fuerit, non addit,) quemdum viveret ſtulte deperierat, ſtudioſè collegit, atque intra vitrea vaſcula concluſit, horasque ad illos dilecti ſui cineres & noctes & dies lacrymando metiebatur. Horologio hoc Chriſtianum documentum *pius Poëta* aſcripſit:

Irrequiete cinis miſeros teſtaris amantes;
More ſuo nulla poſſe quiete frui

Ita *Virgil.* (*l. 2. Æneid. v. 539.*)

Nos flendo ducimus horas.

§. 191.

Vestimentis mortuorum etiam vis medica aliquando ascripta legitur. Vitam mortui Cephalalgiæ mederi *Vit. Rietlin. (A. 6. lin. Med. obs. 17. M. O. p. 1173.)* mortualis s. funeralis lintei (cui cadaver involvitur) residuum, aut abscissam partem esse remedium adversus ani procidentiam Belgarum vulgus credit. (*Gisbert. Voët p. 3. Disp. Select. p. 110.*) Meminit libelli cujusdam *Theophr. Paracelsi*, inediti *Marc. Fried. Rosencreuzzer (Astron. infer. p. 79.)* & ex illo sequens communicat: *Ein trefflich Sympathicum magicum für die Schwindsucht. Hänge das Holz einer Baar, darauf eine Kindbetterin mit dem Rückgrad verfaulet, an den Halß und trage solches. Ursach* (egregia quidem tantoque Philosopho digna!) *dann vis vegetativa auctrix & nutritiva puerperæ, so im Rückgrad liegt ist in das Holtz gezogen, und magnetice zeuchts das lebendige Corpus aus dem Holtz an sich.*

§. 192.

Ut verò, quod hunc juvat, alteri nocivum existit; Ita hic contingit. *Man hat erfahren, daß die Ursache des Cardinals Petri Matthæi Petrucci Todes gewesen, daß er die Gebeine der H. Agnes in der Abtey angerühret, ob es ihm gleich widerrathen worden. (Altes und neues aus dem Schatz Theolog. Wissenschafften A. 1701. M. Jul. p. 253.)* A cadaveris attactu mensium momentaneam suppressionem in quadam, in alia iterum *D. Sylv. Sam. Anhorn.* (*M. C. D. 3. A. 1. obs. 87. p. 136.*) observavit. Quosdam, ut eo plus sitiantur bieræ, quo plus sunt potæ, è cerevisiarum coctoribus ad tantam rediguntur truciditatem, ut etiam ossa funeratorum hominum cerevisiæ incoquant. *Scillæ* hi insistunt vestigiis, cui non satis fuit vivis hostibus illudere, nisi mortuorum etiam ossa e sepulchris eruta in fluvium mergi jussisset, ut de *Marii* cadavere historici scribunt, *recitat Hieron. Reusner.* (*Exerc. 4. de Scorbut. p. 149.*) cæterum & vapores è sepulchris elevatos plantas vitiare, *Athan. Kircher.* (*s. 1. Scrutin. Pest. c. 11. §. 4. p. 170.*) protulit. Allegant quidam experientiam penitus interiisse, s. frutices sive arbusculas integras, quod surculi inde abscissi loculis fuerint mandati. Sed hoc casu obtigisse tantum, recte enunciat *Hermann. Grube*, (*de Arcan. Medic. Artic. 2. c. 2. p. 44.*) Quod si enim surculi arboribus avulsi & loculis defunctorum commissi vi quadam Sympathetica toti possunt arbori labem aspergere; quidni & ipsi pari opera & avulsi & conjecti in ignem mali non nihil toti arbori communicarent. Vinca per vinca sane in capite exhumato adhuc recens visa. (*Vid. l. 3. Tit. 2. §. 94.*) & Rosmarinus in manu sepulti cujusdam excrescere (*M. C. D. 2. A. 4. obs. p. 103.* Clavus ex tumba lignea, in qua cadaver com-

putruit, arboris cujuspiam trunco impactus, illam facit si non perire, saltim sterilescere, *H. Hirnbaim.* (*c. l. c. 9. n. 4. p. 98.*) recensuit.

§. 193.

Nitrum Cœmiteriorum ad varios morbos utile, *infra* allegavi (*l. 3. Tit. 1.* §. *183.*). Terræ tamen Cœmiteriorum contagium, *ibidem* (*c. l.* §. *168.*) tetigi. Terra è Calvaria Psilothrum esse palpebrarum tradunt. Herba, si quæ ibi genita sit, commanducata dentes cadere *Plin.* (*l. 28. c. 4.*) propalavit. Terram (*in not. ad h. l. p. 1223.*) interpretatur *Jacob. Dalechamp.* vel quæ intra calvariam reperitur, vel qua calvaria obducitur. Id vero non de cranio, putredine correpto & corrupto, accipiendum, sed recenti, cum crania in usum poculorum adhibita legamus, v. g. *juxta Plin.* (*l. 7. c. 2.*) ab Anthropophagis Scythis *Joh. Boëm.* (*l. 2. Mor. Leg. & Rit. omn. Gent. c. 9. p. 115.*) & aliis, quos sagaci studio *Erasm. Francisci* (*p. 2. Theatr. Curios. Dialog. 1. p. 59. sq.*) in manipulo exhibet collectos. Insanus Lycurgus coronabat humanis suum vestibulum capitibus *Nonno* (*l. 20. Dionys. v. 152.*) ebuccinante.

§. 194.

Ad magicas operationes etiam partes ab homine demortuo expetunt Magi, Sagæ, & alia Dæmonis mancipia. Hinc dextras infantium ex utero matris præmature excisorum striges, latrones & id furfuris tenebriones avidissimè desiderant, & earum digitos de nocte accendunt, ut impune furari in aliena domo, aut latrocinari possint, certi videlicet, neminem à somno evigilaturum, quamdiu funesta & lethalis illa flamma arserit *Laurent. Forer.* (*Virid. Philos. Diss. de Magnet. th. 25. p. 263.*) & adultorum manus & pedes eorumque digitos, quin & ipsam dorsi spinam in subsidium vocari è *Joh. Christian. Frommann.* (*l. 3. de Fascinat. p. 5. c. 3.* §. *6. p. 681.*) liquet. In quo id mirandum, flamma extincta tam integros & illibatos manere digitos, quam si lumini fomitem præbuissent, idque quoties opus cum eadem digitorum incolumitate repetere posse. Medicatum somnum interpretantur quidam, & allegant illud *Medeæ* (*Epist. Heroid. 12. v. 117.*) *ap. Ovidium.*

Flammea subduxi medicato lumina somno
Et tibi, quæ raperes, vellera tuta dedi.

De pollice furum res est notissima, & adeo trita, ut à plebejis ad Oeconomiæ & imprimis in arte braxandi felices successus multoties appetantur & carnificibus magno pretio redimantur. *Vid. Mich. Bapst.* (*Artzney-Kunst und Wunderbuch, 55. ib.*) *Joh. Prætor.* (*de Pollice furum p. 151.*) Factum inde, ut pecuniæ inhiantes arte è poricinis pedibus eosdem fabricare, & desiderio supersti-

stitiosorum satisfacere conati sint horum nundinatores excoriatores. Festiva hujus conaminis historia extat *ap. Joh. Fried. Zittmann.* (*Med. Forens. Cent. 2. Cas. 15. p. 391. sq.*)

§. 195.

Hieron. Cardan. (*l. 16. de Rer. Var. c. 90. p. 1038.*) ex aliis acceptum narrat, candelam ex sevo humano accensam delatamque loco ubi thesauri reconditi sint, strepitu illos detegere, inde etiam dum proxima fuerit extingui. Quod si verum est, (de quo quidem dubito, quæ namque inter sevum humanum & thesauros convenientia & connexio, sed audi) ex Sympathia contingit: Sevum enim ex sanguine, sanguis autem sedes animæ atque Spirituum, quæ ambo cupiditate auri & argenti, dum homo vivit, tenentur, & ob id etiam sanguinem perturbant. Itaque velut in coriis arietis atque lupi Antipathia viget, quanquam mortuis: ita hic Sympathia. Bene, sed in coriis arietis atque lupi Antipathia non viget, ut è *supra datis* (*§. 165.*) clarum evadit, ita nec hic Sympathia.

§. 196.

Ad veneficia Magica apud impios homines frequens fuit, ut pergamena virginea uterentur, confecta ex cute puelli recenter nati & ante baptismum emortui, vel abortivi, inscripta præterea quibusdam Characteribus ac magicis verbis. *Joh. Bened. Sinibald. l. 1. Geneanthrop. Tr. 2. c. 12. p. 38. & c. 8. n. 15. p. 130.*) Plura etiam de usu particularum cadaveris in Magia, *Joh. Christoph Frommann.* (*l. 3. de Fascinat. p. 5. c 3. §. 1. sq. p. 677.*) De Mumia Sagarum noxia sparsit quædam *Paracels.* (*Tr. 2. de Pestilit. p. 350.*)

§. 197.

Coronidis loco sit sequens. In Breviculis militum nominibus, qui prælio supererant, *Isidoro* (*l. 2. Origin. c. 23.*) adnotante, V. s. T. ascriptum videbatur defunctorum Θ. Prius negat *ab Isidoro* bona fide scribi *Just. Lips.* (*l. de Rect. Pronunc. L. L. c. 14*) qui loco ꝭ T reponere jubet V. quæ prima sit in voce vivus. Recte vero hic monet *Magn. Th. Reines.* (*l. 1. Var. Lect. c. 7, p. 21.*) A Græcis ista σημείωσις manavit, ut alia quam plurima, at latinos t hoc interpolasse ita, ut visum *Lipsio*, nemo crediderit. Scripserat *idem* ante (*p. 20.*) Homines Romanos è diversis Linguis desumtas literas notasve in eodem s. textu s. lapide adhibuisse, ita ut quæ mortuum significaret è Græca, quæ vivum, è Latina peterent, minime omnium est verosimile, cum sua ipsis utriusque significantes, siquidem Latinis uti vellent, suppeditaret. M. & V. vel ex his detorta inter notas Tyronis & Senecæ signa. It. Literam Θ etiam Græcis Medicis mortem

tem significare, in aliis ægris sanitatem literam *υ, Galeni (in l.3. Epid. Com. 2. t. 4.p.m. 218.)* testimonio constat. Nunc cum literam, qua mortuum signarent à Græcis mutuati sint, *pergit Reinesius*, etiam eam, qua vivum & superstitem notarent ab iisdem petiisse consentaneum est. Ea vero est Υ, *υ*, quæ & simili cum latino Vau figurabatur olim V, & in lapidibus igitur, qui utramque Θ & V simul exhibent, hæc neque Latina est, neque Latinæ vocis initium, sed Græca Υγιὴς & salvum & sanum, vivum incolumemque repræsentat. Ita judices literam Theta apponebant ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito, *judicat V. CL. Mich. Meisner. (Syntagm. super Addit. Philol. p. 16.)* Θῆτα ἀπὸ θανάτȣ, eo quod quasi habeat telum suum: idque triste intelligitur: vel mortis signum. Vid. (*ibid.*) plura, eaque elegantia.


§. 198.

Distinguebant Romani funus in tacitum & indictivum. Taciti *meminit Seneca. (l. 1. de Tranquill. c. 1. p. m. 130.)* Morti natus es, minus molestiarum habet funus tacitum. Sine Cantu & Symphonia exposuit *Dionys. Gothofred. (Nomenclat. in Senec. p. 308.)* & *Livius (l. 39.)* tacito signo exercitum abducere dixit, nempe sine cornu, sine classico, sine tuba, sine signo vocali. Sine pompa, sine designatore, sine ludis, præcone & indictione, interpretatur *Joh. Kirchmann. (l. 1. de Fun. Roman. c. 4. p. 23.)* Indictivum huic opponebatur, quibus ludi & desultores, ac etiam ludorum quædam genera adhibebantur. Indicebantur per præconem, cujus solennia verba erant: OLLUS QUIRIS LETHO DATUS EST. L. TITIO EXEQUIAS IRE CITE (Alii QUIBUS) CUI COMMODUM EST. JAM TEMPUS EST. OLLUS EX ÆDIBUS ECFERTUR. (*Kirchmann. c. l. p. 19. Joh. Mich. Dilherr. T. 1. Disp. Philolog. p. 454.*) Simpludeareum etiam habebant, *Festo teste*, quibus adhibebantur D. T. Ludi corbitoresque, (*Corvitores aliis*) quidam ea dixerunt quibus neutrum genus esset ludorum. Simpludaria ideo nominantur quibusdam, quasi simpliludii adhiberentur, commentatur *Joh. Rosin. (l. 5. Antiqu. Roman. c 39. p. 444.)* Quod ad literas Capitales D. T. locus viris doctis merito suspectus, cum in antiquis Codicibus scriptum sit D. R. *Scaliger* D. T. ex vulgaribus notis interpretatur, DUNTAXAT. Credo, *divinat Jacob. Guther. (l. 1. de jur. Man. c. 21. p. 120.)* scriptum D. M. quod est Diis Manibus, in quorum honorem hi ludi fieri solebant.

§. 199.

Epitaphia Sepulchris addebantur, quorum tria præcipue genera esse comperit *Jacob. Guther. (l. 2. c. l. c. 27. p. 354.)* unum ad honorem: ridiculum alte-

alterum: tertium ad imfamiam. Oppidorum cognomina apud Græcos sepulchris olim insculpta. *Thom. Altobrandin. (in l. 1. Diog. Laërt. de vit. Phil. p. 29.)* sequentia dictitat: Ego cognomina in sepulchris insculpta ad oppida, refero, è quibus originem mortui duxissent. Scimus enim Græcos nulla familiarum habuisse cognomina, sed nomine proprio & patris & oppidi posito se ipsos esse indicare: ut *Socrates Sophronisci ex Alope.* Si conteris an universale, unicuique conveniens individuo detur Epitaphium? Assurgam. Describitur illud in sacris in Patriarcharum ante deluvianorum historia *(Genes. c. 5.)* sonatque, moriebatur, & mortuus est. In quem locum dum commentatur *Cornel. â Lapide (p. 101.)* subjungit: De me quoque brevi dicetur: Et mortuus est. Hoc meum & cujusque est, aut erit Emblema, hoc Epitaphium. In primaria Germaniæ civitate in Senis tumulo legi: Et mortuus est. In juvenis etiam: Et mortuus est? *Hieron. Drexel. (Prodr. Æternit. c. 3. §. 11. p. 232.) tradidit*, ubi lectorem observare jubet huic alteri (juveni) additum interrogandi signum, quod in priore (sene) abest. Capularem illum senem esse mortuum pauci dolent, nemo miratur: florentissimum hunc juvenem mirantur omnes, plurimi dolent. Meus est *Seneca (Epist. 27.)* ad *Lucilium suum* scribens: Hoc denique tibi circa diem mortis præsta: moriantur ante te vitia. Meus etiam *Drexel. (c. l. p. 239.)* Bene vixisse, pulcherrimum omnium Epitaphium est.



DISSERTATIONIS PROOEMIALIS,
SECTIO II.
DE
MIRACULIS.
Summarium.

1. *PHysicorum & Medicorum an sit in miraculorum genium inquirere? 2. Miraculi diversa acceptio. 3. Quatuor gradus, Primus. 4. Secundus, tertius, quartus. 5. Fiunt divina virtute V. T. 6. N. T. Messias 7. Apostolis vim illam impertiit. 8. An adhuc fiant? 9. Dubitatur. 10. Thaumaturgi mortui. 11. Exempla. 12. Reliquiarum miraculosarum è sacris fundamenta. 13. Contra Dæmones Vis. 14. Contra morbos. 15. Divinum in morbis. 16. Morbus sacer quis Hippocrati. 17. Morbos à DEO inferri. 18. Etiam Ethnicis notum. 19. 20. Morbi sanctis ascripti. 21. Sacrorum Morborum remedia. 22. Sancti qui in variis morbis invocantur. 23. Herbarum à Sanctis nomina. 24. Reliquiæ morbos averruncantes. 25. Vis hæc à multis exploditur. 26. Reliquiæ è Sanctorum vestibus & supellectile. 27. Ridiculæ. 28. Reliquiarum unius individui numerus innumerus. 29. Crucis Christi fragmenta. 30. Reliquiarum suppositarum baptismus. 31. Rejicitur. 32. Idola miraculosa Mariana. 33. Causæ. 34. Vim salutiferam communicant locis. 35. Medicis damno cedunt reliquiæ. 36. 37. Mortuos, qui non Sancti, sanasse morbos. 38. Aristander Telmissensis. 39. Hesiodi cineres. Ossa Pelopis. 40. Translationes Cinerum & Ossium apud Gentiles. 41. Sibylla post mortem vaticinans. 42. Judicium P. Petiti. 43. Reliquiæ Sibyllæ Cumis. 44. Incubatio in fanis Deorum sanitatis causa. 45. Mira de Pindaro relatio. 46. Virtuosorum Apotheosis apud Gentiles. 47. Fulminatos Deos evadere. 48.*

Mi-

Miracula Sanctitatis in vita non esse κριτήριον. 49. Causæ naturales. 50. 51. Paracelsi & Helmontii meditationes. 52. Pomponatii. 53. Ejus vis an à cœlo? 54. Dæmonibus. 55. Imaginatione. 56. Hujus vis ex Avicenna. 57. DEUM sequi aliquando naturam. 58. Dæmones quid possint? 59. Diaboli scientia naturalis an adhuc incorrupta? 60. Negatur. 61. Mira possunt. 62. DEI & naturæ miracula. 63. Operis Titulus. 64. Corollarium.

§. 1.



Ixi hactenus de Cadavere seu Corpore mortuo, age & de miraculis quædam prælibemus. Non autem in Theologorum Pomœria irruendi eorumque super hæc cogitata examinandi nos titillat curiositas, sed ubi unam vel alteram miraculi veri definitionem ex his allegavero, ad illa statim miracula, de quibus hic sermo est, progrediar. Esse autem & Physicorum & Medicorum officium in miracula inquirendi *Rotæ Romanæ* consuetudo confirmare videtur, de qua ista *Paul. Zacchias*, (*l. 4. quæst. Med. Legal. Tit. 1. 1. quæst. 1. n. 14. p. 326.*) In nonnullis miraculis examinandis sacra Rota Romana, ut plenam & indubitatam veritatem assequatur, Medicos interdum accersi jubet, eorumque sententiam exposcit, ut ipsamet testatur *in relatione B. Andreæ Corsini.* (*part. 2. vers. ulterius per S. Thomam.*) Nos enim, *pergit*, qui Naturæ operibus indesinenter insistimus, facile ea, quæ ab ejus operibus descißcunt, ejusque operandi potentiam exuperant cognoscere possumus. Quocirca & in Canonisatione Sanctorum sanationes eorum miraculosas expendere, & super iisdem respondere tenentur apud Romanos Medici, quod iterum *Zacchias* (*T. 3. quæst. Med. legal. Consil. 1. 2. ad 10. usque*) probavit.

§. 2.

Dicitur autem miraculum effectus rarus & admirabilis, ex ipsa nomenclatura quasi admiratione plenus. *Zacch.* (*l. 4. Tit. 1. quæst. 1. n. 18. p. 326.*) Effectus hi rari, insperati, quorum autorem aut causam præter DEUM dare vix licet. Hinc *Lucret.* (*l. 6. de Nat. Rer. v. 53.*)

Ignorantia causarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, & concedere regnum
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, hæc fieri divino Numine rentur.

Nemo

Nemo namq; eò usque tardus & hebes, *pronunciante Seneca*, (*l. 7. Nat. Quæst. 1.*) & demissus in terram est, ut ad divina non erigatur, ac tota mente consurgat: utique ubi aliquod novum è cœlo miraculum fulsit. Cæterum miraculum sæpe pro eo accipitur, quod rectius mirum dixerimus. Mirum σημεῖον & θαῦμα à Græcis fere appellatur: Miraculum autem τέρας. Vid. *Lamb. Danæus*, (*l. de Venef. & Sort. c. 4. p. 100.*) *Martin. Delrio*, (*l. 2. Disquis. Mag. qu. 7. p. 284.*) Idcirco miraculum stupendus effectus, *Bernard. Connor.* (*Evang. Med. Art. 7. p. 39.*) qui sensus percellit, & ingenii captum excedit. Nec id mirum, cum modo fiat insueto.

§. 3.

Miraculorum quatuor gradus, *præeunte Jacobo Biedermanno* (*l. 1. agonist. c. 14. n. 60. p. 129.*) & Aliis quos Idem citat, constituit *laudatus Zacchias* (*c. l. qu. 2. n. 12. p. 327.*) Primus ac supremus miraculorum gradus, est eorum, quæ absolute miracula dicuntur, neque ullo causarum naturalium medio fiunt, aut fieri possunt, sed immediate ex mera & libera DEI virtute emanant, v. g. mortuorum resuscitatio, montium de loco ad locum ex se translatio, solis à suo motu cessatio. Et hæc miracula κατ' ἐξοχὴν declarantur. Quodsi quis hujus miraculi è nostris Theologis definitionem expectet, accuratam à *B. Joh. Conrad. Danhaueri* ἀκριβείᾳ profectam (*T. 1. Theol. Consc. part. 2. spec. Theol. Symbol. Dial. 3. p. 461.*) propino: Miraculum est actus verus & solidus, arduus, supernaturalis, rarus, haud temere provocabilis, paradoxus, summe evidens à DEO vel immediate vel mediate profectus ad effringendum hominum infidelitatem & fidei veræ assertionem.

§. 4.

Secundus gradus est eorum, quæ fieri quidem possunt mediantibus causis naturalibus, & tamen alio causandi modo à DEO, & ab ejus servis divina virtute fiunt, v. g. repentina (in instanti absque remediorum exhibitione & applicatione) morborum curatio. Tertius quæ mediis causis naturalibus in actu fiunt, sed DEO ipsas naturales causas, aliàs ad eos effectus producendos nequaquam dispositas, disponente & ordinante, vel earum virtutem adaugente, sufficientiamque illis cansandi tribuente, ut curatio lepræ in Naëman per Jordani aquas, dulcoratio aquarum amararum per lignum immissum. Quartus & postremus eorum, quæ per media naturalia fiunt, etiam disposita ad agendum & talem effectum producendum, non tamen de proximo, unde neque illum essent productura absque concursu divinæ voluntatis, non tantum permissivè, sed specialiter, & cum effectu ad eam cau-

ſarum applicationem concurrentis, ut de Leonibus devorantibus translatitios Samaritanos. (*4. Reg. c. 17. v. 25.*) De ſerpentibus in deſerto. (*Numer. c. 21. v. 6.*)

§. 5.

Miraculi verè & propriè talis exhaurit naturam, quod fiat ſola divinâ virtute, aut quod immediate, & ex merâ & liberâ DEI virtute emanet. Fuere olim, qui DEUM inviſibilem viſibilia miracula operari negarunt, ſed his oppoſuit *Auguſtin. (l. 20. de Civit. DEI. c. 12.)*, quod ipſi non diffiteantur Ipſum feciſſe mundum, quem certe viſibilem negare non potuerunt. Verè *Th. Campanella: (l. 4. de ſenſ. rer. c. 3. p. 272.)* Miraculum verum ſine DEO nullum fuit unquam. Teſtimonio id firmat ſuo *Pſaltes: (Pſ. 72. v. 18.)* Benedictus Dominus, DEUS Iſraël, qui facit mirabilia ſolus. Et alibi: *(Pſ. 136. v. 4.)* Qui facit mirabilia ſolus. Dicuntur autem miracula, non reſpectu DEI, cum nihil ſit, quod divinæ potentiæ & ſapientiæ comparatione miraculum dici queat. Nam miraculum alicui dicitur, quod ejus facultatem & intelligentiam excedit, *monente Bened. Pererio, (l. 1. de Mag. c. 8. p. 47.)* ſed reſpectu noſtri, *Vid. Zacchias (c. l. qu. 2. n. 17. p. 328.)*. Ad perfectum autem DEI miraculum duas res imprimis cenſuit eſſe neceſſarias *Jac. Bidermann. (l. 1. Agoniſt. c. 14. n. 59. p. 127.)*, quarum altera, ut rarum id opus, & ſive qua toto effectu, ſive certe qua modo ſit omnibus inſolens. Altera eſt ut præter aut ſupra naturæ totius vires divinitus efficiatur. Quæ igitur non immediate operatus eſt miracula Omnipotens noſter JEHOVA, mediate in Veteri Teſtamento per ſervos ſuos *Moſen* & Prophetas eſt operatus. *Moſes* in hoc genere excelluit quam maxime, vincens numero miraculorum omnes V. T. Prophetas. Ita *Menaſſe ben Iſraël (l. 3. de Reſurr. c. 11.)*: Videmus ipſum *(Moſen)* non modo excellentia & ſublimitate Prophetas, ſed etiam miraculorum multitudine omnes ſuperaſſe. Etiam ſupputatione inita comperimus, per, aut propter Moſen LXXVI. miracula edita. At per, vel ob reliquos omnes Prophetas à principio mundi usque ad excidium templi primi tantum LXXIV.

§. 6.

In novo Teſtamento Meſſias θεάνθρωπος omnipotentiæ ſuæ crebriora theurgica edidit ſpecimina. Patrabat ea propria virtute, authoritate etiam propria abſentibus ſe thavmaturgum probabat. Fulmina erant, quibus petebatur Erebi domus, quibus conſternebatur Beel Zebul cum manipularibus ſuis Philoſophis Ethnicis, qui ſimul Magiæ indefeſſas locabant operas. Ag-

gregabant se his Judæorum Pontifices summi & Sanhedrim, qui mendacii eadem insimulabant & præstigiarum. Ipsum cooperantem Satanam habuisse clamabant. *Apollonii Thymnæi* miracula his opponebant & *Simonis Magi*. Schemhamphorasch demum subsidio JESUM tam mira operantem dictitabant Judæi. Naturalismo eadem obfuscare tentabant, ad Horoscopum CHRISTI recurrentes, ejusdemque temperamento vim salutarem ascribentes. Medicamentis, etiam Lapide Philosophico usum perhibent, quin & soli DEO competens miraculum mortuorum resuscitationem pernegare & imfirmare non erubescunt. Adduxi hæc & ex parte refutavi alibi. (Pnevmatopægn. S. 1. Artic. 16.)

§. 7.

Nec solum miraculosum hoc exercitium sibi reservavit SERVATOR Optimus, sed & discipulis & Apostolis suis, & subsequis seculis Episcopis & Ecclesiarum Antistitibus communicare dignatus est. Quod ipsum & merito inter miracula maxima reponendum. Objicit id paganis *Arnobius (l. 1. adv. Gent.)*, dum scribit: Neque quicquam ab illo (CHRISTO) gestum per admirationem stupentibus cunctis, quod non omne donaverit faciendum parvulis illis & rusticis, & eorum subjecerit potestati. Quid dicitis, ô mentes incredulæ, difficiles, duræ, alicuine mortalium *Jupiter ille Capitolinus* hujusmodi potestatem dedit? Curionem aut Pontificem maximum, quinimò Dialem (quod ejus est) Flaminem isto jure donavit. Non dicam ut mortuos excitaret, non ut coecis restitueret lucem, non ut membrorum situm enervatis redderet & dissolutis. Sed ut pustulam, reduviam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret. Vocat tales DEI amicos, & concludit *Th. Campanella (c. l. p. 271.)*, miracula facta absque DEI amicitia non verè esse miracula; sed naturalis Magiæ opera, aut Diabolia ut astutiæ imperitos ludificantis.

§. 8.

An adhuc præstari possint miracula à Sanctis DEI viris, si in controversiam veniat? affirmativam tenent Papæi, illudque CHRISTI promissum præprimis allegant (*Marc. 16. v. 17. & 18.*), Signa, eos, qui crediderint, hæc subsequentur: Per nomen meum Dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si quid lethale biberint, non nocebit eis: super ægrotos manus imponent & bene habebunt. Non negat è Pontificiis quoque esse, qui nascentis Ecclesiæ infantiam spectasse, hanc Miraculorum promissionem ultro ipsi fateantur *Jacob Biedermann. (l. 3. Agonist. c. 6. n. 34. p. 328.)* negat tamen audacter, fuisse boni nominis ullos, qui θαυματουργοῦντας ita omnes

omnes restrinxerint ad primæ Ecclesiæ rudimenta, ut simul dicerent, post ejus tyrocinium nullos ad nostram memoriam extitisse. Ait igitur, (*n.35. p. 331.*) hanc CHRISTI promissionem non singulis Ecclesiæ fidelibus definite, sed ipsi toti Ecclesiæ fidelium sic esse factam, ut nunquam potestas τῆ θαυματοποιεῖν in ea prosus ac universim desideretur. Sed de his Theologi. Semper observamus, *commentatur Joh. Maldonatus* (*in Matth. c.15. v.32.*) CHRISTUM nunquam sine magna compertaque necessitate miracula fecisse. Placet illud *Casp. à Rejes*, (*Camp. Elys. jucund. quæst. qu. 24. n. 17. p. 266.*) ubi non datur ingens, quæ cogat necessitas, ad quid miracula præstabit DEUS? Nec displicet illud *Marsil. Ficini*: (*de Christ. Religion. c. 10.*) Num quolibet temporis momento DEUS authoritatem suam retimere miraculis cogitur? & tanquam præstigiator mercenarius aliquis in theatrum prodire ad nutum cujusque compellitur?

§. 9.

Et, si verum illud è Topicis: Acquisito fine, cessat actio sive ratio caussandi illa, quæ ob illum finem consequendum erat, Miracula Ecclesiæ plantandæ serviebant, per quæ quasi ad homines loquebatur divina omnipotentia, veram fidem assertura, gentiumque debellatura infidelitatem. Sicut humana consuetudo verbis; ita divina potentia etiam factis loquitur: Et sicut sermoni humano verba nova vel minus usitata, moderate ac decenter aspersa splendorem addunt: Ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus quodammodo luculentior est divina eloquentia, *Augustin.* (*Epist. 49. qu. 6. p. m. 209.*) *ad Presbyterum DEO gratias* scripsit. Jam vero plantata Ecclesia & veritate verbi stabilita, ad quid proderunt miracula? Frustra est *Jacob. Bidermann.* (*l. 3. Agonist. c. 11. p. 58. p. 583.*) asserens, miracula multa etiamnum ad testandam fidei Romanæ veritatem perpetrari. Quod si articulos istos inquiras, sunt CHRISTI in Sacra Cœna præsentia & veneratione, etiamsi à nemine dum sumatur, de Cultu imaginum, de Cœlitum ope vocanda, de Cereo Agni Sigillo, de Aqua piaculari, de Sacrificio incruento, flammisque purgatoriis, (*n. 60. p. 589.*) quæ hæreses novæ sunt, & cum Sacra Scriptura, fidei nostræ norma, illas nesciat, ex eaque istas demonstrare nunquam possint cucullati, ad miracula confugiunt, plebique cum ridicula & ficta sint, ludum faciunt. Bone DEUS, quot calumniarum plaustris (*citato libro*) in Islebicos (*Lutheranos*) in veritate divina astruenda & eruenda è Sacris occupatos debacchatur *Biedermann*, quam verò ridicule se & Romanam prostituit ecclesiam, miraculo illo nugis Milesiis maxime conformi de Mulo & *Antonio*, præsentiam CHRISTI extra usum in Eu-

charista publice demonstraturus. Perpetuario sane mulioni, tempus ut fallat, quam tanti miraculorum ordinis sui Epoptæ, gerræ digniores. Apud nos tutissimum semper fuerit ex doctrinæ veritate de miraculis judicium facere, non de doctrina ex miraculis. Vid. *Rudolph. Hospinian.(l. 1. de Orig. Jesuit. c. 1. p. 10.)*

§. 10.

Hæc de Sanctis Thavmaturgis viventibus. Quid de mortuis, eorumque reliquiis, quibus etiam adhuc miracula patrari insignia tota Romanorum Papicolarum concio non sine publico præconio proclamat. Sanctitatis ea, ut in vita, ita post fata his judicantur τεκμήρια. Ecclesia, *inquit Paul. Zacchias (c. l. qu. 1. n. 12. p. 325.)* ad probandam alicujus viri sanctitatem per miraculorum testimonium non modo vult probari, ea in vita celebrata fuisse, sed etiam post mortem facta desiderat. Et paulo post: *(n. 14.)* absq; miraculis in vita factis potest quis canonizari, non autem absque miraculis post mortem.

§. 11.

Nerquillinus mortuus, *Joh. Filesacco (Tr. de Mag. f. 25. a. & f. 30. b.) teste*, sanabat. *Heribertus Archi-Episcopus Coloniensis* mortuus miraculis clarus celebratur. *Albert. Kranzio, (l. 4. Metrop. c. 32. p. 97.) Henricus Bavarus Imperator* Christianissimus Princeps *cum Cunigunda Uxore* perpetuam virginitatem servavit, post obitum miraculis clarus *Eidem (c. l. c. 35. p. 48.)*

§. 12.

Subsidium hujus efficaciæ tum mortuorum corporum, tum partium, quærunt in Ossibus *Elisæi, (vid. Rob. Bellarmin. l. 2. de Reliqu. Sanct. c. 3.)* quibus tactis miles mortuus revixit, *(2. Reg. c. 13. v. 21. Ecclesiast. c. 48. v. 14.)* ubi verò tanta inter nostros pietas, quæ post fata se exerat? quærit *Th. Bartholin. (Epist. de Transplant. morb. p. 52.). Paracelsum* id Mumiæ *in Elisæo* naturali ab ortu ascripsisse, *Andr. Libav. (P. 3. singul. l. 7. de Bitumin. c. 21. p. 969.)* autor est, sed fallit Lectores suos *Libav.* in genere namque ejusmodi miracula sanctorum & aliorum hominum â mumia deducit Novator ille, nulla *Elisæi* facta mentione, de quo mox plura. *(§. 45.)* Memini me olim â Prædicante Papæo in Thermis Töplicensibus in Festo S. Viti è suggestu audivisse: Israëlitas reliquias *Josephi* ex Ægypto secum portasse, ut earum vi Mare rubrum divideretur, illisque per illud transitus pateret. Ἄγραφον id, ut non dicam blasphemum est. *Elisæi* verò casus verè miraculosus, singularis & typicus ad reliquias è sanctis minime applicandus. Semel vim istam exeruerunt, nec amplius, adeoque nec Sanctorum Papæorum reliquiis assimilanda, cum illæ quotidie monachis id lucripetis

sug-

ſuggerentibus, vim explicent ſuam. Hoc ipſo peculiari & extraordinario miraculo veritatem vaticinii *Eliſæi* confirmare voluit DEUS, ne timerent incurſiones hoſtiles Iſraëlitæ, modo Domino adhærerent, explicat *B. Martin. Chemnit.* (*P. 4. Exam. Concil. Trident. p. 5. & 6.*). Add. *Andr. Prückner.* (*in h. l. p. 141.*). De *Joſephi* oſſibus iterum *B. Chemnit.* (*c. l. p. 6. & 7.*). Add. *J. C. Dannhauer.* (*Hodom. Spir. Pap. Phantaſm. 6. p. 1187.*). Deque eorum translatione *Dan. Chamier.* (*T. 2. Panſtrat. l. 16. c. 9. n. 22. p. 412.*)

§. 13.

In ſcenam etiam producunt veterum de harum contra Dæmones vi & efficacia teſtimonia. Dæmones has fugere, *Chryſoſtomi* (*de Laud. S. Apoſt. Paul. Serm. 3. Col. 531.*) locum allegant. Ex *Hieronymo* perhibet *B. Mart. Chemnit.* (*p. 4. Exam. Concil. Trident. p. 13.*) *Apollinem Daphnæum Juliano* ſciſcitanti oraculi teſtimonio indicaſſe, ſe propter vicinum mortuum (erat autem *Babilæ Martyris* ſepulchrum vicinum,) non poſſe. *Beati Antonii* corpus cum â *Theophilo* duceretur per Eremum, invenerunt ibi tria corpora mortuorum â feris ſylveſtribus occiſa, quibus cum impoſuiſſet *Theophilus* corpus Beati Confeſſoris ſtatim ſurrexerunt, & ſecuti ſunt beatum corpus usque ad Conſtantinopolin, ad cujus præſentiam *filia Conſtantini* liberatur, Dæmones rugiunt illiusque vim ac ſanctitatem confitentur, quaſi præſentem viventemque Sanctum adeſſe ſentirent, vivunt enim Sancti omnes, nec mortui ſunt, qui in DEO moriuntur, ſed dormientes dicuntur. Unde SALVATOR *de Lazaro* ait: non eſt mortuus ſed dormit (*Joh. XI. v. 11.*) Et *Apoſtolus* (*1. ad Theſſal. c. 4. v. 13.*) vetat de dormientibus contriſtari. Vivunt enim Sancti in corporibus & reliquiis ſuis mirandis virtutibus illis divinis ſua aſſiſtentes per illas operantes, licet illa naturaliter non informent, judicat *Cornel. Agrippa* (*T. 2. Op. Declamat. de B. Anton. p. 575.*) Ad ſepulchrum *Eliſæi. Joh. Baptiſtæ* & *Abdiæ* Dæmones rugire conſueviſſe, *infra* (*l. 1. Tit. 3. §. 8.*) dicetur. Terram ſanctam Hieroſolymis allatam in cubiculo quidam ſuſpenderat, ne quid mali ipſe etiam pateretur, cum maligni Spiritus domum infeſtarent, *Auguſtin.* (*l. 22. de Civit. DEI c. 8.*) obſervavit.

§. 14.

Sed ne hæc fruſtra prædicarent, etiam vim contra morbos Sanctis his eorumque lipſanis aſcripſerunt, reputantes vota intervenire, quæ & loculos pecunia emunctos reſtaurarent. Emerſit inde Sanctorum numerus innumerus, quibus id darent negotii, ut morbis his vel illis certos Sanctos præficiendo lipſanarumque efficaciam ebuccinando accurrerent, vota litarent, proceſſiones &

peregrinationes ad Templa & Sacella istorum instituerent. De Sanctorum numero ad nauseam usque conficto *narrat Jacob. Masen.* (*util. curiositat. ad hum. vit. felic. c. 25. n. 4. p. 514.*) jam triginta & amplius Tomos (quorum octo jam vidit) Belgas Patres moliri, *Bollando & Henschenio* auspicantibus, (prodiisse jam aliquot Tomos, *ex actis Lipsiensibus* non ignotum esse poterit,) ubi per singulos anni dies & superiora, usque ad CHRISTUM, secula, infinita pene deprehendimus miracula, & ipsis plerumque Autographis locorum, aut certe cæteris scriptoribus depromta autoritas deesset. Verè igitur *Dan. Chamier.* (*T. 2. l. 16. Panstrat. c. 14. p. 347.*). Tota quantacunque est religio papistica, est θαυμάτων διαλελὴς ἔνδειξις, miraculorum perpetua ostentatio.

§. 15.

Quod ad morbos; Divinum in his aliquando quid latere Ethnicis placuit. Θεῖόν τι etiam in morbis fatetur *Hippocrates* (*S. 2. Op. l. prænot. Tr. 4. p. 3.*) quod ipsum divinum Numen appellat, (*S. 5. l. de Nat. Mul. p. 126.*) Dæmones intellexisse *Hippocr. Galenum* nunquam statuisse *Marcell. Donat.* (*l. 2. Hist. Med. Mir. c. 1. p. 107.*) eò quod Dæmones nullibi à *Galeno* admitti sciat, si unicum locum excipias, (*l. Euporist. p. m. 1022.*) ubi suffitum pro Dæmonibus abigendis descripsit. Sed *Marcellum* à metu liberare potuisset, quod inter spuiros hic liber ab omnibus recenseatur, perinde ut ille de historia Philosophica, (*p. m. 13.*) in qua caput de Heroibus & Dæmonibus Plutarcho dudum vindicata. Ingemuit olim circa hoc decretum *Magnus trium Imperatorum Medicus Joh. Crato.* (*ap. Laur. Scholz. Consil. 174. col. 497.*) Quorsum attinet, *scribit*, Medicum verba fundere? Si Spiritus CHRISTI in iis est, qui hominis, nescio quo Spiritu ducti, in potestatem Spiritus mali tradunt, cur non eadem vi optimum & innocentissimum ægrum eximunt? O cœcas hominum mentes!

§. 16.

Quid verò morbus sacer *Hippocatri?* Epilepsia ἱερὴ νῦσος *Ipsi* (*l. 2. prorhet. p. m. 74. & l. de Flat. p. 83.*) expressis vocatur. Add. *Coel. Aurelian.* (*l. 1. tard. pass. c. 4.*) & qui varia annotat (*in l. Hipp. de morb. sacr. p. 148.*) impugnat hanc rationem, quod à DEO proveniat, (*Autor. l. de Morb. Sacr.* quem non *Hippocratis* esse post alios *Hieron. Mercurial. l. 1. Lect. Patavin. c. 26. p. 101. & Casp. Hoffmann. Comm. in l. 8. Galen. de U. P. p. 567. tradunt*) dum perhibet: Neque hominis corpus à DEO inquinari existimo τὸ ὑποκηρότατον ὑπὸ τοῦ ἁγιωτάτου, impurissimum à purissimo. Et concludit: Homines ex imperitia & admiratione ei naturam quandam & causam divinam inesse censuerunt, quod nulla in re reliquorum morborum similis esset. Et per consilii inopi-

am

am quod morbum non cognoscunt, illi divinitatem asserunt. Ne ad solam Epilepsiam id nomen applicet quispiam, *Dictator* (*§.3. l. de aër. loc. & aqu. p.65.*) τῶν ἱερῶν νοσευμάτων meminit, quæ ὀλίγα quidem, ἰσχυρὰ δὲ pronunciat.

§. 17.

Morbos à summo DEO illatos dari, ipsa sacra Oracula prodiderunt, idque dilucidis enunciarunt verbis, comminationibus Exemplisque. (*Exod. 9. v. 15. Levit. c. 26. v. 25. Numer. 14. v. 12. Deut. 26. v. 21. 2. Reg. 24. v. 25.*) Minitatur Israëlitis ipse DEUS pestem (*Jerem. c. 15. v. 2. & c. 21. v. 6. c. 29. v. 17. 18. Ezech. 5. v. 17. & c. 14. v. 19. Amos c. 4. v. 10. Habac. 3. v. 6.*) Inde sagittæ DEI. (*Ps. 91. v. 5.*) Plura *Ludov. ab Hornig* (*Würg-Engel. qu. 5. p. 10.*) Talis forsan illa, quæ in omnes indifferenter Idololatras & paganos, Christianorum planè intacta congregatione desæviit, quæ describitur *ab Euseb.* (*l. 9. Hist. Eccles. c. 8.*) & *Paulo Diacono* (*l. 6. de reb. gest. Longob. c. 5. A. 682.*) θεήλατος erat arthritis *Agæ Regis* (*2. Chron. c. 16. v. 12.*) Morbus intestinalis *Regis Jorami* (*ib. c. 24. v. 14. 15.*) Melancholia *Nabucadonosoris*, (*Dan. 4. v. 13. & 29.*) *Herodis* verminatio. (*Act. 12. v. 23.*) Conf. & *Steph. Roder. Castrens.* (*l. 1. de Meteor. Micr. c. 17. p. 34.*) Reliqua Theologi.

§. 18.

Agnoverunt id etiam Ethnici, inde ob circa lucum Dianæ pascentem capream Dianæ sacram jaculo *ab Agamemnone* transfixam lues pecora invasit, quod *è Dicty Cretensi* recitat *Nic. Frischlin.* (*annot. ad Callimach. hymn. 2. v. 263. p. 250.*) Talis & illa Atheniensium ab *Epimenide* expiata *ap. Diog. Laërt.* (*l. 1. de vit. Phil. in Epimenid. p. 78.*) *Appollinem* immisisse pestem in Græcorum exercitum, *Homer.* (*l. 1. Iliad. v. 44.*) cecinit, ubi & pestem κῆλα θεοῖο, sagittas DEI (*v. 53.*) vocat, explicat verò *Philipp. Beroald.* (*l. 1. de Pest. f. 153.*) *Apollo* inde *Macrobio* λοίμιος (*l. 1. Saturnal. c. 17.*) quod inferat & auferat pestem. Patescit idem *ex Platone* (*in Phæd.*) qui maximos dolores & morbos ob peccata hominum ex Deorum ira credidit.

§. 19.

Sed & Divis suis varios assignant morbos Papæi. Epilepsiam *Divo Johanni CHRISTI præcursori*, inde *S. Johannes* Rach *Paracelso* (*l. 1. de Orig. Morb. invis. p. 97.*) quamvis & *S. Johannis* morbus potius vulgò audiat, *judicante Mich. Baldit.* (*Spec. Sacro-Med. Angul. 4. p. 148.*) quod Epileptici felicissimo successu ad hujus morbi sævitiam infrigendam appensum collo gestent *S. Joh. Evangelium* in chartula scriptum, quod identidem tum recitant, tum lectitant. *Valentino*

lentino etiam, inde *die Vältens Kranckheit* & Nostri: *Daß dich der Vällten (Veltins) Sichtag* vocat *Paracelſ. (c. l.) Joh. Bodin. (l. 1. Dæmonom. c. 4. p. 107.)* Forsan inde promanavit ut inde Pœonia (ap. *Joh. Bauhin. de Plant. à Sanct. denom. p. 98.*) *Sancti Valentini* Herbæ, *Sanct Vältens Kraut* nomen acceperit. Ridet hic *Cornel. Agrippa, (de Vanit. Scient. c. 5. 7. p. 107.)* Germanos, quod caducum morbum Valentino dent, hoc nomen à cadere *(fallen)* forsan *à Velentino* infelici denominatione deducentes, & Galli *Etropio* addicentes Hydropicos ob vocis consimilem sonum. Addicitur etiam Epilepsia *Cornelio, Hubertoque. (Vid. Levin. Lemn. l. 2. de Occ. Nat. Mirac. c. 3. p. 143.)*

§. 20.

Herpeticus ille affectus, quem Rosam vulgò pronunciant Ignis *S. Antonii* nomen retulit. Ulcerosa quædam tibiaria s. scabies malum *S. Mennenii* observatum etiam fuit quoddam delirii genus, quod Chorea s. Saltus *S. Viti* appellatur. *S. Antonio* tribuitur ille ignis sacer, quia ignis sub regimine & potestate *S. Antonii* est, quod *Paracelſus* perhibet. *(c. l.)* Ulcera etiam quædam *S. Küris Buß* dici Idem observat. *(p. 93.)* Luem Veneream *S. Dionyſium* concitasse quorundam *ap. Eundem (c. l. p. 94.)* traditione accepimus.

§. 21.

Morbos hujusmodi sacros non remediis naturalibus, sed divinis, sanari, aut si naturalibus, non naturali, sed divina virtute agentibus curari, monet *citatus Baldit. (p. 141.)* Inde Romano-Catholicis persuasum fuit ad Sanctos certos confugere, & ab illis morborum levamina exposcere. Ut Pestis Mediolanensis desineret, & reliqui adhuc sani præservarentur, processio nova, *teste Athan. Kirchero, (Scrutin. Peſt. S. 1. c. 10. p. 111.)* instituta fuit, qua corpus *Caroli Borromæi* quaternorum fulcitum Episcoporum humeris, tum Cardinale Urbis Archi-Episcopo, tum Prælatis, totaque nobilitate concomitante inæstimabili apparatu circumferebatur.

§. 22.

Nec ad Sacros tantum morbos depellendos Sanctorum subsidia hinc emendicant, sed & in aliis morbis, ita ut unaquæque invaletudo peculiarem è Sanctis habeat averruncum, à quo miraculosè curari expectat. In Rabie & Hydrophobia *S. Hubertum* appellent Belgæ, Catholici Longobardi *S. Bellinum & Doninum (Vid. Joh. Bapt. Helmont. c. l. n. 52. p. 229. & de Magn. Vuln. Curat. n. 45. p. 622.)* Audiamus iterum *Mich. Baldit. (c. l. p. 149.)* In Doloribus Capitis sæpissimè ad *S. Caſarium* confugiunt, ad *S. Hildegarden* in Phrenitide, ad *S. Laurentium* nec non ad *S. Apolloniam* in dolore dentium, ad *S. Luciam* in ocu-

lorum

lorum morbis, in mammarum affectibus ad *S. Agatham*, ad *S. Blasium* in angina & gutturis ægritudinibus, ad *S. Rochum & S. Sebastianum* in Peste, ad *S. Phocam* in serpentum morsibus, ad *S. Johannem Urticanum* in sterilitate, ad *S. Margaretham* in difficili & laborioso partu, ad *S. Stephanum* in calculo, ad *S. Mennam* in ulcerosâ tibiarum scabie & aliis in morbis quamplurimis alii similiter Sancti invocantur subsidiarii. Et sicut in amissis rebus inveniendis vulgò recurritur ad *S. Antonium Paduanum*; ita & in deperditâ sanitate per morborum depulsionem non inutilis erit, *opinatur Baldit*, Sancti sancta & auxiliaris procul dubio futura invocatio, qua egregia divinatione discursum suum concludit. Et, ne Panacea desit, in omnibus morbis quibuscunque vel exploratissimis, nunquam frustra imploratum auxilium Sacratissimæ virginis CHRISTIPARÆ præsentaneum, quod etiam bis se expertum prædicat (*c. l, p. 150. & 152.*). Inter Ethnicos in Epilepsia ad *Neptunum*, *Herculem*, *Ennodium*, Appollinem, Nomium, confugere, consvevisse, *ex Autore* libri (*de morbo Sacro*) novimus.

§. 23.

Nescio an hic inserere debeam Herbas cum quibusdam mineralibus, quæ à Sanctis nominibus nomina sua emendicarunt. Ob quas equidem caussas id factum, non decerno, forsan honoris cultusque gratia id factum, aut quod à sanctis istis dotes efficaciores expectent cum Medicis ægroti, & hi Sanctorum opera curentur, & illi inclarescant. Ita *S. Alberti* herba, *S. Antonii* herba, napus & nuculæ. *S. Aridomaci* saccharum. Herba *S. Barbaræ, Benedicti, Catharinæ* & flos. Herba *S. Christophori*, *S. Claræ*. *S. Francisci* spina. *S. Gauthier* pommes. *S. Georgii* Rosa, flos, radix, herbæ, viola, fructus. Herba *S. Gvilhelmi*. *S. Gvyteriæ*. *S. Helenæ* Radix. *S. Jacobi* herba vel flos, herba marina. Herba *S. Innocentii*. *S. Johannis* baccæ, flores, balteus, cingulum herba, nuces, panis, pyra, (poma etiam nobis sunt,) racemi. Herba *S. Juliani, Kunigundis, Ladislai, Laurentii*. *S. Magdalenæ* flos. *S. Mariæ* Arbor, Calceolus, Carduus, Chirotheca, claves, flores, fumus, herba, lac, lachrymæ, lilia, linum, manus, mentha, pallium, pyra parva, sigillum, stramen, tribulus. *S. Mariæ Magdalenæ* flores, herba, poma. *S. Marthæ* poma. *S. Martini* pyra. *S. Mauriti* Ocymum. *S. Nicolai* pyra. *S. Ottiliæ* herba. *S. Pauli*, *S. Philippi*, *S. Petri* clavis, herba, triticum, radix. Herba *S. Quirini*, *Rochi*, *Ruperti*, *Simeonis*, *Stephani*, *S. Thomæ* arbor. *S. Valentini* herba. Plura de his *Joh. Bauhin. (de Plant. à Sanct. denominat.)* cui hæc debeo.

§. 24.

Nec solum Sanctorum cultus, sed & reliquiarum Sanctarum vis ad morbos profligandos in usum tracta. Cum varia è regno minerali & vegetabili ad morbos præsidia allegasset *Mich. Baldit, (c. l. p. 176.)* ad lipsana sacra confugit, quorum Amuleta accedente viva fide & prece, spei Christianæ præsidio roborata tanta divinitus adepta dynamia prodidit, ut morbis omnibus eliminandis securissima certissimaque celebrari valeant auxilia. Addit *è Gregor. Nazianzen. (orat. contr. Julian. Apostat.)* asserere, Sanctorum corpora eandem habere potestatem, quam ipsorum animæ, sive manibus pertractentur, sive venerationi habeantur, exiguasque sanguinis guttulas ex iis sanctis corporibus stillantes, & minimas passionis martyriique notas æqualem corporibus integris à DEO participare virtutem.

§. 25.

Sed hanc Sanctorum Sanctarumque reliquiarum dynamin risu potius excipiunt & subsannant plurimi, tantum abest ut colant. Causas habent sonticas, cum ex illis Sancti multi sint Chimærici, quod *Gisb. Voët. tribus elegantissimis disputationibus demonstravit (habentur P. 3. Disput. select. à p. 472. ad p. 539.)* Præterea valet apud Theologos illud *Hieronymi, (Epist. 84.)* multorum reliquias coli in terris, quorum animæ ardent in inferno. *(M. Joh. Schreiter Nov. Decad. metall. Conc. 10. p. 228.) Das will ich bezeugen, daß viel unter den Menschen für Götter und Heiligen gehalten werden, die elender als ein Cadaver sollten gehalten werden. Denn das ist einmal also, daß der Teuffel seine Satanische Tugend anseet, damit er den Menschen wieder anrichte, discurrit Paracelf. (præfat. in Phil. Sagac. p. 337.)* Nec quæcunque DEUS per Sanctos suos in hac vita fecit, eadem etiam per Corpora & Ossa ipsorum se facturum promisit, quod optime monet *B. Mart. Chemnit. (P. 4. Exam. Concil. Trident. p. m. 4.)*

§. 26.

Ridiculæ etiam sunt non raro istæ reliquiæ non è Sanctorum corporibus, sed vestimentis & supellectili: Magnetica miracula & sanationes patrandi facultate quasi impraegnata. Non dicam de vestimentis CHRISTI & *B. Mariæ*, quorum ubique copia datur in Templis & Monasteriis. In Belgio apud Catholicos Stola *S. Huberti*, illaque, *teste Helmontio*, *(c. l.)* in arca sex clavibus diversis obserata, à diversis quoq; clavigeris custodita. Quotannis autem præscindunt stolæ illius partem, remanente interim stolâ semper integrâ, ab octingentis jam & amplius annis. Nec est imposturæ locus, *pergit*, quod nesciatur hodie

hodie, an stola sit ex bysso, lana, lino vel bombace, adeoq; non posset nova quotannis substitui. Præscindunt autem de stola partem, ut filamentum singulis demorsis à rabido intra cutim frontis incarnetur. Inde enim aliud miraculum, quod qui semel suscepto filamento è stola per ritus suos convaluit, potest alteri demorso differre terminum, & sopire rabiem adventantem per quadragenarias, idque in annos aliquot, dum tandem suo commodo adire queant *S. Hubertum*. Ea tamen conditione, ut tantillum si quis supra quadraginta dies expectet, nec prorogationem termini (ut dictum est,) ante impetraverit confestim in rabiem incidat desperatam. Calceum *S. Thomæ* Cantauriensis seniculum mendicabulum osculandum porrigebat in via *Gratiano* apud Erasmum, (*c. l. p. 401.*) qui ipsi incanduit & regessit, quid sibi volunt hæ pecudes, ut osculemur calceos omnium bonorum Virorum? Quin eadem opera porrigunt osculandum sputum? aliaq; corporis excrementa?

§. 27.

Ne Dramati desit Ludio sanctas reliquias venditant, quas vix pro talibus venditasset *Orestes*, nec *Coridon* his subscripsisset, cum non Sanctorum sed pessimorum, omnisque fidei & pietatis expertes quin & Gentiles. Prostat in hoc censu apud illos *Judæ Apostoli proditoris* laterna, laqueus etiam quo se suspendisse creditur, quem olim Romæ inter Sacras reliquias pendentem, *illustris ille Bellator Fronsbergius* rei insolentia delectatus instar singularis Spolii Augustanam Vindelicorum *Vid. Casp. Bertram. (Comment. in Matth. c. 27. p. 784.)* transtulit. Extat & inter has Judæ laterna, qua usus fertur cum SERVATOREM O. M. in horto Oliveti quæreret & traderet Judæis. Scala, in qua cantavit passionis tempore Gallus, *Pilati* malluvium. *Longini*, ita insulsi Monachi vocarunt militem, qui lancea latus CHRISTI perforavit. Addas his propter infrunitam licentiam, quam sibi in res sanctas sumunt Papicolæ. Crepidam *Hannæ ap. Gabriel. Bucellin. (in Sacr. Benedict. 26. Jul. p. 19.)* Duas ampullas pinguedinis *S. Laurentii*, (*ap. Eund. c. l. 10. Aug. p. 21.*) Halitum *Josephi* ampullæ inclusum & asservatum propè Rhemenses in pago Consenti herni. (*Molin. Hyperasp. c. 28. p. 134. 140.*) *Michaëlis Archangeli* pugionem & clypeum, caudam asini, *ap. Joh. Wolf. (Lect. Memorab. Cent. 16. p. 239.)* Applicares huc illud Bessarionis Cardinalis, qui Sanctorum novorum introductioni præsens exclamabat; Novi hi Sancti de veteribus mihi dubium movent, *ap. Thom. Laas. (Orat. contr. Ital. p. 550.)*

§. 28.

Nil præterea lectores & peregrinantes magis hærere fecit suspensosq;

tenuit, quam reliquiarum unius individui insignis abundantia. Tot sæpe capita Sancti alicujus, quot finguntur hydræ Lerneæ fuisse, tot brachia quot Briarei, plura corpora quam Geryonis, *B. J. C. Danhaueri (Hodomor. Spir. Pap. Phænom. 6. p. 1181.)* judicium est. Neapoli in templo *S. Ludovici* ad *S. Janum Carbononne* sangvis *S. Januarii*, ad *S. Mariam Decanam*, *Joh. Baptistæ. (Maximil. Misson. p. 1. Itinerar. Epist. 22. p. 530.)* Verto me *cum Erasmo Roterodamo (Colloqu. Peregrin. ergo p. m. 381.)* ad cœleste lac beatæ virginis. O matrem filio simillimam, *exclamat*, ille nobis tantum sanguinis reliquit in terris, hæc tantum lactis, quantum vix credibile est, esse posse uni mulieri uniparæ, etiamsi nihil bibisset infans. Liquidum id quidem produnt, sed concretum est; dicas cretam tritam alboque ovi temperatam. De præputio CHRISTI, *Joh. Wolff. (Centenar. 16. Lection. Memor. p. 233.)*. Charnovienses Monachi dentes, crines, etiam præputium CHRISTI (horrescit mens præ his blasphemiis, *subdit*) hominibus ut revereantur ostendunt, præputium idem Romæ in templo Lateranensi asservatur.

§. 29.

Concederem veram crucem CHRISTI *Helenam Imperatricem* acquisivisse, eamque agonizantis fœminæ morbum ab eadem sublatam, & mortuum resuscitatum satis declarasse, prout *Nicephor. (l. 8. Hist. Eccles. c. 29. p. 345.) Ruffin. (l. 1. Hist. Eccl. c. 8. p. 223.) Sozomen. (l. 2. Hist. Tripart. c. 18. p. 331.) à Stammer (Itinerar. Hierosolym. p. 173.)* & *Joh. Bosius (l. 6. de Triumph. Cruc. c. 16. p. 662.)* prodiderunt, verum cum fragmenta ligni Crucis tam multa passim prostent, ut si colligenda sibi sumeret quispiam otio abundans, dubio procul non Simone, sed Sisypho opus foret, ut tollerentur, *autumat Th. Bartholin. (Diss. de Lat. Christ. c. 7. p. 89.)* Imò si in acervum redigantur, *judice Erasmo, (annotat. ad Matth. c. 23. p. 92.)* vix una navis oneraria vehat. Sed hæc cum seculis artificumque ingenio in majus creverunt. Quod si igitur spuriæ crucis particulæ veras maxime superent, quis mihi has ab illis separabit, quibusve notis veras à Spuriis distinguet, si venerationi & cultui locus esset, aut si subsidium sanitatis ab illis petendum?

§. 30.

Cum ante aliquot annos *R. P. Eliam. Nentwig S. J. Theologum & in Residentia Graupensi t. t. Patrem Superiorem* in Thermis Töplicensibus ulcere pedis laborantem curarem, aliquando in Festo *Viti*, cum reliquiæ hujus Sancti, Cranium & aliæ partes in templi Altari publice exponerentur, ex Eodem rescire volui, unde certò sciret, has esse *S. Viti* reliquias, eam quidem ob causam, quod juve-

juvenis martyrium ſubiiſſe legatur *Vitus*, caput autem grande expoſitum eidem ætati vix convenire, id reſponſi dedit: *Der Pabſt tauffet ſie*. Papa id nominis impoſuit. Mirabar iſtam reſponſionem, & aliis urgentibus ægris avocatus diſcurſum amplius extendere prohibebar. Legi poſtea *in Claudio Salmaſio* (*Epiſt. 2. de Cruc. p. 395.*) ſequentia: Hodie, ſi vera narrantur, quotannis Feſto Mortualium, niſi fallor, aliquis ex junioribus Cardinalibus (Romæ) in Cœmeterio D. Petri ſtat. Curat effodiendum cadaver aliquod temere oblatum, cujus oſſa jam caro reliquerit. Cujus hominis ſit, maris an fœminæ parum refert. Prolata inde oſſa accipit. Petentem Sancti alicujus reliquias, quales multi ibi tum hujus rei gratia adſunt, interrogat, cujus Sancti velit? Si reſpondet *D. Petri* partem oſſiculi detractam baptizat, in nomen *Petri*, & ei dat. Idem in aliis facit, qui cupierint habere *Pauli* aut *Barnabæ*, aut aliorum. In eorum nomen baptizata oſſicula idem valere exiſtimantur, ac ſi ipſius Sancti eſſent, cujus nomen præ ſe ferunt.

§. 31.

Proh DEUM atque hominum fidem! Siccine *Necrobaptiſtarum Cataphrygum* (de quibus è *Philaſtrio l. de Hæreſ.* ab Eccleſia Africana *in ſuo Canonum Codice Canon. 18.* damnatis *Joach. Hildebrand. Ritual. Baptiſm. Vet. p. 54.*) reducunt Sancti illi Patres, quin & ipſa Sanctitas, Papa Romanus? Oſſibus cadaveribus ſanctiſſimum polluunt lavacrum ſolis viventibus hominibus eorumq; ſaluti deſtinatum. Idololatriam quæſtus gratia introducunt, & propagant, ſimplicium exenterant loculos & crumenas. Interim Sanctorum reliquiis apud oculatiores omnem detrahunt fidem & decantatam efficaciam. Quis namque credet *Marcolphi* oſſibus in nomen *Eliſæi Baptizatis*, eaſdem ineſſe vires, quæ veris *Eliſæi* reliquiis? Fruſtra nos Sanctorum reliquias veneramur, diſputat contra *Joh. Robertum Jeſuitam J. B. ab Helmont.* (*de Magn. Vulner. Curat. n. 38. p. 601.*) Si ſola materia impoſſibilis Ariſtotelicorum ſuperſit, & non accidentia quædam in concreto remanſerint, quæ olim erant in vivo. Si hoc fruſtra, ſpurias iſtas & pſeudonymas reliquias quis colet venerabiturque, cum ſancti iſtius non ſint in cujus nomen ſunt baptizatæ, niſi forſan à baptiſmo id virtutis imprimi credant, non aliter ut campanis baptizatis tonitrua, Agnis DEI & cereis conſecratis Dæmones & ſpectra fugandi potentia. Sed & ſic reliquiarum verarum virtus & gloria obtunditur, enecaturque.

§. 32.

Ita Papa approbante imagines & ſtatuæ miraculoſæ in magnis arboribus inventæ *Mariæ* nomine gaudent, baptiſmo forſan ejuſmodi initiatæ & ſanctificatæ.

catæ. Primus talismodi B. genetricis imaginis meminit *Nicephorus, (l. 14. Histor. Ecclef. c. 45. p. 765.)* qua mentione mirum in modum triumphat *Joh. à Chokier de Surlet. (Cent. 2. Fac. Hiftor. c. 92. p. 351.)* & Novatorum fannas exfibilat. Inventæ autem fuerunt in Cupreffo, ut illa *Nicephori*, in trunco quercino, ut hiftoriam propinat allegatus *Chokier (c. l.)*. In aliis etiam arboribus, *fecundum Eundem (c. l. p. 354)* A quo vero illarum fabrica? An ab Angelis? E quo loco? An è Cœlo?

ut lapfa Ancilia cœlo.

(Virgil. l. 8. Æneid. v. 664.) occultatum à quodam in Cupreffo *Nicephorus* fatetur, quod forfan & in aliis æris aucupibus Monachis factum. Vocantur *unfer lieben Frauen Wunderbilder*, quod & forfan Romanenfes movit, ut ipfi fibi fingerent ftatuas has *Mariæ* miraculofas, inter quas facile principatum tenent in Italia *Lauretana*; in Hifpania *Cæfar Auguftana*, in Germania *Oettingana*, in Belgio *Afpricollis*. De his ad Paulum V. Pontificem *Juft. Lipfius (Cent. 5. Mifcell. Epift. 98. p. m. 1044.)* thrafonicè fatis: Non poffumus alia re, *credo*, efficacius frangere & calcare hærefin, quam hoc miraculorum fulmine: ubi non verbis, fed factis difputamus, & impudentiffimorum etiam oculos utque animos perftringimus ifta rerum Majeftate.

§. 33.

Quod de miraculis in genere apud Papæos olim fcripfit *Albert. Kranz. (l. 9. Wandal. c. 11. p. 210.)* Miracula vanitate partim populi, accedente avaritiâ Cleri facta & infecta nunciantur: Idem in fpecie de miraculofis Sanctorum reliquiis proclamare poterimus. Avarum Sacerdotale genus, notat *Cornel. Agrippa, (de Vanit. Scientiar. c. 57. p. m. 106.)* avari homines non modò ex lignis, & lapidibus, fed etiam ex mortuorum offibus & Sanctorum Martyrum reliquiis materiam avaritiæ fuæ captantes, fuæ rapinæ inftrumenta fecerunt: attollunt fepulchra confefforum, exponunt reliquias Martyrum, vendentes illorum contactus & ofcula, exornant illorum fimulachra, & fefta illorum magis pompis decorant, prædicant illos fanctos, & extollunt magnis præconiis vitam illorum, quos tantopere laudant, longisfime fugiunt. Nonne iftis locutus eft SALVATOR: Væ vobis, qui ædificatis fepulchra Prophetarum, fimiles illis, qui occiderunt eos! Proinde Gentilium more Sanctis ipfis officia diftribuunt, & hunc *cum Neptuno* aquarum periculis fubvenire, illum *cum Jove* fulmen incutere, aut *cum Vulcano* ignem, alium meffes curare *cum Cerere*, alium vitibus præeffe cum *Baccho*. Et habent mulierculæ fuas Divas, à quibus ceu *à Lucina aut Venere* liberos petant, & quæ

cum

cum Junone iratos placant vel vindicant maritos. *Hactenus Agrippa.* Vulgus ignarum, quæ ignorat, dæmonibus & Sanctis tribuit, pronunciat *Petr. Pomponat. (de incant. c. 12. p. 292.)* Fraudes Papicolarum etiam tetigit *(l. 2. Berthon. c. 7. p. 267.) Paracelf. Dan. Chamier (l. 16. Panftrat. c. 12. p. 342.)* Mangonis callidisfimi ossa clanculum è tumulis effossa pro Martyrum reliquiis venditantis exemplum narrat *Glaber. Rudolph.* (l. 4. c. 3. p. 42.)

§. 34.

Vim salutiferam etiam locis, in quibus latebant Sancti aut Sanctorum reliquiæ, affrictam testantur. Ad tumulum *S. Dympnæ Virginis* obsessos â Cacodæmone liberari, *Helmont. (Tr. Demens Idea, n. 49. p. 228.)* tradidit. Speluncæ odoriferæ passim per Asiam citeriorem & Ægyptum harum gnaros attonitos habent, neque dubitant reliquiis Prophetarum ibi olim conditis hanc gratiam transcribere; feruntque hodienum dormientes in ejusmodi locis futurorum indiciis in somnis instrui, *notat Joh. Christoph. Becmann. (Diff. de Prodig. sangu. c. 3. §. 7. p. 34.)* Mediolani in tumba trium Regum antequam Coloniam transferebantur relicti vapores morbos, sed non difficiles, sanant, *Anonymi (P. 1. Descript. Ital. p. 65.)* testimonio proditum. Lacum Alexicacum â reliquiis *S. Stanislai* evasisse *Sim. Majol. (Colloqu. 12. p. 439.)* narrat. Quin & â Deiparæ immagine in cavo trunco quercino latente, ipse truncus quercinus evasit miraculosus, quod *Joh. â Chokier de Surlet (Cent. 2. Hist. Fac. c. 92. p. 354.)* retulit. Propter vicina Martyrum ossa & sepulchra vel Monasteria, vel loci genium judicabant papales salubriora. Et ex hac causa auspicatum aliquod omen civitatis Samgallensis, Campiduni & Werthæ fundatores collegisse *Jacob. Gretser. (l. 1. obs. ad vit. S. Richardi & Wilibaldi c. 18.)* arbitratur. Ridiculam vocavit superstionem *Joh. Mich. Dillher. (T. 1. Disp. Acad. §. 4. p. 5.)* Ad viliores usus etiam Terram è tumulis Sanctorum adhiberi certum est. In templo *D. Uldarici* Augustæ Vindelicorum est sepulchrum *D. Uldarici*, ex quo terra, quæ depromitur, prædita est vi & facultate pellendi glires, ut prædicant, atque ideò peregre adventantibus particella ejus donari solet, itâ ut longè lateque asportetur ad prædictum effectum, *Henric. Kornmann. (part. 4. M. M. c. 27.)* memorat, qui & hoc post *(c. 29.)* subjunxit: Coloniæ Ubiorum in Cœmeterio ad templum *S. Johannis Baptistæ* & *S. Cordulæ*, bustum nominatæ *S. Cordulæ* lapideum conspicitur, cujus terram in dedicatione annali dicti templi ab incolis effodi, donumque asportari & dispergi vidi ad depellendos mures. Forsan quod terra cœmeteri-

teriorum corrosiva, quod *supra* (*S. 1. §. 191.*) & *infra*, (*l. 3. Tit. 1. §. 69.*), aut male olens animalibus istis non favet.

§. 35.

Suos hic patiuntur manes Medicorum stipendia & reditus. Nullum morbi genus est, quod inter Divos non habeat suum Medicum, iterum *Cornel. Agrippa* (*c. l.*) perorat; quæ causa est, quo minus lucrentur Medici quam Causidici, cum nulla lis sit tam pusilla, tam justa quæ Divum aliquem habeat patronum. *Der Herr Claude Pons gewesener Medicus zu Lyon meldet gar artlich, daß er solcher Heiligen Freund nicht sey, die sich in seine Profession mengeten*, memorat *Jacob. Spon*, (*l. 4. Itinerar. p. 15.*) A Medicis, quos DEUS creavit ad nugas istas trahitur vulgus, etiam sapientiores, quibus parum judicii, & ita superstitio non solum proseminatur, sed & mora facta ægri in majus præcipitantur periculum, quin & in mortem ipsam à nugivendulis istis Monachis; Quæ res conscientiæ tamen ab istis æruscatoribus neutiquam attenditur.

§. 36.

Cæterum non omnia corpora Sanctorum esse, quamvis signa faciant, prolixo discursu evincere conatur *Paracelf.* (*l. 4. de Morb. invis. Orig. p. 106. sq.*) Inde etiam ad Principum & aliorum, quibus nulla Sanctitas tributa, sepulchra prodigia facta. De sepulchro *Barnimi Ducis Pomeraniæ* miraculis famigerato *Mart. Zeiler.* (*T. 2. Epist. p. 229.*) se ipsum miraculosum post fata pronunciavit *Zischka*, dum moribundus præcepit, ut sui mortui corpus excoriarent, atque tympanum ex pelle facerent, pollicitus, si ad illius tympani pulsum pariter ejus nomen invocarent, hostes eis nunquam repugnaturos, & victores evasuros. Vid. *Joh. B. Fulgos.* (*l. 3. c. 7.*) Ita & Turcæ in *Georgii Castrioti Scanderbegii* reliquias ferebantur, ejusque sepulchrum ad Lyssæum pie venerabantur, post superstitiosi homines eruta sepulchro tanti Herois ossa religiose deripiebant, qvum quisque se bello invictum tutumque fore crederet, si frustulum ex ossibus reliquiisque invictissimi Imperatoris in amuleto cervicibus suspensum iturus in prælium gestaret. *E. P. Jovio H. Kornmann.* (*p. 4. m. m. c. 89.*) Quin & de Sanctis Turcarum, quos nemo in verorum Sanctorum Catalogum recipiet, quædam miracula prostant. De sepulchro *Ardoydis Joh. Leonclav.* (*l. 3. Hist. Musulman. p. 557.*) sepulchrum ejus habet vim talem, ut si quis eqvus in illa regione ventris dolore quodam laboret, & circa hanc sepulturam ter ducatur, mox eo morbo liberari, superstitiosorum hominum opinione existimatur. Præterea solet Turcarum vulgus, quod illac transit, humum illius sepulchri secum por-

portare, febrium curandarum causa. Nam si qui febri laborant, pauxillum ejus terræ sumunt, & aqua miscent qua epota febricitantes curari creduntur. Retulit & historia Francica *de Turcicis. Imper. Agmet patris sui Mahommeti III.* defuncti cadaver in exercitu secum transportasse, ex eo victoriam certam sibi pollicitus. *(Heinric. Kornmann. p. 4. m.m. c. 90.)*

§. 37.

Neryllinum mortuum apud Troadem pro DEO cultum, *Athenagoras (Apol. pro Christian.)* memorat, qui sanare ægrotos dicebatur. *Theogeni* multa simulacra posita, iisdem divini honores ab indigenis habiti, existimantibus ægris & quopiam affectis morbo salutare ejus numen esse. *(Pausan. Eliac. post. s. l. 6. descr. Græc. c. 11. p. 479.)* Bebnucha in palma suspensus fuit, quæ illa ipsa hora fructus tulit, *Job. Ludolf. (Comment. ad l. 3. Hist. Abissyn. c. 3. n. 23. p. 293.)* retulit.

§. 38.

Alexandro M. mortuo *Aristander Telmissensis* seu Divûm Numine percitus, seu alio quodam casu correptus, *Æliani* testimonio *(l. 12. var. hist. c. 64.)* in medios Macedones progressus his eos compellavit: Omnes omnium seculorum Reges Alexandrum felicitate superasse, tam vivum, quam mortuum. DEOS igitur immortales sibi notum fecisse, futurum, ut quæcunque terra corpus ejus exciperet, in quo primum anima ipsius habitavit, felicissima & ab hostium incursionibus in perpetuum libera foret. Successit igitur inter *Ptolomeum* & *Perdiccam* contentio & bellum. Astu tamen *Perdiccam* circumvenit *Ptolomeus*, inque Ægyptum *Alexandri* cadaver deportavit. De Lapide ad Aspidis morsum, quæ sequuntur *Aristoteles (l. 8. Hist. animal. c. 29.)* notat: Aspis angvis, *scribit*, ex quo medicamentum putrificum illud componunt, in Africâ gignitur, cujus ictui nullum remedium est. Nascitur in eodem agro, in quo Laser, serpens quidam pusillus, cujus remedium lapis est, quem ex sepulchro cujusdam Regis antiqui accipiunt, eoque perfuso è vino bibunt.

§. 39.

De *Hesiodi* Cineribus & ossibus in Peste efficacibus jam supra *(S. 1. §. 184.)* relatum. Costæ *Pelopis* eburneæ meminit *Plinius (l. 28. c. 4.)* De osse vero Pelopis translato sequentia *(in Eliac. c. 13. p. 407.) Pausanias*: Quod ad *Pelopem* attinet, memoriæ proditum est, quum Trojanum bellum duceretur, monuisse vates, non ante expugnari Ilium posse, quam Græci *Herculis* sagittas, & de *Pelopis* ossibus unum comportari curassent. Quare & *Philo-*

Eleten tunc in castra accersitum, & Pisa Scoptulum opertum *Pelopis* deportatum. Redeuntibus verò Græcis ad Euboeam, navim eam, in quam *Pelopis* illud os fuerat impositum naufragio periisse. Multis deinde annis post Ilium excisum, *Eretriensem piscatorem Demarmenum* jacto everriculo è mari os extraxisse: miratum magnitudinem in arenis id annotato loco abdidisse. Venisse Eundem Delphos sciscitatum cujus os, & ad quem usum illud à se conservari oporteret. Tunc etiam fato aderant, quos Elei consultum miserant, quæ foret depellendæ pestis ratio. Atque his quidem responsum est, ut *Pelopis* ossa requirerent: *Demarmeno* verò, ut quæ reperisset Eleis restitueret. Hoc ille cum fecisset, & alia accepit ab Eleis munera, & ei ejusque posteris custodia ossis demandata est. Scoptulum opertum *Pelopis* ætate mea, *pergit Pausanias*, jam evanuerat. Id eo accidisse opinor, quod quum alte absconditum fuisset, tum vetustate tum aquæ marinæ illuvie extabuit.

§. 40.

Translationes cinerum & ossium Heroum & aliorum virorum celebrium dudum ante Pontificios celebratas ab Ethnicis demonstrat *B. Mart. Chemnit.* (*P. 4. Exam. conc. Trident. p. 13.*) Et has postmodum à Christianis ex κακοζηλίᾳ quadam Splendoris in Ethnicis pompis & sepulchretis institutas (*p. 14.*) asseruit. Patrabant id Ethnici utplurimum Oraculorum monito. De *Thesei* ossibus transferendis consilium oraculi Atheniensibus datum *Plutarch.* (*in Vit. Thesei p. m. 24.*) sepulta erant in Scyro Insula, quâ à *Cimone* expugnata inventa est, magno studio conquisitus, & ab Aquila manifestatus magnus loculus magni corporis, adjectaque cuspis ænea & gladius. *Cimon* igitur reliquias has in triremi cum attulisset læti Athenienses, tanquam si ipse *Theseus* in urbem redierit, illustri pompâ obviam progressi peractis sacrificiis exceperunt. Ossibus *Orestis* Spartam delatis, ex eo tempore quo Lacedæmonii cum Tegeatibus congressi sunt superiores extitere. (*Herod. l. 1. p. m. 12.*)

§. 41.

Ne mortuam quidem Sibyllam â divinatione cessare *Clemens Alexandrin.* (*l. 1. Stromat. p. m. 223.*) his innuit: *Serapion* dicit in versibus, ne mortuam quidem â divinandi arte cessare Sibyllam: & id quidem, quod ex ea in aërem recessit post obitum, id esse quod in sortibus divinat & auguriis: ex eo autem quod in terram mutatum est corpore, exorta, ut consentaneum est, herba, quæcunque eam bestiæ comedissent, cum in eo loco essent, *scribit*, perfectam futuri cognitionem per exta hominibus significasse. Ejus autem

tem animam eam esse faciem, quæ apparet in Luna. Gerræ & nugæ! Sortes ante natam Sibyllam jactæ, & divinando rerum eventus explorati. Exta etiam ab Aruspicibus inspecta ante visam in orbe Sibyllam, quod ipsum etiam qui de facie, quæ in Luna conspicitur, non præsumit excors & mentis impos est. *Tiresiam* post mortem oracula edidisse *Callimachus* (*Hymn. 5. v. 129.*) innuere videtur, dum *de Tiresia* ex interpretatione *Nicod. Frischlin.* (*p. 124.*)

Solus & à letho Stygiis consultus in oris
Vivet: & hunc Pluton Angesilaë coles.

cujus notas (*in h. l. p. 302.*) vide. Enatum inde proverbium, solum inter mortuos *Tiresiam* sapere.

§. 42.

Hæc aperte declarant, *judicat. P. Petit.* (*l. 2. de unic. Sibyll. c. 11. p. 242.*) quo ingenio fuerit Sibylla, quantos in pectore Spiritus gesserit, quantum de divinandi facultate insita gloriaretur; quam ne morte sua extinctum iri, sed in aëre regnaturam semper, ac suffecturam ad voces divinas & omnia hominum auribus immittenda jactaret. Sensuram quoque hanc vim terram, novaque pabula è corpore suo resoluto parituram, quibus pecudes refectæ oportuna habeant exta divinatione, clarioraque rerum futurarum signa ostendant. Quæ si Poëticæ levitate non sunt effutita, ut quidem videri alicui posset, cum *Serapionem in Versibus* id pronunciasse dixerit *Clemens*, (*vid. §. præced.*) immanem arguunt fastum, ac plane tartareum mulierculæ istius, haud dubie â Dæmone animum ejus obsidente, & tales ei cogitationes immittente profectum: quod apertius ex oraculis ejus patebit. Quod autem sic transmittendam suo excessu è vita vim illam fatidicam, qua vivens prædita esset, in elementa vaticinatur, sumtum videtur ex iis, quæ de Spiritus prophetici translatione & successione memorantur in sacris Ebræorum literis: quæ cum Dæmon facta sciret divinitus in sanctis Vatibus, ipse in Sibylla suo modo exprimere voluit, vel certe persvadere populis, talem fore successionem fatidici Spiritus *Sibyllæ*, qualem fuisse quorundam Prophetarum sanctorum in alios meminisset. Allegat de morte *Mosis* (Devteronom. c. 34. v. 9.) & *Eliæ*, (4. Reg. c. 2. v. 15.) ubi Spiritus *Mosis* in *Josuam*, in *Elisæum Eliæ* transiisse dicitur. *De Elisæi* Cadavere *Siracides* (*c. 48. v. 13.*) Ἐν κοιμήσει ἐπροφήτευσε τὸ σῶμα αὐτȣ͂. In dormitione prophetavit corpus ejus. *Da er todt war, weissagete sein Leichnam.* Quomodo præstiterit illud, versu sequenti explicat. Et in vita sua fecit prodigia, (τέρατα) & in morte sua, (θαυμάσια ἔργα

ἔργα αὐτοῦ) mirabilia opera ejus. Non solum Prophetarum erat futura prænunciare, sed & miracula aliquando edere.

§. 43.

Cumis *Justino Martyri* (*Vid. Parænetic.*) loculum quendam lentis forma ex ære ostenderunt, in quo reliquias Sibyllæ custodiri dicebant. Hoc cum recensuisset *laudatus Petit.* (*c. l. c. 14. p. 266.*) suffragatur *Trimalcio apud Petronium*(*in fragment. Traguriens. p. 21.*). Nam Sibyllam (*inquit*) Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere, & cum illi pueri dicerent, Sibylla ti thelis? respondebat illa: Apothanin thelo. Verbis iisdem eundem locum recensuit *Joh. Schæffer.*(*in not. ad h. l. p. 221.*). Vidimus, cum in urbe, cui Cumæ nomen est, locum quendam, ubi basilicam ingentem uno fabrefactam saxo conspeximus. In media basilica nobis ostenderunt tria folia, ex eodem excisa lapide, quibus aqua repletis lavisse ibi eam, & stola sumta in penitissimam basilicæ ædem, eodem extructam saxo abdere atque in media æde super sublimiore gradu & throno considere & sortes ad eundem modum promulgasse dixerunt. Hic plane nulla mentio ampullæ, *subjicit Schæffer.* Neque scio quomodo pependerit in ampulla, nisi forte sicut cineres in urnis feralibus suspensa fuerit, in ea ad tectum illius basilicæ, quam *Justinus* describit.

§. 44.

Incubabant ad aras & fana Deorum, aut potius Deificatorum Ethnici, aut curiositate, aut necessitate adacti. Illa ut futura prænoscerent, hac ut ægrotis in somno medicamen ad sanitatem recuperationem & tutelam manifestaretur. *De Iside Diod. Siculo* (*l. 1. Bibliothec. c. 25.*) Isin multa sanitati hominum pharmaca invenisse Ægyptii tradunt, utpote quæ scientiæ Medicæ fuerit peritissima, adeoque multa solerter excogitasse: quam ob causam nunc quoque ad immortalitatem elata, sanatione hominum maxime gaudeat, & in somnis si quis opem expetierit, manifestum numinis præsentiam, promtamque indigentibus benemerendi facultatem exhibeat. Et paulò post. In somnis assistentem ægrotis Eam remedia contra morbos subjicere, eique morigerantes nec opinato convalescere. Ita & *de Horo. Horum Appollinem* interpretantur, qui medendi & vaticinandi artem ab *Iside* matre edoctus oraculis & medicationibus bene de mortalium genere meritus est. Hinc *Tibull.* (*l. 1. Eleg. 3.*) his *Isidis* opem exposcit:

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Audiamus & *Ciceronem* (*l. 1. de Divinat.*) Quid Scammoneæ radix ad purgandum,

dum, quid Aristolochia ad morsus serpentum possit, quæ nomen ab Inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio. Video quod satis est, cur possit, nescio. De Radice sylvestris Rosæ, quæ Cynorrhodos appellatur, *Plin.* (*l. 8. c. 41. & l. 25. c. 2.*) De *Æsculapii* templo *Galen.* (*in 6. Epidem. comm. 4. s. 8.*) hunc namq; per DEUM intelligere nullus dubito. De *Vulcani* æde circa Memphim *Idem* (*l. 5. de Med. Secund. Gen. c. 2.*) memorat, quod *Hero Cappadox* medicamenta quædam tanquam ex illa æde accepta recitet. Pressit hujus vestigia *celebris ille impostor Alexander*, qui sua pharmaca consulentibus ex oraculo commendabat, *ut Lucian.* (*in Pseudomant.*) eundem perstringit. Ipse *Georg. Fabric.* (*Comment. in Poët. Christian.*) asseverat se Patavii adolescentes & puellas rusticanas in Cœnobio *D. Antonii* certa nocte incubare vidisse.

§. 45.

Exacta jam ætate *Pindarus* visus est adsistere *Persephonem*, & queri, se ex omnibus aliis non fuisse sui ipsius carminibus exornatam: Verum ubi ad eam venisset suum etiam ipsi hymnum esse facturum. Paulò certe post, atq; adeò ante decimum ab eo somnio diem vitæ muneribus est perfunctus. Erat Thebis anus quædam *Pindaro* genere conjuncta, & in plerisq; ejus canticis decantandis valde exercitata, ei *Pindarus* se per quietem ostendens hymnum in *Persephonem* cecinit. Illa mox experrecta conscripsit omnia, quæ cantantem *Pindarum* per visum in quiete audierat. In eo sane cantico inter alia *Ditis* cognomina est Chrysenius, ab aureis nempe habenis, quod ad Proserpinæ raptum pertinere satis constat. *Hæc Pausanias.* (*in Bœot. s. l. 9. c. 23. p. 755.*)

§. 46.

De Apotheosi virtuosorum *apud Eundem* (*in Arcad. s. l. 8. c. 2. p. 600.*) hæc lego: Erant prisci illi homines Dis ipsis hospites & convivæ pro justitiæ & pietatis merito. Et sane bonis & piis præmia certissima, sontibus ex Deorum ira supplicia erant exposita. Quin etiam recepti cœlo multi ex hominibus, quibus adhæc sui permanent honores: in quorum numero fuere *Aristæus*, *Britomartis Cretica*, *Alcmenæ filius Hercules*, & *Oiclis Amphiareus*; ac præter hos *Pollux & Castor.* Quare neque absurdum videri possit, *Lycaonem*, in feram, & *Nioben* Tantali filiam in saxum conversam. At enim ætate nostra, qua gliscens fraus & audacia omnes prope orbis terræ partes urbesque occupavit, nulli jam homines in Deorum numerum veniunt, nisi forte per inanes titulos, & immodicæ adulationis licentiam: & noxam commeritis, qvum demum è vita excesserint, seræ Deorum judicio pœnæ irrogantur.

§. 47.

Fulminatos etiam Deos evadere gentilibus creditum de quo *Joh. Henr. Ursin. (V. 1. Analect. l. 2. c. 28. p. 151.)* pluribus. Ita & Comorenses & Circassii istos pro sanctis habent, & talem mortem gratiæ divinæ & amoris signum interpretantur, *Joh. Bapt. Tavernier (l. 3. Itinerar. Persic. c. 12. p. 144.)* testatur. Hinc *Zoroastrem* sub *Nino* precatum ajunt, ut cœlesti igne absumeretur, monuisseque Assyrios, ut cineres suos asservarent. Ita Regnum illis fore æternum. E *Suida* iterum *Ursin. (Exerc. de Zoroastr. §. 3. p. 19.)* stulti illi, (Ægyptios, Babylonios & Persas intelligit,) tanquam amicum DEI & fulminis vehiculo ad cœlum sublevatum adorare ausi sunt, & post mortem vivens astrum pro nomine accepit *Zoroastres*, observat *Clemens Rom. (l. 4. Recognit.)*

§. 48.

Patet ex his non solum Sanctorum, sed & gentilium Lipsanis virtutem miraculosam, competere, adeoque id minime sanctitatis κριτήριον reputandum, ut *recte Paracels. (l. 4. de Orig. Morb. invis. p. 107.)* enunciavit. Quare naturales Origines horum miraculorum quidam eruere tentarunt. *Idem Paracels. (l. 2. Philos. Sagac. c. 6. p. 458.)* Magiam habet, fidei & infernorum. Magicam cœlestem naturæ, cœlestem *in Moyse, Abrahamo*, item *Helisæo, der die Bähren schuff, daß sie die Kinder frassen, was aus dem Geheiß GOTTES geschicht, durch den Glauben deß, den es befohlen wird, daß dasselbig Magica sey. Als da die Kinder Israël mit trucknen Füssen durch das Meer giengen, das geschach durch den Glauben, der da stunde in dem Geheiß GOTTES. Aber Pharaoni ward diese Magica nicht gegeben, darum ertranck er mit den Seinen. Daß das Fell Gedeonis naß ward, und trucken blieb, der war Magicus, dann in Ihm war der Glaube, was GOTT hier, daß also wär, und nicht fehlen möchte, daß Jonas im Fisch lag, war Magicum cœleste.* Urget igitur *Paracelf.* in hac Magia (1.) Mandatum DEI. (2.) Fidem indubitatam & certitudinem animo conceptam, id ita & non aliter futurum. Distinguit porro (*p. 459.*) Magicam cœlestem antiquam; *Diese ist aus, hat in CHRISTO und Johanne Baptistâ auffgehöret*, & novam *die neu ist nun fürhin anzunehmen, als nehmlich von CHRISTO her, biß auff den Tag des jüngsten Gerichts. Dieselbe Magica cœlestis ist nun fürhin Magica beata im Neuen Testament.* Et paulo post: *Also sollen wir auch weiter wissen, daß solch cœlestis Magia auch durch die Abgestorbenen geschicht, als nehmlich, daß die Monumenta, Sepulchra &c. Magicas operationes haben. Und das ist die Ursach, daß die Heiligen untödlich seyn, nicht daß der irrdische Leib der sey, der das thu, denn er ist ein Erden. Dieweil aber die Aufferstehung auff ein Tag männiglich gegeben wird, dieweil seynd sie von*

uns nicht geschieden, mögen das für und für thun, das sie gethan haben, da sie in ihrem Leben gewesen seynd, das ist im tödlichen. Hæc si exacte trutines, non videntur cum superioribus cohærere. Ubi mandatum DEI? ubi fides in mortuis & putredini obnoxiis? Et cum maximam partem Theologiam spectent, ista retulisse sufficiat, ad causas naturales vere tales me confero.

§. 49.

Sed & alibi naturales causas hujus effectus commentus est *Theophrast. Paracels.* Sanctos id patrare per Evestra & Trarames; *Das Evestrum thut Zeichen, dann die Heiligen allein durch ihr Evestrum Wunderzeichen zu verstehen geben und würcken,* philosophatur. *(l. 2. Philos. ad Athen. t. 21. p. 15.) Evestrum nimmt seinen Anfang mit der ersten Gebährung eines ieglichen Dinges. Dann seelisches und unseelisches, empfindlichs und unempfindlichs, hat mitteufftig des Evestern, und alles das Schatten gibt. Trarames aber als ein Schatten verstanden, wird unsichtbaren Wesens: Dann aus der Ursach, daß er gebohren wird mit der Vernunfft, und mit Sinnlichkeit der Thieren, vernünfftigs und unvernünfftigs (t. 18. p. 14.)* Spiritum vocat *(t. 22. p. 15.)* Astra Necromantiæ *(t. 21. & lib. 9.* de *Nat. Rer. p. 921.)* add. *infra (l. 1. Tit. 3. §. 13.)* Spiritus Olympicus forsan *Ejusdem (Vid. l. 2. Tit. 10. §. 112.)* hic intelligendus.

§. 50.

Mumiæ in corporibus id pariter ascripsit *(l. 4. de Orig. Morb. invisib. p. 104.)* fundamentumque hujus assertionis posuit in homine, quod sit Microcosmus, inde omnes virtutes metallorum, mineralium & vegetabilium, terrarum & aquarum inveniri in homine dictitat. Post *(p. 104.)* inquit: *So eine Mumia vergraben ist, und die Natur ein solchen Zulauff mit Zeichen der Gesundmachung, der in dieser, und der ander in dieser: So laß dir gleich und eben seyn, als lege ein Hauptmann zu Leon, und was da käm bezahlt er mit Krohnen, und leg einer zu Trient, der soldet mit Reinischen Gold, und einer in Sachsen, der bezahlte mit Schwerd-Groschen, und einer lieff ihn zu, und der ander diesen zu. Das sind alles natürliche und menschliche Händel, Abgötterey bey lebendigen Leib. Und also mit gleicher handelt auch der Mumia: Der zahlt mit kalten weh, der andre mit Pestilenz: Und ist doch gleich eine weiß, und die eine Arth. Und wie nicht ein jeglicher kan ein Hauptmann seyn, und Geld ausgeben; also kan auch nicht ein jeglicher Mumia Zeichen thun. Diese Mumia werden von vielen für Heiligen geachtet.* Iterum *(p. 107.)* Magnetem quibusdam corporibus & mumiis tribuit: *Hat der Cörper einen Magnetem an ihm, so zeucht er an sich das Völckly, was er arzneyen kan, das macht er gesund: was nit, das läst er hinstreichen.* Post: *Das sind*

ſind Ubrſprung heidniſcher Abgötterey, und alſo wird ein verborgen Kirchfarth durch natürlich Impreſſiones. Iterum (*p.108.*) *Ob ſchon der Geiſt von den Cörpern kommt, ſo bleibt doch das in Cörper, das ſeine angebohrne Natur und Eigenſchafft iſt, und liegt in der Erden bedeckt, wie ein Saffran in einer Büchſen, und die Erde iſt gleich mit ſolchen Cörpern verſorgt, wie ein Apotheck mit Büchſen.* Et hæc hactenus è *Paracelſi* ſententia, qui antiqvum ſuum obtinet: Multa dicit, pauca probat. Deliria vocat *Jacobus Gaffarell.* (*Curioſ. inaudit. p.2. c.5. p.99.*) Facile poteſt *Paracelſ.* dicere per Mumiam id fieri, cui nihil non eſt Mumia, ſi admittenda ſit ejus pertubata inſanaque Philoſophia: poteſt & dici non fieri, ut huc ducam illud *Libavii.* (*p.3. Singul. l.7. de Bitum, c.21. p.969.*)

§. 21.

Helmont. (*Tr. de Mag. Vuln. Curat. n.47. p.602.*) Magnetem facit ſupernaturalem & naturalem. Magnetem ſupernaturalem in DEO ejusque miraculis per reliquias Sanctorum agnoſcit, & hunc majoris efficaciæ eſſe profitetur. Par ſcilicet, *inquit*, eſt utrobique ratio, & par modus, niſi quod in mundo materiali (ſanguine & unguento Sympathetico) mediis corporalibus contingat. In ſupernaturali vero, per Amicorum DEI reliquias, multum ſaltem hoc nomine venerandas: quæ unguento Magnetico proximiores evadant, è quibusdam fontem olei, liquoris balſami indeſinenter ſtillantem excitavit noſtri miſertus DEUS; quo ſcilicet magnetico remedio utrobique ſuffulti certò ſciamus curationem mundo conſimili ordine, pari paſſu, unoque ductore ire. Hinc nempe reliquiæ recentes plura & auguſtiora edunt miracula, vel ubi transferuntur, tanguntur &c. quia neceſſe eſt magnetem fricari, moveri, ſi ipſum trahere oporteat.

§. 52.

Petr. Pomponatius miracula, quæ ſunt præter ordinem naturæ creatæ ſoli DEO tribuenda quidem & adſcribenda, eaque demonſtare inſufficientiam doctrinæ *Ariſtotelis* & cæterorum Philoſophorum ipſamque veritatem & firmitatem Religionis Chriſtianæ aperte declarare pronunciat: (*l. de incant. c.13. p.337.*) Multa enim eſſe in CHRISTI miraculis, quæ minime in cauſam naturalem reduci poſſunt; Veluti eſt de Reſurrectione *Lazari* quatriduani & jam fœtentis: de cœco â nativitate illuminato: de ſaturatione tot mille hominum ex quinque panibus & duobus piſcibus. Aliqua tamen, quæ referuntur eſſe facta tam in hiſtoriâ *Moſis*, quam legis CHRISTI ſuperficialiter reduci poſſe in cauſam naturalem nullus dubitat. (*c.l.c.6.p.88.*) Nihil etiam inconvenire, duos effectus eſſe ejusdem ſpeciei, quorum unus factus ex miraculo, alter vero

factus

factus ex causis naturalibus. Nam, ut refert *Thomas, pergit*, ex *Augustino*: (*super Genes.*) serpentes facti à Magis Pharaonis per causas naturales ex procuratione Dæmonum: Facti autem à *Mose*, facti fuerunt oratione *Mosis* intercedente divina virtute, quanquam serpentes omnes illi essent naturales. Contrarium ante exhibuerat (*c. l. c. 5. p. 71.*). Quæ per Mosen facta sunt, & per Magos Pharaonis facta sunt, ut in Exodo legitur, quia nihil videtur vetare, ut, quod habuerunt Magi Pharaonis ex Dæmonum invocatione, id experienti a Philosophiæ naturalis & Astronomiæ habuerit *Moses*, veluti etiam nunc quidam existimant de eo: & quis diceret, quod fortassis utrique sc. Magi illi & Moses consimiliter habuerint per scientiam?

§. 53.

Cœlum in scenam etiam vocat *Pomponat.* (*c. l. c. 3.*) & multum conducere influentias & siderum constellationes ad proprietates & affectiones hominum individuales, *Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. jucund. quæst. 34. n. 25. p. 412.*) non abnuit. Vim medicam naturaliter homini inesse etiam posse *ex Eodem Pomponat. & Petr. Borell. alibi* (*S. 1. Pnevmatopægn. art. 11. §. 4. 5. & 6.*) disserui. Temperamentum anaticum & proportionatum huc traxerunt, habitudinemque corporis temperatissimam (*Vid. c. l. art. 26. §. 20.*) in medium vocant. Hinc sequitur CHRISTUM & Prophetas temperamenti virtute miracula fecisse, ut & magnes trahit ferrum. Sed impiè falluntur, judicat *Th. Campanell.* (*l. 4. de sens. rer. c. 2. p. 270.*) Quæ enim naturalem vim sequuntut virtutes, semper & absque precibus & religione opus suum per se consequuntur, ut magnes semper ferrum trahit. Neque virtutem suam absque vi propria communicant, ut magnes ferro vim attrahendi dat, quia africato proprium odorem & atomos impingit. At sancti & quicunque miracula fecerunt vera, non nisi DEI nomine invocato miracula faciunt, etiam incredulis ægris conferendo sanitatem in testimonium cœlestis doctrinæ. Neque semper: item, nec si vis individualis est, potest aliis communicari. CHRISTUS autem virtutem miracula faciendi Apostolis communicavit, & ex illis usque ad nos pervenit: & quocunque etiam temperamento etiam pravo donati illam exercent. Neque illis aliquid ex individuo communicante adjicitur, ut ex Magnete ferro, sed ex virtute DEI cunctis communicabili, sicut palam est valentibus veritatem invenire, non calumniari. Profecto si vis temperamenti *in S. Paulo* faciebat miracula, etiam antequam Christianus fieret, fecisset. Detur demum, vim illam connatam & naturalem aliqud patrare in vivis, poteritne in mortuis exspirare? Poterit utique. Ita Magnes contrariis

riis vi sua spoliatus & quasi trucidatus attractricem dynamin in ferrum exercere prohibetur. Vid *infra (l. 1. Tit. 2. §. 29.)*

§. 54.

Vulgus ignarum, quæ ignorat Dæmonibus & Sanctis attribuit, idem non sine causa existimat (*c. l. c. 12. p. 292.*) & ignorantiam Philosophiæ naturalis in naturam miracula introduxisse *Jan. Huarti (Scrutin. ingen. c. 4. p. 103.)* sententia est. Aliqui (naturalia miracula patrantes,) existimati sunt à vulgaribus Sancti, *pergit Pomponat. (c. l. c. 4. p. 47. & 62.)* & crediti habere commercium cum Angelis propter opera, quæ videbantur, cum tamen fortassis fuerint viri scelerati. Quod si dicatur, horum aliquos signum crucis & orationes Sanctorum dicere; alios verò oppositum. Viros autem doctos & bonos malum non propalasse existimo, ne scientia vilescat, & prophanetur.

§. 55.

Sola etiam imaginatione aliquando rem perfici *Petr. Pomponat.* placuit. *(c. l. c. 11. p. 328.)* Tantum imaginationi ascribit *Pomponat. Th. Fien. (l. de virib. imag. qu. 4. p. 41.) prodidit*, ut putet ossa canum tanta posse miracula facere, si à colente ea putarentur esse ossa Sanctorum, quam si vere ossa Sanctorum essent, per solam colentis imaginationem. Assentitur *Pamponat. (l. de caus. mirab. Effect.) Andr. Catanæus & Mich. Watson (p. 2. un. Sapient. S. 3. c. 8. n. 8. p. 551.)* Male id habuit *Th. Fien. (c. l. qu. 11. conclus. 37. & 38. p. 98. & 101.)* qui eum impie locutum & ideo librum ejus à sancta sede meritò esse prohibitum, censuit. Et hujus opinionis falsitatem refelli *à Barthol. Pisan. (Prolog. l. Conformitat.)* qui tamen *Martin. Schookio (tr. de Fabul. Hamelens. p. 45.)* nugacissimus & mendacissimus autor audit. Ex cultu ossium Sanctorum confidentiæ suæ virtute cum ægro sanitatem redire in gratiam suspicatur *Pomponatius* ad insulas infortunatas hoc aliisque nominibus relegatus memorat *Th. Bartholin. (de N. T. Paralyt. 2. p. 42.)* Pestem curasse cultum idolorum imaginationis subsidio, *Fab. Paulin. (l. 2. Prælect. Marc.)* indicat.

§. 56.

Ex mente *Avicennæ*, si hominis animæ voluntas, & maximè imaginativa fuerint vehementes, Elementa, venti & reliqua naturalia sunt nata eis obedire, iterum *Pomponat. (c. l. c. 12. p. 255.)* dictitat. *Add. Th. Fien. (c. l. qu.*

qu. 4. p. 40.) Hujusmodi autem effectus non semper succedunt (*addidit p. 256.*) quoniam agens non est æquè potens, vel materia est magis rebellis, aut multò validiora sunt promoventia ad unam partem, quam ad contrarium. In morbis curandis comprimis imaginationis vis insufficiens est *Paul. Zacchia* (*l. 4. T. 1. Quæst. med. leg. 8. n. 10. p. 351.*) quia non potest omninò causam morbificam abigere, & idcirco morbus facillime revertitur. Imaginatio illa aliquando reliquiarum naturali virtute firmatur, quorsum etiam modum applicandi & vehiculum referendum. *Die Reussen pflegen die Reliquien oder Knochen in Wasser oder Brandewein zu tauchen, daß der Krancke davon trincket. Adam. Olear.* (*l. 3. Itinerar. Muscov. Perric. c. 3. p. 313.*) annotavit. Potest aqua aut Spiritus vini summe exaltatus, hoc namque in potu utuntur, Gelatinam ex ossibus extrahere huic vel illi morbo proficuam potest & vehiculum, aqua & Spiritus vini huc suum conferre Symbolum, adeoque etiam absente imaginatione suas locare operas. Mel in sepulchro *Hippocratis* ab apibus ibidem degentibus confectum ad Aphtas puerorum maxime valere, quorundam persvasio fuit. *Vid. Hier. Mercurial.* (*l. 2. Lect. Patav. c. 2. p. 190.*) add. infra (*l. 3. Tit. 1. §. 150.*) sed hoc in genere ad gutturis & tonsillarum inflammationes & anginas seu illitum seu etiam gargarizatum, dudum laudavit (*l. 2. c. 101. p. m. 122.*) *Dioscorides.*

§. 57.

DEUM in miraculis ut plurimum ad latus naturæ ire *J. B. Helmont.* (*c. l. n. 46. p. 602.*) quod & supra è *Zacchia* (§. *4.*) illustratum. Audiendus tamen iterum hic *Fienus* (*c. l. qu. 20. Conclus. 53. p. 194.*) DEUS quando facit aliquem effectum supranaturalem, utendo causis secundis ad ejus productionem, nunquam utitur eis sic, ut ipsæ operentur contra naturam suam, sed benè, ut operentur supra naturam: potentia sua divina ita eos elevando, ut effectum edant longè majorem, quam sua virtute naturali edere possent. Ego hanc faveo sententiam, discurrit *Jan. Huart.* (*Scrutin. Ingen. c. 15. p. 434.*) DEUM in multis accommodare se naturalibus, quoties quod vult efficere per illa potest, ac supplere sua omnipotentia, quod naturæ deest.

§. 58.

An Dæmones possint miraculis divinum quid ostentare? id pauci credunt. Quæ de scientia Dæmonum quoad effectus particulares afferuntur, non ita firmo talo mihi stare videntur. Non solum enim dona gratiæ per

prævaricationem penitus amiſerunt, ſed & naturalis ſcientiæ, quippe quæ ita obtuſa & corrupta apparent, ut creaturarum miſerrimus Diabolus nil poſſit, niſi malè velle. (*Helmont. tr. Recept. injecta n. 11. p. 455.*) Ergò Diabolus ad omnem ulteriorem fabricam in natura per ſe totus impotens, quia incapax eſt. Et per conſequens, neceſſe habet ad operandum mendicare naturalia, habentia in proprietate poteſtatem liberam, quam optat applicare. Imo nec quidem eandem idcircò abſolutè ac immediatè adminiſtrare valet, niſi per devinctorum ſibi (Sagarum & Magorum) animas & manus. Interim ſuas ſcrofas in hirci adorationem infandam rapit, quaſi omnium moderamen penes ſe ſtaret, ſolusque operandi miracula donum conferret. (*id. ib. n. 6.*) Dæmones multa noverunt herbarum & plantarum genera, multa aromatum & Lapidum, quæ humores vel contrahant & condenſent, vel diſtrahant aut rarificent, naturali quadam facultate ſibi indita, & id vel brevi vel longo tempore, tum & corporum & ſuperiorum, ac maximè Lunæ influxus, *docuit* (*l. 4. de præp. Evang. c. 1.*) *Euſebius*. Hæc cum adhibuerint & morbum profligaverint, ecquid idcircò divini iis ineſſe cogitabimus? Id ipſum credidit quidem antiquitas, ſed errorum pleniſſima mater, ut ait *Arnob.* (*l. 1. adv. Gent*) Subdit *Joh. Fileſacc.* (*de idolol. Mag. §. 5. f. 24. b.*)

§. 59.

Athan. igitur *Kirchero* (*ſ. 1. Scrutin. Peſt. c. 10. p. 107.*) minime aſſurgengendum cenſeo, ſcribenti: Conſtat, Diabolum naturali ſcientiæ dono ob peccatum non privatum, ſed illud veluti ſibi concreatum inſeparabili nexu retinere, unde cum totius naturæ conſultus ſit, omnesque naturalium rerum rationes elementorum abditas virtutes perfectè capiat, imò conſenſus diſſenſusque leges à natura unicuique inditas intimè & profundiſſimè calleat certè, ex applicatione activorum cum paſſivis miros eum & ſtupendos in natura rerum effectus producere poſſe, nemini dubium eſſe debet. Mitigat hanc ſententiam (*l. 2. de Nat. Dæmon. p. 75.*) *Joh. Laurent. Ananias*, Dæmones, *inquit*, naturali ſcientia nequaquam ob commiſſum crimen privati fuere; licet nonnihil obſcurati, cum ea non ad DEI gloriam, uti faciunt Angeli, ſed ignominiam potius utuntur. Proinde hæc eorum ſcientia potius nocturna, quam veſpertina, quæ propria eſt Angelorum, à propriis ſc. eorum naturæ emanans principiis, nuncupanda eſt, qua quidem omnium rerum virtutes ita percipiunt, ut unico tantum actu ad cognoſcendam quamlibet formam, cum omnibus indi-

dividuis convertantur; & si non ad diversas rerum species, uti intelligentiæ propria virtute converti queunt, ex quarum quidem singularum perfecta cognitione si haberi ullo ab homine posset, multo certe major, quam ex totius mundi perspectione, oriretur voluptas & delectatio, qua quidem Dæmones ob commissum in DEUM scelus destituti, etsi scientia non careant, nihilominus hac, quantacunque eis reliqua sit, haud tamen asseqvuntur ea, quæ à DEI tum etiam nostra dependent voluntate, vel jam existentia tantum abest futura. Quæ de præsagitione futurorum dixit ad producta naturalia facilè applicanda.

§. 60.

Homnis sane ante lapsum scientia naturalis transgressione facta post lapsum mire deflorata, de qua hoc *Helmontianum* extat (*Tr. intell. Adam. p. 561.*) somnium: Quamdiu *Adam* esset immortalis, ejus mens immediatè vivificabat & regebat, imo eatenus quoque perfecte intelligebat, quæcunque pedibus suis substrata leguntur. At, postquam anima sensitiva seminaliter introducta, est media inter mentem & corpus, *Adam* deinceps vixerit in anima vitaque media, id est, more moderno. Ac mens sua ad sustentationem animæ sensitivæ duntaxat tenebrosum de se spargebat lumen per carnis nebulas, super vitam novæ & impuræ generationis. Scientiæ ita pristinæ, quas ante lapsum habebat, fuerunt in vita sensitiva deposita per reminiscentiam; caliginoso tamen, miseroque rationis discursu obtenebratæ Quis igitur non præsumeret idem de Diabolo dici posse & debere. Et quamvis scientia eadem polleret, qua Angeli boni, non tamen concludendum, vim miracula præstandi ex illa scientia eliciendam, cum miracula sint supra naturæ Sphæram, soli omnipotentiæ propria, adeoque soli Creatori, nulli verò creaturæ conveniant. Credo, *cum Helmontio (Tr. de Inject. Mater. n. 4. p. 476.)* cum pietate pugnare, si Diabolo tribuatur potestas naturam superans. Nempe facere, destruere, iterum reficere, totiesque à privatione ad habitum reducere eandem rem, cujus semen dispositum ad finem jam devenisset. Et post: (*n. 6.*) Æque nescitur modus, quo id natura faceret. Æque nescitur modus, quo id Satanas faceret. Lucrantur ergò nihil, qui opus naturæ in Diabolum transferunt.

§. 61.

Dæmones igitur cum socienis & sequacibus mira facere non miracula,

constans est doctorum consensus. Dæmones mira quædam faciunt, *ratiocinatur Paul. Zacchias.* (*l. 4. T. 1. Quæst. Med. Legal. 3. n. 4. p. 329.*) quæ tamen miracula non sunt, quia vel non sunt vera, sed apparentia tantum, & vocantur propriè præstigiæ & illusiones, eò, quod Dæmones nobis illudant, oculosque ita perstringant, ut ea, quæ non sunt, neque esse per ipsos possunt, realiter esse apparere nostris sensibus faciant; vel si vera quidem sunt, non virtute divina, sed naturali fiunt, neque ipsius naturæ vim pertranseunt, à nobis tamen miracula judicantur, quia talia vel nunquam, vel de raro videmus, aut earum causas nescimus. Dæmones faciunt nonnulla sanctis Angelis similia, non veritate, sed specie; non sapientia, sed planè fallacia. *Augustin.* (*Epist. 49. qu. 6. p. m. 258.*) Magos etiam posse mirabilia præstare, sed respectu nostri, Dæmone adjuvante, DEO permittente, *Martin. Delrio,* (*l. 2. Disquis. Mag. qu. 7. p. 288.*) demonstravit. Quomodo id in actum deducat Cacodæmon, alibi (*M. C. Dec. 3. An. 7. & 8. obs. 64. §. 21. p. 115.*) exposui his verbis: Quod, si quid quod Sphæram intellectus supergrediatur, præstet per Sagas Diabolus, scientiæ ejus naturali nostram superanti, dandum, ut namque dotes naturales latentes ex lapidibus, Metallis & Herbis eruere novit Chemicus, & exaltare præ se plasiario, cui decocta communia parare incumbit: Ita & Diabolus modum & modo nobis incognito corporum naturalium vires efficaciores sistere valet, non easdem illis infundendo, sed latentes suscitando, ut majori activitate agant in objectum, cui devoventur.

§. 62.

Miracula DEI & naturæ accuratè discernenda, monet *Th. Bartholin.* (*in Paralyt. 1. N. T. p. 77.*) ne vel DEUS vilescat, vel natura cum DEO paria dicatur fecisse. Hæc DEI vim præsupponit, at illa sine hoc liberè & extra ordinem communem operatur. Sunt autem naturæ miracula insolita corporum naturalium Phænomena & Effectus, hinc & Physicis & Medicis miraculum seu mirabile id est, quod quia sit insolitum admirationem adferre solet, prout *Francisc. Valleriol.* (*l. 1. obs. Med. 9. p. 97.*) censuit. Veteres etiam mira & miracula pro monstris vel horrendis ponebant: ut est *ap. Lucilium* (*l. 1. Satyr.*) Miracula ciet *Thelephantes.* Et *apud Plaut.* (*in Amphitruon.*) *Nimia memoras mira.* Et *ap. Virgil.* (*l. 4. Georg. v. 445.*)

Omnia commutat sese in miracula rerum.

Unde

Unde mirari propriè est re aliqua, tanquam nova, stupefieri. (*id. ibid.*) Naturam igitur dicimus, *pergit Valleriola*, (*p. 99.*) arcano quodam operandi modo mira & prorsus incredibilia facere, ut, quæ pro ratione materiæ subditæ, in quam operatur, admirabiles formas, temperationes rerum varias atque monstrosas effingat. Hinc tam multæ, tamque admirabiles in certis plantis, animantibus ac cœli tractibus rerum formæ, proprietates, discrimina, effectiones, miræque virtutes. Ludit natura & subinde grada varietate individuorum, sortem distinguit, ex qua in perpetuam veritatem nemo eam asserere audeat, *scribit Thom. Bartholin.* (*Cent. 1. Epist. 36. p. 146.*) Certis agendi organis non alligata est, quin diversis idem munus præstare valeat instrumentis. (*Nicol. Stemo, Epist. de Anal. Rajæ. p. 68.*) Suis seipsam aliquando exsolvit legibus, insolitasque tentando vias in morborum solutione admirandam se præstat. Non eget natura tam rigorosa & exquisita ac immutabili operandi regula ad suos effectus celebrandum, monet *Paul. Zacchias.* (*c. l. qu. 7. n. 55. p. 348.*) Non enim philosophatur illa, cum necessitate urgente quicquam molitur. Trahit undecunque oportuerit, expellit quocunque libuerit, & quacunque sibi visum fuerit: in via accessa, sibi inconsueta, intentata, incomperta odit, nullo tempore nullo modo, nullo ordine servato. Atque hinc miracula in natura apparent, & *Averrhoës* dicere solitus est: Monstra in morbis fieri.

§. 63.

Quando igitur miracula mortuorum operis hujus frontispicium præsefert. Miracula divina adduco & veneror ea, qua possum & debeo pietate & cultu. Quæ ab amicis DEI, Prophetis & Apostolis patrata sunt, admiror, inque his digitum DEI exosculor. Quæ Sanctis ascribuntur DEI viris & ministris, si authentica unius aut plurium fide dignorum Scriptorum testimoniis firmantur, illa non rejicio. Quod si verò è limoso putidoque fabularum Monachalium & anilium oceano, aut è turbidis Gentilium Mythologiis & commentis profluxerint, suis Autoribus ea remitto, benivoloque LECTORI judicium relinquo liberum, aliquando sale frico, myrrhaque aspergo, ne fastidium LECTORI honorando creent. Præcipuum autem mihi fuit studium, Naturæ mira in Cadaveribus pandere Phænomena, eaque expendere, adque veritatis lancem appendere, eaque perpetuis observationibus & parallelis historiis illustrare. Mira hæc quidem appellitet, aut miracula, mihi perinde est. Miracula dixi, secutus *Henric. Kornmann.* qui ante seculum ferè de miraculis mor-

mortuorum opus, ut vocat, novum & admirandum in decem partes distributum edidit. Quilibet inde videt, me cum illo miraculi nomen non simpliciter & propriè mortuis tribuere, sed in laxiori significatu, cum Phænomena ista non omnibus sint miraculosa aut mira, sed istis tantum, qui scientiæ naturalis cognitione non imbuti, aut etiam è plebe sunt.

§. 64.

Ut non sine corollario compareat hæc sectio tria verba tantum *D. Augustin. (l. 10. de Civit. DEI c. 12.)* addo: Omni miraculo, quod fit per hominem, majus miraculum est

HOMO.



LIB. I. TIT. I.

De

Capillorum in Cadaveribus Augmento.

Summarium.

1. *A Capillis ordiendum, si vera illis ab Helmontio ascripta dignitas. 2. Quæ examinatur. 3. A Capitis dignitate dependet. 4. Homonymia tollitur. Problematum triga. 5. Capillos in mortuis perennare. 6. E Capillis funes. 7. Germani olim ruffi. 8. Ruffitatis causæ. Romanorum in ruffos odium. 10. Perennant & brutorum pili. 11. Lebendige und todte Haar. 12. Generatio Capillorum secundum Veteres. 13. Materia ex qua pili juxta Eosdem. 14. Materia glutinosa Hippocratis. 15. Pilos non esse excrementa. 16. Structura pilorum. 17. Materia varia. 18. Pili non sint morbosi. 19. Pili in Cranio radicantes. 20. Capillorum in Cadaveribus incrementum. Negantes. 21. Affirmantes. Ægyptiorum testimonium. 23. Nugæ Jesuiticæ. 24. Avicula Martinetæ. Alcedinis pellis. 25. Insontibus damnatis id contingere. 26. Cur non omnibus Cadaveribus. 27. Cur in ægris & senibus magis, quam junioribus. 28. Increscunt non propter reliquias animæ, caloris innati. Caloris & humidi elementalis. 29. Non ab excrementorum copia. 30. Pilis congenita vis caloris. 31. Pilos neque excrementa esse corporis, nec partes. 32. Unicuique pilo sua est anima. 33. Lusus verborum exploditur. 34. Autoritate veterum probatur, pilos esse vegetabilia. 35. Recentiorum. 36. Pilos non esse plantas excrementitias. 37. Poëtarum & Oratorum testimonia. 38. Pili ut plantæ è se-*

è se-

è semine. 39. Radices habent, earum descriptio. 40. Partem glutinosam non esse radicem. 41. Nutriuntur per intus susceptionem. 42. Cerebrum esse capillorum nutrimentum. 43. Non esse. 44. Arvum pilorum. 45. Cutis glandulæ. 46. Cicatrices cur depiles. 47. De asinis & equis lupatis problema. 48. Plica è vulnere capitis. 49. Tota cutis pilis scatet. 50. Toto corpore hirsuti. 51. Unumquemq; hominem fieri posse Satyrum. 52. Nabuchodonosoris fatum. 53. Pilosi pilosos generant. 54. Loci mutatio & vestium usus hirsutiem deponit. 55. Attritione in corpore pilos defluere. 56. Citiberbes. 57. Sexus sequior barbatus. 58. Utrumque sexum participare quædam Gentilium Numina, 59. In partibus glabris aliquando crines. 60. In partibus internis & apostematibus. 61. Pili in Lingua, in Ore loco dentium. Narium. Aurium. Vertriculi. 62. Cor hirsutum. Κῆρ λάσιον *Homeri. Pili in sanguine. 63. In vulva. Testiculo. Ovario. 64. Renibus. Urina. Excrementis. 65. Examinantur historiæ. 66. Matris imaginatio. 67. Malum mammarum pilare. 68. Pilæ in brutorum ventriculis. 69. Unde in aliis partibus internis. 70. In utero. 71. Luxuriant cum plantis pili. 72. Barbati insignes. 73. Nimium crinita pubes, ut inde capillamenta. 74. Locorum in pilis diversitas. 75. Galliæ fertilitas. Climata pilos mutare. 76. Colores pilorum varii. 77. Pili cœrulei, purpurei. 78. Pilorum à plantis differentia. 79. Pilorum color unde Galeno. 80. Refutatur à Conringio. 81. Colorum in die mutatio in plantis. 82. Plumæ avium variegati coloris. 82. Pennæ & plumæ vegetabilia. Pavo. Psittacus. Avicula Sinica. 83. Unde colorum ista diversitas. 84. Fermentum congenitum. 85. Demonstratur. 86. Color quid? 87. Sanguinis constitutio è pilis non cognoscitur. 88. Aquæ diversitas. 89. Aliæ causæ externæ. Æthyopum infantes. 90. Illitus aquæ Apoplecticæ, Unguenta, Ursi pinguedo. 91. Pororum constitutio. 92. Plantarum & pilorum ætas. 93. Canities soli homini ascripta. 94. Bruta albescere. 95. Canities à primo ortu. 96. Causa an Astra? matris imaginatio. 97. Qua parte pili canescant? 98. Post genita cani-*

canities. Præcox. 99. Hæreditaria. 100. Repentina absque causa. 101. Exlevi causa. 102. Causa interna an pituita? videtur, aër, sacchanarum, nix. 103. Poëtica canitiei senum descriptio. 104. Ab annis. 105. A morbis. 106. Imaginatio matrum in brutis. Rejicitur. 107. Affectus animi. Terror. 108. Mortis metus. 109. Curæ & labores. 110. Athmosphæræ puritas canitiem non admittit. 111. Frequens capitis lotio. Germani cur non amplius ruffi. 112. Venus nimia. Halitus humanus. 113. Capilli aliquando variegati coloris. 114. Cani pristinum colorem recipientes. 115. Pilorum morbi. Acari vermes. 116. Plantæ monstrosæ. Plica Polonica. Pili Nabuchodonosoris. 117. Plicæ abscissionem insequentia Symptomata. 118. Plicæ in diversis partibus. 119. Plicam resectam incrementa sumsisse. 120. Calvities. 121. Calvi in consortio Bacchi & Veneris. 122. A morbis. Tonsum Proserpinæ. 123. Philotra. Turcorum Rusna. Alopæcia. 124. Nimia capillorum cultura. 125. Clavis aliquando post aliquot annos pilos renasci. 126. Ornamento homini esse pilos. 127. Tegumentum addunt alii. 128. Sensus pilorum. 129. Pilos esse vegetabilia, Controversias varias sopit. 130. Colorum in mortuis mutatio. 131. Historiæ. 132. Helmontii Paradoxum ridendum. 133. Petri Borelli variæ ineptiæ. 134. Pennarum in Gallinis annua facta mutatio. 135. De capillis in utero singularis observatio.

§. 1.



UT Capillis primum in hoc Tractatu assignem locum, si vera esset, *Francisci Mercurii ab Helmont. (in Alphabeth. Nat. Colloqu. 4. p. 31.)* urgere potuisset ratio, quando pronunciare non veretur, capillos non tàm abjectos esse, quantum quidem habentur, quia insimul tot tamque vehementes ideæ per illos & in illis potissimum se exerunt. Colligit *idem* ex analogia majoris & minoris Mundi, Cœlum microcosmicum esse Caput, Stellas Capillos, cumprimis, quia de DEO non tantum dicitur, quod numeret Stellas, sed & Capillos capitis nostri. Inde concludit: Ut Stellis sua non deneganda influentia; ita nec Capillis.

§. 2.

Suo quidem Autori relinquens ſententiam, miror, cur ut in multis aliis, ita & hic parentis reliquit veſtigia, quodque non ſine ratione dictavit Decretum: Analogon in Phyſica & Medicina odi: in mente non habuit. Nec accurati Philoſophi partes mihi executus videtur, dum concludit. DEUS numerat Stellas, numerat etiam capillos, ergò capilli ſunt Stellæ Microcoſmicæ. Numerat namque & Sapientiſſimum Numen arenas maris, numerat etiam guttas in pluviâ, quis inde probare niteretur, ergò guttæ in pluvia, arenæque maris ſunt Stellæ, aut in Capite humano Capilli?

§. 3.

Sanius forſan philoſopharetur quispiam, ſi à Capitis eminentia Capillorum gloriam derivaret. Capite namque ignis ille divinus, ratio & mens acris vigens & ſagax, Character quidam & effigies divinæ eſſentiæ, quinorum ſenſuum ſatellitium Animæ, tanquam Collo regitur, ut inde Codium (κωδείαν) Græcis dictum quidam Eruditorum *ap. Ludovic. Cœl. Rhodigin. (l.3. Lect. Antiq. c. 23. col. 142.)* optinatur. Principio Dii figuram capitis ad rotunditatem mundi, in eoque duos illos animæ divinæ circuitus ſtatuerunt. Eſt autem caput membrum corporis diviniſſimum reliquorumque membrorum princeps, cui totum corpus connexum Dii ſubeſſe & parere juſſerunt, jam olim *Plato (in Timæo f. m. 292.)* docuit. In hoc ea de cauſa religio & quoddam Numen θειότατον ἐκ τῶν περὶ ἡμᾶς dixerat *Ariſtot. S.32. probl. 7. p.1030. add. Athenæus l. 2. Deipnoſoph.)* ineſſe fertur. Quapropter ibi honorum inſignia & Diademata Regum eſſe voluere *(Salomon. Alberti hiſt. part. corp. hum. p. 1. & 2.)* Jovique id Ethnici detulere. *(Hadrian. Jun. l. 4. Animadv. c.12. p. 174.)* Quin & ordinis ratio ſuadet, ut à capite ad Calcem tractationis inſtituam modum.

§. 4.

In anteceſſum ſaltem noto, Capillos non tantum capitis, ſed totius corporis pilos, cumprimis etiam Menti, quos Barbam vocamus, deſignare, adeoque, quæ de Capillis prodidi maximam partem omnes corporis pilos tangere, atque ad eorum ortum, conformationem, nutritionem & alterationem applicari etiam poſſe. Mira autem quæ in Capillis mortuorum deprehenduntur. Potiora ſunt, (1.) quod perennent, (2.) creſcant, (3.) ratione coloris mutentur.

§. 5.

Quod perennent in Cadaveribus vel *Ambroſii Paræi (de Embammat. p. 660.)*

660.) observatio docere poterit, quippe qui in Cadavere suspendiosi Arte condito post aliquot annorum spatium barbam & capillos adhuc integros demonstravit. In ista civitate, (Carthaginem forsan innuit,) *scribit Tertullianus*, (*l. de Resurrect. Carn. p. 65.*) cum hodie fundamenta tot veterum sepulturarum collocarentur: quingentorum ferè annorum ossa adhuc succida, & capillos olentes populus exhorruit. Dignum scitu: Narrat *Ludov. Cœl. Rhodigin.* (*l. 3. Antiqu. Lect. c. 24. col. 146.*) *& Fortun. Licet.* (*l. 1. de Lucern. Vet. subt. c. 2. f. 8. & l. 4. c. 4. f. 267.*) Cum Pontifex Sixtus, ejus nominis IV. Reipublicæ Christianæ præsideret, compertum Romæ in via Appia, è regione Ciceronis conditorii, muliebre Cadaver, quod ex inscriptione conjectatum est, fuisse Tulliolæ. Id erat Aromatibus ita conditum, ut temporis injuriam non sentiret. In eo visebantur Capilli aureo impliciti reticulo, summa omnium admiratione, reperiri aliquid, in quod mille anni quingenti ferè nihil valuissent. Se Cadaver vidisse & tetigisse *Gabriel de Zerbis* (*Anat. human. f. 105.*) testatum reliquit. Nullam inscriptionem se vidisse tunc temporis Romæ degentem & αὐτόπτην *Alexandr. ab Alexandr.* (*l. 3. Genial. Dier. c. 2. f. 116. b.*) meminit. Et quis credat, Tulliolæ Cadaver non fuisse crematum? judiciosè reponit *Casp. Sagittarius*, (*Comment. ad vit. Tulliol.* §. *71. p. 22.*) quamvis etiam Poppeæ corpus non igni abolitum, ut Romanus mos, tumuloque Juliorum illatum, referat *Tacitus*, (*l. 16. Annal. c. 6.*) Est & *Andræas Lacuna, qui* (*l. 1. Commentar. in Dioscor. c. 13.*) non *Tulliæ*, sed *Mariæ Arcadii & Honorii imperatorum* sororis, & *Stiliconis* uxoris fuisse, & in Vaticano inventum prodidit. In Mumiis etiam perennare, Mumiæ Uratislavienses *ap. And. Gryphium* (*Hist. de Mum. Uratislav. p. 4.*) docuerunt.

§. 6.

De Capillis abscisis, quod putredini non facilè obtemperent, in Antiquitate etiam quædam conservata testimonia. De Crinibus, Fœminarum præcipuè & exinde confectis funibus, si nervini non sufficerent εἰς τὰς ἐπιτάσεις καταπελτῶν ad Catapultarum intentiones *ap. Justum Lipsium* (*l. 3. Poliorcet. Dial. 3. p. m. 133.*) ex *variis* collecta reperies. *Byzantii* obsessi funiculos ex mulierum capillis *teste Joh. Xiphilino* (*in Sever. p. m. 589.*) fecerunt. Tanta fide *Aquilegenses* contra *Maximinum* pro senatu fuerunt, ut funes de capillis mulierum facerent, cum deessent nervi ad sagittas emittendas, quod aliquando *Romæ* dicitur factum, inde in honorem matronarum templum *Veneris* Calvæ Senatus dicavit. Hæc *Jul. Capitolin.* (*in Vit. Maximin. Jun. p. m. 270.*) Habet id etiam *Veget.* (*l. 4. c. 8*) & *Lactant.* (*l. 1. de Fals. Relig. c. 20.*)

& ex eo *Cæl. Ludovic. Rhodigin.* (*l. 18. Antiq. Lect. c. 12. col. 986.*) add. *Dan. Beckher.* (*l. 1. Microcosm. Med. c. 1. p. 6.*) Id verò ad scopum nostrum facit maximè, quod *Pausanias* (*l. 7. s. in Achaic. p. m. 534.*) de *Herculis Erythræi* simulacro literis mandavit. In Lignorum rate insistit DEUS, uti è *Tyro Phœnices* mari delatum memorant, *Erythræi.* Satis constat eam ratem in Ionicum palagus delatam primum appulisse ad *Heram*, quæ *Media* appellatur, quod scilicet è portu *Erythræorum Chion* solventibus propemodum media est. Quum jam promontorium ratis attigisset conspecto signo, quamvis viribus *Erythræos* & *Chios* certatim ad se illum pertrahere conatos. *Erythræus* postremo quidam, cui è mari & piscatu victus fuerat, sed ex morbo erat oculis captus (nomen verò ei *Phormio* fuit) quod per somnum moneri sibi visus fuerat, exposuit, oportere *Erythræus* fœminas comas tondere è capillo, earum si viri funem contexuissent, non difficulter, quo vellent, ratem pertracturos. Ei somnio ut obtemperarent, quum cives fœminæ animum sibi non inducerent è Thracia mulieres, quæ voluntaria servitute, ingenuæ ortu cum essent, victum sibi apud *Erythræos* quæritabant, se tondendas præbuerunt, quare jam rate positi *Erythræi* edixerunt, se his è *Thracia* mulieribus in *Herculis* fanum introire ut liceret. Ostendunt autem funiculum illum è Comis, ac etiam ætate à se diligenter conservatum, & piscatorem illum oculorum calamitate liberatum in reliquum omne vitæ tempus oculis probè usum affirmant. Hæc *Pausanias*, *Kayser Albrechts des III. Zopff soll noch zu Laxenburg vorhanden seyn*, scripsit, (*M. C. Dec. 1. Ann. 4. & 5. obs. 148. p. 187.*) add. *Dn. D. Joh. Sultetum. D. Christoph. Ludovic. Dietherr.*

§. 7.

Et quid ex antiquitate suffragia cumulamus? Tonsores & capillaturæ supposititiæ structores fidem hujus facere possunt. Fidem etiam facit jam comata alieno quidem & appostitio, non proprio & germano, capillitio Germania corniculæ Æsopicæ alienis superbienti plumis æmula. Congenita olim rutilabant Germanorum capita coma. Habitus Germanorum corporum, *inquit Tacitus*, (*l. de German. c. 4.*) quanquam in tanto hominum numero idem omnibus. Truces & cœrulei oculi, rutilæ comæ, magna corpore, & tantum ad impetum valida. Rutilæ *Caledoniam* habitantium comæ, magni artus germanicam originem asseverant, arguit *idem* (*in Vit. Agric. c. 11.*) Ita *Jovinus*, *Equitum Magister* (*ap. Ammian. Marcellin. l. 27. p. m. 358.*) adventans, abditusque in valle densitate arbustorum obscura Alemannos videbat la-

vantes alios quosdam comas rutilantes ex more, potantesque nonnullos. Et *Claudian.* (*de 4. Consulat. Honor. v. 446.*)

Ante Ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Comam.

Sicambros Germanos singulari pro communi verbo posito interpretabatur *Matth. Rader.* (*Comment. in l. 1. Martial. Epigr. 3. p. 33.*) quibus & flavam Cæsariem dedit *Juvenal.* (*Satyr. 13. v. 164.*) Plura disseruit *Hadr. Jun.* (*Comment. de Com. c. 9. p. 422.*) *Frid. Lindenbrog.* (*obs. in Marcellin. l. 27. p. 168.*) *Herm. Conring.* (*de Habit. Corpor. German. Caus. p. 141.*)

§. 8.

De causis rutilantis & luxuriantis comæ Comæ Germanorum sollicitis istum regionalem *cum Marco Antonio Ulmo*, (*S. 3. Physiol. Barb. Human. p. 268.*) necessitate quadam nascendi olim inductam vocare possem. Plagæ glacialis incolis flavos crines tribuit *Plin.* (*l. 2. c. 78.*) eò, quod humidam & frigidam regionem habitent, Illyrii, Germani, Sarmatæ & omnis Scythica plaga modicè auctiles & graciles, & rectos & ruffos pilos, ex mente *Galeni,* (*l. 2. de Temper. c. 5.*) obtinent. Ita pelles brutorum hyeme multò hirsutiores sunt, quam in æstate. Pellicea quoque è frigidis regionibus advecta nobiliores sunt & carius venduntur, quod *Franc. Glisson.* (*Tr. de Part. Contin. in gen. c. 8. p. 51.*) annotat. Cutis namque, *ratiocinante Eodem*, externo frigore densata hanc materiam facilè retinet, quæ sic retenta in pilos efformatur aut rectius largius pilis nutrimentum suggerit. Habet & quædam *Philosophus.* (*l. 5. de Gener. Animal. c. 3.*) Lucem affundet *Joh. Leodiensis* nudo corpore aliquot annnos in Sylva commorantis inde totum corpus hirsuti facti historia, cujus *infra* (§. 45.) memini. Colorem etiam externa cultura exaltavit, & capiti integumenta imponere erat præter morem Veterum. Vid. *Herm. Conring.* (*c. l. p. 144.*) *Aër namque & solis radii colori capillorum maximè facere in aprico est. Daher kommts* (judicat *Conr. Tiburt. Rango de Capillament. c. 6. m. 5. n. 6. p. 140.*) *daß selten ein Schäfferknecht, der viel an der Sonnen liegt, auch wohl die Haare zu Zeiten mit Wasser (Regen) nätzet, in Teutschland ohne gelbes Haar ist.* A calore albescere sicca etiam rura norunt. Tales enim Agricolarum, Pastorum, Nautarum capilli *scribit Scaliger.* (*Epist. 114. f. 1. p. 427.*) Ita nostræ mulierculæ capillos humanos, ut & pilos caprinos albicantes, humectatione & apricatione sæpius repetita ad summum candorem perducunt. Ut autem tegumenta capitis non attenderent, non minimum monumentum attulit,

lit, quod hic crinis fuit in nodum coactus, quod è *Seneca (l.3. de Ira c. 27. p. m. 73.)* patere poterit, Juvenale etiam *(Satyr. 13. v. 164.)*

Cœrula quis stupeat Germani lumina, flavam
Cæsariem & madido torquentem cornua cirrho?

Hinc Germania è Poëtis appellatur cornigera, commentatur *(in h. l. p. 519.)* *Eilhard. Lubinus.*

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri

Martial. (l. 1. Epigr. 3.) palpum Imperatori suo obtrudit, in quem locum vid. *Rader.* modo (§. *præced.*) citatum. Quod cur Suevis præstantissimis Germanorum *à Plutarcho Joh. Boëmo (l.3. de Mor. Leg. & Rit. Gent. c. 26 p. 274.)* dictis, gentique maximæ & bellicosissimæ *Jul. Cæsari (l. 4. de Bell. Gallic. c. 1.)* tantum id tribuat *Tacit. (l. de Mor. German. p. 38.)* qui antecedentia legit, mirabitur. Ita verò ille: Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. Sic Suevi à cæteris Germanis: Sic Suevorum ingenui à servis separantur.

§. 9.

Sed quorsum? â via in diverticulum me abripit in patrios lares affectus, quo adactus optarem mollitiem modernam temperarent Atavorum strictioris vitæ observantia, & servilem tonsuram nasurati & ingenuo capillorum augmento expiarent, ne quos Roma vetus totius orbis tremorem olim habuit, moderna modernis nationibus ridicula, & ipsa effœminatam rideat & exsibilet. Romæ verò mentio, antequam hinc abeam, Romanorum in ruffos odium, quod & in ipsa Germania vigere adhuc nemo non nescit, in memoriam revocat. Hinc nostri *Roth Haar, Lose Waar. Rothbarth, Teuffels Arth.* Et Iberi: *Man soll einen Rothbarth auff vier Meilen grüssen.* Et quæ non alia scommata? Distinguit hos *Hippocrates (l. 2. Epidem. s. 5.)* Quicunque ruffi sunt, & acuto naso, & parvis oculis, pravi; qui verò ruffi, simi & magnis oculis, boni, In Sacris Literis duo celebrantur ruffi, commentatur *Fr. Vallesius. (in h. l. col. 185.) Esau* & *David,* quorum alterum odio habuit DEUS, alterum secundum cor suum esse pronunciat. Cogitent hinc velim Philologi nostri, annon à Germanis ruffis hocce scomma suam traxerit originem? Sed ad rem.

§. 10.

Perpetuitate dicta etiam trucidatorum brutorum gaudent pili: Ita in longum scissi fissilis autem naturæ esse pilos, jamdudum decrevit *Aristoteles. (l. 3. Hist. anim. c. 11.)* Quondam è pilis fronti fœminæ decus parabatur, ut ex caudæ equinæ pilis prisci confectis cristis galearum superbierunt, cujusmodi & *Achilli* eximias quasdam *Homerus* (aut potius *Vulcanus apud Homerum l. 19. Iliad.*

Iliad. v. 382.) imponit implicitas diversis cincinnis. Vid. *Joh. Camerar. (Hippocom. p. 29.)* Quin & *apud Homer. (l. 3. Iliad. v. 330.) Paris*

Capiti formam galeam affabrè factam imposuit

Cristatam è setis equinis. Horribilis autem crista desuper nutabat.

Lanam cum colo & fuso *Tanaquilis (Tarquinii Prisci uxoris)*, quæ eadem *Caja Cæcilia* vocata est, in Templo *Sangi* durasse prodente se autor est *M. Varro ap. Plin. (l. 8. c. 48.)* & *Servii Tullii* prætextæ, quibus signum Fortunæ ab eo dicatum, coopertum erat, duravere ad *Sejani* exitum, nec teredinum injurias sensisse annis DLXV. *Idem (c. l.)* annotavit. Ex Ovillis adhuc texuntur, & dum orbis stabit texentur panni, ex Camelinis Camelottum. Ex ovillis, fibrinis, leporinis, caninis, (nostris *Budel Hunde*) & forsan aliis brutis desumtis pilei, qui eorundem diuturnitatem ex asse probant. Et cur Peristromata è pilis caprinis texta ad operiendum Tabernaculum à *Judæis* ex mandato divino applicabantur, quam ut adversus aëris, pluviarum & tempestatum injuas easdem defenderent, lineis, sericeis & aliis superstratis texturis diuturniora. Nec id ignorant Nautæ & piscatores, qui funes & alia utensilia libero Jovi & Neptuno exponenda, è brutorum pilis contexta, navibus, cymbis & retibus ita milites *Romani* nivibus pruinisque obruti sub pellibus durabant, *ap. Livium, (l. 5. c. 2.)* in quem locum ex Aliis notat *Wilh. Godeleneus (p. 64.)*: Sub pellibus durare ideò dicitur, quoniam militum tentoria pellibus obtegerentur. Pelles igitur pro tentoriis scorteis apud Classicos legas, quorsum, quibusdam & illud *Horatii, (l. 1. Sermon. 6. v. 22.)*

quoniam in propria non pelle quiessem,

refertur, quamvis aliter *(in not. marginal. ad. h. l. p. 239.)* explicet *Joh. Bond.* Ita *Cicero, (in Lucullo)* ut non multum Imperatori sub ipsis pellibus otii relinquatur. Et ap. *Tacitum (l. 13. Annal. c. 35.)* Retentus omnis exercitus sub pellibus, quamvis hyeme sæva, & post *(l. 14. c. 38.)* contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. *Julianum Imperatorem* somno depulso ad æmulationem Cæsaris Julii, quædam sub pellibus conscribere consvevisse, *Ammian. Marcellin. (l. 25. c. 5.)* in literas retulit.

§. II.

Sed ne & hoc intactum, cum ad rem præsentem pertineat, relinquam, distinctio à capillamentorum Architectis observata, qua inter capillos vivorum & mortuorum distinguunt; *Das lebendige und tode Haar*; non post habendam inculco. Capillos equidem cum corpore non emori, simul è di-

cendis (*§. 19. 28.*) patebit, interim ob alimenti impuritatem variè alterantur, & tunc potius morbidis, quam ſanis accenſendi. Et ut vivi ſani dignationem tuentur ſuam; ſic è morbido aut mortuo corpore deciſi ſcelus incurrere videntur & crimen. Ita genus mortis eos maximè diſtinguit, ut durabiliores in violenta, quam in lenta morte extinctis exiſtant. Alias circumſtantias & phænomena expendenda curioſitatis & prudentiæ trutina ſiſtet. Vivos capillos olim è puerorum, ſervorum, captivorumque verticibus Græci & Romani colligebant, quod multis *Rango, (c. l. membr. 2. n. 7. 8. 9. p. 102.)* demonſtrat. Noſtris è diverſis locis advehuntur, qui an honeſtorum & virtuoſorum, an cucullatorum, furum & facinoroſorum ſint φυτεύματα, nec Delius divinabit. Beguinarum & monialium eſſe quorundam mercatorum recenſione ſcimus. E locis pudendis depromi aliquando, *Chriſt. Fr. Paulini noſtri* obſervatio (*M. C. D. 2. A. 6. Append. obſ. med. 20. p. 24.*, quam *L. 4. obſ. med. 58. p. 476.* repetit,) evincit. E mortuorum cadaveribus reſecta etiam proſtant. Vivi à ſanis non ægris, non decidui, ſed exſecti, ut elegantiores, molliores, ad criſpaturam aptiores, ita & pretium capillamentorum adaugent, cum elegantiora & durabilia exiſtant, ſi à mortuis è violenta morte ſublatis bonitatis & durabilitatis præ ſe ferunt laudem. Qui lentè obierunt & morbis acutis & contagioſis v. g. Phtiſi, Hectica febre, Lepra, luæ Venerea, febribus malignis, petechialibus, peſtilentialibus & peſte ipſa *Vulcano* conſecrandi, non *Jovi* microcoſmico, Capiti, cum crinium potius cadavera, quam crines tempus non ferant, criſpaturam difficulter admittunt, & retinent, & viroſum, quod ii corpore demortui fuit, in viventis ſani caput & corpus facillimo negotio transplantant.

§. 12.

Durationis hujus Cauſas è generatione & productione capillorum facilè erui antiqui hariolarunt. Generationem his deſcripſit *Galen. (l. 2. de Temper. c. 5.)* Si veluti fuliginoſus craſſusque & terreus vapor fit, ſubinde contingit, ut in anguſtis ſpiramentis impactus, nec facilè introcedat rurſus, nec vacuari poſſit. Hunc igitur alius rurſus è profundo ſubiens ferit, prorſumque impellit, tum hunc rurſus alter atque alius. Ac multos mihi ejusmodi vapores fuliginoſos alium ſuper alium impactos tempore complicari conjungique intellige, ac unum ejusmodi efficere corpus, quale eſt ea, quæ foris cernitur fuligo: niſi quod hic quantum ſpiſſatum eſt, tantum etiam per tranſitus anguſtiam ſtipatum in anguſtam prorſus redactum eſt formam. Ubi autem tale corpus totum obſtruxerit meatum, deinceps jam violenter i-

ctum

ictum similibus sui, quibus exitus non est excrementis, totum interim propellitur: adeò ut cute exire cogatur, jam lori formam adeptum. Assimiles autem, quod in meatu impactum est herbæ stirpisque veluti radici: quod verò ex cute extat ipsi velut stirpi. *Hactenus quidem Galenus*, quem locum hic inserere placuit, cum antiquorum & ipsius *Galeni* circa pilorum generationem in prioribus pandat παρέργματα, aut si *Casp. Hoffmanno* (*l. 2. Instit. Medic. 29. §. 2. p. 66.*) auscultes nænias. In postremis verò in Neotericorum castra transituris viam.

§. 13.

Ex excrementicio fuliginosoque crasso vel terreo vapore, (quem tertiæ concoctionis vulgò productum propalant) provenire, error decumanus est. Non vaporatione, ut communis fert sententia serum excrementicium ad glandulas subcutaneas deferri, sed per vasa cum sanguine laudabili influere acute contra *Dioclem & Sennertum Excell. Dn. D. Joh. Bohn.* (*Circul. Anatom. Progymn. 15. p. 231.*) disputat. Et detur id absurdum, cur vapor ille fuliginosus cum aliis non per cutis spiracula insensibiliter, aut sensibiliter evaporat & discutitur? Quodnam est, quod vaporem coërcet repagulum? E vapore si quid fieri quis sustinebit, coagulum, quod in crassiorem materiam eundem compingat requiritur. Sub cute id contingere, & quadam quasi repercussione facta patrari opinaberis. Si hoc, quo operario debitam pilis formandis acquiret consistentiam, quare impulsore, ut loquuntur, propellatur? A quo formatur in tam nobilem mirandamque structuram & figuram? Frangetur si aëri exponatur, quod excrementis alvi etiam siccissimis animalium contingit, unde igitur in tam subtili corpore flexibilitas & duratio? Capilli & pili capillis & pilis proportione respondent, ut alius alio non sit crassior aut subtilior, non heterogeneæ texturæ, nec longitudine monstrosa præveniat alius alium. Cur non potius materia illa excrementicia poros obstruit, cum sit crassa terreaque, aperit, & sub cute condensata obstructis poris tumorem & abscessum subcutaneum potius, quam capillos pilosque architectatur? Adeò factiosa & scrupulosa hæc assertio, ut ingenio curioso judiciosoque sit horrori & abominationi.

§. 14.

Isto qui currunt tramite confundunt generationis pilorum materiam cum eorum nutrimento. Materiam fuliginosam crassam terreamque Galeni, glutinosam judiciosè dixerat (*l. de Carnib. f. 3. Op. p. 38.*) *Hippocrates.* Et tale inesse cutis parenchymati, *Arist.* (*l. 3. Hist. Anim. c. 11.*) non inficiatur, eò quod ex tergore bubulo glutinum conficiatur, & pellium â pellionibus elaborata-

boratarum & à pilis mundatorum particulis in chartis bibulis, ne literas transmittant planandis utantur avari Bibliopegi. Capitis cutis in homine hujusmodi glutine comprimis turget, ut de copioso pilorum in capite proventu nihil miri subesse videatur. Pinguem forsan idcirco vocavit *alibi* (*l. 5. de Gen. Animal. c. 20.*) *Philosophus.*

§. 15.

Cum nutritionem adjudicent pilis Veteres, miror ob quam causam pilos excrementa corporis nuncuparint, mortuumque & inane quid præ se ferre (Vid. *Hadr. Jun. Comment. de Coma c. 4. p. 353.*) cum *Synesio* opinati fuerint. Egregiè iterum *Aristot.* (*l. 2. de Anim. t. 9.*) sunt tria; Quod alitur, quo alitur & alens: Alens quidem est prima anima: quod verò alitur est habere hanc corpus: quo autem alitur alimentum. Si igitur nutritur pilus, animam habet, corpus habet, & cum secundum trinas mathematicas dimensiones non tantum exsensus sit, sed & secundum illas augeatur, evolv. *Isbr. de Diemerbroeck (l. 3. Anat. c. 2. p. 484.)* corpus habet heterogeneum s. organicum (*id. ib. p. 480.*) & per intus susceptionem alimentum sibi appropriat. Si pili, secundum veterem fabulam, sunt excrementa tertiæ concoctionis, cur fatiscente in cadaveribus hac & reliquis concoctionibus & digestionibus non emoriuntur? Cur elongantur & crescunt? Si à calore excrementum illud protruditur quare calore sufflaminato & excusso majus sumunt incrementum, ac in vivente calore illo adhuc dotato?

§. 16.

Quod si demum capillorum pilorumque structuram externam oculis nimia credulitate, præjudiciis & autoritate præceptorum non fascinatis usurpassent, quale discrimen inter excrementum relollæum, chaoticum & informe & pilum dextre & sapienter elaboratum, & optimè constitutum haut difficulter deprehendissent. Et si ad subtiliorum pilorum inspectionem caligasset obtusa oculorum acies, herinaceorum aculeos, quos genus pilosum esse *Arist.* (*l. 5. de Gener. Animal. c. 3.*) pronunciavit, aut τὸ ἀνάλογον αὐλαῖς, pilorum proportionale, avium pennas & piscium squamas optarem inspexissent, & dubio procul veritati felicius litassent. Eo quod fissiles meatus habere *Arist.* (*l. 3. Hist. Animal. c. 11.*) Pilos esse concavos in Alcis vivæ pelle quondam vidit *Conr. Gesner.* (*Cap. V. Isbr. à Diemerbroeck c. l. p. 484.*) Histricis spinas triangulares proclamavit (*Med. Vet. Restitut. c. 50. p. 363.*) *Dav. Græbner.* Figuram pilorum quadrangulam instrumenti optici subsidio, quod res quantumvis minutissimas evidenti magnitudine oculis obfert, (Microscopium modernis audit,)

dit,) jam suo *Adr. Spigel. (l. 10. de Hum. Corp. Fabr. c. 1. p. 911.)* notavit, Symboloque suo firmat *Natan. Higmor. (l. 3. Corp. Human. Disquis. Anat. c. 2. p. 198.)* Omnes fere rotundos *Rob. Hoock. (Microgr. Curios. in Ephem. Erudit. T. 2. n. 42. p. 185.* ubi plura.) Pilos non esse rotundos, sed quot crines (specierum), tot figuras *Anton. de Leewenhoeck (Anat. & Contempl. Rer. Nat. p. 35.)* rectè prodidit. Capillum perforatum esse, inficiatur *Andr. Cæsalpin. (l. 5. Controv. Peripat. qu. 3. f. 120. b.)* Cavum ex concursu plurium minutissimorum filorum veluti compositum, arguit *Joh. Theod. Schenck. (Schol. Part. s. 2. c. 1. p. 21.)* Microscopii auxilio id declaravit *Domin. Panarol. (Pentecad. 4. obs. 34. p. 132.)* cum *Thom. Bartholin. (An. Reform. l. 4. c. 1.)* quod in Alcis pilis conspicuum maximè. Concavos & ut canales pertusos ac perforatos *Athan. Kircher. (l. 10. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 2. c. 8. §. 5. Pragmat. 2. p. 727.)* adeò, ut pennas avium præsentent, & in iis varios colores quasi irides *Petr. Borell. (obs. Microscop. 20. p. 18.)* animadvertit. *Oculatissimus Rob. Hoock. (in Micrograph.* cujus excerpta dederunt *Ephem. Erudit. T. 2. n. 43. p. 455.)* crines omnes ferè rotundos deprehendit, versusque extrema crassiores, veluti cornu aliquod. *Philippi Bonanni (Micrograph. Curios. c. 6. §. 7. p. 87.)* in Capillo humano nihil invenit, quo cavitas indicetur vel rimula, & si rimula in illo appareat ex siccitate crinis non oriri propria, sed per accidens ipsi judicatur. Cur hæc infelicitas obtigerit *Bonanno in aliis naturalibus scrutandis felicissimo Lynceoque*, miror, cum pilos concavos esse observationes etiam absque Microscopio evincant. In icterico quoties quis capillum evelleret, aut etiam abrumperet guttulam ex eodem extillare vidit *Vit. Rietlin. (Ann. 3. Lin. Med. p. 89.)* In plica polonica crines abscissos sanguinare sæpius deprehensum, de quo *Dan. Sennert. (l. 5. Med. Pract. p. 3. s. 2. c. 1. p. 301. & c. 9. p. 330.)* quod quidem multos negare idque se nunquam observasse memorat *D. Simon. Schulz. (M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 138. p. 193.)*

§. 17.

Materia igitur illa humidæ (sed non tantum talis, ut vult *Arnold. Senguerd. Osteolog. c. 1. p. 9.)* verum etiam glutinosæ substantiæ & consistentiæ *juxta Avicenn. (l. 4. Canon. Fen. 7. c. 1. f. 505. b.)* quin & viscida oleosa, sulphurea, pinguis & gummosa terreis particulis subacta. Succum limosum appellabat *(l. 14. M. M. c. 18. p. 541.) Galenus*, quo pili nutriuntur & constant ad perennitatem eorum multum facit, secus ac si excrementiciis humoribus constarent. Servant materiæ, ex qua constant, naturam, idcircò & cocti gelatinam, profundunt, & *Exc. nostri Rosini Lentilii (M. C. D. 2. obs. 155. p. 357.)* experientia

entia & testimonio in oleum, aut sal volatile, innatæ viscíditatis tessera, facilè fatiscunt, quod quidem multis impossibile visum, si *Casp. Hoffmann.* (*l. de part. Simil. corp. Hum. c. 29. p. 115.*) evolvas. Olei hujus comparandi modum (*l. 1. Microc. Med. c. 1. p. 10.*) docuit *Dan. Beckher.* Qua ratione etiam Auro amissum colorem fumo pilorum restitui, quod *idem* (*c. l. p. 9.*) recitat, nullus dubito. Cortice etiam suo operiri *oculatissimi Anton. de Leewenhoeck* (*c. l. p. 33.*) observatione scimus. Qui cum levis sit & humiditatem non facilè admittit, aut retinet diutius. Ipsa tandem crinium siccitas, qua in summo gradu etiam *Galeno* non renuente (*l. 2. de Temp. c. 3.*) pollent, adeoque terræ magis, ad dictamen *Philosophi* (*l. 4. Meteor. c. 18.*) sunt, ipsisque ossibus sicciores *juxta Joh. Theod. Schenck.* (*Schol. part. S. 2. c. 1. p. 20.*) vim putredinis eludit.

§. 18.

Hæc verò nostræ assertionis veritas in capillis & pilis secundum naturam se habentibus solum militabit, non in iis, quos capitis morbi cum interni, tum externi, præcipuè corruptionis characterem impresserunt. Ex striis capillorum strigas contingere, ita insolenti ap. Latinos ratione strigam à striga distinguit, & hac structuram s. fissuram ex stria factam exprimit (*c. l.*) *Leewenhoeck* notavit. Et si hoc, udis & prava qualitate imprægnatis vaporibus & humiditatibus porta patet. Ita crines, quorum defluxionem morbi maligni, lepra &c. (Vid. *supra* §. 11) causarunt, aut quibus caput furfuraceum, tineosum, squamosum, crustatum aut scabiosum contigit, & nutrimenta suggessit, aut quos fissura aut ῥαζάκεια s. Radatio, vulgò die Mülben, corrupit facilè corruptioni obnoxios, cum ejus principia in sua textura foveant, nemo non declarabit.

§. 19.

Nec hoc prætereundum censeo, quod *Nobil. Dn. D. Petr. Rommel.* (*M. C. D. 2. A. 6. obs. 225. p. 472.*) annotavit: vidit in Cœmiterii ossuario Calvariam omni prorsus cute & pericranio nudatam adque siccissimam innumeris ferè vegetabilibus microcosmicis Capillis, & quidem in plicas & spiras adhuc (pro more religionis) intortis (*Eingeflochtene Zöpffe*) superbire, plegma etiam (cui crines intorti erant) ex Sindone & Gossypio confectum licet hinc inde lacerum, capillis tamem ubique illaqueatum esse. Radices s. bulbi capillorum altius cranio infixi erant, & non nisi adhibita vi abrumpi vel extrudi poterant. Ante annos autem 34. humo mandatum cadaver ex vespillonibus rescivit. Mira illa, & si rectè memini, à nullo hactenus visa & annotata

tata illa capillorum in ipso cranio radicatio, quæ facit, ut capillorum durationem non miremur, cum hos ad aliquod annos nutrimentum è ſucci plena calvaria, ejusque medulla obtinuiſſe nullum ſit dubium.

§. 20.

Ut ad alterum phænomenon me convertam, ordinis ratio poſtulat, quod eſt capillorum poſt mortem incrementum. Hoc quidem inter commenta & nugas habere quis poſſet ex illis *Alexandri Aphrodiſæi (l. 1. probl. 145.)* aſſerentis: In defunctis marceſcente cute & carne omnes partes pilorum usque ad radices ſe oſtendere, & inde fieri, ut longiores videantur, non quod ullo modo augeantur & vere creſcant *Thom. Groſſ. (Lect. de Febr. p. 287.)* Quod in defunctis creſcant pili, cum potius deberent defluere *Averroës & Joh. Grammaticus (in Comment. ſup. 2. de Gener. Anim. c. 2.)* cauſam ſiluerunt, quia forſan, ut puto, hoc Ariſtotelis dictum non crediderunt, conjicit *Hier. Mercurial. (l. de Morb. Cutan. c. 3. p. 13.)* Adde *Marcell. Donat. (l. 1. Hiſt. Med. Mir. c. 1. p. 10.)* incertam etiam *Ariſtotelis* narrationem proclamavit *Laur. Forer. (Virid. Philoſ. Diſp. Miſcell. th. 36. p. 512.)* Plura *Petr. Sal. Diverſ. (Tr. de Febr. Peſtil. c. 19. p. 120.) Caſp. Hoffmann. (l. de Part. Simil. Corp. Hum. c. p. & c. 19. p. 121. l. 2. Inſt. Med. ſ. 3. c. 9. §. 4. p. 47.)* Dubius videtur *M. Anton. Ulmus* dum molis cadaveris ſubſiſtentiam in Scenam vocat *(l. 3. Phyſiol. Barb. Hum. c. 5. p. 243.)*

§. 21.

Contrarium evincunt veterum teſtimonia, & Neotericorum obſervationes. *Democritus* crementa unguium & comarum in ſepulturis aliquanti temporis denotat, teſtatur *Tertullian. (l. de Anim. p. 682.)* Tabidis & defunctis pilos vere creſcere & augeri non verò naſci diſertis verbis *Ariſt. (l. 3. Hiſt. Animal. c. 11. & l. 2. de Gener. Animal. c. 4.)* inculcat. Cujus à latere ſtant *Plin. (l. 11. c. 39.) Plotin. (l. 2. de Dub. Anim. c. 19.) Laurent. Joubert. (l. de Peſte c. 4. p. 308.) Franc. Valleſ. (l. 2. Controv. Med. & Philoſ. c. 5. p. 167.) Conimbricens, (in Ariſt. l. 1. de Gen. & Corrupt. c. 4. qu. 23. artic. 2.) Horat. Augen. (l. 11. Epiſt. Med. 39. p. 431.) Melch. Sebiz. (Diſp. 2. de Pil. Probl. 21.) Th. Campanella (l. 4. de Senſ. Rer. c. 9. p. 298. & c. 12. p. 317.) Joh. Bapt. Helmont. (Tr. Butler. p. 474.) Nath. Highmor. (l. 3. Corp. Hum. Diſquiſ. Anat. p. 1. c. 2. p. 200.)* Certa eſt hiſtoria, tradit *Hier. Cardan. (l. 3. de Util. ex adv. p. 728.)* quod multis, qui imberbes, (poſt mortem) longa barba ad multos annos creverit, & ungues quoq; longitudine admiranda.

§. 22.

Fidem huic facit Ægyptiorum factum (*inquit Hadr. Jun. c. l. c. 4. p. 353.*), qui è Cadaveribus cutetenus erasis insequenti anno comam barbamque erupisse notarunt. Referunt de *B. Gaudentio* cum sex perpetuis mensibus ab obitu inhumatus remaneret, perpetuò illi ungues & capillos superauctos, *Hieron. Cardan.* (*l. 8. de Var. Rer. c. 40. p. 516. & 518.*) De *B. Salmone Henr. Kornmann.* (*p. 3. de Mir. Mort. c. 25.*) In viri ante viginti & octo annos cadavere jam Sicleto offendit *Erasm. Bartholin.* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 170. p. 368.*) barbam, in qua hoc admirationem adimplevit, quod pili ex curtis in prolixos aucti diffusi erant calore fulvo, qui in vivente nigrescebant. *Die Crainer an denen Grentzen pflegen allen und jeden Türcken, so sie todt auff der Wahlstadt finden, die Köpffe abzuhauen, und auff Pfahle zu stecken, allwo, wie ich (J. W. Valvasor l. 3. Carinth. c. 12. p. 116.) persönlich offters angemercket habe, etliche, welchen das Haar und Barth gantz frisch und kürtzlich abgeschoren, und die Haut gantz glatt gewesen, über etliche wenig Wochen von denen gewachsenen Haupt- und Barth-Haaren wild und rauch worden sind. Daß die Haare nach dem Tode wachsen können, habe ich Anno 1674. bey Strasburg erfahren, woselbst ich einen Cörper von der Wahlstadt bringen lassen, um ein Scheleton zu meinen Nutzen auffzurichten, demselben ist das Haar, nach dem ich es täglich abscheeren lassen, allezeit eines Fingers breit wieder heraus gewachsen und glaube ich, wenn es das Werck leiden wollen, es wäre mit vieler Umstehenden Verwunderung länger geschehen, allein ich eilte damit*, retulit *Matth. Godofr. Purman.* (*p. 1. Chirurg. Lorbeer-Kr. c. 26. p. 109.*) Hoc etiam in suspendiosis, quos lavat, & Apollo ungit & siccat frequenter accidere *Mich. Neander* (*p. 2. Phys. philosoph. p. 131.*) & *Martin. Delrio*, (*l. 2. Disquis. Mag. quæst. 25. p. 26.*) cum *Aliis* memorat. Sed & Poëtæ in scenam vocandi. *Jupiter* rogatus ab *Accesti*, ut Atis revivisceret, non simul, quod tamen fieri per fatum posset, sine ulla difficultate condonet, ne corpus ejus putrescat, crescant ut comæ, digitorum ut minimus vivat, & perpetuò solus agitetur motu. Hæc *Arnobius* (*l. 5. adv. Gent. p. m. 157.*) Hoccine quisquam (*subdit. p. 163.*) admiserit aut credulitatis assensione firmarit, pilos in mortuo crescere, partem interisse & sejunctum à lege putredinis immortale corpus adhuc usque durare. Quod si nostra legisset forsan pilorum in demortuis incrementum credidissent *Arnobius*.

§. 23.

Quod verò *Delrio* (*c. l. p. 262.*) *Dammis* oppido propè Brugas persuaderi sibi passus est SALVATORIS Crucifixi imaginem prægrandem ligneam

gneam camam & barbam producere, quæ quotannis attonsæ refruticarent non miror cum nugivendulæ sectæ pars habentur. Apud *Dedanenses* hoc rei fertur contingere, narrat *Herodot.(l. 8.p.m. 773.)* ut quoties *Amphictiensibus* aliquid adversi certum intra tempus est eventurum, tunc Antistiti, quæ illic Minerva est grandis barba nascatur, quæ res bis apud eos accidit.

§. 24.

De Aviculæ Martinetæ (Aviculum S. Maria vocat *Paul. Zacchias l. 4. quæst. Med. Legal. 10. Tit. 1. n. 7. p. 362.)* in Islandia pelle & pennis, (quod namque in homine pilus, in Avibus est penna, ut mox demonstrabitur,) quæ retulit *Mercator, (in Atlant. Minor. p. 93.) & ex eo Mart. Zeilerus (part. 1. Epist. 79. p. 224.)* quod in loco sicco asservatæ non tantum non putrescant, & vestibus additæ eas à blattis defendant, sed & singulis annis novas recuperent pennas huc spectare videntur. Alcedinis pellis singulis annis plumas abjicit, & novas producit ejusdem coloris, idque multorum annorum tractu continuo, *teste Theophr. Paracelso, (l. 2. Chirurg. Magn. tr. 3. c. 7. p. 106. & de Cœlest. med. prolog. p. 107.)* &, qui forsan ex eo hausit, *Guern. Rolfinckio. (l. 5. Chym. in Art. form. red. S. 14. c. 1. p. 412.)* Isidem vocat *Simon Majolus. (T. 1. Dier. Canicul. Colloqu. 6. p. 197.)* Ipsidam *Albertus Magnus, (l. 23. de Animal. f. 193. b.)* qui se id in quibusdam verum non esse probavit. Sceleratum id esse mendacium, ille, qui tales pelles multas propter venustatem colorum servabat, sanctè juravit *Th. Erasto (T. 2. Disput. Paracels. p. 152.)* Hoc verò Neapoli vidit *Sim. Majolus*, & putat id frigido Cœlo non contingere, sed siccis tantum locis, adeoque *Alberto* in frigida Germaniæ Provincia viventi experimentum non successisse.

§. 25.

Ut causas dicamus & evolvamus

Nos non turbat, quod pravi credula plebes
Tunc putat hoc fieri, culpa, cum purus & exsors
Fortè aliquis falso damnatus crimine mortis
Vitam constricta laqueo cervice reliquit,
Perque nefas rapidis agitatus pendulus auris
Clamosos pascens sublimi corpore corvos.

(Joh. Pincier. l. 1. ot. Marpurgens. p. 27.) Neque ad Dæmonem Sagas aut Veneficos recurrendum, quod *Martinus Delrio (c. l.)* fecit cum ipsomet etiam fatente, causæ naturales non desint.

§. 26.

Non in omnibus cadaveribus id deprehenditur augmentum, ſed cumprimis in junioribus aut conſiſtentis ætatis, in violenta morte extinctis, aut quorum fatum magnus aliquis morbus acceleravit. His enim ſuccus ille glutinoſus & oleoſus, verum capillorum nutrimentum, eſt copioſus, qui florido ſuo balſamo pilos facit germinare, corpus quamvis reliqua membra tabo difſluat. Poteſt hoc naturaliter præſtare complexio morientes, (*ex Aliis* philoſophatur *Delrio c.l.*) quando in corpus manavit aliqua vegetantis animæ ad formam imperfectam diſpoſitio. Jungit huic (*c.l.*) in ſuſpenſis *Michaël Neander* calorem ſolis ambientem, qui totum humidum reſolvit in fumum, aut, forſan rectius ſuccum illum glutinoſum & viſcidum præparat, ut commodum pilo ſuppetat nutrimentum.

§. 27.

Cur Capilli & Barba ægrotantium & ſenum magis, quam ſanorum & juvenum augeantur, ut quærit *Ulyſſ. Aldrovand.* (*Hiſt. Monſtr. p. 157.*) & reſpondet, aliqui docte reſpondent ægrotantes & ſenes excrementiciis ſuperfluitatibus, quam ſanos & juvenes redundare: unde calor naturalis in illis infirmior minus illa conſumere & diſſipare poteſt. Ita in hecticis & tabidis adhuc, ut *ſupra* (*§. 21.*) dictum, decreſcentibus reliquis partibus pili & ungues ſuccreſcunt felicius; quod calor latens hecticus pilorum generationi proportionatus, glutem illud nutritium, ut debitam conſequatur conſiſtentiam à ſeroſa colluvie per nocturnos ſudores ſenſim ſenſimque purgat. Secus evenire videmus in febribus ardentibus & mali moris, in quibus nutrimentum illud partim corrumpitur partim cum radicibus aduritur & exſiccatur, ut calvi appareant reconvaleſcentes, quos capillatos offendit primus inſultus.

§. 28.

Sunt qui cum *Plotino* (*l. 2. de dub. Anim. c. 19.*) & *Levino Lemnio* (*l. 2. de occult. Nat. mirac. c. 7. p. 174.*) in corpore mortuo per aliquod tempus veſtigium aliquod animæ remanere, aut cum *Democrito*, quod *Tertullian.* (*l. de Anim. c. 5. p. 682.*) ipſi tribuit ipſam animam poſt mortem corpori adhere aſſerunt. *Th. Campanella* (*l. 4. de Senſ. Rer. c. 9. p. 298.*) Caloris innati reliquias ex orco reduxit; expirationem caloris inſiti *Marc. Anton. Ulm.* (*Phyſiol. Barb. Hum. ſ. 3. c. 5. p. 243.*) caloris humidi non quidem vitalis, ſed elementalis (*Diſſ. de Pilis, p. 113.*) *Joh. Riolan. Hier.* verò *Cardan.* (*c. l. p. 516.*) Calorem præternaturalem. Sed neque animam, neque animæ reliquias, nec

nec calorem innatum, præter naturalem (quem quomodo in frigidissimo quæres & invenies) dudum *supra* (*Diss. general. s. 1. de Cadav. §. 136.*) ex esse jussi. Detur ille ad tempus, quantillum erit, vix aliquot horarum, aut unius noctis aut diei. Animæ reliquiæ si inessent, alia quoque membra (calefacerent &) moverent; *cum Tertulliano (c. l.)* concludo, quin & *ex eodem* (*c. l. p. 683.*) subjungo: Mors si non semel tota est, si quid animæ remanserit, vita est; non magis miscebitur vitæ mors, quam diei nox. Et quid posteà? Quomodo cadaver, dum corrumpitur, scintillulæ illæ relictæ sufficienter & soli capillorum capillorum incremento micabunt? Si inter vitæ alicujus signa sunt expulsio & motus, quomodo expulsiva potentia, ubi non augmentativa, retentiva, motiva, quæ tamen eodem modo animæ præsentiam comitantur, ingeniosè quærit (*im Würg-Engel. qu. 180. p. 247.*) *Ludovic. ab Hornig.* Ad calorem putredinalem recurrit *Gregor. Horst.* (*l. 1. Epist. Med. s. 5. p. m. 387.*), sed qui nullorum virium, quin imò nullus ferè est. Pilos crescere, sicut muscus crescit super lapidem, ex aëris concretione non accuratè divinare *Joh. Riolan.* (*c. l. p. 113.*) mihi videtur.

§. 29.

Excrementorum copiosam in cadavere productionem, quam *cum Arist. & ejus Expositore Joh. Philopono Fort. Licet.* (*l. 2. de Quæst. per Epist. p. 251.*) ante quem eadem *Paracelso* (*l. 2. de Nat. rer. p. 888.*) mens fuerat, in medium affert, quæ affatim nutrimenti pilis suppeditare creditur, Ridicula quidem & vana ratio. Cadaver non generat excrementa, sed diffluit in saniem & fit excrementum ipsum detestabile. Vid. *Hieron. Mercurial.* (*l. 1. de morb. Cutan. c. 3. p. 13.*) Præterea quod ad pilorum auctionem non modo necessaria excrementorum copia, verum etiam vis (attractrix, concoctrix &) expultrix (quam quidem pro stabilienda sua sententia cur maculæ pestilentes post mortem efflorescant *alibi tr. de Macul. pestif. c. 8.* adduxit & approbavit,) requiratur, quæ in corporibus mortuis non adest. Quasi verò regerit his *Georgius Entius* (*Demonstrat. Circul. Sangu. Digress. 3. p. 77.*) prudens Natura noxios humores retineat? aut facultas post obitum, ceu nova phœnix, vegetior resurgat? aut Atropos expultrici magis, quam retentrici benigna sit, ut illa sola post funera supersit? Aut tandem facultas aliqua sine Anima esse possit, à qua tamen omnino dependet? Profectò æque radii solares fuerint absque sole.

§. 30.

Accuratissimus Hermann. Conring. (*Diss. de Hab. Corp. German. Caus. p.*

 143.)

143.) sequentia suggerit: Verissimum est, quod *Aristoteles* notavit, ipsis pilis congenitam esse vim aliquam caloris, qua se amplificant & nurriunt. Stirpis enim alicujus instar habent: eoque & mortuo animali identidem propria virtute solent crescere. Et hæc quidem ad veritatis stateram. Nec *Helmontii* mens (*Tr. Bütler. p. 474.*) à verò deviat, quando vegetativam vitam pilis assignat.

§. 31.

Infero inde, pilos neque excrementa corporis, neque partes existere. Prius *ex supra dictis* planum evadit; posterius patet, quia non vita totius, quod partium est, vivunt, sed peculiari vegetabili: Haud secus *ut judicat Isbr. de Diemerbroeck* (*l. 3. Anat. c. 2. p. 487.*) atque Moschus (muscus) vel Herba aliqua, ut polypodium in arbore crescens, (quamvis ad complementum Arboris non faciat, sicut pili ad complementum hominis) separatam & diversam ab arbore vitam vivit, licet ex Arbore viva nutrimentum suum desumat: vitæ diversitas ex eo patet, quia mortua Arbore adhuc vivit & crescit, quousque vel ex mortua arbore, vel aliunde conveniens nutrimentum habere potest. Sic etiam pili, quousque è corpore vel vivo vel mortuo conveniens nutrimentum ipsis confertur, suam vitam peculiarem vivunt, & ad justam magnitudinem increscunt: quam vitam reliquis partibus non esse communem docet illud, quod mors pilis non sit communis cum reliquis partibus, quippe ablata anima moriuntur omnes partes eadem anima animatæ, sed non pili, utpote quos diu post hominum mortem vixisse & increvisse multoties observatum est. Unde liquet illos non esse communi cum cæteris anima animatos, neque talem vitam vivere, qualem vivunt reliquiæ partes.

§. 32.

Quamvis sint, qui in hoc discursu animadversionem mereantur, & alibi vindicanda, nihilominus si præsentem thesin respicias, pilos non esse corporis partes *Isbrandi Diemerbroeckii* assertum amplectendum censeo, cum capillorum post mortem argumentum id persuadeat quam maximè. Unicuique interim pilo cum *Arn. Senguerdio* (*Osteol. Corp. Hum. c. 1. p. 3. & l. 6. Introd. ad Phys. c. 1. p. 466.*) suam tribuo animam, & quidem cum *Diemerbroeckio* (*c. l. p. 480.*) & *Aliis* (*Vid. §. præc.*) vegetantem, non advertens *Rod. Castrensis* sententiam, quæ (*l. 3. de Meteor. Microc. c. 9. p. 114.*) pilos pro vivis habere superstitiosum declaravit; & pilos etiam viventibus mortuos declararint *ex Synesio Hadr. Jun. & Joh. Anton. Lindan.* quos (*l. 1. Exerc. Anat. 2. §. 121. p. 104.*) allegat *Præceptor, Joh. Theod. Schenck.* jam *Bonaventuram Durandum* pilis animam propriam sola vegetandi facultate

tate præditam dudum tribuisse, hocque defendere *Conimbricenses Gisb. Voët.* (*p. 1. Disp. Select. p. 769.*) mentionem facit, iisque se aggregat. Sicuti autem anima nunquam magis aut minus admittit; Ita nec animæ essentia permittet, ut peculiaris anima singulari parti tribuatur, ut rectè concludit *Collega Noster Dn. D. Joh. Graba* (*Elephogr. s. 4. c. 1. p. 85.*) Add. *Th. Bartholin.* (*l. 4. Anat. Reform. c. 1.*) Et ut paucis me expediam, assero: *Capillos & pilos in corpore humano & brutali esse vegetabilia s. plantas ornamenti potissimum gratia eidem à summo Conditore concreatas.*

§. 33.

Lusus verborum non mihi curæ. Anatomiæ essatæ conditori Paracelso, qui metaphoram Microcosmi, in ipsam veritatem, *judicante J. B. Helmontio*, (*Tr. inventio Tartar. n. 15. p. 192.*) transsumsit non lito, nec procis Paracelsicis, qui hanc *Helenam* aut *Penelopen* amplexi, Macrocosmum considerantes, quicquid ille complectitur in homine tanquam Microcosmo demonstrare satagunt, quos secutos etiam esse quosdam è Galenicis, inter quos *Fr. Tidicæus*, (*Tr. Microcosm.*) cum *Aliis*, quos citat *Noster Phil. Jac. Sachs.* (*Ocean. Macro-Microcosm. §. 2. p. 4.*) Comparat *citatus Tidicæus* (*c. l. Tr. 7. p. 437.*) pilos vegetabilius, sed cum Analogon vera Physica & Medica scientia ignoret, *cum Helmontio* (*Tr. imago ferm. impr. mass. sen. n. 7. p. 91.*) nudam lubens Physicam aspicio ubique, non sanè figuras, aut vires moventes applico naturæ: Analoga devito quantum possum, ut & locutiones Metaphoricas. Exclamo *cum Eodem* (*Tr. Inventio Tartari n. 18. p. 293.*) Facessent è natura sensus allegorici & morales. Natura pertractat Entia, qualia revera & actu subsistunt in entitate substantiali ac profluunt à radice seminis usque in Tragœdiæ Epilogum. Nec aliam interpretationem admittit, quam per fieri & esse ex causis ordinatis. Qui per Analogiam docent sumunt sibi tanquam probatum, quod probandum erat. Benè igitur *divinus Senex noster* (*6. Epidem. s. 7. n. 49.* quod & *Galen.* (*in Comment. 4. aph. 2.* allegat.) optimis Medicis similitudines imponunt, & difficultates pariunt. Vera igitur vegetabilia pilos assero, nullo ad analogismum, metaphoram aut comparationem respectu habito.

§. 34.

Ne novum Lectori Paradoxon obtrudere videar, antiquiorum venerabili autoritate & modernorum assensu in natura fundato hoc muniendum erit assertum. De Hippocratis mente securos nos esse jubet ea, quæ de radicibus pilorum *infra* (§. 39.) dictitavit. Ἐπιφύματα *Galeno* (*l. 2. de Temperam. c. 5. & l. 11. de Simpl. Facult. c. de Ovis p. m. 1008.*) lana & pili, cui assensum præbuit

buit *Casp. Hoffmann.* (*l. de Part. Corp. Hum. Simil. c. 19. p. 120.*) cui subscripsit *Franc. Glisson.* (*de Part. Contin. c. 8. p. 47.*) Galen. Præterea pilorum & è terra nascentium eandem esse generationem (*l. 2. de Temper. c. 5. & l. 1. de Compos. Med. sec. loca p. 433.*) censuit, quem frustra carpit (*Paradox. Conclus. 40. p. 151.*) *Laur. Joubert.* Aspisce, *disserit Tertull.* (*l. de Carn. CHRISTI p. m. 22.*) ut Muscos, & comam ut cespitem. Sunt, qui pilum nil aliud esse, quam plantam *Joh. Argenter.* (*in Galen. Art. Parv. Comm. 2. p. 454.*) Pilus quid aliud quam planta? Subtilitatum Architectus & Censor (*Ep. 114. f. 3. p. 437.*) pronunciat. Quod in terra plantæ, frutices & arbores, hoc in homine pili, *juxta Joh. Fien.* (*l. de Flatib. c. 3. p. 12.*) Sanè id quod in meatibus, s. poris cutis impactum est, radici alicujus herbæ in terra hærentis assimilari potest, quod verò ex cute extat velut ipsi herbæ, asserit *Casp. Bauhin.* (*l. 3. Theatr. Anat. c. 2. p. 263.*) usq; adeò pili se totos implantarum familiam dedunt *Fr. Glissonii* (*c. l.*) fatum est. Pili jure meritoque dici debent partes corporis Zoophytæ. Cutis solum; Pilus existit planta. Hinc à me pili vocantur Animali-Plantæ, s. Plant-Animales, *Marcus Anton. Ulmus* (*l. 3. Physiol. Barb. Hum. p. 256.*) prodidit. De convenientia Plantarum cum pilis *Albert. M.* (*l. 29. de Animal. c. 7. f. 161. a.*) *Franc. Tardinus* (*Tr. 7. de Microcosm. p. 437. & 444.*) & *Phil. Jacob. Sachsius noster* (*Ocean. Macro-microc. §. 13. p. 12.*) *Joh. Tardinus, Disquisit. Physiol. de Pilis p. 253.*) Capillorum defluvium defrondationi arboris comparavit & *Aristoteles* (*allegante Hadr. Junio Comment. de Com. c. 11. p. 426. docuit l. 5. de Gen. Animal. c. 3. p. 1340.*) id esse ait in homine calvescere, quod in Avibus depennescere, πτερορροεῖν in foliis, Castaneta calvescere, *Columella* (*l. 1. de R. R. c. 33. p. 430.*) docuit. *D. Andr. Rivinus,* (*ad Diacont. l. 1. Hexaëm. v. 228.. Sirmondi* lectionem recensens,

Surgunt in messe capilli,

ista subdidit; Quasi cum totus homo è pulvere tetræ productus & prosatus: ut aliæ fruges in summo pro spicis & aristis capillos demetendos protruserit. Considerate (*tradidit P. Bellonius de Negl. Stirp. Cult. Probl. 7. p. 23.*) arbores certo temporis spatio folia abjicere, non secus ac animantes quadrupedes & bipedes, quarum illæ pilos mutant, hæ plumas atque etiam serpentes exuvia. Aridæ quercui Andronici Calvitiem (*l. 2.*) æquabat *Nicetas Choniates.*

§. 35.

E Recentioribus hoc Argumentum plenius pertractavit *Honoratus Fabri, Philosophus ingeniosissimus, qui* (*Tr. de Plantar. Generat. l. 3. Proem. p. 93.*) tres plantarum species fecit, unam earum, quæ in terra crescunt; alteram, qui in ipsis

ipsis plantis; tertiam, quæ in animalibus, ut sunt pili (eorumque ἀνάλογον aculei in Erinaceis, squamæ in piscibus, *de quibus Arist. l. 5. de Generat. Animal. c. 3. p. 1339.*) cornua, pluma & ungues. De Pilis quod sint plantæ ratiocinatur, quia ipsis competit definitio plantæ, quando illam definit (*l. 1. Definit. 2. p. 2.*) corpus vegetans non sentiens, h. e. cui præter qualitates elementares unum vegetare competit. Potentia autem vegetativa ipsi est, qua corpus aliquod nutritur & crescit per intus susceptionem &c. (*c. l. Def. 1.*) Applicat id ad plumas Avium (*l. 3. Propos. 10. p. 98.*) & pilos (*Propos. 14. p. 103.*) Nempe crescunt, *inquit*, ab intrinseco per intus susceptionem. Sunt enim pilis sua organa (*Vid. mox dicenda de Radicibus* §. *37.*) sui ductus atque meatus, quibus alimentum traducitur atque percolatur. Cuncta hæc adhibito exquisito microscopio facilè observabis. Hos præterea non nutriri (rectius augeri) per juxta positionem amplius probat, (α) quia si hoc esset nota pilo inusta ab extremo apice semper æquè distaret. (β) Pilus versus apicem non decresceret, ut plantæ versus extremum ramum minuuntur. (γ) Quia pilus proportionaliter crescit. Pilos tandem non vivere Anima totius, philosophatur (1.) quia crescunt post mortem animalis, (Vid. §. 20.) (2.) quia anima sentiens corpori sentienti minimè inest, alioquin ubi esset sensus. (3.) quia ubi tonderetur mutilaretur animal, quod ridiculum.

§. 36.

Cur verò Pilos plantas vocat excrementicias? Quod pilus excrementitia sit planta, vel ex eo probatur, quod succo excrementitio nutriatur. Ex excremento tertiæ concoctionis crassiori ortum pilorum deduxit *Galenus* (*l. 1. de T. S. c. 17. p. 342.*) *Aristoteles* ex excremento nasci pilos passim, comprimis (*l. c.*) & pilorum abundantiam & hirsutiem copiam excrementi indicare (*c. l. l. 4. c. 5.*) professus est. Quocirca forsan *Synesius* (*l.* περὶ Φαλάκρας *cit. Hadr. Junio comm. de Coma c. 4. p. 364.*) Crines sunt quisquiliæ & glumæ animantis, ac putamina quædam fructuum Naturæ ludibria, & imperfectæ materiæ suffrutices. Inde *Timoth. Polus (l. 2. Epigr. 129.)*

Excrementa pili sunt. Tu vir purus es ergò,
Cuncto est Calve tuum non sine crine caput.

Sed excrementi nomine ludere *Aristotelem*, Ejus commentarios inspicienti facilè erit obvium. Nec ob nutrimenti qualitatem pilus excrementicia planta accuratè vocabitur aliàs & Triticum, & Hordeum, & Secale leguminibus &c. eodem titulo essent mactandæ, quod agros sterquilinio pinguiores reddimus, & stercoramus, ut semina felicius germinent & incrementa sumant. Et Animal

mal illud Veneri & Minervæ invisum & exosum porcum excrementicium idcircò vocandum censebimus, quod omnis generis excrementis & cibis absurdis vescatur alaturque? Quicquid excrementis alitur, non excrementis propriè dictis alitur, sed succo laudabili & nutricio, qui sub Excrementorum Schemate & larva latet. Nec dum confectum est, excrementa pilis in alimentum destinata, ut mox dicenda evincent.

§. 37.

His ita se habentibus non mireris, si â Poëtis ac Oratoribus Arboribus Comam, Cæsariem, Crines, Capillos, Capillitium tributum legas, si Sylvas comatas, montes intonsos &c. dictos. Loca varia ex his collecta suggerent *Andreas Senfftleben* (*in Not. Philolog. ad Phasel. Catull. p. 44. 45.*) *Conrad. Tiburt. Rango*, (*l. de Capillament. c. 5. p. 71. sq.*) *cum Aliis*. E Medicis Poëtis saltem audiamus *Stephan. à Castro*, *qui* (*in Carm. Tr. de Meteor. Microcosm. Præfixo*) hunc in modum poëtatur.

Non etiam nemora, & densis loca consita plantis
Deesse putes homini, videas herbescere crines,
Radices agere, & tenues emittere in auras.

Huc respexisse videtur Ovidius, quando (*l. 4. Metamorph. v. 659.*) metamorphosin Atlantis in mortem descripturus canit:

Quartus erat mons factus Atlas, nam barba Comæque
In Sylvas abeunt.

Et de Daphne (*l. 1. v. 550.*)

In frondem crines, in ramum brachia crescunt.

De Hystricis setis *Claudian.* (*Epigr. 2. p. m. 76.*)

Stat corpore toto
Sylva minax, jaculisque rigens in prælia crescit
Picturata seges.

Pendulam Sylvam barbam prolixam *Susibiani* argutè vocat *Adrian. Scord.* (*Poëmat. p. 63.*)

§. 38.

Seminibus certis gaudent plantæ, è quibus progerminant. Haud aliter pili. Valet & hic illud: Quicquid fit ex suo semine fit. Illud quamvis invisibile sit, nullum tamen idcircò non est. Superadditur semini humano talis odor fermentaceus, qui concretus, atque densiori aura saltem perfusus vegetat, ut argute *Helmont.* (*Tr. Magn. Oportet n. 2. p. 121.*) Experimentum prostat: Si caper ovem ineat, aut aries capram in fœtibus lana & pili multum ab illis differunt

runt, quando aries capram, & caper capram imprægnavit. Clarius ista semina in avibus oculis subjiciuntur. In plumarum namque exortu primò observavit *Guilh. Harveus (de generat. animal. Exerc. 56. p. m. 236.)* quasi puncta quædam in cute, posteà verò plumulæ (veluti è terra herbæ) excrescunt, tandemque explicantur & totum corpus circum vestiunt, contraque aëris inclementiam tutantur.

§. 39.

Radice gaudent ut plantæ, quod jam olim asseveravit *Hippocrates (l. de Nat. puer. p. m. 21.)* & post hunc *(l. 3. hist. animal. c. 11.) Aristoteles.* Ῥίζαι inde pili *Hippocrati* dicuntur. *(c. l. p. 194.)* Qui calvescunt, *(pergit. p. 195.)* ii sanè phlegmate redundant, quod per coitum in eorum capite agitatum & & incalescens in summam cuticulam illapsum pilorum radices exurit, ita ut pili effluant. Humidi autem ob eam causam non calvescunt, quod neque vehementius moventur, neq; phlegma in coitu incalescens pilorum radices exurat. *Wo keine radices sint, da wächst kein Haar,* dictitat *(Chirurg. magn. Apocr. de vulner. p. 553.) Paracelsus.* Pili præcisi à radice crescunt, non pennæ, neque alæ insectorum, *Hieron. Cardan. (l. 8. de variet. rer. c. 40. p. 518.)* annotavit. Quid verò in pilo sit radix, nemo, quod scio, exactè expressit, præter unum Reinerum Solenandrum, qui eandem delineare *(S. 1. Consil. Med. 1. p. 1.)* his tentavit verbis: Non illud est album, quod in extremis nigris pilis circumnascitur, quia hoc non extruditur, sed in ipso poro hæret pituitosum quoddam, ac veluti pilo transeunti viam & commeatum præbet. Percurras animo varios vasorum in corpore nostro divaricationes, quibus diligens & sollicita Natura semper aliquid apponit, glandulas, pinguedinem, aut simile quiddam, quo hujusmodi vasorum divaricationes tutius abscedunt. Eodem modo hæc viscositas adnata videtur pilo. Scio, *pergit,* quod eundem usum non præbeat, neque data opera Natura eò supponit, attamen meatus nonnihil offarcit, ac pilum magis ne excidat, retinet ac firmat. Quod verò radix non sit, sic agnoscas non in omnibus pilis reperitur, neque in quolibet corporis loco, sed solum ubi cutis crassiuscula est. Præterea in Exanthematis, Psydraciis, Favo, manantibusque capitis ulceribus, si pilum extrahas, stipatam admodum ejus imam partem invenies hac materia. Conspicies statim subsequi & emanare humidum, quod utplurimum ei simile, quod nullo modo pilis materiam præbere, confiteare necesse est. Invenies quoque hoc album non extremum esse in pilis, neque earum partem, quod radix tamen esse debet. Nam vel unguibus, vel cultello potes pilo, quem ambit, illæso abradere. Taceo, quod omnes o-

omnium pili (hac existente radice) albidi conspicerentur, aut saltem subpallidi, nam ferè ex his coloribus unum ea materia referre solet. Sed quænam igitur, *quærit demum*, est pilorum radix? Ea sanè varia est, in quibusdam subnigra, in aliis pallida, in plerisque fusca: nonnullis copiosa, quibusdam pauca: aliis vix conspicua. Hæret extremo pilo glutinosa, putares muscæ excrementum; in calidis & siccis copiosior esse consuevit, in quibus picem nigram, vel bitumen illud, quod Judaicum nominamus, colore & lentore suo utplurimum repræsentat, quod si extractum pilum chartæ, aut alicui corpori injicias, ita pertinaciter hæret, ut vix excuti se patiatur. *Hactenus Solenander.*

§. 40.

Verum enim verò pars illa glutinosa non est radix, ut quidem *Reiner. Solenander* suspicatur, sed humor lentus pili radicem, tanquam vagina ambiens, & forsan etiam nutriens. Non ignotus fuit lentor ille *Archi-Philosopho* (*c. l.*) dum scribit: Habet genus quodque pilorum ad suam radicem lentum quendam humorem, quo protinus, ubi evulsum est, si qua leviuscula tangat, adhæret, ut ea trahere possit tenacius. Circa radicis structuram s. texturam hactenus curiosè occupatum inveni neminem. Geniculatas radices reperit *David Græbner. (in Med. vet. Restitut. c. 50. 363.)* Bulbulum vocavit *Joh. Vesling. (Syntagm. Anat. c. 13. p. 105.)* & *Isbrand. de Diemerbroeck. (l. 3. Anat. c. 2. p. 480.)* Nec forsan ineptè, cum à bulbi figura non multum discrepent. Cur igitur *oculatissimus minutiarum naturalium contemplator Anton. de Leewenhoeck (p. 2. Anat. & contemp. p. 32. 33.)* radices has non viderit, miror, adeoque negarit crines plantarum more pullulare, sed crescere propulsione quadam, ut quæ pars hodiè intra cutem & veluti radix est, post diem unum & alterum extra cutem sit protrusa. Hic Crinis, *pergit*, ex cute proveniens in omnibus suis partibus est admodum humidus, ac statim humor ille evaporare incipit. Et hæc forsan causa est, ut illis, quibus tenerior & mollior & levior est crinis, caput pinguedine & oleositate quadam perfusum, comprimis circa cutem videatur. Aliter de productione pilorum ejusque Radicum *Franc. Glissonius (de partibus continent. c. 8. p. 49.) Philosophatur:* Materia spermatica imperfecta & excrementitia, (è qua pili) simul ac ad cutem appellit, ibidemque concurrente cutilæ densitate retinetur, quasi ovum quoddam conficit, (cur non bulbulum?) formationemque aggreditur. Radices primò agit, mox consimilem succum ad se attrahit, hinc augetur, demum erumpit, ut sata è sua Terra.

§. 41.

Ut igitur plantæ per intus susceptionem, adeoque verè nutriuntur & augen-

augentur; ita & pili. Poros cutaneos excipiunt glandulæ, & has arteriarum extremitates, quibus passim immiscentur papillæ nerveæ, nervorum propagines, *inquit Henric. Gevrit. von Herfeld (p. 2. Philos. Hom. c. 10. §. 333. p. 335.) Adde Fr. Gliſſon. (c. l.)* venas addit *Highmor. (c. l. p. 201.)* horum munus non esse adducere, sed abducere, recordatus. Pilos aliquem venarum plexum habere, *Honorat. Fabri (l. 3. de Plant. propos. 11. p. 100.)* argumento à Plica Polonica desumto probat, qua de causa motus forsan *Casp. Hoffmann. (l. de part. sim. corp. human. c. 19. p. 114. & l. 2. Inst. Med. c. 29. §. 2. p. 65.)* Sanguinem capillorum nutrimentum fecit. Cum his igitur communicat pilorum radix filamenta sua undique porrigens, quibus succum appropriatum ex superfluitate alimenti à nervis eò delati, *juxta Gliſſon. (c. l. §. 19. p. 56.)* attrahit & concoquit, ut decernit *Nathan. Highmor. (l. 3. Corp. hum. Disquis. Anat. p. 1. c. 2. p. 200.)* Materiæ istius genium dudum *supra (§. 17.)* exposui. His addo facultatem illam ridiculè satis dici *ap. Herfeltum (c. l. §. 326. p. 339.)* pilificam, æquè ut animæ vim pilificam animæ specificæ effectum, succum quidem illum introduxit *(c. l. p. 199.)* Highmor. Et nomine ignotum pronunciat Idem in sanguine tamen & corpore dispersum asserit. Paucis, hujus naturam & consistentiam *supra (§. 14.)* delineavi, ubi etsi eundem oleosum & pinguem reputavi, minimè tamen *Realdo Columbo (l. 13. de re anat. c. 2. p. 470.)* pilos à pinguedine trahere suum alimentum astruenti. Si hoc, cur in tabitis & emaciatis, quibus ossa & pellis sunt mira macritudine largo proventu fruticarent. Nec solum materiam istam pinguem & oleosam promulgavi, sed & gummosam & terream, adustam non nihil *addidit (c. l. c. 9. §. 10. p. 78.) Franc. Gliſſonius*, &, ut paucis me expediam, serosam sed congulatum, & glutinis instar compactam. In tale namque gluten lympham s. serum non solum aëri (& igni lento) expositum coalescere, vel sanguis V. S. emissus evincit, sed & leni calore facessere verum constat. Et hæc causa est cur in puerili ætate Eunuchi facti neque in pube, neque in mento pilos habent, levesque toti sunt, contra vero viri Eunuchi facti barbam servant, quod *Petr. della Valle (p. 2. itinerer. Epist. 5. p. 232.)* annotat *Aristotelisque* sancito *(l. 5. de gen. animal. c. 3.)* contradicit, qui spadones pilos, qui posteà gignuntur aut non producere, aut amittere, si fortè habeant, docuit. Temperamenti namque masculini calidi in fœmininum frigidius transmutatio, & coacervatio seri in sanguine aquosioris, gluten illud adeò temperat & aqueum reddit, ut pilorum nutrimento officiat. Non igitur in cutis rarescentiam *cum Hippocrate (l. de Nat. puer. p. 21.)* oculi convertendi, sed quod Spado

nes, *secundum Aristot.* (*c. l.*) in fœminas sint mutati: virili ætate autem quibus castratio contigit, temperamento virili jam confirmato talibus mutationibus minimè obnoxii. Barbam à testibus (maturis *tr. ignot. act. Regiminis n. 42. p. 270.*) generari à viro *Helmont.* (*c. l. n. 38. p. 269. & n. 47. p. 272.*) ob ignotam actionem regiminis inculcat, quod alibi forsan discutitur.

§. 42.

Cerebrum capillis nutrimenta suppeditare olim creditum, & forsan creditur adhuc. Comæ quoque alimenta de cerebro, *scribit Tertullian.* (*l. de Anim. p. 682.*) quod aliquandiu (post mortem) durare præstat secreta nutritio. Denique etiam in viventibus pro cerebri ubertate vel affluit capillago, vel deserit. Cur in Capite dives pilorum proventus ubi disquirit *Aristoteles* (*c. l.*) Cerebrum quod humidum & frigidum est, largam humoris nutritii copiam suggerere nullus dubitat, cui & *Casp. Bauhin.* (*l. 3. Theatr. Anatom. c. 2. p. 264.*) astipulatur. Cranium vapores è corpore in sublime raptos tanquam cucurbitulam (*ita Hippocrat. l. 4. de morb. p. 58.*) aut Alembicum attrahere, qui per suturas exeuntes materiam pilorum generationi subministrare, quidam, inter quos *Constant. Varolium* (*l. 1. Anat. c. 3. p. 11.*) nominare lubet, addunt. Et cur Spadones non calvescant, *Philosophus* dum quærit (*s. 10. probl. 56.*) an ideò, quod multum Cerebri obtinent, quod his contingit qui rem Veneream non agunt. Semen enim labi per spinam è Cerebro videtur.Ptætereà Cerebrum ea, qua pollet, exuberante humiditate haud omninò excrementosa radices ipsas pilorum, ne exarescant, irrorat jugiter, accedente præsertim naturali caliditate humidum terminante non acri, sed benigna, qualis est in habitu Eunuchorum, ut decidit *Joh. Benedict. Sinibald.* (*l. 3. Geneanthrop. tr. 3. c. 6. p. 323.*) Quod si humitate excedat Cerebrum (μάλιςα ὑγρὸν) calvities succedit, & in occipite quidem primum, cum in patre priore Cerebrum, juxta *Aristot.* (*l. 5. de generat. anim. c. 3.*)

§. 43.

In medium proferunt hæc, sed sine ratione. Quid namquè cerebro cum pilorum radicibus commercii? Mennynges, cavitas inter Cranium & Mennyngum par, cranii galea ejusque διαπλοὴ, seu duplicatum cum Pericranio communionem sufflaminant. Vaporibus nihil evinces, cum nihil per se vaporotenus ex internis partibus ad habitum deferatur. Per suturarum commissuras perpetuò vaporibus Cerebrum depleri, inconsideratè nimis veteres cum multis Neotericorum v. g. *Galeno* (*l. 9. de U. P. c. 1.*) *Realdo Columbo*, (*l. 2. de*

R. A.

R. A. c. 5. p. 30.) Andr. Laurent. (*l. 2. Hist. Anat. c. 8. p. 124.*) *Constant. Varol.* (*c. l.*) *Bassiam. Lando*, (*l. 1. Anat. Corp. Hum. c. 4. p. 9. & 11.*) *Casp. Bauchino.* (*c. l. c. 5. p. 275.*) *Casp. Hoffmann.* (*l. 2. Inst. Med. c. 6. §. 4. p. 241.*) *Zacut. Lusitan.* (*l. 6. Med. Hist. Princ. Hist. 4. s. 3. p. 936.*) *N. Highmor.* (*l. c. c. 4. p. 204.*) *Guern. Rolfinck* (*l. 2. Diss. Anat. c. 23. p. 220.*) *Isbr. de Diemerbroeck.* (*l. 9. Anat. c. 4. p. 220.*) Non hæc Suturarum actio, non hoc finis. Partum in utero, dum adhuc Embryo est, mihi spectare videtur comprimis, qui ut faciliorem per ossa pubis, (quæ non à se mutuo secedunt,) transitum obtineat, os frontis & occipitis mollibus, latis, laxis, flaccidisque vinculis, suturis atque commissuris colligantur, ut *Volcher. Coiter.* (*l. de Oss. inf. c. 2.*) & ex Eo *Theod. Kerckring.* (*Osteogen. Foet. c. 2. p. 217.*) loquitur. Post partum ubi ossa duriora & densiora, suturæque combinantur ad Mennyngis suspensionem faciet. Cum in crassa membrana cerebrum undiquaque ambiens pondere suo ejus dilatationem impedire possit, natura remedium anxiè quærens huic incommodo, ut cerebro liberum spatium suum & ventriculis sua cavitas relinqueretur, membranam hanc suturis alligavit, probè judicat *Præceptor post fata collendus, Rolfinck.* (*c. l. p. 321.*) Ita arctè autem sese divisionibus illis in osse capitis, membrana illa se insinuat, ut etiam in cadavere semiputrido, quod *Varolius* (*c. l.*) observavit, non nisi magna cum violentia ab osse distrahatur. Noto hic *ex Anton. Pachiono*, (*Disquis. Anat. de Dur. Menning. Fabr. & usu c. 3. p. 30.*) Duram mennyngem hærere cranio etiam, vel per chordas tantum, (quæ instar ligamentorum sunt,) vel per fibras tenuiores, vel per utrasque simul, prout locorum necessitas postulat. Sed hæc obiter. Quod si verò per rimulas suturarum fumi isti & fuligines cerebri alimenta crinibus promerent, promissiores & copiosiores vel solum circa suturas cerneremus, cui Experientia refragatur, circa suturas etenim præcipuè coronalem & sagittalem, primò decidunt, & calvities incipit: In occipite verò & circa tempora ubi suturæ non sunt aspectabiles, ut vapores emittantur, tempus ferunt. Quibus verò suturæ prorsus desiderantur (non quod fœtui, pueris, aut juvenibus non fuerint, sed quod ætate ingruente coaluerint, earumque coalitus, nullum præsentiæ suæ signum oculis subjiciat, prout *Herodotus* (*l. 9. p. m. 237.*) quod quidem *Reald. Columb.* (*c. l. p. 33. add. p. 35.*) non credit, ut ut ipse talem calvariam viderit, (*p. 31.*) sed & *ipse Aristot.* (*l. 1. Hist. Anim. c. 7. & l. 3. c. 7.*) suo tempore viri calvariam absque suturis repertam testatur. Id autem non miratur *Andr. Vesal.* (*l. 1. de Corp. Hum. Fabr. c. 6. p. 67.*) ob rationes, quas ibi legere licet. Vidi & ipse cum *Dn. D. Godofr. Buxbaum*, Ileburgi interemtum, cui istæ suturæ in

Cranio inconſpicuæ erant. Tales perpetua calvitie deturpari concluſit (*c. l.*) *Highmor.* Nec quos in oſſibus frontis & ſyncipitis notavit *Clopton Havers* (*Oſteal. nov. Diſcurſ. 1. p. 61.*) pori, & quos in Calvaria plurimos conſpicuos, (& ego in præfato cive Ileburgenſi) offendi, theſi ob datas rationes velificabuntur, ut ut illos ille per ſpiracula eſſe conceperit, per quæ vapores nocivi intra cranium exſurgentes & collecti tranſpirent, quod è ſudoribus in fronte facilè & frequenter oriundis concludit: hic verò fumos evaporantes condenſatos in capillos degenerare longisſimos aſſeverat. Et ſi Cæſaries cerebro debet ſuum ortum, unde in reliquis partibus è Cerebro remotis larga crinium ſeges?

§. 44.

Vidi pilorum radices & nutrimentum, arvum ſ. agrum in quo fruticantur agedum luſtremus. Arvum voce *à Galeno* inductus (*l. 11. de U. P. c. 14.*) qui κορυφὴν à κρύπτω quasi κρυφὴ, quod pars ea capitis (verticem intelligit,) crinibus tegatur, cum ſit velut arvum piloſum. Hic eſt cutis parenchyma, cujus naturam terream aſſeruit (*l. 5. de Gener. Animal. c. 3.*) *Philoſophus.* Eſt Parenchyma illud propria & immediata pilorum ſedes, decernit *Fr. Gliſſon.* (*c. l. c. 8. §. 13. p. 53.*) in qua radicentur, & è qua nutrimentum petant. Quare ut plantæ, quæ pinguiori ſolo inſeruntur liberalius fruticant; ita pili bullulantes è parenchymate uberiore frequentiores, majores & prolixiores efflorefcunt. Ratio eſt, quia non tantum commodiorem & ampliorem locum habent, in quo radices agant, ſed & alimenta copioſiora ſuppeditantur. Ubi glandulæ *Hippocr.* (*l. de Glandul. p. m. 238.*) aut rectius & verius, licet hanc opinionem abſurdam proclamet *Isbr. de Diemerbroeck* (*l. c. c. 5. p. 488.*) ubi pili, ibi glandulæ, ut mecum concludit *Joh. Riolan.* (*l. 6. Anthropogr. c. 52.*) & *O. Borrich. ap. Th. Bartholin.* (*V. 1. Act. Hafn. obſ. 98. p. 191.*) De cute autem nihil probabilius dici, quam eam eſſe ſubſtantiam glanduloſam, hoc uno à reliquis diverſam, quod præter vaſa capillaria etiam pilorum radices per corpus ſuum habeat diſperſas, mecum opinatur *Nicol. Steno* (*Obſ. Anat. de Muſcul. & Glandul. Specim. p. 42.*) Et iſtæ glandulæ cum ſint minimæ, & non niſi oculo armato ſe exhibeant, miliarium (quod ſint magnitudine ſeminis milii,) nomen retulerunt, ut & acinorum. Materia aut pilorum nutrix humor glandularis *Roſino noſtro Lentilio.* (*M. C. D. 2. A. 2. obſ. 155.*) Miror igitur & demiror cur *Diemerbroeck Joh. Riolan.* refutaturus in pectore, tibiis, femoribus, manibus, mento glandulas reperiri neget, cum cute veſtita glanduloſa deprehendantur. De glandulis cuti ſubſtratis loquitur; ego cum Neotericis de Cutaneis. In capite verò comarum Arvum, *judice Galeno* (*l. 1. de U. P. p. 734.*) natura fecit. Eſt enim pars calidior, ſiccior, (ſiccitas

citas illa cum grano salis accipienda, non quod sicca excesſivè ſit, aut parum humida, ſed quod humido mucoſo, glutinoſo, unctuoſoquè gaudeat, non humido nimis aqueo, ut ad plantarum, ita & pilorum conſervationem parum faciente, robuſtior,) ſolidior, aſperior, & uberiori parenchymate donata, quam aliæ partes, *Gliſſon.* (*c. l.* §. *17. p. 55.*) ratiocinatur. Ita ubi cutis firmior & robuſtior v. g. circa dorſum, è jubis & caudis equorum majores ac hiſpidiores pili efflorescunt. (*ib. p. 52.*) Pili iſti è poris cutaneis, & quidem majoribus emergere *Th. Williſio* (*p. 2. Pharmaceut. Rat. ſ. 3. c. 5. p. 462.*) obſervatum. In cute ad ſiccitatem prona luxuriant, durabiles tamen præ illis, qui in humidis in longum extenduntur, & feliciter fruticant. Plantæ quæ in terra dura atque arida proveniunt, quemadmodum generationem (radicationem rectius,) habent difficilem multamque poſtulant providentiam; ita interitum habent difficilem. Fortiter enim radicibus ſunt fixæ, continenturque undique & conſtringuntur. Ad eundem utique modum & *Æthiopum* capita parvos quidem, nulliusque ferè incrementi habent capillos, præ cutis ſiccitate, verum non facilè calveſcunt. *Hæc* (*c. l.*) *Galen.* Qui paulo poſt ſubjicit: in lapidem plantæ principium inſeri (ab opifice) omnino non poterat, quemadmodum certe in os pili radix. De plantis *alibi* (*de Plant. monſtroſ.*) commentatus, ad pilos recurro, & ad ſupra prolatam *è Rommelio* datam obſervationem (§. *19.*) in qua etiam pilos in oſſe cranii radices egiſſe oſtendit, benivolum lectorem remitto. Forſan & in poris Calvariæ à *Varolio* & *Cloptono Havers* notatis radicatio illa contingit.

§. 45.

Lynceus ille ap. Amſteladomenſes Proſector Fred. Ruyſch. (*Vid. Act. Erud. Lipſ. An. 96. p. 270.*) pilos non ſemper è glandulis cutaneis emergere indigitat, dum in ſcroto vaginulas pilorum plurimas tam productiores glandulis planè deſtitutis ad oculum oſtendit. Tricis his nos ut extricemus, in memoriam revocamus herbarum in Macrocoſmo diſcrimen, quo in bulboſas, tuberoſas, & radicoſas, radicum ratione diſcriminantur. Forſan & hoc in Microcoſmo locum habebit. Bulboſæ è glandulis emergunt, ſuntque fere capiti inquilinæ; tuberoſæ videntur barbæ ineſſe. Quamvis namque glandulæ à primis annis in regione barbæ ſ. mento & labiis reperiantur, & aliqua lanugo etiam in his depehendatur, poſt multos tamen annos hirſutia mento implantatur, barbæque pili duritie & rigiditate præ capitis pilis ſetoſiores offendes. Capillis demum non ſemper, ſi calorem reſpicias cum barba convenit, ut ſæpius rubra barba & nigrum capillitium & v. v. contemplantibus riſum moveat

moveat: Fulcire poterit hunc *στοχασμὸν Dav. Græbneri (Med. vet. restit. c. 50. p. 363.)* observatio, quando bilorum radices geniculatas se vidisse testatur: Radices reliquas pilorum dicere, sive extra sive in corpore conveniet. Hæc mea quidem conjectura, quam curiosioribus examinandam offero.

§. 46.

Cutis igitur cum glandulis miliaribus & poris cum genuinus pilorum sit ager, non miraberis si in cicatricibus nullus pilorum observetur proventus. Cutis enim, quæ talis erat, quæ periit, *(effato Galeni l. 3. M. M. c. 5.)* prorsus restitui non potest, sed simile quippiam cuti; & quod ejus officium suppleat, potest; non tamen planè cutis. Nec quod in locum cutis succedit cutis videtur, sed caro quædam callosa & sui generis, quod & *Galeno (l. 14. M. M. c. 26.)* non displicuit. Rationes subjungit, quod densior cicatrix cute visu, tactuque censeatur, & quod pilos non edat, quod & jam *Aristoteli (s. 4. probl. 4.)* visum. Sicut caro, ex concreto à natura, sanguine fit, *judicat Franc. Peccet. (l. 2. Chirurg. c. 35. p. 268.)* sic ex densata & siccata superficiali carne cicatrix fit & formatur. Ex eadem ratione etiam pili post variolas in capite & barba rariores, inque fossulis relictis fruticare non valent. Pororum texturæ immutatæ id imputat *Joh. Nicol. Pechlin. (de Habit. & Color. Æthiop. c. 13. p. 146.* De pororum textura, *inquit,* solæ cicatrices documento sunt, quantum ad pilorum efflorescentiam s. colorem conferat: Relicti post variolarum ferociam nævi non transmittunt pilos, quod textura illa vitiata sit, & proportione pilorum arctius coacta. In Equis & aliis ubi rudior corii dispositio pilorum vis vehementior, perrumpunt quidem per cicatrices pili, sed ex nigris candescunt strictura & siccitate meatuum, quæ callo propria sic modificante colorem. Plura hic mihi præter pororum texturam immutatam pensitanda videntur. Pororum textura non est mutata sed abolita, carne spuria compacta & callosa suaque textura à fibrosa carne planè aliena, cuti corrosæ succedente, neque pororum foraminula admittente. Cutis abest, ergo & pori, hisque sociatæ glandulæ miliares. Contrarium evincit Asinorum & Equorum pellis deperdita, aut ustione altius læsa & sanata pilos iterum protrudens, quod jam suo tempore *Aristoteles (s. 10. probl. 28.)* advertit. Id quod nec ego inficior. Corium brutis his solidius & crassius, inde cuticula saltem & ejus superficies atteritur & auffertur, salva pororum & glandularum conformatione, quod si verò affecta & contusa carne ulcus suboriatur & cicatrice claudatur, si attendas cicatricem pilis vacuam deprehendes, quamvis à vicinis pilis tegatur, & depilis non videatur.

tur. Unde verò caloris pili in album mutatio? Strictura & ſiccitas meatuum cum mihi non ſufficiat hariolo opus erit.

§. 47.

Sed cur Equis & aſinis dum mordentur à lupis (lupatos vocant) in cicatricibus non oriuntur pili? quærit *Ludov. Septal. (in c. Probl. Ariſtot. p. 95.)* Pro hujus ſolutione obſervandum, quod annotavit *Plutarch. (l. 2. Sympoſ. Probl. 9.)* ubi quærens rationem, ob quam carnes animalium à lupis jugulatorum ſint ſuaviores, inquit, ideò eſſe, quia dentes & fauces illius animalis ardentiſſimæ ſunt. Ita carnes quas tangunt teneriores reddunt, & inde ſuaviores. Ex his colligi noſtri problematis ratio facilè poteſt, eo tempore, quo mordent lupi hæc animalia habere dentes accenſos quam maximè; & quemadmodum aduſta tergora brutorum nunquam emittunt pilos, ſic morſuræ factæ à lupis ob immenſum fervorem nunquam emittunt pilos. *Hæc Septalius.* Ego, quod faucibus & dentibus tribuit *Plutarchus*, potius ſalivæ & halitui corroſivo tribuerem, ſuperaddens morſus & vulnerum profunditatem & magnitudinem, ut particulas cutis & carnis rapax illud animal vi à dentibus eruat, & deglutiat.

§. 48.

Quid tandem de plicis è capitis vulnere natis, & *(M. C. D. 2. A. 2. obſ. 1. p. 2.)* annotatis. Nati hi fœminæ ex loco olim in bregmate vulnerato, quæ cum poſt febrem malignam cum reliquis capillis omnibus ſpontè decidiſſent, absque ullo dolore recreſcentibus capillis loco duorum renatus eſt unus ejusmodi villoſus cirrhus, isque ad trium ferè ulnarum longitudinem terram lambens. Obſcura & imperfecta mihi illa videtur narratio, cum non exprimat an magnas cicatrices poſt ſe reliquerint inflicta vulnera, & an è cicatricibus relictis iſti cirrhi, an è partibus vicinis ſanis & illæſis adhuc progerminarint. Poſterius ſuſpicor, nec vulnera in ſorum protrudenda, ſed aliæ cauſæ nobis ignotæ, cum poſt multos à vulneribus inflictis & conſolidatis annos, cirrhorum γένεσις demum facta ſubeſſe poterunt. Nil conſulit vulnus, diſpoſitio ſanguinis ad plicam omnem facit paginam.

§. 49.

Ut nulla ferè Terræ particula ſecundum naturam glabra, & vegetabilia ubique germinare conſpicis. Ita & tota cutis hominis vegetabilibus microcoſmicis obſita, neque nudum hominem ſtrictè & propriè naſci aſſerere, & hominis præ brutis infelicitatem deflere, pilorum per totius corporis ambitum progerminatio permittit. Pilos ubi non deprehendis, lanuginem vide,

 idque

idque si nec dum cognosces, Microscopia in subsidium voca. Movit id *Joh. Argenterium*, ut ad operimentum ferè omnes, qui sunt in corpore, pilos factos asseveret. (*Comm. 2. in art. Galen. parv. p. 452.*) Toto corpore sensibiliter hirsutos miramur Satyros, de quorum existentia evolvendi *Plutarch. (in Sylla p. m. 143.) Anton Sabellic. (l. 3. Ennead. 6.) Albert. Magn. (l. 3. de Animal. c. 4. f. 31. b.) Simon. Majol. (Dier. Canicul. Colloqu. 2. p. 81.) Casp. Schott. (l. 3. Phys. curios. c. 2. p. 396.)* Satyri cujusdam sale conditi, per *Ægyptum*, *Phrygiam* & *Graciam* portati, ac pro ære ostensi mentionem fecit *Helmont. (tr. venat. scient. n. 35. p. 21. & tr. Demonstrat. Thetis n. 88. p. 543.)* Indici iconem delineat *Nic. Tulp. (l. 3. obs. med. c. 56. p. 283.)* sed cum in ancipiti sit, rationem his esse declarare non audet *Majolus*, *Tulpii* homo, qui sylvestris dicitur, ad simiarum progeniem referendus, huc non spectat. Ridiculus est, & nugas agit *R. Abraham (Comm. in Genes. ap. Edon. Neuhus. l. 2. sacr. fat. c. 12. p. 221.)* tales imperfectas creaturas asserens, quod eos Sabbathi vespera non absolverit, qua de causa sanctæ quietis fugientes lucem in intimos sylvarum secessus montiumque latibula secedunt: unde ad infestandos homines circa vesperam revertantur.

§. 50.

Ratione præditos & loquentes toto corpore hirsutos facili negotio ut invenias observationum prostant decuriæ. Eminet inter hos *Esavus Isaaci Patriarchæ filius* natu major; toto corpore à prima nativitate hirsutus, adeò ut pelles hædorum lactentium vilositate referret, quem olim in illustri Leucorea inter Monstra referre non erubuit *Martin. Pohl.* (*Disp. de quæst. An Esau fuerit Monstrum? sub. præs. M. Nicol. Pascha ann. 1669.* hab.) Caramannos populos præter capita toto corpore hirsutos *Pomp. Mela (l. 3. de sit. orb. c. 8.)* descripsit. *Alto bellus de Bondanis Hieron. Cardani socer.* toto corpore, *Cardano teste (l. 3. de util. ex advers. capiend. p. m. 457.)* videbatur pilis horridus. Infantem ex utero extractum toto corpore hirsutum in Spiritu Therebinthinæ natantem *O. Borrichio* monstravit *Tamponetta (Th. Bartholin. V. 1. Act. Hafn. obs. 94. p. 183.)* Alius infantis mentionem propolavit *cit. Barthol. in (Cent. 3. Hist. Anat. 38. p. 79.)* Puellam Germanam villosam & barbatam annos 4. cum dimidio natam Lutetiæ Parisiorum vidit *Joh. Riolan. (obs. anat. rar. p. 871.)* Aliam *Antwerpiæ Casp. à Rejes (Camp. Elys. jucund. quæst. qv. 45. n. 19. p. 544.) Georg. Hieron. Velsch. (obs. Med. Episagm. 96. p. 63.) Petr. Schumacher. (ap. Th. Bartholin. Cent. 2. Epist. med. 83. p. 669.)* Conf. *Matth. Villan. (l. 5. Histor. c. 52.) Marcell. Donat. (l. 2. Hist. med. mirab. c. 1. p. 81.) Th.*

Bar-

Bartholin. (*Cent. 1. histor. anat. 42. p. 68.*) *Olig. Jacobæus* (*ap. Eund. v. 5. Act. Hafniens. obs. 103. p. 274.*). Vidit puerum Hispanum ex India advectum, alii parentibus Indicis in Hispania natum putabunt, *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 114. s. 2. p. 427.*) & candidis pilis tetus tectus fuit, ideoque *Barbet* à Gallis dictus. Hoc nomine vocant villosum canem Flandri *Walterhund.* Puerum villosum, quod matri gravidæ imago Johannis Baptistæ vestibus hirsutis induti insperatò obvenerat, notavit *Petr. Porell.* (*Cent. 1. obs. med. Phys. 58. p. 59.*) Hispanum deprehendit pilis refertissimum in omni corporis parte, prætequam in facie, & manuum parte, & Vestalem pilosam *Reald. Columb.* (*l. 3. de re Anatom. c. 2. p. 470.*) *In Typographo Martino den Schlaper* totum pectus & abdomen hispidum, imò & dorsum, præcipuè brachiorum superiora, nec tamen isti pili præsertim in dorso ad inferiora vergebant, ut solenne aliàs sed nitebantur omnes versus superiora in humeris, qua brachia exerebant, tam hirsuta omnia, ut penè ursi alicujus armos se videre existimaret, in cruribus verò vix pilorum vestigium animadvertit *O. Borrich. ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Epist. 97. p. 428.*)

§. 51.

Non miraberis Satyros, si expendas quemque nostrum, si nudus in locis absconditis, lucis aut cryptis terræ degat & ad longum temporis spatium delitescat villositate Satyrum posse evadere. Extat Exemplum *de Joh. Leodiensi à Kenelmo Digby* (*tr. de Nat. corp. c. 27. n. 7. p. 315.*) communicatum. Hic cum puerulus esset infestatis bello Leodiensibus, cum parentibus & aliis latebras quæsiturus sylvis ingenti Ardennæ saltui confinibus se commisit. Latebant illic aliquandiu, nec per exploratores certiores facti essent, milites quoque adeò timebant, incenso pago abiisse. Quo audito ad suas quisque domos rediere, hunc puerulum, cujus phantasiam, cum esset natura admodum meticulosus, terroris imagines tàm altè insederant, ut primò celerius quam cœteri in pagum penetraverit, deinde putaverit quemlibet per dumeta apparentem esse militem, vocem omnem quam audivit militis cujuspiam vocem esse. Hinc factum est, ut se à parentibus anxiè eum perquirentibus, nomenque illius, quanto potuerunt, cum clamore ingeminantibus absconderit: qui cum inasso labore unum alterumque diem quærendo insumsissent, domum tandem rediere; ipse annos plurimos in Sylvis transegit, radicibus, pomis Sylvestribus glandibusque victitans. In hoc statu permanebat, donec ingruente insueti rigoris & asperitatis hyeme, inqua plurimæ sylvæ istius feræ cibi inoxia peribant, tandem illi audaciam dedit necessitas, ut relictis interioribus

Sylvæ penetralibus inclinante jam vesperam dia furtim se pecudum gregibus, dum pabularentur, adjungere, porcorum præcipuè, inter quos, quod miserabilis vitæ sustentationi utcunque sufficeret, colligebat. Detectus tandem & visus insuetæ formæ animal videbatur (nudus penitus, nisi quod pilis ferè operiretur) rati se Satyrum vidisse, aut monstrum aliquod, tentis laqueis incautus irretiebatur. Et tunc quidem licet loqui penitus dedidicisset, humanam in eo naturam statim agnoscebant. In nemoribus ad Lithuaniæ & Russiæ confinia sitis à venantibus Sylvicolis captus fuit inter gregem ursorum juvenis sylvaticus, decem circiter annos natus, aspectu horridus & pilis hirsutus, qui neque rationis, neque loquelæ, imo neque vocis humanæ usu gaudebat: pedibus & manibus instar quadrupedis incedebat: nihil cum homine commune habebat præter externam nudi corporis figuram. Cum autem vultu saltem hominem imitaretur lavacri fonte fuit initiatus, & à brutorum grege semotus, humanæ societatis ipsum primò tædere videbatur; inquietus enim, anxius & ad fugam propensus erat, quasi in carcere seipsum detineri crediderit: Donec levatis contra murum manibus pedibus tandem stare, uti infantes vel catuli solent edoctus, & dapibus humanis paulatim asuefactus, post longum tempus cicuratur, & verba quædam rauca & inhumana voce proferre incepit. Interrogatus autem de Sylvestris vitæ cursu non magis recordatus erat, quam nos meminimus eorum, quæ acta sunt, quando in cunis vagivimus. Recitat hæc *Bernhard. Connor.(Evang. Med. Artic. 15. p. 133. & p. 1. descr. Vet. & Nov. Polon. Epist. 6. p. 389.) Regis Poloniæ, Joh. Sobiesci t. t. Archiater* αὐτόπτης testis. Homines agrestes, commentatur *Fr. Glissonius (c. l. c. 8. n. 7. p. 51.)* multi ferarum more degentes, quod frigori & inclementis aëris continuo exponantur, tractu temporis pilis investiuntur. Ratio est, quia transpiratio impedita calorem internum auget, qui materiam adustam(vel aliam, generationi pilorum aptam undique ad cutem propellit. Cutis verò externo frigore densata hanc materiam facilè retinet, quæ sic retenta in pilos formatur, aut verius lanuginis radicibus in nutrimentum cedit, ut augeatur præter solitum in pilos. Addo & hoc naturam de operimentis corporis nudi pro tutela adversus aëris incommoditas hic non levem insumere operam.

§. 52.

Mentem subit *Nabuchodonosoris* fatum & Metamorphosis, qui Monarcha Orbis, qui Monarcha Mundi Melancholia correptus (*Vid. Franc. Valles. Sacr. Philos. c. 80. p. 462.) Valent. Henric. Vogler.(Comment. de Reb. Natur. & Med. in S.S. p. 204.)* & ex hominibus abjectus, fœnum uti bos comedit, & rore cœli corpus

ejus

ejus infectum est, donec pili ejus in similitudinem Aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi ungues avium. *(Daniel. 4. v. 20.)* Ita domestica animalia, præsertim quæ hyeme stragulis cooperiuntur, curtis pilis ornantur, quæ verò foris in agris ac sylvis victum quæritant, longo ac denso pellicio investiuntur, iterum tradit, *Gliſſon. (c. l. n. 26. p. 54.)* De *Nabuchodonosore* si regeras, quod ille vixerit in Babilonia, Provincia ut vocatur *Aristoteli (l. 3. Polit. c. 2.)* h. e. regione calida, Americanos & Africanos nudi incedentes pilosos non deprehendi. Respondet quidem *Vogler. (c. l. p. 205.)* Et in illis Regionibus sunt anni vicissitudines, & quo calidiores dies fuerint, eò frigidiores quoque plerumque solent esse noctes. Sed hoc omnem dubitationem non exhaurit. Cum ex decreto divino adeoque θεήλατος morbus contigerit, Θεῖον illud hic potius allegandum.

§. 53.

Hic mihi inferendum videtur, *pergit philosophari Glisson. (c. l.)* si homo ab infantia inclementiæ frigidi cœli objiceretur, pilosum eum evasurum esse: cumque parentes generant filios sibi similes, illa dispositio cutis parentum ad pilos protrudendos cuti prolis non minus communicaretur. Quo dato, causa cur homines nudi nascantur? fuerit, quod eorum parentes vestibus amicti perpetuum vixissent. Hinc enim forsan parentum cutis mollior, & ad pilos superficiales proferendos inepta reddita fuerat. Quare consimilis etiam mollities, laxitas & ineptitudo in cutem prolis derivatur, adeoque fœtus humanus nudus in orbem prodit. Memoriæ obversatur *Felicis Plateri (l. 3. obs. Med. p. 554.)* observatio *Glisonii* effato claram fœnerans lucem: Erat Lutetiæ vir quidam ob raram pilositatem totius corporis *Regi (Galliæ) Henrico II.* percharus, & in illius aula versatus prolixis admodum pilis totum corpus, faciemque omninò, si exiguam regionem sub oculis excipias, obsitam habens, superciliis & crinibus in fronte adeò longis, ut eos sursum, ne visum impedirent, premere cogeretur. Hic uxore ducta glabra, & aliis mulieribus simili liberos cum ea procreavit hirsutos quoq;, qui Duci Parmensi in Flandriam missi fuerant, quos in Italiam unâ cum matre masculum novem & foeminam septem annorum transportandos hic Basileæ vidi Anno 1583. & depingendos curavi. Erant facie hirsuta magis masculus, minus paulò puella, cujus tota regio secundum spinæ dorsi longitudinem prolixis admodum pilis erat hispida. Spectat huc *Caramannorum gens,* cujus non ita pridem (§. 50.) mentio facta.

§. 54.

Facit & huc, quod *Glisson. (c. l.) annotat illi Johanni Leodiensi* pilis superficialibus horrido corpore vestibus induto eosdem magna ex parte excidisse.

Idem *Nabuchdonosori* contigiſſe non vana ſuſpicione teneor. Ita & plantæ hirſutis foliis inviſæ loci varietate hirſutiem deponunt. Cichorium dulce (annotat *Fab. Columna Lynceus in annot. & add. in Nard. Anton. Recchii l. 5. Rer. Med. nov. Hiſpan. c. 47. p. 877.*) in montano natali loco & frigido hirſutum eſt admodum translatum & cultum, Neapoli autem hirſutiem depoſuit, ſic etiam in Sanguiſorba & aliis obſervatur, & maritima Braſſica oleracea. Hoc uno medio alias ſumſiſſe facies plurimas herbas, & inde, diſcrimen emerſiſſe inter herbas ſylveſtres & hortenſes firmiter perſuaſus ſum. Nimiam præterea in pueris inveſtibus capillorum culturam & curam ſubſequis annis calvitiem inducere *Sim. Pauli* (*p. 2. Quadrip. Boton. p. 71 ſq.*) monuit, haud ſecus, ut nimia cultura plantas, *teſte Theophraſto Ereſio*, (*l. 1. de Cauſ. Plant. c. 18. p. 44.*) effœminat & corrumpit.

§. 55.

Patiuntur interdum etiam quædam corporis partes pilorum defluvium; ut ſunt coxæ & tibiæ cum ſine interpoſitione longo tempore ſuis veſtimentis opertæ permanent, ut cuidam *ex Cardinalis Turonii* comitatu accidiſſe vidit *Guilh. Rondelet.* (*l. 1. Meth. Cur. Morb. c. 1. p. 5.*) qui cum pluribus diebus caligas non exuiſſet, tandem ubi voluit deponere, ſimul cum illis pilos illarum partium evulſit citra morbum. Hoc autem accidiſſe credidit *Rondelet.* propter fuliginoſæ ſubſtantiæ retentionem, unde putredinem quandam conceperat; Ego verò attritionem factam cum aliis cauſis mallem in medium produxiſſet.

§. 56.

Barba decet virile mentum. Citiberbes tamen etiam invenias. Ætate *Conſtantini Imp.* Anno 308, puer recens natus *Antiochiæ* barbatus, urbi ingentes imperii mutationes, & ſubſecuta bella domeſtica portendens. Vid. *Ulyſſ. Aldrovand.* (*Hiſt. Monſtr. p. 446.*) Apud *Daphnem* amœnum illud & ambitioſum *Antiochiæ* ſuburbanum *Conſtantii Imperatoris* temporibus infans monſtroſus ore gemino, dentibus cum binis & barba, quatuor oculis, breviſſimis duabus auriculis natus, memoratur *Conr. Lycoſtheni* (*de Prodig. & Oſtent. Chronic. p. 273.*) De alio puero barbato *Spindler.* (*Cent. obſ. Med. 97. p. 172.*) Add. de *M. C.* (*D. 2. A. 4. Append. p. 81.*) Pueto ſexto menſe mentum barba inveſtiebat, pubesque tam denſa pilorum; eorumq; longiſſimorum ſegete videbatur, ut prodigio res proxima eſſet. Ex obſervatione *Gerberonii ap. Nicol. Blegny*, (*Zodiac. Gallic. A. 2. M. Octobr. obſ. 9. p. 209.*) Puerum tertio anno barbatum deſcripſit (*M. C. D. 2. A. 4. obſ. 163. p. 318.*) *Jac. Dobrozensky de Nigroponte.* Puer qui-

quidam non procul à monte in *Jura vulgò S. Claude*, sexto ætatis mense solus incedebat, vix annum integrum assecutus, quocunq; vellet progrediebatur, nec fascias, quibus infantes volvuntur, ferre poterat, anno septimo virili erat habitu ac barbatulus. Vid. *Joh. Bapt. du Hamel* (*l. 4. Reg. Scient. Acad. Hist. s. 6. c. 6. n. 10. p. 377.*) De puello vix sexenni bene barbato *Alex. de Insula* (*Breviar. obs. edit à Paulino & M. C. D. 2. A. 4. Append. insert. obs. 32. p. 203.*)

§. 57.

Ratione sexus, *ait Casp. Hoffmann.* (*l. de Part. Simil. Corp. Hum. c. 19. p. 121.*) differentia ferè solet esse, quod mulieres non barbescunt. Cujus rei causam invenire non possum, quam providentiam Creatoris, quicquid dicant Alii. Quod autem quædam barbescant, monstro simile. Est *mons Climax Æthiopiæ* secus rubrum mare, quo fœminæ prolixis barbis degunt. (*Henr. Kornman. de Mirac. Viv. p. 94.*) Georgianorum fœminæ barbatæ. (*Lambert. Danæus, de Hæres. c. 97. p. 593.*) *Phaëtusæ Pythei & Namysiæ Gorgippi Conjugis* barbatarum historiam recensuit *Hippocrat.* (*6. Epidem s. 8. n. 55. & 56. p. 297.*) In quem locum vide Commentatores v. g. *Galen.* (*p. m. 297.*) *Fr. Valles.* (*col. 734. Anat. Fœsium p. 301.*) Conf. *Avicenn.* (*l. 3. Fen. 21. tr. 3. c. 26. f. m. 393.*) Viduæ Græcæ *Alex. Benedict.* (*l. 26. de Cur. Morb. c. 4. p. m. 1002.*) Vestalis *Reald. Columb.* (*l. 15. de re Anat. c. 2. p. 422.*) *Barbaræ Ursinæ* Augustanæ *Georg. Phil. Harsdörffer.* (*Lehrgeschicht hist. 68.*) Puellam trium annorum formosam & pulchram cum barba magna, cui totum corpus nimis hirsutum erat, tuitus est *Zacut. Lusitan.* (*l. 3. Prax. Med. admir. obs. 95. p. 118.*) Plura Exempla desiderantes evolvant *Tob. Magir.* (*Polymnenon. f. 348.*) *Joh. B. Portam.* (*l. 2. Physiognom. c. 24. p. 261.*) *Zacut. Lusitan.* (*l. 3. Hist. Med. Princip. Prax. qu. 16. p. 467.*) *Casp. Schott.* (*l. 3. Phys. Curios. c. 32. p. 482. sq.*) *Joh. Riolan.* (*obs. Anat. rar. Anthropol. annex. p. 871.*) *Joh. Rhod.* (*O. 3. obs. 45. p. 133.*) *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. Anat. 42. p. 68.*) *O. Borrich.* (*ap. Eund. Cent. 4. Epist. 42. p. 514.*) *D. Sam. Ledel.* (*M. C. Dec. 2. A. 5. obs. 48. p. 91.*) *Carol. Rayger.* (*in Spindler. obs. Med. 97. p. 173.*)

§. 58.

Sunt qui tradunt utriusque sexus participationem habere Numina *testatur Servius* (*in l. Virgil. 12. Æneid. p. m. 296.*) nam ut ait *ap. Calvum Acterian.* legendum

Pollentemque DEUM Venerem

Ita & *Virgil.*

Nec dextræ errati DEUS abfuit.

quum aut *Juno* fuerit, aut *Alecto*. Est autem, *pergit*, in Cypro barbatæ Veneris

neris simulacrum, veste muliebri cum sceptro ac statura viri, ut putant eandem marem & fœminam esse *referente Macrobio* (*l. 3. Saturnal. c. 8. p. 333.*) Venerem igitur almum adorans, sive fœmina s. mas est, ita ut alma noctiluca est. *Philochorus* quoq;, *addit*(*c. l. p. 334.*) *Macrob.* in *Atthide* eandem affirmat esse *Lunam*, & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas æstimatur & fœmina. An κακοζηλία astuti Dæmonis hic subsit, dum DEUM nostrum, qui se modo sub patris modo sub matris Schemate & nomine, amorisque constantiam nobis pollicetur sacris DEI viris expendendum relinquo. Quod *Aristophani* ἀφρόδιτος vocatur, & hoc ad Græcorum imitationem, qui ὁ θεὸς καὶ ἡ θεὸς dicunt, sicut ὁ ἄνθρωπος καὶ ἡ ἄνθρωπος. *Minervæ* bis grandem barbam natam *supra* (§. 23.) proditum.

§. 59.

In aliis partibus glabris etiam pilorum germina oriuntur. De Capillis in fronte modo(§. 53.) Exemplum recensitum, aliud communicat iterum *Fel. Plater.* (*l. 3. obs. med. p. 555.*) Add. *Excell. nostrum Rosin. Lentil. p. 1. Miscell. Med. Pract. p. 198.*) Quamvis vitium sit in palpebris χάλασις, quia inversis Ciliis pili intro vergunt, & oculos pungunt, de quo affectu *Aëtius* (*tetrabibl. 2. serm. 3. p. m. 66.*) id tamen huc non spectat, cum pili non sint in oculis. Vidit tamen in Eruca fructus Arboris Susack oculos pilosos *Maria Sybill. Meriana* (*Metam. Insect. Surinam. fig. & p. 3.*) *Homero* dicuntur *ex Heliodoro* (*l. 3. Hist. Æthiop.*) *ap. Paul. Zacch.* (*l. 1. quæst. Med. Legal. 6. n. 8. p. 17.*) postridiè ab ortu pili in inguinibus nati, ex quo casu cognominatus sit *Homerus*, cum anteâ *Melesius* vocaretur, quod ad *Melitam Smyrnæ fluvium* natus. Pilos albos in adolescentis pene sterilitatis indices observavit *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. Phys. med. 11. p. 19.*) & mentulam in puero ab ortu hirsutam (*c. l. obs. 58. p. 59.*)

§. 60.

Quod quod in partibus internis, visceribus & Apostematibus pili nascantur aliquando. De plica subcutanea infra (§.) in portione musculi glutini bovis folliculum profundè carni immersum invenit miles, in quo crines rubri variè impliciti latebant, quod recitat *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hist. anat. 100. p. 166.*) Trictriasi seu malo pilari mammarum varia compilavit (*l. 2. obs. med. p. 305.*) *Joh. Schenck. E partu nasci Plin.* (*l. 26. c. 10.*) quorum etiam meminit & remedium apposuit (*l. 32. c. 10.*) Poterit & de his evolvi *Marcell. Malpighius* (*T. 2. op. tr. de Ren. Struct. c. 6. p. 289.*) in Steatomate mulieris *Stephan. Blancard.* (*Anat. Practic. Cent. 2. obs. 26. p. 239.*) In Apostematibus & glandulis asciticiis exulceratis non semel inventos, quos à Magia inductos vulgus firmi-

ter credit, recordor. Pilos in abſceſſibus, in partibus corporis noſtri internis, externis omnibus juxta teſtimonia veterum ſcriptorum conſtat, non enim referam ullos homines, qui noti ſunt, & aluntur *ap. Sereniſſimum Ducem Parmenſem*, prodit *Marc. Anton. Ulmus.* (*ſ.3. Phyſiol. Barb. hum. p. 257.*) & *addit*: Ad hæc pilos Magia naturalis beneficio generari, non generari, eorundem generationem accelerari & retardari uno ſubſidio Magico-Phyſico, quod evocat ſuis ex principiis barbam quoque in fœminis noſtris, ut enim generis noſtri aliquæ fœminæ obtineant barbam omnibus numeris æquipollentem barbæ virili, eandem prorſus juxta omnes differentias accidentales: atque id ſeſe interno unum ſolo principio, attamen barbam poſſunt habere mulieres ex auxiliaribus atque externis præſidiis. *Hæc Ulmus.*

§. 61.

Pilos in lingua natos, qui evulſi renaſcebantur, recenſuit *Amat. Luſitan.* (*Cent. 6. Cur. 65. p. 263.*) & *ex Eo Marcell. Donat.* (*l. 6. hiſt. med. mirab. c. 2. p. 615.*) Muſculum piſcem pilos in ore intus habere vice dentium, quibus omninò caret, ſuillis ſimiles, *Ariſtotel.* (*l. 3. hiſt. anim. c. 12.*) *autor. eſt.* De pilis in aurium & narium anfractibus genitis nemo ambigit. Pilos in ventriculo generari non impoſſibile videbatur *Dan. Sennerto.* (*l. 3. Med. Pract. p. 1. ſ. 1. c. 15. p. 61.*) Interim vomitus piloſus in Epilepſia ſuſpicionem faſcini movit (*M. C. D. 2. A. 9. obſ. 178. p. 344.*) *Roſino noſtro Lentilio.*

§. 62.

Cor hirſutum in quibusdam poſt fata apertis apparuiſſe ex antiquis *Plin.* (*l. 11. c. 37.*) *Plutarch.* (*Pararell. n. 7. f. 174. a.*) *Valer. Maxim.* (*l. 1. Memorab. c. 8.*) E Medicis *Amat. Luſit.* (*c. l.*) *Anton. Beniven.* (*de abd. morb. cauſ. c. 83. p. 227.*) *Joh. Schenck.* (*l. 2. obſ. med. p. 269.*) In nobili Polono ſe Patavii anno 1650. tale deprehendiſſe *Joh. Scultet.* (Trichiaſ. admir. p. 80.) fidem fecit. E Philologis & quidem *Suida* & *Philoſtrato Cœl. Rhodigin.* (*l. 4. lect. antiqu. c. 16. col. 203.*) *Anton. Muret.* (*l. 10. var. lect. c. 10. p. 321.*) *Nonnus* (*l. 26. Dionyſ. v. 91.*) Sabæis hirſuta pectora

Τοῖσιν ἐνὶ κραδίῃ λάσιαι τρίχες

tribuit, animi confidentiæ inſigne. Riſu has hiſtorias excepit & tanquam leſchas rejecit *Baſſian. Landus* (*l. 2. Anat. corp. hum. c. 4. p. 158.*) & *cum Euſtatio Homeri interprete ap. Homer.* (*Iliad. π. v. 554.*) κῆρ λάσιον non hiſpidum & pilis denſum, ſed prudens interpretatur. Add. *Læl. Biſciol.* (*Tr. Horar. ſub. ſeeiv, l. 10. c. 11. col. 761.*) Rideat, per me licet, videat interim, ne & ipſe derideatur *ab aliis* tam diu, donec in cadavere cor prudens demonſtraverit. Demus

mus id *Lando* ap. Græcos, λάσιον κῆρ, prudens cor designari, prout etiam *ap. Homer. (c. l.)* id *interpretes* vertunt, nunquam tamen obtinebit, id semper contingere, ὄϊς λάσιος μέγας *ap. Eundem (Iliad. 10. v. 127.)* ovis prudens magna interpretandum esse, sed ovis lanigera magna, quovis pignore decernam. Leonem etiam λάσιον καὶ φοβερώτερον appellavit (Epist. 25.) *Philostratus.* Quid ad Latinorum testimonia respondebit v. g. *Plinii*, *Valerii Maximi*, comprimis verò *Anton. Benivenii*, *Mureti* & *Sculteti*, qui Corda hirsuta propriis usurparunt oculis? Ex hirto pectore s. Thorace multis pilis obsito audacem animum colligunt nostri, inde tritum: *Er hat Haare auf den Herzen, er ist des. T.* ubi distinctio mihi adhibenda videtur. Duri nigri & rubri pili audaciam; albi, flavi, brunni & molles in Venerem propensiorem innuere, mihi non semel compertum. Λάσιον κῆρ iterum *ap. Homer. (Iliad. β. v. 852.)* quod quidam prudens Cor, densum verò Cor, exposuit *Oberti Giphanii* editio, cum *Aristomenis Messenii* Corde piloso composuit, & audaciæ signum exposuit *Joh. Gerop. Becan. (l. 9. Orig. Antwerp. s. in Venet. & Hyperbor. p. 956.)* qui videatur. De fatuo scripsit *Plato (Alcib. 1. f. m. 14. b.)* ex quo recitat *Casp. Bauhin. (l. 2. Theatr. Anat. c. 21. p. 223.)* ἀνδραποδώδεις ἔχων ἐπὶ τῆς ψυχῆς τρίχας, ob rusticam imperitiam, ut rectè interpretatur *Marsil. Ficin.* Pilos *in illustris Matronæ Catharinæ Dani l' Owicowæ* sanguine testimonio *Joh. Sculteti (c. l. p. 52.)* offendit *exercitatissimus Cracoviensis Mathematicus & Medicus Slovacius*, qui idem in Plica defunctis animadverti *(p. 53.)* notavit.

§. 63.

Subtilissimus & Curiosissimus Medicus ac Mathematicus Ambros. Rhodius Nobilissimo nostro D. Christian. Fr. Paulini (V. Ejusd. obs. Med. Phys. in App. M. C. D. 2. A. 5. obs. 82. p. 53. & Cent. 1. obs. med. phys. 24. p. 35.) fassus est, se *in Laplandia* vidisse puellam lepidam & venustam cujus vulva intus hirsuta: In viduæ Bernensis utero pilos genitos animadvertit iterum *(c. l. p. 85.) Joh. Scultet.* Gemellum consignavit *Steph. Blancard. (Anat. Pract. Cent. 2. obs. 26. p. 348.)* De quadam in cujus medio utero crines (ac veluti lana flavescens & adiposa materia involuta) reperta fuerunt. Ita *Casp. Bauhin. (l. 1. Theatr. Anat. c. 35. p. 114.)* Pilos conspexit numerosos in dextro muliebri testiculo, ovi anserini magnitudine prominente concrescentes, ut *Laudatus Blancard.* etiam in mulieris Hydropicæ ovario s. testiculo dextro ad anserini ovi magnitudinem adaucto, pilos confusè in globum actos, & materiæ cuidam purulentæ & oleaginosæ commixtos. *(c. l. obs. 27. p. 240.)*

§. 64.

§. 64.

De pilis in Renibus & testiculo *Joh. Rhod. (Cent. 3. obs. 44. p. 14.)* De capillis flavis per urinam ejectis, *Hieron. Cardan. (Comm. in. s. 4. Aph. Hippocr. 76.)* & *Guilh. Fabr. Hildan. (apud Gregor. Horst. s. 5. Epistol. Med. p. m. 397.)* flavos, rufos, longitudine medii digiti comitissa quædam Ungariæ *testimonio Dav. Spilenbergeri (M. C. D. 1. A. 9. & 10. obs. 12. p. 50.)* Quid sint in urina σαρκία ἢ ὥσπερ τρίχες *ap. Hippocr. (s. 4. aph. 76.)* Vid *Galen. Anton. Mus. Brassavolam., Hier. Cardan. Joh. Heurn. Joh. Viscer. Theophr. Paracels. (Comment. in h. l.) Joh. Fernel. (l. 3. Patholig. c. 16. p. 232.) Henric. Martin. (Anat. Urin. Spagyr. c. 10. p. 216.)* cum *Aliis*. Hoc saltem addo, quod *Th. Bartholin. (Cent. 4. Epist. 87. p. 501.)* censeat portionem ἢ, delendam, quin & ipse *Hippocr. (l. de Nat. puer.)* sine disjunctione σαρκία μικρὰ τριχώδεα junxit. Cum olim *in Aphorismos Hipp.* privato studio in gratiam commilitonum prælectiones in Illustri ad Plissam instituerem, filamenta ista putredinem animatam interpretabar, vermiculis in aceto conformem. Setarum ideò capillamenta in vesica inveniri *Plin. (l. 10. c. 37.)* edixit. Narratum fuit Biterris *Laur. Jouberto (l. de urin. c. 20. p. m. 22.)* Rusticum quendam crassiora ejusmodi filamenta circiter 25. intra paucos dies minxisse, quorum nonnulla palmi longitudinem æquabant, ac vermes à Spectatoribus judicabantur. Plura de Trichiasi Renum *Zacut. Lusitan. (l. 2. de Med. Princ. histor. 134. 135. p. 418.) Gregor. Horst. (c. l. p. 391.) Joh. Scultet. (c. l. p. 54.) Marcell. Malpigh. (T. 2. op. de Ren. struct. c. 6. p. 288.)* Pilos cum excrementis per alvum egessit, *teste Cardano (c. l.)* nobilis Hispanus, quod & puero contigisse ex observatione *Joh. Echtii Reiner. Solenander (s. 5. Consil. Med. 15. obs. 3. p. 488.)* recitat.

§. 65.

Et hæc de historiis mirabilibus & singularibus pilos in internis partibus visos & repertos concernentes. Quis verò causas generationis & ortus horum è curiosis eruet, dictabitque. Veros non fuisse crines, multi autumant. Pilorum horum, (de uterinis loquitur *Stephan. Blancard. c. l. p. 239.)* generatio, quibusdam admodum obscura videbitur, præsertim illis, qui omnia occulta ad occultas qualitates (fascinationes) dirigunt. Certè res quamvis explicatu ardua, hoc tamen dicam, pilos hos nihil aliud fuisse, quam vascula minima obstructa, quæ variè sibi invicem torta, atque à functione desistentia pilorum speciem præbuerunt. Novimus venam & arterias umbilicales concrescere & ligamenti phasin acquirere; ita hæc minuscula vascula non ligamentorum, sed ob tenuitatem pilorum genus referre. Pili enim revera non sunt; sed vascula

alicujus glandulæ contorta. Ego verò quid inter capillitium, & prædictos pilos, cum unicuique discernere in propatulo sit, miror *Blancardum* oculatiorem non fuisse. Pilare malum in mammis non pilos esse, non absque causa sontica multos dubitatio mecum subit *Andr. Vesalio*, (*l.5. de Corp. Hum.* F*abr. c.18.p. 488.*) In mammis, renibus, urinariisque meatibus quid pili simile gigni posse non omni ex parte absonum videtur, & *Alex. Benedict.* (*l.3. Hist. de Part. Corp. Hum. c. 4.p. 1214.*) id pro impossibili non habet cum *ex Galeni* mente in abscessibus ob varias humorum qualitates materiam in calculum, arenam, ligna, carbones, amurcam, fecem, setas porcinas, in aliasque istiusmodi formas converti constet. Rectius sentiunt, qui materiam tenacem piliformem aut *cum Dan. Sennerto*(*l.4. Med. Pract.p.3.s.1.c. 10. p.526.*) vermiculos dorsulibus conformes asserunt. Fecerat id & *Guilh. Rondelet. Hier. Cardani*(*l.8. de Var. Rer. c. 44. p. 572.*) *testimonio*. Lactis fibras mulieres credulas pro pilis agnovisse *Rod. à Castro* (*l.4. de Morb. Mul. c. 26.p. 514.*) conjectura est.

§. 66.

Qui veros pilos in partibus internis agnoscunt & asserunt, ad causam generalem, matris gravidæ imaginationem confugiunt. Ita puellæ vulvam intus hirsutam à phantasia matris deduxit *noster Amicus & Collega D.D. Christ. Fr. Paulini* (*c. l.*) quæ fortè crebrius contrectarat membrum mariti, pilis valdè luxurians, & dormiens digitum intruserat in sua genitalia. Assumta *Alii* huc referunt. Ita ex cibis crassioribus & mucosioribus v. g. orobo & faba quin & caseo (quem maximè huc facere probat. *Zacut. Lus.* (*l.2. Med. Princ. Hist.134. p. 418.*) Urinæ pilos, s. Capillitium profitetur *Galen.* (*Com. in 4. Aphor. Hippocr. 76.*) gigni ex crassa lentaque materia, quam calor fecit, exsiccarique; quemadmodum in quibusdam locis Arabiæ ferunt in tibiis nasci δρακόντια (sic enim vocant) nervosas partes, lumbricis & colore & crassitudine similia, *Rabbi Moyses* (*s.23. Aphor. 7.p. 475.*) prodidit.

§. 67.

Sed cum inimici sint pili, ad alia propero. Ab *Aristotele* (*l.7. Hist. Animal. c. 11.*) relatum accepimus: ubera fungosa ita sunt, ut si in poculo pilum fortè hauserit mulier, dolor moveatur in mammis, quod malum pilare appellant; nec sedatur, donec pilus vel pressus exeat spontè, vel cum lactè exsugatur. Accedit *Philosophus Alsaravius* (*Tr. 14. Pract. c. 2.*) seque testem sistit pilum è mammis fuisse excretum. Adde huic *Petri Foresti Romæ Præceptorem Gisbertum Horstium* (*ap. Forest. l.17. obs. Med. 21. p. 126.*) Risum tamen movit plurimis cum Philosophis, tum Medicis, bonum Philosophum Aristotelem ab anu

qua-

quapiam persuasum *Andr. Vesal.* (*c. l.*) pronunciabat. Aures dabit (*l. 2. obs. Med. p. 305.*) *Joh. Schenck.* Neque difficilè fuit, *censuit* (*c. l.*) *Rod. à Castro Aristotelem* ab aliqua mulicularum, quæ id perperam retulit, circumventum esse, subindeque viros doctos rei specie, & viri autoritate ludificatos in eandem credulitatem incidisse. Interim pilos deglutitos, cum à fermento ventriculi non subigantur, etiam in canibus, qui ossa durissima in succum & sanguinem vertunt, crines tamen absque mutatione cum excrementis ejiciunt, ad mammas cum Chylo ferri impossibile non videbitur illi, qui legerit, quæ *alibi* (*M. C. Dec. 2. A. 10. obs. 185. p. 369.*) in hanc rem disserui. Ad. & *J. B. Helmont.* (*Tr. de Inject. Mater. n. 7. p. 476.*)

§. 68.

In brutorum ventriculis & intestinis pilorum globulos aliquando reperias, quod contingit dum pilos cutis lambunt lambendoque conglomerant & deglutiunt. De bovillo lege sis apud *Steph. Blancard.* (*Cent. 1. obs. 27. p. 49.*) De alio, & vitulinis *Joh. Wier.* (*l. 3. de Præstig. Dæm. c. 15. p. 431.*) Evolv. pariter *Ool. Curios. General.* (*Diss. 2. §. 7. p. 60. & infra l. 3. Tit. 3. §. 90. & sq.*) *Georg. de Sepibus* (*Mus. Colleg. Roman. S. J. p. 2. c. 6. p. 35.*) Talem globum etiam in hominis ventriculo repertum *Steph. Blancard.* (*c. l.*) lustravit.

§. 69.

Si glandulæ pilorum locus natalis, quomodo in cordis superficie, lingua, vesica & aliis partibus internis radices agent? Duplicem hic comminiscitur capillitii productionem *Gregor. Horst.* (*c. l. p. 387.*) æquivocam & univocam; hac secundum naturam; illa præter naturam emergunt; hac intentione prima; illa secundaria, ob necessitatem materiæ convenientis, qua data etiam in abscessibus & læsis partibus nostris otiosa non est, quod generatione puris & aliorum contentorum p. n. cum mille artifex sit calor, noster evincere conatur. Sed hæc fundamenta curiosa deprehendes, si secundum *supra* (*§. 38.*) & *alibi* (*Oolog. Curios. Gen. Diss. 2. n. 76. p. 110.*) dicta, ut omnia, imprimis etiam vegetabilia, ita & pilos è suo semine & radice progerminare æqua judicii lance trutines, eaque à primo ortu, inque semine invisibiliter primum, tum visibiliter in utero perfectis partibus interioribus cum cute emergunt, & non ex cute, quod quidem *Philosopho* (*l. 2. de Generat. Animal. c. 4.*) placuit. Spectant huc, quæ de plumarum ortu *ex Gu. Harveo* (*de Generat. Animal. Exerc. 56. p. m. 236.*) *supra* (§. 38.) retuli. Sicubi igitur in partibus internis fœtus radices pilorum præter solitum etiam in utero imprimantur, pili succrescent, quamvis in iisdem locis nullæ suppetant hujusmodi glandulæ, quales in cute. Sub cute

(F) 3 nam-

namque pone aurem plicam productam *D. Mart. Gerbez.* (*M. C. D. 2. A. 8. obſ. 71. p. 183.*) notavit, & recordor aliquando *ad Illuſtrem Generoſiſſimum Dn. Wolffgang. Dieteric. ab Erdmansdorff Regium & Electoralem ſupremum Aulæ Venatorem*, ſ. ut vocant *Magiſtrum*, *Patronum meum gratioſiſſimum, quem in debitæ venerationis cauſa nomino*, particulam corii in caprea circa aſperam arteriam crinibus hiſpidi intra cutem & càrnem inventam, crinibus carnem verſus ſpectantibus inventam & delatam, quod phænomenon à circumſtante Venatorum turba parum æſtimabatur. Et hujusmodi cauſam agnoſcunt omnes abſceſſus pili condi; comprimis ſi in locis piloſis in capite, pone aures, in collo, ſub axillis & in inguine oriantur, è quibus ſæpius lapides, cortices, ut videbantur ovorum & pilos extractos mihi conſpicere licuit. Et ſi in ſanguinis oceano pili natare comperti (*Vid.* §. *64.*) facilè in partes interiores transvehi poterunt. *Greg. Horſt.* (*c. l.*) ſub cute pilos formari admodum apertè ſatis aprugnam carnem teſtari aſſerit, qui ſæpius ex ſubſtantia carnis, quaſi ſetas provenientes, & cutim poſtea tranſeuntes exhibet. In cordis peripheria capillitium, ut oculis abſconditum; ita & rationi, niſi ex datis aliqua lux affulgeat, poterit autem in & ſub adipe ejus glandularum latitare congeries, in quibus bulbulis ſit locus, aut *ſupra* (§. *41.*) prolatæ conjecturæ ſubſcribas pinguedinem & adipem eſſe genuinum pilorum nutrimentum, aut pilorum diſtinctionem datam admittas, difficultatis nubes diſcutietur oppido.

§. 70.

De uteri, ſ. vulvæ crinibus minor eſt difficultas, cum in ejusdem collo glanduloſæ cutis partes extent, & in eadem æquè, ut in naribus & auribus radicare queant. De crinibus vero in abſceſſibus res non ita clara, niſi eos abſorptos aliquando in certo corporis loco, comprimis in & circa glandulas, quo excrementa ſanguinis ſeroſiora deponuntur, eosdem colligi ſtatuas & exulcerationes ciere. Hoc ſi Trichophago illo, de quo *ap. Steph. Blancard.* (*Cent. 6. obſ. 72. p. 301.*) *J. von Düren*, ſi contigiſſet, nemo tanquam ſingulare quid reputaſſet. Memini me (*ap. Cornel. Stalpart. van der Wiel, Cent. 1. obſ. 93. p. 383.*) legiſſe, tales abſceſſus pilicondos in locis glanduloſis, prout (*§. præced.*) dictum à glandulis provenire. Credat qui volet. Plurimi, iisque *è Simpliciſſimi Schola*, abſceſſus illos à Magis, pilorum intruſione facta, concitari credunt, è quorum numero & fuit ille Medicus, qui crines iſtos *Ein Hexen Geſchoß* vocabat. Vid. *M. C.* (*D. 2. A. 8. obſ. 71. p. 183.*) aut à Diabolo ſuppoſitos.

§. 71.

Vides plantas luxuriare ſoli bonitate, ſeminis electi abundantia & aëris con-

congruitate, ut plantæ in frutices, frutices in arbores elongentur & excrescant. Et hoc in pilis & capillis nullo negotio deprehenditur. In toto corpore Satyrorum & Faunorum chorus modo in scenam productus, uberrimam pilorum messem & elongationem oculis offert. *Ctesias ap. Photium (in Monobiblo p. 145.) Indos in Insula Formosa* comam alere longisſimam, ad ipsa usque genua demissam, atque etiam infra cum barba longiore, quam apud ullos hominum retulit. Quæ quidem ubi illis promissior esse cœperit, nulla deinceps veste uti, sed capillos multò infra genua à tergo demissos, barbamque præter pectus ad pedes usque defluentem per totum corpus in orbem constipare & cingere, atque ita pilos ipsis suos vestimenti loco esse. *Hæc Ctesias*, sed qui *Aristoteli* οὐκ ἀξιόπιστος *(l. 8. Hist. Animal. c. 28)* & mendacii convincitur ab Eodem *(l. 2. de Gener. Animal. c. 2.)*. Ad alia igitur me confero. In viri corpore unam & sesqui spithamam longos crines observavit *Steph. Blancard. (Cent. 5. obs. 99. p. 215.) Sacchius Cisalpinus* ab inimico captus & in loco subterraneo 19. annos servatus, pauxillo pane & aqua nutritus, nunquam vestem aut exuens aut mutans, post mortem inimici inventus apparuit lacera prorsus veste, barba usque ad genua, capillis ultra humeros protensis, sylvestris hirsutique hominis figuram præ se tulit. Vid *Sim. Majol. (Dier. Canic. Colloqu. 4. p. 151.)* Sed hæc pilorum succretio non tam nutrimenti copiæ, quam squalori aërique viscido & mucido ascribenda. In Superciliis providè constituendis summi opificis miratur & prædicat sapientiam *Galen. (l. 11. de U. P. c. 14.)* quod non excrescant, & semper æqualem servent magnitudinem, Supercilia velut imbricamentum quoddam humoribus, qui capite emanent, oculis parata compluribus senescentibus adeò crescere, ut tondenda sint, observavit *(l. 2. de Part. Animal. c. 15.) Aristoteles*. Superciliis etiam quidam Gallus erat adeò prolixis & luxuriantibus ut visum impedirent, nisi ea premeret, quod ex relatione *supra (§. 53.)* præstita patescit.

§. 72.

Ut barbatorum exempla modo *(§. 57.)* suppeditavi. Ita eximiè barbatorum innumerus restaret numerus, si ea quidem colligere porrò animi ferret lubentia. Cynicis summa cura fuit barbam alere, idque Antisthenem primum fecisse *Suidas (Hist. col. m. 469.) autor est*. Dimissam comam personato Philosopho non indecentem, Cynico penè necessariam varii observarunt, quos *Martin. Rader. (in l. 4. Epigr. Martial. 53. p. 33.)* citat. Conjunxit eos canes morsurus *Martialis (l. 4. Epigr. 53.)*

Cum

Cum baculo peraque senem: cui cana putrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.

Socratem & *Platonem* philosophicæ multitudinis, & densitatis barbas aluisse constat. Inde *Prudent.* (*Apotheos. v. 197.*)

Consule barbati deliramenta Platonis
Consule & hircosos Cynicos.

Talis & *Epicrates Orator*, quam σακέσφερον *Athenienses* scommatibus nobiles appellarunt, quod Clypei loco promissam gereret barbam, pusillus alioquin homuncio. *Vid. Hadr. Jun.* (*c. l. c. 2. p. 339.*) *Antiocheni, teste Socrate* (*l. 6. Hist. Eccles. Trip. c. 40. p. 468.*) de barba promissa valdè *Juliani Imperatoris* facetias proferebant: Tondatur ut ad funes proficiat Ejus barba. In *Patre Abearo Semedo* barba ad pedes protensa baltheo majoris commoditatis gratia subinde constricta, ut habet *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. 43. p. 69.*) *D. Joh. Ulric. Pregizzer. Cancellar. Acad. Tubigensis* prolixitate barbæ alterum Aaronem referebat, de qua Gallici Duces *Generali* suo *Turennio*, cum Tubingæ hybernarent, dixisse feruntur: Se in uno illo observasse plus barbæ, quam videndum sit circa omnium menta, in universa Gallia. *Voila il y à homme plus de barba, que touts les hommes de France. D. Tob. Wagner* (*in Ejus memor. p. 11.*) narrat, In expeditionibus adversus Turcam in Ungaria miles quidam fuisse memoratur adeò prolixa, ut ea se præcingere convoluta posset, disjecta verò obtegere, cujus quidem ipse tàm fuit amans, ut cum Præfectus totum legionem radi juberet vitam pro barba offerret, atque is solus barbæ gratiam nactus est, (Vid. *Tob. Magir. c. l.*) De *Andreæ Eberhardi Rauberi Equitis*, & *Maximiliani Cæsaris Consiliarii aulici & bellici, Imperatoriæ demum filiæ naturalis mariti* barba *Joh. Weickard. Valvasor.* (*l. 11. Ehre des Herzogthums Crain p. 631.*) cujus iconem cerne depictam ap. *Wilh. Ernest. Tenzel.* (*Monatliche Unterredung 1690. M. Nov.*) Plura *M. C.* (*D. 1. A. 3. obs. 163. p. 295. A. 4. obs. 148. p. 183.*)

§. 73.

De Crinibus in pube fœminæ luxuriantibus *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. histor. anat. 49. p. 69.*) De militis uxore, quæ *Paulini noster* narrat (*M. C. D. 2. A. 6. Append. obs. Med. 20. p. 24.*) hic inserenda. Illa crines pubis gestabat ad genum protensa, quas paupercula subinde abscindebat, & pro conficiendis comis asciticiis (barbarè vocant Parrüquen) vendebat. In recens natis capillorum non contemnenda aliquando seges exhibetur. *Hieron. Cardanus* de seipso id inter memorabilia literis consignavit, se utero exceptum uberiori capillitio nigro & crispo luxuriasse (*l. de vita propria c. 2. p. 6.*) quod etiam

etiam habet *Joh. Bapt. Ricciol.* (*T.* 1. *Almgest. p.* 1. *Append. p.* 725.) oculis exposuit non ita pridem tale capillitium filiola recens nata, cujus capilli nigri ad aures usque pertingebant. Matris imaginationi id deberi conjecturabam, eò, quod pater, ob capillamentum artificiale sibi usque ad aures capillos decurtare passus erat. Brevi tempore Epilepsia extinguebatur, quod & in quibusdam aliis, non tamen omnibus, me deprehendisse confirmo.

§. 74.

Plantæ diversis locis gaudent natalibus. Audiamus (*l.* 1. *Georgic. v.* 53.) *Maronem:*

Non omnis fert omnia tellus,
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina.

Egregiè Philosophatur *Helmont.* (*tr. Magnum oportet n.* 38. *p.* 126.) Inhabitant locis, nedum lumina & colores, tanquam immediati hospites; sed fermenta, Rationes. Ideoque à Conditore verbo locata, ut sint radices seminum successivorum in mundi usque finem. Clarius *Sylv. Ratray.* (*Caus. Symp. & Antip. p.* 34.) Locis omnibus à creatione indita esse principia quædam activa spermato-poëtica in ævum duratura, quæ neque sunt calor & frigus &c. aut contemperatio istarum qualitatum inter se pugnantium, aut influentia Solis aut Lunæ, aut cæterorum siderum. Nam si hoc esset, quodlibet ex quodlibet fieret, & id promiscuè in omnibus locis. Nec hic capillares herbæ, segetes uvæ, illic blitum sedum, leucoion &c. Trahit unumquodque alimentum ex terra, quale sane ipsum olim *Hippocrates* (*l.* 4. *de morb. p.* 57.) protulit, idque exemplo Laseris declarat, quin sunt agrestia non pauca in loco nascentia, quæ ad ulnæ spatium translata non amplius produci comperias (*p.* 58.) subdidit. Manuducit nos infectorum providentia, qui semina sua arborum, fruticum & plantarum foliis & ramis agglutinant illis, è quibus futurum, ubi revixerint, alimentum debitum capiant. Istis principiis nullum nomen melius quadrare putat *Ratray* fermenti nomine, quæ prius à solo *Helmontio viro in multis perspicacissimo* satis perfunctoriè leviter & obscurè delineata sunt. Loca autem fermentorum, *juxta Eundem* (*p.* 35.) sunt in terra, aëre, aquis, vegetabilius, animalibus, vivis & mortuis, & eorum partibus & mineralibus. Et ista loca sunt vel in septentrione, oriente, occidente, Austro. Sunt & in particularibus regionibus, Sassafras in Florida, radix Chinæ in China,

Malabathrum & Agallochum in India. Sunt & in particularibus locis omnium ferè regionum, talia sunt prata, uda loca, Sylvestria &c.

§. 75.

Dicis, multa ferè ubivis crescunt. Ita de Gallia sua gloriatur *Renat. Rapin.* (*l.4. Hortor. v.19. p.87.*)

Quamvis non omnis tellus sit idonea plantis
Omnibus, & certas leges ac fœdera certis
Præscribat natura locis, præscriptaque servet,
Illis Franca tamen non est obnoxia tellus
Legibus, eximiæ quæ fertilis ubere glebæ
Nil fructus non læta ferat, nil culta recusat.

Sed hanc transplantationem rectè vocavit *Ratray (p.36.)* & hæc vegetabilia cum animalibus in propriis locis provenientia fortiora sunt & meliora, quam si transplantentur. Nam adventu fermenti extranei debilitantur & morbida redduntur, sicut animalia aëre & cibis insolitis & extraneis & venenatis vescentia, aut in locis contagiosis degentia morbos aut mortem incurrunt. Ad eundem prorsus modum se habet textura pilorum, qua homines, qua bruta in Europæis, Asianis, Africanis & Americanis. Variant ratione Climatum, Provinciarum & Regnorum, in Europæis potissimum, quin & ipsæ animalium partes diversæ, diversitatem illorum satis confirmant. Alia textura est in homine capillorum, Ciliorum, alia barbæ, alia in reliquo corpore, comprimis sub axillis, in inguine & in aliis partibus. In Equo & Leone jubæ à pilis discrepant, discrepant & in Equi & Asini cauda. Apri & porci setosi, setæ tamen in dorso horridiores & longiores illis, quæ in reliquo corpore. Erinaceo pellis exterior aculeata & spinosa in ima parte ventris mollis & innoxia.

§. 76.

Variis coloribus nobiles sunt capilli, non aliter ut plantæ, & ita etiam certas quasdam constituunt species. Nequit quadrupes colores, viridem, aureum, cœruleum admittere, utpote colores naturali temperamento repugnantes, cum prædicti colores aqueæ naturæ opus sint, & consequenter vegetabilium proprii, pronunciat *Athan. Kircher. (l.1. Art. Magn. Luc. & Umb. p.3. c.7. p.68.)* Junge huic *Franc. Glisson. (Tr. de Part. Contin. c. 9. §. 18. p. 72.)* Interim virides pilos in homine annotavit *Marcell. Donat. (l.1. Med. Mirab. c.1. p.3.)* vidit *Th. Bartholin. (Cent. 1. Hist. 40. p. 66.) Petr. Borell. (Cent. 2. obs. 56. p. 153.)* Rusticum sanum & robustum in agro Patavino tuitus est. *Excell. noster Petr. Rommel. (M. C. D. 2. A. 6. obs. 227. p. 474.)* *Junior Hannemann. Kiliæ (M. C.*

D. 2.

D. 2. A. 7. obs. 155. p. 298.) Adde, quæ aliorum relatione *Paulini* (*Cent 1. obs. Med. Phys. 93. p. 133.*) citat. Barbam viridem Romæ *Casp. Schott.* (*Cent. 1. joco-ser. Art. & Nat. Propos. 65. p. 59.*) Cum pueri isti subterranei & Sylvestres *ap. Guilh. Nebrissens.* (*l. 1. Rer. Angl. c. 27. p. 92.*) quam historiam etiam allegat *Athan. Kircher.* (*l. 8. Mund. Subt. s. 4. c. 3. p. 120.*) toto corpore fuerint virides, viriditatem etiam dubio procul conceperant capilli. Parmæ in Italia in Ducis serenissimi stabulo inter alios equos primarios unum omniò viridibus pilis superbientem *Laudatus Rommel.* observavit, qui propterea la Speranza (*Spes.*) vocabatur, quod nomen etiam tabulæ majoribus literis inscriptum, & columnæ appensum legebatur. De raro hoc equi colore interrogatus Hipparchus, respondit, equum ipsum absque omni fuco à natura hos pilos obtinuisse, & proinde à Serenissimo Duce præ cæteris æstimari. Simiarum genera quædam viriditate conspicua *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 115. s. 3. p. 428.*) testatur. Cur virides comas tribuat *Flaccus*, *Joach. Feller. amicus desideratissimus* (*obs. 15. in Horat. p. 1307.*) explicavit.

§. 77.

Cœruleos pilos recensuit *Plin.* (*l. 4. c. 12.*) in *Agathyrsis*, sed cum fuco. Indis omnibus promissa Cæsaries non sine fuco est. Pilos cœruleos etiam tum capitis tum barbæ publicavit *celebr. noster Arion* (*c. l.*) *add. Alex. de insul.* (*Breviar. n. 33.*) ab ipso in lucem protractum. Tales verò naturaliter dari maximè dubitat *Conrad. Tiburt. Rango* (*l. de capillam c. p.*) *Polyphemi* ovibus violaceam lanam tribuit (*l. 6. odyss. v. 426.*) *Homerus.* Lucentes descripsit *Th. Bartholin.* (*l. 1. de luc. c. 10. p. 75. Addit. infra l. 2. Tit. 9. §. 54.*) & argenteos. (*c. l. p. 78.*) Splendorem in pilis & plumis amphibiorum animalium secretiori & unguinoso cutis cuticulæque texturam penetrante ingeniosè *Splendidus ingenio J. N. Pechlin.* (*de habit. & color. Æthiop. c. 6. p. 62.*) De purpureis *J. C. Scaliger* (*c. l.*) ubi Giraffæ maculas, quas natura purpureo colore pinxit, allegat. Nitor namque purpuram commendabat, talisque videbatur, ut vestes ad ignem vel Solem positæ ardere cernerentur. Ideo *ap. Valer. Flacc.* (*l. 3. Argonaut. v. 340.*)

Dat pictas auro, atque ardentes murice vestes.

Aliqui igitur purpuram dictam putant, quasi purum putum אור ur vel ignem, vel quasi purum putum urens, vel quasi πῦρ πῦρ, quod tamen minimè salivam movet *Dn. D. Joh. Dan. Majori Nostro* (*Anot. ad Fab. Columnæ Opusc. de purpur. c. 1. §. 3. p. 11. & 12.*) Inde in Sole purparati ambulabant, Vid. *Macrob.* (*l. 2. Saturnal. c. 4.*) Nihil verò penè in totius antiquitatis defectibus

Casp. Barthio (*ad l.4. Thebaid. v. 265. Stat. p. 994.*) quam quod hoc genus tincturæ, quod per totum terrarum orbem, tot secula nobilitatum, & omnibus mortalibus notum fuit, adeò penitus interiisse, ut nec ratio ejus reparandi ulla supersit. Sunt & purpurei Poëtis capilli. De filia *Phorci Ovid.* (*l.1. de art. amand. v.331.*)

Filia pupureos Niso furata capillos
Puppe cadens celsa facta refertur avis

Dixit fortè hos, ut cygnos purpureos *Horat.* (*l. 4. od. 1.*) & nivem purpuream *Albinovan.* (*Eleg. ad Liv.*) Poëtis namque solenne quodvis pulchrum & eximiè nitens cujuscunque caloris sit purpureum pronunciare. Interim in Cretæ finibus ovibus λάχνη πορφυρέοσα lana purpurea *ab Oppiano* (*l.3. Cynæget. v. 377.*) assignatur. *Macrob.* (*l.3. Saturn. c.7. p.m.232.*) ad illud *Maronis* (*Eclog. 4. v. 43.*)

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellere luto.

Traditur *autem, commentatur,* in *libro Etruscorum,* si hoc animal insolito colore, fuerit indutum, portendi Imperatori omnium rerum felicitatem. Est super hoc, pergit, *liber Tarquinii* transcriptus *ex Ostentario Thusco,* ibi reperitur purpureo aure ove colore ovis s. aries aspergatur, principi ordinis & generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniem propagat in claritate, lætioremque efficit. De aureo vellere quædam è Poëtis *Joh. Weizz.* (*ad Valer. Flacc. Argonaut. l.5. v. 490. p. 165.*) Sunt autem *Nicolai Erythræi* (*in dic. in Virgil. f.302. b.*) judicio svaves colores, Flavus, Purpureus, Candidus & inprinis Roseus.

§. 78.

In hoc tamen pili à plantis diversi, quod simplicem & unam tantum ament coloris speciem, ubi in causis eruendis mirè discrepant curiosi. Qualem humorem caro attraxerit sive alvum, sive nigrum, talem etiam capillus induit, *dictitat Hippocrates* (*s.3. op. de Nat. puer. p.31.*) Conf. *Cœl. Ludov. Rhodigin.* (*l.13. Var. Lect. c.27. col.705.*) in brutis, *Philosophatur Aristotel.* (*l.5. de Gen. Animal. c.5.*), causa colorum cutis est, non in homine, eò quod omnium maximè tenuem cutem habet, qui alibi contrarium protulisse videtur. (*l.2. de Gen. Anim. c.6.*) Nec ea ratio in Avium genere militat, cujuscumque enim coloris in pullo fuerint plumæ, subjecta cutis non nisi unum exhibet. Quin etiam una eademque penna variis non rarò coloribus tingitur, & ad pompam exornatur, ut probè *celeb. Guilh. Harv.* (*Exerc. de Gen. Animal. 56.*

p. 239.

p. 239.) advertit. Colores varios à varia deduxit *Casp. Hoffmann.* (*l. de Part. Similar. corp. human. c. 19. p. 114.*) cujus exploratio res ipsi difficillima (*c. l. p. 118.*) audit. Qui excrementorum varietati id detulerunt, nostro judicio erroris non absolvendi. Excrementis illos, non ut alimento, jam explicatum est.

§. 79.

ὁμόψηφον adduco *illustrem Hermann. Conring.* quantæ eruditionis & autoritatis virum, cujus verba (*Tr. de Hab. Corp. German. Caus. p. 143.*) potius quam mea accipias. Non equidem ego temerè assenserim iis, quæ *Galen. noster* habet (*l. 2. de Temper. c. 5.*) fit niger pilus cum deusto vi caloris vapore excrementum in exactam fuliginem mutatur. Flavus verò cum vapor minus torretur, quippe quod tum est impactum flavæ bilis, non nigræ, feculentum excrementum est: Albus verò pilus ex pituita nascitur: Rufus sicuti coloris flavi albique est medius, sic ejus generatio ex pituitosæ biliosæque fecis media natura quadam provenit. Galenum forsan secutus *laudatus Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. 40. p. 66.*) virorum pilorum ab insita bile deduxit. Cani aurigine superveniente viri, *Donato Marcello* (*l. c.*) *Paulo à Sorbait* (*Tr. 6. Med. Pract. c. 5. p. 739.*) conspecti, ut aliquando ab Ictero pilorum color mutatus sit, quod non credidit *Hieron. Mercurial.* (*l. 3. Prælect. Patav. c. 23. p. 343.*) & rationes reddere conatus est, quæ lydium lapidem vix ferent. In eadem *cum Galeno* palæstra dimicare videtur *Martin. Schoock* (*de Ferment. c. 18. p. 273.*), qui ut barbam & alias generis pilos circa seminis generationem erumpentes, non esse seminalem progeniem inficiatur cum albedine semini non respondeant.

§. 80.

Quid adhæc *Conring.?* Non, *inquam*, his accesserim facilè. Neque enim ejusdem necessum sit coloris pilus ipse cum materia, qua alitur: quemadmodum ex sanguine rubro nihil non fit partium corporis etiam albarum. Itaque flavedo pili non indicat statim materiam suam esse flavam bilem: ut nec albedo pituitam, aut nigredo arguit humorem melancholicum. Nec omnes, qui pilo sunt flavo aut ruffo in venis multum continent flavæ bilis. Certè sanguis illorum æquè est plerumq; dulcis, atque alborum, neque plus flavedinis in eo, quam in aliorum cruore deprehendas. Quanto rectior est *Aristotelis* Philosophia, pergit, colorum illam varietatem esse à diversa coctione in ipsis pilis. Scilicet verissimum est, quod ille notavit: ipsis pilis congenitam esse vim aliquam caloris, quo se amplificant & nutriunt. *Hactenus vir clarissimus.* Ita Æthiopes cujuscunque ætatis & temperaturæ fuerint pilos habent nigros,

Galeno-maſtyx Joh. Argenter. (in Art. Med. Galen. Comment. 2. p. 584.) Galena reponit.

§. 81.

Facilius id quidem ſibi quis perſuaderi patiatur in capillis unica coloris ſpecie renidentibus. Quid verò mihi ad flores variegati coloris reponet Galeni æmlus? quid rationis hujus varietatis admirandæ ſuggeret *Galenicæ* hypotheſeos ſititor? In Mirabili de Peru ex pluribus duodenis elegantium florum, quos ſua tempeſtate ſplendida hæc planta indies ferè, vix duos notavit *Robert. Boyle* (*Experiment. & Conſid. de Color. p. 1. c. 2. §. 1. p. 4.*) qui ſibi invicem penitus ſimiles tingerentur. Roſæ *in Tartaria* videntur, quæ bis quotidie colorem immutant, quæq; nunc purpureo, nunc albicante colore apparent (*Vid. T. 1. Ephem. Erud. 32. p. 367.*) Quod ſi contingit, neutiquam à vero deviabit *Dioſcoridis (l. 4. c. 135.)* de Tripolio narratio, quod perhibeatur ter die colorem mutare, ita ut mane condidum, meridie purpureum, veſperi puniceum aſpiciatur. Sunt qui foliis polii idem aſcribant, *addit Anton. Mizald. (l. 2. Arcanor. Nat. p. 79.)* niſi quod Sole occidente cœrulea videri poſſint. In Amarantho tricolore folia alternatim viridi, roſeo & luteo colore picta ſunt, jucundiſſimo ſpeculo Pſittaci plumam referentia, vel Avis illius peregrinæ Arach dictæ. In Caryophyllis in uno ſtipite diverſitatem florum admirabilibus quis Chromaticam mihi fundamentaliter explicabit. Plura qui cupit adeat illuſtres hortos & Floræ mirabilia, miracula penè dixerim, curioſis uſurpet oculis.

§. 82.

Et cum *J. C. Scaligeri* effato *(c. l.)* planta, ſ. vegetabile ſit pilus, ſit etiam volucrium penna aut pluma *Honor. Fabri* decreto *(l. 2. de Plant. Propoſ. 10. p. 98.)* quocirca illas jamdudum floribus comparavit *(l. 2. Pædagog. c. 10. p. m. 139.) Clemens Alexandrin.* Quod eleganter enunciat *non inelegans Chymicus P. J. Faber. (l. 3. Panchym. ſ. 2. c. 4. p. 313.)* Verè, *ait*, volucres nonnullæ ſunt flores dulce modulantes. Quid in floribus mirum eſt & admirandum? quin idem reperiatur circa colores & odores. Id rectius de pennis & plumis Avium interpretabimur, nullo modo vermiculatis plantarum Emblematibus cedentibus. Hic ſane curioſa mens materiam ſat amplam reperiet, ſi prata aëris perluſtrando botanicum iter inſtituere, cumque iis, quas terra promit componere non gravetur. Commodius in terreſtribus id procurabit, ſi in pavonem ſaltim oculos convertet. Huic enim natura fermè in volucribus, *bene arguente Varrone (l. 3. de R. R. c. 6. p. m. 139.)* dedit palmam. Hic *Tertulliano (l. de Pallio) judice*

dice omni Conchylio depreſſior, qua colla florent & omni patagio inauranti-or, qua terga fulgent & omni ſyrmate ſolutior, qua caudæ jacent multicolor & diſcolor, & verſicolor. Admirandus eſt Pavo, *ſcribit P. J. Faber*(*c. l. ſ.3. c. 14. p.343.*) & tantæ admirationis, ut ſi unus eſſet in terris, credo admirabiliorem eſſe ipſo Phœnice, quid enim cauda ſua admirabilius eſſe poteſt? quid capite ſuo galeato pulchrius? quid voce ſua horridius? In iride ipſa non majores ac nitidiores, & pulchriores conſpiciuntur colores. Adi & *Plin.* (*l.10. c.20.*) ſi extimas aves oculis luſtrare geſtis, advolet

Pſittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ,
Quem non gemmam volucris junonia cauda
Vinceret aſpectu, gelidi non Phaſidis ales.

Papin. Stat.(*l.2. Sylv. 4. v. 25.*)

Hic poterit virides pennis hebetare Smaragdos,
Tincta gerens rubro punica roſtra Croco.

(*Ovid. l. 2. Amor. Eleg. 6. v. 19.*

Color illi viridis & intimis plumulis & extimis palmulis juxta Apulejum, niſi quod ſola cervice diſtinguatur. Enimverò cervicula ejus circulo niveo velut aurea torqui pari fulgoris circumactu cingitur & coronatur. De Avicula Sinica omni elegantiorum colorum miſtura & nitore commendabili, vide, quæ collegit *Eraſm. Franciſci* (*Dial. Menſtr. 6. p. 134.*) *unde von den Africaniſchen Blumen-Vogel* (*p. 135.*) colorum ſanè, ut id repetam, in plurimis avibus & plantis diverſitas Galenicam ſtrangulat hypotheſin. Quanta namque humorum miſcela in una pluma aut flore eſſet concipienda, ſi vel unicum pavonis ſpeculum oculis trutines.

§. 83.

Unde igitur iſta colorum diverſitas? A diverſa coctione reſpondit *Conring.* Coctio iſta cum à culinari multum differat, adeoque fruſtra ad eam experimento â carne mitulorum, quæ ſi coquantur igne è pallido in luteum tranſit deſumto confugit *Philipp. Bonann.*(*p. 1. de Teſtac. c. 9. p. 60.*) non per ſe tingit humorem, ſed tincturam potius latentem evocat. Pyra deglubata ſi coquuntur, rubicundiora apparent, eadem non cocta, ſi aëri exponuntur, conſpicies. Vides in compluribus ſpeciebus fructuum, ut ſunt ceraſa, pruna &c. in quibus, prout ſuccus vegetabilis dulceſcit, vel alioquin maturatur, ab uno maturationis gradu ad alterum progrediendo, exterior pars fructus pariter ab uno ad alium colorem tranſit. (*Rob. Bôyle Experim. & Conſ. de Color. c. 2. p. 5.*) quod ipſum coctionem ſuo modo acceptam firmare videtur. Quis vero his acqui-

eſcere

eſcere poſſit? Naturam ſuperare ingenium quis non videt? Latet Natura hæc ſicuti aliæ rerum ſpecies in profundiſſima caligine ſcientiæ humanæ, optimè ratiocinatur *J. C. Scaliger. (Ex. 325. ſ. 4. p. 1031.)* Amœnus eſt color, ſed dum oculos paſcit, ingenium excoecat. *Honor. Fabri (l. de Color. in Princ.)* Verum manebit *Ath. Kircheri (c. l. c. 8. §. 4. Reg. 6. p. 150.)* effatum: Lubricum negotium eſt de colorum in pilis eluceſcentium varietate judicium ferre, ob copiam vel defectum alimenti, ut in pueris, vel ob coctionem, vel ob cruditatem ejusdem, vel per morbum, vel per ætatem variat. Abſumunt quoque varietatem ab humoribus ſuperfluis per modum Tincturæ. Externus aër multum valet, aquæ itidem diverſitas.

§. 84.

Fermentum congenitum in Theatrum olim introduxi. Utor hoc nomine interim donec magis accommodatum me perſpicaciores aſſignabunt Naturæ Conſulti. Latet illud in ſemine, adeoque ſeminale audit Helmontio, de quo *alibi (Ool. Curioſ. General. Diſſ. 2. §. 34. p. 77.)* Audiamus *Athanaſ. Kircher. (l. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 3. c. 5. p. 79.)* Sicut vis plaſtica in ſemine latens unicuique ſuam largitur formam & figuram, naturalitus operationibus convenientem: Ita in ſemine uniuscujusque rei vis chromatica ſ. colorifica latet, qua unum quodque convenienter colore ornaretur. Quod inter colorum diverſitatem punctulis non raro lineatis, ſtrigis, & ſtriis notantur diverſicoloribus admirabilium claſſem pertinet, & vix explicabitur à quoquam mente & oculis Lynceo, niſi forſan ad colorum mixtionem recurramus, qua ut è tabula Chromatica *ab Ath. Kirchero, (c. l. c. 2. p. 67.)* & *Phil. Bonanno (c. l.)* promulgata apparet è miſcella tertius exſurgit color. Conf. *Franc. Gliſſon. (c. l. c. 9. §. 8. p. 64.)* Quomodo namque in Chemicis demonſtrationibus ex confuſione duorum liquorum diaphanorum, niger, cœruleus aut luteus prodit, & addito alio pellucido nigredo diſparet. Vid. *Joh. Jac. Sachſ. (l. 1. Gammarol. c. 16. §. 4. p. 336.)* Quomodo olim juvenis circa colores luſerit *Th. Willis (l. de Ferment. c. 11. p. 17.)* narrat. Rideo hic cum *Athan. Kircher. (c. l. c. 4. p. 73.)* Metaphyſicorum quorundam inutiles ſpeculationum conatus, qui cum rem omnium manifeſtiſſimam, & cui nulla magis obvia in uſum humanum magis venit, lucem, inquam, & colores comprehendere non poſſunt, altiſſimorum & ab omni corporis contagionis inquinamento longè ſemotorum entium naturas, entitates, proprietates, affectiones ſe aſſequi poſſe præſumit. Vellem & hoc Floræ cultores ruminent, antequam colorum in vegetabilium floribus productioni manum admoveant, deque hujus certitudine & felici ſucceſſu ſesquipeda-

pedalibus verbis coloratas nubes animis affundant. Modos floribus colores indulcendi descripsit *J. B. Terrar.(l. c. c. 5. p. 458.) à Styli floridi elegantia magis, quam hujus rei scientia & experientia commendandus.*

§. 85.

Interim fermenti allegati vim & dotem variis experimentis confirmare possem, si πολυφασίας crimen non horrerem. Sufficiat oculos in oves convertere, qui iisdem alimentis nempe gramine, fœno & stramine & tamen diversi coloris lanam ferunt. Bombyces etiam lumen hypothesi accendunt, quorum hic album, alter citrinum, ad cœruleum vergens, tertius sericum egerit, omnes tamen uno eodemque utuntur pabulo, foliis nempè mori, lacteum succum stillantibus. Sanguis insectorum (cur verum sanguinem illis physici denegent, non video, sanguinem proportionalem jam olim proclamavit (*l. 4. de Generat. Anim. c. 1.) Aristoteles.*) modò flavum, modò album, modò nigricantem & obscurum præ se fert calorem, id verò soli fermentorum diversitati est acceptum ferendum.

§. 86.

Qui prætereà varias Philosophorum & Medicum de coloribus sententias cognoscere avet, adeat *variæ lectionis Philosophum & Medicum P. J. Sachsium (nostrum l. c. §. 3. p. 329.)* qui & nomina & diversitates colorum 239. numero accurato studio collegit (*§. 15. p. 352.*) & explicuit. Hoc non negligendum colores esse lumen modificatum, juxta *Rob. Boyle (p. 1. Experim. & Consid. de Color. c. 2. p. 8. c. 3. §. 6. p. 26. & p. 2. c. 1. §. 11. p. 44.)* ad quorum perfectionem superficierum & partium textura multum conferat, ut *Idem (c. l. p. 16. & p. 5. Chym. Scept. p. 213.)* quem *Joh. Jac. Harder. (Exercit. Anat. Med. 43. p. 247.)* sequitur. Et hac ratione cæcos colores deprehendere tactu (utpote quibus manus & scipio sexti cujuspiam sensus organum datum, ut *Renat. Cartes. Diopt. c. 2. p. 42.* loqui amat) maximè tamen simplices *Johannes Vermansen Cæcus (ap. cit. Boyle c. l. c. 3. p. 39.)* inquirentes docuit, omne discrimen ex majori minorive asperitate desumens. Equidem ajebat, nigrum afficit sensum, ac si tangeres cuspides acicularum, vel duriores quasdam arenulas; Ruber verò glabri sensationem efficit. Niger & albus ipsi erant maximè asperi & inæquales, atque sibi invicem similes, ut difficile sit admodum eos distinguere: attamen horum asperior est niger, viridis asperitate proximus albo, cæsius viridi. Flavus quintum locum obtinebat in gradu asperitatis. Ruber & cœruleus adeò similes, ut æquè difficile sit eos discriminare, ac nigrum & album. Sed tamen rubrum aliquanto asperior cœruleo, adeò, ut ruber sextum teneat, cœruleus septi-

septimum in asperitate. Ex arte Anaclastica pariter clarum evasit reflexione luminis varios colores in corporibus diaphanis exhiberi. Ita *Athan. Kirchero* (*l.8.M.S.f.1.c.6.p.17.& Itiner. Ecstat. 2. Dial.2.p. 606.*) in frequenti pennarum (Pavonis, Anatum, Columbarum &c.) ope Smicroscopii inspectione innotuit, quod omnes illæ pennæ tanta colorum varietate radiantes nascantur ex naturali pennarum constitutione, quarum filamenta natura ita disposuit, ut Diaphanæ in angulosam formam trigonis vitreis haud absimilem concinnata sint. Quid verò ad pavonum alborum pennas & plumas dicet *Kircher.*? quibus eadem, quæ variegatarum textura ac superficies contigisse videtur.

§. 87.

Falluntur proinde profectò, judicat *Rosin. Lentil. noster* (*in Curland. Memorab. M. C. D. 2. A. 10. App. p. 126.*) qui ex pilorum colore sanguinis temperiem divinant. Hoc enim concesso diversicolor equus aut canis diversæ temperiei censebitur, & Tigris, cum nigredine maculatur, erit melancholica, cum candet, phlegmatica. Quis autem hoc vel somniavit? Et cum *secundum Mart. Weinrich.* (*p. 1. de Monstr. c. 15. f. 145. b.*) temperamentorum infinitæ sint differentiæ, quis se hic omni ingenii vi extricabit ne fallatur? Interim nec hoc prætereundem censeo, Veterinariam profitentes, id crebra in equis experientia edocti prodere. Si equus tussiens in stabulis aliis equis sanis ejusdem quoad colorem pili adjungatur, infici sanos, (*sie werden Haarschlechtig* unde forsan denominationis rationem divinare posses) neutiquam, quibus dissimilis pilus. Sympathiam pilorum in equis id vocare lubuit (*Cent. 4. Epist. 45. p. 261.*) *Th. Bartholin. Oppianum* etiam (*in Cyneget.*) per Venationum genera equorum colores distinxisse (*in Hippocom. p. 15.*) *Joach. Camerar.* annotavit.

§. 88.

Aquæ diversitatem pilorum & capillorum colorem mutam in homine annotatum legimus. *Æthiopes* nigros & crispos alere propter aquas *ex Onesicrito Strab.* (*l. 15. Geogr. p. 463.*) retulit. In regiones verò nostras delati aquâ, cerevisia & vino nostro utentes, nil alterationis in colore pili sistunt. Qui *Sibarim* bibebant, nigriores esse & crispo capillo, qui ex *Crathide* candidos molliores que ac porrecta coma *Plin.* (*31. c. 2.*) prodidit. Apud *Hierapolim* aqua quædem adeò tingendis lanis idonea est, ut ex radicibus cum his decertent, quæ ex vermiculo purpuraque *Strabonis testimonio* (*l. 13. p. 453.*) tinguntur. De *Scamandro*, si potetur, flavas oves reddente *Aristot.* (*l. 3. hist. Anim. c. 12.*) *Ælian.* (*l. 8. hist. animal. c. 21.*) *Solin.* (*Polyhist. c. 12.*) Alia flumina sunt, quæ potæ inficiunt greges ovium: intraq; certum tempus, quæ fuere nigræ albam ferunt lanam:

nam: quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in *Bœotia* amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu nomen *Melas* est: uterque ex eodem lacu exeunt diversa facturi. In Macedonia quoque, *ut ait Theophrastus*, & flumen ad quod qui facere albas oves volunt, adducunt. Quod ut diutius potavere, non aliter quam infectæ mutantur. At si illis lana opus fuerit nigra vel pulla paratus gratuitus infector est, & ad *Penejum* eundem gregem appellunt. Autores novos habeo, *pergit Plin.* esse in *Galatia* flumen, quod idem in omnibus efficiunt: Esse in *Cappadocia*, quo poto equis, nec ulli præterea animali color mutetur, & spargitur albo cutis. Hæc *Seneca* (*l.3. Nat. quæst. c. 25. p. m. 53.*) De fluminibus fœtus in utero tiragentibus *Vitruv.* (*l.8. Archit. c.3.*) Numerum horum olim auxit *Clitumnus*, de quo *Poëta* (*l.2. Georg. v.156.*)

Hinc albi Clitumne greges, & maxima Taurus
Victima.

Add. *Plin.* (*l.2. hist. Nat. c. 103.*) *Plin. junior.* (*l.8. Epist. 8.*) de hoc peculiarem exaravit Epistolam, in qua tamen hanc ejus energiam silentio, quod miror, præteriit. Collecta plura propinant *Simon Majol.* (*Dier. Canic. Colloqu. 11. p. 415.*) & *Joh. Saubert.* (*de Sacrif. Vet. c. 18. p. 421.*) Nivis continuum esum & usum in Alpibus leporinos pilos exquisito candore tingere, qua liquescente rutilescunt omnes iterum, *Plinii* olim (*l.8. c.55.*) observatio fuit, à quo non dissentiunt *Th. Bartholin.* (*Tr. de Us. Niv. Med. c.19. p.125.*) & *Isaac Schoock.* (*Diss. Phys. de Niv. th.57. p. 18.*) Sed de hoc pluribus, ubi de canitie disserendi locus erit. Addo è *Nicol. Lyra* (*Comment. in Exod. c.32.*) Hebræos Doctores tradere, quod Israëlitæ Moscholatræ bibentes aquam putrere vituli aurei à Mose combusti infectam, barbas aureo colore fulgentes accepisse, quo ab aliis distinguerentur & interficerentur. Vid *infra* (*l. 2. Tit. 9. §. 51.*) Ita ex auri potabilis usu aureos nasci crines Chemici *Th. Bartholin.* (*l.1. de Luc. c. 10. p. 79.*) persuaserant.

§. 88.

Ab externis aliis aliquando capillorum color dependet, & mutatur. Ambientis aëris aliquando constitutione id contingit, ut *Celtiberorum* equi, si in exteriorem traducantur *Hispaniam*, *Strabonis* (*l.5. p. 110.*) recensu. *Æthiopes* omnes habere pilos nigros ob vehementissimum Solis ardorem, qui illos torret *Joh. Argenter.* (*Comm. 2. in Art. Galen. p.534. & 540. post Theodectem ap. Strabon. l.10. p.463.*) censuit. Sed fœtum in utero contentum & latentem, qui ferient radii Solares, ut inde capilli tingantur? Curiosum tamen est *ap. Rob. Boyle* legere (*Experim. & consid. de Color. p.2. c.4. Exper. 11. p. 139.*) *Æthiopum* infan-

tes prodire eodem fere cum Europæis colore ſubrubenti, eosque non multos poſt interpoſitos dies nigreſcere. Plura quæ ſequuntur, ut attentè legas, ſanè merentur. Poterunt & à vaporibus tingi metallicis. Vidit virum viridi capillitio luxuriantem *Th. Bartholin.(Cent. 1. Hiſt. Anat. 40. p. 66.)* Et ferè, *pergit*, virides efficiuntur metallorum fuſoribus, quibus hic fortaſſis adfuerat. Cani citius tinguntur in virides aut cœruleos, quod in ſtanni fuſoribus non ſemel animadverti. De Cuprifabris idem annotavit *Viet. Rietlin. (Ann. 6. Lim. Med. M. Mart. obſ. 29. p. 342.)* Capparorum aquam deſtillatam virides ferè pilos & capillos efficere *Hier. Cardan. (l. 18. de Subtil. Rer. p. 935.)* dictitat. Memini in patria puellas & virgines, imprimis ruſticas, in fuſo florum Stœchados Citrinæ capillos tingere ſolitas.

§. 90.

Illitu Aquæ Apoplecticæ crebriori albos evaſiſſe capillos *(M. C. D. 2. A. 5. obſ. 95. p. 201.)* ab *Ehrefried. Hagedornio noſtro* inſertum reperio. Ab unguento à Carnifice oblato cincinnum capillorum fortè digitis adhuc non curiosè deterſis canum factum, memoravit *(A. 5. Lin. Med. M. Jul. obſ. 30. p. 776.) ſolertiſſimus Viet. Rietlin.* Taxi id pinguedinem præſtitiſſe hariolabantur. Urſi pinguedo ap. vulgum inclaruit, quod illita canos reddat albidosque capillos. Vid. *Caſp. Schwenckfeld. (l. 1. Theriotroph. Sileſ. p. 133.)* quod & teſtimonio firmat ſuo *Joh. Crato (ap. Laurenz. Scholz. Conſil. 286. col. 824.)* dum ſcribit: Urſi pinguedo canitiem pilorum affert, cum avellanis uſtis vis illa impeditur. Meminit & hujus *Joh. Bened. Gründel. (M. C. D. 2. A. 8. obſ. 103. p. 233.)* inde noſtri dum caput bicolor intuentur: *Man hat ihn mit Bären-Schmalz geſchmieret.* Miror igitur quod *Plin. (l. 8. c. 36.) & Sext. Platon. (l. 18. c. 110.)* hujus facultatis forſan neſcii, axungiam hanc contra capillorum defluvium commendarint. *Caſp. Schwenckfeld. (c. l.)* cum Ladano & Adiantho eandem ad Alopecias præſcripſit.

§. 91.

Pororum conſtitutionem, in quibus lumen non reflectitur multitudinemque nigredinem res pingere, *oculatiſſimus Robert. Hoock. (in Micrograph. Vid. T. 2. p. 1. Ephem. Erud. n. 39. p. 487.)* tradidit. Exemplo carbonum id firmare nititur, quibus pororum tantus numerus, ut omnem molem ipſorum permeet, carboque licet maximæ longitudinis flatui viam non deneget, ſique pars aliqua accipiatur brevior lux cum Microſcopio per eundem videri poſſit. Et ex hoc inſigni pororum numero eſſe, quod carbones appareant nigri. Si namque corpus multos habeat poros, in quibus lumen non reflectitur, neceſſario

rio apparet nigrum, adeò ut nigredo ipsi nihil aliud sit, quam privatio luminis s. defectus reflexionis. Sed hic Argus Tiresia cœcior videtur. In cute humana pororum multitudinem magnitudinemque nigredini aliquando velificari, equidem non inficior, sed hæc erit saltim intentionalis. In carbonibus vera & realis est nigredo, quibus & nigri ductus, litteræque nigræ scribuntur, & tangentes nigro colore inficiunt. Lignum ligno oppone, ustoque cariosum, quorum hoc de numero forsan pororum cum illo certabit, & tamen album aut citrinum præ se fert colorem. Lignum putridum noctu non nigrescit, sed lucet. Vid. *infra* (*l. 2. Tit. 9. §. 83.*) Pulvis carbonum subtilissimus, æque nigrore valet, ac carbo ipse, quamvis illi pori desint, huic adhuc sint.

§. 92.

Plantæ suas quodammodo obtinent ætates, *notante id Magnifico olim Præside nostro D. D. Joh. Mich. Febrio,* (*Tr. de Scorzoner. qu. 6. p. 162.*) quod & pluribus *alibi* (*in Buxeto curioso*) declaravi. Secutus est hanc Methodum etiam quondam (*in descriptione Zedoariæ*) *Amicus colendus Dn. D. Manitius.* Has verò quis curiosorum capillis denegabit? In Brutis id evidentius deprehenditur, ac in homine videmus bruta quotannis depilari. *Sie häären sich alle Jahr.* Et cum in Avibus eadem pennarum atque plumarum, quæ in brutis sit conditio, & illas autumno implumes, ut absque foliorum ornatu arbores offendimus,

Donec replumi vestiantur corpore,
Pennisque florescant novis.

(*Paulin. ad Cyther. v. 329. & 850.*)

§. 93.

Canitiem soli homini tribuit *Philosophus* (*s. 10. probl. 50.* ut habet *Julii Pacii* editio, *secundum Ludov. Septal. 62.*) dum quærit: διὰ τί ἄνθρωπος μόνος τῶν ζώων πολιὰς ἔχει; Qui tamen sibi ipsi tota diametro adversari videtur, ut etiam *cit. Septal.* (*in Aristot. c. l. p. 142.*) animadvertit, dum (*l. 3. hist. Animal. c. 31.*) tradidit: Mutatur color pilorum in senectute, candidique pili efficiuntur, quod vel cæteris animalibus accidit, sed non solis, præterquam in equo. Sed non expendit accurata, qua debuit, industria Aristotelem Septalius, cum *Philosophus* inter apertam & obscuram canitiem distinguat, illamque homini, eò quod longævus sit, hanc brutis, utpote brevioris vitæ assignet. Hinc *Bassian. Land. Aristotelis* mentem quidem credidit (*l. 3. hist. Anatam. Hum. Corp. c. 3. p. 136.*) unum quidem hominem insigniter canescere & multum; alia verò animalia perobscurè & parum. Cæterum nec equum hic exclusit *Ulyss. Aldrovand.* (*l. 1.*

de Quadrup. c. 1. p. 12.) & senectutem in equis boni Veteranarii ex carnis superciliis intelligunt, *inquit Bass. Land.* (*c. l. p. 125.*) & canes canescere *Casp. Bauhin.* (*l. 3. Theatr. Anat. c. 2. p. 266.*) quod circa eorum ora & caudas cuilibet patet.

§. 94.

Reliqua bruta albescere pronunciavit VeterumPhilosophorum turba. Sed quæ ista ἀκρίβεια philosophica? Scilicet canescere hominis proprium in tertio modo dixerunt logici. Sed minoris rationis est id κενοφύγιον, cum sic albedo & canities apertè confundantur, cum ratione causæ albus & canus pilus, *monente* etiam *Alberto Magno* (*l. 3. de Animal. Tr. 2. c. 2. f. 40. a.*) differant maximè, & *Philosophus* (*l. 5. de Generat. Anim. c. 6.*) pilos inter se differre dixerit, qui morbo ætate, quique natura albuerint, eò quod causa sit diversa. Enumerat has causas (*l. 1. Encycl. Chir. c. 2. p. m. 10.*) *Joh. Dolæus.*

§. 95.

Canities, comprimis in homine, est vel congenita, vel postgenita. Quosdam à prima origine canescere posse *Hippocrat.* (*f. 3. op. de Natur. Puer. p. m. 24.*) non latuit. *Numam Pompilium,* qui ferociam populi Romani primus ad sacra contulit, à prima ætate canum fuisse, *Servius* (*in Virgil. l. 6. Æneid. p. m. 560.*) autor est, qui & illos *Maronis de Numa* (*v. 810.*) huc trahit;

Quis procul ille autem ramis insignis olivis
Sacra ferens? nosco crines, incanaque menta
Regis Romani.

Senecæ inde nomen impositum, *Cassiodor. ap. Ludovic. Cæl. Rhodigin.* (*l. 24. antiqu. Lect. c. 10. col. 1330.*) putabat. Duplicem *Gargonum* ordinem *Natal. Comes,* (*l. 7. Mythol. c. 12. p. 713.*) recensuit, quarum quædam canæ natæ. *Ludovicus Hungariæ Rex,* ut cætera membra debilis, & absque Epidermide; ità & cano capillitio Mundum & Regnum suum salutavit, quamvis hunc adolescentem demum canos nutriisse *scribat Theod. Theod. Schenck* (*l. 1. Exerc. Anat. 3. s. 2. c. 8. p. 232.*) *Add. M. C.* (*D. 2. A. 1. obs. 69. p. 169.*) singulare est, quod *Christ. Fr. Paulini Noster* (*M. C. D. 2. A. 6. in Append. obs. 10. p. 24.*) de canis in pube ab ortu memorat.

§. 96.

Causam in Astra retulit *Joh. Jovian. Pontan.* (*l. 1. de Rebus Cœlest. c. 20. p. 334.*) Hunc (brutis) colorem non indunt Stellæ, sed nives locorum perpetuæ, *Claud. Salmas.* (*de Ann. Climact. p. 757.*) dictitat. A matris imaginatione eandem fœtui imprimi posse non sine ratione augurabatur *Ath. Kircher.* (*l. 3.*

Mund.

Mund. Magnet. p. 7. c. 7. p. 569.) Hic namque Xenodochium Spiritus Sancti Romæ visitaturus in Pædotrophio infantem fœmellam quatuordecim dierum toto capite, imo & oculorum superciliis canam conspexit, & imaginationi vehementissimæ matris talem pronunciavit. Illa namque adultero dum copularetur, vehementi metu agitabatur, ne maritus cujus caput canitie conspersum continua & intensa vi imaginationis secum volutabat, superveniens vindicta de rupta matrimonii fide sumturus, utrumque vita privaret. Unde vehemens matris nimio timore percussa imaginatrix, facultas tantum potuit, ut canitiem mariti, quam verita sibi imaginabatur, infanti pariter impresserit. Cur verò in pube tantum, non in capite & aliis locis pilosis, non addidit Paulini, quod utique maximè necessitas requirebat. Mirum videri posset, quod ex Oppiano tradidit *Joach. Camerar.* (*Hippocom. p. 15.)* colores, quos fortè concupiverint Domini arte quadam fœtui equino conciliari, quos conceptus temporis illis ostensis fœminæ. Habet id etiam de aliis animalibus *Kircher. (c. l. p. 570.)* Ita *à Jacobo Patriarcha (Gen. c. 30. v. 41.)* id in ovibus compertum, *sacræ* asserunt *literæ*. De Pavonibus, ut candidissimos pullos excludant ovis incubantes, ut & columbis ex illo *Oppiani*

- Columbarum pullos hac arte figurat,
Stragula flammeolis oculis, rubosque tapetes,
Et vestes ostro perfusas objicit Auceps,
Sicque oculos pascens, animos eludit amantes,
Et pullos edit rubeo discrimine mixtos.

maximè cum illo facio, quando de hoc opificio (artificio forsan) valdè dubitat. Nam si gallinæ & gallinacei, cæteræque aves inclusæ locis variegatis tapetibus ornatis ibidem coëant, ova vim quandam variegatos pullos excludendi contractura facilius admitti potest, quam tempore incubatus. Nam post ovi productionem pullum matris imaginatione signari amplius non posse, inde patet, quod pullus solo calore benè attemperato, ut excludatur indigeat, nec à nostra tantum, sed quacunque alia ave, quin ab ipso homine ovo sub axillis contento, aut etiam fornacibus, quemadmodum in Ægypto fieri notum est, excludi posset.

§. 97.

Candescunt pili à parte sui postrema, ut segetes & gramina. Non omnis tamen pars pilosa simul cum reliquis candescit, sed una præ altera citius aut serius. Ita *Philosophus (l. 3. Hist. Animal. c. 11.)* Tempora hominum & partes primores celerius canitiem sentiunt. Quocirca & πολυκροτά-

φους

φῦς γέροντας *Homer. (l. 1. Iliad. v. 515.)* pronunciavit. Rationem reddere nituntur *Aristot. (l. 5. de Generat. Animal. c. 5.)* & *Lud. Septal. (Comment in Arist. Probl. s. 10. Probl. 56. p. 142.)* sed infeliciter nimis, quod ipsos evolventibus patebit. Pubes novissimè canescere dicitur, forsan quia omnium novissimè in conspectum venit, sed si hoc, illud & barbæ conveniret, quod tamen experientiæ refragatur. Multi namque mentum canum absque capillorum mutatione exhibent, de quibus nostri: *Sie haben sich sehr ums Maul bekümmert.* Ciliorum nigrorum in alba mutatorum historiam recitat *Theod. Zwinger. Vir Excell. (M. C. D. 2. A. 9. obs. 139. p. 232.)* Multum pilorum textura & fermenti alteratio conferre videntur, quo fit ut unius coloris præ altero citius mutationem subeat. Alimenti pariter copiam & paucitatem in medium vocavit *Aristoteles (l. de Color. c. 15.)* qui puerorum omnium, (forsan Græcos, apud nos namque fallit) principio capita ruffa propter alimenti paucitatem & ob id capillos imbecilles & raros tradidit. Ἡ πυῤῥότης ὥσπερ ἀῤῥωστία τριχός. Omne autem quod debilitatur in virtute naturali citius canescit, *juxta Alb. M. (l. 19. de Animal. c. 7. f. 161. a.) decretum.* Et ruffitas pilis imbecillitas ipsi est, ob quod & ruffos celerius, quam nigros canescere statuit, *(l. 5. de Gen. Animal. c. 5.)* Ita & *Stratoni Lampsaceno (l. de Color.)* ruffos puerorum capillos ob affluentem alimenti ubertatem nigricare placuit. Humiditatem & partium teneritudinem allegat *Franc. Aquilon. (l. 1. Opt. Propos. 1. p. 5.)* Puerorum nostrorum capilli ab ortu albescentes & flavi obscuriorem successu temporis sortiuntur tincturam.

§. 98.

Postgenita canities aliquando annos præcocia antevertit vel secundum naturam, vel ob alias tum internas, tum externas causas. *Psamnides Aaronis Camarinæi filius,* ætate adhuc florente canuit, terque victor Olympicus à *Pindaro (Olymp. δ. E. p. 132.)* celebratus. Huic similis *Clymeni filius, Rex Orchomeniorum. Argonauta Erginus,* qui *ex Aliis referente Erasmo Schmidio, (Comment. in Pindar. p. 138.) Lemnum* appulsus ab *Hypsipile Thoantis Lemniorum Regis filia* patri mortuo funebre certamen instituente cum reliquis Argonautis invitatus, & ad stadium ὁ πλίτων ingressus, canus, sed non annosus risum movit Lemniis mulieribus, ut qui cum robustis juvenibus armatus cursu frustra certare videretur. Verum cum præter expectationem Lemniarum spectatricum *Boreæ filios Calvim & Zetem* pernicissimos cursu superasset, eò majori posteà iisdem admirationi fuit. Εργίνου πολιαί, *Ergini* canities præverpitata proverbio ortum dedit. (*Conf. Erasm. Adag. p. m. 633.*) in *Albanica* pueros canescere *A. Gell.*

Gell. (*l.9. Noct. Att. c.4.*) *cum Plinio* (*l.7.c.2.*) memorat. *E Ctesia*, quem tamen οὐκ ἀξιόπιστον pronunciavit (*l. 8. hist. anim. c. 28.*) *Philosophus*, retulit *Hier. Mercurial.* (*l. de Morb. Cutan. c. 6. p. 47.*) esse quandam Indiæ gentem ubi mulieres semel tantum pariunt, & illi partus ac in lucem editi incipiunt canescere. Ita (*l.c.*) *Plin. Pandoras* Indiæ populos in convallibus sitos juvenes canos, senecta ætate nigros capillos narravit. Festinata senectutis insignia in *Trajano* (*Panegyr. c. 4.*) inseruit *Junior Plinius.* Circa decimum sextum annum crispum & spissum capillitium & propter canos, qui frequentes inspersi erant argenti instar albicantes, & spumanti æquori similes *Proëcesius*, ut de Eo scribit *Eunap.* (*in vit. Ejus p. 102.*) Circa vigesimum *Casp. Hoffmann.* incanuit, quod de seipso (*l. 2. de part. Simpl. corp. hum. c. 19. p. 121.*) De juvene 18. annorum, quem senem sexagenarium dixisses, *Dn. D. Joh. Lud. Hannemann.* (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 69. p. 169.*) *Joh. Uldarici Rumleri pater Macarius Rumler.* 30. annos natus, nullo præsente periculo, totus canus evasit. Vid. *Rumler.* (*obs. med. 63. p. 38.*) Habet & quædam *Hadrian. Jun.* (*comm. de Com. c. 20. p. 479.*) *Petr. Laurenberg.* (*Pasicomps. c. 9. §. 17. p. 77.*) Ejusmodi hominem προπόλιον dici, quod ante tempus canescat *ex Ælio Dionysio* citat *citatus junius* (*c. l. p. 425.*) innaturalemque vocat canitiem *Petr. Forest.* (*l. 8. obs. med. 10. p. 242.*)

§. 99.

Est & hæreditaria canities & quasi certis familiis gentilitia. Vidi olim vegetum, & in operibus militaribus expeditum juvenem annos viginti sex natum, sed canum grandique & denso capillitio dotatum, qui talem jam ante decennium conspiciendum exhibuisse sanctè affirmabat. Id vero & Patri Avo contigisse, candoremque huic familiæ quasi proprium & gentilitium superaddebat. De canitie hæreditaria plura *D. Joh. Lud. Hanem. M. C.* (*D. 1. A. 8. obs. 69. p. 169.*) *Vid. Rietlin.* (*A. 1. Lin. Med. M. Dec. obs. 16. p. 479.*) Rectè igitur (*c. l.*) concludit *Pindar.*

Φύονται δὲ καὶ νέοις
Ἐν ἀνδράσι πολιαὶ
Θαμὰ, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας
Ἐοικότα χρόνον.

Nascuntur enim & juvenibus
In viris cani
Sæpè, etiam præter ætatis
Congruum tempus.

De his Nostri festivè jocantur: *Der Esel grauet auch in Mutterleibe.*

§. 100.

Quidam repentè absque apparente aliqua causa facti sunt cani. A particulari ut incipiam, in puella septem annorum ciliorum color palpebræ sinistræ nigerrimus candidissimus observatus *Sergio*, quod testis oculatus *Theod. Zwinger.* (*M. C. D. 2. A. 9. obs. 136. p. 232.*) confirmat. *Gaba* sacrificante puero, ministranti acerram, totius capitis capillitium repentè canuisse, *Sueton.* (*in Serg. Galb. c. 8. p. m. 228.*) *memorat.* Non defuerunt, *addit*, qui interpretarentur significari rerum mutationem, successurumque juveni senem, hoc est ipsum *Neroni.* Pater *Matthæi Lippi de Scarparia*, & *Cechius* sutor repentè incanuerunt, è *Nicol. Florentino* (*Sermon. 7. tr. 6. s. 3. c. 24.*) *Joh. Ben. Sinibald.* (*l. 9. Geneanthr. tr. 2. c. 1. p. 758.*) retulit.

§. 101.

Quidam ex levi causa. Novi religiosum, narrat *Hier. Hirnhaim* (*Typh. gen. hum. c. 6. n. 6. p. 58.*) qui subita invisæ cujusdam rei apprehensione correptus caput palma extensa supernè contigisset, quique digitorum vestigia eidem impressit, capillis, quos tetigerat, subitò de nigris in canos mutatis. Ejusdem ferè commatis est illa *ap. J. B. Helmont.* (*tr. Tumul. Pestis p. 888.*) Quidam expectans manè Prætorem in suum supellectilem missum iri tota nocte sedens mœstus, capite in palmam manus inclinante manè latus capitis canum habuit, qua parte manus tetigerant tempora. Non sine risu & admiratione simul audivit *Paul. Zacchias* (*T. 3. Quæst. med. legal. Consil. 61. p. 115.*) *D. Joh. Bap. Monsilardum Mediolanensem optimum senem, optimum Medicum* narrantem, quod villicus quidam qui duos mulos habebat ad vitam suam tuendam, cum comperisset, illos sibi furto ablatos totus ex mœrore incanuit, mox verò duobus annis transactis mulos reperit, ac denuo canos pilos in nigros commutavit. De Cive Herbornensi, cui ob annonæ caritatem anxio inopina canities obrepsit, annonaque rursus vilescente hilariori evanuit *Joh. Pincier* (*l. 1. Otii Marpurg. p. 36.*) In Capitaneo quodam captivo postridianum suspendium metuenti, & inde canescenti posteà paulatim illa canities recessit, ita ut biennio post ferè omnes capilli nigricarent, commemoravit *Isb. à Diemerbroeck* (*l. 3. Anat. c. 2 p. 486.*)

§. 102.

Inter causas internas vulgò pituitam numerant, in quam refrigerato corporis habitu humores abeuntes subitaneam accelerare canitiem dicuntur *Paulo à Sorbait* (*Med. Pract. tr. 6. c. 5. p. 740.*). Sed floridos illos canos & ætatis

tis gloriam *cum illustri Th. Bartholino (l.3. de luc. anim. c.6. p.385.)* infra dignitatem ejus censeo. Neque pituitosi humoris, quamvis albi, celer adeò motus, neque Splendor ullus est, nisi connati luminis inumbratione, neque pituitosis solis, sed cujusque temperamenti hominibus lucente canitie caput induunt, & omninò plures sunt juvenes phlegmate detenti sine canis, quam senes vergentis ætatis cani sine phlegmate: non tamen inde pituitam candicantem luminis idoneum in pilis receptaculum esse iverim inficias. Pituitam in exilium proscripsit *Casp. Hoffmann. (c.l.p.119.)* Alb. Magnus inter causas recensuit internas nutrimentum pili aqueum, qui & in albedine pilorum simul addidit aëreum, quod forsan in canitie potiorem faciat paginam. Vidit *O. Magnus (l.18. hist. Septentr. Gent. c.8. p.43.)* mures candidum saccharum continuo comedentes candidum induisse colorem, atque itidem eundem exuisse Sacchari comestione subtracta. Albedinem pilorum in animalibus Norwegicis esui nivis ex aliorum relatione ascripsit *(l.8. c.55.) Plin.* Quo etiam inclinare videtur *Subtilis Scaliger (Exer.59. p.213.)* ubi aquam colores accipere & dare enunciat. Neque ab his alienus *Th. Bartholin. (tr. de Us. Niv. c.19. p. 123.)* Sed nive non vescuntur bruta, ut cibo, famem ut fugent, sed ut potu sitis sedandæ gratia, quod in sylvis videmus facere cervos & capreolas, in domibus verò Gallinas, Anates, Anseres. Et si nix pro cibo esset, fame hyberno non interirent bruta Sylvicola, & in Norwegia, ubi durior est nix rupibus incumbens, ut ad abscondita gramina non possent pervenire, non morerentur oves, si de fœno his non prospicerent incolæ, quod è *Petro Claudio (Descr. Norweg. c.32.)* memorat *(c.l.) Th. Bartholin.* Nec aquæ nivales simplices cutim tingent aut pilos, sed metallicis imprægnatæ moliculis, pro quarum diversitate diversam tincturam easdem exhibere posse, *cum acutissimo Joh. Nic. Pechlino (l. de Hab. & Color. Æthiop. c.13. p.143.)* non repugno. Quin & cibos Alcanthinis moleculis gravidos nigredine pilos tingere & conservare equinos, experimento veterinariorum à laudato *Pechlino. (c.l.p.147.)* Suadent & apud nos ut equis in cibum misceantur germina quercus Hippiatri.

§. 103.

Poëtæ senum fronte aurea argento nitenti conspersa, elegantissimè venerandam senectutis faciem designarunt, scribit iterum *ipse ingeniosus Poëta Th. Bartholin. (l. de Luc. Hom. c.10. p.79.)* in qua sub canitie ultimus vigor splendet, sive ob concursum reflexionemque lucis peculiarem cum candore, sive ob veras luminis reliquias, quæ ex enervi & exsucco corpore in comam

refulgentem refugerunt, jam jam cum vita exhalaturæ, ut hæc conjectura novam nec auditam hactenus canitiei extruxerim rationem, ſiquidem ingenioſo eſſe licet. Sed hæc conjectura Oratori aut Poëtæ magis convenit, quam Phyſico, Medico & Philoſopho.

§. 104.

In homine ſenecta, morbo illo naturæ naturali, (*Ariſtot. l. 5. de Gen. Animal. c. 4.*) urgente fermentum pilorum, dum à nutrimento non conſervatur, nec à calore proportionato, ut par eſt, actuatur, canities illa ut fermenti, ita & ſolidioris alimenti defectum arguit, cui & attractricis languorem & torporem addere licebit. Fibræ namque radicis bulboſæ nutrimentum viſcoſum ſugentes duriores evadunt ſuccioresque, ut illud amplius non admittant, appetantque? Non ſine cauſa igitur pilos candicare ob omnimodam exſiccationem & indurationem, judicavit *Felix Plater.* (*tr. 3. Prax. l. 1. c. 3. p. 107.*) Paucis caneſcunt pili ferè, ut ſtramen & fœnum albeſcunt. Diſtinguitur tamen in hoc à ſtramine & fœno albeſcente capillus canus, quod ille adhuc vivat & creſcat; illa verò planè intermortua ſint & marcida. Verius etiam illud effatum deprehenditur in brutis, quibus annuatim pilus defluit, ac in homine, qui non ordinario deciduum geſtat pilum.

§. 105.

Ob morborum ſævitiam multos caneſcere experimur. Podagricis id ſolenne. Vidi olim Podagricum vix annos triginta natum ſexagenarium cano capillitio referentem. Cutis vitio, quod λευκὴν ideo Græci, vitiliginem Latini vocant, pilos omnes produci canos, apertum eſt. Vid. *Ariſtot.* (*l. 3. Hiſt. Anim. c. 11. & ſ. 10. Probl. 35.*) in Febribus ardentibus, Hungaricis malignis idem contingit, quod & mihi accidiſſe teſtari poſſum. Deprehendi tamen & illud, quod Ariſtot. ſubjunxit: Nonnullis pili, dum ægrotarent, incanuerunt: quibus in bonam valetudinem reſtitutis nigri enati ſunt, canis defluxis. Alibi in eundem ferè ſenſum philoſophatur (*l. 5. de Generat. Anim. c. 4.*) Per ægritudinem, ut totum corpus inopia caloris nativi laborat; (copia verò caloris præternaturalis exuritur & exſiccatur.) Sic partes etiam minimæ participant labe. Multum autem excrementi conſiſtit in partibus corporis, quamobrem in pilis etiam cruditas eſt, quod canitiem faciat, poſt verò cum convaluerint, & vires receperint, denuò mutantur, & quaſi juvenes ex ſenibus redduntur, affectionesque proinde mutantur. Fluxit hinc canitiei diſtinctio, quando in naturalem & morboſam diſcriminatur. Vid. *Hier. Mercurial.* (*l. de Morb. Cutan. c. 6. p. 47.*)

§. 106.

§. 106.

Subtiliori mentis acumine rem examinantes imaginationi brutorum gravidorum candorem illum fœtuum tributum eunt, dum toto impraegnationis & gestationis curriculo nivem candicantem tuentur, & ita pilis pellibusque fœtuum alliniunt candorem Hos inter est *Libert. Frommond.* (*l. 5. Meteorol. c. 5. Artic. 5. p. 390.*) & ante hunc *J. C. Scaliger.* (*l. 6. p. 214.*) dum scribit: Sed & praeter alimentum solus nivium aspectus affert matri cum phantasiae coloris hujus ut vel parturiendo, vel incubando (dudum sanè creditur. Vid. *supra §. 96.*) foetus excludant concolores. Lepores albos ita progenerari *Excell. Nostri Rosin. Lentilii* (*M. C. D. 2. A. 10. in App. p. 125.*) mens est. Cur verò ad matrum phantasiam recurrant tanti viri, est quod miror, & tantum non rideo. Insolita & inopinata non consueta phantasiam turbant & afficiunt, & cum in brutis directrice non tantum careat, sed & transiens quid sit, an huic monstra & hujusmodi colores tribuendi sint. Et si quid imaginatio possit, tempore coitus potius, quam gestationis poterit, quod *sagacissimus sanctusque Opilio Jacobus Patriarcha* observasse (*Genes. c. 30. v. 41.*) legitur, quamvis & hic Θεῖόν τι subfuisse Theologi confiteantur. Monstra aliquando pariunt bruta, sed casu ob insolitam à causa obscondita oculo impressam figuram aut ideam, haud aliter ut plantarum semen aut radix per se, aut causa aliqua externa concurrente, monstrum vegetabile parturit. Spectant huc, quae habet *Th. Fien.* (*tr. de Virib. Imag. quaest. 20. concl. 53. p. 175.*) Et si illud de candore valeret, cur bruta non viridi habitu comparent, à graminis & arborum viridium per aestivale & autumnale tempus continuo aspectu, esu & usu cum *Martin. Schoocki.* (*l. de Signat. Foet.*) repono. Unde passeres albi, qui vere ova ponunt & sub aestatis principium ovis incubant? Unde Hirundo alba? quam *Scaliger* vidit (*c. l. p. 213.*) quae non hybernat.

§. 107.

Inter animi affectus terror & metus magnam faciunt paginam. Incanuere quidam unica nocte prae metu ingenti, summo frigore capiti inducto, *Hieron. Jordan.* (*de eo quod est in morb. div. c. 37. p. 138.*) pronunciat. Capillos hos affectus ferire nostri innuunt: *Die Haare stehen mir gegen Berge.* Et *Poëta*:

Obstupui, steteruntque comae, vox faucibus haeret.

(*l. 2. Aeneid. v. 574. & l. 3. v. 38.*) Et *Naso* (*l. 1. Fastor. v. 97.*)

Obstupui sensique metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.

Mulier quaedam incidit in foveam, in qua erat lupus & vulpes, ea una no-

cte incanuit & post tota vita mansit tristis *Andr. Libav.* (*p. 2. Singular. p. 142.*) testatur. Plura in hanc rem expedita vid. *ap. Hadrian. Jun.* (*Comm. de Coma c. 4. p. 363.*) Novi, qui è naufragio præter spem salvi enataverant repentè canos evasisse, prodidit (*c. l. c. 10. p. 424.*) Idem. Repetit & confirmat *Erasm. Francisci*, (*Ost-West-Indisch. und Sinisch. Lust. und Staats-Garten P. 1. p. 7.*) Junxit his milites (*l. 2. de Complex. c. 2. p. 112.*) *Lev. Lemnius.* Commemorant Alii (*addit Jun.*) nonnullos, qui in præruptas rupes aucupii gratia, θήρης μεθέποντες γλυκερὸν πόνον, ut *Nizianzeni* verbis id eloquar, funis ope pervaserant, saluto eo desperabundos præproperam canitiem accersivisse. *Ballus* quidam ex oppido Columnæ *Architectus*, cum laquear quoddam destrui curaret ob novum reficiendum in periculum lethalis casus ex improviso lapsu illicò canus evasit, ea maximè parte in quam casus imminebat *meminit Paul. Zacchias* (*T. 3. Quæst. Med. Legal. Cons. 61. n. 8. p. 215.*) singulare etiam exemplum habet de Monacho Romæ *Th. Campanella* (*l. 4. de Sens. Rer. c. 26. p. 334.*) *Uvipertus* aut rectius *Ubipertus* nec dum professus, nec caputularis à fratribus in Episcopum Raceburgensem electus cum propter annos dispensatione opus esset, Romam petiit, repulsam à Pontifice passus, proxima nocte incanuit, ut postero die à Pontifice non putaretur is qui pridem confirmationem petiisset. Ergo jussit Eum in Episcopum consecrari, quem evidenti signo DEUS probasset. *Hæc Alb. Kranz.* (*l. 9. Metrop. c. 47.*)

§. 108.

Incarcerati mortis metu, eandem subiere vicissitudinem. Exemplis & historiis mecum qui delectatur evolvat *Marc. Donat.* (*l. 1. Hist. Med. Mirab. c. 1. p. 1.*) *Joh. Schenck.* (*l. 1. obs. Med. p. 1.*) *Sim. Majol.* (*Dier. Canic. Colloqu. 4. p. 422.*) *Lev. Lemn.* (*c. l. p. 111.*) *J. C. Scalig.* (*Exerc. 312. p. 1006.*) *Joh. Rud. Camerar.* (*c. 2. Syllog. Memor. n. 14. p. 73.*) *Albert. Ott. Fabr.* (*l. de Aur. Potab. p. 16.*) *Martin. Zeiler.* (*p. 1. Cent. 1. Epist. 17. p. 43.*) *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 16. p. 32.*) *Isbr. à Diemerbroeck*, (*l. 3. Anat. c. 2. p. 486.*) *D. D. J. L. Hanemann. Amicum & Collegam honorandum* (*M. C. D. 2. A. 4. obs. 60. p. 134.*) Metum hunc non rarò incussere conscientiæ stimuli & spectra. *Ludovicus Bavarus Imperator* post damnatam morti propriam uxorem horrendis visionibus tentatus, unica nocte incanuit. (*Joh. Cuspian. de Cæsar.*) Idem juveni somnio de extremo judicio territo accidisse, *è Vincentio B. D. Martin. Gejer.* (*Joh. Bus-Stimm. p. 2. p. 552.*) recensuit. Gregarius homo, qui per octiduum in specu Baumanni oberraverat variis spectris miserè exagitatus totus canus factus, *teste Henrico Eckstormio* (*Epist.*

pist. de Spec. Baumann.) add. Georg. Henning Behrens (Hercyn. Curios. c. 1. n. 1. p. 29.) evasit. Exclamares hic *cum Poëta:*

O nox quam longa est, quæ facit una Senem!

§. 109.

Curarum & laborum moles non reticenda. Notum est in trivio:

Cura facit canos quamvis homo non habet annos.

Exemplum de Architecto Joh. Hollio consignavit *Joh. Uldaric. Rumler. (obs. Med. 63. p. 37.)* Felicius id procedit, si & annorum numerus accedat. Audi *Ovid. (l. 1. de Ponto Eleg. 5.)* qui ita ad uxorem:

Jam mihi deterior canis aspergitur ætas,
Jamque meos vultus ruga senilis arat.

Paulo post:

Confiteor facere hoc annos: Sed & altera causa est,
Anxietas animi, continuusque labor.
Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
(Crede mihi) Pylio Nestore major ero.

§. 110.

In Athmosphæram oculi mentis dirigendi, hæc si pura & intemerata canos exesse jubet. Audiendus *Guilh. Piso. (l. de Med. Brasil. p. m. 603.) Brasiliani*, ait, ob aëris, aquarum & locorum temperiem optimam, parumque ex se culpabilem maturè pubescunt, senescunt tardè, idque sine canitie & calvitio. Qui fit quod longè ultra centesimum ætatis annum viridi senecta non Americani tantum, sed & ipsi Europæi fruantur, totumque adeò territorium macrobium dici mereatur. Contra in regionibus frigidioribus v. g. Norwegia ursi sunt albi, corvi & lepores, & homines ipsi candida cute & pilis albis & flavis, quod *inclutus Th. Bartholin. (Tr. de Niv. Us. c. 19. p. 123.)* in literas retulit. Ita in Alpibus perdices albas & vidit & esitavit *J. C. Scaliger. (Exerc. 59. p. 213.)* Et hanc canitiem regionalem *Marco Antonio Ulrico (s. 1. Physiolog. Barb. Hum. p. 33.)* vocare non sine causa placuit. Frigori hyberno hic multum dandum *O. Magnus (l. 18. de Septentr. Hist. c. 8. p. 439.)* nos informat, dum omnes lepores aquilonares post æquinoctium autumnale primo præsertim nivium casu condidum (dimisso griseo) induere pilum asseruit. *Es giebt in Pohlen, noch mehr aber in Lithauen eine Arth von kleinen Thieren, die den Wieseln nicht ungleich, und auff Polnisch Zaßicz genennet werden. Derselben Fell, welches ein wenig schlechter als Hermelin ist, siehet im Sommer braun aus. So bald aber der Schnee fället, werden sie in einer Nacht über und über weiß, und bekommen ihre Farbe nicht eher*

wieder

wieder als auff den Frühling.Bernh. Connor. aut ex memoriis Ejusdem J. S.(p. 2. Descr. Polon. Epist. 9. p. 780.) Notabile de mutatione à frigore extat Experimentum *ap. Adam. Olear.(l. 3. Itiner. Muscovit. Persic. c. 2. p. m. 156.)* quem si placet evolve, cui junge *Claud.(Salmas. Diatr. de Ann. Climact. p. 757.)* De Aëre etiam *supra* (§. 89.)

§. III.

Inter externas causas frequentem capitis lotionem & nimium capillorum cultum numeravit *Petr. Forest.* (*l. 8. obs. Med. 10. p. 242.*) quem etiam ad calvitiem disponere *infra* (§. *120.*) notabitur. Ut ut è *Q. Seren. Sammonici versibus* ibidem adductis contrarium appareat. Ocyus apertos quam detectos, difflatosque canescere pilos *Aristot.* (*l. 3. Hist. Anim. c. 11. & l. 5. de Gener. Animal. c. 5.*) advertit. *Hermann. Conring.* (*c. l. p. 148.*) causam redditurus, cur ruffo capillitio non amplius, ut olim, rutilent Germani, hanc etiam subjunxit: Jam capiti tegumenta dudum incepta imponi præter morem veterum, unde crines multorum aquei humoris copia necessum est, ut plus scateant, atque utpote, qui à Sole & Ventis, non diffletur & absumatur. Hæc etiam causa esse poterit, cur barba colore capillis sæpius non respondeat. Qui verò caput tectum gerunt citius, *juxta Hier. Mercurial.* (*c. l. c. 6. p. 51.*) candicant. Quia cum calor nativus capitis non possit perspirare, cohibitus in pilis veluti strangulatur, ex quo fit ut pereunte calore nativo facilè postmodum humores illi putrescant. Et hæc etiam ratio est (*pergit p. 52.*) cur unguenta capiti frequenter illita canitiem accelerent, non quod exsiccent, prout hanc menrem *Athenæus* (*l. 15. Dipnos. c. 18.*) *Aristoteli*, licet repugnanti (locis modo allegatis) affinxit, quem idcirco confodit (*Comment. ad s. 10. Probl. 33.*) *Lud. Septalius*, sed unctuositate & crassitie meatus s. pori capitis ita obstruunt, ut non possint exhalare, prout (*c. l.*) Mercurialis ratiocinatur.

§. 112.

Venus immodica huc etiam suum confert Symbolum. Novit juvenem *Joh. Bened. Sinibald.* (*l. 9. Geneanthop. tr. 2. c. 6. p. 756.*) sibi familiaritate junctum, qui vix vigesimo anno peracto ob libidinis excessum niveo penitus capite canuerat. Colorem avium & brutorum à salacitate deduxit *Joh. Bodin.* (*l. 4. Theatr. Nat. p. 373.*) Alioquin & amoris flagrans desiderium *Aitæ ap. Theocrit.* (*Idyn. 12. v. 2.*) senectutem accelerare dicitur

οἱ τε ποθεῦοντες ἐν ἤματι γηρασκουσιν

Qui desiderio conficiuntur, uno die fiunt senes.

Singularem planè canitiei causam *Albert. M.* (*c. l.*) dictitat, multum anhelare

re ad locum ortus pilorum: & simul in uno loco dormientes & contra se invicem anhelantes citius canescunt: quod anhelitus suo calore nimis aperit vias pilorum & poros, & tunc erit subtile pingue, & canescit, & non remanet nisi viscosum humidum frigidum, quod est causa canitiei. Vid. *H. Cardan.* (*l. 8. de Variet. Rer. c. 4. p. 517.*) Sed sic hoc mystax citius menti pilis canescet, aut halitus humanus id non in proprio corpore præstat, quod in alieno. Quod si contigerit acori salivæ, & halitus acredini id erit deferendum. Plura *Pneumatopægnion.*

§. 113.

Quamvis autem variegatas plumas pennasque & pilos in brutis conspicere possis, capillos tamen unius coloris ut plurimum animadvertes. Vidi in Colonello mystacis crines ad ruffitatem vergentes, apicibus albis mirabiles. Ejusmodi phænomenon etiam in suspensis aliquando oculis usurpare licuit. Vidimus Londini, *notat* (*l. 1. Encycl. Chirurg. c. 2. p. 13.*) *Joh. Dolæus*, hominem, qui crines habuit omnium colorum instar Iridis, cujus rei non aliam causam agnoscere possumus, quam quod pili fuerint instar prismatis, inde & radii incidentes & talem colorum diversitatem repræsentabant. Nihil notius est barbam à capillis colore dissentire. Ante triennium occurrit ruris alumnus, cui capilli nigerrimi, barba ruffa, lepidum & ridendum spectatoribus exemplum. Nec novum est aut cœruleorum aut alborum ad canitiem vergentium glomos nigris aut alterius coloris misceri, quos ne rideantur, ursinæ pinguedinis clam factæ illinitioni vulgò imputant, de quo pauca quædam *supra* (§. 90.) sparsa. Puer tribus ferè capitis partibus capillis, quorum colorem mustellinum nominare potuisses, quarta verò & quidem Syncipitis sinistra parte ruffis existentibus *testimonio Viti Prietlini* (*A. 6. Lin. Med. M. Mart. obs. 29. p. 346.*) Fœmina minus honesta, quæ in toto corpore crines ostendebat nigricantes, in pube rubicundissimis septam offendebat *Nobiliss. Dn. Benjam. Schart.* (*M. C. D. 3. A. 5. & 6. obs. 87. p. 123.*) Id verò, ut credam, non semel pilorum obstititit differentia mollitiei & serositatis s. duritiei, & quod interdum ad radices nigri reperiantur. Capillos in capitis dextra parte flavos, in sinistra & barba albos nutriebat *rusticus, Georg. Wittgehl.* id nominis inde consecutus. In Plica subcutanea, cujus *supra* (§. 70.) mentio facta, varius erat pilorum color, quem à Magia excitatum sibi persuasit junior quidam Medicus, quod tanta capillorum varietas à natura ipsi practicabilis non visa fuerit, sed naturaliter, & quomodo id acciderit, rationes consignare aggressus est *Dn. D. Marc. Gerbez.* (*M. C. D. 2. A. 8. obs. 71. p. 184.*)

184.) quem vide. Barbam ſubruffam cum glomis canis à matris imaginatione in ruſtico propriis uſurpavit oculis *Joh. Schenck. (l. 1. obſ. Med. p. 3.)*

§. 114.

Canos tandem priſtinum recuperaſſe colorem ex obſervationibus notum. Octuagenario dentes exciderunt novis ſuccedentibus cum pilis canis nigricantibus *autore Leonh. Thurneuſſer. (l. 7. Piſon. c. 69. p. 347.)* Idem evenisſe *Guilielmo Poſtello annos 130. nato*, & ætate vergente *Joh. Montano Chemico Sileſio è Joh. Franci (Epiſt. Chem.)* excerpſit *Dan. Sennert. (l. de Conſ. & Diſſ. Ariſt. c. Chem. c. 18. p. 315.)* De mutatione coloris, præter canum, hæc conſignavit *(p. 1. Manud. ad Med. c. 1. p. 1.) Joh. Dan. Horſt.* Crine ruber ante quinquennium factus eſt Giſſæ *Nobil. Crafftſchenck ab & in Schweinsberg*, poſt dolores capitis intenſiſſimos febris petechialis. *Anton. Maria Catabenus* pro canis luteos accepit; pro albis verô *Joſephus Fontana*, nigros.

§. 115.

Pergo ad reliqua, quæ pili cum plantis communia habent, v. g. morbos. Referunt inter pilorum morbos etiam canitiem, inter quos *Ariſtoteles, (l. 5. de Gener. Animal. c. 4.)* quod tamen cum grano ſalis accipiendum Hanc veluti quandam putredinem eſſe pilorum, *Idem (ſ. 10. Probl. 35.)* Hinc fieri ſuſpicatur *Septal. (Comm. in h. l. p. 107.)* & approbat quando in Comœdiis pruina & ſitus transfertur convitio in canitiem, dum eam Senectutis ſitum pruinamque vocant, quod etiam *Ariſtoteli (c. l.)* debet. Ætativam ſ. ætatilem appellavit *Marc. Anton. Ulm. (ſ. 1. Phyſiol. Barb. Human. p. 33.)* & pilum talem cadaveroſum, non quod emortuus jam ſit, ſed quia prænuncius exiſtat futuri cadaveris. Noſtri, canos vocant: *Kirchhoffs-Blumen.* De plantarum morbis *Theophr. Ereſius (l. 3. de Cauſ. Plant. c. 27. p. 193.)* egit. Vermes affligunt imprimis plantas, adeoque quælibet planta etiam amaricans, v. g. abſinthium &c. ſuos alit vermes, de quo *Magnif. noſter Argonauta Joh. Mich. Fehr. (Hier. Picr. p. 125.)* Varia excerpta communicat *Ulyſſ. Aldrovand. (l. 6. de Inſect. c. 4. p. 273.)* capillis etiam ſui ſunt Acari. Affectum paucis notum & notatum aſtruit *Dan. Sennert. (l. 5. Med. Pract. p. 3. ſ. 2. c. 5. p. 315.)* Tineamque vocat; quod ſicut veſtes à tinea, ita & ab his vermiculis capilli, in quibus naſcuntur, erodantur. Ῥατάκισιν ſ. radationem, vulgò *die Mölen, Milben oder Fräulein juxta Sam. Haſenreffer. (l. 1. Noſodoch. c. 9. p. 68.)* dici confirmat. Quin & capilli mulierum in vermes & ſerpentes transmutatos vidit *Petr. Borell. (Cent. 1. obſ. 23. p. 29.)* Id verò cur mulierum capillis tantum tribuit antiquitas non virorum, an quod *ap. Tibull. (l. 1. Eleg. 3.)*

Tiſi-

Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit.

Sed hæc è fictionum Poëticarum lacunis. Si mulieris capillus in serpentem transit, cur non & viri? Quæ capilli & serpentis proportio & homogeneitas? Retulit *Roderico à Fonseca (T. 1. Consult. Med. 1. p. 3.)* vir fide dignus, se vidisse apud Indos novæ Hispaniæ equorum capillos, qui, dum equi biberent, in aquas incidebant verti paulatim in angues. Multò magis, *subjungit*, verterentur in eos capilli hoc morbo (Plica Polonica) infectorum propter putredinem & saniem. Ex juba equi mortui innumeros serpentes exortos fuisse *Joh. Christoph. Stecbio (Cæl. Sephirot. f. 1. n. 1229. p. 108.)* retulit *illustris. Comes à Leiningen Hartenburg*, omnesque astantes asserebant vidisse capillos equi semi-serpentes vivos. Expertum est, *scribit Hier. Hirnhaim (Typh. Gen. human. c. 9. n. 6. p. 101.)* pilos ex caudis equorum in aquam pluviam scrobibus exceptam impositos animari, & in longos atque graciles vermes paulatim converti. Idem aliqui docent de jubarum setis fluenti aquæ impositis, quas dicunt transire in serpentes. Sunt è hæ è fabulis Milesiis, è quibus pilos deglutitos in corpore animato in serpentes animari, credidit *P. Borell. (c. l.)* Rectius *Felix Plater. (tr. 3. Prax. Med. l. 2. c. 16. p. 1021.)*: Animantium pili interdum deglutiti rursum cum excrementis excernuntur, qui sidum adhuc calent, conspiciantur se nonnihil torquentes ac si viverent, vermiculos vivos referunt, talesque ab inperitis esse putantur.

§. 116.

Plantæ monstrosæ curiosis sæpè occurrunt oculis, quod *tribus libris de Plantis monstrosis* fusius ostensum. Pari modo & pilis sua sunt monstra. Setosi & densi in agrestibus & Titanicis corporibus. Ita *ipse monstrum Polyphemus ap. Ovid. (l. 13. Metamorph. v. 844.) ad Galatheam*:

Coma plurima torvos
Prominet in vultus: humerosque ut lucus obumbrat,
Nec mihi quod rigidis horrent densissima Sylvis
Corpora turpe puta.

Et *ipsa Galathea (c. l. v. 765.)*

Jam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos,
Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam.

Probat id crinium illud crimen Plica Polonica, cum Rhopalosi. Rhopalosis concretione pilorum constat, quando in baculos coagmentatur (Vid. *Joh. Gorræus Defin. Med. p. 405. Sam. Hafenreffer l. c.*) Hanc *perillustris Raderus*

rus, narrante J.D. Horstio (c. l. p. 12.) horæ spatio à brevi somno meridiano contraxit Veronæ. Sæpius capillus horrore implexus atque impeditus, stuppeo tomento assimilis & inæqualiter hirtus & globosus & congestus prorsus inemendabilis diutina incuria, non modo comendi, sed saltem expediendi & discriminandi, ut *Apulei (Apol. 1.) verbis* utar, evadit. Voluntarium hunc morbum proclamavit, siquidem morbus dici debeat *Theophrasto veridico (in Plico-mastyg.)* causam plicæ nullam aliam statuens. Sed hanc opinionem evertunt Symptomata plicæ eruptionem præcedentia, malusque totius corporis habitus, ubi jam crescere incipit, & intricantur crines. Ubi verò perfecta Symptomatum istorum cessatio & reconvalescentia. Nec soli capilli hic concurrunt, sed gluten aliquod corruptum capillos inviscans, texturamque eorum vitians. Quod si è capillorum pectendi negligentia. Poloni sanè longam comam minimè nutriunt, sed curtam, nec in fine illa cirrhorum generatio advertitur, sed in capillorum circa radices, ubi tricis abscissis cruentatio non rarò operationem turbat. Retudit igitur *istius Theophrasti* spicula quondam *Collega noster D. Simon Schulz. (M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 138. p. 200.)*

§. 117.

Quin & hic in censum vocanda Symptomata, quæ sæpius hujus capillorum intorquii abscissionem sequuntur. Neapolitani, si extremi capilli puerulis suis cirrhi instar promineant excrescantque nolunt, decurtare, persuasum namque illis audivi moriturum infantem sive Epilepsia, sive febri pestilenti, si pili occipitis abscindantur, tradidit *Th. Bartholin. (C. 2. hist. 94. p. 340.)* Insequitur præterea mentis imbecillitas, ut est *ap. Joh. Nicol. Binninger. (Cent. 3. obs. 13. p. 263.)* aut cœcitas, de qua *Dan. Sennert. (c. l. c. 9. p. 329.) Bernh. Connor. (c. l. p. 790.)* aut si etiam spontè & ex improviso excidat steatomatis admirabile augmentum, quod singulari observatione firmat *Exc. Sylv. Samuel Anhorn (M. C. D. 2. A. 20. obs. 19. p. 41.)* quamvis etiam sine noxa aliquando præcisa legatur *(M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 128. p. 193.)* & *Judæus Jonas* adhita prius frictione & unctione Mercuriali salivationis gratia absque ullo periculo eas secabat. Vid. *Bernh. Connor. (c. l. p. 759. & 792.)* Cum plicæ ortus ex materiæ vitiosæ è corpore expulsione non sine causa *Danieli Sennerto (c. l. p. 327.)* reputetur, dicendum fortè si materia illa morbosa maligna ab ejus excisione symptomata supra dicta cum aliis subsequi. Secus verò id materia benigna præsente contingere. Præterea etiam ætas plicæ accuratè attendenda. Si namque statim primam eruptionem illa abscissio insequitur, ob

ob materiam adhuc crudam, & non totum excretam sanguinatio & alia Symptomata ob imperfectam & impeditam crisin, materiæque μετάστασιν eveniunt, haud ita, si per aliquot temporis spatium, materia ritè evacuata, crisique perfecta abscissione malum profligare tentent, cum sæpius natura successu temporis absque sanitatis dispendio ipsa decidat. Majora etiam in corporibus cachecticis deprehendentur Symptomata.

§. 118.

Cæterum non Caput tantum Gorgonei hi fœtus devenustant, sed & barbam, in qua tres in milite observavit *D. Joh. August. Hühnerwolff* (*M. C. D. 2. A. 8. obs. 34. p. 200.*) Apud Judæos comprimis sub axillis, quod è Judæo rescivit *D. Ambros. Stegmann.* (*M. C. D. 3. A. 7. & 8. obs. 36. p. 58.*) nidulantur. Quid quod & in pudendis muliebribus *Joh. Paterson. Hagn.* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 220. p. 401.*) *Christ. Franc. Paulini* (*M. C. D. 2. A. 5. in Append. obs. med. phys. 9. p. 10. & Cent. 1. obs. 77. p. 92.*) De plica è vulnere *Supra* (*§. 48.*) Nec senes tantum infestat hoc malum, sed & pueros. Filius Comitis cujusdam sexennis jam plicas aliquot in pilis capitis habebat, quod etiam aliis *observante Dan. Sennerto* (*c. l.*) contigit. De pueris Neapolitanis jam (*præced. §.*) dictum. Id etiam malum hoc habet singulare, ut in momento aliquando præter omnem spem accidat. Exemplum duorum militum in medium attulit (*Epist. de Plic. Polon. p. 19.*) *Joh. Abrah. Gehema*, qui cum in stagno quodam se abluere cuperent, vix emergentes multas plicas contraxerunt. Nocte plerumque concrescere alii observarunt, è quibus *Bernhard. Connor.* (*c. l. p. 787.*). A spectrorum suctione comarum vulgares ortum eorum deducere gestiunt. Vid. *infra* (*l. 3. Tit. 3. §.*)

§. 119.

Id autem maximè circa plicam huc spectare videtur, quod Epiphonema plicæ suæ explicatæ *M. C.* (*D. 1. A. 6. & 7. obs. 138. p. 202.*) *D. Sim. Schulz.* Historia est mira de plica resecta, & post sedecim annos è clavo pendente in loco ab hominibus remoto, in cœnobio quodam Poloniæ majoris ordinis S. Brigittæ circa *Posnaniam* ad semiulnæ longitudinem accreta monialis cujusdam ejusdem ordinis nomine *Kozialka*, quam sibi vera fide retulit monialis altera S. Brigittæ Ordinis *Constantia Mieszkowska*, dum temporis *Illustrissimæ Dominæ Comitissæ à Dönhoff* domestica, in præsentia *Ejusdem illustrissimæ Dn. Comitissæ.* Aderant tùm unà duo Patres S. J. Colleg. Thorunensis & duo alii monachi Reformati discalceati cis Vistulam Podgurzienses, atque *Georg. Grunack, Civis & Chirurgus Thorunensis.* Diceres mecum, quis resectæ plicæ mensuram & lon-

longitudinem à resectione observavit? quis post tanti temporis decursum eandem iterum mensura dignatus est? Testimonium etiam monialis ad credulitatem maximè proclivis quis venerabitur? Quod si tamen ita accidit, crines in Cirrhis istis à materia glutinosa, aut sanguinis serosi glutine inviscati radices egere fibrosas, haud aliter ut Narcissi aut Tulipæ, cum aliis bulbosis ad tempus aquæ impositæ fibrillas emittere cernimus, indeque eorum incrementum, quousque succus nutritius non defuit, processit.

§. 120.

Ut canities cum aliis phænomenis pilis morbos inducit; ita calvities eorum extirpatio & mors, (quam itidem cum plantis habent communem) omni jure affirmatur. Hac namque radicum corruptioni & siderationi, aut etiam exsiccationi ob nutrimentum deficiens, & pravum debetur. Naturaliter hanc aliquando accidere posse demonstrat Scytharum quædam gens, ab ipso natali calva, de qua *Herodot.* (*l. 9. Hist. f. m. 117. b.*) A certis causis apud nos utplurimum nascitur, eamque ῥῆσιν τῶν τριχῶν (*l. 1. c. 2.*) *Alex. Trallian.* vocabat. Paucis multa dixit *Galen.* (*l. de Med. sec. loca c. 2.*) plantæ aliquæ ob humoris inopiam resiccatæ corrumpuntur, aliquæ verò ob humoris alieni ab ipsarum natura commercium; cujusmodi sunt urina, muria aut lixivium; eodem modo & capilli aut propter humorum ex quibus nutriri consueverunt, inopiam, aut propter eorundem vitiationem accidit, ut corrumpantur. Venena epota calvitium procreare *Q. Seren. Sammon.* (*l. de Morb. Cur. c. 8.*) cecinit:

Defluit expulsus morbo latitante capillus
Si rarò lavitur, seu vis epota veneni est,
Seu Salmandra potens nullisque obnoxia flammis
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

Exempla recitat *Joh. Schenck.* (*l. 7. obs. Med. p. 842.*) *Th. Bartholin.* (*l. 2. Anat. Ref. c. 1. p. 304.*) A Mercurii fumo in deauratione in Aurifabro exemplum dedit *Petr. Forest.* (*l. 8. obs. Med. 5. p. 240.*) Horribile est, quod *Bohusl. Balbin.* (*Dec. 1. Misc. Bohem. c. 16. §. 3. p. 193.*) retulit: *Nobilem Bohemum Bechimium* à spectris crines noctu involantibus & vellicantibus totum calvum factum, cui crines nunquam, quoad vixit, recreverunt. De calvitie à spectro viso *J. Weick. Valvasor* (*T. 3. Descript. Carinth. l. 11. p. 2411.*)

§. 121.

Calvus *Bacchi* comitatui nunquam defuisse credebatur, inde & *Silenus individuus Bacchi comes* capitis ista turpitudine laborasse dicitur, *Christoph. Neander* (*Hist. Bachanal. membr. 8. f. 1. p. 138.*) Calvitium quippe ex immodico vini

ni usu *juxta Balduin. Ronſ.* (*Epiſt. Med. 59. p. 223.*) Ex ebritate aſſidua calor nativus opprimitur, ut benè *Steph. Roderic. Caſtrenſ.* (*Exerc. Med. 26. p. 206.*). Addo & pilorum nutrimentum & radicum ſ. bulborum fomentum ab acri & corroſiva ſeri colluvie corrumpuntur. Vitem vino rigatum areſcere perhibent, quod ignis vis (corroſiva) vim in vitem exerit, & nutrientis humidi facultatem exurit omnem, ut *Plutarch.* (*Probl. de Cauſ. Nat. 31.*) philoſophatur. Sed nec ſolus calvitiem ſibi vendicat Bacchus, ſed & ipſa Venus ſ. Salacitas calvitiei mater ebuccinatur. Quod ipſum & *Ariſtotelis* (*l. 5. de Gen. Animal. c. 3. & l. 3. Hiſt. Animal. c. 11.*) & vidit & notavit. Hinc tritum enatum: Calvi, Moechi, illudque *in Julium Cæſarem Dictatorem* calvum ſcomma: Urbani ſervate uxores, Moechum Calvum adducimus, quod *ap. Sueton.* (*in Vit. Jul. Cæſar. c. 51. p. 23.*) legitur. Conf. & *Joh. Bened. Sinibald.* (*l. 2. Geneanthop. Tr. 2. p. 165. & l. 9. Tr. 2. c. 7. p. 259.*) Invenit in Græcorum monumentis *Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l. 29. c. 18. antiqu. lect. col. 1641.*) Venerem ſtatuam effingi ſolitam cum pectine, ratione ejusmodi, quod Romanis (Græcis) quandoque mulieribus peſtilens obrepſerit pruritus, quem vocant κνήφην, quo excidentibus pilis omnibus nullus amplius fuerit uſus pectinum ea re tàm invenuſta, tamque prorſus odioſa, qua molliculæ aliàs plurimum angerentur, ubi mox Veneri vota nuncupaſſent, rurſus ſuccreviſſe pilos ferunt.

§. 122.

A morbis etiam capilli fluunt, de quibus *C. Celſus* (*l. 6. de Remed. c. 1.*) Poſt febrem acutam cum Aliis mecum obſervavit *Petr. Foreſt.* (*l. 8. obſ. Med. 7. p. 241.*) Puellam novem annorum febre maligna primum, poſt quartana correptam cuticulam univerſi corporis, ungues & capillos bis intra ſemeſtre ſpatium depoſuiſſe *D. Joh. Petr. Albrecht,* (*M. C. D. 3. A. 3. obſ. 124. p. 251.*) *teſtis eſt.* Calvum ex febre acuta notavit *Albert. M.* (*l. 19. de Anim. c. 6. f. 160. b.*) Juvenis quidam nobilis in palæſtra pugillari ſe exercens ſubitò inſtar trunci obriguit (quem in Scholio rectè Catalepticum judicat (*Exc. Actorum Academ. Leopoldin. Collector Dn. D. J. P. Wurſbain*), ita ut nullum membrum nec artus officio ſuo fungi potuerint, qui affectus tamen ſubitò diſcuſſus. Triduo poſt omnes corporis partes, quæ alias pilis luxuriant, illis denudatas ſenſit, imò, quod mirum, ipſa etiam cilia & ſupercilia exciderunt, mentum quoque barbâ privatum, nec poſtea ullus in corpore renatus eſt pilus, *referente juniore Dn. Hannemanno* (*M. C. D. 3. A. 3. obſ. 63. p. 77.*) Quod ſi hoc & aliis è ſequiori ſexu eveniat, illas à *Proſerpina* tonderi, & orco initiari diceres, de qua ſuperſtitione *Macrob.* (*l. 5. Saturnal. c. 19. p. 433.*) *Joh. Saubert.* (*de Sacrif. Vet. c. 10. p.*

230.

230.) *M. Cunrad. Tiburt. Rango* (*l. de Capillam. singul. c. 6. membr. 1. n. 12. p. 103.*) consulendi. Plura de Calvitiei causis *Joh. Argenter.* (*in Galen. Art. Comm. 2. p. 541.*) *Petr. Vasc. Castell.* (*Exerc. ad omn. thor. aff. tr. 8. Diffic. 8. p. 731.*)

§. 123.

Efficere & illam valent Psilothra dicta Medicamenta, corrosiva & venenata, quale apud Turcas, Rusma, quo orientales fœminæ in balneis ad depilandas partes utuntur, de quo *cum Wedelio Magnifico* non dubitat vocabulum esse corruptum à Græco χρίσμα, qualia plurima reperiri in vulgari Turcica lingua, idque ex Auripigmento & calce viva componi *virum præfatum summum* (*Epist. Respons. quæ addita Cent. 1. Exerc. Decad. 5.*) *per illustris Dn. D. Alexand. Maurocordatus Portæ Ottomannicæ Consiliarius & Archiater & t. t. ad Sacram Cæsaream Majestatem Legatus interpres*, docuit. Alopeciæ nomen à vulpe translatum in morbum hanc modo illam partem capitis depilantem, quia ubi vulpes minxerit locum sterilem facit. Evolv. *Nic. Frischlin.* (*ad Callimach. hymn. 3. v. 89. p. 227.*) De urina muris majoris idem venditant, quod locum comatum pilis orbet suis.

§. 124.

Nimiam præterea capillorum culturam & curam in pueris in vestibus annis subsequis præproperam calvitiem inducere *Simon. Pauli* (*p. 2. Quadrip. Rotan. p. 71.*) monuit, haud secus, ut nimia cultura plantas *juxta Theophr. Eres.* (*l. 1. de Caus. Plant. c. 18. p. m. 44.*) effœminat & corrumpit. Idem etiam in juventute & ulteriori ætate accidere ex eadem causa, elegans illa *ap. Ovidium* (*l. 1. Amor. Eleg. 14.*) Elegia testis esse poterit, ubi puellam consolatur, cui præ nimia cura comæ deciderant. Merentur imprimis excerpi & huc referri sequentes:

Facta manu culpaque tua dispendia sentis:
Ipsa dabas capiti mille venena tuo.

§. 125.

Calvis nunquam redire pilum *Aristotel.* (*l. 5. de Gener. Animal. c. 3.*) prognosticon reliquit. Nec hactenus à quoquam, quod sciam improbatum, licet trichopoëtica medicamenta non sine magno numero prostent. De perfecta autem & confirmata calvitie, non annua, in qua radices salvæ extrusis mortuis novam machinantur comam. Communicavit tamen historiam admirabilem *Excell. & propter singularem amicitiam per tot annos intemeratum colimus, Venerandus Dn. D. Martin. Schurich. Physicus ap. Dresdenses meritissimus celeberrimusque.* Publico illam feci sacram in *Misc. Curios.* (*D. 3. Ann. 7. & 8. obs.*

obſ. 120. p. 191.) & in ſcholio hujus cauſam ad ductum naturæ, an feliciter judicare meum non eſt, eruderare annifus ſum, quam hic repetere, cum Miſcellanea noſtra omnium terantur manibus non neceſſarium duxi. Singulari obſervatione potius has de calvitie meditatiunculas obſignare placet de capillis ex inſperato prorumpentibus, & niſi evellantur retrogradis *à D. Davide Spilenbergio* (*M. C. D. 1. A. 9. obſ. 12. p. 18.*) communicata. Vidua quædam immanibus capitis doloribus in menſe ſemel, & quandoq; bis tali typo recurrentibus. Poſtquam intra cranium dolores capitis punctorii, telorum inſtar ab uno latere ad alterum vagantes & quaſi cerebrum transfigentes tertia vel quarta ab inſultu die deſævierunt, inter capillos naturales ſeu natura atros pili novi, præteritis annis albi, jam cani medium digitum longi, canini ab illis appellati, exurgunt, infra verticem potiſſimum hic ſparſim, illic densè (*Buſch-weiſe*) occiput & latera cingentes, coronamque effingentes, atque per ſpatium unius noctis incrementi ſui terminum abſolvunt; doloribus tum ad interna calvariæ parte ad pericranium ſ. ad radices prædicti capillitii plurimum tranſgreſſis, tantis quidem in principio ejus ſtatus, ut cutis ibidem, nec leviſſimum digiti tactum admittat. Eos pilos ſi intra quatriduum evelli curet nobilis fœminæ dolor indies decreſcit: imò inter evellendum in extima cutis parte eundem jam non ſentit, niſi ſimul vicinum naturalem incautè convelli contingat. Sin vero ultra prædictum tempus ſtare permittat, Rem! reciproco & ſtupendo motu intra cutem illi ſe retrahunt, & abſcondunt. Quo facto dolores capitis interni multò majori quam ante, pilorum egreſſum atrocitate recrudeſcunt, multoque diutius durant, adeò, ut in rabiem propè incidat afflicta mulier. *Hæc ille.*

§. 126.

Ornamento Terræ ſunt plantæ. Plantas Microcoſmi partibus addidit ſapientiſſimus Conditor, non ut uſum præſtarent neceſſarium, ſed ſaltim ornamentum. Pili in homine nulli neceſſarii *J. C. Scaliger* (*in l. 1. Ariſtot. de Plant. p. 185.*) *diſſerit*, quidam verò adeo ſunt inutiles, ut etiam impediant uſum vitæ: cujusmodi ſunt ei, quos in ſupremo labro muſtaces Græci vocant. Nam quod *ait Galenus*, *pergit Scaliger*, ad tegendum homini datos à natura, tollit ejus prudentiam, ſimulque elevat eorum fidem, quæ de ipſa prædicabat. Et paulo poſt: Cæterum ineptia hujus pertinaciæ apparet in Cadaveribus, quibus pilos creſcere manifeſtum eſt, cum tamen illorum iis nullus ſit uſus. Scaligeri hoc decretum refellere aggreſſus eſt *Marcus Anton. Ulm.* (*c. l. ſ. 2. c. 1. p. 84.*)

§. 127.

Ornamentum & tegumentum combinant Physicorum & Medicorum non postremi. Dicant quæso cur non omnes animalium partes eodem tegumento bearit natura? siccine infelicior præ brutis erit homo maximam partem hoc tegumento privatus? Sufficit & homini & tegumenti bruto loco cutis adversus externas injurias firma & constans tutela. Non minus horrent Reptilia pilis carentia aëris inclementiam quam hirsuta gressilia. Setæ porcorum quem calorem vibrabunt, quem Erinacei ehini? quomodo tutelam corpori spondebunt Gallinarum quarundam pennæ per totum corpus inversæ & surrectæ? Dantur & Catelli absque conspicuis pilis, si mentum excipias, ex India allati. Poterat, *inquit Joh. Sperling* (*l. 2. Zoolog. Phys. c. 2. Axiom. 1. p. 132.*) brutum esse sine cornibus, sine sqamis, sine pennis, sine pilis, si mentum excipias ex India allati. Conf. *Adrian. Spigel* (*l. 8. de corp. human. fabr. c. 1. p. 229.*) Avium alas ad volatum facere opponis. Non nego. Interim ad pisces volantes & vespertiliones te ablego. Si usum potius respexisset quam ornamentum natura, cur in parandis pennis versicoloribus tàm impigrè laborasset?

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine Campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

(*Ovid. l. 3. de Art. Amand. v. 249.*) si cujuslibet eximiæ, pulcherrimæque virginis aut fœminæ caput capilli honore spoliaveris, & faciem nativa specie denudaveris, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam Venus ipsa fuerit, licet omni gratiarum choro stipata, & tota Cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta cinnama fragrans & balsama rorans calva processerit, placere non potest, nec Vulcano suo, *eloquens formarum censor Mandaurensis* (*l. 2. Miles. p. m. 31.*) judicabat. Ornamento homini sunt primariò capilli & pili, usum si quem præstant brutis, per accidens præstant.

§. 128.

De sensu plantarum *alibi* (*l. 1. de plant. monstros.*) prolixius actum. Sensus his denegatus exquisitus, æquè ut pilis. Exquisitum dixi sensum, cum obtuso gaudeant pili & ungues dum nutriuntur & crescunt à sibi proficuo & proportionato alimento. Ita pili & ungues igni appositi diffigiunt, convolvuntur & curvantur, & resiliunt patiendo valdè, argutatur *Th. Campanella* (*l. 2. de Sens. Rer. c. 13. p. 98.*), qui (*p. 99.*) opificis summi his providentiam collaudat, qui portonibus (ossibus, pilis, unguibus &c.) ubi vividus sensus noce-

nocebat, parum largitus est. Dolor pilorum evulsionem concomitans, aut insequens, partium in quibus pili radicantur, non pilorum est. Jocosum etiam potius, quam verum, Nostrorum, qui à crapula dum capite dolent, referunt, *die Haare thäten ihnen weh.*

§. 129.

Cum igitur pilos esse vegetabilia Microcosmica ex dictis abundè constet, variæ controversiæ inutiles & otiosæ Philosophorum & Medicorum cessent necesse est. An pili corporis partes sint, vario inter se impetu dimicarunt, quibus hoc curæ fuit. *Johannem Heustium eximium Theol. & Med. Doctorem, Ecclesiasten Brouvershaviensem in Zelandia Diascepsin. de pilis, an sint pars corporis scripsisse*, ubi rationum pondere & consensu Physicorum & Medicorum pro sententia negante validè disputavit *Gisbert. Voët. (p.1. Disp. variar. p.772.) testis est.* Locum his in partium numero dedit *Æmil. Parisan. (l.12. de Subtil. Exerc. 4.)* Nondum scimus an ungues, capilli &c. sint partes corporis humani de vita totius participantes, disserit *Hieron. Hirnhaim (de Typh. Gen. human c.5. n.3. p.46.)* Ex data verò hypothesi, *mi Hieronyme!* scimus. Illa quoque facit, ut propudioso excrementorum titulo non amplius signentur. Cur demum eos obiter existere *Nemesius (l. de Facult. Anim. c.28.)* tradiderit non capio. An vivant facilè etiam decernitur. Nutriuntur, *inquit Casp. Hoffmann. (de Part. Simil. c.14. p.111.)* annon satis hoc vitæ? quod tamen *Franc. Valles. (l.2. Controv. Med.5. p.65.)* non credidit.

§. 130.

Ultimum tandem problema discutiendum restat, nim. quod pili in demortuis coloris ratione mutentur. Id verò à modernis sæpius observatum & annotatum est. Nigri intermixta canitie una post mortem hora nigredine omni disparente in candorem nivis albissimæ mutati, quod vidit *D. Joh. Bened. Gründel. (M. C. D. 2. A. 8. obs. 103. p. 233.)* Cui in vita capillitium cum barba nigerrimum & crispulum erat, post mortem tertia die, cum tumulari debebat caput & barba cœpit canescere, quod habet *Noster Christ. Franc. Paulini (M. C. D. 3. A. 3. obs. 184. p. 315.)* Memorabile de Sororio proavi mei *Eckardo Barbato*, præfecto territorii & urbis *Alsfeld* ex nepotum relatu habeo, prodidit *Joh. Dan. Horst. Manud. ad Med. p.1. c.1. p.m.11.)* Aperta piè defuncti crypta, ejus cum filius humo mandaretur, barba olim cana tunc ruffa inventa, cætera cinis. Gemellum huic est sequens *Erasmi Bartholini (M. C. D. 1. A. 2. obs. 170. p. 268.)* in Conditorio aperto, memorat, nihil nisi sceleton inventum & barba, in qua hoc admirationem complevit, quod pili ex curtis in prolixos aucti diffu-

si erant calore fulvo, qui in vivente nigrescebant. Vidit id etiam *immortalis famæ frater, Th. Bartholin.* (*M. C. D. 1. A. 1. obs. 123. p. 281.*). Nigri & cani, infit, in viventibus, in mortuis ad flavum colorem mutati cernuntur.

§. 131.

Historias excerptas retuli, sed quis exactè hujus phænomeni rationes & causas eruet? adeoque inter ardua jure meritoque reponitur *ab Illustri Dn. Nostro Præside Luc. Schrœckio* (*M. C. D. 2. A. 8. Schol. ad obs. 103. p. 232.*) qui, quo valet ingenio, ingeniosè prodidit, pilorum tincturam non tam alimento subinde eis accedenti debere, quin potius ipsi eorum substantiæ esse implantatam, quæ instar fermenti alicujus se habeat, dum à Spirituum præsentia actuatur, lympham vel nutrimentum glutinosum sulphure & sale volatili præditum, alterare, ejusq; particulas sibi assimilare valeat putarem, decidit, à Spirituum cessante affluxu potiorem rationem desumi posse. Adde quæ sequuntur. Et hæc *D. Grün-delii* historiam mirè illustrant. *Ipse* olim (*in prior. edit h. l. p. 15*) id fermento à calore putredinali, aut mutato, aut in vigorem pristinum exaltato ascripsi. Nec post habenda forsan erudita *Dn. D. Theodori Zwingeri* (*c. l. p. 234.*) conjectura, qua idem ferè in pilorum canaliculis contingere posse, ratiocinatur, quod à diversorum liquorum commixtione cum calorum subitanea variatione attoniti animadvertimus. Sed hæc ad mutationem pilorum corpore jam in cineres soluto non ita facilè applicabuntur. De mutatione coloris nigri in flavum ex rure aliam conjecturam afferre libet. Mulierculæ dum cannabim & linum in aqua macerant, in eaque justo diutius relinquunt: lini & cannabis colorem alias album ad fulvum, quin & nigrorem propendere experiuntur, adeoque in ipso putredinis & corruptionis limine stare. Vulgò efferunt; *Es sey der Flachs und Lein in der Röste verbrand.* Cur non & iste color à putredine corporum capillis & barbæ imprimi posset, ut è nigris flavæ appareant. Vestes in demortuorum cryptis nigræ si supersunt, exuto nigrore ad flavedinem inclinant, dum vitrioli nigredine sublata, Gallarum &c. tinctura remansit. Quid, quod pinguiores è cadavere exhalationes ad hanc tincturam multum conferunt, dum ventilatione aëris destituuntur, pilosque quoad colores, immutare, nullum sit dubium. Imò & aliàs pinguia in flavescere si aëri exponantur & putrescunt, & illita flavedinem inducere, notum est.

§. 132.

Coronidis loco addo illud *Helmontii* (*Tr. Tumul. Pest. p. 857.*) capillum cadaveris spontanea sensim morte sublati solo attactu calvos facere. Id autem evenire ex seminali imaginatione & notione timoris & repugnantiæ &c, quam

quam carni & ſanguini in gradu excellentiori conſtituit. Sed hujus credulitatem confutabunt capillamenta viris ferè omnibus apud nos geſtari ſolita, quorum capillis ſpontanea morte ſublatorum, comprimis ſi pro plebejis conficiuntur, nullos admiſceri, quis credet, & tamen neminem ex eorum continua geſtatione ad calvitiem redactum inaudivi.

§. 133.

Nec illa *Petri Borelli (Cent. 1. obſ. 10. p. 14.)* obſervatio reticenda. Domina urbis Torrinenſis in Aquitania vulnus in ſupercilio paſſa eſt, quod à Chirurgo filo ſerico crudo conſutum, admovendis admotis ad curam deductum fuit, tamen filum illud ſericeum, parvo poſt curam tempore foràs emergere viſum eſt, quod cum ad nimiam accederet longitudinem reſectum fuit. Addit, *Petrum Duncanum Medicum Montalbenſem* de eo libellum, qui tamen non editus, compoſuiſſe, id, ut opinor, *pergit*, fieri nequit niſi rerum diverſarum inſitione facultas vegetans jungatur, cibumque per eas tranſeuntem ſua qualitate permutet. Demum poſt relatum puellæ toto corpore hirſutæ hiſtoriam *(p. 25.)* credidit capillorum proventum arte paratum fuiſſe. Potuit excoriari *conjicit*, corpus epipaſtico quodam remedio, & poſtmodum ſerico, cannabi vel lino, crudis tegi, imò fortaſſe lana recenter avulſa, ſicque crevit impoſterum, ſicque poſſet fieri transplantatio ſerici in quadrupedibus, adeò ut ſericum verum in cute varia animalia ferrent. Scilicet per modum inſitionis ſericum, linum & cannabim in animalium pelles inſerere ſibi propoſuit. Cur verò non ponderavit ſtolones virides, non emortuos, arboribus inſeri debere, niſi ſucceſſu defraudari velis. Qualis verò in ſerico vita, talis certè, qualis in aranearum telis. Et linum & cannabim è ſemine terræ mandato creſcere vivida, nemo ignorat, natura verò duce arefacta & emortua, aquarum maceratione, exſiccatione in aëre, & clibano etiam, fractione præthereà toties totiesque enervata qui vitam cuſtodient. Inanis igitur & contra naturam eſt illa Borelliana ſpeculatio & curioſitas. Leporinos pilos tenello puero planeque imberbi in genam inſertos memorat *(in Theatr. Sympath. & Antipath. Tr. de Ungv. Armar. p. 2. p. 559.) Petrus Servius.*


§. 134.

Ut trinum perfectum evadat, de avium plumis adhuc quædam annectere placet. Coloris plumarum in Gallina mutationem ſuggerit *induſtrius noſter J. L. Hannemann. (M. C. D. 2. A. 8. obſ. 163. p. 371.)* quæ colore corvi inſtar nigra, mox tota tamen alba & candida, ut nullum priſtinæ nigredinis veſtigium appareret. Poſt alba quidem manſit, ſed quædam nigræ plumæ albedinem

obſcurarunt, anno ſequenti maculæ nigræ majores & frequentiores. Ex ovis in die viridium poſitis pulli excluſi quotannis colorem mutare credulum ſibi perſuadet vulgus. In vivariis Magnatum Gallinas vidit *Joh. Matth. Faber*(*M. C. D. 2. A. 9. p. 462.*) mira colorum elegantia variegatas, virides & cœruleas, attamen cum arte ſic tincta eſſent, non niſi ad deplumationis annuæ tempus durantes. Carduelem ſeptendecim annorum canum alui, & Manucodiatæ plumas, imprimis flavas tractu temporis albeſcere animadverti.

§. 135.

Sed nec iſto trino abſolvetur hujus Tituli terminus. Fœtui etiam, aut potius Embryoni in utero mortuo, & ad aliquod tempus ibidem detento creſcere poſſe anatome ovillorum uterorum Embryis intus ſceletis *Nobiliſſimi Proſectoris Regiomontani Dn. D. Phil. Jac. Hartmanni* perſuadet. In Embryis iſtis pili longitudinem æquabant (*ſcribit M. C. D. 2. A. 6. obſ. 20. p. 43.*) nec lanæ ovinæ ſpeciem oſtendebant, ſed leves demiſſi, minimè criſpi, colore etiam ſubrubente vitulinos referebant. Pilorum longitudo (*ſubjicit p. 46.*) minus admirationis meretur, cum in vulgus notum, quod in mortuis incrementa capiant; id quod noſtris exemplis comprobatur. Quæ illud ſolum dubii movent, quo factum, quod de lanæ degenerarint natura? Nim. exhalatio ab internis partibus corporis ad externas adacta, juſto humidior fuerit, quam ut lanæ congrueret; præſertim accedente ab utero extus humectatione perpetua, criſpos & hirtos pilos magis atque magis leveſcere atque emolleſcere contingit.



TIT. I.

LIB. I. TIT. II.

De

Nasi Insititii Sympathia.

Summarium.

I. FAcies humana pulchritudinis sedes. Venusti Diis accepti, ad imperium electi. 2. Vulnera turpitudinem faciei inferunt, eorum distinctio. 3. In nasi decore maxime venustas sita. 4. Nasi mutilatio ignominiæ & pœnæ causa facta. 5. Gentes absque nasis. 6. Nasus abscissus an reparari possit. Nasenmacher. 7. Umbra hujus operationis apud septentrionales. 8. Inventores & Artifices. 9. Idem de seipso ulmus. Alii. 10. Insitionis est species. 11. Operatio ipsa. 12. Tradux unde desumendus? 13. E corpore sano. Tempus anni. Hora diei. 14. Symtomata. 15. Inter veros & insitos Nasos differentia. Labiorum & aurium restauratio. 16. Alius processus. 17. Novus insitionis modus. 18. Tradux è carne servi, servo mortuo, mortuus. 19. Qua anima vixerit. 20. Sententia J. B. Helmontii. Dygbai &c. 21. Junioris Helmontii. 22. Sylvestri Ratray. 23. Experimenta. Biolychnium. 24. Narratio ista fabula. 25. Si contigit ab alia causa contigit. 26. Refutatur. 27. 28. Allegantur hujusmodi causæ. 29. Rationes ponderantur. 30. Experimenta. Spiritus sanguinis humani. 31. Biolychnium. Carbones Juniperi. 32. Spiritum sanguinis humani non eludere ignis vim. 33. Vulgi experimentum videtur. 34. Alia Sympathetica experimenta nil ad rem. 35. Alia examinantur. 36. Corporum moleculas in fluido integras posse vagari. 37. Nec sanguis humanus commodè & innoxiè in hunc finem hauritur. 38. Sanguinem non esse philtrum. 39. Infans in utero refellit. 40. De Transfusoria problema.

§. 1.

§. 1.



Aciem omnium partium corporis humani pulcherrimam dudum proclamarunt ſapientiores. Hæc eſt præcipua pulchritudinis ſedes, cum reliquæ corporis partes ferè veſtimentis tectæ latitent, hæc ſola conſpectui eſt obvia. *(Petr. Laurenberg. Paſicompſ. c. 10. §. 1. p. 78)* ipſe *Imperator Conſtantinus (l. 17. ſi quis C. de Pœnis)* hanc ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis figuratam dictitavit, quamvis hoc multis è *JCtis v. g. Conrado Rittershuſio (l. 6. Diff. J. C. & Canon. c. 6. p. 205.)* non ſit ad ſalvam, quod tamen, ſi cum grano ſalis accipiatur, *optimique Imperatoris* ſententia ad examen rigidius non revocetur & ſugilletur animadverſionem non meretur. Exinde factum, ut ad Exemplar faciei vulgò venuſti aut deformes homines pronuncientur. Totus igitur homo in capite vultuque *Apulejo Mondaurenſi (Apol. 1.)* conſiſtit. Totus homo in oculis, totus animus in facie *Joh. de Pineda (Comment. in Job. c. 16. v. 5. n. 3. p. 670.)* Quo divino pulchritudinis dono ornati divinis olim, *teſte Athenæo (l. 15. Dipnoſophiſt.)* miniſteriis aſcribebantur, quod acceptiores fore victimas, ſi a ſpecioſis manibus proficiſcerentur exiſtimarent. Examen in Elide fiebat. Tanta apud Catholicos Sacrorum reverentia (docet *Paul. Zacchias l. 8. Tit. 1. Quæſt. Med. Legal. 1. in Proœm. p. 668.)* ut merito ii, qui ad ea miniſtranda per ſacros ordines promoventur, non animi tantum, ſed corporis etiam quacunque notabili labe carere debeant, unde ſi quando alterutram vel utramque contraxerint, polluti ob id cenſeantur, neque ulterius promoveri, aut ſi jam promoti ſint in ſacris miniſtrare per ſacros canones permittantur. Irregularitatem igitur his inducit una vel altera cicatrix aut faciei macula, *(juxta Eund. c. 1. quæſt. 16. n. 1. ſq. p. 693.)* ob turpitudinem & defœdationem quam inducit, ex qua ſcandalum etiam emergit. Majeſtati etiam vultum luculentum & ſine maculis velificari Politicorum axioma eſt. In regiis Perſarum liberis non ſolum Ephororum cura occupabatur, ut non animi tantum cultum, ſed & corporis & comprimis faciei reniderent, quod è *Platone (Alcibiad. 1. f. m. 14. b.)* conſtare poterit, & *Cyrus* formioſiſſimus celebratur à *Xenophonte (l. 1. Cyropæd. p. m. 4.)* & *à Petro Laurembergio (Paſicompſ. c. 32. §. 3. p. 132.) Xerxes*, quemadmodum *à Cornelio Nepote (in Regib. c. 1.) Artaxerxes macrochir.* Quod ſi verò faciei turpitudo in uno alterove patebat, illam corrigere omni ſtudio & pecuniarum erogatione allaborabant. De *Claudio Tiberio Imperatore* (cujus faciei crebros & ſubtiles tumores aſcripſit *Svetonius (in Tiber. c. 65.)* quin & ulcera

cera (*l. 4. Annal. c. 57.*) *Tacitus* narrant, quod ad delendum faciei Lichenem quinquaginta millia coronatorum Medicis impenderit. *Manilius Cornutus* Mentagra laboravit. Ad cujus remedium inveniendum (*teste Plinio*, *l. 26. c. 1.*) ducenta sestertia elocavit. Plura huc Spectantia *Caspar. Tagliacot.* (*l. 1. Chirurg. Curtor. c. 2. 3. & 4.*) compilavit, quem si placet consule.

§. 2.

Vulnera igitur faciei, licet sanabilia, turpitudinem inducentia, quadruplo, cum aliis duplum hic deberetur, ut insanabilia redimere, & exigi à percussoribus jussit (*l. 9. de Legib. f. m. 354. b.*) *Plato*. Et *Imperator Constantinus* (*l. c.*) faciem humano stigmate notare prohibuit. Quæ deformis est cicatrix, aliquando magis, non rarò minus esse deformis solet; & quæ itidem apparens: sæpè aut magis aut minus apparens nuncupanda. Hujus autem discriminis ratio, judicat *Fortunat. Fidel.* (*l. 2. de Relat. Med. f. 1. c. 8. p. 195.*) tum ab ipsius faciei particulis, tum etiam ab affectus magnitudine haberi potest. Ergo, *pergit*, quæ naso apparet cicatrix, quantum ad partium ornamentum spectat, omnium maxime deformis mihi esse videtur, data nimirum in reliquis paritate: proxima verò quæ in malis, quas prisci genas appellant, & quæ, ut *ait Plinius* (*l. 11. c. 67.*) pudoris sedes est, ac maximè ruboris judicium; tertio loco, quæ in buccis, nisi barbæ tegumento delitescit; quarta quæ in labiis, posteà quæ in oculis, deinde verò, quæ in fronte apparet, ac quæ tandem in auribus. Ita *apud Maronem* (*l. 6. Æneid. v. 491.*) *Æneas*;

- Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:
Ora manusque ambas populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

§. 3.

Ut optimo comprimis jure Nasus totam faciem mutare dicitur, ut secundum ipsius conformationem & situm facierum diversitas emergat; ita & maximam pulchritudinis gratiam vultui conciliat (*Vid. Galen. l. 11. de U. P. c. 8. p. m. 729.*) *Melitius* (*de Nat. Hum. Joh. Baptista Porta* (*l. 2. Human. Physiognom. c. 9. p. 144. Th. Bartholin. l. 3. Anat. Reform. c. 19. p. 366.*) Nasi munus est, ut ipsius decoris & pulchritudinis modulator quidem existat, judicat (*l. 5. Tit. 3. Quæst. Med. Legal. 4. n. 13. p. 452.*) *Paul. Zacchias*. Narium dignitatem commendat, quod solus homo naso eminente donatus, *juxta Andr. Laurent.* (*l. 1. Anat. c. 6. p. 14. & l. 11. c. 14. p. 967.*) & nasi parvi viri ad Sacerdotium non admittebantur (*Levit. c. 21. v. 28.*) Addidit his *Casp. Tagliacot.* (*c. l. c. 5. p. 82.*) quod Pythagoræi

goræi nonnulli in partis hujus efformatione monadem atque Dyadem à Natura expressam contendunt. Substantia nasi est stans super duos triangulos planos, super quos erigitur, quorum uterque est triangulare, super quod erigitur una narium, docet & demonstrat *Albertus Magnus (l. 1. de Animal. Tr. 2. c. 6. f. 9. a.)* Quod verò *ex Dante Fortun. Licetus (l. de Mund. & hom. analog. c. 1.)* & ex hoc *Joh. Sigism. Elsholz (Anthropom. c. 17. p. 86.)* vocabulum Homo in cujusvis hominis facie naturaliter signatum sit, naso Attico exsibilandum. Hinc factum, ut ex nasi decore ornatuque summa sacerdotia, amplissima Imperia & Regna latissima pendere videantur *Talicotius (c. l. p. 80.)* includit. Nasum aduncum prominentemque æstimabant *Persæ*, quod *Cyrus* tali naso armatus regnum capesserit, in aliis etiam Imperatoribus & Principibus felicitatis & prudentiæ signum habitus, prout Exemplis firmatum dedit *(c. l. p. 152.) J. B. Porta.*

§. 4.

Potest autem Nasus mutilari aut etiam abscindi casu fortuito, aut etiam ignominæ causa, qualis Martyribus contigit, Exempla videas *in Martyrologio Romano (III. Id. Octob.) & Audone (IV. Kl. Octobr.)* aut etiam pœnæ loco. Adulterorum etiam pœna nasi abscisio extitit. De ista *Martialis (l. 2. Epig. 83.)*

Fœdasti miserum marite moechum
Et si qui fuerant, prius requirunt
Trunci naribus, auribusque vultus
Credis te satis esse vindicatum?
Erras.

In legibus Longobardorum scriptum invenimus, *(citat. Fortun. Fidel. c. l. p. 297.)* illis, qui unius furti crimine sunt deprehensi oculum erui debere, qui verò duorum, nasum abscindi. Ut jam hinc constet *(addit)* majus supplicium, majoremque turpitudinis notam videri sine naso esse, quam sine oculo. Neque prætereundum, narrat *Alex. ab Alexandro (l. 3. Dier. Genial. c. 5. f. 125. b.)* quod quidam *Æthiopum Rex* fecisse proditur, ut delinquentium crimina non mortis pœna, sed nasi mutilatione puniret, ut eam oris turpitudinem veriti circumspectius à criminibus abstinerent. Inter cæteros proditus est, *pergit, Persarum Rex* quidam, qui cum civili tumultu fœdo esset convicio jactatus, adeò exarsit, ut totius populi nares exscinderet. Cum *divinus* igitur *Poëta suprà (§. 2.) Deiphobi* vulnera divino Carmine recensuisset, vulnus nasi inhonestum pronunciabat, quod turpe & deforme explicat *Servius (in h. l.*

h. l. p.534.) cum insignis deformitas & turpitudo sit in vultu truncis naribus. Pro omnium maxima contumelia illud minatur *per Ezechielem Prophetam (c. 23. v. 25)* DEUS : Nasum tuum & aures tuas præcident. Abscindebatur etiam à Tyrannis fratribus eorum, ne hoc modo deturpati regnum capessere valerent. Exempla collegit *Theod. Zwinger. (l.18. Theatr. vit. hum. c.7.)* Majori idcirco severitate animadvertitur in nasum mutilantes, non ob id tantum, quod hæc pars unica in nostro corpore sit, & nequaquam duplicata, ut oculus, manus, pes, auris, labium, sed quia realiter majus multò dedecus affert abscissio Nasi quam alterius cujuscunque partis. Etenim Narium apice abscisso panduntur sinus & partium internarum recessus, vasti patent hiatus, & cavernæ instar antri Trophonii obscuræ; horrendum certè & abominandum aspicientibus obstaculum, *memorat. Casp. Tagliacotius (l. c. p. 79.)* Mutilationem hujusmodi inferre irregularitatem à solo Papa dispensabilem autumat *Paul. Zacchias (l. 8. Tit. 1. Quæst. med. legal. 8. n. 4. p. 681.)* Canonistasque ob eam dissolvi permittere sponsalia etiam juramento confirmata. *(Id. l. 5. Tit. 3. quæst. 4. n. 20. p. 453.)*

§. 5.

Pro monstris igitur habendi, aut si mitius pronunciare libeat, pro monstrosis Gentibus, si fabulatores *Plinio* non imposuerunt, dum retulit *(l. 6. c. 30.)*. Ferunt ab Orientis parte intima gentes esse sine naribus, æquali totius oris planitie. Obesæ & parum emunctæ naris illos reputes Nasones, qui *teste Francisc. Bacon. Verulamio (Hist. Vit. & Mort. col.554.)* irrisionis pertæsi Nasorum tuberes & quasi surculos amputarunt, & Nasos decentes magis ex aliena carne sibi efformarunt.

§. 6.

Rides & irrides recentium Nasorum fabros, curtorumque Chirurgos Thrasones inter & frustratores numeras, de quibus nostri Germani: *Sie machen andern Nasen, oder setzen ihnen Nasen auff.* Nasum, vel aurem, vel labiorum restitui posse, pro impossibili habuit *(l. 14. M. M. c. 18.) Galenus.* Nec aliter sensere, qui post eum scripserunt Medici. Et sane res creditu dura videtur primo intuitu cutem cuti implantarè, & ex eadem nasum vel aures vel labia formare. Ut hinc à multis præstantibus Medicis & Chirurgis in de Chirurgia libris operatio ista neglecta & omissa videatur. Cum verò Exemplis & historiis id credere compellamur, contra Experientiæ Solem loqui nefas esset.

§. 7.

Umbram hujus operationis aliquando apud antiquos perspicias. Unam infe-

infelicitatem pleræque mulieres (septentrionales) uterum gerendo incurrunt, *scribit Olaus Magnus (l. 18. hist. gent. Septentr. c. 8. p. m. 440.)* ut vel esu, vel saltu super caput leporis facto generent infantulos oris leporini, inter os & nares divisa labia perpetuò retinentes nisi statim à principio assuant particulam pectoris tenerrimi pulli, illicò occisi & sanguinolenti.. Experimentum hoc memoratu dignum vocat *Mart. Aurel. Severin. (p. 2. Chirurg. Effic. c. 175. p. 129.)* Cum verò carnis istius sine dubio mortuæ cum viva consutura spem fallere nemo non opinetur, vix in usum, usum ut præstet, erit vocanda.

§. 8.

Primi, qui hanc operationem tentarunt, celebrantur *Hieron. Fabricio ab Aquapend. (p. 2. Op. Chirur. l. 2. c. 30. p. 857.) Calabri* imprimis *Postropheenses* (Vid. *Carol. Musitan. T. 3. Trutin. Chirurg. c. 46. p. 238.)* inde Magia Tropiensium audit hæc operatio *(l. 4. de Sens. Rer. c. 11. p. 308.) Thomæ Campanellæ*, à quibus ad Medicos & Chirurgos Bononienses devenit. Inter hos commemoratur *Branca Siculus Cataneus Chirurgus excellentissimus.* (Vid. *Stephan. Gourmelin. l. 1. Art. Chirurg. c. de Epagoge*) De hoc ista *Calentinus in literis ad Orpianum* mutilum: *Branca Siculus, ingenio vir egregio*, didicit nares inserere, quas vel de brachio reficit, vel de Servis mutuatus impingit. Hæc ubi vidi decrevi ad te scribere, nihil existimans carius esse posse. Quod si veneris, scito, te domum cum grandi quamvis naso, rediturum esse. Vale. Secutus hunc Ejus discipulus *Balthasar Ravonus* etiam *Siculus*, & postmodum *Professor. & Chirurgus Bononiensis Casp. Tagliacotius*, qui quidem in de *Chirurgia curtorum* evulgato scripto, nullum Exemplum à se restituti nasi inseruit, sesæpius tamen ad experientiam factam provocat, qui *teste Holzapfelio (Epist. ad Mocc. ap. Joh. Schenk. l. 1. Obs. Med. p. 185.)* in reparando tertio naso admirandum se præstitit. Sæpè id præstare Eundem vidit dum Bononiæ studiis operam navaret *Fortun. Licetus (l. 2. de Monstr. c. 20. p. 108. & c. 29. p. 126.)*

Semper honore igitur mactabitur, atque feretur
Laudibus in Cœlum, donec nasi ora venustant.
Vir Tagliacotius promtissimus Arte medendi
Truncatos cujus miranda industria carne
E viva reparat (quid cessas credere?) nasos.

Pincier (l. 1. Ot. Marpurgens. p. 60.)

§. 9.

§. 9.

Nasi Chirurgiam felicissimis Exemplis in agro Brixiano, atque in oppido, quod Monte Chiaro dicitur, præstitimus, de se ipso prodidit (*l.3. Physiolog. Barb. hum. c. 22. p. 239.*) *Tagliacozzi* Synchronus *Marcus Antonius Ulmus*. Constat apud Brixianos Medicos, & alios viros doctos Patricios etiam perplures. Auximus & nos priores hanc Artem & die undecima traducem cutem à brachio separavimus, quod Naribus decurtatis omninò coaluisset, atque hyeme rigente, fuit enim dies D. Luciæ Sacer, cujus exempli admonuimus *Casparem Tagliacozzium*. In hoc autem opere semper usus fui *D. Jacobo Zenaro*, cui parentes dedere sororem meam *Franciscam* conjugem, hic enim vir consummatus est chirurgus. Junior etiam tertii lustri huic Arti diligenter incubui, ut eam semper mihi fuerit decretum non attingere, constititq; nobis semper suscepti consilii ratio, in hujus tamen facultatis apprehensione sategimus, ne Medicinam facientibus nobis illuderent quandoque imperiti Chirurgi & Empirici. Præterea nunquam insano meo addiscendi voto satis fecissem, nisi & hoc qualecunque quantumcunque Artis est, exhausissem. Urget. Urget & urit adeò me cupido sciendi. Hæc de se ipso *Ulmus*. *Johanne Griffonio* parario puella nasum abscissum, *referente Guilh. Fabricio Hildano* (*Cent.3. obs. Chirurg. 31. p. 214.*) cum felici successu recepit. *Antonii Molinetti* pater *Henric. Mœnichenio autore* (*obs. Med. Th. Bartholin. communic. & Mich. Lyseri cultr. Anatom. adi. obs. 23. p. 256.*) Polono cuidam pariter Nasum secundum Methodum *Taglicotii* restituit. Minor natu familiæ *à S. Thonno*, observat *Ambros. Pareus* (*l. 2. op. Chirurg. c. 2. p. 488.*) & ex hoc forsan *Joh. Vigierius*. (*l. 2. Chirurg. c. 20. p. 174.*) nasi argentei & probrosi, quem multos jam annos circumferebat pertæsus ad Chirurgum in Italia perrexit, & Artis industria Nasum recuperavit, magna omnium, qui ipsum noverant, admiratione. An adhuc in Calabria & Italia ejusmodi artifices sint, dubitat *Carolus Musitanus* (*c. l.*) & ipse Italus.

§. 10.

Nasi insitio vocatur, & *Matth. Gottfr. Purmanno* (*p. 1. Chirurg. Lorber-Kranz c. 17. p. 113.*) *das Nasen impfen*. Ab insitione namque originem suam desumsit, ut pulchrè *Casp. Tagliacot.* (*c. l. c. 12. p. 149.*) demonstravit, adeoque ex agricultura sua principia cepit, plantarumque adulteria æmulatur. Hortulani namque studium est:

Ligno infelici felicem includere ramum.

(*Renat. Rapin. l. 4. Hortor. v. 117.*) Cum verò plures sint insitionis modi,

Aut nova discreto figuntur germina libro,
Aut aliud summo robore fissa capit.
Aut virides oculos extremum gemma tumoris
Concipit, & lento stringitur unda sinu.

(*Pallad. l. 14. de R. R. qui est de insitione v. 41.*) Quatuor autem comprimis recensent, cum arbori resectæ & fissæ oculus imponitur, cum inter corticem & librum arborum germina induntur, cum arboris ramo, cum exiguo cortice gemma una adaptatur, & cum perforata quæ inseritur arbore alterius arboris ramulus, quem traducem appellant, transmittitur. Tres modos habent veteres de qua vid. *Columella* (*l. 5. de R. R. c. 10. p. m. 461. & l. de Arbor. c. 26. p. 684.*) & ante hunc *Cato* (*de R. R. c. 41. p. 20.*) una nempe quæ fit sub cortice & infoliatio dicitur, altera quæ in trunco & propriè insitionis nomine venit; tertia Emplastrationis aut inoculationis verbo exprimitur. Insitionis & inoculationis saltem meminit *Theophrastus* (*l. 1. de Caus. Plant. c. 6. p. m. 133.*) Priores duas forsan pro una reputans quantam per terebrationem addidit *Columella* (*l. 4. de R. R. c. 29. p. 426.*) quamvis & hujus mentionem fecerit *Cato*, (*c. l.*) diversam tamen esse *à Columellæ* instituto *C. Tagliacot.* (*c. l. p. 152.*) tradidit. Sed hæc disputatio non est hujus loci. Id potius *ex Eodem* (*c. l. p. 155.*) subjicimus: Convenire, si quis rem introspiciat hanc artem rectæ insitioni, & non saltem uni generi, sed duobus, imo tribus inoculationi nimirum per traducem insitioni, & quæ surculum à matre pendentem recipit. Ab iisdem & planè ab omni insitione discedit, dum additamentum quoddam ex Artificis industria habet. (*p. 157.*) Cum enim Agricolæ uni tantum Arborum coalescentiæ studeant, quodque si assequantur, præter earum conservationem nil amplius moliantur, non tamen id hic loci suffecerit, sed postquam curta membra cum traduce firmiter adhæserint, & propago ab antiqua matre divulsa fuerit, tunc radix penitus; & informis illa materia subigenda, & in figuram amissæ partis, summa opificis solertia reducenda est.

§. II.

Materia cutis simplex (eaque sola *l. 1. c. 13. p. 159. & c. 15. p. 168.*) non portio carnis è musculo brachii bicipite, quod tradit *Ambros. Pareus* (*l. c. p. 457.*) & *Purmann.* (*c. l.*) ante conjunctionem cum curtis delineanda prius & educenda (*l. 2. c. 3. p. 326.*). Locus & regio ex qua eripitur est humeri pars anterior (de positu brachii) (*l. c. c. 14. p. 162.*) Copulatur autem cum decurtatis partibus ipsa materies futurarum opera, (*c. 16. p. 177.*) & pluribus constricta deligationibus, iisque idoneis rectè conservatur, quousque & cutis & curta coalescant.

Copiam

Copiam autem in traducis eductione amplectamur, & parsimoniam ceu noxam fugiamus. (*c. 15. p. 173.*) Si cutem arctius deligaverimus imbecillam aliàs jugulamus, neque solum si radix ipsa, sed ubi & insititius ultra modum constringendo compressus sit. Nequit enim alimentum attrahere exigua adeò caloris particula: nec demandatum conficere. Hinc rugosior fit, hinc sensim desinit, & emoritur. Si igitur deligationem duriorem paulò esse circa radicem contigerit, nulli dubium est, quin sanguine & alimento ob itineris angustiam interclusus, universa traducis amplitudo, quod nequaquam nutriatur, justam ob causam decrescat. Ideò contingit, si prope radicem, qua alimentum effertur partes supernas callus quidam circumnectat. (*l. 2. c. 9. p. 399. add. c. 15. p. 493.*) Universa demum traducis configurandi ratio tribus partibus contineri videtur: Myxis nempe & columna efformandis, insitione ejusdem, & tandem æquali traducis atque consentienti ad naturæ typum conformatione. Nihil tamen tentandum est ante decimum quartum ab resectione diem, quo elapso adaptatus tradux sat roboris jam acquisivit, & obliterata hospiti novitate in familiam eandem cum curtis naribus coaluit. (*c. 16. p. 497.*)

§. 12.

An materia traducis è proprio corpore, an ex alieno desumenda? non immeritò disquiritur. Traducem ex alieno corpore desumi posse tàm autoritate, quam ratione comprobare confidimus, regerit *Noster.* (*l. 1. c. 18. p. 194.*) Non usque adeo ingens naturæ intercedit dissidium, cum homines inter se specie conveniant, nec tanta est nostrorum corporum, quanta reperitur plantarum diversitas, quas tamen parvo negotio sub easdem conjugii leges adduci, & mutuo naturæ vinculo connecti non sine admiratione videmus. An verò quandoque id generis curta ex alieno corpore restituta fuisse visum fuerit, certè neque legimus, neque audivimus, neque attentavimus unquam, neque qui hoc concedat, ut sese frustra excrucient, vix nobis persuadere possumus. Procul dubio ex animi sententia his potiri possumus (*concludit p. 196.*) Si traducem ex corpore sano, florido & succulento seligamus, & quæ morbosa sunt, decolora & effœta respuamus. Interim nemo non videt, (*pergit p. 200.*) ex colligantiæ difficultate, & incommodorum, quæ bina corpora, si conjungantur, consequuntur, necessitate quam dubios, si non inanes penitus Artis effectus fore, & eo magis cum neque actio in proprio ejus, cui medemur corpore, haud quaquam vacet periculo. Decernit tandem; Omnibus liquet hanc Chirurgiam magis in proprio, quam alieno corpore expetendam esse, cur in illa sit operis; utcunque

fuerit

fuerit ſpes certiſſima; hæc verò periculum inſigne, quinimò de toto negotio quandoq; deſperationem ſecum afferat.

§. 13.

Quod ad reliquas circumſtantias. In ſano ſucculento & florido corpore ad votum ſuccedit, & in virili ætate conſtitutis (*l. 2. c. 10. p. 309.*) Pituitoſa & melancholica omnium ineptiſſima, & ad ſubeundam hanc curtarum operationem minus accommodata ſunt, ut & quæ prava eluvie teterrimaque humorum ſentina ob viſcerum vitia perfuſa ſunt, & à Medicis Caccorhyma & mali habitus dicuntur (*l. 1. c. 17. p. 187.*) Vernum tempus & æſtatem conducere, alterum quidem ut inſertio partium earumque unio ſuccedat, alteram verò ut partes unitæ inſtaurentur & confirmentur: ut hyemem & autumnum inepta eſſe, & in hoc opere præſtando effugienda, non tamen usque adeò iniqua, ut artis beneficia omninò irrita faciant. (*p. 193.*) Diei oportunitas captanda, quæ ut puriſſimi cœli nitore amico vultu renidens animum ægroti quaſi excitet operi non minimum emolumentum afferat. Opportunæ ſunt horæ matutinæ (*l. 2. c. 12. p. 434.*) cultros ſæpius mutare oportet, cum profundente ſanguine acies illa ſubtiliſſima ac tenuisſima vel ob humorem adhærentem, vel ex calore emolliente promptisſimè retundatur. (*ibid.*) Non neget magnum eſſe aptè & & concinnò citim illam exſcindere, ſed neque contemnendum eſſe putat & adeò egregiè & decenter unionem efficere, ut difficulter oculis pateat & nunquid ea pars unquam diſcreta fuerit vix in animum inducas: imò id credit cæteris eſſe maximum (*c. 1. p. 428.*)

§. 14.

Symptomata quæ naribus refectis accidunt, ſunt (*α.*) ſenſus ignavia. Poſt coalitum vita & nutritio neceſſaria eſt, minus verò opus eſt, ut partes tantoperè ſentiant. Itaque parcius Spiritus animales (Natura) demandat, largius verò alimentum atque vitam, ut hac de cauſa nutriantur quidem nares atque vita fruantur, privati tamen ſenſu ad quædam temporis momenta appareant (*l. c. p. 278.*) (β) color narium albicans. Nam narium cute atque etiam faciei totius, quæ in brachio cutis exiſtit ſemper eſt albicantior (*l. 1. c. 24. p. 277.*) (*γ.*) Flaveſcentia. (*δ.*) Caloris imbecillitas. (*ε.*) Flacceſcentia. (ϛ.) Rigiditas. (ζ.) Laxitas. (*η.*) Livor. Qui paucis à peracta inſitione diebus minus conſpicuus eſt, appetente tamen frigore & præſertim circa initia poſt unum vel alterum conjunctionis annum, quo tandem flos ille perit & venuſtatis gratia evaneſcit (*c. l. p. 187.*) (*ϑ.*) Rugoſitas. (*c. 25. p. 288.*) (*ι.*) Propaginis diſſimilitudo cum ipſa curtarum partium cute, altera eſt piloſa, altera depilis, hæc glabra, illa verò hiſpida

ſpida (*ib. c. 17. p. 186.*) Frigus iis comprimis familiare eſt, quibus paulo ante hyemem Nares reſtitutæ ſunt, & qui nulla integumenti cura adhibita ambientis aëris iniquitatibus ſe expoſuerunt. (*p. 290.*) Frigoris inde violentia vitanda. (*l. 2. c. 15. p. 489.*)

§. 15.

Diſcernuntur igitur iſtæ ſecundæ & Arte fabricatæ è primis illis & nativis colore, mollitie, ſenſus vigore, magnitudine, pilis & foraminum anguſtia. (*l. n. c. 24. p. 277.*) Magnitudine vincunt primas illas (*Vid. §. 7. h. Tit.*) & congeneas partes, ſi poſt unum vel alterum operationis annum veram detruncati membri effigiem præ ſe ferre debent. Etenim ab ambiente frigore ſenſim conſtringuntur, & conſtrictæ contrahuntur, unde plurimum de magnitudine illis decedit. Minus intereà malum eſt, amplas geſtare Nares & prolixas, atque id per breve ſaltem ſpatium, quam imminutas & deformes per integrum vitæ curriculum circumferre. (*c. l. p. 279.*) Hæc *è Tagliacotio*, plura vide *in Ejus Epiſt. ad Hieronym. Mercurial.* (quam inſeruit *l. de Decorat. c. 18. p. 116. ſq.*) Confer. *Joh. Schenk* (*l. 1. obſ. Med. p. 185.*) *Alexandr. Benedict.* (*l. 4. Anat. c. 39. p. 1249.* (*Andr. Veſal.* (*l. 3. Chirurg. c. 9.*) *Dan. Sennert.* (*l. 5. Inſtit. Med. P. 1. ſ. 1. c. 14. p. 1062.*) *Carol. Muſitan.* (*Tom. 3. Trutin. Chirurg. c. 46. p. 238.*) *Matth. Gottofr. Purmann* (*c. l. p. 111. ſq.*) Eodem etiam modo poſſe fieri labiorum & aurium reſtaurationem *Tagliacotius* (*l. 2. c. 19. p. 531. & c. 20. p. 546.*) docuit. Confirmat *Fortun. Licet.* (*l. 2. de Monſtr. c. 20. p. 108.*) *Petr. Borell.* (*centr. 1. obſ. med. phyſ. 10. p. 16.* Hocque præſtitiſſe etiam *Tagliacotium*, *Thom. Lanſius* (*orat. pro Ital. p. 497.*) retulit.

§. 16.

Nicol. de Blegny (*Zodiac. Gallic. Ann. 2. M. Mart. obſ. 5. p. 76.*) diverſam abhac Methodum recitat, de rei veritate tamen dubitat, de quodam cui naſus omninò præciſus ab aliquot diebus. Hic ex proprio conſilio Naſi reliquias reſuſcitato vulnere applicuiſſe famuli ſui recens reſectum naſum, ſuccedente utriusque conjunctione & coalitu. Adveniente autem dicti famuli obitu in necroſim abiiſſe, prout corpus cui ademtus fuerat Naſus ad corruptionem vergebat. De veritate verò ſequentis caſus, *ſubdit*, certiſſime conſtat. Anno ſc. proximè præterito militem, cui naſum decuſſerat acinaces, rogaſſe D. Vinſaultium, Chirurgum primarium Legionis Burgundicæ, vellet ſibi reſarcire adhibita ſutura, quod tam egregiè præſtitit, ut naſus reſtitutus æquè ac antea uſui ſit, nulla ſuperſtite in vultu deformitate, imò ne cicatrice relicta manifeſta. De naſo recenter deciſo, & illicò reconjuncto optimè alligato, & reſtituto etiam *Arcæus* (*l. 1. de curand. vulner. c. 7.*)

§. 17.

De naſo Domini perdito & abſciſſo famuli naſo reparato hiſtoria inſitionis à nullo Hortulano tactum aut factum novum, ſed rusticum & nullius ingenii modum in memoriam revocat, quam Rusticus ante viginti & quod excurrit annos in hortolino ſuo mihi demonſtravit. Sylveſtrem arbuſculum mali digiti minimi craſſitie obliquè ſecabat, & alterius bonæ notæ craſſitie ipſi proportionatam, & ad eundem modum ſectam eidem ruditer vinculo applicabat, & palo, ne à vento combinatio impediretur, alligabat, & ita feliciter ſatis emphyteuticam exercebat. Ad eandem rationem naſos abſciſſos reſtituti poſſe fortè quis concluderet, niſi inſignis diſparitas inter ramulum & naſum abſciſſum intercederet, cum ille abſciſſus vitam diu ſervet; hic oppido poſt abſciſionem frigeſcat & emoriatur.

§. 18.

Gemella etiam ex parte videtur iſta narratio ſequenti, quam habet *Anonymus Autor Theſauri rerum admirandarum.* Sibi, *narrat*, à viro fide digno, & qui ejus rei oculatus teſtis fuit, relatum, Anno 1579. Nobilem Neapolitanum, cui in conflictu naſus amputatus erat, cum ſervo quodam contraxiſſe, ut è brachio ſuo, more in Chirurgia deſcripto, naſum ſibi reparari pateretur. Quod, ubi ex Arte factum eſſet, accidit, ut triennio poſt ſervus ille ægrotare inciperet, ſimulque Nobilis ille de dolore Naſi conquereretur, tandemque ſervus planè moreretur. Quo facto & particula illa Naſi è brachio ſervi Nobilis Naſo appoſita, emortua eſt. Recitat hanc etiam *J. B. von Helmont. (tr. de magnet. vuln. curat. n. 22. p. 578.)* aliis tamen verbis mutatisque circumſtantiis, quam idcirco apponere dignam judico. Bruxellenſis quidam, *ſcribit*, in pugna Naſum amiſit, adivit *Chirurgum Tagliacozzum Bononiæ* degentem, ut Naſum præſtolaretur: & cum inciſionem brachii ſui timeret, bajulum ad hoc conduxit, è cujus brachio tandem Naſum dato pretio emit. Mox, tredecim circiter menſes à reditu in patriam, repentè naſus inſititius friguit, & ab inde aliquot diebus putrilagine cecidit. Cujus rei inopinum caſum inveſtigantibus inventum fuit, eodem fortè momento, quo naſus friguit, expiraſſe bajulum. Legitur etiam *ap. Athanaſ. Kircher. (l. 2. Art. Magnet. p. 4. c. 3. p. 280.) G. B. de Saint. Romain. (p. 4. Phyſ. c. 21. p. 357.) Guilelm. Maxvell. (l. 1. de Med. Magnet. c. 7. p. 36.)* qui addit: a quodam amico, Medicinæ Doctore, ſimilem hiſtoriam audivi, cujus ſe teſtem oculatum ſanctè aſſeruit. Ego ſanè non tantum apud probatos Autores expertosque ea legi, *ſcripſit Petr. Servius (tr. de Unguent. Armar. p. 1. in Theatr. Symp. & Antip. p. 551.)*

ſed

ſed etiam à nobili eruditoque viro & ab omni fuco alieniſſimo accepi, Panormitanum Equitem multos annos habuiſſe naſum, è famuli carne reſtitutum; hoc vero mortuo, eundem amiſiſſe.

§. 19.

Quæ ipſa obſervatio à præſtantiſſimis Philoſophis Medicis, Chirurgis & Chymicis digna æſtimata fuit, ut diſcuterent, cur cadaveris totius putredo particulæ iſtius inſititiæ poſt ſe traxerit putredinem. Quæſiit & *è Thoma Campanella (c. l. p. 309.)* Amicus, cujusnam anima vixiſſet in iſta Naſi particula, ſervi an Domini? quare mortua ſit mortuo ſervo? Si Servi, quare vivebat ab eo ſeparatim? Cur non quæcunq; reciſa membra intereunt? Dixit autem, ad cujusq; rei conſtitutionem concurrere, totam rerum univerſitatem & harmoniam, omniaq; certo ordine currere, qui præteriri nequaquam poteſt: & vitas cunctis bus à DEO ſtatutas omnes, & ſimul à conſenſu omnium cauſarum ſecundarum, & rerum, quæ in virtute primæ ſunt, & operantur. Quapropter fatendum eſt vitam illius particulæ dependere à prima conſtitutione, quam habuit in ſuo toto, ſejuncta ex tota rerum univerſitate. Sed quia à ſuo toto ſejuncta erat, quoad radicalem ſubſtantiam pertinuiſſe ad vitam ſervi, quo verò ad conſervationem nutrimentalem, ad vitam heri. Sicut funiculus lucernæ habet ſubſtantiam à goſſypio, & nutrimentum ab oleo & vivit vita lucernæ & Goſſypii; Et ramulus inſertus de pomo in pyro vivit vita pomi radicali, & pyri nutrimentali. Quapropter ſi deficit nutrimentum, moritur, ſi ſubſtantia nutrita, etiam moritur. Cum ergò cœlum (*pergit p. 310.*) & univerſitas rerum terminaſſent vitam ſervi nutu DEI, neceſſe erat particulam ab eo abſtractam ſimul mori, quoniam cauſæ faventes & adverſantes communes erant illis, & quidem mortua radicalis; ergò fruſtra accurrit nutrimentum, cui res nutribilis defecerat. *Hæc Campanella,*

§. 20.

Si ſenſus Magnetis usque ad polum extenditur, quis dubitet de ſenſu cæterarum rerum in aëre communicantium, *Idem (c. l, c, 20. p. 302.)* concludit. *Citatus* igitur *Helmontius (c. l.)* Mumialem allegat Magnetiſmum. Annon eſt Mumiæ Magnetiſmus ille, *quærit*, quo Naſus vita communi ſenſu & facultate vegetativa tot menſibus inſitionum jure gaudens repentè trans Alpes mortuus eſt? *Kenelm. Dygbæus (orat, de pulv. Sympathet. p. m. 114.) & de Saint. Romain (c. l. p. 358.)* beneficio Atomorum id fieri poſſe declarant. Alii Spiritus localiter ſejunctos ſpiritualem ſuam tueri unitatem, aut Spiritus ad priſtina ſua corpora redire *cum Joh. Chriſtoph. Steebio (Cœl. Sephirot. præfat*

fat. m.17. p. 2.) tradunt. Egrediente enim è putrescente Rustici cadavere Spiritu, particulam ejus è Naso Nobilis egredi, nasumque putrescere, putarunt. Vid. & *Laurent. Strauss.* (*Epist. ad Com. Dygb. de pulv. Sympathet. p. m. 141.*) & *Joh. Commen.* (*Synops. Phys. Reformat. App. p. 170.*)

§. 21.

Junior Helmontius Franciscus Mercurius, (*Alphabeth. Natur. Colloqu. 5. p. 42.*) ea, quæ aliquando vitaliter fuerunt unita, eorundemque spirituum influxu vivificata, quamvis postmodum separentur, semper tamen aliquam retinere cognationem atque Sympathiam, sive illa actu sive exerat, sive minus, docuit. Huc pertinet, *addit*, quod in Belgio accidisse memini in Clerico quodam, cui ob Gangrænam Chirurgus crus resecuerat; quo facto cum in alio conclavi quidam cultello in membrum illud resectum, quod quasi pro mortuo habebatur, scinderent, ægrotus summo cum dolore sectiones omnes sentire locumque absens ostendere poterat, quo factæ essent, quasi illud ipsum crus à corpore ejus non fuisset separatum. Ad eum fermè modum Alius quidam militia clarus, cum crus ipsius tormenti ictu ablatum muro alicui insertum esset, non prius sentire poterat à summis doloribus levamen, quam illud exemtum atque sepultum esset. In eandem ferè sententiam propendet *J. Chrys. Magnenus.* (*Democrit. Reviviſc. Disp. 2. c. 3. Prop. 22. p. 197.*) *J. C. Weber.* (*de Liquor. Stypt. p. 23.*)

§. 22.

Sylvester Ratray, Medicus Scotus (*de Caus. Sympath. & Antipath. p. m. 69.*) præsupponit, omne suppositum constare ex materia, forma & fermento. A materia habet suam quantitatem & consistentiam, à forma habet, quod vivat, & sentiat luculentius aut obscurius, & à fermento omnes alias actiones quæcunque dependent, ut & mutationes ad bonum vel malum. His igitur præsuppositis sequentem format discursum: Hinc patet, quomodo affecto sanguine & spiritibus intra venas hominis fermento Icterico vel Melancholico, afficiatur spiritus sanguinis in vitro Hermeticè clauso, etiam mutatione coloris in lividum & flavum &c. quod simili modo ab eodem fermento iste Spiritus afficiatur, quo afficitur sanguis in venis, licet in maxima distantia: & cum istud fermentum non possit produci per se intra vitri parietes, oportet illud advehi; unde etiam patet, fermentum penetrans vitrum Hermeticè clausum, dimensionum legibus non esse astrictum, quod etiam patet in Magnete penetrante marmora, saxa montes, &c. Secundo, *pergit*, cum constet ex prædictis, formas rerum non differre specie aut numero (omnem autem differentiam provenire à fermentis) & esse quasi radios formæ universalis, quam demonstravimus dari, radii

autem

autem isti in Centro universalis formæ conveniunt & uniuntur. Hinc patet, primò radios formarum totius & partis compatientium simul convenire, & cum affecto uno, eodem modo afficitur alterum, (sive id sit totum, sive pars,) neque forma unius per se alterius radios sic permutare potest, (cum res non alterent se per animam, sed tantum vivant & sentiant) restat, cum radiis unius formæ fermentum (cum sit spirituale) alterius affecti in distans ferri, ut reciprocè colloquia privata habeant; ut unum aliud benè aut malè afficiat totum, attrahendo ad se ægritudinem partis, pars etiam ægritudinem totius, vel illi communicando robur & sanitatem sibi ab alio amico præsenti communicatum: licet non sit utrique præsens. Sufficit, ut vel toti vel parti adhibeatur, & sic de morbis, ab inimico uni vel alteri implantatis, dicendum. Prioris exemplum erit, quod testacia ferè omnia, procul etiam à mari, fluente eo, aperiantur & contra. Alterius exemplum erit de naso insititio. Vel sic, quia sigillatur forma rei ab inimico affecta fermenti specie & imagine: & istud sigillum sic formæ inustum, retinet fermenti & rei sensibilis vim & efficaciam: & penetrando radios formæ, amici sigillum in ea simile producit (uti fit in colore, sapore, figura, motu & cæteris signaturis sibi similibus). Sigillatum primò in rei compatientis Phantasia & Spiritibus, & successivè reliquis partibus imprimitur v. g. suppono brachium hominis gangræna affectum esse, vel ipsum hominem moribundum, de cujus brachio nasus insititius desumtus erat, fermentum gangrænosum & mortiferum sigillum suum inurit humoribus, phantasiæ & spiritibus hominis moribundi, aut gangræna affecti: qui spiritus (cum sint uti formæ reliquorum ex forma universali) sic sigillati in Centro obviant radiis Spiritus partis, nempè nasi, & pro modulo sigilli in iis prius impressi sigillant istos spiritus nasi, & cum totum moritur, moritur etiam pars. *Hæc Ratray.*

§. 23.

Magnetismum illum mumialem, aut Sympathiam, beneficio & subsidio atomorum conceptam, aut spirituum unitatem, harmoniam aut commercium, parum enim hæc à se invicem distant, si verba, si res expendas, ut probent, experimenta dant. Destillant *cum Joh. Ernesto Burggravio* (*Tr. Ellychn. vit. p. 87.*) admodum obscurè, *Clariss. autem Joh. Helfrich. Jungkenio* (*p. 1. Med. præsent. sec. accommodand. s. 2. c. 1. p. 186.*) clarius traditum è sanguine hominis spiritum, & destillatum indunt vitro, & Hermeticè claudunt. Quoties igitur morbo correptus homo, cujus fuit sanguis, male habet, toties in spiritu mutationem & turbationem deprehendi asserunt. (*V. cit. Sylv. Ratray c. l. p. 29. 56. 57. 58.*)

(N) 3 Qui-

Quinimò, si ad plures abeat æger, ipso horæ seu momento, seu punctistirio, simul extinguitur Biolychnium, ut edicit *Burggrav.* (*c. l. p. 84.*) aut vi spiritus vitrum dissilit, ut scribere non veretur *Joh. Staricius* (*p. 2. Heldenschaz p. m. 154.*) Alii ajunt, experientia compertum esse, *addit Henric. Kornmann.* (*p. 5. m. m. c. 23.*) Spiritum hunc destillatum ex vino & sanguine mistis incensum, non absistere ardere, donec vivat homo, cujus fuit sanguis, extingui verò cum morte ejus. Conf. & *Dan. Beckher.* (*l. 1. Microcosm. Med. c. 12. p. 133.*) Tale Biolychnium (ita namque vocatur) ut *B. D. Zimmermann.* (*Analect. Miscell. Mens. 6. n. 4. p. 323.*) *ex hist. Britann.* recitat, tradunt, *Oliverium, Actorem Anglum*, fratribus suis reliquisse, unde vitam & mortem suam cognoscerent. Monachum quendam Coloniæ ad Rhenum tale Biolychnium habuisse; quin & *Hieron. Reuterum* (*Rauschium* vocat *Ernest. Burggrav. c. l. p. 89.*) *Consulem Lipsiensem*, qui Anno 1576. moriturus Biolychnium adferri curavit, lectulo moribundi impositum, eo defuncto extinctum est, testis *D. Nicol. Selneccerus* αὐτόπτης, qui morituro cum aliis Medicis adfuerat, quod relatu Senis cujusdam antiqua fide & virtute accepit *citatus Burggrav.* (*c. l. p. 90.*) Aliud *J. B. Portæ, ad Rudolphum II. Imperatorem* allegat *Athan. Kircherus* (*l. 2. Art. Magnet. p. 4. c. 3. p. 280.*) De Studioso denique Argentoratensi, *addit Burggravius*, (*c. l.*) quod è proprio sanguine, vena secta, sibi ejusmodi Lampadem præparavit, cumque in ardentem incidisset febrim, flammam Lampidis eadem cum febri caloris augmenta ac decrementa sumsisse, tandem momento eodem, quo æger animam efflavit, extinctam fuisse.

§. 24.

Plebejis hoc est experimentum. Si duo homines brachio, seu alii corporis parti, sibi quisque vulnus infligat, eique sanguine utriusque indito vulnus, donec omninò solidatum sit, bene claudat, tunc puncto loco, cui sanguis immissus est, alterum quoque, licet in regione valde dissita degat, illicò etiam dolorem sensurum. Si itaque homines illi de certo punctionum numero convenissent, quorum aliquem denotarent, in uno momento certiores se invicem reddere possent, de re aliqua, licet unus degat Parisiis, alter Romæ. Vid. *Ephemer. Erudit.* (*Tom. 2. p. 414.*) *Th. Bartholin.* (*de Transplantat. Morbor. p. 8.*) *Samuel Hafenreffer.* (*l. 3. de Morb. Cutan. c. 3. p. 369.*) Ex hac ridicula Fabula (quæ nasi reparati destructionem intendit) plebeji Philosophastri inferunt, quod caro duorum amicorum conspirantium carni reciprocè inseratur, futurum, ut vel ad multa millia milliariorum distantes, occultos animi conceptus sibi aperire possint. Si enim alteruter communicatæ, sibique insertæ carnis partem pupu-

pupugerit, alter in momento, de re aliqua se moneri sentiens correspondente punctura, amicum, ut loquatur, certiorem reddet; ita puncturis, juxta numerum literarum in Alphabetho dispositarum sibi inflictis, & reciprocè perceptis, sibi de qualibet re in quavis distantia loqui poterunt, quod prodidit *Athan. Kircher.* (*l. c. p. 281.*)

§. 25.

Quod si hæc Experimenta non sufficiant, alia prostant. Ita fratres, Gemellos comprimis, longo locorum intervallo dissitos, eodem tempore variolis & morbillis laborasse, observatum est. (*Hermann. Grube, de Transplant. Morbor. s. 1. c. 3. p. 23.*) Notius est commoveri ipsissimos Plantarum liquores in vasis, dum sui generis plantæ in flores, fructusque aguntur; colore & partibus; quinimò in commadefactis etiam & pertinacibus maculis consentire, observavit *illustriss. Princeps Fed. Cæsius (p. 1. Philosoph. Tabul. 6. Fr. Hemandez. Thesaur. Rer. Phys. & Med. Mexican. & Ind. annex. p. 915.)* Cerevisia ex maltha turbatur, dum hordeum floret. (*J. B. Helmont. Tr. vis Magnet. p. 488. Laurent. Strauss. c. l. p. 137.*) Vinum, florentibus vitibus, in doliis commovetur, turbatur, fexque, vini flos dicta, spumat. *Anton. Mizald.* (*Cent. 9. Aph. 93. p. 207.*) *Petr. Servius*(*de Unguent. Armar. in Theatr. Symp. & Antip. P. 1. p. 549.*) *Cl. Salmas.* (*Diatr. de Ann. Climacter. p. 775.*) *J. B. Helmont.* (*de Magnet. Vuln. Curat. n. 63. p. 605.*) *Kenelm. Dygby,* (*c. l. p. 103.*) *Ph. Jac. Sachs.* (*l. 2. Ampelogr. s. 6. membr. 1. c. 3. p. 172.*) Regula igitur esto, inculcat *Joh. Bapt. Besard.* (*Antr. Philos. p. 242.*) ut, quo tempore rosæ aut vineæ florent, nulla vina commutes; ita retulit *Anton. Mizald.* (*Cent. 2. Aphor. 42. p. 23.*) & *citatus P. Servius* (*c. l.*) *ex Aristotele* (*de Mirab. Auscult. T. 2. Op. p. m. 1091.*) & *Theophrasto Eresio* (*l. de Odor.*) Ursorum adipem latebrarum tempore exundantem & intumescentem vasa implere. De carnibus ursorum idem scripsisse *Theophrastum*, *Plinius* (*l. 8. c. 36.*) memorat, in quo tamen si textum Theophrasti inspicias, memoriæ lapsum passus est, quod etiam *Anton. Muretus* (*l. 13. var. lectio. c. 13. p. m. 353.*) monuit. Interim, quod caro cervina in artocreationibus servata, in ὀχείᾳ Cervorum putrescat, alii testantur. (Vid. *Lauren. Strauss. c. l.*) De aprugna & cervina salita idem *Wilh. Davisson.* (*Prodr. Comment. in P. Severin. id. Medic. Philos. p. 176.*) Feruntetiam panem & amylum, quando triticum in flore est, solito citius mucescere. Nec non maculas à succis fructuum mori, aut oxyacanthi, rubi & similium, pannis affixas, solum eo tempore, quo fructus isti maturari solent, elui posse. (*Th. Willis, de Ferment. c. 6. p. 33.*) Extractas aquas ex floribus Aurantii, Rosæ & similium odoratas, apparere ipsis florum temporibus inodoras

odoras, vulgò increbuit. *Petr. Gasſend. (in l. 10. Diog. Laërt. de Phyſ. Epicur. Animadv. p. 361.)*

§. 26.

Dum verò celeberrimos viros circa hujus problematis evolutionem occupatos deprehendimus, optandum eſſet, ut in hiſtoriæ veritatem diligentius inquiſiviſſent, antequam rei ipſius operosè indagaſſent cauſas. Multa ſunt, quæ, ut de hiſtoriæ veritate dubitemus, nos invitant, imo compellunt. Cui naſus iſte è ſervo inſititius putruit, Nobilis Neapolitanus eſt, *Theſauri rerum admirandarum Autori; Helmontio* Bruxellenſis. Qui & *Tagliacozzium* Bononiæ degentem Chirurgum nominat, qui tamen (*l. 1. de Chirurg. Curtor. c. 18. p. 196.*) iſta propoſuit: An quandoque id generis curta ex alieno corpore reſtituta fuiſſe viſum fuerit, certè neque legimus, neque audivimus, neque attentavimus unquam, neque qui hoc concedat, ut ſeſe fruſtra excrucient, vix nobis perſuadere poſſumus. Factam operationem iſtam Anno 1576. prodiderunt, *Tagliacozius* autem Chirurgiam curtorum, ut ex dedicatione operis 1597. patet, in lucem emiſit? An exercuerit iſto tempore hanc Artem, quis fidem interponet? & ſi exercuit & ex alieno corpore traducem exſculpſit, cur contrarium in iſto opere aſtruit. Et ſi alius Chirurgiam iſtam adminiſtravit, qui factum, ut in Tagliacozii notitiam res non pervenerit mirabili & notabili exitu eam comitante. Anonymo poſt triennium ſervus mortuus, naſusque putrefactus aſſeritur; poſt tredecim menſes Helmontio. Tandem *Caſp. Schottus, (in Schol. Steganograph. cit. Ephemerid. Erudit. c. l p. 415.)* aſſeveravit, quod licet bis in ea fuerit civitate, in qua hiſtoria illa accidiſſe dicatur, non tamen unquam fuerit auſus, ut certior propterea fieret, quoniam incolæ, ſi ea de re ſermo haberetur, indignarentur. Ipſe verò meram, quicquid de eo dicatur, fabulam eſſe credit. Ridiculam modò hiſtoriam, modo fabulam nuncupat *Athan. Kircherus (c. l. p. 280. 281.)* eamque in Utopia verius, quam in Italia, niſi forte apud Tropenſes in Calabria accidiſſe, pronunciat. Dubitavit etiam de narrationis veritate *Nicol. de Blegny, (Zodiac. Gallic. Ann. 2. M. Mart. obſ. 5. p. 75.)* cujus obſervationis mater noſtra forſan fuit, adeoque fabula fabulæ ortum dedit.

§. 27.

Quod ſi verò id contigit, aut fuit alterius cauſæ effectus extra naturæ corporeæ fines, ſecundum *Honorat. Fabri, (l. 6. de Hom. Propoſ. 5. §. 6. p. 455.)* aut caſu contigit, quæ *magni Herm. Conringii, (l. 2. de Med. Hermet. c. 4. p. 234.)* ſuſpicio eſt. Caro illa ſecus ac *Th. Campanella (§. 19.)* ſenſit, *Anton. Deuſingii* judicio ad rationis trutinam exacto (*conſid. Fœt. Muſſipont. ſ. 2. §. 23. p. 28.*)

in

in partium deficientium supplementum adjecta alteri individuo eadem cum hoc ipso anima informabatur. Et nisi id casu contigisset, *pergit*, aliis, quibus ex aliena carne nasus est restitutus, idem accidisset. Verum enim verò, quis emortua & tabescente arbore etiam surculi, alii trunco insiti, tabem & mortem observavit? Experientia refragatur, & hac ducti citatus *Conringius*, (*l.c.*) & *Hermann. Grube.* (*f.1. de Arcan. Med. c. 2. artic.1. p. 43.*) Falsum propterea pronunciavit *Joh. Conrad. Wechtler*, (*l. 2. de hom. occid. Disp. 15. Diffic. 7. p. 267.*) quia nulla est actio inter utrumque corpus, aut corporis pereuntis & putrescentis cum particula, olim abscissa & alibi adgenerata.

§. 28.

Nec causæ desunt, quibus ejusmodi Nasus corrumpi potuit & emori. Ex temeraria pharmacopœi crustæ lacteæ cura totius nasi naturalis & primi decidentiam notavit *D. Joh. Georg. Grübel.* (*M. C. de 2. Ann. 10. obs. 43. p. 87.*) In ipsa operatione post coalitum nasum secundum aliquando livere, &, quasi exusta sit, nigrescere, non diffitetur (*l. 1. c. 17. p. 187.*) ipse *Tagliacotius*. Quodsi igitur callo aut alia causa alimenti accessus sufflaminaretur, quis fatum naso ejusmodi instare non vereatur, aut credat. Quamvis de eo securus sit *Tagliacotius*, tamen frigoris damna dissimulare non potuit, (*l. 2. c. 14. p. 489.*) dum scribit: Tanta est externi frigoris violentia, ut aufugiens calor ab extimis & frigidis natura sua partibus, ad penitiores corporis regiones, si quod exiguum, qui & in aditu reliquum est, obruatur statim atque disjiciatur. Digitos enim pedum, pedes ipsos, aures refrigeratas intercidisse multoties compertum est. De frigore in Russia multis jacturam digitorum manuum, pedum, aurium & nasorum inferente evolvatur *Erasmus Francisci* (*p. 2. der Schaubühne 1. Versaml. p. 310.*) multosque in Siberia à frigoris inclementia offendit denasatos *Gergatian Schleusing.* (*in Neu entdeckten Siberien c. 9. p. m. 86.*) quod & Polonis non raro evenisse, *Bernhard. Connor.* (*aut potius l. Savage p. 2. Descript. Polon. Epist. 5. p. 668.*) tradidit. Id additamentum hyemis vehementiam vix sustinere monuit *Alexand. Benedictus.* (*c. l. p. 1250.*) Curationis etiam initio nasum ne prehendant suadet, ne sequatur. Audaculus igitur ille Chirurgus, de quo *Carolus Musitanus*, (*c. l. p. 239.*) Nobilis vir, cui in monomachia cum nasus amputatus fuisset & ex propria carne eum assecutus, verebatur narres emungere, ne nasum evelleret, unde sudarioli angulos in turundæ formam in narium sinus ad mucum abstergendum immittebat, qua re cognita Chirurgo & interrogatus, cur nares aliorum more non emungeret? respondit, ne eximeretur nasus. Tunc Chirurgus apprehenso naso per to-

tam domum eum distraxit & dimisit. Concludo *cum Laur. Forerio.* (*Viridar. Philos. Disp. de Magnet c. 2. th. 23. p. 280.*) Factitus ille nasus alios naso ducat: nos tam hebetes non sumus, ut ista credamus, quæ nullo fide digno testimonio nituntur, sed vulgi imperiti persvasione.

§. 29.

Interim rationes adductæ, cum multum curiositatis in recessu habeant, & à multis propugnentur, paucis trutinandæ. Magnetismus ille mumialis (qualis ab allegatis Autoribus fingitur & describitur,) otiosi cerebri est commentum, è lacunis Paracelsicis haustum prognatumque. Paracelsistæ namque, Fratres Roseæ crucis, cum aliis Telungiis antiquioribus, ut Unguento armario, & Recentiores, ut unguento & pulveri Sympathetico suam servarent autoritatem sartam tectam, hoc paradoxum, tanquam futilitatum suarum Asylum, excogitarunt. Magnetis hujus actio in distans qui agere poterit? Si aëris injuria sagacissimorum canum odoratum turbare & alterare valet, si olei illitus, (ita namq; pro allio *Ahasv. Ampsing. Conjug. Med. & Astronom.* inculcat,) aut parva saltim distantia Magnetis notissimam virtutem attrahendi ferrum impedit, quamvis nec allium, *teste Joh. Bodino* (*l. 2. Theatr. Nat. p. 249.*) *Anton. Mizaldo* (*Cent. 9. aph. 100. p. 209.*) *Anshelm. Boëtio à Boot* (*l. 2. de Germ. c. 252. p. 225.*) *Athan. Kirchero* (*l. 1. Art. Magnet. p. 2. propos. 14. Reg. 2. p. 71.*) *Th. Brown.* (*l. 2. Pseudodox. Epidem. c. 3. §. 6. p. 475.*) & nostra experientia, nec oleum id in nostris Magnetibus præstent, pinguedine tamen oblitum imbecilliorem evadere, *P. Laurenbergio* (*Disput. Phys. 9. Aphor. 19. p. 76.*) assentior, quis in tantam distantiam assensum suum diriget. Dicant lucem vehere Atomos, dicant id patrare formam universi, Spiritum Mundi dictam, aut Lucis subsidio. Obscurum per æquè obscurum, & incertum per æq; incertum. Quot Atomorum myriades in utero suo gestabit illa forma, Lux illa, Spiritus ille? Quomodo recte illas ne Chaos constituant, discernet, nisi velis rationem præter rationem illis assignare. *Herm. Grube* (*de Transplant. Morb. s. 1. c. 2. p. 16.*) Nihilne tota hac via (de pulveris Sympathetici cum atomis sanguinis, secundum *Dygbæum*, itinere loquitur *Joh. Marc. Marci à Kronland* (*p. 5. Phil. Vet. Restitit. Subsect. 8. p. 529.*) simile & amicum occurrit è Castris Trojanis, quod Atomos illas removetur & ad se divertat? Nihil hostile è Latio? nullus Mezentius adest inter innumerabiles atomos, quas radii Solis continuò à rebus decerpunt & admiscent. Quod si turbo aut lelaps adverso flatu & impetu interveniat? (*Martin. Schoock. de Ferment. c. 32. p. 595.*) Quot motus uno nomento adversos forma illa sustinebit, ut mutuus corporum continuetur contactus, affectus, reciprocæque harmo-

niæ

niæ modulo in longos prorogetur annos? Planta juxta plantam putreſcens aliam niſi mutuus ſuccedat contactus harum atomorum ſubſidio inficere nequit, nec vivida atomorum virtute putreſcentem à tabe tueri. Sequeretur ex hac infinita Sphærarum activitate mundum neceſſariò diſſolutum iri, cum nemo noſtrum, judicat *Athanaſ. Kircher.* (*l.3. de Art. Magnet.p.7. c 2.p. 536.*) hic Romæ juxta enormis hujus Philoſophiæ principia à Baſiliſcis Libycis, Diſpadibus Ægyptiacis, Draconibus Africanis, eorumque virulento flatu ſ. vi venenifera indeterminata; nemo à contagioſa qualitate peſtiferorum in Germania, Gallia aut Anglia alicubi ſecurus eſſe poteſt, utpote Sphæra hujus effluxus venenifera indeterminata. Uremur igitur hic ab incendio Æthneo, à Napelli alpini effluvio vertigines patiemur, ab exhalationibus lethiferis Speluncæ Letheæ periclitabimur, quæ omnia ridicula, indigna, ἑτερόδοξα, divinæ humanæque philoſophiæ contraria ſunt. Quid igitur in diſtans actio operetur cuivis conjecturare in promtu erit.

§. 30.

Experimenta allata primo intuitu plauſibilia quidem videntur, & ex ipſius experientiæ penu depromta, nulla tamen ad veritatis Cynoſuram redacta. Primum Pharmacopœus exſibilabit. Experientia hic didicit Spiritum ſanguinis humani è cruore ſanè & robuſti hominis rite præparatum, ſi in loco ſervetur temperato, & ab aëris acceſſu & deprædatione præſervetur, ad multos annos eundem retinere colorem, ſaporem & odorem, ſive benè, ſive malè ſit illi, ſive vivat, ſive mortuus ſit ille, cui detractus fuit ſanguis. Ideò cum *Burggravii* experimentum (*Cent. 1. Joco-Ser. Art. & Nat. prop. 82.p.75.*) allegaſſet *Caſp. Schottus*, annotat: Fides ſit penes Autorem. Experimentum mihi non conſtat. Nec forſan *Burggravio* ex aliorum mente, non propria experientia id ſcribenti. Imò quamvis moriatur individuum, nihil detrahi pelluciditati Spirituum, ſi omnia probè obſerventur, certò ſcimus.

§. 31.

Quid ad Biolychnium? Ridiculum ſanè eſt, nec temere cuiquam perſuadebitur. (*Herm. Conring. l. de Calid. Innat. c. 8. p. 63.*) Ejuſdem notæ eſt cum eo ſufflatoriorum libellorum commento, quo Carbones Juniperi ignitos per annum integrum, imò mille annos ſecundum computum *J. J. Becheri* (*Phyſ. ſubt. ſupplement. 1.c.3.p.42.*) incorrupto igne ſervare fabulantur. *J. C. Scaliger.* (*Exerc.328.p.1055.*) *Hermann. Conring.* (*c.l.*) *O. Borrich.* (*de Ort. & Progreſſ. Chym.p.110.*). Falſiſſimum id eſſe *J. B. Porta*, (*l.12. Mag. Natural. c. 13.p.485.*) expertus, quod carbo ab illo ſub cineribus detentus, neque per bidu-

um, neque per diem detentus, & lignum vehementissimè ardeat, & citius quam commune oleum absumatur. Quod *J. B. Helmont.* (*Tr. Complex. atq; Mistion. Element. Figment. n. 13. p. 86.*) & *Rob. Boyle* (*p. 1. Chym. Scept. p. 30.*) de Carbone vase clauso tosto refert, ab eo his nullum propugnaculum, cum effluvium liberum illis concedant. Usque adeò hoc non est juniperinæ prunæ proprium, sed aliis quoque commune. Imo semper fit quotiescunque ignis aliquis prohibetur exspirare citra σβέσιν manetque adeò immotus, concludit iterum *Conring.* (*Apologet. contr. Borrich. p. 445. & de Calid. Innat. c. 8. p. 63.*) *Joh. Bohn.* (*de Aër. in infer. infl. c. 1. p. 12.*) Vacillat igitur Chymicorum assertum, si de plebejo, non de artificioso igne conservandi modo interpreteris, cum *O. Borrichio* (*l. 2. Hermet. Ægypt. c. 8. p. 447.*) asserimus. Quicquid sit, ollæ indere carbonem jubent, quæ si frangatur, carbones inconsumti ac illæsi deprehenduntur. An sint carbones accensi, quamdiu integra & clausa manet olla, si dubitare velis quid prohibet? *Paul. Casat.* (*Diss. 8. de Igne p. 242.*) cum ob angustias non possint agitari inter ollæ meatus infusi igniculi. Fracta autem olla eodem momento, quo egrediente aëre datum igniculis immissis spatium se agitandi, & agitantur pariter sulphureæ carbonum particulæ & prunæ fiunt.

§. 32.

Sed ad rem. Cur Spiritus sanguinis humani ignis eludat vim, dicant quæso. Experimentum fidem detrahet experimento, si ad experientiæ tribunal res deferatur. Si totus homo reduceretur in Spiritum, illud quod in eo φέγγιστον pauco temporis spatio parva consumet flamma, comprimis si cum spiritu vini conjungatur. Non addam spiritum illum non esse spiritum sive auram hominis vitalem in venis fluctuantem, sed vi fermentationis suscitatum, ignis verò virtute paratum, adeoque non tàm Naturæ quam Artis & ignis productum. Attendas igitur, quod Spiritus ille balsaminus (qualem quidem non vitalem è sanguine elici posse iterum cum veterum Sophorum turba fatetur *c. l. p. 83. Burggravius.*) spiritui ardenti in vegetabilibus sit analogus, quia oleosus, siccusque sanguis in igne ut lardum flagret, ut rectè censuit *acutissimus J. J. Becherus.* (*l. 1. Phys. subserv. s. 5. c. 1. n. 20. p. 308.*) Fides stat penes Experimentum, *Joh. Helfr. Juncken* (*p. 1. Med. præs. secul. accommod. s. 2. c. 1. p. 88.*) Alia igitur Biolychniorum, de quibus experimenta celebrantur, ratio fuit, alius eadem componendi modus, ut autem curiosos falleret Chimicorum astutia, isthoc figmento eorundem satisfacere voluerunt desiderio.

§. 33.

Ad vulgi verò experimentum confutandum sibilus sufficiet. Sanguis aut cruor vulnusculo immissus tantum abest, ut attrahatur à fibris, ut potius in pus abeat, corrumpaturque. Unde ergò in distans agens affectus? unde insensibilis illa conspiratio & harmonia? Plura *Ap. Athanas. Kircher. (l. 2. Art. Magnet. p. 4. c. 3. p. 284.) Samuel. Pomar. (tr. de Consens. & Dissens. Corp. Natural. Disp. 9. c. 5. art. post. §. 9. p. 268.)*

§. 34.

Quod Gemelli dissiti uno tempore morbillis infestantur & variolis, à motu interno & textura sanguinis gemella, non ab externis è locis remotis advenientibus Atomis provenit. *(Vid. Herm. Grube c. l.)* Idem de Cerevisiæ turbatione, quæ etiam hordeo non florente, sed sambuco flores protrudente, *teste Th. Bartholino, (l. de Transplant. morb. p. 47.)* Hafniæ contingit, judicandum. Quid vero Hordeo cum Sambuco? Id contingere planè negat *Martin. Schook. (c. l. c. 33. p. 610.)* & si contingat, per accidens fieri putandum. Florentis hordei spicæ, copiosæ quoque Cerevisiæ dolio impositæ, fermentationem nequaquam provocant; imo in vicinis quoque hordeo florenti domibus condita Cerevisia ordinario manet, & in statu suo secura fermentationis; atque Cerevisia, semel probe defecata haut facile turbulenta redditur, nisi vas in quo recondita est agitetur, *addit (c. l.) idem.* Vanus igitur poterit esse ille urbium timor, à quibus, *referente Laur. Straussio (Epist. de pulv. Sympath. ad Com. Dygb. p. 137.)* amœna prata arcent hordei sationem per multa milliaria, idem de vini turbatione dicendum. Existimandum, ad mentem nostram decidit *Joh. Marcus Marci (p. 5. Philos. vet. restitut. subject. 8. p. 533.)*, fermentum hoc, quo vina turbantur, non ab atomis esse, quæ aërem obtinent, sed in seipso hujus principium ideale continere, à quo omni loco, etiam ubi nullæ sunt vites, neque ejusmodi atomi afflare possunt, eodem tempore, quo si vites adessent in florem se induerent, vinum concitatur. Neque omne vinum, quod in doliis est, effervescit, sed illud solummodo, quod consistit super copiosum sedimentum, *advertit Martin. Schook. (de Ferment. c. 32. p. 599.)* Agunt autem tunc in se invicem particulæ heterogeneæ alicalinæ & acidæ *(Joh. David. Portz. Anat. vin. Rhenan. c. 2. p. 19.)* caloris etiam & temporis in aëre præsentis ministerium advocant, *Th. Bartholin. (vol. 2. Act. Hafn. p. 1. obs. 38. p. 107.)* & iterum *Joh. Dav. Portz. (c. l. p. 18.)*

§. 35.

Nec alia ratio subest, si vera est ursinæ adipis turgescentiæ, aut carnis

cervinæ in Artocreationibus in putredinem motus. Addas & his mucorem in panibus, comprimis ubi probe excocti non sunt, farinæque & amyli ingratum odorem & saporem non tritico florenti, sed aëris intemperiei & fervori abscribas. Quæ de maculis linteis impressis ab anubus afferuntur, anilem dementiam sapiunt. De aquis florum odoratorum hæc habet *Petr. Gassendus* (*c. l. p. 361.*) scilicet non sunt illæ quidem per id tempus minus odoræ, sed quia cum omnia sint florum plena, fit, ut eorum odor quoquoversum per aërem fusus occupet, sicque cum olfactus moveri perinde non possit ipsis aquarum odoribus habent illas pro inodoris. Indicio quoque est sanè, quod præterlapsis floribus, olfactuque inoccupato restituti ipsis odor videatur.

§. 36.

Corporum moleculas in fluido (qualis est aër,) posse hac illac vagari, & licet exiles satis fuerint, plurimas tamen & distinctas suas determinatasque retinere naturas, cohærendiq; occasione data aptitudinem experimento quodam declarare, voluit *laboriosissimus Rob. Boyle* (*Exerc. de Determinat. Effluv. c. 2. p. 115.*) Illud autem saltim evincit hoc contingere (1.) in corporibus salinis, non rarefactis in aëre, sed solutis in aqua, (2.) fluido isti certo concluso spatio. (3.) Salibus homogeneis, quales Alumen & Nitrum, non heterogeneis v. g. acidis & alcalibus mistis, qui tertium quid, quod enixum vocamus, constituunt. (4) Neq; omnes, sed quasdam saltem Atomos uniri experimentum ipsum probat (*p. 114.*) Præter enim Nitri & Aluminis separationem concretiones salinæ, quæ cum distinctæ neutri convenirent, eas esse utrique satis coagulationes arguebat, remanserunt. Quare particulare non universale Axioma (5.) inde saltim tantum extruxit, quando de plurimis non omnibus, & quidem occasione data id verum pronunciavit. Tandem à Regno Minerali, cui atomi grassiores & compactiores, ad animale cui spirituosiores, à solutione & mistione corporis cum aqua, ad vaporis & effluvii cum aëre miscelam non commodè argumentari quilibet ratiocinabitur.

§. 37.

Quod verò *Clarissimus Pomarius*, cum *Joh. Amos. Comenio* (*Phys. Reform. c. 10, p. 171.*) suadet: Potius haustu excipiat alter sanguinem alterius abominando & barbaro potus genere, & largiar aliquid libentius, in eo nobis non satisfacit. Humani sanguinis usus olim vetitus & fœtidus *scripsit Martin. Weinrich* (*p. 1. de Monstr. c. 15. f. 143.*) add. *Joh. Helfric. Juncken.* (*p. 1. Med. s. 2. c. 1. p. 91.*) verè *Lucanus* (*l. 1. Pharsal. v. 293.*)

Nullus

Nullus semel receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Exemplis id illustratum dedit *Joh. Lang.*(*l. 1. Epist. Med. 71. p. 428.*)& *Bernhard. Verzascha* (*obs. Med. 7. v. 18.*) Bestia mansuefacta

si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesq; furorq;,
Admonitæq; tument gustato sanguine fauces,
Fervet, & à trepido vix abstinet ora magistro.

Ut iterum *Lucan.* (*l. 4. v. 239.*)Add. *Andr. Libav.* (*p. 2. singular. p. 174.*) ut in sanguine animalium præferocium ursorum, Leonum, Tigridum, similiumque quid ferociæ & crudelitatis latet, qui assumtus in homine easdem qualitatem ideamque imprimit, & in eosdem motus affectionesque stimulat, ut tradidit *Athanas. Kircher.* (*l. 2. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 10. p. 112.*) ita sanguis humanus non solum inhumani & truculenti quid in se habet, truculentioresq; reddidit latrones *Martin. Weinrich* (*c. l. f. 143. b.*) verum etiam ob metum coagulationis & corruptionis in ventriculo cum ingenti periculo assumentis, optimè ratiocinante (*l. 2. de Epileps. c. 12. p. 235.*) *Matthia Unzero*, conjunctum esse. Quin & variis ideis sigillatus mirandas non raro corpori & menti alterationes infert. Biliosus, ab ira præsertim, epotus mentem commovet & furorem parit. *Alex. Benedict.* (*l. 1. de Morb. Curand. c. 28. p. 44.*) Ruffi uti morsum *Ambros. Pareus* (*l. 20. Chirurg. c. 9. p. 436.*) ita & sanguinem venenum existere, tradidere passim v. g. *Zacut.* (*l. 1. Hist. Med. Princip. c. 23. p. 41.*) & quidem infatuans (quod *idem l. 3. Prax. adm. obs. 82. p. 114.*) quamvis irati saltem Characterem veneriatum obtinere *Joh. Marcus Marci* (*p. 4. Philos. Vet. Restitut. s. 2. p. 433.*) opinetur. Cur Venenis addatur *Aug. Ezlerus* (*Isagog. c. 1. p. 9.*) habet, idq; philtra è sanguine humano parata evidenter probant. Refert equidem *Celsus* (*c. 3. de Re Med. c. 23. p. m. 172.*) quosdam sanguinis humani potu à caduco liberatos, eundemq; etiam recommendant *Zacutus* (*l. 1. Hist. Med. Princ. 23. p. 41.*) & *D. Fried. Hoffmann.* (*l. 2. M. M. c. 19. p. 282.*) cum *Aliis* subjunxit tamen Celsus: Verum apud eos miserum auxilium tolerabile malum miserius fecit. Quocirca ab eo abstinendum esse in Medicina, monebat *Alex. Benedict.* (*Tr. de Peste c. 9.*) & medicamenta è sanguine humano Chymia moderante facta suspectissima erant *Nobiliss. Dn. D. Christiano Langio* (*Diss. de Morbill. addit. 8,*) cum ob causas prædictas, tum quod cum corporis vitiis morum malitia sic transplantetur inevitabiliter. Mirum quod *Friderici Secundi* tempore, *teste Bapt. Fulgoso* (*l. 1. c. 6.*) &, qui illum citat *Theodor. Zwinger.* (*l. 18. Theatr.*

Vit.

Vit. Human. p. 717.) de Clerico, is à vena hausto sanguine servata aliarum rerum memoria, literarum tantum oblitus sit, ut nec plus aut legere aut scribere norat, quam si utrumque nunquam didicisset: annumq; in hac oblivione mansit. Posteà eodem tempore atque ex eodem loco hausto sanguine, ad eandem legendi scribendique scientiam, quam antea habebat, restitutus est. Adde quæ collegimus *infra (l. 2. Tit. 2. §. 68.)* interim quod quædam Chymica, ex eodem ritè præparata laude sua non sint defraudanda, quamvis quod idea mumialis per Vulcani torturam destructa sit, & concretum illud planè in aliud ens degenerarit, ut amplius non sit, ut amplius, quod antea, non sint *monitore Fr. Hoffmanno* (*l. 5. Clav. Schrad s. 1. c. 23. p. 666.*) nos non latet. Conf. si placet *Joh. Helfr. Junken.* (*p. 1. Med. præs. secul. accom. s. 2. c. 1. p. 92.*)

§. 38.

Contrarium potius suggerunt Exempla *à laudato Pomario* in medium prolata, & quidem illud de Uxore *Marci Antonini Philosophi Imperatoris*, quæ sanguine athletæ, quem deperibat absorpto, oppido amoris furias extimuit. Hinc de conjugum & fratrum dissidentium beneficio Transfusoriæ conciliatione nihil certi affirmare audet *Joh. Sigism. Elsholz* (*Clysmat. nov. c. 10. p. 59.*)

§. 39.

Tandem utut sine noxa cruor ille hauriatur, & coctionum directorio corpori assimiletur, philtrum etiam fine non excidat suo, modum scire vellem, quomodo hac opera subjugalis spiritibus, novaque idea vestitis, si qui supersunt etiam in parva distantia, harmonicè conspirare, affectuumq; notitiam unus alteri insinuare posset. Infans in utero materno sit exemplo. Hic quamvis vivido Spiritibusq; saturato matris nutriatur sanguine, materniq; corporis hospes & incola vere reputretur, philtroq; isto per aliquot menses saturetur & imprægnetur, separatus tandem à matre emancipatus & sui juris factus affectus quidem ubivis pro ætatis & indolis ratione documenta sistit, suas tamen calamitates, eo, quo diximus, modo communicare nec valet, nec potest.

§. 40.

Dubium tandem illud (quod Herculeum contra Transfusoriam vocat argumentum *Fautor & Amicus colendus Dn. D. J. L. Hannemannus* (*Tr. Spiritus Universi Mund. Restitut. §. 13. p. 12. Add. Ejusd. Clymact. enervat. §. 7.*) de Transfusoria expediendum, quod *Excell. Dn. D. Sigism. Rupert. Sultzberger.* (*in Programm. Lips. de 11. Marc. 1669.* cum *Clarissmo Dn. M. Salomoni Eichlero Competitori & Fautori meo colendo Licentia in Arte nostra conferreretur P. P.*) *Nobiliss. Dn. D. Joh. Tack.* (*Phasid. Philos. 3. p. 149.*) *Dn. D. Georg. Merclin.* (*de Ort.*

Ort. & Occas. Fransfus. sangu. c. 8. p. 98.) & *D. D. Fried. Hoffmannus (l. 1. M. M. c. 10. p. 178.)* movent, dum scribunt: Quæret aliquis, annon transfusus hoc modo sanguis internectione corriperetur, ubi animal, cujus sanguis est, morti traditur; quo quidem modo ascititius alias nasus, emortuo illo, ex cujus brachio excisus fuit, putrescit ac decidit. Id verò tanti non est, ut nobilem hanc operationem de nobilitate dejiciat sua. Præsupponimus namque *in literis ad Nobiliss. Dn. D. J. Dan. Major. (evol. Ejus Infusor. p. 1. §. 9. p. 103.)* & eandem nobiscum inflat tibiam primus hujus operationis inventor, (quamvis ad eandem ante hunc viam monstrare *Laudatum Majorem* affirmari posset, dum in *Prodrom. Chirurg. infus. §. 44.)* muris sanguinem Catti domestici venis instillare sibi proposuerat, & hanc jamdudum irriserit *Andr. Libav. in defens. Syntagm. Arcan. contr. Schennemann. Art. 1. p. 8.) Excell. Richart. Lower. (tr. de Cor. c. 4. p. 190.)* sanguinem putrilagine minimè affectum, suam amisisse texturam, suumque viscera consvetura adhuc obtinere tonum, & tunc sanguinem transfusum, quamvis demortuum animal à putredine subjungitur, ab omni subsequentis putredinis suspicione absolvimus. Quantopere allegatæ historiæ fides vacillet, supra prælibata *(§. 24.)* satis superque declarant. Et quamvis justus historiæ stet veritatis tenor, tamen à carne ad sanguinem non procedit argumentatio. Cutis namque cuti juncta suam servat mumiam & crasin, non aliter ut surculus trunco insitus, quamvis succedente tempore aliquo modo ea temperetur & alteretur ad nutrimenti qualitatem. Sanguis verò venis infusus, sanguis non manet, & cum si *L. Botallo* credimus *(l. de cur. per sangu. miss. c. 28. & 33.)* singulis quibusque diebus libra sanguinis alitioni animalis necessaria generetur, aut 7. l. 10. saltem unciæ, quæ *J. B. Helmontii* est conjectura. *(tr. imag. ferment. imprægn. mass. semine n. 4. p. 91.)* Sanguis iste circulationis lege sanguini in venis fluctuanti per minima miscetur & unitur, & demum sub accretione adolescentiæ aut assimilatur partibus, aut membris perfectis sub roris specie eadem à siccitate membrorum senecta, tuetur, & tandem imperceptibiliter per cutis poros transvolat. Fœtus in utero historiam iterum in mentem nobis revocamus, cum in eo Transfusivæ genium nobis apposite depinxerit natura. (Vid. quæ *è Dionys. Fr. de Transfus.* Exempla allegantur *T. 3. Ephemer. Erudit. 11. p. 167.* & *è Godroësii T. 4. Ephem. 2. p. 15.)* Qui fit, quod matre fato functa, fœtus etiam utero adhuc conclusus fati non succumbere cogatur sævitiæ? Hausit ille beneficio Transfusionis per vasa umbilicalia sanguinem per aliquot, cumprimis dum plantanimalis vitam vixit, menses, & tamen sanguis ille cum materno putrescente

Symbolicè non communicat. Symbolum namque materni ſanguinis, fœtu emancipato, depoſuit, nec amplius matris, ſed fœtus ſanguis vocabitur. Et quid opus erit verbis & rationibus, cum operationes curioſitatis gratia in Anglia & alibi feliciter inſtitutæ (Vid. *Ephemer. Erudit. T. 2. n. 42. p. 490. T. 3. Ephem. 3. p 33. Ephem. 6. p. 77. Ephem. 8. p. 111. T. 4. Eph. 2. p. 15. 17. 24. & 26. Ephem. 10. p. 152. Joh. Sigism. Elsholz. c. l. c. 7. p. 34. ſeq. Rich. Lower. c. l. Mich. Etmüller Diſſ. de Chirurg. inf. c. 1. §. 4.*) rem aliter ſe habere teſtentur.

LIB. I. TIT. III.

De

Cadaveribus, porcorum mandentium inſtar, in cryptis feralibus ſonantibus, vulgò SCHMÆTZENDE TODE.

Summarium.

1. *Tumultus & ſpectra in campo Marathonio.* 2. *Lamentabiles voces in Cœmiteriis, Tumbis feralibus, domibus. Upupæ, Ululæ, Bubonis & aliarum avium feralium.* 3. *Sonitus in Inſula Lipara, Concurſus ſepulchrorum.* 4. *Soni in ſepulchris.* 5. *In domibus tempore peſtis.* 6. *Canum ululatus, felium clamor.* 7. *Cauſæ ejulatuum iſtorum.* 8. *Angeli mali circa ſepulchra Piorum.* 9. *Malorum.* 10. *Animæ ſtridere dictæ & cur.* 11. *Bubonis vox non timenda.* 12. *Nec canis ululatus.* 13. *Aſtra Necromantica, Eveſtrum, & Trarames Paracelſi.* 14. *Animarum ſtridor à Poëtis fictus.* 15. *Meteorum Gothanum.* 16. *Schmätzende Tode.* 17. *Hiſtoriæ.* 18. *Prognoſticon.* 19. *Prophylacticum.* 20. *Nummus apud Ethnicos mortuorum ori inditus.* Δανάκη. 21. *Noſtri ſequuntur Ethnicos.* 22. *Cauſa*

ſa non in mortuis quærenda. 23. Striges. 24. An dentur? 25. Hiſtoria Th. Bartholini. 26. Sagæ infantibus infeſtæ. 27. Plicæ Poloniæ cauſa. 28. Varia nomina à capillorum ſuctu Dæmoniaco. 29. Materia in mammis lactea. 30. Strigibus ſonus iſte non imputandus. 31. Hyena, Jackhals, Mures Pharaonis, urſi Norwagici. 32. Serpens Azazel Judæorum figmentum. 33. Mus Judaicus. 34. Angeli Moncar & Nacir Muhummadenorum. 35. Eorundem XCIX. ſerpentes. 36. Vulgi fabula. 37. Eurynomon. 38. Dæmon & Sagæ cauſæ. 39. Americanorum perſvaſio. 40. Magna Cacodæmonum peſtis tempore poteſtas. 41. Sagæ carnis humanæ appetentes. 42. Ad veneficia. 43. Imprimis carnivoris ereptæ. 44. Mortuorum cryptas invadunt. 45. Ad ſacra adhibent carnem humanam. 46. Illæſis cryptis id ut præſtent. Corda illæſis hominibus comedunt Perſæ. 47. Locus è Petronio. 48. Experimentum in cucumere. 49. Cor, cur in Extis immolatorum brutorum defuerit? 50. Cauſæ Theologicæ. 51. Cur ſub perſona mulierum agat id Dæmon. 52. Cauſæ Phyſicæ. 53. Noxa ſepulchrorum apertorum. 54. Sepulchra in urbe ap. Athenienſes vetita. 55. Peſtiferi profunde ſepeliendi. 56. Manes Catebanæ. 57. Ablata cauſa non ſigno tollitur effectus. 58. Rationes Politicæ. 59. Mortui Sacri. 60. Sepulchra loca ſacra. 61. In ſepulchrorum violatores animadverſio. 62. In quæ Cadavera ſæviendum. 63. Rationes Theologicæ. 64. Sagarum effoſſio & truncatio. 65. Mortuorum & ſepultorum nulla ad peſtem vis. 66. & 67. In Diemerbroeck animadverſio. 68. Nihil à Sagis mortuis timendum. 69. Vindicta divina. 70. Impiorum corpora fulmine tacta. 71. Gentilium vana perſvaſio.

§. 1.



IN locis ubi homicidia & ſtrages editæ varios, comprimis noctu, tumultus, ſonos ferales aliaque lugubria verba exaudiri non ſemel ab hiſtoricis annotatum eſt. Diu ſpectra eo loco ubi *Damon* trucidatus, viſa, gemituſque exauditi, foreſque balnei obſtructæ ſunt, & adhuc, qui ad locum eum accedunt viſa quædam voceſque terrificas ferri putant, *retulit*

(*in Cimon. vit. p. 164.*) *Plutarchus.* In campo Marathonio, ut hoc ſaltem in rei confirmationem adducam, in quo ſunt *Athenienſium* in pugna ibidem cæſorum ſepulchra, una cum *Miltiadis Cimonis Filii* monumento ſingulis noctibus audiri equorum hinnitus & pugnantium virorum concurſus, *Pauſanias* (*l. 1. ſ. in Attic. c. 32. p. 79.*) tradidit. Videri prætereà ibidem ſpectra, quæ curioſos horum indagatores plagis excipiant multentque, *Jacob. Sponius* (*Itinerar.urioſ. p. 59.*) ex incolarum ejusdem Provinciæ relatione *retulit.* Qui addit: *Der Albaneſer, welcher uns beherbergte, ſagte, daß Er offt dergleichen gehöret, die einer ſich klagenden Weibes-Stimme ähnlich wäre, wann Er aber an den Ort gieng, wo Er es vernommen, ziehe es ſich weiter weg.* Habet & quædam *Laurent. Ananias* (*l. 1. de Nat. Dæm. p. 153.*)

§. 2.

Audiuntur & tales lamentabiles voces in Cœmiteriis, in ſepulchris, inq; ipſis tumbis feralibus, domibus itidem & aliis locis. Ululæ, upupæ, bubones, (*notat Otto Friſingenſis l. 2. de Geſt. Frid. I. Imp. c. 13. p. 299.*) toto anno ante conflagrationem Friſingenſes in tectis funebria perſonantes lugubri voce aures repleverunt. Piloſi, quos Satyros

Bella præſagiſſe & Regum & aliorum potentiorum obitum Bubonem vulgò putant & annotatum reperio. Bubo ante bellum *Cæſaris* cum *Antonio* in templum primo concordiæ, deinde in reliquá fere omnia, quæ ſanctiſſi[illegible] habebantur, delubra devolavit, ac cum undique exigeretur, in æde Genii populi conſedit, ac neque captus eſt & tandem omnino evolavit, memorat *Dio Caſſius.* (*l. 50. Hiſt. Rom. p. 260.*) Ante mortem *Commodi Imp.* Bubo in Capitolio cecinit, *Joh. Xiphilin.* (*in Vit. Commod. p. 579.*) profitetur. In Cœmiteriis & ædibus deſertis, imprimis peſtis imminentis aut proximè futuræ tempore mortis, illud apud Ægyptios ſimulacrum (*vid. Joh. Valerian. Pier. l. 20. Hieroglyph. c. 19. p. 243.*)

Venturi. *Nuncia luctus.*
(*Ovid. l. 5. Metam. v. 548.*)
& feralia Bubo.
Damna canens. (*Stat. l. 3. Thebaid. v. 5.*)

Noctis illud monſtrum nec cantu aliquo vocale, ſed gemitu, (*Plin. l. 10. c. 12.*) cum aliis ominoſis avibus, flebilem & terrore plenam edit vocem, & verbis in morem ejulantium profuſis audientium aures mordet & animum. Ferales & funebres, quin & diræ dicebantur hujusmodi aves, de quibus *Th. Dempſter.* (*ad Joh. Roſin. Antiquit. Rom. l. 5. c. 39. p. 442.*) Noſtris, *die todten Vogel*, *vid. Andreas*

Andreas Gallus (*Fascic. de Pest. 3. c. 13.*) & *Ludov. ab Hornig.* (*im Würg-Engel qu. 164. p. 228.*) *Garrulos Bohemicos pestis futuræ indices asserunt, quos descripsit Conrad. Gesner.* (*Hist. Av.*) & *depictos dedit.* (*in Musæo Calicoral. f. 6. p. 675.*) Sunt & Aves pestilentiæ, quas Leowardiæ popularis luis prodromos, nostris aducis, cætera Aurivittidi similes è Fringillarum familia vidit, & suum *Weg, Weg* intonare audiit *Edm. Neuhasius* (*l. 2. Sacr. Fatid. c. 20. p. 346.*) *Weckvogel* vocat *Joh. Bauhin.* (*l. 4. de Fort. Bollens. c. 3. p. 247.*) *ist eine besondere Arth der Eulen, von ihrem Geschrey, den sie des Abends weck, weck, treibet, also genennet. Wird auch Tod-Eule geheissen, weil ihrer etliche sich selber überreden, daß sie eines herzunahenden Tod mit ihrer Stimm einem zuvor verkündigen.*

Hinc Anythaonius docuit quæ plurima Chiron
Nocturnas crucibus volucres suspendit, & altis
Culminibus metuit (*rectius vetuit*) *feralia carmina flere.*

(*Columella l. 10. de Cultu Hort. v. 300.*)

§. 3.

In una septem Æoli Insularum, quam Liparan vocant, sepulchrum tradunt esse, circa quod cum etiam alia prodigiosa eveniant, tum id, quod ea loca secure tutoque nemini accedere liceat, uno ore perhibent. Sonitum enim tympanorum cymbalorumque & risum cum strepitu applausuque manuum audiri manifestò, *Aristotelis aut quis alius est* (*de mirab. audit. p. m. 1096.*) *traditione scimus.* De Cadmi & Harmoniæ in illirico sepulchro *Poëta ap. Joh. Henric. Ursin.* (*Theol. Symbol. Symb. 175. p. 147.*)

Namque duo tumuli concurrunt peste futura
Significant quoties sævissima damna colonis.

Quid autem hoc sit, & quomodo tumuli concurrere possint, quis divinabit? De montibus duobus inter se concurrentibus *Plinius* (*l. 2. c. 83.*)

§. 4.

Inter prodigia quæ *Lucanus* recensuit, & id posuit (*l. 1. Pharsal. v. 563.*)

Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ.

Sylvestri II. Pontificis Magi Nigromantici, & qui pro divitiis Diabolum adoravit, ut habet *Joh. Wolfius*, (*Centenar. 15. lect. memor. & recond. p. 879.*) Romæ in Lateranensi Ecclesia *Sylvestri II. Pontificis* reposta ossa in arca ferali crepitasse aliquando annotavit, *Simonetta* (*l. 5. Epist. 49. f. 116. a.*) & *e Baleo* (*l. 5. de Pontif. Roman.*) pro certo morituri Pontificis signo interpretantur, ex Aliis iterum *Joh. Wolf.* (*Cent. 13. Lect. Memor. p. 559.*) & *Christoph. Richter.* (*Axiom. Oeco-*

nom. 2. p. 8.) Romæ in templo Lateranensi aliorum etiam ossa collidi in futuræ Metamorphoseos præsagium, *Cornel. Gemma (l. 1. Cosmocrit. c. 8. p. 180.)* prodidit. Hodie B. Euphemiæ tumulus miraculo est, *scripsit Bohusl. Balbin. (decur. 1. Misc. Bohem. l. 4. p. 1. §. 55. p. 77.)* Nam clade urbi aut cænobio imminente, sepulchri lapis ex imo intus pulsatur & validè verberatur, admonetque eo ictu omnes, ut quæ DEUS intentat verbera patienter ferant vel fugiant à facie arcus & liberentur electi. Harburgi in nobilis fœminæ tumulo per aliquot dies pulsus auribus exceptus. Reserato Sarcophago in cadavere nec vitæ nec motus præteriti indicia apparuerunt. Tumba iterum terræ commissa, pulsare cadaver animadvertitur, effoditur & reseratur secunda vice Sarcophagus, & nil, quod motum aut vitam cadaveris indicarit, repertum. *Ex Adelungo (Hist. Harburg. p. 218.) Ziegler. (Hist. Labyrinth. der Zeit. n. 626. p. 118.)* Lüzenæ in sutoris tumulo sonum pulsantis Anno 1665. auribus hausit *Paul. Stockmann. (Hodoget. Pestilent. qu. 14. p. 125.)* & ipse Martisburgi in Patria cum Aliis, dum Romano-Catholicæ fidei addictus conderetur, his accepi. Aperto tumulo & Sarcophago nil quod causam hujus pulsationis suggerere posset in cadavere deprehensum.

§. 5.

In domibus non raro pestis tempore strepitus quidam auditi haut aliter sonantes, ac si quis cistam feralem clavis ferreis obseraret. Historias videsis *ap. Isbrandum à Diemerbroeck (l. 4. de Pest. Noviomag. Hist. 60. p. 281.)* Et nihil frequentius casu horribili in domibus, è quo sæpe non vano augurio mortes incolarum præsagiunt. Idem de pulsationibus ostiorum & casibus tremendis *(als wenn jemanden ein Sack voll Korn von den Schultern auff den Boden fiele)* constat. *Evolv. Joh. Friederich Stockhausen (Tr. Præsagia Mortis c. 1. s. 9 p. 76.)* Corpuscula in vestibus feralibus è cadaveribus relicta cystisq; inclusa motu suo strepitum ciere, *G. B. de Saint. Romain (Scient. Natural. c. 21. p. 358.)* observavit.

§. 6.

Canis animal domesticum cum peste, tum alio contagioso morbo grassante, & intra & extra domos ululatu insolito & incondito ægrorum mortem instantem præsignificare dicitur, quod in trivio notum *(Henric. Kornmann. p. 4. de Mirac. Mortuor. c. 156.)* communis inde vox: *Die Hunde haben geheulet, es wird jemand auff der Gassen oder in diesem oder jenem Hause sterben.* Veritatem hujus firmavit *Alb. Kranzius, (l. 5. Metropol c. 10.)* canum ululatu *Alberti Episcopi Bremensis* obitum antecedente. Quin & olim *Aristodemi Regis Messeniorum*

rum mortem inter prodigia retulit. *Pausanias*(*in Messen. s. l. 4. c. 13. p. 311.*) quod canes globo facto singulis noctibus ululatum dedere. De Amphioniis canibus nocte silenti quod solita Cothurni gravitate prodidit *Seneca*, (*in Oedip. v. 178.*) etiam allegavit *Th. Bartholin.* (*l. 9. de Luc. c. 9. p. 509.*). Felium lamentabiles voces, sed hos non incongruè ἐρωτικοὺς *Sam. Bochart.* (*T. 1. Hierozoic. l. 3. c. 14. col. 869.*) vocavit, ubi plura.

§. 7.

Causas horum terribilium ejulatuum, clamorum & pulsationum in lucem proferre res est difficilis aleæ. Tantum honoris à divina bonitate cœmiteriis Martyrum tributum, (*scribit Joh. à Chokier de Surlet Cent. 2. Fac. Hist. c. 87. p. 342.*) ut ibi nonnunquam Angeli melodian Symphoniacam concinere auditi sunt. Cum corpus *Ignatii Lojolæ* Anno 1569. Kal. August. primo exhumatum, alio in loco reponeretur, biduo toto suavissimarum vocum concentiones in conditorio sunt exauditæ, si vera narrat *Jacob Biedermann.* (*Rer. ab Ignat. Lojol. gest. m. 222. p. 167.*) Forsan & ideo ad *Orphei* tumulum Luscinias nidos habere, suaviores, quam cæteras & vocaliores cantus edere è Thracum recensione tradidit (*l. 9. s. in Bœot. c. 30. p. 769.*) *Pausanias. Heinricus Bavarus Imperator*, Christianissimus Princeps, cum *Cunegunda uxore* virginitatem servavit, traduntq; *Heinricum & Conjugem* post obitum miraculis coruscasse. Ita *Albert. Kranz.* (*l. 4. c. 35. p. 98.*) qui addidit: Cunegundis post aliquot annos à morte Imperatoris tumulata, non cum marito, virgo cum virgine. Cujus rei ferunt tum auditum in aëre testimonium, quando vox (incertum unde) instreperet; cede virgini virgo locum (*ib. p. 99.*).

§. 8.

Angelos malos hujusmodi sonos concitasse, alii memorant, & quidem cum circa sepulchra piorum, quod mireris maximè, tum impiorum. Ad sepulchrum *Elisæi, Johannis Baptistæ* & *Abdiæ* in Metropoli Samaria rugire consuevisse Dæmones, ipsius *B. Hieronymi* (*ad Eustach. de Vit. Paulæ*) *testimonio constat. Add. Henric. Kornmann.* (*l. 1. d. d. M. M. c. 9.*) *Cornel. à Lapide* (*Comm. in l. 4. Reg. c. 13. p. 269.*) *Christ. Adrichom.* (*Theatr. Terr. Sanct. p. 79.*) De fragore cum *Lutheri* cadaver terræ mandaretur, quæ plaustra mendaciorum vivo adhuc *Luthero* in vulgus emiserint Papicolæ, rugientibus Dæmonibus persimiles, ipse notavit *B. Martin. Luther.* (*T. VIII. Jenens. f. 207.*) eosque in ruborem conjecit, siquidem fronti Eorum adhuc scintilla pudoris inest, quod etiam *Dan. Lagus* (*in Vindic. Evang. p. 231.*) prodidit.

§. 9.

§. 9.

Dæmonum ferocissimorum maximam copiam habitasse in horto, ubi sepulchrum *Jannis* & *Jambris*, *Palladius (in vit. Macar.)* in literas retulit. *Sylvestri II. Pontificis* ossa in arca ferali crepitasse tradunt & inde morituri Pontificis signum colligi, *Bonif. Simoneta (l. 5. Epist. 49. f. 116.) Joh. Platina, (l. de vit. Pontif. f. 139.) Joh. Micræl. (l. 3. Hist. Eccles. p. 84.) Valentini* Hæreticorum defensoris Cadaver Dæmones frementi cum strepitu sacro, sepulchri loco, extraxerunt, *Antonio Daurulcio id (p. 3. Florileg. Exempl. c. 7. Tit. 15. §. 5. p. 45.) annotante.* Amplam igitur in Cœmeteriis potestatem Dæmoni assignavit *Joh. Laurent. Ananias (c. l.)* à quo aut interemtorum violenta morte animas simulet, aut etiam quo malorum perpetratorum memoria refricetur, aut quod loca ista ipsius naturæ voluntatique perfidæ multum sint consentanea, ac ab Angelis non adeò prohibentur. Moti forsan hac ratione olim Sarmatæ (*ut Epist. de Relig. Boruss. ad Georg. Sabin. Joh. Meletius & ex Joh. Lasicio de Diis Samogitarum Th. Bartholin. Vol. 2. Art. Hafniens. Med. p. 1. obs. 8. p. 13.*) in sepulturis strictis gladiis auras verberabant, vociferantes: *Geigeite begaite pekelte; Eia fugite Dæmones in orcum.*

§. 10.

Animabus ipsis insepultorum ferales hujusmodi sonos adscripsit Paganorum superstitio, prout (*ad l. 12. Thebaid. Statii v. 56. p. 1437.*) annotavit *Casp. Barth.* Animas bonorum umbrarum Lunæ locum in Ecclipsi Lunari per ambulantes festinare & vociferari, eò quod in umbra exaudire desinunt harmoniam Cœli, simul etiam tunc animas, quæ infra (Lunam) sunt, supplicia luentium per umbram lamentantes & conclamantes afferri, Paganis placuit. Ideò, inquit Plutarchus (*l. de Facie in Orbe Lunæ p. m. 472.*) in defectibus plerique solent æra Pulsare ac sonitum fragoremque adversus animas edere. Terret eas etiam quæ dicitur (in Luna) facies, quando propius accedunt, horrenda eis & terribilis apparens. Animæ τρίζειν stridere dicuntur *Homero, (l. 24. Odyss. v. 5. & 9.)* qui etiam *(l. 23. v. 102.)* de Patrocli Anima

Sub terram tanquam fumus
Abiit, murmure stridens.

Mortuorum stridulas umbras dixit *Lucianus (in Necyomant. p. m. 332.)* in prato Asphadelo consito versari. Hesiodi Animam apud inferos columnæ adalligatam & stridentem videt apud inferos Pythagoras, *referente Hieronymo Philosopho ap. Diog. Laërt. (l. 8. de vit. Pythag. p. m. 380.) Virgil. Fried. Taubmanni Judicio, (in l. 6. Æneid. v. 753.) Homerum* imitatus animas corpori egres-

turbam ſonantem vocavit In quem locum quidem jejunè ſatis mihi commentari viſus *Servius*, (*p.558.*) & quì hunc ſequitur (*l.12. Adverſ. c.1.*) *Adrian. Turnobus*, dum propter feſtinationem Animas ſonaſſe arguunt, aut quod turbæ perpetuum hoc ſit Epitheton. Animas βομβεῖν finxit olim *Sophocles*, *ut eſt ap. Cœl. Rhodigin.* (*l.22. lect. Antiq. c.3. col. 1224.*) quod ex eodem explicavit (*l. 2. de Idolol. c.28. p.445. ſq.*) *Gerhard. Joh. Voſſ.* quem lubet audire. Animæ, *inquit*, plerisque gentium Theologis dictæ μέλισσαι, ſ. Apes, ob dulcedinem vitæ: ac propterea etiam Luna Apis vocata, quia Animas immitteret: quippe generationis Antiſtita, imo & Cereris, h. e. Lunæ inferæ, Manium præſidis, miniſtræ, quæ non aliæ, quam manes, itidem Apes vocatæ; Et Proſerpina quoque, vel ipſa Ceres Luna infera, vel Ejus effectus, vis inferas illuminans plagas, mellia ſimiliter dicebatur: nempè quia Apiculis illis, h. e. Manibus, præeſſet. Hæc parum vulgò ſunt cognita. Ut igitur plenius Gentium opinio innoteſcat, non abs re erit firmare illa *Porphyrii* verbis (*l. de Nympharum Antro*) ubi ſic ſcribit: Fontes verò & flumina Nymphis aquaticis propria ſunt, ac multò magis Nymphis animis, quas propriè veteres Nymphas dixere, quia voluptatem pariant. Unde & *Sophocles* non impropriè de Animis dixit: Mortuorum examen edit bombum, atque aliò venit. Imò & Cereris ſacerdotes, velut inferæ Deæ Antiſtites, Apes dixere veteres, & filiam Ejus *Proſerpinam* melleam, Lunam verò generationis Præſidem Apem nuncuparunt.

§. 11.

A bubonis clamore terribili minimè timendum, cum omni tempore moeſtam moleſtamque inflet tibiam, etiam peſte aut alia calamitate non præſente. Benè *Franciſcus Petrarcha* (*l.2. de utriusque fortun. remed. Diaolog. 90. p. 596.*) Strigis & Bubonis aſpectus & lugubris cantus uterque naturalis, non ſic canunt, ut vobis aliquid prænuncient, ſed quia canere aliter non norunt. Da illis Philomelæ vocem, flebunt dulcius. Fruſtraneum eſſe feralis hujus avis & vocis timorem, Exemplorum biga maximè memorabili (*tr. de ſuperſtit. c.3. §.37.*) *B. Martin. Geierus* evicit. Nec ab omnibus inter inauſpicatas aves numeratur bubo. Contrarium ſentiunt Tartari, dum felices reputant futuros, qui pennas de ea Ave ſuper galeis vel pileis geſtent, quod *Haithon. Armenus* (*Hiſt. orient. c.16. p.29.*) *retulit*, ejusque rationem ſimul ſubjunxit, quod ſuum Imperatorem Changium Cham in fuga intra quædam arbuſtula ſe occultantem, ſuper illis arbuſtulis ſedens quaſi protexerit.

§. 12.

Idem de canum ululatu ſentiendum. Non nego præſagos hos aliquando habere Spiritus, ut quidem *Joh. Sophron. Kazack* (*Anat. vital. Microcoſm. c. 7. p. 52.*) *arbitratur*. Succinit huic *Naturæ Genius Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Epiſt. med. 58. p. 233.*) *dum ſcribit* : Tanta canibus odorandi vis, ut ad longius remota cadavera occurrant, & ululatu funera ſæpè præſagiant, quia cadaveroſum ægrorum odorem percipiunt, & deſiderio illius tenentur, quæ tamen ratio non cuivis forſan ſatisfaciet. *Conf. Eund.* (*Act. Hafn. Vol. 4. obſ. 76. p. 179.*) & *Ol. Borrich.* (*Vol. 6. A. H. obſ. 48. p. 136.*) Peſtis fomitem odorare idcircò dicuntur Quibusdam, *ut refert Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l. 17. Var. Lect. c. 28. col. 845.*) Canis mihi ſano ſæpius accubus, lecto receptus cum febri Hungarica laborarem, ſemper aufugit, retentus vi ejulatum emiſit. Ita & Eremita Tholoſanus eundem percepit odore fœtido inſtar calceorum uſtorum, *ap. Petr. Borell.* (*Cent. 1. obſ. Med. Phyſ. 74. p. 74.*) Vetula toto octiduo funus in domo præodorabatur *Vid. Act. Hafnienſ. V. 2. obſ. 117. p.*) Idem de aliis mulieribus mortem futuram ex odoratu præſagientibus, *Dn. D. Ehrenfr. Hagedorn.* (*Cent. 1. ob. Med. Phyſ. 67. p. 101.*) Ventorum alias violentia, ſi canum ſubeat oppoſitos oculos & nares, eosdem facilè in latratus ſolvit & ululatus lamentabiles, cujus rei experimentum facere quilibet poterit. Hunc ululatum ventis ſilentibus, ſi mors hujus vel illius inſequatur, rectius id caſui erit imputandum, de quo *Hieron. Cardan. l. 2. de utilit. ex adv. capiend. p. m. 252.*) *evolvendus*. Frigore hyemis etiam canes ad ululatum adigi ſæpius vidi & audivi. Noctu Hecate præſente formidantes monſtroſum Dæmonem canes ululare gentium erat perſuaſio. *Vid. Caſp. Barth.* (*in 4. Thebaid. Stat. v. 429. p. 1077.*) ita *Virgil.* (*l. 6. Æneid. v. 257.*)

Viſique canes ululare per Umbram
Adventante Dea.

Hecatæ ſacrificiis noctu finitis varii tumultus, pedum ſtrepitus & canum ululatus audiebantur, quod *ex Apollonio (l. 3.) Lampertus Alardus* (*Comment. ad. Valer. Flacc. l. 5. Argonaut. v. 398. p. 361.*) *notavit*. Neque ſolum canum & id genus animalium rugitum peſtem, ſed & bella inteſtina præſagiiſſe, *è Conrado Lycoſthene* (*Chronic. oſtent. & prodig. p. 205. & 213.*) *patet*.

§. 13.

Aſtris Necromanticis hos ſonos tribuit *Joh. Bickerus* (*T. 1. Hermet. rediv. ſ. 3. c. 7. p. 410.*) Anteſignanum hic ſequitur *Theophr. Paracelſ.* qui de Aſtris Chaomantiæ idem (*tr. de ſignat. rer. p. 971.*) prodidit, & ſimul Eveſtrum obum-

obumbratum, ridiculum illud Trarames (*l. 2. Philoſ. ad Athenienſ. t. 21. p. 15.*) his ſubſtituit. Quid verò Aſtra illa Necromantica, quid Chaomantiæ aut Trarames illud, quam è tenebricoſo Tartari Antro nubes & larvæ? Exposuit & deſcripſit iſta (*l. 9. de Nat. reb. p. 921.*) Agnovit id ipſe *Bickerus* (*c. l. p. 412.*) dum ejusmodi ſonos inconditos, terribilesque voces à malis Geniis deducit. Nec id ſine ratione, prout *ex ante dictis* (*§. 8.*) id eluceſcit. De Dæmone in peſte 565. anni noctu clangores buccinæ concitante & tumultuante *Paul. Diacon.* (*l. 2. de Geſt. Longobard. c. 4.*) *Sigebertus & Abbas Urſpergenſ.* (*in Chronic.*) Novit *Cornel. Gemma*, (*l. 1. Coſmocrit. c. 7. p. 124.*) qui ſe videre Dæmones & Spectra balantia graſſantis peſtilentiæ tempore quam ſæpiſſimè faterentur, ut & domos deſcriberent atque familias, quibus Charontis cymba cum toto apparatu funeris immineret. Dum nempè Cacodæmones illi iram DEI præſentiunt, & de futuro hominum exitio gaudent, tales, *Judice Bickero*, aliquando ſonos edunt, quibus homines nocte terrent, quales ſe ante peſtem Miſnenſem audiviſſe *Idem* confitetur. Noſtris dicuntur *die Wehklagen*, infantumque non baptizatorum Animas eſſe, olim rudi credulæque plebi perſuadere rudes Monaſteriorum incolæ non erubuerunt. *J. B. van Helmont.* (*tr. Tumulus Peſtis p. 874.*) Funera per nubes delata, (addo & Sarcophagos per urbes, funebresque proceſſiones,) tonos lugubres in aëre auditos & ſonitus in Cæmiteriis &c. divinæ bonitatis admonita, adeoque extra naturam referenda interpretatur, ut tempeſtivè quisque ſuis Lampadibus oleum proſpiciat. Neque idcircò illa portenta, Cacodæmonis (niſi inviti) opera autumat: ſine cauſa verò in re aperta tricatur *Helmont.*, & qui Cacurgi in Hominis excidium & exitium pronitatem non ignorat, *Helmontio* non aſſurget. Spiritus ſagaces in ſcenam produxit *Joh. Sophron. Kozack.* (*tr. de Sale c. 3. ſ. 9. p. 130.*) Malos Genios expreſſe *Laurent. Ananias* (*l. de Nat. Dæm. p. 189.*) *Laurent. Forerus* (*virid. Phil. Diſp. de Sympath. & Antipath. th. 16. p. 197.*) Nihil boni, malorum potius Lernas has viſiones & ſonos portendere *ex aliis docuit Joh. Nicol. Jacobi* (*Heimſuchung der Stadt Gottes. J. 3.*)

§. 14.

Animarum ſtridor fictionibus Poëticis ſuam debet originem. Nec gemitum in Terræ cavernis & montium incendiis eſſe animarum damnatarum, credidit *Joh. Rudolph Glauber* (*p. 2. Oper. Mineral. p. 18.*) Clamor verò iſte ipſi videtur eſſe ignis ſummo impetu arctos meatus, prædura ſaxa & cavernas pererrans horrendumque ſonitum, vulgò ejulatum vocant, producens. Optimè hos ſtrepitus tonitruum aëriorum geneſi illuſtravit, & inter tonitura ſub-

terranea reputavit *Th. Ittigius (de Mont. Incend. s. 4. c. 2. §. 6. & 7. p. 292. sq.)* Eosdem fragores & tumultus glacies petris marinis illisa, v. g. in Islandia concitat, quem sonum etiam dammatarum animarum esse olim existimarunt, *Vid. Saxo Grammat. (Præfat. in Hist. Danic. p. 4.) Marinier (Reise nach Norden c. 43. p. 72.) Th. Bartholin. Fil. (ap. Patrem Act. Hafn. Vol. 4. obs. 35. n. 3. p. 109.)* Vanam illam & homine Christiano prorsus indignam persuasionem vocavit, *Stephan. Joh. Stephan. (In not. ad Saxon. præfat. p. 24.)* Distinguenda sunt tempora, *judicat Th. Bartholin. F. (c. l.)* hoc seculo etiam (nobiscum) sentiunt Islandi cum aliis septentrionalibus, sed aliter seculo Saxonis existimatum esse, est certissimum.

§. 15.

Facit, ut in medium afferam Meteoron illud, ut vocant, Gothanum, *ab Excell. Nostro Michaële Bernhardo Valentino. (Dec. 2. Ann. 8. M. C. obs. 74. p. 188.)* recensitum. Vespillo Gothanus, *memorat*, tumulum parans, in Sarcophagum putredine consumtum incidit, nihil præter costas & ossa continentem. Quem cum removere vellet, sonitum percepit, sibilum & stridorem anserinum exactè referentem, insimulque observavit ex ossis extremitate spumam pugni magnitudine erumpentem, tanto quidem cum foetore, ut labia naresque comprimere & obturare coactus fuerit; subsistit in altero, tumuli angulo visurus, quid tandem inde sit eventurum. Paulò post tantum fragorem edidit massa illa spumiformis, ac si quis bonbardam manuariam exploserit, succedente & in turbinem surgente fumo quodam cœruleo, qui majori, quam spuma ante dicta foetore aërem infecit, unde præsentaneo vitæ periculo fuisset obnoxius, nisi relicto ocyus tumulo domum se contulisset, & sumtis, nescio quibus, medicamentis se refecisset. *(Add. Ejusd. Diss. Epist. 3. p. 131. sq.)*

§. 16.

Interim stridoris istius mentio magis animum tenet suspensum, si morbo grassante exitiali & contagioso defuncti tumulati, præsertim sequioris sexus, vestes suas ferales, seu amicula, ore alambant cum claro sonitu porcorum mandentium ad instar (inde vulgò *die schmätzende Tode*) ea sugunt & quantum ore possunt attingere, mandant, devorent & deglutiant. (*Paul. Stockmann. c. l. p. 122.)*

§. 17.

Historiæ sunt in promtu. Accidit id in pago quodam, tempore *Megalandri Martini Lutheri*, prout ad illum scripsit *M. Georg. Roererus (Vid. Trapezolog. Tit. 24. f. 211. 212.)* Anno 1552. in pagis circa Freiburgum Hermsdorff, Clauf-

Clausnitz, Dittersbach (*Conf. Andr. Moller. Annal. Freibergens. p. 254.*) Anno 1553. Laubæ in Lusatia (*Martin. Bohem. von den drey Land-Plagen, conc. 17. f. 169. a.*) & in Silesia Anno 1565. (*Vid. M. Henric. Roth. Conc. Funebr. 30. in Additamentis von schmätzenden Toden*) Martisburgi, quod è *D. Adam Roether.* (Conc. pestilent. 1.) patet. Anno 1581. & 1584. in peste Schiefelbeinensi. (*Ignat. Hanniel. de Pest. Schiefelbein. v. 140.*) Plura dabunt *Henric. Kornmann.* (*Part. 7. de m. m. c. 64.*) *Wencesl. Hagecius* (*part. 1. Chronic. Bohem. f. 419. b.*) *Martin. Zeiler.* (*in Not. ad Resset. Hist. Tragic. 1. p. 32.*)

§. 18.

Horribilius præfato sono est, quod indè vulgus sumit prognosticon. Ea mentem hujus fascinavit persuasio, contagium dato hoc signo non solum diu duraturum, sed & majori tyrannide corpora viventium invasurum, Charontem ut eò magis fatiget. Quid, quod ab eodem sanguine nati ob hanc caussam pro conclamatis veniant reputandi. *Sie prophezeyen, es werde der Tod die nächsten Anverwandten und Freunde nachholen.*

§. 19.

Ut ergò à violentia sibi temperet, malum fulmenq; avertant præsentissimum, in ipso superstitionis, nequid gravius dicam, fundo Laurum prognatam decerpunt. Tumba sepulchrali aperta vestes ferales à mortuo deglutitas faucibus ejus vi eripiunt, bipalioque caput devoranti abscindunt, quo tandem finita ista suctione & carnis præmorsione finiatur & ipsum contagium.

§. 20.

Belle. Siccine dabitur prophilacticum, cujus vis alexicaca & sonum istum sufflaminet, inque propria membra labiorum & dentium cohibent ferociam? Præsto est. Judæi ante sepulturam, ne institæ ori apponantur, ut admorderi queant, summoperè cavent. *Vid. B. Martin. Geier.* (*de Luct. Ebræor. c. 5. §. 10. p. 48.*) Apud nostros mento gleba supposita id præcavet felicissimè. Aliud ejusdem efficaciæ alibi celebrat vulgi superstitio. Mortuo priusquam os claudatur lapidem & nummum ponunt in ore, ut si in sepulchro mordere incipiat, lapidis & nummi sentiat duritiem contra nitentem, & à morsu feriatur.

§. 21.

In Saxonia id in pluribus locis factum suo tempore *G. Rollenhagen* (*è quo Henric. Kornmann. c. l.*) in literas retulit. Maximè verò hi Ethnicorum & aliorum superstitiosorum premunt vestigia, qui Danacen (δανάκην νομισμάτιος ὄνομα βαρβαρικὸν πλέον ὀβολοῦ (*juxta Etymologicum magnum*) trientem

 habet

habet, *Juvenal.* (*Satyr. 3. v. 267.*) duos obulos *Aristophanes* (*in Ranis Act. 1. sc. 5.*) mortuorum ori indebant portorium, Charonti ut solverent, Stygiam transmissuri paludem, quod *à Strabone* recitat *Ludovic. Cæl. Rhodigin.* (*l. 10. antiqu. lect. c. 2. col. 432.*) *Add. Erasm. Roterod.* (*in Adag. p. m. 456.*) *Natal. Comit.* (*l. 3. Mythol. c. 4. p. 197.*) *Alex. ab. Alexandro* (*l. 3. Genial. Dier. c. 8. f. 130. a.*) *Conrad. Rittershus.* (*Comment. ad Salvian. l. 1. de Avarit. p. 134. n. 438.*) *Joh. Guther*, (*l. 1. de Jur. Man. c. 17. p. 104.*) *Joh. Nicolai* (*de Luct. Græcor. c. 4. §. 3. p. 39. sq.*) Viaticum nuncupavit *Plautus*, (*Pœnul. Prolog. v. 71.*)

Ipse adiit ad Acheruntem sine viatico.

Καρκάδονα Græci, ut (*in eo verbo*) *Suidas.* Exagitat salsè more suo hanc superstitionem *Lucianus*, (*T. 2. Op. de Luctu p. m. 302.*) Simul atque familiaris quispiam mortuus fuerit, primum obulum in os illi addunt, ut sit portitori trajectionis merces, nec illud propius expendunt cujus numisma legitimum sit, ambuletque apud inferos, & apud illos valeat, Atticus ne, an Macedonicus & Æginensis obulus, neque multò satius esse non posse naulum solvere, cum sic futurum sit, ut non recipiente portitore postliminiò redeat ad vitam. Ad Judæos transiit etiam hoc institutum, si *prædicto Kornmanno* (*c. l.*) fides habenda, qui testatur horum capita ante aliquot centum annos sepulta, inveniri effossa, aureum nummum in ore habentia. Mumias Ægyptias etiam sub linguis aureas habere Laminas, *apud O. Borrich.* (*l. de Hermet. Ægyptior. c. 5. §. 2. p. 139.*) *Titus Livius Burratinus confirmat.* Folium Auri tenuissimum reperit (*de Mum. Uratislav. p. 46.*) *Andr. Gryphius.*

§. 22.

Causam hujus soni & morsus in mortuo qui quærit, tritum illud, quo jam olim *Theodotus ap. Plutarchum* (*in Vit. Pompej. p. m. 432.*) usus legitur, expendat: Νεκρὸς οὐ δάκνει. Mortuus non mordet: *Ein toder Hund beist nicht.* Cessante animæ cum corpore commercio, & actiones cessabunt verè vitales. Loquor de verè mortuis, non de Epilepticis, Syncopticis, Hystericis, aut Ecstaticis. Hos aliquando tale miraculum patrare posse ut credamus. *Cæsar Baronius* (*T. 6. Antiquit. Ecclesiast. Thesaur. c. 214.*) *è quod citatus Kornmann. p. 7. m. m. c. 59.*) persuadet narratione de Zenone Imperatore comitiali morbo correpto, & pro morruo sepulto, qui finito Paroxismo ad se rediens præ fame suos ipse lacertos manderat, & caligas, quas gestabat. Ita Scotum vivum sepultum extrema manuum devorasse, sunt qui referunt, hosque citat *Casp. Schottus* (*l. 3. Phys. Curios. c. 19. §. 2. p. 438.*) qui tamen falsitatis eorum testimo-

monia convincere nititur. Spectant huc quæ *alibi Diss. de Cadav. §. 25. & 30.)* enunciavi.

§. 23.

Ad alias causas descendentem, easque exquirentem, Striges ex Avium genere, nescio, quo fato nos salutant, è quadrupedum verò Hyena occurrit. Infaustum sanè par! Forsan inter miraculi hujus patratores locum inveniet. Striges & caprimulgi dicuntur, quod noctu caprarum ubera rostis sollicitent, & lacte emungant. De Cretensibus id testatur *(l. 1. observ. c. 10. p. 29.) Petrus Bellonius.* Talem se Constantinopoli vidisse suspicatur *(Epist. Turcic. 3. p. m. 144.) Auger. Gislen. Busbequius.* Noctu etiam has nutricum & infantum papillas summa cum molestia incadere, quin & sanguine humano suctu extracto gaudere, dicuntur. Inde condimenta Striges nuncupabat *Plautus (in Pseudol. Act. 3. sc. 2.)* eò

Vivis convivis intestina quod exedant.

Vid. Frideric. Taubmann. (in h. l. p. 1003.) Optimum harum en! Apellem *Ovidium (l. 6. Fastor. v. 131.)* audire lubet;

Sunt avidæ volucres, non quæ Phineia mensis
Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt.
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ
Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera matris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis Strigibus nomen, sed nominis hujus
Causa, quod horrenda stridere nocte solent.

Adjungo huic *Joh. Stigelium (T. 2. Poëmat. f. 299. b.)*

Grande illis & triste caput, semperque micantes
Igne oculi, rostrumque capax, hamoque timendum,
Ventes iners, crudo nunquam sine sanguine guttur,
Multiplices uncique pedes, aptique rapinæ,
Corpora namque hominum sugunt & viscera rodunt,
Humanoq; gulam gaudent implere cruore.

§. 24.

Has aves dari, ut *cum Aristotele (l. 9. Hist. Animal. c. 30.)* & *Casp. Schwenckfeldio (Theriotroph. Siles. p. 232.)* nullus dubito; ita quod lac capris & nutricibus

bus, infantibus autem ſanguinem clam ſubtrahant, &, quod addidit *Caſp. Shottus*, (*l. 9. Phyſ. Curioſ. c. 25. p. 979.*) ubera caprarum emoriantur, & capræ excoecentur, cum Eodem (*c. l. p. 233.*) nego, quod Experientia deſtituatur utraque aſſertio. Audiendus erit *Plinius*, (*l. 11. c. 39.*) Fabuloſum arbitror de Strigibus, ubera eas infantum labris immulgere, eſſe in maledictis jam antiquts ſtrigibus convenit: Sed quæ ſit avium, conſtare non arbitror. Fabuloſum pariter & antiſtrigium (*c. l.*) *Ovidii*:

Virgaque janalis de ſtipite ſumitur alba
Quæ lumen thalamis parva feneſtra dabit.
Poſt illud nec Aves cunas vitiaſſe feruntur
Et rediit puero, qui fuit ante, color.

Habet & aliud *Q. Serenus Sannonicus* (*l. de re Med. c. 58.*)

Prætereà ſi forte premit ſtrix atra puellas,
Viroſa emulgens exertis ubera labris,
Allia præcepit Titiri ſententia necti,
Quis veteri claras expreſſit more togatas.

Interim veſpertiliones, dum adveſperaſcit, humanum ſugere ſanguinem *Andr. Libavius* (*l. 6. Hexaëm. ſ. 30. p. 555.*) prodidit. *Excell. Dn. D. Joh. Chriſtian Fromann.* (*l. 3. de Faſcinat. p. 3. ſ. 2. c. 1. §. 7. p. 500.*) Striges etiam infantium ſanguini inſidiari, ſi detur occaſio, exiſtimat. Jam verò cum earum præſentia in cubiculis animadverti & præcaveri queat, experimentum etiam obſervatu haud erit facile, concludit.

§. 25.

Regeris, quod infantes ſpectat hiſtoriam illam *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hiſt. anat. 9. p. 20.*) quæ ita habet: Tres infantes Paſtoris Fionenſes Lykisholmi in cubiculo conſueto dormientes, inſueto ploratu & inquiete non ita pridem turbabantur, quod ſe mulgeri à quondam ſentirent. Puerorum ſuſpicionem firmarunt papillæ diligentius à parentibus tractatæ, quæ lactantis fœminæ in morem eminebant. Ad averruncandum faſcinum hoc, alexipharmacis amariſque illitæ fuere papillæ. Hinc umbilicus illorum tàm vehementi ſuctione atterebatur, ut non tantum manifeſtè promineret, ſed & oris ſugentis magnitudinem impreſſo velut veſtigio monſtraret. Sit ita, quomodo verò conclave clauſum poterunt intrare ſtriges, cur earundem præſentiam nemo animadvertit? Suctionem, reponis, factum manifeſtè evincit papillarum & umbilici prominentia. Verum cur iſta ſuctio infantes fatiget,

get, ſomnique increpet ſuavitatem & profunditatem, aliæ cauſæ tàm præternaturales, quam naturales ſunt in promtu.

§. 26.

Si namque, quod è *Spinæo* refert *Hier. Jordanus (tr. de eo quod eſt in morbis divinum c. 40. p. 149.)* venæ infantum à ſagis acu, ungue, aut alio modo Dæmonis ope apertæ deprehenduntur, quod conſtat ex parvis cicatricibus relectis & interdum poſt Cattorum apparentium fugam, guttis ſanguineis in pueris ejulantibus remanentibus, cur non & veneficium ſuctionem hanc procurare poſſet. Spiritus naturales Elementares, Ephialtes dictos, Lac & ſanguinem ſugere *Joh. Sophron. Kozack* (*Anat. vital. Microcoſm. c. 17. p. 175.) docuit.* Similiter huic commento in feſto Nativitatis CHRISTI ſpectra Vedavéze ubera infantum ſugere apud Carinthios, quibus ſe opponant Sevianſevéze *ap. Joh. Weickard. Valvaſor. (l. 11. Carinth. p. 456.).* Naturale quid ſubeſſe *citatus Schwenckfeld*, dudum ſubodoratus eſt. Deprehendit ille Lactis veſtigia in tenellis eſſe pus album, quod ſæpè ex puſtulis minutis papillorum exprimitur. Vidit & hoc *Adrian. Spigel.* (*de format. foet. p. 3. c. 3. p. 47.)* & *Guilh. Harveus* (*Exerc. de mot. ſangu. anat. 2. p. 18.)* qui pro vero Lacte habent, & *Thom. Cornel. Conſentin. (Progymnaſm. 6. p. 222.)* qui Lac aquoſum reputat. Ita & ipſe non ſemel in recens natorum papillis aliquot humoris albicantis guttulas fluctuare conſpexi. Exprimitur iſte humor fœmellis tantum à ſuperſtitioſis obſtetricibus, maſculis verò ut exprimant adigi nequeunt. Quod ſi igitur humor iſte in papillis relictus copia peccet, inflammationem & tumorem parit, ut ſæpè ſuctum talem prægreſſum ſuſpiceris. Dolor inde exortus facit noctes inſomnes, vagitum vagitu cumulat, & aliquando humor ferociens Chirurgi manum expetit, gravique moleſtia hanc obſtetricum incuriam & ſuperſtitionem expiare tenetur tenellus. De mammarum ſuctione ſenſibili, ut papillæ etiam inde intumuerint, quæ viro cuidam in ſomno obtigit, memorabilem conſignavit hiſtoriam *Excell. Joh. Dolæus l.* (*1. Encyclop. c. 13. p. 197.)* Quæ umbilicum prominere faciunt, ſunt vagitus & flatus.

§. 27.

Hæc dum ſcribere in animum induxi, cauſam plicæ Polonicæ ex mente vulgi, mihi in mentem revoco. Dæmones vulgò cum Ethnicis in ἀγαθὰς & κακὰς diſcernunt, & in aſperos & immites Dionyſiacos Ethnicis, ſecundum *Joh. Wierum (l. 1. de præſtig. Dæmon. c. 22. p. 110.)* dici, & larvas, *juxta Petr. Thyræum* (*l. 1. de Loc. Infeſt. c. 4. n. 3. p. 20.)* & mites, qui nulla damna

inferunt, nec ſpecie terribili apparent. Vocantur *die gütigen Geiſter*, *Th. Paracelſo* (*T. 2. Op. l. de Arte præſaga p. 198.*) Mites, *Georgio Agricolæ* (*l. de Animant. ſubterr. p. 491. 492.*) quos & Germani Kobalos, Gutelosque nuncupant. Lares & Fauni, *P. Thyræo* (*l. c.*) *è Caſſiano.* (*Collat. c. 32.*) Fabrelli domorum, Kowardiozky Bohemis, minutiſſimi quaſi tres aut quatuor fabri tunderent. (*Bohusl. Balbrin. l. 1. Miſc. Regn. Bohem. c. 16. p. 45.*) Lingua Ruthenica Coltkii. (*Phil. Camerar. Cent. 1. op. ſubſeciv. c. 73. p. 338.*) Craſmeni Ludzmi Polonis Ruſticis. (*Iſaac. Schook Cent. probl. var. probl. 28. p. 25.*) Tales etiam Lemures, quos Sylphis accenſet *Joh. Sophron. Kozack* (*Anat. vit. Microcoſm. c. 17. p. 125.*) Utrumque genus in fodinis Metallicis Turcicis inveniri, *P. Bellonius.* (*l. 1. obſ. med. c. 53. p. 119.*) Sed quid de utroque genere dixi? Nullos crediderim *cum P. Thyræo*, (*c. l. n. 4.*) qui tantum ſunt mites: nullos, qui tantum ſunt truculenti: Qui nunc mites, poſt truculenti; qui nunc truculenti, poſt mites. Nam nec mitibus ſua deeſt bilis, aut nocendi poteſtas vel voluntas. Et, qui odio in nos ſæviunt (quia mille artes norunt,) etiam in Angelos lucis ſe transformant & ſummam quandoque ſimulant mititatem. Habet hic locum vulgi pronunciatum: *Es iſt ein Teufel wie der ander.*

§. 28.

Sed è diverticulo in viam. Credunt vulgo Dæmones hos mites capillos ſugere, atque ſputo eorum tanquam glutine conglutinari. Inde tricæ Incuborum, *Mahren-Flechten* & *Schroetlings-Zæpfe Joh. Schenckio* (*l. 1. obſ. med. p. 16.*) audiunt. *Mahr* ſignificat Ephialtem, aut incubum. *Schroetling* autem *Th. Paracelſo*, (*l. 1. Philoſ. Sagac. p. 373.*) Umbragines vocantur, ſextamque conſtituunt Speciem illorum hominum ex Elementis ſine anima generatorum. Et cum à mitibus dependere dicantur, *Gütgen-Zöpffe* dicuntur, *Jüden-Zöpffe*, quod ab incubo Judæi ſpecie fieri exiſtimantur, *Wichtel-Zöpffe*, quod ſuperſtitiosè creditum ſit, ab infantibus non baptizatis (quos Antiqui *Wichteln* nuncuparunt,) necti. *Vid. Simon. Schulzius* (*in Plica explicata M. C. D. n. Ann. 6. & 7. obſ. 138. p. 190.*) Addo hiſtoriam. Multis ab hinc annis in vicinia ancilla quædam uterum geſtare credebatur, dum igitur forte fortuna infans expoſitus ſuffocatus reperiretur, illam uteri onus dum depoſuiſſe, & ſuffocaſſe fama tulit. Re ad juſtitiæ præfectum delata, carceri includitur. Facinus præfractè negans obſtetricibus committitur, quæ à Lactis in mammis proventu eam uterum clam depoſuiſſe unanimiter concludunt. Quid illa? convictam quam putabant, aliud deſperatæ cauſæ invenit aſylum. Plicas capillorum monſtrabat, & à ſpectro nocturno mammas ſibi ſugi regerebat, quæ

ſuctio

ſuctio lactis præſentiam cauſaret. *Sie wendete ein, ſie hätte die Güigen, die durch nächtliches Brüſte-ſaugen die Milch zuwege brächten.* Tortori oblata pronunciati tenax tandem abſolvebatur.

§. 29.

Sanè ſi rem rectè expendamus, uterique cum mammis conſenſum attendamus, in retentione menſtruorum & Plica Polonica inde orta, talem humorem in mammis colligi poſſe, penitus negandum non eſt. Humor iſte, noctu à Blas ſtellarum motivo motus, mammas cogit intumeſcere, & in ſomno nerveos titillat papillarum colliculos, ut veram ſuctionem, non aliter, ut in Ephialte à Spectro preſſuram patrari falſò ſibi imaginentur. Non fugit id *divinum noſtrum ſenem*, qui humorem illum albicantem Lac vocavit (*ſ. 5. Aph. 39.*) non verum, ſed ſpurium, ut alibi (*Diſſ. inaugur. de Nutrit. & Morb. Infant. ſ. 1. c. 1. §. 4.*) id expoſui.

§. 30.

Sed ad rem. Strigibus minimè iſte in cryptis feralibus ſonus erit imputandus. Sugunt enim, ſi fabula vera eſt, placidè, non cum ſtrepitu. Sugunt, inquam, papillas non veſtes ferales, non collo adjacentes partes. Sugunt tandem, non mordent, nec carne veſcuntur Cadaverum. Paucis, vivos lædunt, non mortuos. Soli expoſitos, non ſolo obrutos.

§. 31.

Hyænæ verò id aſcribas hoc urget, quia non huic, ut aliis feris, animalia ſunt præda, ſed erutis alitur Cadaveribus, *ut loquitur J. C. Scaliger (Exercit. 217. ſ. 7. p. 685.)* τυμβωρυχεῖ ἐφιέμενον τῆς σαρκοφαγίας τῶν ἀνθρώπων *ſcripſit Ariſtoteles (l. 8. Hiſt. Animal. c. 5.)* Idem *Joh. Leo Africanus (l. 9. Deſcript. Afric. c. 41. p. 503.) Et Auger. Giſlen. Busbequ. (Epiſt. 1. Turcic. p. m. 63.)* hæc de illa: Illa Zirtlan Turcis dicta, ſepulchra ſuffodit extrahitque cadavera, portatque ad ſuam ſpeluncam, juxta quam videre eſt ingentem cumulum oſſium humanorum, Veterinariorum, & reliquorum omne genus animalium. Non niſi virorum carnes eandem devorare Arabum traditio eſt. *Vid. Sam. Bochart. (T. 1. Hierozoic. l. 3. c. 11. col. 832.)* An Lacta aut Lactea *apud Albertum M. (l. 22. de Animal. f. 181. a.)* huc referendum ſit, Alii diſpiciant. Plura de Hyæna carnivora *Plin. (l. 8. c. 10.)* Inde & Turcæ graves lapides ſepulchris *teſte Busbequio (c. l.)* injiciunt, ut ab hujus, ut & canum & luporum injuriis cadavera tutiora ſint. *Conf. Henric. Kornmann, (p. 10. d. m. m. c. 21.) Joh. Vesling. (obſ. & Epiſt. à Th. Bartholin. edit. p. 47.) Petrum della Valle (p. 3. Itiner. Orient. Epiſt. 15. p. 139. & Epiſt. 16. p. 162.) Die Ceiloſen ſtecken auff ihrer*

Verstorbenen Gräber spitzige Dornen, damit der Cörper für den Jackhals sicher ist, welcher eine Art ist wie ein Fuchs und sehr nach den Menschen Fleisch gieret. (*Joh. Jacob Saar Ost-Ind. Kriegs-Dienste c. 4. p. 88.*) De vulpeculis Schakalle, quæ forsan idem, quod Jackhals *Jürgen Anderson*, (*l. 1. Itinerar. oriental. P. 27. p. 46.*) *Walther Schultze*, (*l. 2. Itinerar. oriental. c. 17. p. 175.*) Chakelles vocat *J. B. Tavernier.* (*l. 1. Itinerar. Persic. c 6. p. 31.*) *Chardin.* (*Itinerar. Persic. p. 118.*) Idem de muribus Pharaonis in Palæstina *Francisc. Ferdinand. Troilo* (*Itinerar. Ind. p. 265.*) De Ursis propè Spitzbergam *Friedrich Martens* (*Spitzbergische Reise p. 4. c. 4. §. 3. p. 75.*) Russiæ *Strauss.* (*l. 1. Itinerar. c. 2. p. 68.*) Cum verò singulare illud contingat in regionibus, in quibus nullæ Hiænæ, vulpeculæ Schakalle, Mures Pharaones & ursi (*Vid. Levin. Huls. p. 2. Navigat. p. 27.*) illæsis sepulchris certa tantum corporis pars lædatur, & ipsum Cadaver ferales lambat & deglutiat vestes, prædictarum bestiarum hic meritò absolvitur truculantia.

§. 32.

Figmentum est Judæorum serpens Azazel. Hi, ut explicent *locum Geneseos* (*c. 3. v. 14.*): Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ, & illum Esaiæ (*c. 65. v. 25.*) pulvis panis tuus, corpus humanum, utpote quod terræ suam debet originem ab isto serpente rodi & consumi tradidere Rabbini. *Vid. Paul Roeber.* (*Sermon. de Temp. 29. p. 783.*) *Henric. Kornmann.* (*Præfat. in P. 2. & p. 7. de Mir. Mort. c. 64.*) *Andr. Libav.* (*l. 7. Hexaëm. p. 728.*) *Cornel. Agripp.* (*de Vanit. Scient. c. 45.*) *Joh. Laurent. Ananias* (*l. 3. de Nat. Dæmon. p. 115.*) *cum Aliis.*

§. 33.

Ejusdem farinæ est mus ille Judaicus, quem cadaver statim, ut terræ concreditum, tàm crudeliter mordere asserunt, ut etiam clamare (risum teneatis Lectores) cogatur. Ita *magnum Ecclesiæ nostræ lumen atque columen Magnific. Dn. D. Martin. Geierus* (*Tr. de Luct. Ebræor. c. 6. §. 17. p. 103.*) *ex Antonio Margarita:* Scissioni vestimenti super sepulchro facta cuncti magno cum strepitu & vociferatione è Cœmiterio diffugiunt, ne Lethiferum defuncti audiant clamorem, quem terra obrutus, atque à Mure nares admorsus edere creditur, & quo audito intra trigesimum diem mori itidem cogatur animadvertens.

§. 34.

Ab his deliriis, ut iterum *verba Magni Theologi* adoptem, non multum Muhamedani distant, qui duos Angelos nigros atque levidos Moncar & Nacir,

Nacir, Mongir & Guarequir, *Sandys (l. 1. Itinerar. p. 162.)* Mungir & Quoregner *Phil. Baldeo (l. 1. descript. Malab. & Coromandel c. 6. p. 29.)* nuncupatos, dicunt cadaveri adesse post sepulturam, ut defunctum in sepulchro erectum sedere jussum interrogent, quid crediderit, quid de Mahommede senserit? Si rectè responderit, suaviter obdormire jubent; sin minus, gravibus crucient malleorum ferreorum ictibus inter aures impressis, adeò, ut clamorem audiant, quot quot inter orientem sint & occidentem, præter homines & Genios, *ut hæc refert Edo Pocokius. (Not. Miscell. p. 241. sq.)* Hi autem non terra tegunt sepulchra, sed saxis, nulla interjecta terra, ut modo Dæmone accusante & rationem vitæ à mortuo exigente, defendente verò bono Genio locus sit, ubi mortuus sedere, & se causæ commodius dicendæ ergo possit erigere. Ita *Auger. Gislen. Busbequius (c. l p. 62.)* & *Sandys (c. l.)*

§. 35.

Ita narrant XCIX. serpentes, quarum unicuique VII. capita, unicuique infideli in pœnam in sepulchrum immitti, eundemque illic mordere, ut *citatus Pocokius (c. l. p. 244.)*

§. 36.

Nec majore veritate lucet illa vulgi fabula, quæ Vespillonibus hujus mali causam ascribit. Nempè si prono in terram vultu cadavera, ad Diogenis Cynici mentem, (*Vid. Alex. ab Alexandro l. 6. Genial. Dier. c. 14. f. 352. b.*) Sepulchris inferant, capillos ori defuncti indant, nec mento glebam supponant.

§. 37.

Eurynomon (Euryonium vocat *Joh. Bodinus l. 2. Dæmonom. c. 6.*) *Nicolaus Leonicus Thomæus (l. 1. Hist. Var. c. 61. p. 82.)* his delineat: Delphorum interpretes, & ii, qui maximè inter illos peritiores habiti sunt, *Pausania referente*, Eurynomum dixerunt inferum fuisse Dæmonem, qui mortuorum carnes absumeret & devoraret, ita ut sola ex iis & nuda relinquerentur ossa: pingebantque illum horrida quadam ac terribili specie, exertis dentibus trucem, in vulturina pelle sedentem, colore inter cœruleum & nigrum ferè medio, qualis musculorum color, inter reliquas animalium carnes esse perhibetur. An Spiritus Asuiti fuit illud Eurynomon, de quo *apud Saxon. Grammat. (l. 5. Hist. Dan. p. 91.)* & *Henric. Kornmann. (p. 2. c. 35.)* Asmundus vivus ejusdem tumulo unà cum equo & cane illatus, & tandem ex eodem reductus?

Nescio quo Stygii Numinis ausu
Missus ab inferis Spiritus Asuiti.
Sævis alipedem dentibus edit,
Infandoque canem præbuit ori.
Nec contentus equi vel carnis esu,
Mox in me rapidos transtulit ungues
Discissaque gena sustulit aurem.

Hoc Eurynomon cum neque *Homeri* de Ulysse carmina, neque Poësis ea Mingas appellata, nec postremò, quæ est Nosti (Νόστοι, id est reditus,) inscribitur, (in iis potissimum libris de orco, deq; inferorum terroribus multa exposita sunt) inter Manium Deos numerent, de ejusdem existentia dudum ipse dubitare cæpit *Pausanias.* (*in Phocic. s. l. 10. c. 28. p. m. 868.*)

§. 38.

Ita quidem se res habet. Nihil hic Natura. Omne quod hic patratur, malus patrat Dæmon, qui solum sanguine humano & cadaveribus tenetur, *juxta Prophyrii (l. Responsor.) doctrinam.* Hic dum iram & vindictam DEI præsentit, & de futuro hominum excidio mirificè gaudet, sæpè solet inconditis quibusdam vocibus ac sonitibus vel spectris aliisque illusionibus imbecillium animos perterrefacere, vel iisdem aliorum imbecillium exitium & interitum prænunciare, *ut habet Isbr. à Diemerbroeck (l. 4. de Pest. Noviomag. Hist. 60. p. 282.)* Ille est Evestrum Paracelsicum (*T. 2. Op. p. 290*) Addo huic Ejus instrumenta & manus, Lamias. Ille est Hyæna; asseclæ striges. Ille Azazel, ille mus Judaicus, ille Angelus lividus, ille spectrum Eurynomon; serpentes veneficæ. Inde corporum Princeps Cabbalistis dicitur Satanas, (*H. Kornmann. præf. in p. 2. de Mir. Mort.*) neve nimioperè in eadem suam exerceat Tyrannidem, Cœmiteria pia antiquitas consecrasse, & sepulchra aqua lustrali adspersisse, legitur. (*Id. Part. 7. c. 7. Laurent. Ananias l. 3. de Nat. Dæmon. p. 116. Joh. Marcus Marci p. 3. Phil. Vet. restit. ut subsect. 1. p. 393.*) Sonus porcorum mandentium auditur; Dæmon verò non semel sub porci figura apparuit. Adduco saltem, quod *Thom. Cantipratanus* (*l. 2. Mirac. & Exemplor. sui tempor. c. 30. n. 5. p. 323.*) notavit. Nefandissima Vetula Richarda, sanctitatem in Claustro professa, mortua & sepulta est. Sequenti nocte Scrofa nigerrima cum porcellis septem ejusdem coloris manifestè visa est claustrum intrare, sepultamque vetulam effodere, & membratim Ejus corpus miserabile laniare, & viscera Ejus longo tractu per claustri ambitum dissipare. Quo facto, cum porcellis scrofa disparuit & post se fœda vestigia reliquit. Ita sub Joh. Cuntii imagine latens

latens Dæmonium nocte venit in cubiculum Theologi, & instar porci deglutiit grana, rostro sonitum edente clarissimum. *Vid. Martin. Weinrich.* (*Diss. de Spectr. Strigoniens. & Pentschens.*) Optimè proinde *Cyprianus* (*l. de Vanit. Idolor.*) monuit: Malos Spiritus extorum fibras animare, avium volatus gubernare, sortes regere, oracula efficere, falsa veris involvere, falli & fallere. Et de præsenti casu *B. Noster Martin. Lutherus* (*c. l. f. 211. b.*) *Das ist des Teuffels Betrügerey und Boßheit.* Et *paulò post* (*f. 212. a.*) *Es ist des Teuffels Gespenst.* Ille sonat, crepat, lambit, mordet in sepulchris, sub persona mortuorum, ut mecum *Martin. Bohem.* (*c. l. f. 169. b.*) *Martin. Hammer* (*Pestilentz-Pfeil p. 118. sq.*) *Paul. Stockmann.* (*c. l. p. 125.*) Hecatæ Sacrificiis noctu finitis varii tumultus, pedum strepitus & canum ululatus audiebantur, *quod ex Appollino* (*l. 3.*) *Lampert. Alardus* (*Comm. ad Valer. Flacc. l. 5. Argonaut. v. 398. p. 361.*) excerpsit.

§. 39.

Subit memoriam Americanorum persuasio, de qua αὐτόπτης *Joh. Lerius, & ex eo Guilhelm. Stuckius* (*l. 1. Antiquitat. Convival. c. 25. f. 84.*) A prima statim nocte, postquam cadaver defuncti terræ fuit mandatum, magnas patinas farinæ, volucrum, piscium, aliorumq; ciborum prius benè coctorum plenas una cum potu, Caovin dicto, defuncti sepulchro imponunt, idque more planè Diabolico tàm diu facere continuant, donec ipsum cadaver putrefactum esse existimant. Id autem faciunt, quia hujusmodi mentes errore sunt imbutæ, ut existiment Diabolum, (quem sua lingua Ayguam appellant,) nisi alios cibos, quos devoret, ibi præsentes habeat, ipsum cadaver effossurum atq; devoraturum esse. Sunt qui defuncti animam de appositis cibis manducare autumant, *teste M. Paul. Veneto.* (*l. 1. de Reg. Orient. c. 45. p. m. 38.*) Inde comestilia supra sepulchra, cum ab Ethnicis, tum Christianis ipsis olim posita, de quo *Joh. Baptista Casalius.* (*de Veter. Sacr. Christian. ritib. c. 66. p. 342.*)

§. 40.

Magna verò, cumprimis tempore Pestis, Dæmonis est potestas, quia tunc, *ut loquitur B. Lutherus,* (*c. l. f. 200.*) est DEI carnifex. Quocircà non tantùm pestem totum orbem devastantem, qualis illa Ægyptiorum A. C. 544. *de qua Cœl. Ludovic. Rhodigin.* (*l. 2. Lect. antiqu. c. 6. col. 51.*) *Athanas. Kircher. Chronolog. Pest. celebr. p. 410.*) *& Alii,* excitare potest, sed & variis terriculamentis in generis humani perniciem eandem propagare satagit.

§. 41.

Qui Dodonam in proprio extruunt corde, Magi & Lamiæ pariter, solertes se in hoc casu præstant. Notum est, Eosdem caprimulgorum ad instar, vaccarum

carum ſugere ubera ad ſanguinem usq; , indeq; cachexian vaccis induci (*Andr. Libavius ap. Joh. Hornung. Ciſt. Med. Epiſt. 78. p. 212.*) Imitaturi in his Principem, quippe qui ſub Joh. Cuntii ſpectro vaccas plenas ſucco evacuabat, ut nihil amplius uberibus ineſſet. Caudas earum ita intorquebat, ut in equis fieri conſuevit. Vitulos ita macros, ut laternis punicis magis eſſent pellucidi. Quin & puerperas, imprimis ſi ubera ſucculentiora habebant, infeſtabat, *quod Martin. Weinrich. (c. l.) teſtatur.* Quantoperè autem demortuorum carnes appetant Magi & Sagæ hiſtoriæ loquuntur. De mulieribus gravidis & tenellis infantibus à Magis diſſectis, *Euſebius. (l. 1. de Vit. Conſtantin. c. 30.)* Objicitur id Apollonio Thyanæo, *ap Philoſtratum (l. 7. c. 5.) Porphyr. (l. 2. de Abſtinent. ab animatis.)* Exemplum aliud habet *Jacob. Sprenger. (p. 1. Mall. Malific. qu. 11. p. 142.) Joh. Bodin. (l. 2. Dæmonom. c. 3. p. m. 264.) Add. Joh. Kirchmann. (l. 3. de Fun. Rom. c. 23. p. 331.)* Illum cibi loco mandere geſtiunt, & ut his cupediis impunè frui liceat, in canes & lupos libenter tranſmutantur. *Conf. iterum Joh. Bodin. (c. l. & alibi paſſim.)* Noctu circa ſepulchra verſantur (inde τυμβάδες *Heſychio* & buſtuariæ nuncupatæ *Adriano Turnebo, (l. 30. Adverſ. c. 38. col. 1132.) Cruſio, (de Noct. & Nocturn. Offic. c. 23. p. 437.)* nec in furca ſuſpenſis parcunt Hyænæ crudeliſſimæ. Tenellorum cruorem maximopere ſitiunt, & carnem tanquam Aſiaticas popinationes deſiderant, palatui ut ſatisfaciant. Ita *Marſil. Ficin. (l. 2. de Vit. c. 11. p. 100.)* Lamias conſueviſſe pulchris & juvenibus hominibus corporibus veſci, ubi ad ſummam ſanguinis abundantiam perveniſſent ipſius Lamiæ teſtimonio coram Appollonio depoſito, firmat *Philoſtratus. (l. 4. de Vit. Apollon. p. m. 172.)*

§. 42.

Nec hanc tantum ob cauſam, ſed ut materia ipſis ſit, unde Veneficia parent. Plurimæ Sagæ notat *Franc. Baco Verulam. (Sylv. Sylv. Cent. 1. n. 26. col. m. 759. & Cent. 9. Experim. 859. c. 938.)* & Veneficæ tàm apud Ethnicos, quam apud Chriſtianos paſcuntur humana carne, corroborandæ ut videtur imaginationi foedis acribusque vaporibus. Unguentum Magicum *à Job. Bapt. Porta (l. 2. Mag. Nat. c. 26. p. 85. edit. prior. in reliquis enim non habetur.)* ingreditur pinguedinis pueri magna quantitas. Depingvedinis infantum non baptizatorum in unguentis uſu, *Laurent. Ananias (l. 4. de Nat. Dæmon. p. 147.) Fr. Baco Verulam. (Sylv. Sylv. n. 975. col. 960.) Godofr. Voigt. (Delic. Phyſ. c. 8. memb. 4. §. 5. p. 273.)* Corda infantum excidunt & comedunt, ut proſpera fruantur fortuna, quod de Veſpillonibus Franckenſteinenſibus *Heinitzius; (Laqu. Venat. Hiſtor. p. 45.)* Ut victoriis patiantur, quod credidere Muſcovitæ, (*Joh. Manlius Collect.*

lect.p.m.41.) ut tormentorum patientiam consequantur, *Vid. Martin. Delrio,* (*l.3. Disquisit. Magic.p.1.qu.5.p.164.*) & *Binsfeld.*(*in l. Multi c. de Malefic. qu. 2.*) *citante Godofr. Voigt.* (*c.l.p.274*) *Laur. Forerus* (*Virid. Philos. Disp. de Magnet. c.2.th.21.p.257.*) veneficis suis compositionibus magnam sanguinis humani copiam admiscent. Hinc

Nec cessant à Cæde manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto,
Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem
Extaque funereæ poscunt trepidantia mensæ;
Vulnere si ventris, non qua natura vocabat
Extrahitur partus calidus ponendus in aris.

Pulverem Magicum è cinere carnis humanæ parant, teste ipsarum veneficarum *ap. Nic. Remigium* (*part.2. Dæmonol.c.3.p.m.239.*) confessione.

§. 43.

Et cum efficacior caro cadaverum brutis carnivoris ereptum credatur, Erichto *apud Lucanum* (*l.6. Pharsalid. v.550.*)

Ante feras volucresque sedet, nec carpere membra
Vult ferro, manibusque suis, morsusque luporum
Exspectat siccis raptura è faucibus artus.

§. 44.

Ne mortuorum quidem, ut jam supra monui sepulchra tuta dicunt, *scripsit Apulejus* (*l.2. Metamorph.p.m.40.*) sed & busti & rogi reliquiæ quædam, & cadaverum præsegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur. Clarissime verò (*p.42.*) in Thessalia Sagas mulieres ora mortuorum passim demorsicare, eaque illis esse artis magicæ supplementa. Fidem faciet Canidia illa Horatiana (*Epod.5.*)

Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer
Longo bis terve mutatæ vapis
In emori Spectaculo
Quum promineret ore, quantum extant aqua
Suspensa mento corpora:
Exsucta uti medulla, & aridum jecur
Amoris esset poculum.

Pinguedinem puerorum è sepulchris erutorum, habet *Hieron. Cardan.* (*l.18. de*

Subtil. p. 909.) Et ob hanc cauſam oſſa humana curioſè occultanda cenſuit *Rudolph. Hoſpinian.* (*l. c. de Templ. c. 3. p. 412.*)

§. 45.

Ad ſacra prætereà peragenda, ut è *Lucano*, (*c. l.*) *Apulejo*, (*l. 2. & 3. Metamorph. & l. 1. Apol.*) *Lectantio*, (*l. 7. inſtit. divin. c. 15.*) *Tertullian.* (*de Anim. c. 33. & Apolog. c. 25.*) patet, carnem adhibent humanam. Humanorum corporum reliquiis animas Numinibus inferni ſacrari credebant, *ſecundum Tacitum.* (*l. 2. Annal. p. m. 123.*) Dæmon autem (*ſecundum Varronem ap. Auguſtin. l. 7. de Civit. DEI c. 5.* quod & probat *Joh. Filleſacc. de Mag. Idolol.* §. *7. f. 53. b.*) in Sacrificiis carnem humanam appetit, quia omnium ſeminum optimum eſt genus humanum. Dæmonibus in deliciis haberi ſanguinem humanum, *quod ex Aliis Th. Bartholin.* (*Diſp. de Sangu. Abuſ.* §. *9.*) *confirmat.* Nec id diſplicere poterit, cum ex ſententia Auli Vitellii (*ap. Sueton. in Vit. Ejus c. 10.*) optimè oleat occiſus hoſtis, & ille excidio & calamitati generis humani omni tempore invigilet. *Plura Excell. Joh. Chriſtian. Frommann.* (*l. 3. de Faſcin. Mag. p. 5. c. 3. p. 677. ſq.*) Addi & hoc ex Goetia poterit, magos ſepulchra aperire, ut mortuorum ſpiritus invocent, quod *Joh. Bodin.* (*l. 2. Dæmon. c. 1. p. m. 199.*) advertit.

§. 46.

Objicis. Qui illæſis cryptis, nullo id advertente Magi id præſtare poterunt? Hoc nihil eſſe niſi Dæmoniacam perſuaſionem ex imaginativa vi corrupta, aut alto ſomno vitiata, quando iſta de cadaveribus narrent Lamiæ, *cum Joh. Wiero* (*Tr. de Lamiis c. 8. col. 36.*) *pronunciabis.* Sed veneficio præſtigioſo non tantum eos ſonum hunc concitare, ſed & particulam carnis exinde, ut ut ſepulchrum non aperiatur, aut crypta lædatur feralis, ſuffurari, regero. Rides. Immeritò equidem. Quid in vivis poſſint, illa *apud Joh. Baptiſtam Condronchium* (*l. 2. de Morb. Venef. c. 3. p.*) de nobili Fœmina probat, cujus fœtum, ventrem ſaltem blandè contrectando, venefica in utero enecavit, quem in fruſta comminutum poſtmodum rejecit. Accipe inſuper memorabilem obſervationem *à Celeberrimo Ph. J. Sachſio mihi communicatam & ab eo ex Italico in Romanum translatum Idioma.* Deſcripſit illam *diligentiſſimus Orientis perluſtrator Petrus della Valle,* (*in Itin. Perſic. part. 3. Epiſt. 17. ex portu Coinbrut. d. 29. Novembr. 1622. ſcripta p. 706. Edit. German. quæ tunc temporis non prodierat p. 218. ſq.*) Corda hominibus devorare, & tali modo ipſos ad mortem deducere non eſt res nova & inaudita. Nam & olim in Illyrico & apud Triballos inventi fuere multi, qui hoc præſtarent, ſicut legimus *ap.*

Abra-

Abrahamum Ortelium (qui id Plinio l. 7. c. 2. acceptum retulit.) Nec hodie res insolita hic (in Persia) & præcipuè inter Arabes, qui habitant circa sinum Persicum ad littus ejus occidentale, est res maximè familiaris. Et fit, ut veneficæ, quando volunt devorare cor hominis, ipsum per longum temporis spatium fixis aspiciant oculis, murmurantes aliquot Diabolica verba, cujus incantationis vi, aut opera Diaboli faciunt, ut illa persona, licet sana sit & benè constituta, incidat in ignotum & incurabilem morbum, instar hectici, brevi consummatur & moriatur. Et interdum ita cito faciunt hanc operationem, ut illum, cujus cor devorarunt, (nam & in hoc Artem exercent, ut aut totum aut partem devorent, hoc est statim consumant, aut Ejus partes vel cito vel paulatim moriantur,) sæpè intra paucos dies obeat. Vocant hanc Artem Rustici, *mangiare il coure*, devorare cor, quia credunt, quod Diabolus veneficis faciat apparere & repræsentare invisibiliter, quando proferunt spurca ista verba vigore istius incantamenti cor & interiora ægri exeant è corpore, quæ illæ comedant. In quo opere affirmant inveniri saporem suavissimum, & tantum, ut sæpius absque prævia ulla inimicitia tali modo innocentes perimant & ipsis conjunctissimos, quia dicunt, quod illorum corda, quæ appetunt, ipsorum palato sint cibi sapidissimi.

§. 47.

In Petroniano fragmento (edit. Th. Rheines. p. 35. Arnoldi p. 51.) sequentia lego: Dum mater amplexaretur corpus filii sui, tangit & videt manuciolum de stramentis factum, non cor habebat: non intestina, non quicquam; scilicet jam strigæ puerum involaverant, & jam supposuerant vaccatorem. Notat *(in h. l. Dissertat. p. 108.) Hadrian. Valesius* in Codice Bibliothecæ Vaticanæ, qui Palatinæ olim fuit, reperitur indiculus superstitionum & Paganiarum, in quo hæc de Strigis verba legimus: De eo quod credunt, quod fœminæ Lunam comedant, & quod possint corda hominum tollere, juxta paganos. Ita *ap. Petronium*: Quæ Striges comederunt nervos, *quod Idem (c. l.) & Th. Reines. (Not. in h. l. p. 263.) allegavit.*

§. 48.

Refert *Idem Petrus della Valle, (c. l. p. 707. edit. Germ. 219.)* Fratrem Sebastianum de Jesu Augustinianum Lusitanum, hominem optimæ fidei se oculatum exhibuisse testem, quod cum in confinibus Arabiæ felicis vidisset Arabum captum, hujus nominis reum, qui cum à Gubernatore loci Lusitano (quod in Mascoti aut in Ormus fuerit) interrogatus fuisset, an si, sicut præsumeret, se posse interiora viscera & cor hominis devorare, etiam posset ex ingenti cucumere

absque illius dissectione interiora vorare? respondit, quod optimè posset. Adducto igitur cucumere, in præsentia Gubernatoris diu ipsum aspexit, murmurans incantationes, post dicens, jam totum esse absumtum, & revera apertum cucumerem totum inventum fuisse vacuum. *Hæc ille.* Naturales causas idem præstare aliquando, fulminis certum quoddam genus monstraret, quo qui tanguntur, absumtis omnibus visceribus moriuntur. Ne dubites, ad testes oculatos provocat *Paul. Zacchias* (*l. 5. Quæst. Med. Legal. Tit. 2. quæst. 11. n. 10. p. 395.*)

§. 49.

Ad Extispicinam hic evagari aliquantisper possem, & ex dictis docere, unde in brutorum immolatorum extis hujus vel illius visceris defectus, v. g. cordis, in opimis bobus eo die, quo Julius Cæsar purpurea veste procedens à conjuratis interfectus, (*Evolv. Plin. l. 11. c. 37.*) utriusque vero visceris, Epatis & Cordis in victima, quam paucis ante mortem diebus mactari jusserat Cæsar Pertinax. (*Jul. Capitolin. in Pertinac. p. m. 106. E quo Casp. Peucer. de Divinat. Gen. p. m. 363.*) Forsan à Dæmone cor fuit suffuratum, hariolatur *Th. Bartholin.* (*l. 2. Anat. Reform. c. 6. p. m. 232.*) *add. cit. Peucer.* (*c. l. p. 373.*) Potuit & sub adipe luxuriante latere, quod in Strutio Camelo *Adr. Spigelius* (*l. 9. de Fabr. Corp. Human. c. 6. p. 296.* & *Idem sentit P. Laurenberg.* (*Anat. Corp. Hum. Exerc. 10. th. 12. p. 356.*) & ex dissectionibus *laudatus Spigelius* (*c. l.*) observavit, animalia sanguinea, quo pinguiora sunt eò minus cor habere. De Tabe & aliis afflictionibus Cordis *Vid. infra* (*Tit. §. 13.*) citata. An contra hanc tabem, phtisin dixit *Plinius*, phtiriasin legit *O. Borrich.* (*l. 1. Hermet. Ægypt. c. 5. p. 4. p. 143.*) succus Raphani ab Ægyptiis decantatus prosit, (*Plinius l. 19. c. 5.*) experientia curioso facile suggeret. De Fascino demum quomodo illud, tenellis comprimis infantum corpusculis nocumento esse possit, nisi de hoc alia occasione favente Numinis clementia plura, eaque forsan curioso animo non indigna, nempe *singularis de Fascino discursus*, promitteret. Sufficiunt impræsentiarum hæc saltim libasse.

§. 50.

Quæ Stygium Draconem ejusque Vasallos instigant causæ partim sunt Theologicæ, partim Physicæ. Theologicæ sunt (α) quando homines suspiciosos, (addo & superstitiosos,) quos aut tales facit, aut tales in superstitione confirmat, confirmatosque, ut hos errores latius disseminent, instigat. (*Magnif. Dn. D. Martin. Geier. Tr. de Superstit. c. 2. §. 2.*) Inde Dæmonem aliquando non in demortuorum sepulchris, sed auribus superstitiosorum sonare, non incongruè statuit *B. Dn D. Paul. Röberus* (*Sermon. de Temp. XXV. p. 670.*) in securitatem & à provi-

videntia DEI ad ſepulchra demortuorum abducat, ut non DEO per peccata ad pœnam ſtimulato, ſed demortuis mandentibus & ſonantibus mortis numeroſæ cauſam imputent. Ita *apud Duntenium(Caſ. Conſcient. c. 22. ſ. 1. qu. 19. p. 1114.) Tubingenſes Theologi.* (β.) Famam demortuorum, piorum imprimis, hoc ipſo lambere & mordere tentat, atteſtante id exemplo *ap. M. Henric. Rothium (c. l.)* (γ.) Inter defunctorum cognatos & alios, qui apertionem ſepulchrorum, & demortuorum decollationem urgent, inimicitias ſerit & odia. Præclarè igitur *J. Jac. Chifletius: (de Lint. Chriſt. Sepulchral. c. 1. p. 1.)* Supremus mortalium honor ſemper ſepultura eſt habitus. Pax & quies defunctorum, ſolatium ſuperſtitum atque munus.

§. 51.

Sub perſona mulierum verò hanc agit fabulam verſutus Dæmon, ut ſexum muliebrem reddat infamem, quem SERVATORIS NOSTRI nobilitavit e muliere nativitas. (Conf. *Martin. Bohem. c. l.* & *Paul. Stockmann. c. l. p. 176.*) Addo mulieres, quas nemo non, *teſte Strabone* (*l. 7. Geograph. f. 205.*) ſuperſtitionis agnoſcit autores, hoc ipſo facilius dementat, largioresque fructus ſuperſtitionis ferat Zizania.

§. 52.

Cauſas Phyſicas, quod juxtim habeat Animarum helluo, non eſt quod dubites. Comſummatus eſt Phyſicus, variisque experimentis à mundo condito in hoc usque momentum inſtructiſſimus. Naturali namque ſcientiæ dono ob peccatum non privatus, illud veluti ſibi concreatum inſeparabili nexu retinet, *judicat Athan. Kircher. (ſ. 1. Scrutin. Peſt. c. 10. p. 107. & l. 11. Mund. ſubterran. ſ. 2. c. 2. p. 274.) Add. Laurent. Ananiam (l. 3. de Dæmon. nat. p. 75. & l. 4. p. 177.) & J. B. Helmont. (tr. Intellectus Adamicus p. 561.)* Inde quid Terror poſſit ad unguem novit & cognovit. Terrorem namque in peſte, addo & aliis morbis acutis contagioſis, plus valere, quam ullum reale contagium, *Excell. Q. S. Fl. Rivinus (Diſſ. de Peſte Lipſienſi c. 2. p. 22.)* pronunciavit. Generat Terror cum voluntate & coadunatus cum fide peſtem, ſi credimus *J. B. Helmontio. (tr. Tumulus Peſtis p. 860.)* Non autem quævis fides ad hoc eſt ſufficiens, ita ſe explicat, *(c. l. p. 861.)* ſed quæ eſſentialiter in eodem identitatis puncto eſt connexa terrori apprehenſo cum perturbatione ex hauſtu actualis veneni. Terror igitur, occaſio peſtis, vehit in imaginatione aliquam fidem timoremque ſe aliquid contagionis actu hauſiſſe, ſub incertitudine & agonia hujusmodi, eò quod venenum peſtis ſit inviſibile. Quæ particula fidei, cum perturbatione terroris perficit actualem imaginem in Archeo generandæ pe-

ſtis ſemen. Eo quod imaginatum apprehenſum cum perturbatione & creditum ſtent actualiter in eodem puncto Phantaſiæ proferentis imaginem in Archeum, tanquam Ens ſeminale. *Egregiè D. Mart. Geier. (de Superſtit. c.3. §.37.)* Dæmonem velle hujusmodi infauſtis ſignis metum incutere hominibus, ut turbatis in corpore humoribus eò facilibus mors triumphare poſſet.

§. 53.

Ex apertis ſepulchrorum cryptis inſalubria & venenata miaſmata exhalare nec ipſum latet. Narrat *Fortun. Licet. (l. de annul. antiqu. c. 23.)* veſpillones tres à tetro ſepulchri vapore ſubitò ſuffocatos. De tumba deleteria alia *Ambroſ. Pareus (l. 10. Chirurg. c. 13. p.)* ſequentia. Pene multa interfectorum hominum Cadavera in puteum certum ulnas altum projecta fuiſſe, atque hinc tàm fœtidum & venenatum vaporem ſuſcitatum eſſe, ut multa hominum inde millia per totam Agennenſium provinciam, tanquam peſte interierint. De alia *Dominic. Panarol. (Pentecoſt. 1. obſ. 18. p. 11.)* Plura *Th. Bartholin. (Cent. 4. Hiſt. anat. 32. p. 298.)* Proinde rectè notavit *Cæſ. Ripa (de Peſte c. 4. n. 98. p. 135.)* non tam mortuorum quam viventium gratia ſepulchra eſſe reperta, ad removendum nempè fœtorem ex cadaveribus provenientem. E cauſis cur cadavera Romani comburebant & hæc fuit, ne fœtor eorundem peſtem vivis afflaret, *cenſente Cornel. à Lapide (Comment. in Amoſ. c. 6. v. 10. p. 320.)*

§. 54.

In urbe olim more Athenienſis populi ſepelire neminem legibus licebat. Quæ leges cum aliquandiu neglectæ fuiſſent, poſt conſulatum *Duillii* ſunt renovetæ. Jus autem in urbe ſepeliendi honorificum, ſolummodo obtinebant Veſtales aut Imperatores, qui legibus non tenebantur: Aut ii, quibus id honoris virtutisque cauſa tribuebatur, ut Val. Publicolæ & P. Poſthumio Tuberto contigit. *Ita Georg. Fabricius (de Roma c. 20. p. 169.) ubi plura.* E cauſis etiam, cur Cadavera Romani ad portus & mare ſepeliebant, ut de Cadavere Catonis Uticenſis *Plutarchus, (in vit. Caton. p. m. 460.)* non ſolum quia vita navigatio, mors portus, *quod iterum notat Cornel. à Lapide, (in l. Sapient. c. 5. v. 10. p. 105.)* ſed etiam ut Cadavera flumine conſumerentur, & purgaretus aër, *quod idem tradidit (Comment. in XII. Prophet. min. p. 24.)*

§. 55.

Qua de cauſa motus ſuadet *Joh. Bockelius (Hamburger Peſt-Ordnung Part. 1. c. 9. f. 30.)* ut profunda ſatis tempore Peſtis faciant ſepulchra, neve Nobili-

bilibus locus ſepulchri in Templis concedatur, ſed velut plebeji extra urbes ſepeliantur. *Add. Joh. Evichium (l. 2. de Off. Magiſt. temp. Peſtis c. 5. p. 141.) & Andr. Rivet. (Epiſt. ad amic. de Peſte.)* Imò curandum, ut absque putredine cadavera tabeſcant, edixere *Nic. Boccagelinus (de Peſte f. 107.) & Anton. Portus (l. 3. de Peſt. c. 2.)* Nempe foveis magnis injiciantur cadavera, ipſis inſpergatur Calx viva, & ita comburantur, (cur non exſiccentur?) quod conſilium tamen, tanquam Chriſtianis indignum, (rationem non addit,) rejicit *Dav. Herlicius (p. 1. Peſt-Ordnung c. 8. p. 209.)*

§. 56.

Nec minus improbare teneor remedium, quo Contagii hujus ſcelus averruncare tentat vulgus, ut fluctus fluctum, ita error errorem trudit. Tale ſuperſtitioni eſt Faſcinum, ut ſemel dementatos ad ſanam menten redire prorſus vetet. Legimus, *ſcribit Henric. Kornmann. (p. 4. m. m. c. 2.) In Cretenſum Annalibus*, Manes, quos ipſi Catehanas vocant, in corpora remeare ſolitos, & ad relictos ingredi, libidinemque perficere. Ad quod evitandum, & quo non infeſtent uxores, legibus municipalibus cautum eſt, ſurgentium Corda clavo trasfigere totumque Cadaver exurere. Qua de Paſtore Cadanenſi Bohemo *memorat Wenceslaus Hagecius (p. 1. Chron. Bohem f. 419.)* huc ſpectant. Habet hæc ex illo *Bohuslaus Balbinus (Dec. 1. l. 3. Miſcell. Bohem. c. 17. §. 7. p. 208. ſq.)* Quid Noſtri? Veſtigia Cretenſium videntur premere, dum ſepulchra aperiunt, veſtes ferales deglutitas mortui faucibus eripiunt, diuturnæque damnatum quieti Cadaver capite plectunt.

§. 57.

Quam benè verò audire licebit Phyſicum. Deteſtabitur ille hoc Alexicacum, ob noxam vaporum ſepulchris apertis exhalantium, fomitemque Peſti ſubminiſtrantium, quod jam *(§. 53.)* allegatum. Opponet pariter illud prodigium, aut cauſam Peſtis eſſe, aut ſignum. Cauſam quidem præſentis; ſignum verò ſeu præſagium imminentis, ſive Peſtem conſideres, ſeu peſtilentialis tyrannidis incrementum. Cauſa non erit, quia antequam contigit, peſtifer halitus multos ſuſtulit. Signi igitur perſonam aget? Detur id. Cur verò inconſideratè ſigni non cauſæ ablationem urgent. Sciant ſublata Cauſa, non ſigno, tolli effectum. Ita ſublato Cometa non illicò tolluntur peſtis, fames, bellum, nec evaneſcente Iridis gratia Cœli ſimul perit venuſtas.

§. 58.

Politici quid hic opponant pariter habent. Generoſa quidem videtur

illa

illa *Senecæ* (*Epist. 93. p. m. 217.*) vox: Neminem de ſupremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo: ne quis inſepultus eſſet rerum Natura proſpexit. Quem ſævitia projecit, dies condet. Diſſerte *Mæcenas* ait:

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Sin humo non tegaris, ſed inſepultus ſis, quæ hæc moleſtia? aut quid refert igne comburi; aut à cane devorari? aut ſupra terram exiſtentem à corvis; aut defoſſum à vermibus?

Claude meos oculos tua manu mater.

At ſi non clauſerit, ſed videns ac hians moriaris, quid erit grave? Num eorum, qui in mari aut bellis pereunt claudit oculos? Sanè quicquid circa ſepulturam fit, veluti ludus quidam ab hominibus mihi excogitatus eſſe videtur, *quidam ap. Joh. Stobæum* (*Sermon. 38. p. 234.*) *ſermocinatur.* Ita:

Latiæ pars maxima turbæ
Faſtidita jacet, quam ſol, nimbique, diesque
Longior Emathiis reſolutam miſcuit arvis.

(*Lucan. l. 7. Pharſalid. v. 844.*) Diogenes Cynicus ſe projici juſſit inhumatum. (*Vid. Diog. Laërt. l. 6. de Vit. Philoſ. p. m. 314. Cicero 1. Tuſcular. quæſt. p. m. 171.*) Idem *Summus Diogenis Cynici admirator Dæmonactes*, de ſepulchro nè cogitans quidem: Fœtor me ſepeliet, percontanti regeſſit. Mitius ſenſit Epicurus, qui una *cum Horatio* (*l. 2. Od. 20.*) anxiam ſepulchrorum curam tantum in ſupervacuis habuit. De Troglodytis iſta (*l. 1. de Mor. Ritib. & Leg. Gent. c. 6. p. 57.*) *ex Aliis Joh. Boëmus*: Sepulchra nihili penitus curant. Nam Paliuri viminibus corpus ligantes defuncti cervicem cruribus applicant, deinde cadaver in loco editiori poſitum lapidibus ridentes obruunt, impoſitoque ſupra ſaxorum acervo, capræ cornu abeunt nullo dolore moti. Secus tamen viſum eſt prudentioribus etiam Ethnicis. Athenienſibus maximum in ſepultura erat, ut è *Lyſia* (*Orat. 31.*) patet. Quin imo DEUM ipſum, in quam ſententiam varia exempla collecta *Georg. Richter.* (*Axiom. Polit. 313. p. 705.*) exhibet. Pauperum ſepulturam DEO gratiſſimum ſacrificium, & opus juſtum pronunciabat *Lactant.* (*l. 6. Divin. inſtit. c. 12.*) Spectat huc illud *Prudentii* (*Cathemer. p. m. 97.*)

Qui jacta cadavera paſſim
Miſerans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
CHRISTO pius omnipotenti.

Cadaver humanum ſepeliiſſe ſemper fuit honori & meritò, judicat *J. B. Helmont.*

mont. (*Tr. demonstratur thesis n. 55. p. 532*) Egregia collegit *Casp. Barth.* (*l. 60. Adversar. c. 12. col. 3010. sq.*)

§. 59.

Solonis lex fuit, qua vetuit mortuis maledicere, cum pietatis sit vita defunctos sacros existimare, justumq; ab iis abstinere, qui non sint. (*Vid. Plutarch. in Solon. p. 161.*) Mortuos sacros dictos fuisse, è *Plinio* (*l. 2. c. 63.*) patet, qui de Terra sequentia: Novissime complexa gremio jam à reliqua natura abdicatos, tum maximè ut mater operiens nullo magis Sacramento, quam quò nos quoque sacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque protogans nostrum & memoriam extendens contra brevitatem ævi. Sed & *in Numa, Plutarchus* mortuos appellat sacros, *commentatur in h. l. Cœl. Rhodig.* (*l. 17. Lect. Antiq. c. 19. col. 928.*) quorum sacra sint sepulchra; quod & Græcorum sententia comprobatur, qui enunciant subinde, ἀκίνητα μὴ κίνει, non movenda, monentes, relinqui oportere: quod & in proverbialem cessit usum. Id post alios testatur (*in Amatorio sermone*) Plutarch. Zenodoti inde natum putat proverbium, (*not. in Adag. Eras. p. 711.*) quod non fas sit movere neque aras, neque sepulchra, neque sacella, quibus reverentia quædam ac religio debetur. *Plutarch.* (*in Comment. de Dæmon. Socratis.*) scribit, hanc vocem editam cuidam evocanti manes defuncti: τὰ ἀκίνητα κινεῖν. Immobilia non movere. Erat autem qui evocabat *Theanor*, animam *Lysidis.* (*Plutarch. c. l. p. m. 603.*) Gemella habet, si recensita non exscripsit, *Jacob Spiegel* (*Annotat. in Prudent. p. 581.*) qui *&* *Baptistam Pium.* Pliniani loci enodatorem allegat.

§. 60.

Loca proinde sacra, apud omnes fere, sepulchra (*Alex. ab Alexand. l. 6. c. 14. f. 353.*) & illa Gentiles dicabant & inscribebant Diis manibus, (*Cornel. à Lapid. comm. in c. 2. Amos. v. 1. p. 268.*) & Asyli loco fuerunt olim, quod de *Thesei* ap. Athenienses sepulchro narrat *cit. Alex. ab Alexandro,* (*l. 3. Genial. Dier. c. 20. f. 180. a.*) & de *Jul. Cæsaris* in foro constructo sepulchro *Xiphilin.* (*in vit. August.*) *Henric. Kornmann.* (*p. 9. m. m. c. 3.*) *Joh. Ad. Osiander.* (*Dissert. Academ. de Asyl. Gent. p. 149.*) Idem de *Octaviani* cadavere *Dilo.* (*l. 56.*) Adorabant ad sepulchra Christiani, & comedebant, quos hodie sequuntur Persæ, ceu passim id docuit *Adam. Olear.* (*itiner. Muscovit. Persic.*) Multum pariter sepulchrorum honorem adauget, quod olim veteris Ecclesiæ principes ad sepulchra Martyrum Baptizabantur, ut *Casp. Barth.* (*l. 49. Advers. c. 10. col. 2298.*) *observavit.* Et in Cœmiteriis Sacramenta administrabant. *Onuphr.* (*l. de Rit. Sepel. mort. c. 11.*)

§. 61.

Movit id JCtos, ut graviter in sepulchrorum violatores animadverterent. Sepulchra violare, cineresque dissipare, sceleratissimum omnium putabant. *Adrian. Turneb. (l. 14. Advers. c. 21. col. 438.) Lud. Cœl. Rhodigin. (l. c.) Andr. Libav. (p. 3. singular. l. 7. c. 20. p. 959.) Joh. Guther. (l. 3. de Jur. Man. c. 25. p. 546.) Joh. Kirchmann. (l. 3. de Fun. Rom. c. 26. p. 346. sq.) Joh. à Chokier de Surlet. (Cent. 2. Fac. Histor. c. 67. p. 308. & c. 78. p. 327.) Martin. Rader. (ad. l. 11. Martial. Epigr. 55. p. 776.)* Lapidem de sepulchris movere, terram evertere & cespitem evellere, proximum sacrilegio Majores nostri semper habuerunt, *(ff. Tit. de Relig. & sumt. fun.) ait Imperator.* Mali viri id esse Semiramis inscriptione, quam *teste Plutarcho, (in Apophtem. Imp. f. m. 81. a.)* Darius pecuniarum inexplebilis, in sepulchro ipsius reperit, indigitavit. Violabantur comprimis, illati cadaveris contrectatione, mutilatione &c. *Plura Petr. Thyræus (p. 3. de loc. inf. c. 86. n. 6. sq. p. 308.)* Hoc est cum mortuis dimicare, eos quasi rursus interficere, & animæ injuriam facere, cum ejus corpus inhonoratur, *judice Cornelio à Lapide. (c. l.)* Animas sepulchrorum apertione inquietari, Gentiles persuasum habebant. Unde etiam *(teste Josepho Laurentio l. 2. Polymath. Diss. 4. p. 93.)* mos vetus, quo cavebatur, ut nemo sepulturam haberet in eo loco, quem alius prius occupasset. Rogabant igitur in Epitaphiis Romani, ne ossa eorundem moverentur, ne violarentur sepulchra. Nec Lapides sepulchrorum esse apud Christianos movendos, historia *ap. Bolusl. Balbinum (Dec. 2. l. 1. Misc. Bohem. c. 9. p. 111.)* evinceret, cum mortuos perturbet, nisi fermento Papistico turgeret, & credulitate Papicolis solenni suspecta esset.

§. 62.

Inde in nullius cadaver de jure sævitum est, nisi divinam aut humanam læserit majestatem, aut magiæ prohibitæ sectator fuerit execrandus. *(Henric. Kornmann. p. 9. m. m. c. 33.)* A JCtis etiam sepulturæ privatio inter maximas computatur pœnas. *(Vid. Ripa c. l. n. 139.)* Et sepultura tantum prohibebantur perduellionis, parricidii & suspendii sui ipsorum rei, quos postremos tamen exemit ignominia Tiberius, *teste Tacito (l. 6. Annal. c. 23.) Plura Rudolph. Hospinian. (c. l. p. 413.)* Severa hinc Vituleni *(etiam ap. Tacitum l. 1. Annal. p. 34.)* interrogatio: Responde Blæse, ubi cadaver abjeceris? Ne hostes quidem sepulturam invident. Ut ergò ignotorum Cadavera collatitia viatorum transeuntium sepultura funerarentur, Attica lex injunxit ter manu iisdem terram injicere. *(Ælian. l. 5. var. hist. c. 4.)* Mos Tartarorum est, *(notanter scribit*

M.

M. Paulus Venetus l. 2. de Reg. oriental. c. 44. p. 105.) ut non præsumant ea, quæ spectant ad pietatem defunctorum. De Cura Eorundem circa demortuorum exequias. *Vid. Adam. Olear. (l. 5. Itinerar. Muscov. Persic. c. 20.)* Quam pessimè igitur tales prostituant sepulchrorum honorem, deque insontibus demortuis capitis sumant supplicia, oppidò liquet. Si Cham, (*concludit R. Hospinian. c. l.*) denudando patrem, maledictonem commeritus, & nos ossa partesque tegendas Majorum nostrorum detegendo ejusdem impietatis maledictionem incurremus.

§. 63.

Ut civibus suis ad instantiam satisfaceret *M. Wolffgang Græfius, Superintendens Sangerhusanus*, has rationes Theologicas ipsis, *citante Rothio (c. l.)* proposuit. (α.) Factum hoc est S. S. contrarium, quæ mortuos non esse consulendos expressis interdixit verbis. (β.) Superstitio hoc modo propagatur. (γ.) Cadaver tale si pestem parare posset, nil esset DEI omnipotentia, nil Ejus providentia. (δ.) Si in rei veritate ita contingeret, non nisi ex concessione divina contingeret. Divinam igitur voluntatem non mutaret superstitiosum illud remedium, sed potius magis in vindictam animaret Ejus iram. Itaque ob prædictam superstitionem, pestem majora sumere incrementa, *piè censuit (c. l.) B. Noster Lutherus. Add. Martin. Bohem. (c. l. f. 170. a.) & Alios Theologos.* De Polonorum superstitione *Joh. Sabwage, (continuat. descript. Regn. Polon. Bernhart. Connor. p. 2. Epist. 9. p. 791.)* quod si ex morbis quibusdam, quales tandem sint, unus post alterum in familia & natione intereat, eosdem ultimum è sarcophago sepulto eruere, eique caput à corpore ictu violento modo separare, sperantes, morbum in illa familia, aut natione desiturum. Reginam Poloniæ hac superstitione fascinatam adeò, ut banni fulmine à patre Dominicano ab opere deterrenda fuisset.

§. 64.

Unus adhuc superest scrupulus. Proponit illum *Hercules Saxonia (Tr. de Plica c. 11.) & ex Eo Dav. Sennertus (l. 4. de Febr. c. 4. p. m. 804.) Ludov. ab Hornig, (Würg-Engel qu. 71. p. 140.) dum refert*, stupendam pestem Regno Poloniæ inductam 1572. fuisse à maleficis & sagis jam defunctis, non avulso capite in sepulchris recumbentibus & vestes manducantibus, quæ ante non cessavit, quam cadavera veneficorum capitibus truncata essent. Et *ex Malleo Maleficorum Jac. Sprengeri recitat Joh. Bodinus (l. 4. Dæmonom. c. 5. p. 660.)* pestem de vico Germaniæ in agro Constantiensi non cessasse, donec sagam quandam humo eruissent, & in cinerem redigissent corpus.

§. 65.

An igitur mortuæ & sepultæ sagæ pestem excitate poterunt? Et si hoc, an ad capitis supplicium, tanquam ad sacram anchoram erit recurrendum? Non nego maleficos & sagas, in vivis dum sunt, DEO permittente, variis modis, v. g. fontes, puteos, aquas intoxicando, prout Exempla prostant, infamati sunt Judæi, quod pestilentiam fecerint vel auxerint fontibus & puteis injecto veneno, & cremati sunt à mari usque ad Alemanniam, narrat *Albertus Argentinensis. (Chronic. p. 194.)* Plura leges *apud Joh. Stumphium (l. 12. Chronic. Helvet. c. 28. f. 398.) Hieron. Cardan. (l. 15. de Venen. c. 80.) Horat. Augen. (l. 1. de Peste c. 13. p. 60.) Theophr. Paracels. (T. 1. Op. Tr. 2. de Pestilit. p. 350.) Joh. Wier. (l. 3. de Præstig. Dæm. c. 37. col. 374.) Joh. Bodin. (l. 4. Dæmonom. c. 4. p. 593.) Th. Zwinger. (l. 15. Theatr. col. 493.) Joseph. Querceton. (l. 1. Alexic. Pestilent. c. 6. p. 126.) Joh. Evichium. (l. 1. de Off. Magistr. Temp. Pestis c. 20. p. 95.) Casp. Calder. de Hæred. (Tribunal. Mag. Med. Stat. 9. Artic. 2. p. 58.) Athanas. Kircher. (c. l. p. 110.) Martin. Zeiler. (p. 1. Epist. 74. p. 206.) Matth. Unzer. (l. 1. de Lue Pestif. c. 17. p. 106.) Paul. Zacchiam (l. 2. Quæst. Med. Legal. Tit. 2. qu. 2. n. 11. p. 706.) Benedict. Carpzov. (p. 1. Pract. Criminal. qu. 50. Sent. 2. p. 335. & Sent. 25. p. 340.)* aut unguentis & pulveribus, fenestris, scamnis, templorum postibus domuumque januis illitis nocendo, quam pestem manufactam vocavit *Seneca, (l. 1. de Ira c. 6.)* pestem inferre posse. Hoc quidem non credit *Fr. Redi, (Epist. de Viper. Misc. Cur. D. 1. Ann. 2. annex. p. 419.) & Isbrand. à Diemerbroeck (l. 1. de Pest. Noviomag. c. 8. Probl. 3. p. 26. & probl. 4. p. 31.)* distinguit inter sagas & veneficos. De illis negat, de his sequentia discurrit; Si peste ægrotantium spuma aliaque excrementa, si pus & sanies ex Anthracibus & Apostematibus effluens contagiosa sæpè sint, ac pestilens venenum in se contineant, quod suo periculo se didicisse testatur *Ambros. Pareus, (de Peste qui est Op. Chirurg. l. 21. c. 12.)* quare illa venefica unguenta talem pestiferorum illuviem, nec non carnes putridas cadaverum peste extinctorum immiscere solent, contagiosa esse, & pestem plurimis aliis contagio inferre posse, negabimus? Si alio fomite pestis excitabitur, quam quidem concedimus adeò furiosam esse non posse, quam si primariò aëris vitio induceres, neque tàm multis locis communem, sed tamen mediocrem.

§. 66.

Ego quidem, quæ de veneficis habet *Diemerbroek*, non improbo, distinguendum tamen reor inter pestis ortum & progressum. A veneficis procurari progressum posse, non dubito, ortum minimè. Dicunt namque eluviem saniem-

niemque apoſtematum, excrementa & carnes peſtiferorum putridas à deteſtandis illis hominibus ad unguenta & pulveres adhiberi, unde verò hi execrandas illas ſpecies ſument & applicabunt, ſi peſtis non præſens ſit, & peſte affecti, infecti & demortui materiam conficiendis deleteriis ſubminiſtrent. Et hoc modo peſtes de loco in locum translatas, ab iſtis veneficies hiſtoriarum monumentis confirmatum, v. g. in peſte Uratislavienſi, (*Dan. Sennert. c.l.p. 803.*) Lugdunenſi (*Ambroſ. Pareus l. c. c. 10. p. 464.*) Franckenſteinenſi, quæ 2000. hominum ſiſtulit hoc modo, Anno 1606. parata, & *à Paſtore loci, M. Samuel. Heinizzio, accuratè deſcripta (Hiſtor. Laqu. Venator. Lipſiæ 1609. edita) & aliis, quos citat (Conc. 1. p. 20.) & Lud. ab Hornig (c. l. qu. 72. p. 170.)* Güravienſi 1656. in Sileſia inferiori, quæ 2400. peremit, & Brausnizenſi, de quibus *Everh. Guerner. Happel. (l. 8. Stat. modern. Europ. p. 381. ſq.*) Medicamenta deleteria iſta etiam diſtinguenda. Quæ ab infectis corporibus deſumuntur, certè contagioſa ſunt, non quæ à venenis mineralibus vegetabilibus aut animalibus, quippe quæ mortem quidem inferunt, peſtem aut contagium nunquam, cum nullum ſit venenum veneno peſtis ita gemellum, ut peſtem inducere & propagare valeat.

§. 67.

An autem à ſagis peſtis, propoſitis pharmacis à peſtiferis deſumtis, de loco in locum transferri non poſſit, cauſam non video cur *Diemerbroeck* dubitet. Si ab aliis, Dæmoni non devotis, cur non & à ſagis, niſi forſan dicas, ſagas id non ut ſagas, ſed ut veneficas præſtare hominibus indignum factum. Longè nempe aliter ſe res habet, cum ſub directione Satanæ deleterium illud opus perficiant, & pulveres & unguenta ſub Dæmonis pacto lethaliſſima evadere, ex eo, quod plus valent Dæmonis potentia, quam artificis, rectè *Caſp. Calver. de Hæred. (c. l. p. 57.)* ratiocinatur.

§. 68.

Nihil verò à mortuis ſagis nobis timendum. Mortem & ſepulturam harum beſtiarum peſtem inſequi poſſe nullus mecum dubitabit. An verò peſtis illa recte Magis & Sagis demortuis imputetur, omninò negandum cenſeo. Succurrit iterum illud: *Morta le beſtia, morto il veneno. (Helmont. Tr. Nat. contrar. neſcia n. 49. p. 143.)* Hiſtoria *Saxoniæ* magis fabuloſa, quam vera videtur *Isbr. à Diemerbroeck, (c. l.)* quam etiam magnus ille vir non niſi ex Aliorum relatu deſcripſit. Movit id *Gisbert. Voëtium (p. 4. Diſp. ſelect. de Peſte c. 5. p. 303.)* ut Magiam iſtiusmodi remedii genus vocaret, quod ſimul ad ſecundum problema reponendum cenſui.

§. 69.

Inter pœnas id potius reputent sibi Respublicæ & Magistratus, dum fulmini divino adversus Magos & Sagas (*Exod. 2. v. 18.*) non satisfecere. Ipsi Ethnici impios & Deorum inimicos, metu calamitatum, non nisi oraculo moniti sepultura dignabantur. Locum egregium è *Lysimacho Alexandrino (l. 13. Rer. Thebanar.)* de Oedipode *citat Natal. Com. (l. 1. Mythol. c. 14. p. 52.)* Inde cum Magi & Sagæ orco aut rogo digniores, quam sepulchri honore, prodigio isto pœnæque genere truculento, ut supplicium de mortuis sumerent, sine dubio Magistratui calcar addere voluit divina justitia. Pestem à Saga concitatam non nisi saga exhumata & combusta cessasse, *Th. Siegfridus (Tr. vom Zauber-Pulver)* confirmat.

§. 70.

Nec Exempla alia desunt, quibus demonstrari posset, cadavera impiorum indigna, quæ terra, scabellum pedum Domini, tegat, per varia prodigia à vindicta divina pronunciata fuisse. De Curiali, è cujus sepulchro flamma ossa ejus depascens exiit, *V. Gregor. (l. 4. c. 32. citant. H. Kornmanno p. 4. m. m. c. 135.)* De Sacrilego verò quod habet *Joh. Bisselius (Dec. 1. illustr. Ruinar. 6. p. 441. sq.)* dignum sanè, quod expendatur. Recentis memoriæ exemplum & miraculum, *scribit*, tertio circiter quartove lapide ostensum mortalibus. Cadebant fulmina quotannis in Cœmiterii locum unum eundemque pariétibus Templi proximum, & quidem super tumulum in quo Villicus situs erat, prædii propinqui cultor quondam & insessor. Descendebat autem flamma in ipsam sepulchri profunditatem, donec in Cineres redactum fuit corpus flammis.

§. 71.

Ictum & fulmine *Lycurgi*, ut & *Euripidis* legitur sepulchrum, aliter verò id interpretati Gentiles. In illo quidem Sanctitatis, ob quam Diis acceptissimus; in hoc præstantiæ singularis ἰσχυμήειον. *Consul. Plutarch. (in Lycurg. p. m. 102.)* Fulgur sepulchrum tangens, immortalem gloriam decernere creditur, *judicat Hieron. Cardan. (l. 14. de Var. Rer. c. 69. p. 915.)* Nostra ætate referunt lectum, non sepulchrum *Ruino Juris consulto* tactum post obitum. Tanguntur excelsa à fulminibus, atque ea fieri solent magnis viris. Prætereà his in obitus tempore sol accedit, qui gloriam significat. Sol enim ignis significator est, *Hæc Cardanus.*

Lib. I. Tit. IV.

De
Faciei Mutatione in Cadaveribus.

Summarium.

1. *Quæ faciem mutare possunt.* 2. *Ætas.* 3. *Puellæ, Puelli* 4. *Colli post coitum tumor, mensura, vox acutior, corporis crassities.* 5. *Oculorum subsidentia & tumor.* 6. *Oculorum hebetudo & cœcitas à Venere.* 7. *Lunulæ circa oculos.* 8. *Scotus de pinna nasi.* 9. *Faciei decor obnubilatur.* 10. *Senium.* 11. *Aëris, aquæ & victus ratio mutata.* 12. *Animæ passiones. Amor.* 13. *Cura & mœror, Timor, Ira.* 14. *Morbi, Elephantiasis.* 15. *Siphylia s. lues Venerea.* 16. *Fracastorii versus.* 18. *Veneris Mel aculeatum.* 18. *Facies Hippocratica.* 19. 20. *Morbi.* 21. *Facies tornatilis.* 22. *Cadavera vivida.* 23. *Causæ.* 24. *Sancti.* 25 *Faciei cadaverosæ causæ.* 26. *Pallor in facie & imaginibus.* 27. *Pallor in ruborem vertitur, etiam in nigrorem.* 28. *Artificium, an quid possit.* 29. *Causæ.* 30. *Pollinctores.* 31. *Vulnera mortuorum rubentia. Cadavera vivis habitiora.* 32. *Cadaveris instar venustus es, prov.* 33. *Venena faciem mutant.* 34. *Morbi alii.* 35. *Pestis.* 36. *Facies, ut ante, sic post mortem.* 37. *Singularia de faciei post mortem mutatione Exempla.* 38. *Prognosticum.* 39. *Rationes Borelli illustrantur.* 40. *Cur facierum diversitas à natura introducta. Gemelli Gemelli.* 41. *Non omnes Gemelli Gemelli.* 42. *Lineamentorum subtilitas.* 43. *Obliterantur ad tempus.* 44. *Conclusio.* 45. *Singularis observatio.* 46. *Petrarchæ & Langii vultus Hippocratici ichnographia.*

§. 1.

§. 1.



Acies, quæ meritò hominis platea nuncupatur, (*juxta Joh. Benedict. Sinibald. l. 2. Geneanthrop. tr. 2. c. 12. p. 164.*) prætereaque imago animi. In superciliis namque superbia, in genis pudor, in mento majestas in fronte sapientia, in vultu pulcrituto & genis & mento honestas inhabitant. Unica facies est, quæ oculos omnium movet allicitque. Hæc prima visum percellit, prima placet, hac sola supplices, hilares, tristes, erecti, summissi sumus, hæc sexum, ætatem, pulcritudinem, stirpem & totius temperiem indicat, olim *Andr. Laurent.* (*l. 11. Hist. Anat. c. 1. p. 912.*) tradidit. Varias proinde subit mutationes in vivis. Causas aliquas recensuit *Paulus Zacchias*, (*T. 3. Quæst. Med. legal. Consil. 6. n. 2. p. 113.*) quas observationibus variis interpolatas tradere animus est. Restringit has ad Ætatem, ad aëris mutationes, ad vitæ genus à consueto maxime diversum; ad animi vehementes, improvisas ac repentinas, vel etiam longo tempore detinentes passiones; ad morbos aut maxime acutos & malignos, aut maxime diuturnos & in summa, ad omnes causas, quæ corporis temperamentum insigniter immutare aptæ sunt.

§. 2.

Quod ad Ætatem in singulis fere ætatis gradibus non solum animi, sed & corporis adeoque & faciei contingere nemo non vidit. Ex infantibus deformibus formosos pueros & puellas evadere sæpius, & pulchritudine contra excidere oculorum voluptates, experientia suggerit, rationesque afferre conatur *Zacchias* (*c. l.*) De *Ageti* primum, post *Aristonis Spartanorum Regis* uxore *Herodotus* (*Erat. s. l. 6. p. m. 154.*) Hanc infantem mala forma præditam esse cernens nutrix sua, idque parentes ejus, utpote locupletes, ægre ferre, hoc excogitavit, ut puellam singulis diebus bajularet ad Helenæ templum, quod est in loco, qui dicitur, Therapne super fanum Phœbi. Eo quoties nutrix intulerat puellam, stans ante simulacrum Deam precabatur, ut Alumnam deformitate liberaret. Cui aliquando exeunti de Templo mulier quædam (Helenam declarat *Zacchias*) apparuisse fertur, atque interrogasse illam, quidnam in ulnis gestaret & cum Nutrix infantem se gestare respondisset: jussisse sibi ostendi. Cumque negaret nutrix, se id facturam, quod infantem parentes sui vetuissent ostendi cuipiam, institisse jubere prorsus, ut sibi ostenderetur, magni enim facturam illam, si à se infans conspiceretur. Ita nutrice puellam ostendente, demulcentem caput puellæ dixisse, futuram omnium Spartanorum formosi-

si-

ſimam. Rectius forſan formoſiſſimam, ut *Heinric. Stephan. editio* habet. Sed græcus Textus non ad manus eſt. Miraculo igitur res illa contigit, ſi *Herodotum* audias. Hoc verò naturaliter factum, non dubitat *Zacchias*. Ita uxor *Druſi Germanici* uxor, teſte *Tacito (l. 4. Annal. c. 3.)* formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Miraculum erat, quod *Tartarorum Regis Caſſani filia* nata, deformitas ipſa, ideoque igne comburenda, Baptiſmi Lavacro tincta formoſiſſima evadebat, quod è *Joh. Vibaneo Laurent. Beyerling. (Theatr. l. M. f. 528.)* retulit.

§. 3.

In puellis veſtis illa Animæ urbana, (ut decor formæ) *eloquentiſſimo Patri Tertulliano (de Cult. Fœmin. c. 2.) audit*, tanquam in ſpeculo elucet, imprimis ubi ad pubertatem vergunt, atque lunare tributum exſolvere incipiunt. Tunc namque magna ferocia & elaſticitas ſpirituum in ſanguine orgasmum ciet ruborem cutis & faciei ſplendidum pingit, oculi fulgent, ſcintillantque, labia roſeo colore tinguntur, mammæ ſororiare deprehenduntur & in orbem retundantur. *Vid. Thom. Williſ. (l. de Ferment. c. 5. p. 28.)* qui addit: Etiam in viris â fermento ſeminali, caloris abundantia, vires robuſtæ, vox ſonora & virilis, barbæ & pilorum eruptio accedunt: propter hujus defectum effœminatur viri, ſc. vox gracilis, calor debilis, & deſperatio barbæ inducuntur. Manet permanetq; ſæpius formæ iſta venuſtas, ſi caſtimoniam colant, Veneris fugiant impetum, in ſumma ætate. Cœnobium in Suevia eſt ſacrarum virginum, *narrat Hier. Drexel. (l. 2. de Jejun.)* ubi ſexagenariæ & ſeptuagenariæ inter ſenes vel anus non numerantur. Ego ipſe, *pergit*, cum ad illud virginum collegium reviſerem amitam ſalutaturus, quæſivi ab ea, quot annos in ea Parthenone poſuiſſet? Quadraginta, *inquit*, quod ſi ſuos quis oculos interrogaſſet virginem viginti quinque annorum dixiſſet.

§. 4.

Quod ſi his alis ſubvectus ad Veneris montem contendere audet uterque ſexus, deſideratisque deliciis fruitur, variæ in corpore mutationes contingunt. Colli peripheriam à primo coitu intumeſcere olim crediderunt. In colli igitur menſuram inclinarunt ad virginitias teſtimonium explorandum, ſi colli rotunditas, *ſcribit Laurent. Joubert. (l. de Error. popul. c. 4.)* menſuretur cum filo, ac deinde idem filum ab externo menti ad ſummum verticis extendatur, & menſura fuerit æqualis, illud præſentem ſignificat virginitatem; ſi inæqualis, corruptionem aut deflorationem. De ſola colli menſuratione id explicuit *Ludov.*

dov. Septal. (*Comment. in Aristot. f. 4. probl. 4. p. 249.*) *inde ap. Catull.* (*in Epithal. Pelei & Thet. v. 372.*)

Non illam Nutrix oriente luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.

In quem locum hæc *è Mercuriali Simon Abbes Gabbena* (*p. 145.*) annotavit. Cum virgo nupta, *inquit*, prima nocte cum marito concubitura erat, colli mensuram filo circumdato capiebant. Postero mane eodem filo collum mensurabant: quod si latius quam in filo comprehenderetur, inveniebant, defloratam esse ea nocte pro certo habebant, sin vero nihilo majus evaserat, adhuc pro integra habebant, aut ante fuisse devirginatam censebant. Neque id absque ratione factum videtur, siquidem ut memoriæ proditum est *ab Aristotele,* (*l. 7. Hist. anim. c. 1.*) præcipue vox mutatur in asperiorem & minus acutam, quo tempore coitus inchoantur, (*V. Paul. Zacch. l. 4. quæst. med. legal. 2. n. 17. p. 378.*) ut qui vocem conservare velint, â coitu ipsis abstinendum sit. Infibulati igitur adolescentes non solum, verum & adulti Comœdi & Tragœdi fabulas altis vocibus cantibusque recitabant, ne coitu vocem corrumperent. (*Vid. Hieron. Mercurial. l. 1. var. lect. c. 19. p. 45.*) Unde facilè conjici potest, instrumenta voci famulantia, quæ intra collum posita sunt, primo coitu dilatari & consequenter collum augeri. Quod si semen, dum ab universo corpore & præsertim â capite, *secundum Hippocratem* (*Aristotelem*) *& alios veteres*, per vasa præcipitatur, vias illas vi quadam cogat atque ampliores reddat; (*Ita etiam Lud. Septal. c. l.*) vel quod corpus in primo coitu magnopere agitatum, ubique & maxime circa collum Spiritibus & humoribus diffusis repleatur atque in majorem molem attollatur. Arbitror, philosophatur *Joh. Ben. Sinibaldus.* (*l. 4. Genanthrop. tr. 2. c. 5. p. 462.*) prima Veneris palæstra, ob amoris in præcordiis flammam ebullientis libidinis æstum concitatum, in tripudio laborem voluptatis, dulcorem eximium, totamque animam ad oscula repentem collum turgere, Spiritibus ad carotides arterias affatim convocatis. Totum corpus, non unicum collum, intumescere quasi *Adrianus Spigelius* (*l. 1. de corp. hum. Fabr. 7. p. 16.*) *annotavit.* Illud prætereundum non est, *scribit*, inter fœminas virgines graciliores fere esse, quia post congressum crassiores evadunt, venis universi corporis in complexu Venereo â calore exagitato dilatatis, id non spatio vel unius diei post coitum statim advertere licet. Quocirca & ὀργᾷν sumitur de anxia animalium & præcipue fœminarum (Veneris) appetentia, quæ libidinis impetu concitatæ in Venerem ruunt, earumque corpora turgescunt, *ratiocinatur Sebast. Wirdig.* (*l. 1.*

(*l.1. Med. Spirit. curios. c.30. §.3. p. 230.*) Non negligenda tamen *Francisci Ranchini (tr. de Morb. Virgin. s.1. c. 9. p.359.)* commonefactio, quod pubertas per se ob ætatis mutationem inflare collum facit & mutationem vocis infert, dum juvenes hircire incipiunt. Cui & ridicula videtur illa Colli & menti ac verticis mensura, cum inter illa nulla intersit aut sympathia, aut societas & communicatio.

§. 5.

Sed cum collum ad faciem non spectet, ad oculos me converto, ubi etiam annotatum, hos à coitu subsidere, aliquando etiam intumescere. De quo quidem ita Philosophus(*l.2. de Gen. Animal. c.7.*) ratiocinatur; Sedes oculorum maxime omnium locorum capitis seminalis est, quod patet, cum sola ipsa per coitum Venereum manifeste immutetur, & usu immodico rei Venereæ oculi apertè langueant, & subsideant. Causa est, quod natura genituræ similis cerebro est. *Alibi* (*s.4. probl. 2.*) causam ventilaturus, cur illis, qui immodice Veneri litant, oculi & clunes manifeste subsideant, *respondet*, quod in ipso coitu partes hæ perspicuè collaborant, cum rem studiosius ipsæ persequuntur, se cogunt nitunturque in semine emittendo. Præprimis oculi partesque sedi proximæ collaborant. Haud enim fieri potest, ut semen profluat, nisi partes cogantur illæ, nisique oculi demittantur; quippe cum partibus his coëuntibus humor quasi manu è vesica prematur, oculisque coactis cerebrum demittat. In emittendo semine primum quasi in se retracti oculi connivent, palpebrarumque compressione quadam atque coactione in unum ducuntur, subinde ex expressione convulsione quasi tentantur, contorquentur & denique spiritibus & seminis parte aliqua decisa conflictati languescunt & deprimuntur, *Lud. Septal.* (*Comment. in Arist. s. 4. probl. 2. p. 242.*) Hanc oculorum cum semine communicationem etiam alibi,(*l. 2. de Generat. Animal. c.7.*) docuit *Aristoteles*, & ex eo forsan *Plinius* (*c. l.*), ex oculorum illi fœcunditatis & ad conceptionem aptitudinis muliebris certitudinem exploraturi. *Andr. Libav.* (*de Cruent. ad th. 207. p. 300.*) addit etiam oculos calefactos, contabescere. Id non inficior cum *Aristeneto* (*Epist. Anat. 1.*) *Venerem atque Cupidinem in Oculis habitare*, adeoque oculos in re Venerea multum laborare & ob spirituum dissipationem & fugam concidere & corrugari iis, qui nuper nupsere, ut habet (*l. 11. Hist. Anat. c.3. p. 918.*) *Andr. Laurentius*. An verò ob seminis à cerebro ad loca generationi dicata transfusionem id fiat, seminisque laboratorium sit cerebrum, ipsis non facilè concessero.

§. 6.

Nisi semen ab omnibus partibus decidi non per materiam, sed per spiritus, *cum laudato Septalio* (*Comm. in Arist. cit. probl. 22. p. 278.*) distinguas, cum ipse *Aristoteles* semen ab omnibus partibus corporis decidi (*l. 1. Gen. Animal. c.*) prodat. Et hinc contingit oculos à nimio coitu infirmari, nobilemque sensum, visum, spiritibus absumtis, hebescere, quod nec inficiatur (*c. l. probl. 32.*) *ipse Aristoteles*, quin & amorem maciem oculorum inducere, *Halyabbas* (*l. 9. Theorem. c. 7.*) notavit, & oculorum vitia varia & ipsa cœcitas exinde propullulant. Novit virum doctum in quadam Germaniæ Academia ex intemperantia συνουσίας excœcatum *illustris noster Georg Francus à Franckenau* (*in Not. ad P. Zacch. l. 7. Quæst. Med. Legal. Tit. 3. q. 2. p. 636.*) qui & idem fatum equis admissariis contingere annotat. Lepidum est, quod *ex Ambros.* (*l. 4. in Luc. c. 4.*) adducere lubido fert: *Theotimus* cum gravi oculorum incommodo laboraret, & amaret uxorem, interdicta sibi à Medico Facultate coëundi, cupiditatis impatiens atque impetu libidinis raptus se moderari nequivit. Sciens enim prudensque, quod oculos esset amissurus, priusquam conveniret uxori in ipso æstu ferventis cupiditatis & consuetudinis apparatu: Vale, *inquit*, amicum lumen. Juvenis ad nimium coitum visum amiserat, ut parum cerneret, Medicorum consilio coitu imposterum fugato, visum, *Domin. Panaroli* (*Pent. 2. obs. 28. p. 48.*) *testimonio*, recuperavit. Hinc etiam fit judicat *J. B. Sinibald.* (*l. 9. Geneantr. Tr. 2. c. 16. p. 783.*) ut inter alias causas, cur in Flandria, Bohemia & Germania pauci reperiantur, qui ob oculorum offensionem cogantur ocularia gerere, in Italia verò quam plurimi illa potissimum referatur, quod Italiæ gentes in usu Aphrodisio intemperatiores existant. Idem de Neapolitanis *Carol. Musitan.* (*l. 1. Trutin. Med. c. 21. p. 284.*)

§. 7.

Est & aliud circa oculos Phænomenon sub palpebra inferiore ab interno oculi cantho descendens; Linea nempe sive circulus semi lunaris, modo ater, cœruleus, cœruleo-ruber aut luridus, eodem colore inferiorem palpebram aliquando tingens. Hæc in Venereis vesicæ instar tumida, ut & in menstruatis, quæ à coitu non raro desidet, & successu temporis corrugatur. Oculi splendidi cum quibusdam circulis, inferiori sc. viridi, superiore vero nigro, ingenitæ salacitatis sunt indices, *Sinibald.* (*l. 2. c. l. Tr. 2. c. 12. p. 167.*) Sæpius hæ lunulæ pulchras dehonestant præ viris, *quod ex Veteri Juvenalis* (*Satyr. 6.*) *interprete* attulit (*in Not. ad Curt. l. 6. c. 5. Polit. p. 104.*) uncia libidinis in masculis, undecim in fœminis, quod etiam Tiresiæ tribuit (*l. 4. Antiq. Lect. c. 14. col.*) *Cœlius*

lius Rhodiginus. *Jungo*, si placet *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 131. f. 4. p. 453.*) Unde & qualis sit humor aut vapor ille subcutaneus, apud Physicos & Medicos non facile invenies. Forsan lympha est, sed alterata, è vasis lymphaticis profluens, quæ in actus Venerei intemperie difflata fossulas semicirculares relinquit & rugas. Si ex mente *Aristotelis* philosophares, seminale quid à cerebro descendens humidum illud diceres. Plagam hanc lunarem genitalibus & Renibus consecravit *Philippus Mey* (*Physiognom. Med. c. 5. p. 142.*) Venereosque & fœmininos morbos præsagire judicat. Oculos præterea concavos albumque eorum lividum imprægnationis notis addit *Hieron. Cardanus.* (*Art. curand. parv. 25.*) Nostræ exprimunt: *Sie sehen mit 4. Augen.*

§. 8.

Michaël Scotus, qui in gratiam *Federici Imperatoris* Physiognomiam compilavit, testatur, (*p. 2. in Proëm.*) quod tàm vir, quàm fœmina, si sint virgines, ad pinnam nasi dignosci potest. Manente enim virginitate cartilago pinnulæ nasi sentitur indivisibilis, sed si est violata sentitur partibilis. Nares fissiles *juxta Joh. de Indagine* virginis corruptæ indicium sunt, *scripsit M. Christian. Moldenar.* (*l. 1. Physiogn. Exerc. c. 12. p. 51.*) Cui præsagio quantum tribuendum, consulenda est ratio & experientia. Hoc etiam (*c. l.*) adduxit *Joubert.* & absurdum sensu demonstrare satagit (*c. l.*) *Fr. Ranchin.* cum divisio semper appareat manifesta, licet evidentius, dum exsiccantur corpora, accedente pubertate. Forsitan his signis motus Democritus, referente *Diogene Laërtio*, (*l. 9. de Vit. Philos. p. 656.*) puellam *Hippocratis* comitem primo die salutavit: χαῖρε κόρη, salve virgo: postridie verò: χαῖρε γυνή Salve mulier. Fuerat enim puella illa nocte vitiata.

§. 9.

Decoris in facie splendor non rarò obfuscatur in virginibus, chlorosi potissimum, quam idcircò morbum virgineum & febrim vocant albam, non quod semper adjunctam habeant febrem, sed quod fœdum & albicantem ex eo contrahant, ut *P. Zacchias*, (*l. 9. quæst. med. Leg. Tit. 10. qu. 5. n. 19. p. 813.*) aut, ut *Exc. D. Joh. Dolæi verbis* (*l. 5. Encyclop. Med. c. 9. §. 5. p. 976.*) utar, quod misellæ istæ cadaverum instar pallescant. Sanguis namq; his motu, textura & genio, spiritusque in eo elasticitate defraudantur & vappescunt. Causa hujus ærumnæ est menstrui debiti cessatio, idque in principio ab Archei uterini furore & excentricitate, unde œstro venereo petitæ, culinarum & fermentorum dotes turbant, & tantum non exulare faciunt. Contingit id non solum pituitosis, sed & sanguineis virginibus, & quamvis his vitium hoc magis commune præ illis, vulgò ju-

dicetur, placet tamen *P. Zacchiæ* (*l. c. n. 20.*) decretum: Febrem albam esse magis familiarem virginibus pulchrioribus non est verum; Sed verum est, pulchrioribus magis infestam, qua pulchritudinem illarum adimit. Addo in formosè coloratis hoc formæ dispendium citius & magis animadverti, ac in declinatis decoris faciebus. Talibus proderit *Hippocratis oraculum* (*l. de his quæ spectant ad virgin. p. 125.*) Ego jubeo virgines, *consulit*, cum hujusmodi patiuntur, quam citissimè viris cohabitent. Coitus namque, juxta *Eundem*, (*6. Epidem. s. 6. n. 39.*) morbis pituitosis medetur. Fluxit inde tritum: *Schöne Jungfern geben garstige Weiber, und garstige Jungfern schöne Weiber.* Sed hoc tantum de faciei colore, non autem de mala conformatione interpretandum. Non enim cuivis continget, ut ex Mopsæ ligno curvo & pumilo Helenæ à Venere fingatur splendidum colore & forma simulacrum, quod *Aristonis* Conjugi in infantia contigisse *supra ex Herodoto* §. 2. annotatum. Miror igitur, cur *magnus olim Præceptor Guerner. Rolfink.* (*l. 14. Ord. & Method. Med. Spec. s. 3. c. 4. p. 1013.*) hanc in conjugio demum formosiorem redditam è *Pausania*, (apud quem tamen de illa altum silentium, quamvis *Aristonis in Laconic. s. l. 3. c. 4. p. 212.* & filii *Demarati* mentionem faciat,) & in nostræ sententiæ confirmationem, cum aliis, qui Eundem sequuntur, historiam istam alleget.

§. 10.

Ætate declinante & faciei nitor & totius corporis decor declinant, & cum viribus Eclipsin patiuntur. Depinxit senum formam stylo poëtico *Cornel. Gallus*, (*Eleg. 1.*) dum cecinit:

Ipsaque me facies quondam dilecta reliquit,
Et videor formæ mortuus esse meæ.
Pro niveo rutiloque prius, nunc inficit ora
Pallor, & exanguis funereusque color.
Aret sicca cutis, rigidi stant undique nervi,
Et lacerant uncæ tabida membra manus.
Quondam ridentes oculi, nunc fonte perenni
Deplangunt pœnas nocte dieque suas.
Et quos grata prius ciliorum serta degebant,
Desuper incumbens hispida sylva premit.
Ac velut inclusi cœco conduntur in antro,
Nescio quid torvum vel furiale vident.

Addo e *Juvenali* (*Satyr. 6. p. 144.*) tunc

Rugæ subeunt & se cutis arida laxat,
Fiunt obscuri dentes oculique minores.

Senes

Senes igitur Scorodæmones ſ. ſepulchrales larvæ dicti, ut eſt ap. *Plutarch.* (*de Pueror. inſt. c. 15.*) & ſenilis cutis ætate iſta aſperior facta paguros *à Caſſandra* dicebatur, *quod Cœl. Rhodigin.* (*l. 19. var. Lect. c. 22. col. 1082.*) *in literas retulit.* Erant, *teſte Tacito*, (*l. 4. Annal. c. 57.*) qui crederent *Tiberio Cæſari* in ſenectute corporis habitum pudori fuiſſe, quippe illi prægracilis & incurva proceritas (*de qua Hipp. ſ. 2. Aph. 54.*) nudus capilli vertex, ulceroſa facies & plerumque medicaminibus interſtincta. Inde ad Ligurinæ puerum ſpecioſum (*Horat. l. 4. Od. 10.*)

Nunc & qui color eſt puniceæ flore prior Roſæ
Mutatus, Ligurinum in faciem verterit hiſpidam
Dices, heu (quoties te in ſpeculo videris alterum)
Quæ mens eſt hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ.

Senes & anus abjiciant igitur ſpecula *Job. Pineda* (*Comment. in Job. c. 14. v. 20. n. 4. p. 619.*) monet.

§. II.

Ad aërem mutatum, aquam itidem & victus rationem non ſine cauſa reſpicit *Zacchias* (*c. l. n. 6. & 7. p. 114. & 115.*) recte vero monet longo demum annorum decurſu id contingere, ſi in *Johannem Leodienſem à Kenelmo Digbæo* (*tr. de Nat. corp. c. 27. n. 7. p. 315.*) delineatum, *& ſupra* (*T. 1. §. 45.*) *allegatum* oculos convertas, reſerit in menſa ſolis poſita. Neque homines tantum ex cœli terræque varietate diverſam obtinent formam, ſed idem & reliquis animantibus accidere *Pauſanias* (*in Bœot. ſ. l. 9. c. 21. p. 752.*) *commemorat.* Nam cum Lybicæ ſint eodem, quo Ægyptiacæ colore, in Æthiopia haut minus, quam homines nigros terra alit. Intemperantiæ autem præprimis luunt pœnas utriusque ſexus individua, imprimis ſi potu nimis calido intempeſtivè, & avidius ſe ingurgitent. Videmus hoc in *Bacchi* mancipiis, quibus naſus tumidus, colore variegatus, variisque extuberantiis nodoſus, genæ puſtulis lucentibus gemmatæ & rubidæ, Fros & mentum furfuribus, cruſtulis & jonthis (quod inſtar ἴνθȣ, id eſt fimi faciem deturpent, *ap. Samuel. Haferweſſer l. 2. Noſodoch. Cut. c. 12. dictis,*) vermiculatum & aſperum. Facies denique tota in hoc rugoſa in aliis tumida cachexiæ prænuncius. Sed hæc pulchritudinis monſtra facilè in ſenſus incurrunt, ſtylique naſum irritant Satyricis. In egeſtate contra annonæque penuria, aëreque craſſo, fœtido, aquaque turbida utentibus vultus perit, enecaturque. Spectat huc illud *Job. Güntheri de captivis*, (*l. 8. de Reb. Geſt. Frider. I. v. 275.*)

Nec

Nec minus emissi Ligurum de carcere longo
Duraque temporibus multis ergastula passi
Captivi dudum variis ex urbibus hostes
Ordine diffuso circa vestigia magni
Consedere Ducis, squallentia tegmine fœdo
Corpora velati: miserandos possidet artus
Fœda situ macies, deformia turpis & æger
Inficit ora color, pressis cutis arida membris
Insidet, humanæ tantum vestigia formæ
Servat, & antiquam retinet natura figuram:
Et si vera velis imponere nomina rebus,
Non homo, sed vivens hominis videatur imago.

§. 12.

De animi passionibus res notissima. Mutationes corporis & faciei ex morbo Hepatico (Amorem interpretantur *ap. Plautum Curcul. Act. 2. sc. 1*) depingendo solertes & acutos deprehendas *Comicos illos Duumviros Plautum & Terentium*. Hunc quidem *in Eunuch. act. 2. sc. 1.*)

Dii boni quid hoc morbi est? adeon homines immutarier
Ex Amore, ut non cognoscas eundem esse.

Illum vero (*in Cistell. Act. 2. sc. 1.*)

Credo ego Amorem primum ap. homines carnificinam commentum,
Hanc de me conjecturam domi facio, nec foris quæram.
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi:
Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo: Ubi sum, ibi non sum, ubi non sum ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt, quod lubet, non lubet, jam id continuo,
Ita me amor captum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur, quod dat, non dat, deludit.
Modo quod suasit, dissuadet, quod dissuasit jam ostentat.

Ab his ærumnosis mutationibus faciem mirum in modum mutari, nemo credo, contradicet. *Apud Heliodorum* (*l. 3. Hist. Æthiop.*) Theaginis amor ex oculis cœcis ac siccis lacrymis & conniventibus ducebat.

§. 13.

Cura & mœror, quid præstent *ex Ovidio* (*l. 1. de Pont. Eleg. 5.*) discere pote-

poteris, & ex historia jucunda formosissimi, qui paucorum dierum speciositate omnia amissa, turpissimus evasit e *Ludov. Areosto* (*cant. 28. str. 25. sq.*) cujus versus nitidos & speciosos *P. Zacch.* (*c. l.*) *recitat*. *Lamia* mulier forma præstantissima fuit, quam cum *Jupiter* compressisset, fecit *Juno*, ut interirent, quæ ex ea nascerentur. Illam igitur ferunt ob dolorem non solum deformem fuisse factam, sed etiam ob suorum filiorum desiderium aliorumque invidiam in cunis infantes vorare solitam, ex *Aliis tradidit Natal. Comes* (*l. 7. Mythol. c. 12. p. 744.*) De Terrore, hanc suppeditat narrationem *Pausanias*, (*in Corinth. s. l. 2. c. 21. p. 160.*) Peremtis *à Diana* & *Apolline Amphionis* filiis, de eo fratrum ac sororum numero hanc (*Melibœam*) ac *Amyclam*, quod solæ *Latonam* fuerint deprecatæ, servatas (ex *Niobes* liberis) fuisse. Ac Melibæam quidem præ terrore statim pallidam factam: qui cum ei color perpetus fuisset, pro *Melibœa*, sumto ex rei invento nomine, *Chlorin* appellatam. *Wolfg. Gabelchoveri* (*Cent. 5. Curat. 67. p. 145.*) Præprimis *ex Andr. Gratiolo* adducta referri huc meretur observatio, de Chirurgo quodam, qui cum Principio infectionis pestilentis Desenzanensis imprudentius ægros tractasset, & quibusdam incaute venas aperuisset, exigua bulla in pectore proprio apparente, adeo perterritum fuisse, ut Desenzanum reliquerit, & in sylvas se absconderit, per quinquaginta tres dies delituerit, nec ullum sibi hominem appropinquare tulerit. Hic cum postea ad sanitatem & mentem rediisset, se per universam vitam suam tali timore perculsum non fuisse, sanctissimè affirmavit, licet duobus præliis notabilibus Senis & in Pedemontio interfuerit. Addebat; quod nocte illa, in qua mortui illi sibi apparuerint, insigni calore febrili cum palpitatione cordis vehementi & sudore uberrimo correptus fuerit. Ubi verò domum rediit, ita deformatus fuit, ut Satyro & sylvestri homini similis videretur & multis ingenue confessus fuerit, venæ sectiones illas, quas ægris paulo post mortuis adhibuit, perpetuo sibi ob oculos obversari. Spectat huc ira, qua mortui vullum iratorum etiam adhuc sistunt. Romanos adverso vulnere & truci vultu mortuos *Pyrrhus* cum vidisset, *teste Eutropilo* (*l. 2. Hist. c. 6. p. 25.*) ad cœlum manus tulit, cum hac voce, se totius orbis Dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.

§. 14.

A Morbis pariter vultus radios infringi, lineasque mirum in modum depravari, quotidiana suggerit experientia. De oculorum procidentia non semel conspecta & divina aspirante Gratia curata, non dicam, nec de maxillæ inferioris cum illa aliquando complicata. Nec de *Nebucadnezaris* metamorphosi mihi erit sermo, cum θεήλατος fuerit. In Lepra confirmata faciem

præ se ferunt transfiguratam in Elephanticam aut Satyricam, â qua & id nominis reportavit. Resimatur nasus *Galeno autore (l. de Caus. Morb. c. 7.)* & labra crassa fiunt atque aures extenuatæ videntur his, qui Elephantiasin patiuntur, atque hi omnino Satyrorum effigies præ se ferunt, similitudine quadam ad picturas Satyrorum. (*Aëtius Serm. 13. c. 120.*) Elephantiasin autem sic vocari consueverunt ad similitudinem Elephantis. Leoninam autem aut Leonthiasin, quoniam terribilem facit aspectum & faciem patientis eam, & ponit eam in forma Leonum, ut suggerit *Avicenna. (l. 4. tr. 3. c. 1.)* Aliam tamen denominationis Hujus rationem dedit in sequentibus *Æmilius Macer. (l. 1. de Mat. Med. c. 15.)*

Et lepræ species Elephantiasisque vocatur
Qua cunctis morbis major sic esse videtur,
Ut major cunctis Elephas animalibus exstat.

§. 15.

Quid de transfiguratione à Syphilia s. lue Venerea excitata dicam? quippe quæ teste *Marco Aurelio Severino (l. d. admir. absceß. nat. c. 23. §. 3. p. 249.)* male feriatum, direque interminatam à se hominem in Satyricam quoque formam immutat. Exemplum singulare ille cum delinearit, hac vice dabo, & *Hieron. Fracastorii* insuper illustrabo ingenio. Ita autem *Severinus (c. l.)* inter cæteros mihi occurrit unus Neapoli, qui potuit â multis adverti, ad hircinam speciem facietenus abreptus. Utinam autem par mihi styli dexteritas, quæ graphicè talem exprimere queat, utrumque illum ego meo modulo describam. In memoriam autem revocandum est primum, Syphilidi, vocato morbo, fermenti plurimum inesse, cujus vis in sublimem faciem rerum, ita ferente conditione, cum attolitur, enormem plane deformitatem inducit. Sic alicui nasum Verrucis undique turgidum Limonii corticosi magnitudine vidi. Aliis tuberosa undique facies ac frons est notata. Alii rictu prope canino se obtulerunt: sic labia foras extulerat humor. Quæ cum sigillatim immutata, tantum admirationis pariant, quid? cum omnes simul perversionum modos faciei partes singulæ coacervarint? Primum enim homini misero circa frontis utramque partem, quæ temporibus respondet, projectura quædam, veluti nodosa subsultantis inferne ossis, gummi dixerunt aliqui, cujusmodi & alia complura sub cutem obducta glabrum caput obliquè dextra levaque coronæ modo præcinxerant, in cujus capitis utròque latere proclivi surgentium auricularum tum supremas pinnas, tum infimos lobos vidisses amplè distractos. Sed episcenium, quod oculis attrahimus cum deglabratis superci-

perciliis atque glabella tuberculis uno quasi clivo consertis sic extabat, ut ut subgrundium utrinque ingens appareret: sub quibus & verrucosis depilibusque palpebris occulebantur â nimia viscerum ariditate retracti oculi, fibris quibusdam veluti sanguineis tincti. Inter quos Nasi jugum plus semisse desiderati nimirum ossis firmamento, quod interseptum vocant per abscessum collapso. Cæterum autem Nasi globus flammeo circum rubore obsitus, & ad philtrum humile depressus, cum labiis, nescio quo madore turgentibus; rictum Delphini, vel nescio cujusmodi pecudum, efficiebant. Consonum etiam universo faciei vitio mentum, quod lichene scabrum & pugni modo, præter modum, inferto pondere maxillam ad infera detrahebat, quod proximè loco dictus anthereon ludibundas barbæ reliquias ostendebat. Sed malas, quas dico vel quales nunc adumbro cum reliquis partibus? porro liquatis circum carnibus exertisque penè ossibus oris musculi convulsi sic, ut risum ludere videretur homo ridendus, quin vero miserandus, qui cætero corpore, qua quidem abrosus & phagedænis infossus qua scaber ac tuberosus, languidus ad summum totus squalens ac dolorosus, ut etiam commemorantem ac describentem compleat horror.

§. 16.

Satius post hac nitido orationis stylo adumbratam Ichnographiam *lepidismi Poëtæ Hieron. Fracastorii* (*in Siphylid. v. 380.*) audire Symphoniam metricam: Ita vero modulatur:

Ipse ego Cumomanum, memini, qua pinguia dives
Pascua Sebina præterfluit Olbius unda,
Vidisse insignem juvenem, quo clarior alter
Non fuit, Ausonia nec fortunatior omni
Vix pubescentis florebat vere juventæ,
Divitiis proavisque potens, & corpore pulchro,
Cui studia aut pernicis equi compescere cursum
Aut galeam induere, & pictis splendescere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palæstra
Venatusque feras agere, & prævertere Cervos
Illum omnes Olliquæ Deæ, Eridanique puellæ
Optarunt, nemorumque Deæ, rurisque puelli
Omnes optatos suspiravere hymenæos.
Forsan & ultores superos neglecta vocavit
Non nequicquam aliquem & votis pia Numina movit;

Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Invasit miserum labes, qua sævior unquam
Nulla fuit, nullam unquam aliquis spectabitur annis
Paulatim verè id nitidum, flos ille juventæ,
Disperiit vis illa animæ: tum squallida tabes
Artus (horrendum!) miseros obduxit, & alte
Grandia turgebant fœdis abscessibus ossa
Ulcera (proh Divûm pietatem) informia pulchros
Pascebant oculos & Diæ lucis amorem
Pascebantque acri conosas vulnere nares
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt
Illum omnes Olliique Deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt nemorumque Deæ, rurisque puelli
Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.

§. 17.

Hi blandæ scilicet voluptatis, hi tenerorum complexuum & Venerearum titillationum sunt fructus. Qui mel gustarunt & Apum moleste sentiunt aculeos & fodicationes. Heu Tragici tantum & miserabiles, quantum inter multiplices cruciatus amisisse vitæ dulcedinem, & quantum ex humana specie transmigrasse in brutum. Verè Poëta:

Nocet emta dolore voluptas.

§. 18.

Quidam morbis Chronicis aut acutis aliis ad extremum deducti προσώπου διαφθορὴν, seu faciem Hippocraticam ante obitum ostentunt. Dicitur facies Hippocratica, non quasi eandem præ se tulerit *Vir Summus*, sed quod eandem accuratè tanquam in tabula *(in Coac. prænot. t. 212. p. m. 137.)* adumbravit. Ita verô *Apelles noster:* Ῥὶς ὀξεῖα, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι συμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ ξυνεσταλμένα καὶ οἱ λοβαὶ τῶν ὤτων ἀπεστραμμένοι, καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον σκληρόν τε καὶ περιτεταμένον καὶ καρφαλέον ἐὸν καὶ τὸ χρῶμα τοῦ σύμπαντος προσώπου χλωρόν τε ἢ καὶ μέλαν ἐὸν καὶ πέλων ἢ μολιβδῶδες. *Anutius Foesius* ita vertit: Hujusmodi faciei hæ sunt notæ: oculi concavi, nares acutæ, collapsa tempora, frigidæ aures contractæque cutis dura, color pallidus aut niger, addo lividus & plumbeus,

Color faciei totius inter
Luteolum viridemque anceps, aut versus in atrum
Liventemque vel assimilem quodammodo plumbo

Carol.

Carol. Spon. (*Sybill. Med. Progn. ſ. 1. v. 37.*) *cecinit.* Veteres Chloron aſſolent nominare nonnunquam pallidum colorem, (unde morbus virginum & mulierum Chloroſis) interdum ut plerique braſſicam & lactucam chloros, id eſt virides nominant, qui quidem color nigrior eſt, quam rubicus: eſt etiam tanquam initium quoddam nigri lividique, quem frigus perinde quaſi nigrum effecit, *commentatur* (*Comment. 1. in prædict. Hipp. t. 6.*) *Galenus.* Præcedunt mortem faciei totius alteratio, naſo acuto, oculis concavis, genis laborantibus, ſcripſit *Baco de Verulamio* (*Hiſt. Vit. & Mort. c. 11. col. 559.*) Faciem hanc vocavit cadaveroſam aut faciei corruptelam lethalem *Hippocrates* ap. Latinos facies larvalis in macilentis & eviſceratis & ſceletiformibus corporibus. Inde in 2 etiam Gloſſario larva ſceletum ſignificat. *Vid. Matthiam Martinum.* (*in lex. Philolog.*) Spectant huc quæ (*T. 1. Op. l. 2. de Urinar. Indic. pag. 744. & 757.*) de Phyſiognomia Medica expoſuit *Theophr. Paracelſus.*

§. 19.

In Eryſipelatorio capitis affectu facies tumet, ita, ut ſæpius oculorum cavitates & Naſi protuberantia occultentur, totaque facies nullam faciem obtinet amplius. Idem in Venenis aſſumtis aut membris illatis tueri licet. Inde *Lucan.* (*lib. 9. Pharſal. v. 493.*)

Percuſſit Preſter illi rubor igneus ora
Succendit tenditque cutem pereunte figura

& Papin. Stat. (*l. 9. Thebaid. v. 748.*)

Stat faucibus unda
Sanguinis & ſacri facies rubet igne veneni.

§. 20.

De Variolis, morbillis, ut hac vice nihil proferam; Apoplexiam, Epilepſiam, Cachexiam, & malum hyſtericum, quis æquum judicii lance trutinet, & quas oris, naſi, oculorum, aliquando etiam aurium mutationes inferunt? ſpectat huc etiam oculorum & genarum prolapſus. In febribus malignis res eſt plana, (*Dan. Sennert. l. 4. de Febr. c. 6. p. m. 847.*) in Peſte planior. Mortui in peſte ſignum eſt (*ſcribit Georg. Agricola l. 3. de Peſte pag. 96.*) livor naſi, aurium, unguium fœdior, quam in aliis mortuis eſſe ſolet. *Add. Lud. ab Hornig.* (*Würg-Engel qu. 166. p. 232.*) Carbo totam faciem pueruli exurebat *ap. Petr. Foreſtum* (*lib. 6. obſ. med. 25. p. 182.*) In ſtrage illa peſtifera funeſtiſſima faciem hujusmodi deprehendit *Lucret.* (*lib. 6. de Nat. Rer. v. 1190.*) quando canit:

Ad summum denique tempus
Compressæ nares: nasi primoris acumen
Tenue cavati oculi; cava tempora frigida pellis
Duraque inhorrebat rictum frons tenta manebat,
Nec nimium rigida post strati morte jacebant.

§. 21.

De his cum in vita tum post fata Nostri pronunciant: *Sie sehen als wären sie gebacken. sie sehen sich nicht mehr ähnlich.* Arabibus vero cum totum corpus exsuccum sit, & nihil præter ossa promineat, facies vocatur tornatilis. Nostri: *Es ist Nürnbergische Arbeit.*

§. 22.

Non omnes tamen pallent, vividusque color sæpius vitam mentitur adhuc residuam. *De Justiniano Byzantiorum Principe Corippus (lib. 1. v. 13.)*

Sic suprema suæ servant (Byzantii Principes) *insignia vitæ*
Justinianus erat non mutans morte colorem
Sed solito candore nitens, quia vicerat orbem
Mors veneranda viri signis monstravit apertis
Ipse videbatur cunctis plangentibus unus
Effigie gaudere pia diademate contus
Purpureabuc investe jacens requiescere somno.

In Electore Palatino Friderico III. pollincto quidem, sed totos septendecim dies insepulto vultus non flaccidus, non pallidus, aut luridus, quales mortuorum facies esse solent: Sed plenus adeoque roseus fuit & permansit, qualis decumbenti & morienti fuerat. *Heinr. Smetius (l. 10. Miscell. Med. p. 537.)* commemorat. In *Conrado* illo puero à Judæis interfecto idem *Fridericus Misnensis & orientalis* Marchio (*teste Georgio Fabricio*) *lib. 2. Annal. Misn. Urb. p. 122.)* notavit. De colore vivido in puero aqua suffocato, ut magis vivo quam mortuo similis crederetur, Vitus Rietlin. (*Ann. 2. Lin. Med. M. Decembr. obs. 10. p. 604.*) Tumorem & ruborem Capitis in defuncto deprehendit *Ehrenfried Hagedorn Noster (Cent. 3. hist. 46. p. 343.)* carnem jam dudum demortui adhuc rubere spectavit *Bohuslaus Balbin (Dec. 1. l. 3. Miscell. Bohemic. cap. 17. §. 2. p. 213.)* quin & cruentare alli, *de quo (Tit. de cruent. & incorruptib.)* suo loco. Propositus fuit ejusmodi etiam casus olim *Gregorio Horstio* de juvene nobili annorum 20. qui globo tormentario per sinistram pectoris immisso, perque dexteram hypochondriorum exunte petitus protinus occubuit quidem, colorem tamen vividum ad aliquot dies servavit incorruptum.

§. 23.

§. 23.

Causas rogatus has (*in pecul. de hoc casu σκέψει Physico-Med. probl. 1. pag. 20. 27. & 32.*) reddidit: (α) Calorem nativum post mortem non penitus in momento perire, cum non omnis generatio & corruptio essentialis ἐν τῷ νῦν perficiatur, sed cum elemementari conjunctum sui quoddam vestigium relinquere partibus cadaveris. (β) Temperamentum ex sanguineo in cholericum inclinans, quod Cadaver *Alex. M. de quo infra l. 3. Tit. §.* confirmare videtur. (γ) Florem ætatis (addo pulchritudinem faciei. Ita ex *Ælio Sabino recitat Jul. Capitolin. in vit. Maximin. Junior. p. m. 271.* quod tanta *Maximino Juniori* fuerit pulchritudo oris, ut etiam caput ejus mortui jam nigrum, jam sordens, jam maceratum defluente velut pulcherrima umbra videretur. Recte umbra σκιαὶ namque mortui vocantur, quamvis illud nomen etiam animabus separatis tribuatur. *Vid. l. 2. Tit. 10. §. 55.*) (δ) Violentum mortis genus. (ε) Aërem temperatum cadaver ambientem. Easdem fere rationes super hac controversia edixit Collegium Medicum Viennense, (*quæ ap. cit. Horstium c. l. p. 74. legi poterunt,*) & addidit; sunt aliqui animi affectus, ut flagrantissimus Amor, effrenis ira & quibus dominantibus, si mors obtingat, cadaver vivo similis diutius perdurare potest. Demum quod feretro non occluso servatum fuerit cadaver, pariter allegant. In Cholerica Virgine, notante *Th. Bartholino* (*Cent. 2. hist. 71. pag. 317.*) vomituum ante mortem vehementia fecit, ut revocato ad caput sanguine, post mortem rubeus faciei color persisteret.

§. 24.

In sanctis demortuis colorem perstitisse floridum, quasi viventium ac minimè mortuorum pallore suffusum, Sanctitatis documentum ebuccinat *Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. jucund. quæst. 34. n. 8. p. 405.*) De *Ansberto Rothomagensi Episcop. Angradus Monachus ap. Jacob. Gretser.* (*lib. 1. de Fun. Christian. c. 5. p. 18.*) Cum sudarium Cera litum capiti ejus imponere vellent, visus est aperuisse oculos, effigiem præferens viventis; ita ut aliqui dicerent, eum esse redivivum. Nam aspectus faciei multum erat roseo perfusus colore. Quidam vero dicebant pro sudario cera imbuto indignatum esse. S. Dominici Rouzulæ vultus post mortem rara venustate & gratia renitebat, referente Bohuslao Balbino. (*Dec. 1. l. 4. Miscell. Bohem. p. 2. Tit. 4. p. 111.*)

§. 25.

Causas autem cadaverosæ hujus effigei rectè post *Galen.* (*Comment. 1. in Hipp. prædict. 7.*) *add. & Jacob. Schekkium* (*l. de Calor. vi & Efficac. c. 2. p. 315.*)

La-

Lazar. River. (*l. 1. Instit. Med. s. 3. c. 2. p. 108.*) adducit, qui in subtractionem spirituum & sanguinis (s. humoris vitalis nutritii) eas rejecit; Hi enim tribuunt particulis vividum colorem & mediocrem humorem, qui concidit illis subtractis, acceditq; tunc frigus externum particulas comprimens majoris extenuationis causa, ut consumatur subjecta cuti caro. (Musculosa aut musculi ut flaccescant & marcescant, facit calor, qui malignus est, aut intensissimus.) Ut verò sanguis & spiritus ab iis particulis subtrahantur, facit aut debilitas tanta calidi innati (Archei aut Spiritus) ut non possit emergere, aut tantum interius incendium, ut retrahatur intrò velut à cucurbitula. Rectius incendio isto deflagrat balsamus aut humidum radicale & influens succus nutritius. Conf. & *Joh. Rudolph. Camer.* (*Cent. 16. Syllog. Memorab. n. 77. p. 1306.*) & *Francisc. Ranchin.* (*tr. de Consult. Med. c. 19. p. 723.*)

§. 26.

Hæc de ægris & agonizantibus, qui si hæc faciei & formæ dispendia & mutationes etiam post mortem adhuc oculis suggerant, mirum nemini videbitur. Pallent ante obitum communiter, nisi stent in summo Plethoræ fastigio, aut calore, qualis in morbis & acutis & pestilentibus exagitentur. Pallida proinde mors (*l. 1. Odar. 4.*) *Horatio* & pallidus orcus *Virgilio* (*l. 1. Georg. v. 277.*) quod sit locus pallidorum, id est, mortuorum & pollentium umbrarum, ut *Claud. Salmasius* (*de Ann. Clim. p. 829.*) *interpretatur*. Pallor tamen iste faciem non mutat in quibusdam. *De Paula S. Hieronymus* (*in Epitaph.*): Nihil pallor mutaverat faciem, sed ita dignitas quædam omnia compleverat, ut putares non mortuam, sed dormientem. In Ægypto mortuorum imagines & simulacra tristitiam aliquando præ se tulisse dudum annotavit *Dio. Cassius* (*l. 51. Histor. Rom. p. m. 279.*) *Celeberrimo Nostro Gabr. Claudero* olim affirmavit amicus quidam, si sanguis alicujus in animalem, quem vocant, lapidem, aut Rubinum, exaltatus Pictorum coloribus misceatur, iisque effigies illius formetur, tunc ex permanente vegeta effigiei forma illius absentis sanitatem, ex coloribus priorem venustatem perdentibus, illius morbum; è coloribus penè decidentibus, illius mortem certò colligi posse. (*Vid. Disputat. Inaugur. de Philtris §. 38.*) Hac ex observatione *Dn. D. J. L. Hannemanni Nostri* (*Misc. Cur. D. 3. A. 3. obs. 62. p. 76.*) addo imaginem Generosissimi Domini pictam, vultum floridum & vegetum referentem in ipso articulo mortis, quo hic Eques vita sua functus, etiam vivido fuisse privatam, & pallidiorem visam.

§. 27.

Id tamen curiosum exercere poterit, quod pallor iste aliquot à morte horas

ras aut dies in ruborem iterum migrat. Cadavera quæ Anatomiæ causa pluribus diebus servantur, post flavescentem illum colorem, quo postquam exspirarunt, pallent, exactis aliquot diebus rursum in malis & carnosioribus locis rubere, *Felix Platerus. (Cent. posthum. quæst. med. Paradox. n. 8.)* Serenissimus quidam color post mortem è vultu *Wenceslai VI. Bohem. & Polon. Regis*, teste *Bohuslao Balbino*, (*Dec. 1. Miscell. Bohem. l. 4. p. 3. Tit. 26. p. 31.*) emicabat. *Zu Dornick ist vor 3. Wochen ein Soldate, nahmens Villete, an seinen Wunden, so er bey Steenkerken empfangen hat, gestorben. Nach seinen Tode ist er schöner worden, als er bey lebzeiten gewesen, und weil noch einige Wärme und keine Fäulung bey ihm zu spüren, hat der Bischoff alda befohlen, ihn in einem offnen Sarge in ein Gewölbe zu setzen, biß man sehe, wie es ferner mit demselben ablauffen werde.* Hæc è *Novellis Lipsiæ impressis (n. sept. 49. p. 4. 1165.)* Dantur & facies nigro colore horridæ, qualis in *Catharina Bononiensi*, *teste Anonymo (p. 1. Descript. Ital. p. 72.)* conspicitur.

§. 28.

Siccine artificium hic aliquid valebit? Persuadebit forsan experimentis non contemnendis *Regnerus de Graef. (tr. de Usu Siphonis p. 226.)* Notatu dignum est, *scribit*, omnes totius corporis partes colorem rubicundum majorem vel minorem à majori vel minori sanguinis qualitate in illis existente ducere. Nam expulso per syringem ex illis sanguine, nullam in illis amplius rubedinem conspicies, sed colorem liquoris impulsi referent; ita, ut si colorem nigricantem in arteriam cruralem dextram cujusdam canis infuderis, totum crus colore subnigro melancholico dicto tingatur; sin vero in Arteriam cruralem sinistram colorem flavum propuleris, totum crus sinistrum colore flavescente s. icterico inficietur. Similiter si in vasa Hepathica, beneficio ejusdem siphonis, lac in tanta quantitate infuderis, ut sanguine expulso omnes Hepatis partes occupaverit, Hepar albi coloris evadit; & rursus viridem colorem acciperet, si virescentem liquorem in ejus vasa infuderis, quia Hepar semper liquoris, quem continet, colorem refert. *Hæc ille.* Celebratur *Frider. Ruyschii excellentissimi apud Belgas Anatomici* artificium, quo Cadavera ab omnibus rugis præternaturalibus immunia successu temporis saturatiorem rubedinem præ se ferunt (Vid. *Act. Erud. An. 1696. p. 271.*)

§. 29.

Coloris vividi in defunctis in pallorem mutatio, ut, prout dixi, Spirituum dispersioni & absentiæ debetur, ita, cur, & quomodo pallor iste in ruborem remeet difficulter eruitur. Possunt è modo datis quædam huc trans-

ferri, & non in congruè humorum post mortem fermentatio hic magnum facit paginam. De caloris autem putredinalis facultate, ut aliquid sperem, vix â me impetrare possum. De Sanctis credant, quid velint, Papicolæ, multum infringunt, horum autoritates recensita, non Sanctorum, exempla. Alter autem cum putredinis successivè factæ soboles sit, accedente corporis, ambientis aëris & loci siccitate lurido colore fœdum vultum & corpus ad tempus conservabit, ut in durabilium censum deveniat.

§. 30.

Pollinctorum hic meminisse è re erit. Hi namque *Servio* dicti putantur, quod mortuis os polline oblinerent, ne livor appareret defuncti, *(in l. 9. Æneid. v.*) aut etiam quod vivido colori prospicerent, ne in luridum migraret. Quo vero polline usi fuerint, non exprimit, nec forsan in Autorum lectione ab iis expressum reperies. Membra omnia in rogum exportandi Cadaveris aromatis perspersa & os unguine, odore delibutum, *Apulejus (l. 4. Florid. p. m. 30.)* conspexit. Datur sane, quod in vivis cutis floriditatem sufflaminat & expungit. Tale cuminum sativum, quod *Dioscoridis asserto* (*l. 3. de re. Med. c. 68. p. m. 203.*) cutis colorem bibitum illitumve in pallorem vertit. Illustrat id locum *Horatii (lib. 1. Epist. 19. v. 18.)*

quod si

Pallerem casu biberent exangue Cuminum.

Et illud *Persii*, (*Sat. 5. v. 55.)*

Rugosum piper & pallentis grana Cumini.

Hymini etiam suffitum adhibent, eoque utebatur *Portius Latro* ut studiosus videretur, *teste Cardano (l. 8. c. 40. de Rer. Nat. p. 1575.)* Poterimus hoc modo locum dignoscere purpurei coloris, *scribit Job. B. Porta*, (*l. 9. Mag. Nat. c. 28. p. 396.)* commanducato grana cumini vel allii nucleolo demorso propius adloquitor, nam si nativus, permanet, si cerussatus vel hydrargyro concinnatus, statim obsolescit. Idem Tritici & secalis anathymiasin præstare in pistoribus & molitoribus experimur. Sulphuris vapor faciem lurido & pallido pin it colore, ut mortuo similis homo appareat. Palliditatem ut concilient in sexu sequiori Creta, arena, calce, limo vescuntur, & tandem in picam incudunt, non alia de causa, quam ut Phantasia aberrante formosiores videantur. Addam è *Martiali* (*l. 22. Epigr. 48.)*

Multorum leporumque & suminis exitus hic est:

Sulphureusque color carnificesque pedes.

Inde forsan deformitate ex esu leporum Ejusdem jocus. *(l. 5. Epig. 30.)* Adde *Lampridium* (*in Alex. Severo*) Moscho utentium membra decolorare è *Job. Ruellio*

(lib. 1. de Nat. Stirp. c. 27. p. 104.) constat. Dabitur, & quod pallorem in auxiliis agat pollen in vivis & mortuorum livori consulat. Vidi aliquando peculiari vernice Cadaver in illustrissimo pingi. Descripsit talem *Steph. Blancard. (Method. Bals. Cadav. §. 9. p. 9.)* de *Fred. Ruyschii* modo (§. 28.) monitum.

§. 31.

Vulnera etiam longo ab obitu tempore rubuisse, imo & sanguinem stilasse in literas relatum est. Prius equidem in admirationem non abripiet quempiam, cum in omnibus sanguineorum mactatorum brutorum carnibus id conspiciamus. Fibræ namque carneæ, cum sanguinis sint proles, & ipsæ delicati sanguinis vaporibus turgent, iisque tinguntur, quæ ipsa carnis tinctura aquæ maceratione, coctura aut assatura, exploditur. Si sale contra condiantur & fumo committantur tinctura illa â salibus volatilibus lignorum exaltatur & ad aliquot annorum spatium durat. Ut ad hominem redeam, quod de *Johanne Georgio Brandenburgico memorat M. Sebast. Brenner, (Continuat. Relat. Jacob. Franci, Anno 1590. p. 3.)* huc spectat: *Er hatte einen Riß, scribit, an dem færdersten Finger, frisch und natürlich roth, ob er schon 4. Wochen todt war, als ob es erst gerissen wäre. Diesen Riß soll ihm Frau Elisabetha die Churfürstin gethan haben, mit einem Demant-Steine, als der Churfürst einsmahls unversehens in die Ohnmacht gefallen, und Ihm die Churfürstin um den Hals gefallen.* Sutoris Strigoniensis cadaver, qui sibi ipsi gulam præsciderat, post octavum ferme mensem sepulchro erutum, apprehendebatur integrum, nulla sui parte putridum, sed tumidum inflatumque tympani modo, vulnusque in gutture hians sine putredine hiabat. *(Vid. Mart. Weinrich. de Spectr. Strigon.)* Sed hic quibusdam Magus judicatus, quod in pollice dextri pedis excrescentiam quandam Rosæ imagine haberet. Miles ille *ap. Pausaniam*, post multorum annorum decursum incorruptus, adhuc sua ostentabat vulnera & illa incorrupta. Gemellum ferè reperies illi, quod habet *Bonfinius*; *(Decad. 2. Rer. Hung. l. 2.)* In corpore *Abæ Ungarorum Tyranni* non tantum incorruptibilitas, sed & vulnera ante mortem inflicta cicatrice obducta deprehensa. In Strigoniensi sutore in pedibus prior cutis abscesserat quasi flaccida, in cujus locum altera renata, mundior, vegetiorque succreverat. In hoc etiam ab eo tempore, quo in sepulchro jacuerat, manifesta prorsus ad sensum accessione musculorum carnis insigniter adauctum fuit cadaver, ut ab intuentibus collatione facta superioris temporis major molis amplitudo judicari posset. Ita *Johannis Curtii* cadaver, sepulchro privatum, multo habitius ac si viveret, facies tumens,

buccæ inflatæ, ut pinguissimi porci mactati speciem referret. Hactenus allegata (*Dissertatio de Spectris posthumis Strigon. & Pentschens.*) *Martin. Weinrich.* prodidit.

§. 32.

Cadaveris instar venustus es, in proverbium abiit, quid hoc sibi velit, *Hadrian. Jun.* (*ap. Erasmum in Adag. p. m. 165.*) exposuit: Verba *ejus* hæc sunt χαρίεις ὥσπερ νεκρός. Convenit in hominem macilentum aut præ morbo aridum, citat *Aristophanis Commentaria ex Theopompi Papinonibus*

λεωτροφίδης ὁ τρίμετρος
εὐχρὼς τε φαίνεται καὶ χαρίεις
ὥσπερ νεκρός.
Leothrophides ille trimeter
Colore vivido & venusto scilicet
Instar Cadaveris.

Fuit autem *Leothropides Poëta Dithyrambographus* genere Atheniensis macilentus admodum & levis, de quo jocatus (*in Cercopibus fabula*) *Hermippus apud Athenæum:*

Ἄρα πηρά σοι θύουσιν ἤδη βοίδια
Λεωτροφίδου λεπτότερα καὶ Θαυμάντιδος
At immulant tibi mutilas ac tremulas
Exiliores Leothrophide & Thaumantide.

Consimili dicterio *Phrynichus Comicus Lamprum* quendam σκελετὸν μουσῶν Sceletum s. exarefactum Musarum cadaver nuncupavit hoc Versu:

Μουσῶν σκελετὸς, ἀηδόνων ἠπίαλος, ὕμνος, ᾅδου.
Musarum Sceleton, Luscinîarum febris, Inferorum hymnus.

Quæ etiam in illiteratum & invenustum poëtastrum quadrabunt. *Hactenus Junius.*

§. 33.

In Veneno sublatis etiam facies aliud sumere solet Schema. Noxii Venenati fungi, si discerpantur, parvo temporis momento, colores variant. Nam primo albi, subinde virescunt diluti visore, rancido aspectu, livido intus colore, rimosa stria, pallido per ambitum labio, ut verè horrorem incutiant, qui omnes colores conspiciuntur in eorum faciebus, qui Veneno fungorum, vel laqueo strangulati sunt, quæ colorum varietas in innoxiis non conspicitur, *observavit* (*l.3. Physiognomon. c.33. n. 21. p. 183.*) *Joh. Bapt. Porta.* In Veneficio mortua faciem mirum in modum turgentem, labia tumida, palpebras ita distentas,

stentas, ut bulbi oculorum omni ex parte retracti intra orbes apparerent, *notavit Petrus Pawius (observat. Anat. 21. p. 37.)* Cur tumor iste contingat, *infra (Tit. 8. §. 7.) ex Helmontio* demonstrabitur. In Monacho, quem alii peste, alii ex veneficio obiisse concludebant, vidit *Ambrosius Pareus (l. 21. Op. Chirurg. c. 33. p. 479.)* cute remota subjectam carnem valde nigram, (quæ sævam & pestilentem humorum corruptionem intimabat,) *optime judicante Prospero Alpino. (lib. 5. de Præsag. Vit. & Mort. c. 4. p. 429.)* Narium, unguium & aurium livorem, totiusque corporis reliquiis communibus minimè familiarem constitutionem. Tum verò & faciem sic à se ipsa mutatam, ut vix à familiaribus recognosci posset. Adde historiam *J. Nic. Binningeri, (Cent. 4. observ. & curat. Med. 200. p. 480.)*

§. 34.

Contingit & in aliis post fata caput in immensam molem augeri, & in tantum tumorem faciem attolli, ut oculi & nasus dispareant, atque ita omnis vultus pereat nitor & venustas. Deprehendi id aliquando in Theologo profundæ eruditionis, veræque pietatis typo maxime conspicuo. Huic Cachexia, & hanc insequente Ascite in Domino defuncto post alterum à morte diem, ita facies & caput intumuerat, ut Physiognomia omni obliterata à nullo agnosci, nec à pictore depingi poterat. Idem accidit cognato febre ardente maligna sublato, quod etiam *Guillielm. Ballon. (l. 2. Ephem. & Epid. p. 193.)* annotat. Qui Apoplectico fulmine extinguebatur Amicus cum ejus facies, ut effigies haberetur, Gypso calido effuso à Gypsio-Plaste conderetur, ablata Gypsi larva subitaneo corripiebatur vultus tumore, & succedente putredine, quoad caput defœdabatur, ut astantium oculos & nares confoderet.

§. 35.

In Peste defunctis etiam mirabiles & varias sæpe videas faciei turbationes & monstra. In his autem ante mortem *Joh. Günther. (l. 4. de Gest. Frid. Imp. v. 1207.)*

Occupat ora situs, deformes inficit artus
Squalor, & icterico labascunt membra colore

Eustachius Rudius (l. 2. de Pest. c. 7.) in his colorem primo citrinum aut sublividum, post unius vero aut alterius horæ spatium lividum ac nigrum evadere, prodidit. Junge huic historiam *Parei* modo (§. 33.) recensitam, cum non veneno, sed peste ab eo obiisse credatur, & recte quidem, cum macula non fuerint solius cutis, sed & partium subjectarum & ab ipso periostio initium sumserint,

rint, quod *Isbrand. à Diemerbroeck (l. 4. de Peste Noviomag. Hist. 32. p. 251.)* confirmat.

§. 36.

Multum etiam refert, qua facie ex hac mortalitate migrarunt mortis candidati: Retinere namque & post mortem eandem historiæ occurrunt. De cæsi *Catilinæ* cadavere *Salust. (de Bello Catilinar.)* *Catilina* longe à suis inter hostium cadavera repertus est, paulum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens; Ita de mortuo *Capaneo* Thebanorum duce *Pap. Statius (l. 11. Thebaid. v. 9.)*

Ille jacet laceræ complexus fragmina turris
Torvus adhuc visu memorandaque facta relinquens
Gentibus, atque ipsi non illaudata Tonanti.

Adde quæ de Romanis (§. 13.) *supra.*

§. 37.

Majorem meretur admirationem, si non tantum Physiognomia, ut dictum, adulteretur & aliquando penitus confundatur & aboleatur, sed etiam si nova ante & post mortem introducatur. Agonizantes & fato functos, atavos, avos, parentes aut cognatos facietenus repræsentasse compertum est, quibus tamen sani & incolumes nullo modo vultum similes extitere *Dn. Egeranus Filius (Petrus Pasckequus in obs. River. communicat. 27. p. m. 659.)* febre afflictus cum non esset vultu matri similis, illius tamen vultus materno erat similis ita ante obitum, ut astantes omnes mirarentur. Item Neptis mea, *pergit*, nullo modo matri similis, paulò ante mortem matris imaginem præ se ferebat. Idem in puella, quæ paulo ante mortem matris accepit faciem, semel videre contigit *Petro Borello. (Cent. 2. obs. Med. Phys. 84. p. 187.)* Ita *Dn. D. Augustin. Fasch. (in Ord. & Method. cogn. caus. c. 28. p. 57.)* Generosus *Dn. Justus Reinhard à Schönfeld* studiorum gratia in Jenensi Athenæo commoratus, febre ardente maligna correptus in agone vultu Patrem repræsentabat, cum sanus vix ac ne vix quidem lineamentis ad Eundem accederet. Plura exempla *Vide ap. Th. Bartholin. (Cent. 4. hist. Anat. 31. p. 294.) Add. Petr. à Castro (tr. de Febr. malign. petech. f. 4. §. 33. p. 84.)*

§. 38.

Prognosticon quod inde desumunt Medici, funestum est ac triste. Omnes ægroti repræsentantes atavos, avos aut parentes, perierunt, quod mirabile est, *judicat (c. l.) Pasckequus.* Et *Autore Borello, (c. l. p. 182.)* hæc subita immutatio nil boni auguratur; cum subitam naturæ consternationem & morbi

bi victoriam testetur. Movit id *Medicinæ parentem Hippocratem, ut passim (Coac. prædict. s. Prognost. & Aphorism.)* Artis filios admoneret, in febribus præsentibus acutis ægrorum faciem, ejusque partes accuratè inspicerent, eque cœli Microcosmici Phænomenis & meteoris futuram præsagirent tempestatem. *Pythii* instar *Apollinis*, quod *de Galeno* pronunciavit *Eudemus Philosophus & Senator Romanus (Prosp. Alpin. lib. 1. de Præsag. vit. & mort. c. 1. p. m. 3.)* sibique & Arti hac ratione consulentes, se vere præstarent admirandos. (*Rod. à Castro lib. 2. Med. Politic. c. 9. p. 87.*) Quam ob causam & aliquid divini in hujusmodi morbis auguratur *(c. l.) Petrus à Castro.*

§. 39.

Primus hujus mutationis rationem eruderare & reddere conatus est, *Petr. Borell.* cujus verba pluribus diducere & interpolare animo decrevi. Certè est, *insit*, rem minimam mutatam faciem immutare posse, ut in picturis videre est, in quibus minima linea hominum vultus mutat. Ita quidem est, interjectus oculis insuper est nasus muri instar, magnam vim obtinens reddendi faciem formosam ac deformem; Cum faciei speciem nulla pars magis, quam Nasus variet. (*Evolv. Joh. Sigism. Elsholz. Anthropometr. c. 17. p. 85. J. V. Merbiz de Variet. Fac. Human. §. 17. p. 24. & l. 1. T. 2. §. 3.*) Idem de oculis verum esse pictores testabuntur, quod si Nasus & oculi ex Arte ritè locentur, sæpe in stuporem intuentes conjiciunt. Ita quamvis res communissima, quod certæ imagines omnes omninò ubicunque sint constituti aspicere videantur, in admirationem tamen rapit illos, causam qui ignorant. Rationem reddidit *Honorat. Fabri (Ephemerid. Erudit. T. 2. p. 391.)* quod Nasus in illis imaginibus paululum in unam, oculi verò in alteram partem sint conversi, hinc igitur imagines videntur conspicere ad dextram, quia oculi revera ad illam sunt conversi. Videntur verò etiam respicere sinistram, quia nasi extremitas eò conversa est, & tabula plana existente dignosci haud potest oculos in alteram partem esse conversos, id quod deprehenderetur, si oculi imaginis essent convexi. Inde etiam est, quod aliqua operis anaglyphici figura fieri non possit, quæ omnia respiciat latera.

§. 40.

Hanc autem in mutationem facillime pronam faciei dispositionem prudenti consilio natura fabricavit, ut tot facierum cudere posset difformitates quot in orbe ferè sunt individua, adeoque confusionis & rixarum in prima, quod dicitur, herba suffocaret germina. De Gemellis quidem alibi *(Disc. Med. Phys. de Gemell. & Part. numeros. c. 5. §. 2. & 6.)* sibi invicem faciem & mores

maxi-

maximam partem Gemellis, notabiles recensui historias. Id tamen mirum alicui non videbitur, qui expendit, eas ex una seminis portione, si Veteres audias, constare, aut si Recentiores ex duobus ovis in uno tamen racemo simul prognatis, & post uno coitu divisis, quæ unicus etiam paterni seminis effluxus irrigando fœcundavit latentem in cor humanam Ideam actuavit, & in fœtum perfectum transire fecit. Accedit alimenti in utero identitas iidemque per certa tempora mutationis gradus. Cui fini pariter operatur maximè efficax in hoc opere matris imaginatio, quæ in his uno eodemque modo symbolizat, & præscriptas lineas ducit & explicat mirabiliter, eodemque temporis momento semel impressum perficit, & sigillat Symbolum. Quod si contigerit eosdem uno tantum ovo includi, quod pro impossibili plane non habet, *Excell. B. Joh. Bohn.* (*Circul. Anatom. Physical. Program. p. 22.*) formæ illa paritas felicius & facilius succedet.

§. 41.

Quod autem in his morum & factorum disparitas non raro se conspectui objiciat, causa nulla alia est, quam quod tales revera Gemelli non sint, comprimis si utriusque & non unius sexus notis conspicui. Tales namque non uno coitu concepti, seu ut verius eloquar, & forsan clarius, successivo, quam insensibilem superfœtationem non incongrue forsan diceres. Ejusmodi superfœtationem sexus in Gemellis diversitas tacitè subinnuit, inde illam æqualitatem non nisi in unius sexus Gemellis, si historiarum fidem sequaris, deprehendes. Addo hoc modo consideratis Gemellis diversos contingere potuisse Genitores, quod *Alibi* (*c. 1. §. 2. & c. 3. §. 6.*) observationibus aliquot dedi probatum.

§. 42.

Concedo *Borello*, quamvis aliquando liberi aliquid vultus parentum retineant, tamen lineamenta aut sunt subtilia, ut visu non eruantur, aut faciei superficies aspera, tumida & aucta, aut gracilis, ut in oculos non incurrant, obstat. Quid? quod cicatrices & fossæ à vulneribus, aut variolis, aut aliis ulceribus relictæ horum tollant aut obliterent præsentiam.

§. 43.

Quæ etiam ratio militat, quod Avorum aut Atavorum vultus, ut ut parentibus non fuerint, in nepotibus conspicuæ evadant evidentissimè. Perennant certa quædam in his lineamenta, quæ genitiva aut gentilitia quidem, haud ineptè quis diceret in natis, sed obscure, cum à præfatis & aliis causis matris, aut patris, cumprimis concurrentibus ideis, obliterantur. Quæ causæ in Nepotum conceptione & genitura non influant avorum vultum in iis revocare viden-

videntur. Lubet hæc accomodare ſequentia *Lucretii* (*lib. 4. de Nat. Rer. verſ. 1220.)*

Fit quoque ut interdum ſimiles exiſtere avorum
Poſſint & referant proavorum ſæpe figuras,
Propterea, quia multimodis primordia multis
Mixta ſuo celant in corpore ſæpe parentes
Quæ patribus patres tradunt à ſtirpe profecta.
Inde Venus varias producit ſcite figuras
Majorumque refert vultus, vocesque, comasque,
Quandoquidem nihilo magis hæc de ſemine certo.
Fiunt quam facies & corpora membraque nobis.

§. 44.

Rarum eſt quod de vitrico ſuo *Dn. D. Valentino Andrea, Mollenbroccio Collega & Amico olim ſuaviſſimo*, poſt motem à ſe obſervatum literis mandavit *Dn. D. Caſpar. Theophil. Bierling. (Theſaur. Theoret. Pract. aut potius Cent. 2. Adverſar. c. 27. §. 9. p. 350.)* Cum mundo denatus, ut cœlo naſceretur, in Muſeum ſuum deferebatur, ibique de more omnibus membris compoſitis induebatur inque pavimento ſedens ad parietem inclinabatur, forte fortuna ſuper illum ejus imago, quæ à fœmina quadam (forte fuit *die Raſtrumim pictrix eo tempore non incelebris)* Lipſiæ in Collegio Paulino ſic dicto, Anno 1649. ætat. ſuæ 23. annorum depicta erat, ex qua cum adultior factus eſſet, nemo hariolari poterat, an ejus vel alterius effigies eſſet, niſi nomen inſcriptum hoc indicaſſet. Poſtea vero illi, quoad omnia, tam ſimilis erat, ut horarum duarum ſpatio modo defunctum, modo imaginem, intentis oculis ſatis contemplari non potuerim, quam adhuc in illius rei memoriam mecum ſumma cum diligentia adſervo. Lineamenta in juvenili facie conſpicua delinearat attenta & judicioſa pictrix, quibus per ætatem, turgente forſan vultu obſcuratis, tandem poſt mortem pictoris ſtudium, remotis impedimentis, emicuit.

§. 45.

Mirum igitur non eſt, ſi in morientibus aut mortuis nova emergat facies, habitu & vultu à morte mutato. Et cur non in facie Hippocratica in conſpectum venirent lineæ ab habitu carnoſo ante occultata? Ne autem Titulus præſens Coronide deſtituatur ſua, moribundi effigiem penicillo *Franc. Petrarchæ, (Dialog. 1. de Contemt. Mund.* affabre pictam & *B. Chriſtian. Lang. Præceptoris optimi* coloribus illuſtratam, *(Diſp. publ. de Fac. Hippocr. Anno 1657. Lipſ. hab. ſſ. §. 52.)* affigere animi fert lubentia.

§. 46.

Fige pedem, *Lector*, & meditatione tua, h. e. sedula, singulas morientium partes sic percurre: Hominem specta, cujus vires acutissimi morbi incendia trahunt: Spectita in illo obstipum & summe fagitatum caput? Vide hic mirè alienati vultus horrorem, cava tempora, liventem gelidamque contractamque frontem. Considera fessos ocelles, quam defossi sepultique sint illi, & quam misere in mortis stagno natent caligantes, ut videantur,

Paleæ ante oculos atomique vagari.

Intuere obtutum lacrumosum, nares rugantes acutasque, labentes & tabentes genas, Malas revera malas:

Aspice quam tenui facie decrescat, ut ora
Squallidus ex morbo pulverulenta gerat.

Duæ enunciata malarum eminentiæ per superciliorum conjuncta superne cum Naso ad labia protenso & oculis intrusis repræsentant fatalem antiquorum literam mortis vel mortalitatis figuram, tali modo: (⊕)(ut *hoc è P. 1. Sachsio Dec. 2. M. C. Anat. 2. obs. 30. p. 58.* cujus inventionem forsan *ex Joh. Sigism. Elsholzio Anthropon. c. 17. p. 68., ut hic è Fortun. Liceto l. de Mund. & Hom. Analog. c. 1.* mutuatus est, inserere liceat.) Conspice labia pallentia atque spumantia, & respice aures politissimas illas capitis ansas, aridè contortas. O torpet jam squamosa & nigricans lingua, vox parco intercipitur spiritu, frigidum spirat anhelitum, & mœsta suspiria anhelum pectus, raucum rancidumque auditur murmur, fervet guttur infausta humorum ebullitione, jam suffocandum: Quid? sanguis hebet, & ipse vitalis Spiritus lentescit, membra algido horrore concussa inopportuno sudore defluunt, ossa relinquit robur, nervi non amplius carnes sustentant,

Ostro funereo percita vena tremit,

Pulsuque salit fatuo, rigent extrema, torrentur media intima, dehiscunt & penitus dissolvuntur: Jam adsunt vespillones illi, singultus cordipremi, æger singultat. Ave jam extremum, jam supremus super ora Spiritus errat, imò aberrat, avolat. Tu ferales nunc accende faces, & crede Tibi, Nobisque simile fatum esse paratum. De Te quoque brevi dicetur:

ET MORTUUS EST.

Hoc Meum, hoc Tuum, & cujusque est, aut erit Emblema, hoc Epitaphium. (*Cornel. à Lapide Comment. in Genes. c. 5. p. 201.*)

Fiat.

ΘΝΑΤΑ ΘΝΑΤΟΙΣΙ ΠΡΕΠΕΙ.

Lib. I. Tit. V.

Mira quædam circa Os & Faciem Cadaverum Phænomena.

Summarium.

1. *Lacrymæ mortuorum. Earum Scaturigines. 2. Observatio singularis. 3. Coribantismus, Lagopthalmia. 4. Oculi aperti aut conniventes post mortem. 5. In quibus deprehendantur. 6. Oculi in morituris. 7. Pupularum in moriturorum oculis defectus. 8. Pupulas etiam non rarò in oculis videri. 9. Corvi cur oculos mortuorum eruant? 10. Oculi in mortuis cur inspiciendi? 11. Mirum de Ludomiri oculo. 12. De fulminatis. 13. Oculi cur primum in morituris claudantur. 14. Versus de oculis barbari. 15. Ritus oculos mortuis claudendi. 16. Os hians clauditur. 17. Lingua exserta. 18. Sepulchra muta. Silentium pro mortuis. Silicernium. Mortuorum soni & loquela. 19. Historiæ examinantur. 20. Caput abscissum an loqui possit? 21. Cranium & Cor loquens. 22. Statuæ, Sceleta loquentia. 23. Diabolus & Sagæ non possunt bestiis & cadaveribus loquelam conciliare. 24. Morientium risus exploditur. Apii noxa. 25. Fungi, Fontes, Cenchris serpens. Ridentes mortui. 26. Ægri præter intentionem rident. 27. In Præcordiis vulnerati. 28. Historiæ examinantur. 29. Moribundi spumant. 30. Spuma Epilepticorum. 31. Apoplecticorum. 32. Cadaver spumare per os non posse. 33. Phil. Salmuthi opinio examinatur. 34. Pechlini sententia. 35. Exempla in contrarium ponderantur. Spumam emittentes non revera mortui. 36. Moribundis & mortuis pituita & pus per os, nares, oculos, aures. 37. Ructus. 38. Vomitus mortuorum rejicitur. 39. Historiæ expenduntur.*

§. 1.



Aciei mutatione in mortuis lustrata & expensa, ad reliqua Phænomena progredior. In lacrymas solvi cadaver, vulgus reputat, si humiditas ex oculorum stillet angulis, quod olim in sene Apoplexia defuncto mihi observare licuit. Impropriè autem lacrymas vocat, cum non ex extremitatibus Venarum intra ipsas oculorum glandulas, utcunque arteriis continuatarum scaturiant à spiritibus animalibus concitatæ, ut optimè *Nicol. Stenon.* (*obs. Anat. de Glandul. Ocul. p.m. 92.*) lacrymarum fontes aperuit & descripsit. Examinavit & correxit hanc Stenonianam (*l. 3. Anat. c. 15. p. 588.*) *Isbr. à Diemerbroeck*, & lacrymas definit pituitosi humoris in cerebro collecti tenuiores ac serosiores particulas ex oculorum antris effluentes. Si copiosæ quidem manant, scaturigo cerebrum est, in cujus vesiculis & sub pia menynge stagnant, idque indicio esse poterit, si largo proventu ante obitum effluxerint. Bigam observationum notabilium communicat *Theophil. Bonnet.* (*l. 1. Anat. Pract. s. Sepulchret. s. 18. obs. 31. & 32. p. 340.*) Imprimis notabilis est illa puellæ biennis historia, cui paucis ante mortem diebus caput vel leviter movebatur, secutus est totius faciei rubor cum lacrymarum imbre. Ita *laudatus Diemerbroeck* (*c. l. p. 594.*) in muliere totum cerebrum adeò humidum invenit, ut serum ex substantia ejus manu detenta, tanquam ex spongia aqua imbuta copiosum extillaret, eodemque etiam ventriculi ejus mediocriter repleti essent. Quod si parcius stillent, glandulis scaturiginem suam debent, quarum retentrice à putredine sensim ingruente labefactata & laxata, contentam & à putredine resolutam lympham plorant & egerunt. Quibusdam cadaveribus ex oculis guttæ delabuntur ibique etiam concrescere solent, *Andr. Libav.* (*Tr. de Cadav. Cruent. ad th. 120. p. 215.*) memorat.

§. 2.

Corrumpuntur etiam, quamvis rarissimè, in morientium oculis oculorum humores & confunduntur, & ante & post mortem ex oculorum antris instar lacrymarum exstillant. En notabilem hujus rei observationem, quam *Amico meo, dum viveret, sincero, Dn. D. Godofredo Buxbaum, Physico Ileburgensi t. t. clarissimo celeberrimoque* debeo. Rusticus è pago Wasewitz intra Ileburgam & Wurzenam sito, ad Amicum, ni fallor, Grimam profecturus, in via, ut retulit, nullo quamvis ipsum comitante, quasi quodam afflatu ex insperato faciem tartari sensit. Successit oppido aliqualis faciei calor, quem primum oculorum, post totius faciei pruritus insecutus. Sequenti die cum ad suos rediis-

rediisset, pruritum illum intolerabilem tantus faciei tumor, qui etiam oculorum cavitates obliterabat, excepit. Vocatus *modò laudatus Dn. D. Buxbaum* una cum Chirurgo, Erysipelatosum effectum pronunciavit, & remediis tum internis, tum pulvere ad Erysipelas externò applicato malo ivit obviam. Quid fit? Post aliquot horas cum linteum pulvere aspersum amoveret Chirurgus, materiam uveo oculi humori non absimilem rimas oculorum stillare advertit, externamque oculorum nigram, sphaceloque corruptam. Intereà ægro ad extremum usque halitum, quem quartus à morbo dies exceperat, quod sanè mirum, salva ratio constitit.

§. 3.

Sunt qui apertis oculis fato ceduut, sunt qui conniventibus: id verò non mirum, cùm quidam in statu secundum naturam lepores

Queis oculi fulgent in glauca fronte corusci
Pervigili muniti, hirquo.

Ut ex Oppiano (l. 3. Cyneget.) Nicod. Frischlin. (in Not. ad Callimach. Hymn. 3. p. 229.) Add. Plin. (l. 11. c. 37.) imitentur. Corybantes hi à κόρη quibusdam dicti, quod dum jussu *Rheæ* custodirent à *Saturni* insidiis *Jovem*, apertis oculis ipsis fuerit dormiendum. *Vid. Joh. Scapula (Lex. Græc. col. 850.)* Aliter *Lucret. (l. 2. de Nat. Rer. v. 712.)*

Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra.
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus
Æternumque daret matri sub pectore vulnus.

A morbis alii oculos claudere prohibentur. Lagophtalmia *Celso (l. 7. de Rer. Med. c. 7. p. m. 413.)* indigitatur, aut à nimium excisa cute, aut alia etiam de causa. In quo affectu si nimium palpebræ deest, nulla id curatio restituere potest, si exiguum, mederi licet. Lanioni hic loci (*quam historiam* etiam è literis *eleganti & erudito tractatui de Varis, c. 9. n. 23. p. 134. Fautor & Collega quondam singularis Dn. D. Valentin. Andr. Mollenbrocc. inseruit.)* dextri oculi inferior corrugabatur, palpebra genaq; laxata propendebat, ut oculi clausuram in somno linguæque motum sufflaminaret. Scorbuticus erat in summo gradu, inde a scorbuto oculo prolapsum illud malum. Curatus convenientibus medicamentis, & fonticulo in sinistro brachio excitato, aliquot annos per DEI gratiam vivebat, post aliquot autem annorum decursum miris Symptomatis Scorbuticis

(de

(de quibus forsan alibi) enervatus, Naturæ solvit debitum. Epilepsia detentis oculi aliquando aperti, sed nihil vident animo caligante, quod etiam *Plinius (c. l.)* notavit. Id in Catalepticis accidere, observationes *testantur Galeni, (Com. in 2. Prorhet. t. 56.) Rembert. Dodonæi, (obs. Med. 4. p. 11.) Petr. Foresti, (l. 10. obs. Med. 41. p. 367.) Nicol. Tulpii, (l. 1. obs. Med. c. 22. p. 46.)* Oculi connivent quibusdam, pariter dum dormiunt, quibusdam verò, ut in febribus &c. ob nimium lapsum virium, idque φλαῦρον τὸ σημεῖον pronunciavit *Hippocrates (s. 6. aph. 52.)* cum summam *teste Laz. Riverio (l. 3. Institut. Med. s. 3. c. 2. p. 109.)* spirituum animalium depauperationem denunciet. Tales ut plurimum convulsos mori, *Andr. Spigel. (l. 7. de Fabr. Corp. Human. c. 2. p. 206.)* observavit.

§. 4.

His ita in statu secundum & contra naturam constitutis, si ultimus vitæ terminus ingruat, oculi modò aperti, modò conniventes & clausi. Mulierem post mortem supercilia clausa aperuisse, *notavit Th. Bartholin. (Cent. 6. Hist. Anat. 4. p. 203.)* illumque motum spirituum reliquiis, vel rectius ciliis rigentibus serius clausis imputabat. Oculorum apertionem in ab Aqua suffocatis aut imaginariam censet, aut ab aquæ evacuatione, quæ oculos tumidos fecerat, ipsis resiccatis contingere posse, *Caspar. à Rejes (Camp. Elys. qu. 33. n. 8. p. 391.) dictitat.* Hoc vero modo oculis & palpebris detumescentibus potius occultarentur quam nudarentur oculorum orbes. Θεῖόν τι quid præ se tulit, quando infans à matre trucidatus, ipsique in carcere oblatus, oculos aperuit, eorumque splendore carcerem fecit lucidum, quod *ex Alio recensuit (p. 2. Epistol. 510. p. 712.) Martin. Zeilerus.*

§. 5.

Hoc juxtim notandum omnes ferè violenta, eaque præsentanea & momentanea morte extinctos, oculos obtinere palpebris tectos, ob robur Spirituum, eorundemque in musculos & nervos paulò ante mortem vegetum influxum, contraque mortis inexpectatæ nisum Nervorum & Musculorum systemata in Tetanum abripientem. Contrarium in convulsis, emaciatis, febricitantibus, & in genere valida exspiratione expirantibus videre licet.

§. 6.

Inter morituri signa *cum Dan. Sennerto (l. 1. Med. Pract. p. 3. s. 2. c. 29. p. 863.) Hippocrates, (in Coac t. 218. & Progn. t. 30.)* si oculi lucem effugiant. Sub mortem & Syncopen oculi corneam lumine privam cerni *(tr. Blas. human. n. 28. p. 148.) advertit Helmont.* Qui & ob fugientes Spiritus oculos corneos & defœdatos fieri, *(tr. Spir. vitæ n. 21. p. 160.)* Splendoremque deficere, *(tr. For-*

mar. Ortus n. 86. p. 119.) & sub morte manifesta luce destitui oculorum membranas, (*Tr. Aura vitalis p. 578.*) *scripsit.* Eo collimant illa *Quintiliani, si Autor est*, (*Declamat. 10.*) Natantium fulgor extremus vanescebat oculorum, & jam desperantibus Medicis crediderat pater. Natantia lumina eleganter vocavit *Virgilius* (*l. 4. Georgic. v. 396.*) ubi de Orphei conjuge ad inferos revocata

iterum crudelia retrò

Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.

Albescere ante mortem pupillos (*l. de Fun. Roman. c. 6. p. 33.*) ex Aliorum relatione *scripsit Joh. Kirchmann.* Habet id etiam (*ad l. 10. Æneid. 417. Virgil. p. 795.*) *Servius*, è quo forsan *Kirchmann.*

§. 7.

Obfuscantur morituris oculi, imò & mortuis, ac veluti panno quodam obducti, spiritibusque extinctis, nullam, evidentem saltem reddunt intuentium imaginem, nisi obscuram, monuit (*l. 4. Quæst. Med. Legal. Tit. 1. qu. 11. n. 51. p. 374.*) *Paul. Zacchias.* Ea die, quo occisus est *Pertinax Imperator*, negabant in oculis Ejus pupillas cum imaginibus, quas reddunt spectantibus, visas, *Capitolinus* (*in Vit. Ejus p. m. 106.*) *tradidit.* Egregia sunt, quæ in hunc locum commentatus est *Magnus Th. Reinesius* (*l. 2. Var. Lection. c. 18. p. 294.*) ea igitur, cum hunc titulum illustrem reddant, in medium afferenda censui; Hoc, *scribit*, augurii s. præsagii figmento nihil ridiculum magis afferri poterat. Observarant Medici à pupillis eorum, qui Chronico morbo attritti, obituri tandem essent, paulò ante mortem, præter oculorum hebetudines & perversiones (*Vid. Hipp. Coac. prænot. t. 221. 225.*) non reddi idola aspicientium, & hanc imaginum in oculis disparentiam inter ea, quæ instantem denunciarent habuerant. Hinc *Servius* (*in Virgil. l. 4. Æneid. v. 251. p. 398.*) Physici dicunt, *inquit*, pupillas, quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habêre, quibus non visis, summa est desperatio. Et hoc nostra etiam adseveratione verissimum est. Qui in mortuorum etiam pupillis imagines conspexisse jactant, & hinc observationis illius vanitatem probare posse putant, faciunt, ut quod nos vidimus, ne viderimus, & sunt fortasse nobis oculatiores! Sed quæremus ex istis an tunicarum in oculis mortuorum lævitatem & nitorem eundem esse, quem in vivis observamus, adserere seriò cogitent? Neminem tàm absurdum fore speramus, qui dissipatis, exhaustisque vitæ principiis adfectiones istas tunicas vitiari negaverit. Benè igitur Veteres cum pupillæ in ægrotis non redderent imagines, quod vitiata lævitate corneæ (in hac enim vel in aranea crystallini humoris repræsentatio ista fieri videtur) ac splendore, quo species transmitteret

re-

reflecteretque accidit, mortem timendam esse augurati sunt. Vulgus autem hanc auditionem malè perceptam etiam iis, qui violenta morte perituri erant applicare cœpit, & hinc signa futura paulo post cædis in Pertinacis oculis conspexisse nugati sunt. *Capitolino*, quod fabulam è trivio commentario suo inseruerit, ignoscimus; non enim aliter poterat, nisi comperta, sive vera, sive falsa essent, scribere, cui hoc propositum erat, quæ de Imperatoribus fererrentur ostiatim in litteras mittere. Non absimile verò est *è voluminibus, sive Marii Maximi, sive Junii Cordi*, quem frivola cuncta, ridiculè ac stultè multa, ad fabellam usque omnia composuisse notat, sublegisse ineptias istas, securum de earum examine, quod medicam quandam divinationem sapere, & niti Sapientum experientia viderentur. De *Casaubono* miramur & ipsum falli potuisse. *Servius* enim de accidente in oculis ἀπεγνωσμένων è medicorum sententia loquitur, in quibus pupularum ἀφάνεια vel tunicarum exsiccationem & corrugationem, vel absumtionem Spiritus & caloris, à quo lumen & Splendor in tunicis & humoribus sequitur, quos *Pertinax* tum sanus valensque naturales & integros habuit. Nihil igitur ad hunc ille. *Hæc Reinesius.*

§. 8.

Secus tamen sentientes etiam invenias. Id perpetuum non est. Quandoque enim à morte etiam, ut lævor, sic imagunculæ hæ durant, *pronunciat Gerh. Joh. Vossius. (l.3. Idololatr. c. 23. p. 842.)* In Anatome Apoplectici altero à morte die oculi corrugati licet adhuc virunculum, ut ut non tam clarè, nec tam magnum, conspiciebant, *teste Accuratissimo Prosectore Amico meo magno Dn. D. Philippo Jacobo Hartmanno (M. C. D. 2. A. 9. obs. 11. p. 31.)* Vidit & ille *Vir Excell.* in fure olim *cum Excell. D. Starckio* tertio à suspendio die rigentibus palpebris pupillas tanto fulgore illustres, ut vivam effigiem contemplantibus exhiberent. Inquisivit an hoc Idiosyncrasiæ aut singulari conformationi oculorum deberetur, uti in Phocis fulgurantes oculi debentur peculiari in Choroideam & Amphiblestroideam candidæ tunicæ (*Vid. Ejus Doctissima & Laboriosissima de Phoca c. 3. §. 5. & c. 4. §. 6. Disquisitio*) cum in felibus & canibus haud absimilis tunica peculiarem fulgorem oculis conciliet: ast nihil quicquam ejusmodi Anatome oculorum in lucem produxit. Sive itaque, *judicat*, in vivacitatem furis fulgor iste oculorum referendus: sive lævor tunicarum Splendoris fuerit Causa, lævoris autem extensio tunicarum, extensionis verò Spirituum ob commotionem ex strangulatione catervatim irruentium copia: qui Spiritus quousque fixi à figore tunicis inhæserunt perbiduum nativum oculorum Splendorem conservarunt: Ipsis verò à conclavis, aut

aut astantium, calore alieno turbatis, subsidere bulbi, flaccescere tunicæ; atque disperire fulgor insolitus abeuntibus unà Spiritibus. *(c. l. p. 34. & 35.)* Poterunt & humores oculi extravasati lumen oculis conciliare, prout mihi non semel à somno expergefacto oculi madidi lumen igneum præsentarunt. Humore absterso lumen defecit. In puerulo Catharro suffocativo prehenso & vivorum numero subtracto idem *animadvertit Nobiliss. Dn. D. Vitus Rietlin. (A. 2. Lin. Med. Mens. Jun. obs. 29. p. 303.)* Disputavit igitur *(l. 4. Ophtalmogr. probl. 68.) Vopiscus Fortunat. Plempius* contra *Plinium, Servium & Cardanum* falsum esse augurium, non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddunt.

§. 9.

Infirmo igitur tibicine fulti prodidere, Aquilas, Corvos & in genus carnivoras aves suspensorum & aliorum terræ non mandatorum corporum oculos ideo transfigere & devorare, quod in his suam tueantur imaginem. *Ita Plin. (l. 11. c. 37.)* oculis absoluta vis speculi, ut tam parva illa pupilla totam imaginem reddat hominis. Ea causa est, ut plerique alitum e manibus hominum oculos potissimum appetant, quod effigiem suam in iis cernentes, velut ad cognata sua desideria tendant. Evincere id videtur *locus Salomonis (Proverb. c. 30. v. 17.) Astipulari Joh. Bapt. Mantuan. (l. 1. Calamitat. v. 238.)*

Pascuntur per rura canes, Aquilasque rapaces
Effodiunt duris hominum cava lumina rostris
Intestina ferunt volucres: & in arbore summa
Exta Patrum suspensa diu videre nepotes.

Forsan aliquando volucres istæ carnivoræ fame coactæ oculos tentant demortuorum, tamen aliis præsentibus alimentis, id temere facere non audebunt, comprimis in suspensis, quos in perenni motu athmosphæra conservat. Si tamen id patrant mollior & tenuior superciliorum & Ciliorum cutis oculorumque substratorum teneritudo faciunt, ut rostrorum apices commode applicare & fami urgenti satisfacere valeant. Forsan Alitibus humanis sunt in deliciis oculi humani, prout agnorum, vitulorum, oculos apprimè nostro satisfacere palatui scimus. In *Salomonis* adductum locum meretur legi *Sam. Bochart. (p. 2. Hieroz. l. 2. c. 2. col. 179.)*

§. 10.

Hoc è *Paulo Zacchia (l. 5. Quæst. Med Legal. T. 2. qu. 12. n. 49 p. 446.)* addere, non inconveniens erit: Oculorum observatio in Cadaveribus non solum inanis non est, *inquit*, sed magni quidem facienda; nam eorum naturalis consititu-

ſtitutio, qualis in Cadaveribus requiritur, vel quam proximè ad naturalem conſtitutionem accedens, ſignum præbere poteſt non omnino, nec in totum extinctarum reliquiarum caloris naturalis & ſic non multo ante corpus illud mortem obiiſſe, contra illud, quod â requiſito ſtatu naturali magis recedit. Et *paulo poſt.* Unde ſequitur falſitas alterius ſententiæ, quod oculi primum moriantur, cum contra dici poſſit, ultimos mori, cum etiam in mortuis aliquos lucidos Spiritus retinere eos experiamur. Itaque Cadaver illud, in quo licet obſervare oculos non omnino obfuſcatos, ſed tantiſper adhuc intuentium imaginem reddentes, conjecturam non levem faciet, hominem illum, cujus cadaver illud eſt, cæteris ſupervixiſſe, qui ex eodem caſu perierunt. Addendum, ſi ſimilem oculorum conformationem obtinuerunt,) & quorum oculi omni ex parte obſcurati, tenebriſque obducti conſpiciuntur, omnique luce & diaphaneitate ita orbati, ut nullam intuentium imaginem reddere obſerventur.

§. 11.

Singulare & tantum non miraculoſum, quod *in fabulas aliàs multum propendens ſcriptor, Thom. Cantipratanus (l. 2. Exempl. & Mirac. ſui temp. c. 30. n. 33. p. 340.)* De oculo beati *Ludovici* (*Leudomiri ſ. Ludomiri legendum, in not. ad h. l. p. 47. Georg. Colvenerius*, non ſine cauſa cenſuit) *Cathalonienſis Epiſcopi tradidit*, quod, poſtquam annis plus quam quadringentis non ſolum incorruptus in terra jacuerit, ſed & præterea Criſtalli inſtar lucidiſſimus, *ab Abbate, Magiſtro Johanne de Firmitate* viſus fuerit. Et juſte quidem oculus, *ratiocinatur*, in mortuo corpore extingui non poterat, qui contra mortificantem hoſtem (Galliarum Reginam Eundem ad concubitum pellicientem) in fragili vaſculo lividus (torvus) permanebat.

§. 12.

Hoc etiam obſervatum ajunt, *ſcribit Paul. Zacchias,* (*l. 8. quæſt. med. Legal. Tit. 2. c. 11. n. 8. p. 436.*) & *Martin Zeiler.* (*part. 2. Epiſt. 456. p. 505.*) Si dormiens ictus ſit à fulmine, oculis apertis reperiatur; ſin vigilans, clauſis. At unde hoc? Dormiens ad fragorem expergiſcitur, oculoſque aperit, vigilans ad terrorem concutitur, oculoſque ob timorem præſentis mali, claudit. Dormientes tamen fulmine necari haut omnibus probari, *è Plutarcho* (*l. 4. Sympoſ. c. 2. p. m. 244.*) pateſcit.

§. 13.

Inter ſenſuum autem collegia omnium primum ferè viſum claudit mors, cum *ſecundum Ariſtotelem* (*l. 2. de Generat. Animal. c. 6. p. 1264. ſq.*) *Plin.* (*l.*

11.

11. c.37.) & *Levin. Lemnium* (*l. 4. de Occult. Nat. Mirac. c. 6. p. 405.*) oculi ultimi in fœtu formentur, (causam reddere conatur *Joh. Zahn. Ocul. Artificial. Tele Dioptr. Fundam. 1. Syntagm. 1. c. 6. Erotem. 1. p. 34.*) unde Natura reducem agit decursum, *ut loquitur Nobiliss. Dn. D. Christian. Langius* (*Diss. de Fac. Hippocrat.* §. *22.*), & à calce ad Carceres, à Circumferentia (oculis) ad Centrum, (Cor illud primum vivens & ultimum moriens, *Vid. Galen. l. 2. de placit. Hipp.* & *Platon. p. 964.* aut rectius proxima Cordi venæ cavæ pars, observante *Nicol. Stenone ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. Med. 25. p. 109. Richard. Lowero tr. de Corde c. 2. p. 70. Add. infra l. 2. T.* §.) unde proruit, redit. Aut, *ut Joh. Sophron. Kozack (tr. de Sale c. 5. s. 3. p. 199.) loqui amat:* Primum inchoata longius durant, ultima primis citius intereunt. Quare mirandum non est, *pronunciat Passian. Landus*, (*l. 2. Anat. Corp. human. c. 4. p. 153.*) si *Poeta Homerus* mortis sedem in oculis, toties id Hemistichium (*Iliad. 13. v. 589.* & *alibi.*)

Τὸν δὲ σκότος ὄσσ' ἐκάλυψε,

repetens, esse finxit. Quare cum Oculi certissimum vulgò mortis dent prognosticum, Nostri dicunt: *Der Todt siehet ihm zum Augen heraus, die Augen sind ihm schon gebrochen.*

§. 14.

Signa ista *vulgares* propinant:

Si multum rubeant oculi: vel Spontè madescant,
Si lucem fugiant, venæ si quando nigrescant,
Quod si siccentur, spasmo vel fortè graventur.
Si jam sint clausi, pauco post tempore aperti,
Alter si minor aut altro, dexterve sinistro,
Si non objectis cernant benè lumen ocellis
Si sint instabiles: vel si pituita molestet
Extremas partes.

Si *Samuel. Fuchsium* (*Ophtalmoscop. c. 19.* §. *12. p. 139.*) evolvas, ista posuit: In morbo acuto oculus si hebescat, si fixus sit, & caliginosus, si cavus & quasi emoriatur, connivendo labascat, mortis omen imminentis portendit. *Conf. Anton. Constantia* (*l. 1. Med. Prognos. c. 6. p. 26. sq.*) *Prosper Alpin.* (*l. 5. de præsag. vit. & mort. ægrot. c. 7. p. 445. sq.*)

§. 15.

Oculorum ista post fata adhuc constans apertio, cum truculentum & deforme reddat Cadaver, ne intuentibus inferatur horror, oculos claudunt.

 Apud

Apud Romanos ritus iste obſervabatur. Ita *Plinius*, (*c. l.*) morientibus illos (oculos) operire: rurſusque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu ſacrum eſt. Ita more condito: ut neque ab homine ſupremum eos ſpectare fas eſt, & Cœlo non oſtendi nefas. Inde *apud Ovidium* (*l.3. Amor. Eleg. 8.*)

Hic certè manibus fugientes preſſit ocellos
Mater, & in Cineres ultima dona tulit.

Apud Senecam (*Troad v. 786.*)

Concede parvos ut mea condam manu
Viventis oculos.

Etiam id Hebræis in uſu, Exemplis *Joſephi* (*Geneſ. 46. v. 4.*) *Patris Jacobi*, & *Tobiæ Junioris*, (*Tob. 14. v. 15.*) Soceri ſui demortui oculos comprimentis, edocemur. Officium illud charorum & propinquorum requirebat affectus. *Vid. Pl. Rev. Dn. D Martinus Geierus.* (*de luctu Ebræor. c. 5. §. 6. p. 50.*) In Cauſas inquiſivit *Joh. Heinric. Urſin.* (*l. 1. Analect. Sacr. c. 27. p. 41.*) Hoc nomine infelices, *teſte Plutarcho*, vocarunt illos, quorum oculos parentes aut liberi ob abſentiam non poterant obtegere. *Conf. Henric. Kornmann.* (*p. 7. de m. m. c. 9.*) qui id è *Petro Crinito* (*l. 18. de honeſt. diſcipl. c. 12. p. 463.*) ſuis inſeruit. Ubi etiam de lege Menia, quæ *autore Terentio Varrone*, talis: Ne filii parentibus luci claros oculos ſugillanto.

§. 16.

Os hiat, quia inter anxietates præcordiales, ſuſpiria, cordisque ſingultus animæ cum corpore commercium intercipitur. Expirando anima tuguriolo ſuo ſubtrahitur, inſpirando olim in creatione à ſummo Creatore eidem concredita. Strangulatorum igitur mortem θάνατον μιαρὸν, gladio occiſorum καθαρὸν vocabant Antiqui, perſuaſum habentes, ſtrangulatis animam per obſcœnum corporis cavum, cum per os non poſſit, egredi. Hinc *Seneca in Cajum* (*l. 3. de Ira c. 19.*) Spongiis aut pannis os eorum, quos interficere vellet, occludi jubentem: Quæ iſta ſævitia eſt? liceat ultimum ſpiritum trahere! Da exituræ Animæ locum! Liceat illam non per vulnus emittere? hi Catharris ſuffocativis pulmones viſcido humori impacti ultimo conatu phænomenon illud patrant. Mortui aperiunt os, *ſcribit Albertus M.* (*l. 1. de Animal. Tr. 2. c. 14.*) quia modus claudendi mandibulam, eſt contra pondus naturæ mandibulæ. *Add. Galen.* (*l. 2. de Mot. Muſcul. p. 523.*) Deformitati huic ut conſulant, odorique tetro exhalanti obex ponatur, tenui faſcia ad verticem inferiorem maxillam aſtringunt. Judæis id etiam in more poſitum, *modo laudatus Geierus* (*c. l. §. 7. p. 52.*) *teſtis eſt.*

§. 17.

§. 17.

Os hiat aliquando, lingua ſimul exerta. Eſt ſpecies Anginæ, quam *κυνάγχην* vocant, qua ægri canis ſitibundi inſtar linguam exſerunt & ſpiritum trahunt. *Vid. Dan. Sennert.* (*l. 2. Med. Pract. p. 1. c. 24. p. 95.*) Inde *Marco Zwerio Boxhornio* (*in Poëm. p. 18.*) vocatur:

Lingua carnifex.

Eſt & aliquando linguæ tumor talis, ut ore contineri non poſſit. Exempla ſuggerunt *Galen.* (*l. 14. M. M. c. 7. p. m. 517.*) *P. Foreſt.* (*l. 14. obſ. Med. 24. p. 125.*) Contingit ab hauſtis venenis aut fungis, comprimis illo peſtilenti, cujus meminit *Leonh. Botall.* (*in Append. ad l. de Med. & Ægrot. mun.*) qui ſummitati linguæ tantum admotus ſtrangulationem ſeu ſuffocationem inducit. A morbo Gallico linguam etiam intumeſcere, ut prodigii modo ingens ex ore excidat *Alex. Benedict.* (*l. 5. de Cogn. & Cur. Morb. c. 11. p. 236.*) & ab opio (*ib. c. 13. p. ead.*) commemorat. Nec inauditum, linguam ob copiam laudabilis alimenti monſtroſa magnitudine augeri. Hiſtoriam curioſam ob oculos ponet *Galen.* (*l. 1. de Diff. Morbor. c. 9. p. m. 17.*) In convulſionibus à Liene, linguam cum clamore prodigioſè ſæpius exertam, aliquando videre contigit, ita ut inſtrumentum, ne linguam patiens morſu læderet, adhibere coactus fuerim. Quod ſi igitur uno prædictorum affectuum diem ſuum obeant ægrotantes, ore hiante, Linguave exſerta vultum quam facillimè deturpare queunt.

§. 18.

Sepulchra olim muta declaravit (*Carm. 95.*) *Catullus*, in illo:

Si quicquam mutis gratum acceptumve ſepulchris
Accidere à noſtro, Calve, dolore poteſt.

Sepulchrorum nomine eos ipſos, qui è vita diſceſſerunt, ſignare Poëtam, *Anton. Mureti* (*ap. Simon. Abbes Gammemam Comment. in Catull. p. 189.*) *Commentariolus* docet. Mutos autem vocat, quod antiqui ſilentium etiam pro mortuis dixere, unde & regna ſilentia inferos, & ſilicernium, cœnam quæ mortuis ponebatur, denotant. Umbras ſilentes *vocat Virgil.* (*l. 6. Æneid. v. 264.*) Quicquid ſit, mortui aliquando ſonum edunt inconditum, qualis ille ſepultorum glotientium aut maſticantium, *de quo jam alibi* (*Tit. 3.*) varia congeſta. De Paſtore Bohemo, cujus ſpectrum viventibus moleſtias varias inferebat effoſſo & à carnificibus cremato *Wenceſl. Hagecius* (*p. 1. Chronic. Bohem. p. 411.*) *retulit*, quod in rogo poſitum primum bovis boatum, poſteà aſini rugitum ediderit. Sonos inconditos & voces quaſi mortuorum imminente peſte audiri, *Hieron. Cardan.* (*l. 15. de Var. Rer. c. 78. p. 945.*) *citat. Zu Auerbach, vier Stunden von Studgardt, hat*

männiglich die Todten unter der Erden hören reden, *prodidit Zacch. Theobald.* (*vom Bergfall p. 8.*)

§. 19.

Mortuos loqui Papicolæ credunt. De *Maria*, Virgine DEI para, *ex Aliis retulit Joh. Sebast. Mitternacht* (*Diss. 7. de Johann. p. 137.*) Postquam corpus egressa est Anima, corpus ipsum hæc verba protulit: Gratias ago Tibi Domine, quod Tua sum gloria. Memento mei, quod Tuum figmentum, & Tuum servavi depositum. De filio in patibulo suspenso patrem alloquente & consolante vide & lege *ex Jacobo Januensi s. de Voragine* (*Histor. Lompardic.*) quæ *citat Joh. Wolff.* (*Cent. 13. Lect. Memor. p. 565.*) fabulamque deride. Mortuos articulatè locutos & clamasse, historiam habet de Notario *Martin. Del Rio* (*l. 2. Disquis. Magicar. qu. 26. s. 5. p. m. 628.*) & de quodam celeberrimo Doctore ex Aliis *recitant Hier. Cardan.* (*l. 15. de Var. Rer. c. 81. p. 994.*) *Petr. Sutor*, (*l. 1. de Vit. Cartus. tr. 2. c. 2. p. 16.*) *Henric. Kornmann.* (*p. 4. m. m. c. 6.*) Hæ verò relationes quid aliud quam fabulæ, miracula si non sunt? Inter miracula posterius (*c. l.*) reposuit *Cardanus*, quod etiam *Brunonem* cum sociis movit, ut electa vita solitaria Cartusianæ in Episcopatu Gratianopolitano in monte Cartusa darent primordium. (*Petr. Sutor c. l. c. 4. p. 30.*) Rectius fabulis accensuit *Gabr. d' Emilliane.* (*Itinear. Epist. 1. p. 65.*) Ejusdem monetæ illam de Monachis psallentibus historiam puto, quam *cit. Kornmann.* (*p. 5. c. 11.*) è *Baronio* (*Tom. 7. Antiqu. Eccles. c. 165.*) excerptam proposuit. In eodem censu habendum, quod *Th. Cantipratensis fabularum monasticarum sui temporis insignis eclogarius* (*l. 2. Mirab. & Exempl. c. 29. p. 306.*) recitat. *Ipse Aristoteles*, caput abscissum posse loqui, (*l. 3. Hist. Animal. c. 10. p. 1165.*) *negavit*, & caput *Starchateri* decollatum terram morsu petiisse, quod dubitativè recensuit *Saxo Grammaticus*, (*l. 8. Hist. Danic. p. 153.*) non videtur verosimile.

§. 20.

Regis Angliæ à Danis occisi caput inter fruteta occultatum loquitur, *scribit Joh. Marcus Marci à Kronland* (*p. 4. Philos. Vet. Restitut. subs. 3. p. 405.*) quærentes ad se vocat, si miraculum hic, quis finis? Naturaliter eò usque vixisse, eo modo, quo caput viperæ? non vererer; nisi eadem natura vocem fieri posse absque aëre eo impulso negaret, præsertim cum nervis recurrentibus præcisis, aut vinculo interceptis, confestim animal ἄφωνον reddi constet. Dici tamen posset, impulsum aëris à vento suppleri potuisse; qui fortè tunc in arteriam præcisam flabat, eo modo, quo per guttur Anseris sonum anserino similem flatu reddere solemus. Posset experimentum fieri, *pergit*, loco pulmonis folle in

in capite recens amputato, quo aër per arteriam impulsus, linguæ orisque motionibus subveniret: Verum hanc hæsitationem tollit *Lucretia Anconitana*, mulier supra modum delicata, quæ nostra memoria ob vitam male actam capitis supplicium luit, ipsum verò à reliquo corpore avulsum ter nomen JESU clamavit. *Hæc Marcus*, qui tamen confundere videtur motum capitis naturalem, & præternaturalem; motum ut talem, & cum loquela conjunctum; Sonum inconditum & inarticulatum. Viperarum & aliorum insectorum capita abscissa vivere ad tempus, non inficior, & infra *(l. 2. Tit. 5. §. 18.)* rationes dedi ubi huc spectantia plura. Quis verò capitis separati sibilum aut sonum naturalem, genuinum illi, quem integrum adhuc edere solet animal, audivit unquam? Motus & morsus discissarum viperarum spasmodicus est, & præternaturalis, & longè aliam esse insectorum, reptilium & natatilium ac reliquorum sanguineorum constitutionem infra dicta demonstrant. Non solum motum capitis, aut aëris impulsum ad loquelam sufficere, muti declarant. In *Lucretiæ* capite abscisso vox plaga in instanti inflicta potuit audiri, modò non sibilus inanis fuerit & inarticulatus, aut suspirium. Plura *Joh. Rud. Camerar.* (*Cent. 15. Syllog. Memorab. n. 12. p. 1214.*)

§. 21.

De Cranio iterum *H. Kornmann.* (*p. 4. m. m. c. 10.*) cum preces pro mortuis funderet *Macarius*, in hæc verba erumpente: Quando pro mortuis oras consolatiunculam sentimus; quid sentiendum, sacra oracula te edocebunt, quæ neque preces pro mortuis præcipiunt, neque emolumenti aliquid in eos redundare asseverant. Ejusdem farinæ sunt illa, quæ habet *Martin. Delrio (l. 2. Disquis. Mag. qu. 29. p. 225.)* Comprimis illud *è Bonfinio (l. 3. hist. Ungar. Decad. 3. p. 400.)* de loquaci inexpiati capite subinde inter ossa nomen *Salvatoris & Mariæ* resonante, quid? nisi figmentum curiosumque cultus sanctorum fundamentum? *Orphei* caput Lesbo appulsum vaticinari solebat, *teste Philostrato*, (*in Philoctete*) *Cyroque Regi* post sexcentos à morte *Orphei* annos, cum aliquos ille consultum *Babylone* misisset responsum hunc in modum; Τὰ ἐμὰ κῦρε σά. Ita *Snoro Sturlæsonius* (*Hist. Norwag. c. 1.*) *testatur, ordinum* Præstigiatorem & Magum sua tempestate nulli secundum *Mimeri Scythici* caput ab Asianis sibi transmissum balsamo condivisse, arteque magica ita præparasse, ut articulate loqueretur, & arcana quæcunque scire discuperet, sibi revelaret. *P. Rochus Gonzalez* à barbaris nationibus totis cervicibus ferrum hausit, resecto autem capite, per ipsum cor eloqui auditus est, & clara expeditaque voce arbire in DEI laudes. Narratio Papicolis non indigna è Lobbetio *ap. Henr. Engelgrav. (p. 1. Luc. Evangel.*

gel. Emblem. 40. p. 328.) allegatur. Retulit de *Gabieno, Augusti Classiario, Plin.* (*l. 7. c. 52.*) cui capto cervix jussu *Sexti Pompeji* incisa est, ut vix cohæreret. Cum verò per diem jacuisset mortuus, allocutus astantes ab inferis ablegatum se dixit, ut quædam *Pompejo* nuntiaret.

§. 22.

Fuere etiam statuæ loquentes, & forsan adhuc habentur. Sceleton perfectum promisit *Exc. G. W. Wedelio* (*de Med. Facult. Præf. ad Lect.*) *Nob. Sal. Reiselius* quod vel loqui possit. Ille *apud Lucianum* (*T. 1. Op. in Pseudomant. p. 764.*) *Pseudomantis* pollicitus est exhibere multitudini DEUM loquentem, ac sine interprete responsa dantem. Deinde magno negotio Gruum arteriis contextis & per illud arte assimilatum caput insertis alio quopiam per has foris insonante ad interrogata respondebat voce per *Æsculapium* illum linteo confectum ad aures promanante, quæ responsa ipsius voce reddita vocabantur, neque quibuslibet neque passim dabantur: Verum splendidis, opulentis ac munificis. De Statua loquente *Athan. Kircherus* (*T. 3. Oedip. Ægypt. p. 487.*) *Casp. Schott.* (*Cent. 1. Joco-ser. Art. & Nat. propos. 34. p. 31.*) Statuam loquentem triginta annorum opus, quam *Thomas Aquinas* confregisse dicitur, confecit *Albert. M.* (*Gisbert. Voët. p. 3. Disput. Select. p. 542.*) quam tamen *Mart. Del Rio* (*l. 1. Disquis. Mag. c. 4. qu. 4. p. 74.*) & *Redemtus Barozenus* (*Disp. 5. qu. 2. Dub. 7.*) habent suspectam. Jocum Necromanticum Cranii loquentis *ex Andrea Albio à Joh. Jacob. Weckero* (*l. 17. Secretor p. 889.*) *allegatum*, illis quibus his technis alios circumvenire licet, linquo & à Magis è Cranii petita oracula, Magis.

§. 23.

An Diabolus & Sagæ inanimatis bestiis & cadaveribus loquelam possint conciliare? Si quæras, pluribus te informabit modò *citatus Del Rio* (*l. 2. Disquis. Mag. qu. 29. p. 225.*) & *Strozz. Cigogna* (*p. 1. Theatr. Mag. omnifar. l. 4. c. 6. p. 528. sq.*) E *Joh. Ernesti Pfuels* (*Elect. Phys. part. General. Tit. 2. s. 1. p. 126.*) hæc accipe: Loquelam inanimatis aut brutis corporibus conciliare Satanas non potest: Sed ipse occupat illud ministerium, auresque audientium veluti ex aliis, facto sono decipit. Loquitur per ea, ut aliquando per capita magicè consecrata aut imagines, de quibus jam dictum. Inde, qui ejusmodi imagines aut conficiunt aut consulunt, imaginarii audiebant *Johanni Sarisberiensi.* (*l. 1. de Nug. Curial. c. 12.*) Imaginarii sunt, *inquit*, qui imagines, quas faciunt quasi in possessionem præsidentium Spirituum mittunt, ut ab eis de rebus dubiis doceantur. Loquuntur cadavera & bruta, ut Moneta Junonis & Fortunæ

tunæ muliebris ſimulacrum, *ap. Valer. Maxim.* (*l. 1. Memorab. c. 8. §. 3. & 4. p m. 44.*) Dæmone verba ſuggerente, *ut pronunciat Edo Neuhuſius.* (*l. 2. Sacr. Fatidic. c. 5. p. 97.*) Aut Sacerdotibus Dæmonis officio fungentibus. (*Matth. Zimmermann. Diſſ. Hiſt. Theol. de Chriſtian. ſ. 2. §. 100. p. 75. ſq.*)

§. 24.

Morientes interdum ridere, quidam annotarunt. An verè? dubito. Videntur ridere, non rident. Cauſam vis? Motus convulſivi muſculorum & nervorum ſunt. De Apii Specie commemorant Autores, in Sardinia mediterranei Maris inſula, fœcunda quidem peſtilente, (*Vid. Strabo l. 5. Geograph. Pompon. Mela l. 2. c. 5. p. m. 95.*) eam tanto pollere ſcelere, ut illam comedentes pereant, ſed ridentes. Ita de hac *Dioſcorides,* (*l. 6. de Remed. c. 14. p. m. 734.*) *Nicol. Leonic. Thomæus* (*l. 1. Var. hiſtor. c. 1. p. 10.*) eam convulſiones facere cum labiorum contractione, ut riſus ſpeciem videntibus præbeat. (*Conf. Tob. Knobloch. Inſtitut. Anatom. Diſp. 9. p. 296.*) Inde Sardonia Herba, Apium riſus, riſus verò ille vocatur Sardonius. (*Vid. Pauſan. l. 10. ſ. in Phoci. p. m. 408.*) Aput Antwerpiam non nollos juvenes Italos in acetario hanc herbam deguſtaſſe, quorum nonnulli illicò vitam cum morte commutarunt, (an cum riſu? non addit,) *annotavit Amatus Luſitanus* (*in l. 2. Dioſ. Enarrat. 171. p. 416.*) Simile ferè de Cicuta pro Petroſelino comeſta à Monachis *Anthan. Kircher.* (*ſ. 2. Scrutin. Peſt. c. 2. p. 203.*) Plura de Apii noxa *Joh. Ruellius* (*l. 2. de Nat. Strip. c. 106. p. 426.*) Et Apium etiam hortenſe ſ. Petroſelinum Epilepticis noxium & Aliis declaravit *Dan. Sennert.* (*l. 1. Med. Pract. p. 2. c 31. qu. 12. p. 662.*) Ideò, quamvis Apio virente Nemæi, exareſcente Iſthmiaci victores coronabantur, *juxta Hadrian. Jun.* (*l. 4. Animadv. c. 21. p. 167.*) tamen à menſis veterum relegabatur, non tantum, quia eo ſepulchra coronabantur, ſed etiam, quia hujus eſu, ut dictum, Epilepſia genaratur, & viſus deminuitur, prout ſcribit *Schönborner.* (*Manual. Med. Pract. Tit. Capiti nociva p. 19.*) Caveant proinde Nutrices è Petroſelini uſu, comprimis nimio, ne inſontes temerè huic equuleo ſubjiciant infantulos.

§. 25.

Quod de Apio dictum, idem de fungis verum confirmat *P. Foreſt.* (*l. 10. obſ. med. 116. p. 457.*) Hiſtoria, de virgine, quæ Convulſione ab utero & fungis comeſtis ridentis ſpeciem exhibebat, revera tamen non ridebat, quamvis Sardonico riſu convulſis maxillarum & genarum muſculis multis miſerandum ſpectaculum præberet. Una Fortunatarum Inſularum (*commemorat Pomp. Mela, l. 3. de Sit. Orb. c. 11. p. 145.*) ſingulari duorum fontium ingenio maxi-

mè insignis, alterum qui gustavere risu solvuntur in mortem; ita affectis remedium est ex altero bibere. Idem Cenchris virulenti Serpentis morsum præstare *Athan. Kircher. (s.3. Scrutin. Pest. c.3. p.302.) allegat. Wann ein Persianer aus Verzweiffelung seinen Tod beschleunigen will, verschlingt er ein Stück vom Opio, und trincket Weinessig darauf, und stirbt ganz lachend dahin, memorat J. B. Tavernier. (l.5. Itin. Persic. c.17. p.269.)*

§. 26.

Ægris etiam risus præter intentionem & voluntatem contingit. De Abbate, qui involuntariè ridere coactus ad extremam usque virium prostrationem se exagitabat, legi poterit *Joh. Schenckius (l.1. obs. med. p.12.) add. Felic. Plater. (l.1. obs. med. p.156.)* In Studioso Theologiæ febre maligna laborante, instante, morte idem olim deprehendi; ut & in Juris & tumbæ sepulchralis candidato hectica summè emaciato tribus ante mortem diebus, ex quo eum morti proximum certò concludebam. In Peste anno 1353. pueri & puellæ tripudiantes & ridentes mortui, *Casp. Hedio. (Chronic. f.587.)* & ex eo *M. Tob. Schmid. (Annal. Cygn. p. 164.) Chrysippus* Philosophus, aliis *Palæmon* dictus, & *Zeuxis* pictor, risu obiisse dicuntur. *(J. R. Camerar. Cent. 14. Syll. memorab. n. 61. p.1176)* ut & *P. Crassus. (ap. Tertullian. l. de Anim. p. 683.)*

§. 27.

Qui in præcordiis vulnerati ridibundi pereunt, *quod Aristot. (l.3. hist. part. Animal. c.10.) Plinius (l.11. c.37.) & J. C. Scaliger (Exercit. 117. f. 6. p. 1022.) protulit.* Exemplum illud probat *Tychonis ap. Hippocrat. (l.5. Epidem. hist. 94. p.254. & l.7. hist. 13. p.338.) Add. Anut. Foës. in not. ad. l.5. Epid. Hipp. p.255.)* cui, postquam vulnus in pectus acceperat, risus aderat cum perturbatione. Calorem vulnus movere, & inde risum concitari *Aristotel. (c.l.)* ratiocinatur. Convulsionis, ut modò assertum, rectius vocatur species à Consensu Diaphragmatis cum Cerebro & musculis labiorum maxillarumque proveniens à nervis quinti paris, *ut Nicol. Pfizzer. (l. 2. judic. vulner. rat. c.11. p.96. Add. Ludovic. Mercat. T.3. Op. l.1. de Morb. Intern. c.15. p.75.)* Id verò ubi succedit conclamata res est. Cur autem bruta præcordiis trajectis à risu sibi temperent, rationem suggessit *Philosophus, (c. l.)* quod vi ridendi careant. Ineptè forsan, si data ratio attendatur.

§. 28.

Hæc de morientibus. Mortuos solvi in risum omnem superat fidem. Quod *de S. Carpo Martyre* suspenso referunt Alii, & ex illis *H. Kornmann. (p. 5. m. m. c. 15.)* datum non infringit assertum. Potuit namque *Carpus* suspensus

ſus laqueo non ita arctè collo injecto in calamitatum prolongationem riſu exagitare Tyranni furorem, aut moribundus præſata convulſionis ſpecie, quod in ſuſpenſis haut difficulter contingere poteſt, obire. Neque impoſſibile, morituri faciem, ſi ante mortem riſu Sardonio tentetur, diſpoſitionem ridentis poſt fata ſervare poſſe, ut illa, *ap. Thom. Cantipratenſ. (l. 2. Mirac. & Exempl. ſui temp. c.50. n.8. p.462.) & H. Kornmann. (p. 4. c.10.)*, mulier. Quæ ante mortem quaſi ridibunda proferebat: Agnata mea, hanc oris ſpeciem biduum adhuc poſt mortem, conſervabat. Moriens, ſoluto in riſum ore, *Agnerus*, *juxta Saxon. Grammat. (l.2. hiſt. Danic.p. 31.) Conf. Stephan. Joh. Stephanii (not. in h. l. p. 73.)* De *S. Wiborada*, Virgine, *Heidanus Cœnobita S. Galli (l. 1. de vit. Ejus apud Goldaſt. T. 1. Rer. Aleman. p. 2. p.345.)* quod viderint, poſt mortem faciem Ejus quodam Angelico rubore perfuſam, quaſi in riſum hilareſcere. Sed

Si quaſi non eſſet, narratio verior eſſet.

Cum *Mithridates* lucum Fuarinarum ſuccenderet, riſus exauditus ingens ſine autore. Cum Aruſpicum juſſu Virginem immolarent è jugulo puellæ riſus exortus, turbavit Sacrificium. *Hæc Conrad. Lycoſtenes (Chronic. Prodig. & Oſtent. p.208.)* Hic verò Sathanæ fraudem & impoſturam quis non animadvertit?

§. 29.

Moribundi ſpumant. Animalia omnia, *inquit Guilh. Harveus, (Exerc. Anat.3. de Circul. Sangu. p.237.)* aqua ſubmerſa & ſuffocata ultimò, cum profunduntur & ſubſidunt, bullulas ex ore & pulmonibus emittere ſolent, cum ſpiritum reddunt. Crabrones, Veſpæ & hujuſmodi inſecta in oleo demerſa & ſuffocata, ultimò aëris bullulas è Cauda, dum moriuntur, emittunt, unde ita reſpirare vivos, non eſt improbabile. Mortuos Spumam ex ore emittere aliquando, vulgo placet. Id verò ut rejiciam, modus, quomodo Spuma in viventibus generatur, ſuadet. Spumant partim Apoplectici, partim Epileptici, nec Carotici, aut Hyſtericæ excludendæ, *ſecundum Th. Williſium (de Morb. Convulſiv. c.3. p.35.)*

§. 30.

Spumam Epilepticorum à pulmone derivavit olim *Hippocrat. (l. de morb. Sacro.)* Addo vaſa ſalivalia, Laryngis, palati, Linguæ & his proximarum glanduloſarum partium. Puellam agonizantem tantam Spumæ ubertatem per os & nares ejaculari vidi, ut vix in corpore demortuo humoris pituitoſi aut lymphatici guttulas relictas judicarent aſtantes. Non tamen, *rectè ju-*

dicante Guilh. Rondeletio (*l. 1. Method. Cur. Morb. c. 36. p. 173.*) in omnibus semper apparet. Nam qui ob nidorem vel fumos acres Epilepsiam patiuntur, in his confestim solvitur etiam sine Spuma, quæ fit cum diutius durat accessio, & cum ob frequentem inspirationem & exspirationem aqua tenuis agitatur, aut Spiritu aut substantia quadam vaporosa circumplectitur, ex qua Spuma generari solet. *Plura* (*§. sequ.*)

§. 31.

De Spuma Apoplecticorum, curve, *juxta Dictitatoris* (*s. 2. aph. 43.*) *pronunciatum*, lethalitatem inferat, Veterum explicant mentem (*l. 10. obs. Med. 74. p. 408.*) *Petrus Forestus*, (*in s. 2. aph. Hippocr. 43. p. 146.*) *Leonh. Fuchsius & Just. Cortnum.* (*de Morb. Atton. c. 57. p. 232.*) E Recentioribus de hac ita *elegantissimus Nicol. Tulpius:* (*l. 1. obs. Med. c. 6. p. 11.*) Spuma est Spiritus (Aëris) & humorum mixtio. Fitque in morbo attonito vel ex destillante capitis pituita per aërem rarefacta; vel ex spirituoso oppressi pulmonis vapore. Omnium optimè verò de hac *acutissimus Th. Willisius:* (*c. l.*) Ejusmodi spuma haud quaquam à cerebro descendit, nullus enim, per quem transeat meatus, patescit; verum à pulmonibus inflatis ac usque ad laryngem elevatis, unde velut cum effervescentia, & ebullitione saliva spumescit: Urgente enim caduci paroxysmo, cum plerique nervi in toto corpore contrahuntur, etiam qui pulmonum & Diaphragmatis motibus inserviunt, spasmos immanes passi, præcordia omnia sursum elevant, eaque in systole diuturna ferè immobilia continent, ita nimirum ut pulsus & respiratio vix ac ne vix perficiantur. Intereà, ut quia sanguis intra cordis sinum coërcitus, distendit admodum ac ferè opprimit, pulmones utcunque impediti, ne more solito & naturali moveantur, quod possunt tamen festinata & spissa agitatione, quoquo sanguinem è corde exantlare satagunt; à quo ipsorum nisu aër humiditatem viscosam crebra respiratione succutiens, ut agitatum ovi albumen in spumam attollit, mox sursum in oris cavitatem elevat, & illinc ulterius foràs propellit: quare saliva spumosa etiam in aliis affectibus, ubi nervi pneumonici aut contrahuntur, aut a functione sua obeunda inhibentur, non raro succedit. *Hactenus Willisius.* Et hoc facilè ad Apoplecticos etiam accomodari poterit, cur & hi turgeant sanguine & ab hoc sursum eleventur, *de quo Francisc. Bayle* (*Tr. de Apoplex. c. p.*) nervique pneumonici multa patiantur, ut aphoniæ causa, non tàm in lingua quâm in his, aliquando quærenda sit. Benè tamen monet *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Prax. Histor. Med. c. 7. p. 192.*) cum spuma pauca & alba Apoplecticos evadere posse, cum multa flava aut cruenta nequaquam. Qua distinctione Hippocratici dictaminis auctoritas

ctoritas ſalvatur, aphoriſmorumque certitudo. Spumæ tamen cruentæ periculum etiam mitigat illa *ap. Zacutum* (*l. 1. Prax. admir. obſ. 20. p. 5.*) hiſtoria, ubi in mentem venit illud *Galeni*, (*Comment. in l. 2. aph. 43. l. 4. aph. 44. & l. 6. aph. 58.*) aphoriſticas ſententias eſſe omnia ex parte veras, licet aliquando aliter, raro tamen eveniant. Veritates namque Hippocraticæ caſus raros non excludunt, qui ſi eveniant, non tollunt aphoriſticam doctrinam, nec problematum medicorum firmitudinem labefactant, *ut iterum Zacutus*. (*l. 1. Hiſt. Med. Princ. 34. Dub. 20. p. 66.*) Nec ex his quæ ſemel aut bis homo videt, pronunciata Medica, *Galeni monito*, (*l. 2. de Format. Fœt. c. 2.*) ſunt conficienda. Interim nec *Dominic. Panaroli* mentem (*Pentecoſt. 1. obſ. 19. p. 12.*) abhorreo, quando inculcat. *Hippocr.* ſententias neque nimis pertimeſcendas, neque temere ſumendas, ſed contemplari debere, an rationi reſpondeant: Multoties enim propter noſtram imperitiam non intelliguntur, cum *Hippocrates* ex numero eorum ſit, qui loquendo, tanquam oraculum, aut Rex cum Majeſtate, intelligi velit.

§. 32.

Trutinatis his, quæ in medium circa ſpumæ generationem attuli, æquiori, ut fas eſt, lance, cadaver ſpumare poſſe, neutiquam erit, cum ceſſante motu totius, inde etiam Pulmonum & Diaphragmatis, quod vel reſpirationis defectus abunde evincit, humorum etiam frigus mortale ſubſequens coagulatio & congelatio, ſpumæ ſufflaminet generationem & expulſionem.

§. 33.

Putat equidem *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obſ. Med. 22. p. 15.*) pulmones ex ultimo reſpirandi per agonem conatu dilatari ab aëre inſpirato poſſe, & poſt mortem per aliquod temporis tales permanere, & inde ſpumam generari. Sed pulmonum dilatationem ad ſpumæ proventum & emiſſionem minime ſufficere ex præcedentibus liquet. Si ad fermentationem aliquam humorum in ventriculo, quam deberi particulis igneis vel Alcali & Acido in ventriculo pugnantibus *Joh. Jacob. Wepfer.* (*Cicut. Aquat. Hiſtor. & Nox. c. 3. p. 24.*) ſuſpicatur, confugias, aut ipſius ſalivæ ſpuma, qualis hic concipitur, non erit, ſed humor ſaltem ſalivali ſimilis, bullulis, quibusdam conſpicuus. Et quo pulſore ad fauces & labia deferetur, ut viſum incurrat?

§. 34.

Eſt ſaliva, ſtrangulatorum ſpuma, ſed rarefacta, & in illo corporis rigore vehementius excluſa. Serum, cujus progenies ſaliva, motum ſuum diutiſſime (poſt mortem) in corpore ſervat, & ubi cæteri humores quieſcunt, illud tamen,

 quam-

quamdiu etiam pusillus calor in glandulis reliquus, se post vinculum copiosè sequestrat. Nemo non paulò exercitatior, lympham, coagulato jam sanguine, in sua vasa transire deprehendit; nimirum quamdiu tubuli glandularum adhuc hiant, & volatili liquido constat motus, quod diutius in hoc fieri solet, quam in alio humore, quoniam particulis coaluit spirituosis planè, & quantum fieri potest, simplicibus: Itaque salivam tamdiu moveri probabile, quamdiu lympha movetur, & sic etiam nonnihil ejus post mortem prodit. Accedit, quod ligatis venis & sanguine jam quiescente, serum tamen magna mole se ad interstitia habitus effundat, & ad novos ductus non sine labore affectet viam. Quare salivam, etiam in illo sanguinis intra Carotidas coagulo, secerni non improbabile, & secretam non tàm suopte impetu, tametsi hoc accedat, quam musculorum faciei, bucconis, panniculi carnosi & subtus didigastrici, quandoque post mortem se convellentium robore elidi, labiorum quoque fibris contractione sua non nisi angustum effluendi spatium concedentibus, ut sic magis in spumam resolvatur facilis aliàs humor. Hæc sententiæ datæ obstant *ab ingenioso & doctissimo Joh. Nicol. Pechlino* (*Meditat. de Aër. & Aliment. def. c. 7. p. 88. 89.*) prolata. Verum enim verò, licet concedatur post mortem lymphæ ad paucum tempus aliqualis motus, debilis is erit & leviter undulans, vix perceptibilis, adeoque spumæ generationi ineptus, cum violentum requirat motum. Detur etiam musculorum faciei, bucconis & fibrorum in labiis post obitum motus, quem tamen *præter Helmontium* (*Tr. de Flatibus n. 16. p. 337.*) vix unus aut alter admittet, nec ille spumam generabit, cum à Spasmo Cynico infestatis, viventibus licet adhuc, hanc observare nunquam potuerim, eò quod illa non tàm musculorum, quam pulmonum intensè motorum mihi videntur partus. Prudenter igitur, quod ex esu Strychnimanici defunctus puer per os reddebat aquam fulvam & spumosam, vocat *Joh. Matth. Faber*, (*Histor. Strychnoman. obs. 2. p. 11.*) quamvis etiam spumæ mentionem paulò post (*obs. 6. p. 15.*) fecerit. Et talis fuit ista spuma viridis, quæ post obitum ab esu radicis cicutæ aquaticæ largissimè per os emanavit. *Vid. Joh. Jacob Wepferus* (*c. l. p. 6. & c. 3. p. 24.*) Scilicet è palato & faucium isthmo inflictis vesiculis iisque fermentatione ruptis provenisse non levis suspicio est.

§. 35.

Quid si Exemplis asserti hujus everteretur veritas? Hos verò non revera diem suum obiisse regero. Notabile Exemplum proponit *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Prax. Admir. obs. 19. p. 5.*) de Piscatore, qui cum quatuor & viginti horarum spatio Apoplecticus, toto corpore frigidus lineo panno ad sepulturam in volu-

tus & consutus in terra jacuisset, dum à Vespillonibus ad sepulturam deferreretur, raucum & ignotum clamorem edidit. Audientes hunc vespillones feretrum ab humeris in terram deponunt, & pannum circa os madidum & spuma plenum conjiciunt. Cui negotio advocatus *Zacutus* cum aliis duobus Medicis, in Metacarpio arteriarum motiones exploravit, easque urgere deprehendit, sicque auxiliis paulatim ad se redire cœpit, & post paucos dies valuit pancratice. In quadam convulsionibus Epilepticis tentata die Jovis demortua, die Veneris circa nonam spuma circa os apparuit. Quæsiti super hac re *Doctores Parisienses* pronunciarunt eam jacuisse hystericam & ubi spuma erupit, fatis cessisse, *quod Joh. Riolan. (l. 6. Anthropogr. c. 8. p. 398.) & Th. Bartholin. (Vol. 2. Art. Hafniens. p. 1. obs. 43. p. 94.)* retulit. Idem de prægnante salivam post obitum emittente, *judicavit Joh. Vesling. (obs. & Epist. à Th. Bartholin. edit. p. 52.)* Ita aqua suffocati, antequam moriantur, spumant, spumamque illam in faucibus & labiis eorum deprehendit *Nicol. Pfizzer. (l. 2. Rat. Vuln. Judic. c. 29. p. 187.)* De Aliis inter angores & varias jactationes animam efflantibus idem esto judicium. Quo referenda etiam de puello ob Strychnum comestum extincto *Joh. Matth. Fabri (Strychnoman. p. 11.)* observatio. Ita *Sueton. (in Vit. Calig. c. 2.)* Diutino morbo Antiochiæ obiit, non sine veneni suspicione, nam præter livores, qui toto corpore erant, & spumas, quæ per os fluebant, cremati quoque Cor inter ossa incorruptum repertum est.

§. 36.

Moribundis ingens pituitæ copia è capite in fauces exundat. Dum namque lymphatici & serosi humores, *judicio Francisc. Baylei, (Probl. Phys. Med. 83. p. 129.)* per infundibulum in fauces decumbunt. Aut potius cum Cerebrum pituitosis & serosis humoribus obruitur, quæ in faucibus & palato sunt, glandulæ simile quid patiuntur. Cum igitur in proximè morituris collapsæ sint vires, & prostratæ facultates, quibus corpus regitur, necesse est, ductus illos per quos pituita transcolatur relaxari, & affluentem humorem accipere & deponere, quæ via patet & prona est ad eorum affluxum. Inde mortui non rarò salivare videntur, veluti cuidam Apoplectico mox à morte copiosa pituita lenta ac viscida ex ore profluebat. *(Vid. Rembert. Dodonæus obs. Med. c. 9. p. 23.)* Eodem forsan modo ad accessum matris (quamvis id intermissæ curæ ascribere videatur *Laurent. Straussius Epist. ad Digb. Theatr. Sympath. & Antipath. p. 141.)* materiam per os exhibuit filia demortua. Quod si ad nares transmittitur illa seri colluvies, per earum portas evacuatur. Ita *Joh. Bauhinus (ap. Joh. Schenck. l. 1. obs. Med. p. 88.)* in Apoplexia defuncto faciem tumidam & lividam admodum

dum deprehendit, & per os, nares & prominentes oculos ſpumam fervida inſtar ebullientis fontis aut aquæ effervescentis viventis inſtar egeri. Conjugi *Marci Marci â Kronland* poſt obitum per os & nares effluxit ſanies cruenta puri permixta. In Viro Reverendo, mihi Amiciſſimo, ſimilis materia ante & poſt mortem per nares viam invenerat. Materiam putidam egerebat alius *(ap. Joh. Petr. Lotich. l. 6. obſ. Med. c. 6. obſ. 2. p. 548.)* Copioſiſſimum pus in ſtudioſo, occipite vulnerato, materia per vulnus expurganda ad os Ethmoideum delata. Phrenetico mortuo maxima ſanguinis putrefacti copia ex naribus, ore atque auribus erupit ℔ij. & amplius, *ut tradidit Rubeus* (*Exerc. Med. Nocturn. 33. p. 390.)* Cuidam à vulnere capitis Menynges Cerebri penetrante mortuo, dum Cranium aperiebatur, inter ſecundum *teſte Phil. Salmutho (c. l. obſ. 12. p. 9.)* copioſiſſimum pus è naribus effluxit, materia per vulnus expurganda, ad os Ethmoideum delata, unde etiam de gravedine ſupra nares conqueſtus fuerat. In eo cui palpitatio Cordis cum Dyspnœa finem vitæ fecerat, ſanguis tribus à morte horis ex ore, quaſi bulliendo effluxit, quod *Rembert. Dodon.* (*Medicinal. obſ. Exempl. c. 54. p. 117.*) *habet.* Cerebrum quoque poſt mortem rabioſo cani per naris effluxit *(Carol. Reyger. M. C. Dec. 1. A. 3. obſ. p. 577.)* Poſt multos à morte dies interdum è naribus mucor, ut & ex ore & naribus ſanguinem rejici, *Anton. Santorell. (Poſt Prax. Med. c. 19. p. 54.) deprehendit.*

§. 37.

Ructum ex ore Virginis grandavæ Nobilis *à Th. Bartholino (Cent. 6. Hiſt. 4. p. 203.)* obſervatum addere fas eſt. Emerſit ille ſine dubio, ut *idem* vult, ex vaporibus in ventriculo ex affectu hypochondriaco concluſis. Poteſt & ab aſſumtis medicamentis contingere. Ita in cane, cui 20. grana vitri Antimonii dederat, diſſecto & mortuo perſpexit carneas Oeſophagi fibras adhuc convelli (*Cent. obſ. Med. 92. p. 190.*) *Antonius de Heide.*


§. 38.

Dum materiam circa os cadaveris fluctuare cernit anilis ſimplicitas, vomitu eandem cadaver exoneraſſe ſtatuit. Aniliter ſanè, ſi in viventibus, quomodo vomitus contingat, trutines. Dabit id *αὐτοψία Olai Rudbeckii*, (*obſ. Anat. in Meſi. Anat. Sam. Hemſterhugſ. p. 332.*) qui in cane vivo aperto inſperato vomitum hoc modo fieri deprehendit. Primò Pylorus ſe contrahebat, mox ſyſtole totius ventriculi ab orificio inferiori ad ſuperius ſequabatur, ac tandem Oeſophagi materiam effundentis. *Conf. Joh. Jacob. Wepfer.* (*Hiſt. Cicut. Aquat. c. 8. p. 87.*) *Luc. Tozz.* (*p. 2. Med. Pract. p. 19.*) Unde verò iſte, in mortuo motus? Humor igitur ille aut à Cerebro, ut etiam modo dictum, deſcendit

dit ad fauces, aut ad nares, per easdem evacuatur, ſine vomitu; aut ob nimium motum cadaveris, è ventriculo ad fauces compresſionis ſubſidio aſcendit & inde per palati foramina ad nares translatus evacuatur. Demonſtravi id olim cum *Experientisſ. Dn. D. Godofredo Buxbaum* in pago milliari Ileburgo diſtante, Grunau, in cadavere pueri ſeptem annorum à nobis aperto. Huic ante obitum Balneator Dübenſis magnam decocti ſiliquæ quantitatem propinarat, cujus copiam ad levem ſaltem capitis aut abdominis motum nares ſuggerebant.

§. 39.

Sed hos eo conatu, quo vomitus celebrari ſolet aſſumta excreviſſe dubium eſt, cum conatum iſtum nemo adverterit. Sunt qui verum vomitum contigiſſe referunt. Homicidam ad ſupplicium ductum ob Cardialgiam in vomitum propenſum, in ipſo amputati capitis momento vomuiſſe, ut erectus adhuc ex collo truncato non ſolum ſanguinem copioſum, ſed & quicquid in Stomacho continebatur in altum magno impetu egeſſerit, ipſe vidit *Felix Platerus* (*l. 3. obſ. Med. p. m. 754.*) Hic verò potius in via ad mortem conſtitutus, non verè mortuus erat. De mortuis ſanguinem vomentibus hæc habet (*Poſt. Prax. Med. c. 19. p. 55.*) *Anton. Santorrellus: Julia Gentilis*, mulier nobilis, eaque valdè religioſa, cum Tertiana correpta vix potuiſſet induci, ut ſemel Ei ſanguis detraheretur, nocte intempeſta purpuream, *ut cum Poëta dicam*, vomit animam, quodque mirari par eſt, cum poſt horas 24. efferenda ad ſepulchrum è lecto removeretur ſanguinis copiam per os rejectavit. Idem Anno 1622. in illuſtriſſima Domina D. *Maria Mendozza*, Apoplexia ex ſanguine correpta, & extincta obſervavimus. Hic verò diſtinguas licet, inter id quod per os ſpontè, & quod conatu quodam vomitu rejicitur.



Lib. I. Tit. VI.

Dentium Singularia.

Summarium.

1. D*Entium à reliquis ossibus differentia. 2. Sensus. 3. Incrementum. 3. Sera eruptio. 5. Periosteum. 6. Medulla. 7. Durities. 8. Ab aëre non lædi. Usus. 9. Bassiani Laudi & Honorati Fabri error. 10. Dentes perennant. 11. Præ reliquis ossibus in defunctis. 12. Causæ. 13. Ignibus invicti non sunt. 14. Dentium ætas. 15. Qui perennent. 16. Christianis inde futuræ resurrectionis seminario; Ethnicis sati homines repurasse finguntur. 17. Sepultura horum ap. Ethnicos. 18. Causæ impulsivæ. 19. 20. Cur viventibus facilè corrumpantur. 21. Mercurii noxa. 22. Dens aureus. Aurum in Cranio. 23. Aliud Exemplum. 24. Aurei in brutis dentes. 25. Ridetur Kircheri ratiocinatio. 26. Dentes in homine metallici & gemmei ficti. 27. Infantes densitione difficili defuncti dentes eniti. 28. Ratio. 29. Monstrosæ magnitudinis dentes. 30. An sub terra creverint? 31. Coronis.*

§. 1.



Sunt, qui inter ossa Dentibus locum denegarunt, eo quod ab illis differant (α.) Sensu, (β.) Incremento, (γ.) παλιγγενεσίᾳ (δ.) Periosteo, (ε.) Medulla, (ϛ.) Auritie, (ζ.) ab aëre non lædantur, (η.) usu. Addit *Mich. Savanarola* (*Tr. 6. Pract. c. 7. f. 106. col. 3.*) quod dislocati relocari non possint, neque fracti restaurari, ut ossa cœtera. Evolvantur, si placet, *Gregor. Horst.* (*l. 1. Exerc. Nobil. de Nat. Hum. 4. qu. 9. p. 105.*) *Magnif. Guerner. Rolfinck.* (*l. 2. Diss. Anat. c. 30. p. 356.*) *Nobiliss. Dn. D. Godofr. Mœbius* (*Fundam. Med. Physiol. c. 9. p. 111.*) Ego quidem *cum J. C. Scaligero* (*Exerc. 291. s.*

2.p.468.) Dentes ossa, sed suæ speciei reputo, aut *cum J.B. Helmontio acutissimo per Ignem Philosopho* inter lapides animales repono, eò quod succo, in quo sigillum coaguli, semenque lapidescentiæ latet, nutriantur, (*Tr. Alimenta Tartari insontia n.24.p.200.*) eorumque materia intra os & petram neutra sit. (*Tr. de Lithias.c.1.n.13.p.662.*) *Add. Franc. Oswald. Grembs.* (*l.1, Arb. integr. & ruinos. hom. c. 7. §.3.n.13.p.36.*)

§. 2.

Quod ad (α.). Sentiunt dentes, non quatenus ossa, sed quia nervuli iis in radicibus, ubi eorum sensus, inseruntur. Sentit nervulus non dens. Ita communiter. *Andreas* verò *Laurentius* (*l.2. Hist. Anat. qu.12. p.154.*) audacter in hæc erumpit: Ego verò totum corpus dentis sentire puto, exquisitius quidem interna parte, & qua propius ad nervos membranasque accedit, minus externa, quia ab aëre alteratur. In cujus sententiæ confirmationem *Galeni autoritatem* advocat (*l.5. de Comp. Med. Sec. Loc. c.9.*) magis urget αἱμωδία s. stupor & congelatio dentium. Non excludenda caro, quæ dentem continet, *ut Macrobius* (*l.7. Saturnal. c.9. p.522.*) *loqui amat.* Distinguit *Isbr. â Diemerbroeck* (*l.9. Anat. c.10. p.798.*) dentem pro toto isto instrumento ex osse, nervulo & membrana constante sumtum, sentire; at pro sola ossea substantia sumtum, non sentire. Nervulus iste quarti paris productio judicatur, & in crescente ætate foraminula, per quæ ingreditur, adeò angusta videntur, ut visum penitus superfugiant. Hæc tamen ope microscopii, haud rarò etiam sine illo, conspici possunt, *annotat Clopton Havers*, (*Osteol. Nov. Disc. 1. p.103.*) singulæque radices unum habent: In dente verò, qui unam tantum habebat radicem, duo ipsi occurrere meatus, in quolibet latere unus; foramen verò, ubi unitum tantum est, non semper exactè in extrema radice est formatum, sed sæpius aliquantum in hac illave parte laterali. Nervulum autem ingredi docet sensus acutus, *pronunciat* (*c.l.*) *Diemerbroeck*, nam dente molari erasione perforato, si acicula vel acus usq; ad membranam, quæ interiorem cavitatem investit, per foramen immittatur valde acutus & dolorosus sensus percipitur, qui sine nervo illic esse non potest.

§. 3.

Quod (β.) ad incrementum dentium, illud necessitas injunxisse communiter dicitur. Attritu crebro minuuntur, & si non crescerent citò devenirent ad non quantum, *Inquit Joh. Arculanus* (*in l.9. Phas. de Anat. Dent. f.64.*) *Add. Aristot.* (*2. de Generat. Animal. c.6. p.1267.*) Dentem autem ad annum quadragesimum accrescere, *J.B. Helmont.* (*c.l.*) *observavit.* Ex illo incremento

offium, offa & dentes comprimis fentire, probare nititur *Th. Campanella* (*l. 2. de Senf. Rer. c. 3. p. 97.*). Si tamen duritiem dentium curiosè expendamus, ciborumque, quorum mafticationi præfunt, mollitiem, fique forfan panis biscocti, aut aliorum duriorum alimentorum repugnantia dentium attritionem futuram inculcet, faliva præftò eft, quæ dura emollit, & vifcofitate fua dentium robur confervat. Præterea à radice augerentur dentes, fublata verò corticis fubftantia rupea & lapidea, cum inæqualitatibus & crenis, quomodo reparabitur, ut figuram primam retineat aut recuperet. Sanè crenæ iftæ & incifuræ permanentes hujus attritionis certitudinem maximè labefactant. Præterea fi dentis pars fracta auferatur, reftituetur illa tandem faliva attrita & nova dentis fubftantia fenfim fuccrefcente tandem rima aut fiffura explebitur, quod hactenus obfervatum non memini. Sicubi etiam ætate aut morbo dens fragilis evadat, excavetur, & attritioni fuccumbere videatur, id non denti ut denti, fed morbofo & fenefcenti imputandum erit. Ita de Equis fenioribus Equifones & Veterinarii: *Sie haben den Kern weggefreffen*, & inde ætatis annos colligunt. Quod fi recrefceret, indicium illud falleret.

§. 4.

Serius (γ.) erumpunt, non, quod non eos unà cum reliquis offibus formet in utero virtus plaftica, aliàs dentatos à prima nativitate non inveniremus ap. Autores, quibus accidens hoc Dentatorum nomen comparavit, in quibus eft ap. Romanos *M. Curius & N. Papyrius. Vid. Plin. (l. 8. c. 16.)* Gemellas ex antiquis obfervationes compilavit *Joh. Schenckius* (*l. 1. obf. Med. p. 198.*) E Recentioribus recentiora Exempla fuppeditant *Guilhelm. Fabr. Hildan.* (*Epift. med. 68. p. 1010.*) *Joh. Petr. Lotich.* (*l. 2. c. 4. obf. med. 5. p. 217.*) *Joh. Rhodius* (*Cent. 1. obf. med. 92. p. 51.*) *Theod. Kerckring.* (*Spicil. obf. anat. 24. p. 60.*) Nec hoc mirum videbitur ei, qui *Hippocratem* (*l. de Carnibus p. m. 32.*) evolvit, profitentem jam in utero dentes fingi, quare & *Realdus Columbus* in Abortibus feptem aut octo menfium dentes fub Gingivis latentes demonftravit, (*l. 1. de Re. Anat. c. 10. p. 66.*) cui fe aggregat *Guilh. Fabr. Hildan.* (*c. l.*) & *Euftachius* (*l. de Dentibus c. 15. & 17.*). Evenit id, quia Natura in alimentum infantum mollia & forbilia decrevit, & ita Matrum papillis, næ lædantur, confulitur. *Bernh. Swalbe* (*ventric. querel. & opprobr. p. 45.*) Excidunt autem ftatuto tempore, quod maxillarum alveoli continuò crefcunt, dentes autem molles & lactei ob durioris, ideoque inepti alimenti appulfum tabe quafi conficiuntur, & cum ob teneritudinem alimentis mafticandis non fufficiant, vacillare incipiunt & cadunt. Regenerantur verò, quia fub illis mino-

minores latentes ſuperioribus ablatis emergunt. Et hæc eſt ratio cur etiam decrepitis & octogenariis demum novi creverint dentes, prout obſervationibus illud aliquando illuſtratum alibi (*M. C. D. A. obſ. p.*) dedi.

§. 5.

Perioſteo deſtitui (*δ.*), quia opus eo non habuere, circa radices autem ejus vice gingivam fungi, vulgaris opinio eſt. Hoc verò acutioris viſus Anatomici non credunt. Dentes omnes Perioſteum habent, in parte gingivis infixa, *ſcribit Clopton. Havers (c. l. p. 100. ſq.).* Quod verò illa membrana non eſt, quæ aliis oſſibus communis exiſtit, id enim quod immediatè eam dentium partem, quæ obvelata eſt, membrana quadam inveſtit, non eſt continuatio perioſtei oſſis maxillaris, ſed unitum eſt illi membranæ, vel potius ab ea propagatum, quæ gingivas contegit, & univerſo ori communis eſt, quæque non cum gingivis terminatur, ſed quamprimum ad extremas earum oras pervenit, intorquetur & intra alterum gingivæ & dentis latus reflectitur, poſteà verò in alveolum deſcendit, & immediatè illis dentium partibus inhæret, quæ in alveolis ſituantur. Nonnullorum dentium radicibus in ſpecie in maxilla ſuperiore una cum hac membrana aliquid duræ & carneæ gingivarum ſubſtantiæ communicatur per quam dentes eò firmius in loculamentis affixi & annexi ſunt. Et paulo poſt (*p. 102.*) quamvis dentes ipſi de communi perioſteo haut participent, id tamen iis propinquum valde eſt, loculamenta enim ſive alvei, in quibus dentes poſiti ſunt, eo gaudent. Perioſteum quippe, quod oſſa maxillaria contegit ad margines usque alveolorum ſ. loculamentorum excurrens in haſce cavitates inflectitur, contiguumque eſt oſſi ex una parte, ex altera verò parte ſubſtantiæ illi carneæ, quæ firmiorem dentium nexum & inhæſionem juvat, ubi verò nihil carnis hujus durioris intervenit, cum illa membrana, quæ immediatè partem dentium intra gingivas poſitum contegit, coaleſcit, & cum eadem unam quaſi tantum membranam conſtituere videtur.

§. 6.

Medullam (*ε.*) ut obtineant oſſa, ſanè ſemper neceſſarium non eſt, ita oſſa Temporum, os petroſum &c. eadem non gaudent, & ſucceſſu temporis, ubi à natura deſtinatam magnitudinem & firmitatem conſecuta, medulla vacua deprehenduntur. Leonis oſſa plurima modicam aut nullam medullam obtinere, ſi brachia & fœmora excipias *Ælianus (l. 4. hiſt. anim. c. 24. p.*) *Ariſtot. (l. 2. de Generat. Animal. c. 9. & l. 3. hiſt. Animal. c. 7.) Phile (de Animal.) Joh. Bapt. Porta (l. 1. Phytognom. c. 2. p. 4.)* aſſeruerunt, quos immeritò, cen-

 ſente

ſente *Gerb. Joh. Voſſio, (l.3. Idolol. c.52. p.1007.)* deriſit *(l.8. Deipnoſoph.)* *Athenæus*. Medulloſa vidit *Th. Bartholin. (Cent. 4. hiſt. 100. p.)*, ſed id forſan ob teneram ætatem, fuit enim Leo iſte novem menſium. *Adde Reald Columb. (l.1. de Re. Anat. c.29. p. 115.) Philipp. Ingraſſ. (de Oſſ. Proëm.) Marc. Aurel. Severin. (p. 2. Zootom. Democrit. c. 7.) Petr. Laurenberg. (Colleg. Anatom. Exerc. 12. §. 27. p. 487.)* Nullam planè Leonum & Urſorum oſſibus medullam tribuit è recentioribus *Baſſian. Landus (l. 1. Anat. c. 8. p. 52.)*. Urſorum namque & Leonum genus ex toto durum, ideoque fortiſſimum. Quare & eorum oſſa, quæ difficillimè fluunt reſolvunturque, non excavata ſunt, ſineque grandi reparatione indiguere firmitudine eorum, *ut idem ratiocinatur*. Quamvis interim medulla dentibus non inſit, illis tamen, *obſervante Nicol. Stenone (Specim. Mylog. p. 113.)*, corpus fibroſum includitur.

§. 7.

Quæ de duritie (5.) inferunt, eos eſſe oſſa potius evincit, quam negat. Ridiculam & puerilem hanc vocat concluſionem *Andr. Laurentius (c. l. qu. 14. p. 158.)*, majus enim & minus apud Philoſophos non immutat Speciem. Oſſa Ethmoidea reliquis molliora ſunt, oſſa tamen eſſe nemo inficiabitur. Duriores ſanè dentes, quod ex particulis magis conſtantibus adeoque magis elaboratis & homogeneis conſtant, ut *Henric. Gerb. Herfeld (l. 2. Philoſoph. Homin. c. 13. n. 343. p. 155.)* philoſophatur, & tales eſſe debuerunt, quia duriſſimos cibos atterunt franguntque. Conſtant autem ex duabus diſtinctis diverſæ ſubſtantiæ partibus, una naturæ Lapideæ, altera revera naturæ oſſeæ, *ut probè Clopton. Havers (c. l. p. 92.) deprehendit:* Prima pars optimo jure lapis nominabitur, cum lapidea duritie prædita ſit, imò ſilicis inſtar ſolida, ut eodem modo impreſſionibus terræ reſiſtat; præterea etiam lucido quodam & coruſcante nitore, ceu lapidum duriſſimi, gaudet, quamvis diffitendum haud ſit, eam interdum arrodi, & in aqua forti etiam poſſe diſſolvi, quod de ſilicibus compertum non eſt. Firmat hanc duritem lapidis cujusdam ſarcophagi experientia, quo totum corpus intra quadraginta dies abſumitur, exceptis dentibus, *quod Plinius (l.36. c.17.) recitat*, & ex Eo *Joh. Riolan. (Comment. in Galen. l. de Oſſib. c.11. p. 480.)* Lupi, ſi venatoribus credendum, anterioribus dentibus globulos plumbeos ſclopedo emiſſos ſine noxa excipiunt, *notat G. Moebius (c. l. p. 113.)* Dentibus ignem à ligno excuſſum tradidit *Joh. Rhod. (Cent. 1. obſ. 96. p. 53.)* Hoc etiam obſervatione dignum cenſuit *Andr. Laurentius (c. l. qu. 13. p. 157.)* omnia ferè oſſa à primo ortu eſſe cartilaginea,

exce-

exceptis dentibus, qui, ſecundum ipſius ratiocinationem, immediatè ex mucore reſiccato induratoque oſſa evadunt.

§. 8.

Oſſibus (§.) perioſteo denuatis μελασμὸς, accidit, ſi aëri exponuntur, id verò dentibus non contingit. Ab Aëre tamen eos non mutari, *cum Helmontio* (*c.l. n.26. p.201.*) oppidò nego. Auſtrales Borealibus dentes habent nitidiores: quod aëre benigniore fruuntur. Ob aëris in Ægypto bonitatem nec cariem ſentiunt, nec dolent, *ut habet Weſt-Indianiſche Reiſebeſchreibung p. 37.) Hemmerſamm.* (*n.*) Uſum quod ſpectat, Scyllam illam evitabis, diſtinguendo inter χρείαν generalem & ſpecialem. Nec oſſium aut aliarum partium indolem ex uſus conformitate metiri ſolent Anatomici & Medici. Uſu ab oſſibus nonnihil diſcrepant dentes, *tradit Guerner. Rolfinck.* (*c. l. p. 357.*) dum totius neque στάσιν firmamentum, neque εἶδος figuram, neque ὀρθότητα rectitudinem firmant, ſed præcipuè ἐργασίαν τῆς τροφῆς, cibi confectionem promovent. Quis in aurium oſſiculis quæret & inveniet, quod oſſibus vulgò tribuitur, ob quod tamen illa oſſium numero nemo expunget. Nec omnibus, ut cibos maſticent, dentes inſervire, *acutisſimus Scaliger probat* (*Exerc. 241. ſ. 2. p. 740.*) exemplo piſcium, Lucii imprimis, cui dentes mandendi nullum faciunt officium, ſed capiendi & retinendi; integros enim, *addit*, piſces in ejus ventriculo conſpeximus.

§. 9.

Quid verò in mentem venit *Baſſiano Lando, Philoſopho & Medico aliàs non ineleganti*, dum (*l. 1. Anat. Corp. Hum. c. 5. p. 16.*) ſcripſit: Dentes, mea quidem ſententia, nomen oſſis nulla ratione ſibi vendicant, propterea quod ii fermè nervis adhæreſcentes ſentiunt, oſſa verò nullo ſenſu prædita ſunt, ut locupletiſſimus teſtis eſt *Galenus*, qui cum errare mehercle malo, quam cum certis quibusdam Arabibus ac barbaris hominibus vera ſentire. De ſenſu dentium *ſupra* (*§. 2.*) *dictum*, cur verò dum ſputa *Galeni* legere, eique magis quam veritati ſacra facere ſibi propoſuit, *Galeno* contrarius eſt ſcribenti (*l. de Off. c. 5. p. m. 671.*): Dentes eſſe oſſa, & contrarium propugnantes vocat *Sophiſtas?* Nec veſtigia *Honorati Fabri* (*Tr. 1. de Plant. l. 3. prop. 28. p. 118.*) legenda, opinantis, dentes in vegetabilium numerum recipiendos, quod creſcant ab intrinſeco, nec ullo modo ſentiant. Hic ſanè inter corpus & corporis partem veram diſtinguendum erit.

§. 10.

Animalium oſſa facilè putreſcere, præſertim dentes, dictitavit *Joh. Joach. Becher.*

Becher. (*l.* 1. *Phys. Subterran. s.* 5. *c.* 1. *n.* 35. *p.* 319.), sed sine ratione, ubi simul habet repugnantem experientiam. In defunctis id clarum evadit. Ego hic circa dentes occupatus de iis quædam saltim in medium afferam. Corpora defunctorum, *tradidit Plinius* (*l.* 36. *Hist. Nat. c.* 17.) condita in lapide Sarcophago absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus. In Mumiis Ægyptiacis nullam, in à bis mille annis balsamo conditis maxillis, cui dens defecerat, aut cariem senserat, observare potuit *Princeps Radzivilius, ut ex Eo habet* (*c. l. n.* 20. *p.* 199.) *J.B. Helmont.* Et in Mumia Wratislaviensi conspicua erat integra dentium series: triginta atque duo numerare licuit, cæterum adeò nitidos candore & specie eximios, exiguos dein, ut idem hic, quod de *Zenobia Trebellius Piso* affirmares, margaritas eam plerique probam habere, non dentes. *Ita Elegantiss. Andr. Gryphius* (*de Mum. Wratislav. p.* 42.)

§. 11.

Dentium durationis supra terram historiam inclusam reliquit *Procopius Cæsariensis* (*l.* 1. *Bell. Gothic. c.* 13. *p.* 34. quam etiam allegat *Cæl. Ludov. Rhodigin. l.* 4. *Lect. antiqu. c.* 1. *col.* 167.) *Urbem Beneventum* (Italiæ) cum *Diomedes* quondam post Ilium captum ex Argis ejectus diripuisset*, suis in ea dentes reliquit Calydonensis, quos *Meleager* venationis præmia tunc forte acceperat, & sane hi dentes vel ad nostra hæc tempora manent, res procul dubio spectatu dignissima, quippe qui Lunarem in speciem pedum trium pentimetrum habeant. Reliquis ossibus sub Terra reconditis dudum absumtis aut friabilibus, dentes integros & tam duros, ut nonnulli minime comminui potuerint, invenit *Vitus Rietlin.* (*Lin. Med. A.* 1700. *M. sept. obs.* 21. *p.* 1065.) Merentur huc referri, quæ prodidit *Bohusl. Balbin.* (*Dec.* 1. *l.* 4. *p.* 1. *Miscell. Bohem.* §. 79. *p.* 136.) In Cœmiterio Commoraviensi ad Ecclesiam Decanalem tanta dentium humanorum multitudo reperitur, ut, velut in fabulis, mirissima Dentium seges jacta in eam humum videatur, præcipuè, si pluvia Cœlo decidit, meros dentes humi legere poteris, si vel digito humum terebrare volueris, dentium examina effodies; meipsum, *pergit*, & conscientiam meam pro testimonio Lectoribus offero, ut fides fiat; etiam in ipsis cœmiterii humilibus illis muris, quacunque hiabant, aut patebat fissura, dentes reperi, eamque rem nostris Patribus, qui aderant, ostendi. Forsitan argumentum est, tot millium cæsorum, qui, ut (tradunt Commoravienses) humati non sunt, sepulchri honore relicti aliis ossibus putrefactis, dentes, qui non nisi tardissimè in Cadaveribus corrumpi solent, remanserunt.

§. 12.

§. 12.

Causa hujus durationis est petrosa eorundem durities, nativa siccitas, & superficiei lævitas, quæ humiditatem, putredinis matrem, non admittunt. Duritiem illam tantam esse, ut ex illis scintillæ eliciantur, quod *Joach. Camerar. (ap. Joh. Hornung. Cista. Med. Epistol. 118. p. 269.) & Th. Bartholin. (l. 1. de Luc. c. 13. p. 201. & Cent. 2. hist. 24. p. 211.)* prodidit. Referunt etiam, *scribit Hieron. Cardanus (l. 7. de Var. Rer. c. 33. p. 344.)*, Apri recenter occisi dentes adeò fervere, ut capillos admotos exurant. Fides sit penes Autorem. Quin & *Archi-Philosophus (l. 3. hist. anim. c. 7. p. 882.) credidit*: Dentes ferri aciem respuere, quod vel juvenes in Insula Tentaida (nisi id de virorum & senum dentibus asseras,) experimento confutabunt. Hi namque sibi Dentes ad radices usque secandos curabant, duriores, firmiores, densioresque ut redderentur, non aliter, ut arbores decacuminatæ crassescunt, *ratiocinante J. C. Scaliger. (Exerc. 272. §. 2. p. 829.)* In Mure montano acutis forcipibus dentes secantur, una tamen nocte renatos vidit *Petr. Andr. Mathiolus (in l. 2. Dioscor. c. 63. p. 228.)*.

§. 13.

Dixerat *alibi (l. 7. c. 26.) Plinius:* Dentes tantum invicti sunt Ignibus, nec cremantur cum reliquo corpore. Iidem flammis indomiti cavantur tabe pituitæ. Ossa calore interno conficiuntur, siccescente humore, quamobrem ossa resolvi ab igne non possunt, *Aristot. (l. 2. de Generat. Anim. c. 6. p. 1263.) Philosophatur.* Utrumque effatum si verum esset, ad duritiem & terrestreitatem ossium & dentium referendum esset. Quod ad ultimum *Plinii* illa relatio contrarium suggerit. De dentium verò in rogo duratione, id saltem infert, diutius Ignis violentiæ illos resistere reliquis ossibus, cujus causa etiam esse poterit, quod in apothecis suis, in mandibulis abscondantur, & non nisi mandibulis prius absumtis ignis subeant impetum. Incremabiles autem nemo pronunciabit, qui non solum hominum, sed brutorum v. g. Apri, Lupi, Castoris &c. Dentes in furno fictili aut Chymico calcinari vidit, quin & Enchirisi philosophica aquis calidis, aut eorum fumis & evaporationibus tractu temporis friabiles & porosiores reddi. Aqua namque & vapores viscosam eorum partem eliciunt, qua orbata, friabilia pariter, ac si igne actuali combusta, evadunt. *Vid. Joh. Conrad. Barchusen. (l. 2. Pyrosoph. c. 3. p. 103.)*

§. 14.

Notandum hic censo *ex J. B. Helmontio (c. l. n. 25. p. 201.)* Dentes su-

as habere ætates, quas notanter sic distinguit: Dens qui post octennium hominis candorem vitri opaci (quod à Colore Lactis lattimo vocant Artifices) vel Lapidis Limacis refert, adolescens est. Splendidus & politus est color albus. Deinde sensim pallescit: mox dein surdè albescit, tanquam Ebur. Juventus est dentis. Tum posteà obscurè pallet, ut in Syncopizatis & defunctis virginibus spectatur. Estque ætas ejus virilis. Atque tandem pallidè flavescit ossis instar, pristinumq; amittit nitorem. Senilis tunc ætas dentis incipit. Quantum enim distat cartilago à membrana, tantundem quoque dens ab osse differt: frequens autem odontalgia, dum decrescit Gingiva, & dens ossicolor est. Postremò autem dens cariosus, cavus, niger, verminosus & olidus, est ætas caduca Dentis. *Hæc Helmont.* De Equis *Aristoteles (l. 2. hist. animal. c. 3.)* quod ipsorum dentibus contrarium eveniat cum cæteris senectute dentes nigrescant, equo candidioris reddantur. *Idem (l. 6. c. 22.)* de mutatione dentium equinorum plura. Adde si lubet *Conrad. Heresbach. (l. 3. de Re Rust. p. 457.)*

§. 15.

Non omnes igitur dentes perennant, sed juvenes solum ac viridis ætatis jam, cæteri cum aut rudimenta putredinis jam in sinu foveant, aut contagio recipiendo apti nati sint, facilius putredinis jugo subjacere coguntur. Et cum in Ægypto (*ut supra* §. *8. proditum,*) Aëris salubritas, addo etiam Nili aquæ laudatum potum, *(Vid. Tit. h. l.* §.) juventutem illis servet perpetuam, non mirum si corruptionis necessitati obtemperare respuant. An etiam in dentibus Æthiopum ab aëre candor nitorque, *(de quo Aristot. l. 1. de Repreh. Sophistar. c. 4. & l. 4. hist. Anim. c. 9.)* Alii judicent.

§. 16.

Hanc dentium durabilitatem dum consideravit pia Antiquitas, dentes pro integrandi corporis in Resurrectione seminario, *memorante Tertulliano (l. de Resurr. p. m. 73.)* habuerunt. Constat, *infit*, non tantum ossa durare, verum & dentes incorruptos perennare, quæ ut semina retinentur fructificaturi corporis in Resurrectionem. Id an ab Ethnicis hauserint, meum jam non est decernere, apud quos à dentibus Draconum per Cadmum serminatis productos esse homines, vetus fuit traditio & fabula. Ita *Ovidius (l. 3. Metamorph. v. 205.)*

Spargit humi jussos, mortalia semina, dentes
Inde fide majus glebæ cœpere moveri:
Primaque de sulcis acies camparuit hastæ

Tegmi-

Tegmina mox Capitum picto mutantia cono
Mox humeri pectusque, onemtaque brachia telis
Existunt, crescitque seges clypeata virorum.

Add. Th. Bartholin. (l. 2. de Luc, c. 13. p. 103.)

§. 17.

Quod etiam Ethnici hanc ob causum dentes terræ sollitè mandarint, non facilè assererem, quibus mortuorum Resurrectio inter jocos & fabulas fuit. Epigramma *Martialis* (*l. 8. Epigr. 57.*) quod *Gothofred. Mœbius* (*c. l. p. 115.*) allegavit scomma potius est *in Pincentem* edentulum malum Poëtam, ut patet *ex Ejusd. l.* (*Epigr. 62.*). Tenor verborum id arguit, qui ita habet:

Tres habuit dentes pariter quos exspuit omnes
Ad tumulum Pincens, dum sedet ipse, suum,
Collegitque sinu fragmenta novissima fracti
Oris, & aggesta contumulavit humo.
Ossa licet quondam defuncti non leget hæres:
Hoc sibi jam Pincens præstitit officium.

§. 18.

Pro arcana igitur & principali parte olim dens habitus, *inquit laudatus Th. Bartholin.* (*Cent. 4. hist. 65. p. 365.*) Sola hæc pars post aliquot jam menses editis nascitur, non quasi partis alicujus plus auctæ particula; sed quasi aliis inascens ac infixa, & post aliquot annos excidens renascitur. Itaque est particula, quam nullam anteà existentem bis producit natura, denuò *tradit Francisc. Vallesius* (*Comment. in Hipp. l. 2. Epid. part. 6. t. 2. col. 205.*). Horum verò sepulturam ut procurarent, eorum utilitas & necessitas stimulum addiderunt. Faciunt ad vitam longiorem, masticationi ciborum, quam non sine causa magnifacit *Helmont.* (*tr. victus ration. 21. p. 364.*), dum inserviunt. *Wohl gekäut, wohl verdäut.* Nostri verè dicunt. Quocircà μακρόβιοι πλείστους ὀδόντας ἔχουσι *juxta Dictatorem* (*l. 2. Epidem. part. 2. t. 2. Aristot.* (*l. 2. histor. Animal. c. 3.*) Addere juvabit *Francisc. Vallesium.* (*c. l.*) Ex dentibus firmis, spissis, caninis, sanitatis Cœnam constitutionem collegit (*l. Exerc. Physiognomic c. 14. p. 57.*). Quamvis hic opponat *Hieron. Cardan. J. C. Scaligero,* (*Exerc. 271. s. 1. p. 817.*) *Augustum Cæsarem* septuagenarium scabros dentes habentem, oculi tamen Ejusdem splendidi & vibrantes Naturæ bonitatem declararunt, quod reposuit *Cardano Joh. Rickerus* (*T. 1. Hermet. Rediv. s. 1. c. 1. p. 28.*). Inter rara igitur numeranda illa *P. Borelli* (*Cent. 2. obs. 41. p. 141.*) historia de muliere, quæ à nativitate sine dentibus 60. annos vixit. Res ergò pretiosæ & utiles

cum sint Dentes non tantum sepultura eos privare noluerunt veteres, sed & Incolæ in Cua Cavilca, Americæ Insula, eos, qui excidebant, Diis sacrificabant. (*Vid. Gothofr. Schulzius descr. orb. p. 228.* Et veteres *Erasistrato authore* (*ita Mœbius c. l. p. 110.*) egregiam dentium dignitatem declaraturi plumbeum odontagogon in Apollinis templo suspendebant; ne eos evellerent posteri, nisi cariosos & summè mobiles, plumbeoque instrumento cessuros. Famosa humanitatis Monstra Turcæ, *referente Menavio* (*l. 3. c. 22.*) Chirurgis suis olim interdicebant, ne sine impetrata Regis licentia dentes extraherent, dubio procul non negligendum sanitatis conservandæ damnum declinaturi. Forsan & inde Onirocritici dentis in somnio jacturam amici mortem portendere concluserunt.

§. 19.

Cur verò in viventibus tàm facilè corrumpantur, cum in mortuis contra durent, non sine causa disquiritur. Hic verò causæ possunt allegari variæ. Ætas dentium, quando aut consistentem non attigere ætatem, aut eandem superarunt, & ad ætatem vergunt caducam. His si adhibeantur acria, & sub dulcedinis velo latentia acida, qualia saccharata, & vina dulcia, quæ ob dulcedinem incauti non rarò commendant Magnatibus Practici, quasi sub hac dulcedine non hostilis sanguini acor lateret. Inde pueris saccharum continuò devorantibus dentes nigri, asperi, friabiles, & toti quoad texturam deperditi. Gingivæ flaccidæ, cruentæ, & maximam partem absumtæ. Plura *Dan. Sennert.* (*l. 2. Med. Pract. p. 1. c. 10. p. 22.*) & *Joh. Bruyrin.* (*l. 10. de Re Cibar. c. 8. p. 431.*) Facit huc nutrimenti dentium & gingivarum dapravatio, aut impedimentum. Prius gingivæ scorbuto aut aliis humoribus acidam salinis obsessæ præstant, quas vulgò Catharros vocant; posterius lapis ille dentalis (quamvis & hic & illæ etiam concurrere possint), qui nec cibi, nec potus, nec salivæ productum *juxta J. B. Helmont.* (*Tr. Alimenta Tart. insont. n. 22. 23. p. 200.*), sed excrementum gingivarum, quod ut erat ex præparato cruore pro nutritione dentis; Ita quoque suscepit aliqualem determinationem, sive potentiam dentalis duritiei, *ut Idem* (*c. l. n. 24.*) *loquitur.* Notandum prætereà *ex Eodem* (*c. l.*), dentem nedum in sui fundo sive radice nutriri, sed etiam lateraliter ex ipsis gingivis. Testes sunt ipsæ gingivæ cruentæ, vel minus sanæ, dentibus non aptè cohærentes, quod caveas sive fossulas ad dentem malè nutritum, abinde ab indispositionis suæ exordio relinquant, dentemque nigrore extranenati sui cruoris tingant.

§. 20.

§. 20.

Calidiorum usus continuus huc facit, inde tritum:

Pultes ferventes faciunt corrumpere dentes.

Vid. Felix Plater. (Tr. 3. Prax. l. 1. c. 1. p. 20.) Quid de calidissimis Theé, Koffeé potibus exspectandum, quilibet mentis compos ratiocinari poterit. E contrà frigidum dentibus hostile, & senium eorum accelerat. (*Helmont. c l. n. 26. p. 201.*) Quod nec *Hippocrati* ignotum, qui τὸ ψυχρὸν πολέμιον ὀδοῦσι (*s. 5. aph. 18.*) pronunciavit. *Conf. Marc. Mappum (Dissert. de Pot. Calid. 2. qu. 4. p. 37.)* De acidis ne dubitemus, stupor quem dentibus relinquunt indicio est. Obiter hic addo è *Jacob. Bontio (l. 1. de Med. Ind. c. 5. f. 25.)* de fructibus Billingbirg, quibus nihil acidius naturam protulisse putat. Si cui dentes ex cibis acidis afficiantur, stupidi his comestis, omnis aciditas evanescit, ferme ea ratione, *addit*, qua major dolorem minorem obscurat. Lac putredinem dentibus inferre, eos exesse & corrumpere, caseos etiam, aliorum testimonio probat *Salomon Alberti (ap. Joh. Philipp. Brendel. Consil. Med. 36. p. 128.)*. Evolvantur etiam *Solernitani (c. 2. add. not. Arnold. Villanovan. f. 9.)* sunt ex prædictis, quæ saltem per accidens dentes inficiunt, gingivas dum corrumpunt. Excludit illa corruptio verminosam propullulaginem, quæ strenuam hic locat operam, ut petrosæ dentium structuræ mors, non aliter ut saxis marmoribusque (*Vid. Ephemer. Erud. T. 2. p. 371.*) veniat. Hoc addendum in Scorbuto aliquando humorem acrem & putrilaginosum prius maxillas, & demum dentes corrumpere, quod olim in Textore quodam Chemnicensi adverti, cui Chirurgus unà cum dente magnam partem inferioris maxillæ corruptam extraxit.

§. 21.

Mercurium qui crebrius sumunt, aut tractant, dentium incurrunt nigredinem, cariem & fœditatem. Aurifabris inde dentium varius color & gingivarum corruptio familiaris, cum aliis nervorum Symptomatibus. Exemplum, si libet, dabit *Joh. Schenckius (l. 7. obs. Med. p. 891.)* De argenti vivi excoctoribus idem *Georg. Agricola (l. 9. de Re Metall. p. m. 344.)* Quod in iis, qui in Mercurii fodina ad Forum Julium laborant quidem non observatum. (*Vid. T. 2. p. 1. Eph Erudit. 14. p. 161.*) Ad formæ Artifices, quæ confugere consueverunt fœminæ, faciemque Mercurialibus purpurissare solent, deformitatem vultus ut pallient, idem experiuntur, quod *Rod. à Fonseca (T. 5. Consult. 46.)* & Alii observarunt. Quod quomodo Mercurius patret *Helmont. (Tr. Catharri deliramenta n. 60. p. 360.)* explicatum dedit. Fontes quibus Mercurius vivus junctus idem concitant. *Conf. Georg. Agricol. (l. 2. de Nat. eor. quæ effluunt è Terra p. 542.)* Et talis

lis fons ille pestifer, *de quo Plin. (l. 25. c. 3.)* qui exercitui Germanici Cæsaris tot incommoda intulit, adeò ut illum vero Scorbuto laborasse mihi non videatur verisimile, prout *in quibusdam de Scorbuto observationibus olim Viro Experientiss. Dn. D. Valent. Andr. Mollenbroccio Physico Hallensi Clarissimo, Collegæ honorando transmissis* notavi. Oleo seu Spiritu Vitrioli dentium pravum colorem corrigere qui tentant, dentibus, quamvis id non attendat *P. Forestus (l. 14. obs. Med. 13. p. 114.)* idem malum sibi accersant. *Vid.* præterea *Clopton Havers (Osteol. nov. Disc. 1. p.*)

§. 22.

Puerum in pago Weigelsdorff in Silesia *Christophorum Müllerum* anno demum ætatis septimo aureo superbiisse dente anno 1593. *Jacobus Horstius commentario (de aureo dente maxillari pueri Silesii 1595. Lips.) divulgavit*, eumq; partim miraculosum & prodigiosum cum *Th. Sagittario, (Decur. 5. Quæst. illustr. qu. 5.)* partim naturalem (quod miraberis, si Ejus de Efficiente, materia, modo generationis & nutritionis *discursum p. 55. & sq.* evolvas) pronunciavit. *Evolv. Tr. 5. hujus p. 555. & 79.).* Pro verò etiam propalavit *Jac. Aug. Thuan. (Hist. l. 104. f. 1114.) Diomed. Cornar. (Hist. Admir. 20. p. 52.)* & *Laurent. Scholz. (ap. Joh. Schenck. l. 1. obs. Med. p. 199.)* De historiæ veritate ista *ad Hieron. Mercurialem Val. Acidatius (Epist. 84. p. 273.)* Neque de rei veritate quicquam Tibi dubitandum putes. Nihil ibi fraudis, affirmare Tibi sanctè possum, quanquam non ipse quidem vidi, sed visum ab illis scio, quorum oculis ut meis ipsius credo, viris amicis, minimè vanis, probis, doctis, etiam Medicis quibusdam. Naturalis est dens & aurum æquè ipsum naturale, quod lapide quoque Lydio vel obrussa plures explorarunt, & non nisi purum putum deprehenderunt. Fucum tamen subfuisse detexit *D. Christophorus Rhumbaumius* & laminam Orichalceam denti inductam Wratislaviæ demonstravit. *Evolv. Dan. Sennert. (l. 2. Med. Pract. p. 1. c. 13. p. 50.)* cui junge *Duncan. Liddelium, Martin. Rulandum & Joh. Ingolsteterum (pecul. de Aureo dente libris.) Oswald. Croll. (præfat. admonitor. Basil. Chym. p. m. 54.) Caspar. à Rejes (Camp. Elys. qu. 36, n. 45. p. 441.)* Qui si naturaliter contigisset, multum illam de Auro in Cranio hominis invento narrationem, quam *ex Alberto Magno (l. 4. de Reb. Metall. c. 6. p. m. 365.)* suis inseruerunt *Andr. de Blawen (ap. Petr. Andr. Mathiol. l. 4. Epistol. p. 309.) Petr. Borellus (Cent. 1. obs. Med. 10. p. 17.) Joh. Walchius (Comment. über den kleinen Bauer p. 123.) Joh. Rudolph. Glauber. (l. de Lap. Animal. Coroll. p. 42.)* qui dentibus adhæsisse oblonga Auri grana, *ex Eodem scribit*, quam tamen dubitativè recitat *Mich. Majerus (de Circul. Quadrat. c. 9. p. 60.)* cum creditu difficillium intra

cor-

corpus humanum aurum purissimum effingi *secundum Casp. Caldenm de Hæred. (Tribun. Mag. Med. Stat. 12. Artic. 6. p. 77.)* illustrassent.

§. 23.

Propalavit etiam præterlapso seculo historicam narrationem de puero cum dente aureo *Adalbert. Tylkowski S. J. Anno 1673.* Natus nempe Vilnæ urbe magnæ Lithuaniæ prima ac Metropoli Anno 1670. mense Januario puer ex parentibus conditione tenuibus, exercitio pistoribus. Nomen illi Pauli in S. Baptismate obtigit. Puer facie candida, capillo planè aurei coloris, manu ac cervice plus quam pro ætate hirsutus pilo rubente, temperamento morosulus ac cholericus. Huic in gingiva inferiore sinistræ mandibulæ dens aureus molaris minimè vacillans proximus canino erupit. Viderat illum d. 20. Sept. 1673. ipsus nominatus Jesuita. Color illi Auri communis, quale fert Gallia & Italia, & veritas colori respondet, uti Artifices Lima ex Lydio explorarunt, figura majuscula & sursum versus se dilatans, atque in rotundum explicans, quod ferè evenit dentibus cum soli sunt, & non à vicinis arctantur, desuper plenus colliculis ac valliculis, uti dentes nondum usu complanati ac detriti. Fabulantur arma præsentis tunc temporis *Regis Poloniæ Michaëlis* illi à natura insculpta, nihil enim tale inveniebat, qui ab hac imaginatione liber spectabat. Incertum quando idos aureum eruperit, nam cum inter fauces lateat nonnisi casu deprehensum: Cum scilicet infanti ante duos circiter menses in cibum partes carnium exhibuisset, quarum dum aliquæ intra dentes hæsissent prolesque matris opem implorasset, ut illam molestiam eximeret. Sed ut rudis fœmina non æstimavit eventum, pro sexus tamen garrulitate variis aperuit. Cuprum aut quid simile suspicata, ne quidem auri suspicio pauperculæ subrepsit. Tandem res magis observari, cœpitque esse admirationi, & puer ad primarias urbis personas, atque *Virum Sapientissimum ingentisque experientiæ illustrissimum Dominum Nicolaum Pac, Ejusdem Urbis Episcopum* deportari, tum omnes naturæ ostentum suspicere, & pro suo quisque genio explicari atque ominari. Jussu ejusdem Præsulis Medicorum, Chirurgorum, Aurificum examen institutum, ut fraudi errorive locus non superesset. *Hæc ille (Disquisit. Phys. Ostenti duorum puerorum, quorum unus cum dente aureo, alter cum capite Giganteo Vilnæ spectabatur c. 9.)* Hunc denrem omninò esse naturæ effectum judicat *(c. 11.)* atque nihil in eo miraculi intercedere; monstrosum tamen facilè concludit, cum non minus sit extra speciei ordinem dentem aureum, quam tres digitos habere. In additamento tandem ista prodidit. Primò per rumorem affertur ad me, deinde certò comperi, illum dentem aureum pueri in osseum transiisse. Evenit verò

rò id diebus ultimis mensis Septembris ejusdem Anni 1673. intra dies perpaucos, quibus & febricula puer corripiebatur, & vehementem intra se commotionem corporis tensione continua ostentabat. Dentis intereâ primò aliquæ partes albescere, aliquæ fulvæ persistere, præcipuè circa centrum superioris cœlo obversæ superficiei tandem omninò colorem auri deponere, candoremque convenientem assumere. *Et paulo post:* Si tinctus solum fuit dens, bilis nebula transeunte, quæ illum colorem dabat, osseus comparere debuit. Si solidè fuit aureus, haud facilè mutationis causam proferemus. Multis suspicionem injecit præstigiarum hæc mutatio. Aderat enim persona puero, quam Artium Caco-Magicarum parum rudem quidam sibi persuadent, & ista præsente mutatio dentis incepit. Si itaque opera intelligentiæ nostris sensibus illudentis, hæc contigit mutatio, in speciem certè facta, nisi aut prius delusi sumus auri in dente apparentis fulgore, & modo impostura finiit, aut arte aliqua, mihi certè ignota, aurum possit in os commutari. Verisimilius autem videtur non solido metallo dentem constitisse, sed quapiam prætenui solummodo vestitum lamella, quod dum astruimus, & Medicorum, Aurificumque honori, quos falli turpe fuisset, consulimus, & à probabilitate non discedimus.

§. 24.

Dignissimus fide ac Theologia Philosophiaque clarus quidam hoc ipso Anno, mense Augusto, dum ex Prussia Vilnam iter faceret, ac inter cibos mensæ apposita habebat agnellorum capita igni assa, in dentibus eorum, ejus metalli, de quo est sermo invenit lamellas. Simile quid itaque denti hujus pueri accidisse dixerim, quod aliqua parte ita uber fuit, ut etiam ad limam suffecerit. *Hæc iterum Tylkowsky.* Valde verisimile est *Andreæ Cassio* (*Cogitat. de Auro c. 3. p. 29.*) Tartarum illum aureum, qui animalium dentibus adhærescere solet sulphuris aëri aurei coagulum esse.

§. 25.

Allegata de Agnellis dentibus relatio in memoriam mihi revocat illud *Joh. Francisci Mirandulani* (*l. 2. de Auro c. 7. T. 2. Theatr. Chem. 392.*) *dum scribit:* Nihil prohibet, id, quod terræ cavernis occulitur, etiam in superficie, reperiri quandoque posse, tum quod herbis ipsis atque radicibus inesse posse, ut sic loquar, aurificam, negari protervè non potest, tum quod similia sunt visa etiam in quadrupedibus animantibus: Referunt enim fide digni viri se Cretæis in montibus ibices vidisse, quorum dentes aurigineo colore suffusi essent, præcipuè qua parte prodeunt è gingivis atque herbas tangunt, quarum est in Ida Cretæ decantata celebritas. Hoc dum recitasset *Athanas. Kircherus*

rus (l. 10. M. S. ſ. 4. c. 3. §. 1. p. 219.) id Spirituum auriferorum Tincturæ, qua herbæ imbuuntur tribuit. Sed hic dormitat *optimus Pater*, quod ipſi in Mundi ſubterranei tenebris verſanti plurimum obtingit. Quis credet cœcutienti Patri, profitenti id, quod aureo colore dotatum eſt, aurum eſſe?

O præclare Pater nimium ne crede colori.

Spiritus auriferos hanc dentibus imprimere Tincturam, quis perſuaſit *Kirchero?* Si eodem herbæ imbuuntur, cur non aureæ apparent, ut aliquando in Hungaria vites, de quo *Philipp. Jac. Sachſius Noſter (M. C. D. 1. A. 1. obſ. 131. p. 290.)* volvendus. Aurum ſolutum oſſibus, ligno, etiam pergameno illitum non aureo, ſed purpureo colore eadem tingit, quod olim *apud Beatum meum Parentem* videre licuit. Et forſan aureo dentium colore jam fulgent animalia bruta, dum uberibus paſcuntur maternis, aut fœno nutriuntur, antequam temporis ratione gramen eadem depaſcere liceat, & quod his in dentibus aureum reputatur, in homine inter naaſeabunda, fœtida & putrida non ſine ratione numeratur.

§. 26.

Fridericum II. Electorem Brandeburgicum ferratum, & cum ferreis dentibus, ob res præclarè & fortiter geſtas, *teſte Joh. Cennitio, (in vit. Ejus p. 26.)* vocarunt. De ferreo viri Patavini dente *Th. Bartholin. (Cent. 2. obſ. 24. p. 211.)* quem dum preſſius inſpexit *Joh. Dominic. Sata*, vidit in maxilla ſuperiore cicatricem, unde ſtylo ferreo vulneratum olim ægrum pronunciavit; & cuſpidem in dentis alveolum incidiſſe, ibique ab eo tempore dentis ſpecie permanſiſſe voluit. Dentis ferrei mentio extat *ap. Daniel. (c. 7. v. 7. & 19.) D. de Fontanes* apud Cadurcos per 20. annos globum plumbeum loco dentis habuit, ſe inſcio, quo tamen ad eſum utebatur, *teſte P. Borello Cent. 2. obſ. 9. p. 113.)*. Virginibus inſulæ Macaſſer in juventute dentes extrahuntur, & aurei in locum eorum reponuntur, ut pulchriores videantur, *Joh. Bapt. Tavernier. (l. 4. Itinerar. Perſic. c. 18. p. 206.) narrat*, qui addit Capitaneum quendam in Java quatuor Adamantes in locum quatuor dentium extractorum reponere jusſiſſe. Prodigioſi talismodi dentes, nec temporis metuent dentem, corruptionem, putrilaginemque. Extractos dentes vivis ſive carioſos ſive ſanos aliis vivis extractis reſarcitos fuiſſe & firmas egiſſe radices, *Ambroſio Pareo (l. 16. Chirurg. c. 16. p. 359.) & P. Borello (Cent. 1. obſ. med. phyſ. 10. p. 16.)* quis credet?

§. 27.

Nec id miraculo carere videtur, quod poſt mortem demum graviſſimis

à dentitione ſymptomatibus, quæ recenſuit *Hippocrates* (*ſ.3. aph. 25.*) ſublati infantes dentes enitantur. Pueros multos vidi, refert *P. Borellus*, (*Cent. 1. obſ. 92. p. 96.*) ob dolores inſignes à dentitione gingivis valdè tumefactis, mortuos, poſt mortem verò dentes naſcebantur. Duci Nivernenſi octimeſtri puero ex dentitione demortuo reſciſſis ſcalpello gingivis dentes omnes velut in procinctu ad egreſſum apparuerunt, *Ambroſius Pareus* (*l.23. Chirurg. c. 67. p. 540.*) notavit, Gemellum *Philipp. Salmuth.* (*Cent. 3. obſ. 37. p. 128.*) ſuppeditat.

§. 28.

Accidit id, quod Spirituum & humorum furor gingivarum parturiens tumorem, ſoluto animæ cum corpore commercio, oppidò evaneſcit. Detumentibus igitur Gingivis in conſpectum trahuntur dentium aculei, aut potius mortis ſpicula.

§. 29.

Retulit præterea *Autor mirabilium Naturæ, Phlegon. Trullianus dicitur Hieron. Reuſnero* (*Exerc. 1. de Scorbut. p. 24.*) *allegante Henric. Kornmanno*, (*p. 3. de m. m. c. 42.*) tempore *Imperatoris Tiberii* in Sicilia cadavera aliquot mortuorum effoſſa fuiſſe, quorum dentes longitudine pedem viri ſuperarint. *Auguſtinus* (*l. 15. de Civit. DEI c. 9.*) recenſuit, ſe vidiſſe cum aliis multis in littore Uticenſi molarem dentem adeò magnum, ut diſſectus ad formam & magnitudinem uſitatorum noſtra ætate dentium centuplo major facilè judicari potuerit. Chriſtophori Magni dentem pugno majorem ſe vidiſſe, (*in h. l. comment.*) *ſcribit Ludov. Vives.*

§. 30.

Sub terra hos in tantam molem excreviſſe, ſunt qui reputant, quam benè ex infra dicendis (*h. l. Tit. 10. §. 18.*) conſtabit. Aut igitur fabulæ prædictæ narrationes, quod non facilè admittendum; aut beſtiarum dentes humanis ſubſtituerunt deceptores. De dentibus & oſſibus Antwerpianis Elephantinis falsò Giganteis ſubſtitutis, videatur *Joh. Goropius Becanus* (*l. 2. Orig. Antwerp. Gigantomach. inſcr. p. 178.*). In urbe Scaſſem in Perſide Apros adeò grandes eſſe, commemorat *M. Paulus Venetus* (*l. 3. c. 35. cit. Simon. Majolo. Dier. Canic. Colloqu. 7. p. 282.* qui, qua uſus fuerit editione, aut MSto equidem neſcio, id in noviſſima ab Andrea Müllero edita non habetur, de civitate autem Scaſſem *l. 1. c. 33. p. 20. citat Majolus c. 24.* agens, ſuum ſpinoſorum ſaltem meminit,) ut bobus comparentur, quorum molaris dens aliquando compertus eſt pondo duodecim. Dentes Elephantorum Aprorumque ſimiles obtinere Cetacea Norwagica, *Olaus Magnus* (*l. 21. c. 8. p. 552.*) *prodidit.* De bellua in Gaditana

tana littora expulsa cujus dentes maximi dodrantium, minimi semipedum, evolvendus *Plinius (l. 9. c. 5.)* Qua de causa dentes molares giganteos quamplurimos se vidisse *annotat Th. Bartholin. (Cent. 1. Hist. Anat. 98. p. 159.)*, sed partim equinos, partim bubulos, partim arte effictos. *Adde*, si libet, *O. Wormium (l. 3. Mus. c. 26. p. 343.)* & ea, quæ *infra (Tit. 20. §.)* subjunximus.

§. 31.

Claudat ex Antiquioribus depromtum illud *Plinii (l. 7. c. 16.)*, Hominem priusquam genito dente cremari mos gentium non est. E Recentioribus *J. B. Helmont.* suum conferat Symbolum. Ita autem *(Tr. Tumulus Pestis p. 857.)*: Dens à Cadavere extinctis viribus defuncto, quemlibet dentem hominis vivi, solo attactu, marcescere excidereque cogit. Quod non item præstat dens è cadavere violenta nece interemto vel acuto mox morbo extincto. Rationem *ex supra dictis (Tit. 1. §. 101.)* facilè colliges.

Lib. I. Tit. VII.

De

Cordis Augmento, & in Igne Duratione.

Summarium.

1. *Ægyptiorum vivacitas.* 2. *Ultra centum annos non durare.* 3. *Eorum Experimentum.* 4. *Antediluviani cur vivaces.* 5. *Rationes Chymicorum rejiciuntur.* 6. *Cur nostri non ad istam pertingant ætatem.* 7. *Bruta longæva.* 8. *Ultra centum annos homines vixisse Longævi varii, imprimis Brasiliani.* 9. *Ægyptiorum assertum rejectum.* 10. *Pondus Cordis variat.* 11. *Inusitata Cordis magnitudo.* 12. *A causis præternaturalibus.* 13. *Cor tabidum, absumtum, exulceratum.* 14. *Cor aliquando non cremari.*

15. Causæ supernaturales. 16. Mali Genii. Magi. 17. Casus singularis. 18. Causæ naturales, humor abexternis ad interiora loca pulsus. 19. Cordis situs. Pulmones. 20. Mediastinum, Pericardium, ejusque humor. 21. Pinguedo. 22. Reprobatur. 23. Cordis substantia. 24. Contenta Cordis. 25. Causæ præternaturales, morbi. Venena. 26. Animalia ex Igne. 27. Salamandra. 28. Semenda Avis. 29. Homines in Igne viventes. Ezisër. 30 31. Ignem impunè tractantes. 32. Partem quibusdam esse incremabilem. 33. Ignis vehementiam quæ reprimunt. 34. Animalia ex Igne non generari. 35. Salamandræ historia examinatur. 36. Exanimatur. 37. Homines & Creaturæ in Igne viventes non dantur. 38. Paulus de Sorbait notatur. 39. Nulla in homine incombustibilis pars. 40. Quomodo corda incombustibilia dicantur. 41. Cur caro viva citius aduretur quam mortua? 42. Vesicantia mortuum non vesicare.

§. 1.



Ivaces esse Ægyptios longævosque, ut etiam ad nonagesimum pertingant annum è *Prospero Alpino* (*l. 1. Med. Ægypt. c. 11. f. 18.*) scimus. Causam hujus vivacitatis rejicit in simplicem victum & Nili potum. (*c. l. c. 12. f. 20.*) Turget namq; Nili aqua, secundum *J. P. Fabrum* (*l. 4. Panchym. f. 2. c. 17. p. 453.*) Spiritu salis fixo, spirituque volatili vitæ mundi; Crocodilus præterea à venenatis qualitatibus aquam ejus purgat peculiari attrahendi facultate & energia.

§. 2.

Quamvis verò hæc ita se habeant, ultra centum annos hominem vivere posse inficiantur. Putarunt namque, referente *Plinio* (*l. 11. Hist. Nat. c. 36.*), Cor in homine singulis annis usque ad quinquagesimum ad binas drachmas crescere, à quinquagesimo autem singulis annis tantundem decrescere, adeoque defectum cordis homini, ut occumbat, ad centesimum si vergat, necessariò injungere dictitant. Clarius in hanc sententiam *Censorinus* (*de die Natali c. 17.*) Præterea fieri potest, *quod refert Varro*, quodque *Dioscorides Astrologus* scripsit, Alexandriæ inter eos, qui mortuos solent conservare, constare, hominem plus cen-

centum annis vivere non posse. Id cor humanum declarare eorum, qui integri perierunt sine corporis tabe, eò quod in multis annis pendendo omnis ætatis incrementa,& deminutiones observent, & anniculi pondere duas drachmas, bini,quatuor, & sic in annos singulos usque ad quinguaginta accedere, ita ut quinquagenarii hominis cor pondus centum drachmarum habeat, *Vid. Otho Heurnius* (*l. 2. Philos. Barbar. c. 16. p. 204.*) binas ab iis centum drachmis ab anno quinquagesimo iterum decedere in unoquoque binas: ex quo perspicuum fit, centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius posse vitam produci. Mitigat hac sententiam *Joh. Valerian. Pierius* (*l. 18. Hieroglyph. c. 20. p. 224.*) quando Sacerdotum Ægyptiorum mentem fuisse *scribit*, vitam humanam centum annis plurimum circumscribi, nisi aut negligenter, aut intemperanter acta, ipsa sibimet incommoda comparavit, seque aliqua parte fraudaverit. Ibim ex ovo inclusam duas appendere drachmas, quantum etiam recens nati infantis cor appendit *retulit Callistratus ap. Plutarch.* (*l. 4. Sympos. qu. 5. p. 251.*)

§. 3.

Asserto huic ut majorem fidem conciliarent, ad αὐτοψίαν & experientiam provocabant, qua se illud observasse in hominum demortuorum cordibus liquori cedrino immersis & asservatis gloriabantur, quod *Joh. Bickerus* (*Tom 1. Hermet. Rediviv. c. 1. s. 1. p. 26. & 27.*) addidit.

§. 4.

Quæ Terminum vitæ spectant, hic adducere non libet, cum de eo satis disputavit cum Alii, tum *Joh. Beverovicius* (*Tr. de Termin. Vit. & Proœm. Thesaur. Vit. c. 3.*) & *insigne quondam Ordinis nostri & Eruditi Orbis jubar J. Dan. Major.* (*Part. 1. Dub. circ. Chirurg. Infus. Dub. 2. p. 136.*) cur ante diluvianis longior, etiam in aliquot secula, ætas concessa, rationes ex Aliis collegit *Urbis suæ orbisque decus Jacob. Philipp. Sacelsius* (*l. 1. Gammarol. Curios. c. 23. §. 3. p. 502.*) Libavit quædam *Th. Bartholin.* (*Disquisit. de Sangu. Vetit. p. 65.*) Horum longævitatem sunt, qui opus providentiæ non naturæ appellent (*Vid. Friedlieb. obs. Bibl. ad Genes. c. 5. p. 36.*) & magis DEI miraculo, quam Naturæ ascripsit, *Cornelio à Lapide* (*Comment. in Genes. c. 5. p. 101.*) *teste*, *Lipomannus.*

§. 5.

Ut adeò non audiendus sit *Rogerus Bacon* (*forsan l. de Occidentibus senectutis Oxoniæ excuso, quem citat P. S. in Not. ad Bacon. Epist. de Secret. Nat. & Art. c. 7. p. 77.*) *qui apud Joh. Jonstonum* (*Tr. de Constant. Natur. propos. 5. Art. 1. p. 47.*) tradiderat patres singularem singularium medicamentorum senectutem re-

retardantium (Arcana vocabat & aſſentiebatur *Mart. Panſa l. de Prorogand. Vit. Part. Theoret. General. c. 4. n. 13. f. 34,* qui ex Aliorum mente id *poſt c. 13. f. 58.* propoſuit) notitiam obtinuiſſe. Neque *Theophraſtus Paracelſus* τερατολόγος, qui (*l. de Vit. Long. qui eſt Archidox. 9. p. 832.*) *ſcripſit*, Adamum diutiſſimè vixiſſe, quod rerum ad vitam longam facientium optimam habuerit ſcientiam, Magiæ, ex cujus influentia tamdiu vixerit, imputat, *alibi* (*l. 1. de Vit. Long. c. 8. p. 842.*). Magiæ naturali (*l. 1. Paranur. c. 8. p. 38.*) qui & lignum vitæ naturale quid & medicinam expoſuit (*l. 9. Archidox. p. 832. Add. Apocalypſ. Hermet. T. 2. Op. p. 668.*) Ridendus etiam *Joh. Walchius*, (*Comment. über den kleinen Bauer p. 152.*) qui credidit, quod juſſu DEI Angelus tincturam Lapidis Philoſophici rubram arbori cuidam applicarit, & eandem hoc modo in Arborem vitæ transmutarit. De Lapide Philoſophorum iſta, *Hadrian. à Mynſicht*, (*Teſtament. Hadrian. p. 20.*)

Hoc primævus Adam, priſci hoc medicamine Patres
Longævam ſani duxere in ſecula vitam.

Add. Joſeph. Michel. (*Apol. Chym. adv. Andr. Libav. calumn.*) Regeras his *cum Andrea Libavio:* (*de Med. Hipp. & Hermet. Vet. p. 452.*) Si Patriarchæ habuerunt hunc lapidem, eo non ſunt uſi, quia ad tantam ſenectutem pervenerunt, ut etiam oculis penè caperentur.

§. 6.

Atropos illa, quæ ſpem longioris vitæ quo minus inchoëmus, vetat, eſt Intemperantia. Sera Venus priſco ævo commendata, ad corporis robur, perfectamq́; corporis ſtaturam apprimè *juxta Magn. Herman. Conring.* (*l. de habit Germanor. cauſis p. 46.*) à noſtris minimè obſervatur, adeoq́; pueri & puellæ generant pueros & puellas, *Kinder zeugen Kinder*, h. e. morbidos, debiles, exſuccos. Vino ſepulti thorum intrant, (*Galen. l. 11. de U. P. p. m. 722.*) & dum generare intendunt, occidunt. (*Galen. l. 11. de U. P. p. 712.*) Eleganter *Joh. Sophron. Kozack.* (*tr. de Sale c. 12. p. 543.*): Rarus hodiè inter noſtros ſenes *Caleb*, quia rarus inter juniores *Joſeph*. Spectat huc forſan locus *ap. Plutarch.* (*in Num. p. 120.*): Iſta etiam, quæ ad ſepulturam pertinent, Pontifices poſcentibus expediunt: docuitque *Numa*, nihil ejus rei pro piaculo habendum: Sed & manes, qui præcipuam noſtri partem accipiunt ſuis religionibus colendos, prſertim verò *Libitinam*, quæ Dea mortuorum juſta procuret, ſive ea *Proſerpina* eſt, ſive *Venus*. Quod Doctiſſimi inter Romanos judicant, haud abſurdè ejusdem Numinis poteſtati ortus interitusque noſtri rationem imputantes. *Hæc Plutarchus.* Propter victum ſimplicem & moderatum *Feroënſes Boreales* ſunt longævi

gævi, ut non rarò centesimum annum attingant. Non ita pridem *(refert. Th. Bartholin. Vol. 1. Act. Med. Hafn. p. 1. obs. 49. p. 97.) Erasmus Magni* Civis Haraldsundensis in Insulis Borealibus obiit. Is primam uxorem duxerat ætatis provectioris, cum qua sine prole multis annis vixit. Nonagesimo ætatis anno amissa uxore novam superinduxit spe prolis suscipiendæ. Quinque ex hac liberos suscepit. Supervixit ad annum centesimum decimum & ætatis anno centesimo tertio suscepit filium natu minium. Et ne quis scrupulus sit, uxor integræ prorsus famæ fertur. Qui adhuc superstes est filius natu major, ædes paternas inhabitans vir robustus & proceritate plerosque incolas superat. Eidem victui veterum vivacitatem *Cl. Salmasius (Diatrib. de Ann. Climacter. p. 7. 41. & 766.)* ascripsit. Plura dabunt *Roger Bacon. (Epist. de Secret. Art. & Nat. c. 7. p. 50.) Martin. Pansa (part. 1. de Prorog. Vit. passim, comprimis c. 56. p. 206. & sq.) Franc. Oswald. Grembsius (l. 3. Arb. integr. & ruinos. hom. c. 1. p. 456.) Martin. Ruland. Fil. (l. 2. probl. Phys. Med. 268.) cum Aliis.*

§. 7.

Bruta id nos edocere poterunt, quæ Naturæ vestigia dum legunt, ejusque ductum sequuntur, eundem cum illis, quæ à mundi cunabilis vixère vitæ terminum consequuntur. *Vid. Fr. Baco de Verulam. (Hist. vit. & morte col. 489. sq.)* Inde *Virgilius, aut alius Poëtarum (Eleg. de Mæcenat. obit. v.)*

Redditur arboribus florens revirentibus ætas,
Ergo non homini, quod fuit ante, redit.
Vivacesque magis Cervos decet esse paventes,
In quorum torva cornua fronte rigent?
Vivere Cornices multos dicuntur in annos
Cur nos angusta conditione sumus?

Sed hæc etiam non ita, ut vulgò creduntur, comperta. Et si contingat, des id non mutatæ naturæ, sed vitæ.

§. 8.

Ultra Centum annos autem vitam nostram se non extendere posse, ut Ægyptiis quidem persuasum, experientia reclamat. Nolo Exempla coacervare ab historicis notata. De Ante-Diluvianis res clara est. Varia de Spatiis vitæ longissimis *Plinius (l. 7. c. 48.) Valerius Maximus (l. 8. memorabil. c. 14.) Hippocrates* centum & quatuor superavit annos, *(Joh. Jonston. c. l.)* duplicatum septuginta annorum ætatem vixit, si credimus *J. B. Fulgoso (l. 8. c. 14.)*

14.) *Galenus* noſter. De Neſtoris ætate *Franciſc. Floridus Sabinus (l. 2. var. lect. ſubciſiv. ap. Jan. Gruter. T. 1. Lampad. Critic. p. 2096. ſq.)* Catalogum prolixiorem ſi vis, evolve *Franc. Bacon. de Verulam. (hiſt. vit. & mort. à col. 506. ad 515.)* Adde *Joh. Bodin. (l. 3. Theatr. Natur. p. 397.)* Anno 1151. in Galliis vixit 372. annos *Caroli Magni Armiger Joh. de Temporibus â Guazzo* dictus Giovanni de la Stampe, (*Vid. Joh. Wolffius Cent. 12. Lect. Memorab. p. 348.) juxta Joach. Cureum (p. 1. Annal. Sileſ. p. 46.)*, quam relationem penè pro fabula habet *Verulam. (c. l. col. 515. & Æmilius (l. 5. de Geſt. reb. Franc.)* hunc non ſub *Carolo M.* ſed ſub *Carolo Simplici* ſtipendia feciſſe, adeoque 160. circiter annorum vitam Eidem contigiſſe credidit. *Conf. Joh. Tilium (Chronic. ad A. C. 1138.) Wilhelm Barſnislai* in Anglia 126. annos complevit, centeſimo viduus factus conjugium iterum iniit. (*Adam. Olear. l. 3. Itin. Muſcov. Perſic. c. 25. p. 259.)* Idem de *Andrea Chriſtiani*, qui poſt expletos 127. annos fatis ceſſcit, ut narrat *M. Martin Harlovius (ap. Th. Bartholin. Volum. 4. Act. Hafn. obſ. 10. p. 36.)* Gemella recitant *Verulam. (c. l. col. 535.) Joh. Jonſton. (c. l. & Thaumatogr. Natur. cl. 10. c. 6. Art. 3. p. 479.) Edo Neuhuſ. (l. 2. Sacr. Fatidic. c. 18. p. 332.) P. Borellus (Cent. 2. obſ. 39. p. 138.) Claud. Salmaſ. (c. l. p. 748.) Phil. Jac. Sachſius Noſter (c. l. §. 8. p. 507.)* De Braſilianis *Guilhelm. Piſo (l. 1. de Med. Braſil. p. 6.)* notavit, quod centeſimum ætatis annum viridi & longæva ſenecta potiantur. Addidit idem Europæis ibidem degentibus contingere. Cauſas ſubdidit has, (α.) quia athleticis nati parentibus, (β.) Curis non macerantur, ut voluptates ingnorant. (γ.) Eodem ſemper victu & amictu, eoque ſimplici gaudent. (δ.) Nullus illis habendi amor, paupertatique ſe addicunt voluntariæ, ut cui plus eſt lubens impertiat aliis minus habentibus, pari dandi poſcendique facilitate.

§. 9.

Cum igitur Ægyptiorum aſſerto ruborem excutiat experientia, quid ponderis probatio adducta in ſe habeat ponderandum veniet. Juniorum equidem, nec lenta morte ſublatorum corda liquori ſpirituoſo & balſamico concredita in principio ad tempus in tumorem poſſe elevari partim ob liquorem a fibris carneis imbibitum, partim ob novam concitatam fermentationem non inficior. Et hic tumor credulo imponere poſſet revera augeri & creſcere nobile illud viſcus. Verè autem illud poſt corporis & animæ ſolutum vinculum creſcere traditio eſt inanis, ſomnium vigil. Acutius quam verius id tradi, olim *P. Crinitus (l. 7. de Honeſtar. Diſciplin. c. 9. p. 239.)* autumavit, quin ſuperſtitioſus quam verius *Jodoc. Willich. (l. 2. Anat. c. 11. p. 39.)* Fabulam arbitrabatur

Joh.

Joh. Riolan. (*l. 3. Anthopogr. c. 12. p. 235.*) inter stulta reponebat *Hermann. Conring.* (*l. 1. de Med. Hermet. c. 10. p. 90.*) inter falsissima *J. C. Baricell.* (*Thes. Secret. c. 151.*)

§. 10.

Nec pondus cordis in omnibus unum. Pendet, *observavit Th. Kerckring.* (*Spicil. obs. Rar. 26. p. 39.*) plus minus septem unciis, qui & cor viginti duarum unciarum fœminæ Amstelodamensi exsecuit. Sed secundum Ægyptiorum calculum ordinariè uncias penderet plus quam duodecim. Sed qui id primum Ægyptiis ascripsit nimiæ credulitatis reum pronunciavit *insignis Ægyptiorum Patronus, Ol. Borrichius* (*l. 1. Hermet. Ægypt. c. 5. §. 4. p. 143.* cum nulli dubium esse possit, omnis ætatis homines ad condituram ab ipsis apertos fuisse, adeoque quotidie similes ineptias oculorum sensu clarissimo refutatas. An forsan, *pergit*, Taricheutæ illi Alexandrini Censorino memorati fuere vilissimi quidam ex fece popelli homunciones, quibus atra quandoque candida esse persuaseris: sacerdotes tale quid per somnium credidisse, incredibile esse *dictitat*. Sed quis nescit quæ, ut in plurimis, ita & hic

Ægyptus portenta colat.

§. 11.

Quæ inusitatam cordis magnitudinem secundum naturam factam referunt, observationes quidem rarissimæ sunt, prostant tamen & quædam. Cor magnum & amplum, sed, quod mireris, sine pericardio nullove vel minimo ejus vestigio *notavit Nicol. Tulpius* (*l. 2. obs. med. c. 25. p. 143.*) totum ferè thoracem replens in Equite *Guichardino* vidit *And. Laurent.* (*l. 9. Anat. qu. 11. p. 803.*). Tres sinus, quos omni majori animantium generi tribuit *Aristoteles* (*l. 3. hist. part. anim. c. 4.*) in Veneto velaturam faciente animadvertit *Æmil. Parisanus* (*l. 6. Nobil. Exerc. 1. c. 1.*). Triplicem ventriculum in infante *Theod. Kerckring.* (*c. l. obs. 69. p. 139.*) δικορυφὸν duobus verticibus fastigiatum, *teste Galeno* (*l. 7. Anat. administr. c. 11. p. 211.*) Gallum quispiam Diis sacrificans invenit. Cor cum duobus capitibus *Avicenna* (*11. 3. tr. 1. c. 1. f. 276. a.*) in Simio, in Gallo interpretantur Alii, inventum prodidit. Cor mucrone bifido non acuto oculis usurparit *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hist. 67. p. 117.*). Bina Corda in Paphlagonia Perdicibus tribuerunt *Plinius* (*c. l.*) & *Theoprastus*, quod retulit *A. Gellius*, (*l. 16. Noct. Attic. c. 15. p. m. 398.*) *Athenaeus* (*l. 9. Dipnosoph. c. 10.*). Elephanto *Ælianus* (*l. 14. hist. animal. c. 6.*). In Gallina se obtulit *O. Rudbeckio*, (*obs. anat. 18. p. 331.*) In homine, *Zacuto Lusit.* (*l. 2. Hist.*

Med. Princ. 38. p.) Adde *Joh. Riolan.* (*c. l.*) & quæ collegit *Noster J. Ph. Sachsius* (*D. 1. M. C. obs. 70. p. 172.*)

§. 12.

A causis præter naturam Cordis mutari magnitudinem, in historiis Medicis non rarò legitur. Cor in anheloso, salvis pulmonibus majusculi capitis magnitudinem *memorante Guilh. Ballonio* (*l. 1. Epid. & Ephemer. p. 145.*) adæquabat. Adeò increverat, ut omnis sanguinis & spiritus eò facta sit συῤῥοὴ καὶ συνδρομή. De quodam palpitatione Cordis laborante evolvatur *Guil. Harveus* (*de mot. Sangv. Ep. 3. p. 254.*) *Salomon. Reiselus* (*M. C. c. l. p. 171.*) De *Philippo Nereo* idem *Andr. Cæsalpin.* (*l. 6. Art. Med. c. 24. p.*) De *Sanctio à Valesco Christoph. à Vega* (*l. 3. Art. Med. s. 6. c. 8.*) De Cordis excrescentia in sacerdote eodem malo perpetuo laborante *Garneri* communicat *Joh. Schenkius* (*l. 2. obs. m. p. 286.*) Ita Venena absorpta cordis magnitudini plurimum conferunt. Narrat *P. Pawius* (*obs. anat. 21. p. 35.*) in veneno sublato Cor triplo, quam pro Consuetudine & subjecti proportione majus apparuisse, ut tumidum dextra sui parte universum thoracis latus repleret.

§. 13.

Allegavi *supra* (*§. 2.*) Corda Juvenum, non lento morbo & morte extinctorum. In nimia tristitia Spiritus & calorem à membris intra Cor contractum ejus humidum nativum & pingue absumere atque ita lentè torrere *Barthol. Kekermann.* (*l. 3. Syst. Phys. c. 26. p. 548.*) *autumat.* Observatum etiam sæpius fuit in febre lenta extinctis Cor exile & aridum. (*Th. Bartholin. Cent. 2. hist. 19. p. 205.*) A febre ardentissima pyri instar tostum. (*Dominic. Panarol. Pentecost. 1. obs. 31. p. 19.*) *Jacob à Meckern* (*obs. Chirurg. 32. p. 207.*) in alio ex vulnere mortuo. De quatuor Archi-Ducibus Austriæ in Comitiis Ratisponensibus mortuis *Guerner. Rolfinck.* (*l. 2. Ord. & Method. Med. Spec. Commentat. s. 3. c. 112. R. 8. p. 146.*). In aliis tabidum, quo de evolvantur *Galenus* (*l. de Tabe c. 7. p. 139.*) *Dan. Sennert.* (*l. 2. Med. Pract. p. 3. c. 3. p. 407.*) *Zacut. Lusitan.* (*l. 2. Hist. Med. Princip. Dub. 26. p. 256.*) *Theod. Kerckring.* (*c. l. obs. 17. p. 43.*) Nihil præter tunicam in alio morbo diuturno consumto *Bernhard. Teles.* (*l. 5. de Reb. Nat. c. 28.*) planè consumtum instar loculi vacui & corrugati, *Melch. Tribe.* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 65. p. 111.*) extenuatum & exsangue *Guilh. Fabric. Hildan.* (*Cent. 4. obs. Chirurgic. 50. p. 324.*). Penè absumtum in Cadavere Principis Regiæ, *Mariæ Auriacæ* viderunt Londinenses, quod refert *O. Borrich. ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Epist. 85. p. 365.*) & *ipse Th. Bartholin.* (*Diss. de Hep. Desumt. p. 29.*). Non exigua sui parte putridum deprehen-

hendit *Guil. Fabric. Hildan.* (*Cent. 2. obs. Chirurg. 27. p. 106.*) *Fr. Rota* (*de Torm. Vuln. Cur. c.23.*) Tabo fluens *O. Borrich.* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 7. p.330.*). Ulceribus scadens, *Stephan. Rod. Castrens.* (*l.3. de Meteor. Microcosm. c. 20. p. 148.*). Abscessum in Cordis sinistro ventriculo notavit *Ant. Benivenius* (*de Abd. Morb. caus. obs. 89. p. 233.*). Tria ulcera in Corde non parum prava & sordida, *Joh. Fernel.* (*l.5. Pathol. c. 12. p. 286.*). Aliud ulcus in basi Cordis *Cabrol.* (*obs. 36. p. 16.*); in auriculis *Trincavell.* (*l. 6. de Rat. Cur. Corp. Hum. aff. c. 11.*) *Joh. à Meckern.* (*c. l. p. 206.*) Caspulam & totam ferè cordis substantiam ad fibras usque ab ulcere exesam, *Petr. de Marchettis* (*obs. med. Chirurg. 47. p. 112.*). Cor albicans & medica ferè sui parte, quæ Diaphragma respicit, exesum & exulceratum, ut fibræ carnosæ semiputridæ summis digitis evellerentur, *Lazar. River.* (*Cent. 1. obs. 87. p. 581.*). Et animadversum fuerat, *addit*, frustula quædam carnea hujusmodi fibris simillima cum sanguine per sputum rejecta fuisse, ita ut verisimum sit istam ægrotantem Cordis substantiam per sputum rejecisse, quod est valdè mirum. Cor ulcere corruptum lanio Oxoniensi in bove saginato demonstravit *Nathan. Highmor.* (*l. 1. Disquisit. Anat. part. 3. c. 3. p. 66.*). Spectant huc quæ collegit *Marcell. Donat.* (*l. 5. Hist. med. mirab. c. 4. p. 570. sq.*) Frustra igitur sunt, qui cor putrescere negant pernegantque, de qua controversia *Vid. Dan. Sennert.* (*l. 4. de Febr. c. 8. p. 486.*) In his autem quis Cordis expectabit augmentum cum vix Cordis nomen mereatur?

§. 14.

Illud Cordis singularibus meritò accensetur, quod aliquando reliquis partibus ab igne consumtis cremari non potuerit. Miraculo id proximum asseruerunt quidam causam supra naturalem allegantes. *De Johanna Virgine*, fortitudine plus quam virili celebri, ex aliis recitat *Henric. Kornmann.* (*p. 3. de Mirac. Mort. c. 39. & p. 1. Templ. Nat. Concl. 22. p. 69.*), quod, cum in hostium Anglorum manus venisset, rogoque imposita & in cineres redacta, in innocentiæ signum cor Ejus miraculo quodam Ignis eluserit impetum. *Versus Valeriani Theologi Parisiensis* subjunxit sequentes:

Postremò emicuit pietas in morte puellæ
In cinerem cunctos dum flamma resolverat artus,
Illæsas cor habet Venas, (mirabile dictu)
Nec sinceri animi tenerant incendia sedem
Albaque tunc visa est igni prodire columba,
Et petere æthereos multis spectantibus orbes.

De Corde *Huldrici Zwinglii* gemella ferè *Jacob. Aug. Thuan.* (*l.* 1. *Histor. f.* 17.) Religioni, *inquit*, tributum à Tigurinis, & qui cum illis stabant, quod cadavere flammis ab hostibus tradito cor exuri non potuerit, cum constet, *addit*, in quibusdam esse corporis humani quandam partem, in quam ignis nil possit. Et *paulo post*: Adeô turbatis odio aut amore animis, ut fit in religionis dissensionibus, pro se quisque omnia superstitiosè interpretatur:

Cor Zelo accensum divino, & Numine fervens,
Pruna favilliferi non cremat ulla rogi.

Canit Joh. Jacob. Hoffmann. (*p.* 2. *Lex. univ. p.* 599.) Cujusdam post mortem, ut credebant, sibi ipsi illatam, rogo addictum cadaver exustum quidem, salvo tamen corde, quod in testimonium innocentiæ nullo modo in cineres redigi potuit, *ex Aliis Martin. Zeiler.* (*Epist.* 275. *p.* 957.)

§. 15.

In sacris & historia Ecclesiastica res est clarior. Triumviri isti, Philothei (*Dan. c.* 3. *v.* 27.) in igne servati id satis testantur, testatur id & Martyrum turba, in mediis flammis intemerata persistens. Habet quædam *H. Kornmann.* (*Templ. Nat. Consid.* 34. *Conclus.* 13. 14. 15. 16. *p.* 67.). Insigne est, si commentum non est, quod (*ex vita S. Georgii recitat Athanas. Kircherus* (*l.* 8. *M. S. s.* 3. *c.* 1. *p.* 71.) Cum eum Tyranni ad ignem condemnassent, vererentur autem ne Christiani immunitatem Ejus ab igne miraculo tribuerent Asbestinis filis eum intra ignem obvolvisse, ut hoc pacto consumto corpore involucrum remanens Christianis in opprobrium cederet; Sed DEO, in cujus potestate jura legesque positæ sunt, aliter visum fuit, Sanctus verò DEI Martyr totus, integer, ne quidem læso ab igne capillo elapsus, immensam DEI potentiam, animarum lucro per miraculum tàm insolitum manifestavit.

§. 16.

Malis Geniis id tributum iverunt Alii, à quibus non dissentit *Martin. Del Rio* (*l.* 2. *Disquis. Mag. qu.* 25. *p.* 537.) cumprimis quia è Majorum consortio eorum ope ignem innoxiè tractasse constet. De Monstro ex concubitu Dæmonis nato retulit *Sturmius* (*Calend. Sanctor. p.* 405.), quod diu ignem sustinuerit. De vatibus Ægyptiorum *Jamblichus* (*de Myst. Ægypt.*) eos cum DEI afflatu replerentur & incitarentur, nonnunquam per medios ignes ambulasse. Ita ejus qui se Dæmoni devoverat cadaver non totum flammam, *teste Martin. Weinreich.* (*de Mag. Strigon. & Pensch.*) concipiebat. Potest namque Dæmon, *concludit Bened. Pererius* (*Comment. in Daniel. c.* 4.) hominem conjectum in ignem multis modis servare ab incendio, tum restinguendo ignem, tum procul

cul ab eo flammam repellendo. Præterea clam subtrahendo verum ignem, & in ejus locum alium simulatum ignem substituendo: Ad hoc subducendo hominem ex igne, inibique simulacrum ejus relinquendo: denique circum ponendo ei corpus aliquod frigidissimum, maximeque resistens igni, quo vid. hominis corpus ab incendio ad aliquod tempus defendi & servari queat. *Add. Joh. Christ. Frommann.* (*l. 3. de Fascinat. p. 6. c. 11. §. 7. p. 812.*) Divinitus potentiam ab igne sublatam fuisse, negat *Dn. de Stair* (*Physiol. Experim. nova Explorat. 6. n. 15. p. 313.*) cum idem ignis eos consumsit, qui Judæos in fornacem injecerunt. Ergò non erat in igne, sed in pellibus capillis & vestimentis Judæorum, quæ pro tempore ita miraculosè indurabantur, ut ignis vim sine damno repellerent & eadem divina potentia post exitum è fornace restituebantur ad priorem statum.

§. 17.

Addo in gratiam Curiosorum *J. J. Straussii* (*l. 1. Itinerar. c. 8. p. 26.*) relationem de Filiæ Regis in Siam cadavere combusto: *Nachdem der Leib durch den Brand verzehret, und man die Asche und was übrig blieben von den Gebeinen in einen güldenen Krug thun solte, wurde unter derselben ein Stück roh Fleisch gefunden, welches voll Bluth, und vom Feuer gantz nicht beschädiget.* Veneficio id ascripsit minister Regi à latere *Oja Sabarcibam*; intoxicatam verò obiisse Rex inde concludebat.

§. 18.

Utut verò hæc ita se habere posse non penitus negem, dari tamen causas naturales, qui cor, corpore in ignem injecto, ab igne intemeratum ad tempus, reliquis partibus consumtis tueri possunt, non repugno. Igne in exteriores partes agente ad interiora traduntur humores, quod vel lignum viride, si comburatur, apertè evincit. Inde non solum cor, sed & reliqua viscera & intestina absumtis exterioribus partibus flammarum eludunt impetum. Ita ante multos annos, cum incenso stabulo septem vaccæ cremarentur, intestina & viscera flammis intacta & incorrupta sub cineribus calidis adhuc delituisse vidi.

§. 19.

Cor verò prærogativam hanc imprimis præ reliquis visceribus obtinet, cum ratione situs, tum integumentorum, tum propriæ substantiæ, tum contentorum. Tuentur id Musculus pectoralis & Costæ & Sternum cum musculis intercostalibus. Huic à latere sunt pulmonum lobi, quæ in humido agunt, & ut extensioni & respirationi vacent commodius irrigationem moderatam expetunt. Pulchrè *Aretæus* (*l. 1. Chronic. c. 10.*) Quemadmodum spongia per naturam sicca imbibit aquam pro usu commodo: Ita spongiæ similis pulmo rarus & forami-

nulentus humorem haud molestè fert. *Add. Thom. Bartholin. (Diatr. de Pulmon. f. 3. p. 57.)*. Inde in montibus ad mediam aëris regionem vergentibus, ubi aër subtilis, nec atomis aqueis impraegnatus, ambulantibus pulmonum motus coërcetur, nisi spongia aceto vel alio humore madida tabescentibus succurrat lobis. Omnis namque aër attractus etsi condensaretur in aquam vix guttulam unam vel alteram daret. Aër ex aqua rarefacta creatus, ex computo *Petri Gassendi (in Physiol. Epicur. animadv. p. 298.)* implebit vas capacitatis non decuplo solum, ut *Aristoteles* autumat, sed centuplo saltem majoris, & aqua ex aëre condensato vas centuplo minoris. Deinde etiam sanguine plerumque in moribundis infarciuntur, & in subitò extinctis ex intruso in eosdem sanguine, ibique restitante, ob motum circularem cessantem causam mortis in sectione non semel detexit *(c. l. f. 2. p. 27.) Th. Bartholin.*

§. 20.

Ab ignis violentia etiam cor tuetur Mediastinum, omnium autem maximè Pericardium, quod liquore suo ignita temperat spicula. Idque eò magis, quia aqua illa non est humor velut urina, ut cor in vesica (urinaria) conversari existimes, *ut Autor l. de Corde, qui Hippocrati, (sed malè secund. Bartholin. Diss. de Lat. Christ. apert. c. 4. p. 27. & 28. & Marc. Aur. Severin. Epidoch. 1. de Aq. Pericard. §. 5. p. 11. & Alios) ascribitur*, sentit, nec ex resolutis circa membranam hanc vaporibus, ut placuit *Joh. Veslingio (Syntagm. Anat. c. 20. p. 76.)*; sed seri portio, ut rectius *Hieron. Barbatus (Exerc. de Sangu. & Sero p. 30.)*, seu lympha glutinosa à sero sanguinis orta (est namque serum sanguinis fibrorum, *ut vult Joh. Nic. Binninger (Cent. 1. obs. 13. p. 14.)* & glutinosum *Th. Bortholin. (Cent. 3. Hist. Anat. 49. p. 97.) Disquis. de Sangu. Vetit, p. 61. & T. 1. Act. Hafn. Med. p. 1. obs. 8. p. 16.)* & lympha carbonibus ignitis imposita non in vapores, ut aqua simplex, sed in gelatinam (impropriè sumto vocabulo, quia non calori, sed frigori ortum debet suum Gelatina,) concrescit, quod observavit *Henric. Moinichenius (ap. Th. Bartholin. Epist. 4. ad Georg. Seger. de Lymph. p. 50.)* aut calore per speculum causticum immisso in consistentiam inaequalem singularis odoris transit, solet etiam strepitum edere exiccato humore, quae *Roberti Boylei (ap. Eund. Cent. 4. Epist. Med. 92. p. 522.)* est observatio, adeoque humor idem cum sero sanguini post venaesectionem innatanti, reputatur *à Richardo Lowero (Tr. de Corde c. 1. p. 6.)* qui & frigus in gelatinam hunc humorem condensare juxtim notat in bobus, in quorum Pericardio post mortem magnam hujus gelatinae copiam reperit *(ib. p. 7.)*. Ne verò mendacii praedictos Autores mecum arguant Alii, qui lympham hanc interdum concrescere non experientur, dico in sanis non

non in ægris hoc procedere. Insanis namque cum in pauciori sit quantitate (*Jul. Cæs. Claudin. Respons. Med. 39. p. 233.*) glutine magis abundat præ ea, quæ aqua s. latice peccante corrumpitur, & quantitate ipsi cordis motui pausam imperat. (*Galen. l. 5. de Loc. Aff. c. 2.*) De Latice ita *Nathan. Highmor.* (*l. 2. Disquisit. Anat. p. 1. c. 6. p. 127.*): Coloris in sanis aliquando est limpidi: in Hydropicis aquæ turbatæ similis (quod quidem non perpetuum, comprimis in saccato) in aliis præcipuè febre morientibus acuta, loturæ carnium assimilatur, ut in pueri Anatome observavit.

§. 21.

Idem laudatus, & ut Joh. Theod. Schenckio (l. 1. Exerc. Anat. 2. s. 1. c. 31. p. 184.) vocatur *elegantissimus Highmorus* (*l. 1. Disquis. Anat. p. 1. c. 6. p. 11.*) pinguedinis, quæ cor vestit fixitatem allegat, ignis viribus resistentem, quod probabile experimentum vocat (*c. l.*) *allegatus J. Th. Schenckius.* Compertum autem *ex Joh. Anton. Lindano* (*Med. Physiol. c. 6. §. 152.*), aliquando non solum Pleuram & Mediastinum adipe pollice alto oblini, sed & ipsum cor incredibiliter opimum abscondi sub adiposo sævo, ita ut etiam deesse visum fuerit Auspicibus, prout historias habent *Hieron. Cardan.* (*l. 2. de Util. ex adv. capiend. p. 251.*) *Jul. obsequens* (*de Prodig. p. 69.*) *Alex. ab Alex.* (*l. 5. Dier. Genial. c. 25. f. 307. a.*) *Casp. Peucer.* (*de Divinat. Gener. p. 363 & 373.*) *Bassian. Landus* (*l. 2. Hist. Corp. Hum. p. 154.*) *Adrian. Spiegel.* (*l. 9. de Fabr. Corp. Human. c. 6. p. 296.*) *Joh. Scheffer.* (*in Not. ad Jul. obsequ. de Prodig. p. 69.*) *Joh. Henric. Ursin.* (*l. 2. Acerr. Philolog. c. 20. p. 91.*) Id verò rectius hariolatur *Isbr. à Diemerbroeck* (*l. 2. Anat. c. 6. p. 377.*) atque *Jul. C. Scaliger.* qui (*Exerc. 349. p. 1085.*) id Diabolum abstulisse pronunciavit. Ita referente *Fr. Hoffmanno* (*Cardian. admir. p. 2.*) Helmstadii aliquot retro annis cor in substantia totum adiposum *à D. Joh. Bossio* in lucem protractum memorat. Interim magicè & præstigiosè illud extrahi posse, cordis in Persia devoratores, de quibus *supra l. hujus Tit. 3. §. 46.*) quædam adduxi. Quo copiosiori igitur adipe Cordis Parenchyma luxuriat, eo majori vi ignis intemperiem reddet irritam.

§. 22.

Hæc illi. Ego verò *cum Hieronym. Barbato* (*c. l. p. 31.*) non capio, quomodo pinguia inflammationi resistant, suapte natura facilè inflammabilia, nisi forsan lymphæ pinguedini crudæ adhuc mixtæ mador flammarum retundat spicula excludatque. Inde cum *apud Macrobium* (*l. 7. Saturnal. c. 7. p. 514.*) *Horus* mulierum naturam virili calidiorem probare intenderet, addebat & hoc: Veteres eo tempore, quo igni clari honor mortuis habebatur, si quando usu ve-

nisset, ut plura corpora simul incenderentur, solitos fuisse funerum ministros denis virorum corporibus adjicere singula muliebria, ut unius adjutu quasi natura flammei, & ideò celeriter ardentis cætera flagrabant. Ad hæc renidens *Symmachus* (*p.515.*): Quod corpus muliebre juvabat ardentes viros, non caloris erat, sed pinguis carnis & oleo similis. Idem habet *Plutarchus* (*l.3. Sympos.probl.4.p.m.218.*) ex quo hæc *cum aliis* furatus censetur *Hieron. Mercuriali* (*l.3. Var. Lect. c.5.p.147.*) *Jacobo Thomasio* (*Plag. Liter. Catalog. Hist.* §.113. *p.* 224.) & *Christoph. Neandro* (*Histor. Bacchanal. m.11.f.1.p.150.*),*qui addit*,quod uruntur cadavera mulierum promtius,ob pinguedinem fit. *Patrocli* tamen & Equi ejus adeps inrogo non omnis absumebatur, quam rogo extincto in auream collegerunt pateram, *ut est ap. Homer.* (*Iliad. l.23.v.206. & 216.*)

§. 23.

Cordis parenchyma non prætereundum. Cor solida res est, atque densa, eam ob causam dolore minimè affligitur, ut loqui amat *Hippocr. Noster* (*l. 4. de Morb. p. m. 406.*) Cor creatum è carne forti,pronunciabat *Avicenna* (*l.3.f.3. Tr.1.c.1.f. m.275.b.*), ut sit longinquum à nocumentis. Quamobrem musculus validus admodum vocatur *Hippocrati aut Autori* (*l. de Corde p.m.255.*)Musculum cor ritè examinatum deprehendit *Nicol. Steno illustre quondam Daniæ jubar* (*Specim. de Gland. & Muscul.p.4. & Elem. Myolog. Specim.p.68.*). Adde *Th. Bartholin. Cent. 4. Epist.70. p.417.*), cordisque substantiam omninò muscularem asseruerunt *Guilh. Harveus* (*Exerc. Anat.1. c.17.p.165.*), *Malach. Truston.* (*Diatr. de Us. Respir. f.11. p.40.*) *Richard. Lower.* (*c.l. p.17. 23.57. & c.2. p.74.sq.*) quod quidem erroneum suo tempore (*c.l.f. 276.a.*) *Avicenna judicavit.* Ergo compacta hæc substantia, comprimis si absque ventriculis cor sit, ut illius *ap. Is. Cattieri* (*obs. med. 18. in Schol.p.72.*) Poloni, quod tamen verosimile non videtur, magis præ reliquis partibus igni facesset negotium. *Conf. Sam. Bochard.* (*T. 2. Hieroz. l.5. c.17. p.1105.*)

§. 24.

Contenta demum cordis senum & sanguis in ventriculis & auriculis fluctuantia his venient jungenda. Ut vitrea, metallica, quin & lignea vasa humido repleta igni sine noxa concreduntur, humido verò absumto crepant, colliquescunt aut comburuntur. Ita & Cor seroso-sanguinei liquoris receptaculum. Pari modo vesica bubula tertiam partem aqua repleta, prius à subtilisata aqua rumpitur, quam à Subjecto igne corrumpitur. *Theodorici Archi-Episcopi* in Dania corpore quinque horarum spatio à flammis absumto

ven-

ventriculus in formam pilæ corrugatus ad huc conſpiciebatur, ob humorem intus ſtagnantem inconſumtus, de quo *Eraſmus Franciſci (p. 3. Theatr. Trag. hiſt.33. §. 23. p.128.)*

§. 25.

Ex cauſis præternaturalibus Cardiacus morbus, ut & venena aſſumta, ne flamma Cor invadendo in Cineres redigat, quibusdam prohibere dicuntur. Ita *Plinius (l. 11. hiſt. nat. c.37.)*. De *Germanico Suetonius*, *(in Caligul. c. 1.)* Antiochiæ obiit non ſine veneni ſuſpicione; nam præter livores, qui toto corpore erant, & ſpumas, quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt, cujus ea natura exiſtimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat. Hujus ſceleris cum poſtularetur *Piſo, Plinii (c.l.) recenſu, à Vitellio* in peculiari oratione genere morbi (Cardiaco morbo) abſolutus eſt. Allegant hoc etiam *Joh. Schenckius (l. 1. obſ. med. p.530.) & Caſpar. Calder. de Hæredia (T. 2. Tribunal. Mag. Med. ſt. 2. art. 1. p. 9.)*. Audire juvabit *(l. 2. Annal. p.m.126.) Tacitum:* Corpus, *refert*, antequam cremaretur nudatum in foro Antiochenſium, qui locus ſepulturæ deſtinabatur. Prætuleritne Veneficii ſigna parum conſtitit. Nam ut quis miſericordia *in Germanicum* & præſumta ſuſpicione aut favore in *Piſonem* pronior diverſi interpretabantur. In morbo Cardiaco ſublatis ſanguinem in vaſis & thalamis Cordis lentum viſcidum, craſſum, congelatumque Vulcani tyrannidi obſiſtere *Adrian. Spigel. (Epiſt. 2. ad Guilhelm. Sophier tr. de Format. Foet. annex. p. 64.)* reputabat, quamvis ea ratio è longinquo petita videatur *Petro Laurenbergio (Exerc. Anat. 10. §. 41. p. 400.)*, qui aliam commodiorem, quam tamen in medium non profert, dari poſſe cenſuit.

§. 26.

Qui contrarium ſuſtinent, ex igne provenire animalia, adeoque ſalvis eorum corporibus etiam in hoc Elemento habitare & vivere contendunt. *Ariſtoteles* poſtquam in nive vetuſtiore vermes naſci docuerat, etiam in igne beſtiolas oriri & vivere ſubjunxit *(l. 5. hiſt. anim. c. 19.)*. In Cypro Inſula, *inquit*, ærariis fornacibus, ubi chaccites Lapis ingeſtus compluribus diebus crematur, beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatæ, paulo muſcis grandibus majores, quæ per Ignem ſaliant, atque ambulent. Emoritur & hoc genus, & illud, nivis alumnus, cum alterum ab Igne, alterum à nive dimotum eſt. Vocantur Pyrauſtæ Aliis, quorum mentionem etiam fecit *Ælianus (l. 2. hiſt. anim. c. 2.) Hieron. Mercurial. (l. 3. var. lect. c. 14. p. 171.) Euſeb. Nirenberg. (l. 4. Hiſt. Nat. c. 18.)*. Pyrales *Plinio (l. 11. c. 36.)*. De Avibus Charyſtiæ *ex Anti-*

tigono Claud. Salmaſ. (Exercitat. in Solin p. 177.). De Animalibus Macedonicis & aliis anonymis *Mendoza (l. 4. Virid. Philoſ. probl. 23. p. 258.).* De Pyrrhibiis *Caſp. Schottus (l. 7. Phyſ. curioſ. c. 8. p.)* quod in igne durent & vivant, ſcriptum reliquerunt.

§. 27.

De Salamandra quæ referuntur à Naturæ Conſultis, in vulgus nota ſunt. In igne hunc, ignibus invictum vivere, ignemque extinguere, plurimi è veteribus prodiderunt. *Ariſtot. (c. l.) Plinius, (l. 20. c. 67.) Ælianus, (l. 2. c. 31.) Theophraſtus Ereſius, (l. de Igne p. m. 145.) Olympiodor. (in 4. Meteor. Auguſtin. (21. de Civit. Dei c. 4.)* Plura teſtimonia collegit *Exc. Joh. Paul. Wurfbain. Noſter (Salamondrolog. Curioſ. c. 12. §. 6. p. 110.)* Movit id Chymicos, ut Aurum Salamandram vocarent, quia ſc. ob Sulphur incombuſtibile (eadem dictio eſt, *judicat. illuſtris Rob. Boyle p. 4. Chym. Scept. p. 127.* æquè ſana, ac ſi dicas: nox Sole colluſtrata, vel glacies fluida,) ignis monarchatum reſpuit, & principia ejus igne paſcuntur *(Joh. Joachim Beccher. Metallurg. p. 3. ſ. 4. p. 229.).* Movit id & *Paul. Venet. (l. 1. de Region. Orient. c. 47. p. 41.)*, ut Lapidem Amianthum eodem dignaretur titulo. *Add. Anshelm. Boët. à Boot (l. 2. de Gemm. & Lapid. c. 204. p. 190.)* Egyptii hominem, qui Igne non comburitur, picta ſalamandra ſignificarunt. *Vid. Horus Apollo (l. 2. Hierogl. n. 60. ap. Jacob. Maſen. l. 6. Specul. Imag. c. 58. n. 30. p. 693.) Joh. Valerian. Pier. (l. 16. Hierogl. c. 25. p. 197.)* Et *Andreas Græcus Medicus antiquiſſimus, teſte Græco Nicandri Scholiaſte (in Alexipharm. n. 74. p. 65.)* prodidit: Si quis Salamandræ ſanguine vel manus vel veſtem obunxerit, quod oblitum fuerit ab igne nihil quicquam lædi.

§. 28.

De Ave quadam Indica nomine, Semenda commemorat *Hier. Cardanus (l. 20. de Subtil. p. 602.)* quod roſtrum habeat triplici ordine, atque ut in Ellychniis undique perforatum, quæ moritura dulce canat Cygnorum exemplo, inde collectis ſarmentis motu alarum accendant illa, uraturque: ex cujus cinere vermis, tum ex verme avis denuò renaſcatur. Salamandram tandem in fabuloſam converſam eſſe Semendam *Vir Summus, Jac. Thomaſius (de Exuſt. Mund. Stoic. Diſſ. 9. §. 57. & 58. p. 91.)* prodidit. Arabes Fabulam (de Salamandræ incombuſtibilitate) exceperunt, auxeruntque in majus, dixerat ante *(§. 49. p. 89.)*. Quin ex lacerta fecerunt (inſcitiæ non levi argumento) alii murem, alii minorem aliquanto vulpe quadrupedem, plerique avem. Atque his Semendal, (h. e. Salamandra, quam & Sendal, Semond, & Semendar ſcri-

ſcribunt) avis eſt quædam Indica, quæ in igne non comburitur. De eadem, *pergit, Damir*, hæc habet: E mirabilibus naturæ Semendal eſt, quod in igne deliciatur & in igne habitat. Et alii dicunt, Semendal eſſe in Indiæ regione quæ ova ponit & pullos excludit in igne, nec ignis eis quicquam nocet, propter proprietatem, quam DEUS illi indidit. Debemus hæc *Bocharto*, qui primus (*f. 822. ſq. Hierozoic.*) adoratus eſt Semendam, quam navigationes quorundam Indiæ produnt eandem eſſe cum Arabum Semendal, & hanc cum Latinorum Græcorumque veterum Salamandra. *Hactenus Thomaſius.* Rectius *Scaliger* (*Exerc. 234. p. 731.*) dictitat: Phœnicem in Mediterraneis Indiæ reperiri: Semenda vocatur ab Incolis. Cæterum, *addit*, hujus hiſtoriæ fidem levat mendacium. Ajunt enim ei roſtrum trifiſtulare, unde muſcium edat ſonum. Cujus ad imitationem paſtores inſtrumentum compoſuerint haut inſuave. Et quis hæc componet Semendam eſſe Salamandram, cum illa comburatur; hæc ignis violentiam eludat. De differentia Avis & Lacertæ jam dictum.

§. 29.

Dari etiam homines in igne viventes tanquam in proprio elemento, proditum legimus. Talis *ſecundum Martin. Rulandum* (*Lex. Alchem. p. 409.*) *gentilis mulier Eziſer*, quæ ſtatim atque infirmabatur in ignem ſeſe conjiciens reficiebatur, in eo tanquam aliquo balneo ſedens gaudensque. Saldini tales vocantur. Alias creaturas, ut omni Elemento; ita & igni ad evitandum vacuum Creatorem tribuiſſe, *Theoph. Paracelſ.* (*l. de Meteor. c. 4. p. 78. & l. 9. de Natur. Rer. qui eſt de Signatur. p. 920.*) opinabatur. Nuncupat eas Vulcanales (*l. 1. Philoſ. ſagac. p. 416. ſq.*); vulcanos (*ib. p. 736.*); Pennates (*l. de Peſtil. tr. 2. c. 1. p. 348.*); Salamandras & Salamandros (*l. de Nymph. Sylv. Pygm. & Salamandr. p. 143.*). Addunt his alii ſuperos, quorum monſtra Zundel. *Vid. Oswald. Croll.* (*præfat. admon. in Baſil. Chym. p. 15.*) Spiritus in ſuprema aëris regione, quæ igne viſibili abundat, Salamandras vocat *Joh. Sophron. Kozack* (*Anat. vital. c. 17. p. 118.*)

§. 30.

Quosdam ignem impunè tractaſſe pariter conſtat. De Hirpiarum familia ita *Plinius* (*l. 7. c. 2.*): Haud procul ab urbe Roma in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur *Hirpiæ*, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem *Apollini* ſupra ambuſtam ligni Struem ambulantes non aduntur. Add. *Joh. Valer. Pier.* (*c. l.*), qui Romæ vidit *Benedictum Teutonicum* arte Speculorum Fabrum, qui non temerè profitebatur, ſe per flammas medias inceſſurum, citra ullum vel capilli unius detrimentum. Ita ſanatores dicti,

Clibanum ardentem, ubi prius in hunc inſpuerint, ingrediuntur prorſus illæſi, extincto protinus hujus ignis vi, prout retulerunt teſtes oculati, *Joh. Marc. Marci à Kronland. (p. 5. Phil. vet. reſtit. ſubſ. 9. p. 554.)* Inter *quos Illuſtris Comes Franciſcus Verdugo.*

§. 31.

Servam Æthiopicam ipſo præſente carbones nudis manibus ſine læſione tractaſſe, *Petrus Servius (tr. de Ungv. Armor. in Theatr Symp. & Antip. p. 539.) narrat.* De quodam, qui manus in plumbum liquefactum immittebat, *Pierius (c. l.)*. Metalli fuſores aliquoties deprehendit in Cupro fuſo ardentisſimo, tanquam in aqua limpida manus utrasque ex improviſo mergere, ac ſi lavarent: Et in moletrinis ferrariis porcis jam compactis & adhuc ſcintillantibus pede nudo ſuper ambulare *Joh. Nicol. Binninger. (Cent. 1. obſ. 8. p. 10.)* Metallurgos Leodicenſes maſſas ferreas ignitas plantis pedum calcaſſe, imò rivo ferri fluidi ex fumo emananti digitorum apices immerſiſſe ac propè manipulum hujus in vicinum parietem ejaculaſſe, vidit Blombergæ *Joh. Jacob. Wepfer. (Hiſt. Cicut. Aquatic. c. 8. p. 86.)*. Vidi & hoc olim in beati ſoceri mei *Dn. Henrici Sigelii* Mega-Pöhlenſi officina ferraria. Gemella huc ſpectantia offert *Th. Bartholin. (Cent. 6. Hiſt. 80. p. 287.)*

§. 32.

Sed & conſtat *ſupra (§. 14.) è Thuani* relatione, quibusdam eſſe corporis partem in quam ignis nil poſſit. De oſſiculo Lus vel Luz Rabbinorum eſt perſuaſio, *juxta Caſpar. Bauhin. (l. 1. Theatr. Anatom. c. 48. p. 167.). Job. Riolan. (l. 6. Enchirid. Anat. c. 16. p. 455.) & Theophil. Spizel. (Conſid. Corp. Glorioſ. §. 16. p. 39.). Adrianus* namque *Imperator* quæſivit aliquando ex *R. Jeoſuah filio Hanina*, unde DEUS benedictus germinare faciet hominem in futuro ſeculo? Reſpondit ille ex Lus, ſeu oſſiculo ſpinæ. Rurſus alter, unde hoc? Da mihi, *inquit ille*, oſſiculum, & te docebo; Contudit illud in mola, ſed non tuſum eſt, conjecit in ignem & non conflagravit; conjecit in aquam, & non attritum eſt; impoſuit incudi, malleoque cecidit, ſed ne hilum comminutum eſt. Oſſiculum hoc Arabibus, ac verè occultis tenebricoſisque Philoſophis Albadaran nuncupari, dudum *Andreas Veſalius (l. 1. de Human. Corp. Fabr. c. 28. p. m. 356.)* annotavit. Idem de Al-Aibi oſſiculo juxta os Sacrum Mahomedani, *teſte Eduardo Pokockio (Not. Miſcell. ad Poſt. Moſ. c. 6. p. 117. & c. 7. p. 255.)*. De pollice in dextro pede *Pyrrbi* idem tradunt *Plutarchus (in Pyrrho c. 5. p. m. 5.), Plinius (l. 7. c. 2. & l. 28. c. 4.). J. B. Fulgoſus (l. 1. c. 6. p. 88.). Laurent.*

rent. Vair.(l. 1. de Fascin. c. 11.) De dentibus Alii, *alibi (h. l. Tit. 6. §. 13.)* citati. De primo virginum Zenith, *Henric. Kornmann. (Templ. Nat. p. 68.)*

§. 33.

Prostant etiam apud Autores varia, quæ ignis actionem sufflaminare perhibentur. Sanguinem Salamandræ pro inunctione commendat *Andreas, Græcus Medicus (Vid. Scholiast. Nicandri in Alexiph. n. 74. p. 65.)* Cor Salamandræ sine timore contra ignem facit gerentem, ac audacem contra incendium & incombustum, perhibet *Autor Kiranidum. (Alphab. 2. p. m. 92.)* Usum visci habet *Theophrastus Eresius (c. l. p. 145.)* Mercurialis ac Portulacæ succum, *Conciliator (Diff. 24.)* Ovum aut potius albumen ejus *Plinius (l. 29. c. 3.)*. Junge his illa, quæ *Caspar. Schottus (Mag. Univers. l. 2. p. 4.)* collegit.

§. 34.

Verum enim verò modo allata vix probabunt, quod debent. Quæ de generatione & vita animalium in & ex igne recitantur, Eruditorum assensum non ferent, cum ignis, quæ est mors rerum positiva, nullum procreet vivens. In igne generantur, non ex igne, *Casp. Schottus (l. 7. Phys. Curios. c. 8. §. 3. conclus. 2. p. 811.) arbitratur.* De materia ex qua, ita *Joh. Bustamantinus (l. 6. de Animal. S S. c. 2.)* Nihil vetat ex igne elatis vaporibus viscidis natura algentibus parte aquæ juncta mistæ materiæ, quæ exuritur propitia Cœli influentia in mistis apta, æstu medio progignentur, ut Pyrigona illa in fornace. Rectius & verius mihi philosophari videtur *H. Mercurialis (c. l. p. 172.)*, qui potius credit ex terra metallis commixta ea prius nata (optimè omnium è semine ibidem relicto) accensis fornacibus erumpere, quam ex ipso igne oriri. Pyrrhibia in flammis versantur, non ut in iis nutriantur, sed foveantur, ambiunt vaporem calidum saltem, centrum, in quo maxima ignis activitas, non penetrant. Dari verò posse animalium genus, quod ignem toleret, ut Asbestum, in eo *Schotto (c. l.)* minimè pollicem premo.

§. 35.

De Salamandra quæ proferuntur, nil concludunt. Ignem tolerat parvum, non magnum, vehementemque, quamvis etiam ignem stipularem non sine noxa quadam pertulisse *Casp. Schottus (c. l. p. 812.)* perhibeat. Mortua facilè in cineres; viva, difficulter quamvis, revera tamen redigitur, si diutius igni committatur. Salamandram ad certum usque terminum, quem tamen non definit, ab igne nihil pati, credidit *(l. 3. de Temper. c. 8. p. m. 283.) Galenus.* Moram duarum horarum in igne non ita vehemente quondam tolerasse, vidit *Th. Bartholin. (Cent. 2. Hist. Anat. 50. p. 260.)*. Salamandram frustra creditum

 est

est ignibus non uri, jam olim scripsit *Dioscorides (l. 2. de Mat. Med. c. 56. Add. Petr. Andr. Mathiol. in Comment. p. 221.)*. Cujus etiam cineres præscripsit *(l. 4. de Med. Sec. loca comp. c. 7.) Galenus*. Secutos hunc *Plinium & Paulum Æginetam* animadvertit *Andr. Chiokus (s. 6. Mus. Calceolar. p. 677.)*. Vid. & *Joh. Mercklein (Ost-Indianische Reise-Beschreibung p. 370.) J. P. Wurffbain (c. l. §. 9. p. 115.)*

§. 36.

Cur verò ad tempus ignem ferat, in causis reddendis variant Autores. Pellis crassitiem allegat *Alb. M. (l. 26. de Anim. f. 102. b.)*. Clarius hanc explicasse sibi visus est *Scipio Claremontanus (l. 1. de Venen. c. 29.)*, dum ex limo procreari Salamandram somniavit suaviter, qui limus deinde ita se in cutem insinuet, ignique refragetur. Quis autem etiam limum igniri non expertus est? Frigus innatum cum allegasset *J. N. Pechlin. (l. de Aër. & Alim. def. c. 11. p. 155.) addit*, quod si corpusculum illud accuratius exploremus, reperire licet, cum interna viscera, tum externam superficiem glutine oppleri mucoso & frigido. Est enim, uti in Raja, ita hic quoque tubulis pertusa cutis, qui viscum sudent. Hujus succi tàm lenti beneficio, & quem salivariis fontibus pro necessitate emungit, fieri verosimile est, ut ignei carbonis vehementiam tantillum sustineat, & quodammodo extinguat, notante id illum *Corvino, Equite Romano*. Quod ut clarius patescat, audiendus omnino *(c. l.) Th. Bartholin.* qui de Salamandra à se visa sequentia: Singulari artificio natura dictitante ignis fervorem temperabat. Qualis liquor illi sit quæras, venenatum reputat, cum aspectus ejus Caphalalgiam, *testimonio laudati Th. Bartholini (c. l.)* excitaverit Romæ ejus Possessori, *Henrico Corvino*. Salamandræ morsus tot Medicis opus habet, *docet Athan. Kircherus (l. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 3. c. 8. §. 3. Reg. 7. p. 94.)*, quot maculis distinguitur, ut est in proverbio, quia colorum varietas & venenorum varietatem arguit. Nigrum autem obtinet colorem maculis flavis instar stellionis distinctam. Plura de Veneno Salamandræ terrestris & aquaticæ *ap. Casp. Schottum. (c. l. §. 2. p. 808.)* Liquorem istum haurit à terra natali. Iterum hic *Bartholini* verba adoptanda: Novem hic mensibus in vitro sine cibo vixit, terra tamen, cum qua advenerat (non igne ut malè veteres,) alimenti loco utebatur. Ex hac humidum omne exsugebat, qua exsiccata sequenti septimana eundem liquorem rejecit, iteratisque vicibus suxit & evomuit. Demum in aliam terram Cœli nostri imposita, ci.ò (sine dubio alimenti convenientis pernuria) mortua est. Eadem ferè *à Nicolao Stenone (T. 3. Eph. Erudit. 8. p. 109.)* notata leguntur.

§. 37.

Dari homines in igne viventes, si quis leget, quis à risu sibi temperabit. Gentilis mulier *Ezifer* prodiogiosi cerebri informis partus est & monstrum. Creaturæ *Paracelsicæ* vulcanales, vulcani, Pennates Salamandri & Salamandræ superi, quibus occurrerunt præterquam *Paracelso per febrem deliranti*, rident & has qui in calcaneo cerebrum gestant. Qui ignem impunè tractarunt è Præstigiatorum aut Magorum ordine sunt. Hirpias se pharmaco quodam contra ignem se muniisse è *Varrone* scimus, quod *Servium* malè habet *Comment. in l. 11. Æneid. Virgil. v. p.*), qui artificium illud *Apollini* acceptum retulit. Idem *de Benedicto Teutonico (c. l.) Pierius*. Sed ista adhibita ad curtum tempus ignis apotropea experieris. Qui nudis manibus ignem tractant circumforanei credulum fallunt vulgum, dum namque plumbo liquefacto manus se immergere produnt & gloriantur, Mercurio currente s. vivo prunis imposito & fumanti eandem immittunt spectatoresque naso suspendunt adunco. Ita manus & pedes callosi prunas non æstimabunt, aut alia candefacta, cum fortiter calcando prunarum vim, *monente Theophrasto (c. l.)*, infringere liceat, quod & in fortiori manibus facta compressione experimur. Conveniunt igitur cum urtica prunæ

- Quam si quis contingat molliter uret:
Et timidas lædet tacta Borago manus.
Hæc tamen intrepido franguntnr spicula pressu:
Hacque omnis subitò pellitur arte dolor.

Nicol. Taurell. (Emblem. 2.). Quæ de certa corporis nostri parte flammis invicta in medium allata, nugæ sunt, & cerebri ad figmenta compositi fructus.

§. 38.

Quæ de Venenorum efficacia & morbo Cardiaco regeruntur jam *supra* (§. 25.) discussa. Spectat huc otiosa & contra mentem *Plinii* illa *Pauli de Sorbait (Med. Pract. tr. 1. c. 50. qu. 4. p. 349.)* interpretatio, dum asserit, locum *Plinii* non intelligendum esse, quasi Cardiacorum cor sit incombustibile, sed, cum in Cardiaca, ob Syncopen moriantur, dicat cor uri non posse, id velit, cor non posse esse inflammatum, quia in Syncope semper summè est refrigeratum.

§. 39.

Nec majoris ponderis aut melioris farinæ sunt, quæ de certa corporis parte ignem eludente. De ossiculo Lus, s. Luz & *Pyrrhi Epirotarum Regis* pollice tàm certa non sunt, prout vulgò creduntur, & *infra (l. 3. Tit. 2. §.)* diluen-

luentur, quæ ad dentes, ignis vehementiæ repugnantes, ſpectant, *nuper* (*Tit. h. l. 6. §. 13.*) fuſius explicata leges.

§. 40.

Non igitur cordis humani in medio flammarum durabilitatem credidit *Anton. Santorell.* (*Poſt. Prax. Med. c. 42. p. 139.*) cum nulla cordi imprimi qualitas poſſit, quæ igni actuoſiſſimo Elemento reſiſtat. Firmo etiam talo ſtat illa *Excellentisſimi Anatomici Adriani Spigelii* (*c. l.*) ἐπίκρισις, qua corda iſta ὑπερβολικῶς incombuſtibilia dici decernit, à cujus latere etiam ſtat *Magnus ille quondam Jenenſium Apollo, Guerner. Rolfinck.* (*Diſſ. de Cord. c. 2. p. 22.*)

§. 41.

Coronidem huic titulo imponet *J. B. Helmontius* (*tr. de Lithias. c. 9. n. 99. 100. & 107. p. 729.*). Viva caro, *dictitat*, amburitur facillimè, excoriaturque ab aqua ebulliente. Mortua autem caro tardius crematur. Eſtque alia ambuſtio, ſi viva manus, quam ſi cadaveris uratur. Siquidem aduſtio veſicas minimo ardore excitat, ſic ut idem etiam ſub ſole contingat. Poſterior verò combuſtio carnem torret, non ſecus ac ſi aſſaretur, nempe absque veſiculis & excoriatione. Concludit ergò vitam duntaxat eſſe diverſitatis illius cauſam. Quod eſt dicere vitam eſſe agens proprium ſenſationis in ſenſitivis: & vitam eſſe ejusmodi cauſam, quæ inſuper vim habet ambuſtiones faciendi in vivis, & in materia medica, imò etiam ſe ſiſtendi, vel non. Quapropter reperio, *pergit*, vitam primarium efficiens, ac immediatum ſenſus ac doloris. Siquidem vis ignis recepta & introducta in cadaver non eſt ſenſibilis, imò nec propriè ambuſtiva, qualis in vivis: Sed potius aſſativa vel toſtiva. In vivis namque liquor carnis per indignationem animæ ſenſitivæ celerrimè in acres liquorem convertitur ac ſubſtantialiter transmutatur: qui in mortuis non eſt vitali transmutationi obnoxius. Adeoque inter fibras bulliendo & frixando carnes torret & aſſat. Caro enim mortua patitur per gradus, quos alia corpora non ſenſitiva non unico modo patiuntur ab igne. Verum in vivis etiam aqua bulliens ſtatim veſicas parat: pars ſolida dein velociter contrahitur & crematur. Idcirco iſta ambuſtionis actio in vivis ac ſenſitivis fit efficienter ab ipſa vita: ab igne autem effectivè per modum medii activi occaſionalis & externi. Vita nimirum ipſa ſentiens ignis rigorem acuit ſuum liquorem, transmutatque in veſicas, ac dein in eſcharoticum liquamen. Et quantum ſcilicet ab igne corripitur, tantundem poſtmodum per diſpoſitionem relictam corrumpitur, quia mortuum eſt.

§. 42.

§. 42.

Nec negligenda illa, quæ *(c. l. n. 103. p. 73.)* subnectit: Consideravi, quod Ranunculus, Apium, flammula &c. non vesicent in cadavere. Vesicant tamen carnem vivam. Censui itaque, quod in ipsa anima sensitiva consisteret differentia hujus actus, & non primariò in flammula. Quippe quæ tantum vesicat, quatenus mordicatione justo acriore infestat hæc Spiritus sensitivos, ut qui sensatam acrimoniam mitigent, retundant, aut extinguant, furit anima in illis resolvitque, ideò propriam membrorum substantiam vitalem in albumen corrosivum, qua propter ipsamet anima sensitiva, ut immediata substantia sensitiva: ita est causa efficienter effectiva; Flammula verò quæ in cadavere operatur nihil, est causa effectiva occasionalis externa & excitativa. *Hæc ille*, *(add. tr. Nat. contrar. nescia n. 37. p. 139.)*. Unde rectè dicitur *à Thoma Campanella*, cauterium potentiale si applicas cuti, & parti animalis demortuæ, nunquam illam corrodet & mortificabit. Tu intellige, *subjicit Joh. Theod. Schenckius (Med. Disputat. l. 5. p. 1. s. 1. Act. 1. p. 113.)* ut fiat fonticulus. Notum siquidem est, quod calx viva cadaveribus inspersa paucarum horarum spatio carnes corrodat & depascat, ceu vidimus factitatum sæpissimè hoc ab Italis Anatomicarum dissectionum tempore, quo cadavera manibus dissecantium, ipsique theatro Anatomico subtraherent. Add. *Th. Bartholin. (Cent. 3. hist. 54. p. 107.)* & quæ *infra (l. 3. Tit. 1. §.)* dixi. Clarius *Th. Willis (p. 2. Pharm. Ration. s. 3. n. 3. p. 429.)* Vesicatoria ab effluviis partis subjectæ calefactæ, adeoque ad vires suas exercendas incitatæ à se particulas acres & quasi igneas copiosè dimittunt, quæ cuticulam sine dilaceratione penetrantes cuti impinguntur: ubi primò in Spiritus, dein horum affectione in humores & partes solidas agunt. Quod autem illa *(concludit p. 431.)* primò in Spiritus agunt, inde constat, quod in defunctis nullam vim exerunt, etiam in valde languidis malum omen est, vesicatoria non operari, quia scilicet indicio est, spiritus animales prosterni aut copia diminui. *Add. Carol. Rayger. (ad Spindler. obs. Med. 62. p. 118.)*



Lib. I. Tit. VIII.

De

Abdominis crepatura & viscerum egestione.

Summarium.

1. *Viri ventricosi. 2. Fœminæ. 3. Excommunicati post mortem tympanitici. Burco Lacca, Butho Laca. 4. Flatuum potestas. 5. Ascites, Calculus. 6. Morbi acuti, venena intus genita. 7. Venena hausta. 8. Exempla. 9. Presteris morsus. 10. Medicamenta Mercurialia. 11. Frigore extincti. 12. Arbor Aquapus. 13. Quæstio. 14. Venenorum vis. 15. Causa rupturæ. 16. Status Controversiæ. 17. Rationes negantium. 18. Exempla in Contrarium. 19. Ira. 20. Venena non cutem solum, sed & abdomen rumpunt. 21. Arii Hæretici mors. 22. Exempla alia. 23. Igni Cadaver injectum rumpitur. 24. Negantium rationibus respondetur. 25. DEI digitus. 26. Abdominis corruptio. 27. Judæ mors. 28. Dubitatur de genere mortis. 29. Unde crepaturæ diversæ conjecturæ. 30. Judam ex alto se præcipitasse. 31. Historiæ gemellæ. 32. An à morbo strangulatus. 33.* Ἀπαγχόμενος *quid Hippocrati. 34. Judam se suspendisse Theologi sentiunt. 35. Arbor in qua se suspenderit. 36. Poëtarum lusus. 37. Nova difficultas. 38. Dæmonem Judæ creporem effecisse. 39. Jacobi Perizonii opinio. 40. Casauboni. 41. Wedelii. 42. Jac. Gronovii. 43. Inclinato ad terram vultu suspensi. Dæmonis cooperatio. 44. Maculæ & tumores abdominis in Strangulatis. 45. Internarum partium putredo. 46. Wedelii Conjectura. 47. Partium internarum crepaturæ variæ. 48. Uteri & Vesicæ.*

49. Paradoxa quædam opinio modestè reprobatur. 50. Conjectura. 51. Historia gemella. 52. Thoracis ruptura fidem excedens in vivo; Abscessuum in mortuo. 53. Singulares Ballonii observationes. 54. De in aquis inventis, an suffocati ab aquis, annon?

§. I.



Entre prominulo tumidoque multos videas, quibus, *ut Persii* (*Sat. 1. v. 57.*) verbis eloquar,

Piguis aqualiculus propenso sesqui pede extat.

Quam de *Eleazari & Ismaëlis* obesitate, quibus ventres ita intumuisse scriptitant Rabini, ut cum faciebus & abdominibus juncti starent, duo validi boves inter eos transire potuerint, recensuit *Petrus Laurenbergius (in Musomach. p. 64.)* fabulam merito sibilis explodo & consector. Παχυσμῷ conspicuum in exercitu suo habuit *Epaminondas Thebanus*, quem & ideò expulit, cum *referente Plutarcho (in Reg. & Imperat. Apophteg. f. m. 90. b.)*, vix tribus quatuorve scutis Ventrem ejus tegi posse judicaret, propter quem ne sua pudenda unquam vidisset. Erat *Galeotus Martius* usque adeo distento abdomine, ut cum vasto obesi corporis pondere vel prægrandia jumenta fatiscerent, rheda curuli veheretur, ac demum senex ad montem Annianum circa Ateste arvina suffocatus interiret. Ita *(in Elogiis n. 44. p. 105.) Paul. Jovius. Apud Scardeonium* (*l. 2. Rer. Patavin. c. 12.*) *Galeotus* â ruina suffocatus legitur sed arvina rectius; rescribit *Gerhard. Joh. Vossius.* (*l. 3. Histor. Latin. c. 11. p. 512.*) Aliter etiam hujus obitum descripsit *Joh. Pier. Valerian.* (*l. 2. de Literat. Infelic. p. 53.*). *De Dedone ista Georg. Fabric. (l. 1. Annal. Misn. p. 33.) Dedo Rochlicius, Conradi Marchionis Filius, dictus* propter obesitatem Crassus. Hic arvinam corporis secandam Medico præbuit, antequam *cum Henrico VI.* militatum iret in Apuliam, *ut scribit Conradus Lauterbergius.* Idem forsan *ex Eodem Elias Reusner. (Geneal. Basilic. p. 275.).* Quin & *L. Apronii Consularis viri filio* detracti adipes, levatumque corpus, *Plinii testimonio* (*l. 11. c. 37.*), immobili onere. Sed hanc operationem tanquam impossibilem & periculosam nec unquam (cum felici exitu) tentatam, rectè rejecit *Exc. Joh. Dolæus (l. 5. Encyclop. Chirurg. c. 1. p. 478.).* Plura exempla obesorum desideranti *Galen. (de Differ. Morb. c. 9.) Johan. Ravisius (l. 2. Officin. Hist. c. 47. p. 177.) Dan. Sennert.* (*l. 5. Prax. Med. p. 1.*

c.4. p. 21.) Th. Bartholin. (Cent.3. hist. Anat.38.) Theod. Kerkring. (Spicil. obs. 66.) Epiphan. Ferdinand. (Hist. Med. 82. p. 103.) Joh. Dolæus (c.l.p. 468.) cum Aliis suppeditabunt.

§. 2.

In nobili quadam Romana pinguedo infra ubilicum ad genua usque prolapsa pendebat, ut, *Dom. Panarolo (Pentecost. 4. obs.32. p. 130.) teste*, fascia lata ad regendam immodicam molem, quæ collo & humeris firmabatur adhibenda esset. Si cum Lacertæ sepo, halinitro cyminoque farinam tritici miscueris, gallinæ hoc cibo saginatæ, adeo pingue faciunt homines, qui eas ederint, ut disrumpantur, *memorat. Hieron. Cardan. (l. 18. de subtil. p. 940.)*. Partum numerosiorem, quæ uteri ambitu occultant fœminæ, stupenda ventris prominentia non raro deprehenduntur. *E Francisc. Pico Mirandulano Principe (Comment. in Hymn. 2.) Joh. Schenckius (l.4. obs.med. p.585.)* & ex hoc *Mich. Dœring. (Epist. de Hern. uterin. ad Guilhelm. Fabric. Hildan.) narrat, Dorotheam Italam* gemino partu viginti filios edidisse, primo quidem novem, altero undecim. Illa verò utero gestans longa & lata fascia circa humeros alvum ad genua procumbentem fulcire cogebatur. Iconem hujus si videre aves, *Ulyssem Aldrovandum (Hist. Monstr. c. 1. p. 57.)* evolvere non graveris.

§. 3.

In his omnia secundum Naturam. Quod ad statum supra naturalem, excommunicati apud Græos non putrescunt, abominanda autem eorum cadavera evadunt colore nigro & τυμπανιῖα, tympani in morem turgentia & inflata, percussaque tympanorum in modum sonum edere dicuntur. *Leo Allatius (Epist. de Quorund. Græcor. Opinion. p. 152.)* de se puero *scribit*, cum Chii Grammatices Tyrociniis, *apud Michaëlem Neuridam* operam daret sibi simile cadaver visum in adaperto ibi sepulchro, quod diutissime clausum fuerat. Cutem ejus adeo intumuisse *narrat*, ut multis ictibus, quos neque corium bubulinum, neque fornix ipse commenticius sustinere potuisset, salva & incolumis superfuerit, omnibus suis partibus absoluta, distenta atque subnigra. Scribit præterea, tanta vi cadaver injecta repercussisse, ut etiam gravissimæ molis machinæ resiliissent, atque nisi cavissent, qui projecerant, casu illo fuisse succubituros. *De Arsenio* Diacono & *Joannicio Patriarcha Hierosolymitano* excommunicatis lege, quæ exhibuit (*in Turco-Græc. p. 147. & p. 155.) Martin Crusius.* Vocabant tale Cadaver Burco laccam aut Butho lacam â fœditate, cum βῦρκα, limus putrescenti aqua maceratus, adeoque pestem

ſtem narium exhalans & λάκκ☉ foſſa, ſit, in qua hujusmodi limus continetur, ut è *citato Allatio* (*c. l. p. 42.*) diſpaleſcit. Lurida tumidaque illa cadavera ἀδιάλυτα permanent, donec Anathematis vinculo publicis Eccleſiæ precibus ſolvantur & tunc oppido in cineres deſident. *Vid. Leo Allatius* (*c. l. p. 151.*) *Hotting.* (*Hiſt. Eccleſ. Sec. 12. p. 179.*) *D. El. Vejel.* (*de Græc. Eccl. p. 35.*). Reſolutionem hanc cum fragore contingere quidam annotarunt, & cum Diabolus talismodi cadavera aſſumere, & noctu vivos ad mortem usque terrere credant, aut anathema reſolvendum, aut igne corpus cremandum cenſuerunt.

§. 4.

In præternaturali ſtatu conſtitutis abdomen non rarò magnum in modum diſtenditur. Flatuum quanta ſit poteſtas, quas Tragoedias excitent in propatulo eſt. De Inteſtinorum ſingularis *Antonii Benivenii* eſt obſervatio (*de Abd. Morb. & Sanat. cauſ. obſ. 39. p. m. 176.*): Virum novimus, *ſcribit*, quem dolor in pleniori inteſtino exortus adeò cruciaret, ut nullo interim Spiritu erumpente medium hominem disjectum iri putares, cumque fruſtra multa auxilia adhiberentur, & non ſolum Clyſteria in alvum demitterentur, eadem prorſus ejicerentur, ſed & medicamenta quoque tam nihil ex ipſa alvo deponerent, ut iter hinc inde clauſum crederes. Tandem cucurbitula umbilico affixa, ſoluta eſt umbilici ipſius unitas: indeque Spiritus craſſior erumpens & cucurbitulam ipſam disjecit, & hominem omni amoto dolore priſtinæ ſanitati reſtituit. De flatibus hypochondriorum

Seditionem dum facit Lien & præcordia occupat,

ut eſt *apud Plautum* (*in Mercator. act. 1. ſc. 2.*), *apud Eundem* (*in Curcul. act. 2. ſc. 1.*) hunc in modum quiritatur *Leno Cappadox*:

Valetudo decreſcit, accreſcit labor,
Nam jam quaſi Zona Liene cinctus ambulo,
Geminos in ventre habere videor filios
Nihil metuo, niſi ne medius disrumpar miſer.

Eandem ſcenam illos in colica flatulenta, paſſione iliaca, Tympanitide ludere toties circa ægros occupati obſervare poterunt. De flatibus à Menſtrui & Lochiorum retentione obſervationes *Nobiliſſ. Dn. D. Carol. Raygerus* (*M. C. D. 1. Ann. obſ. 6. p. 8. & 9.*) recenſuit. Nec humores omnis criminis abſolvendi, quod aſcites evincit & flatus & humoris Symbolum ſuum huc conferre complicatos, etiam Aſcites, ſcorbutus, morbi maligni, externa aſſumtaque venena liquidò teſtantur.

§. 5.

Ascites in quam monstrosam figuram abdomen elevet, ex historia *P. Foresti* (*l.19, obs. med. 37. p.256.*) constat. Ascite, *inquit*, quidem laborabat, cujus venter tumidus erat, & adeò elevatus, ut rumpi videretur: quem cum manu percuterem aqua, ut in utre collecta, sonabat. Ascitis inde forsan nomen enatum *ἀπὸ τῦ ἀσκῦ* ab utre, quod utris, instar corpus, *ex mente Galeni* (*Comm. in 6. Aphor. Hipp. 11.*), aut potius quod in Hydrope saccato abdomen pulsatum sonum emittat. His circa umbilici regionem ruptura sæpè imminet, umbilicus dum prominet, qui à tussi ferina concussus cum Peritoneo rumpitur, quale exemplum *Phil. Salmuth.* Lectoribus suis (*Cent. 1. obs. 84. p.52.*) offert. Quod aliquando salutari cum eventu evenit, dum seri colluvies vasis umbilicalibus hiantibus exitum invenit, abdominisque concidit moles. Exempla *Anton. Benivenius* (*obs. Med. 12. p. m. 146.*) & *Joh. Schenckius* (*l.3. obs. Med. p.439.*) collecta dabunt. Secuti hinc solertiores Medici Naturæ institutum visceribus adhuc salvis, umbilico compuncto, multos orco consecratos sanitati restituerunt Asciticos, inter quos comprimis nominandus *Sanct. Sanctorius*. Imitaturis hanc operationem cautelæ, quas *Sanctorius* Medico Polono quodam suggessit, & *Laur. Straussius* operi Schenckiano inseruit (*p.453.*) non perfunctorio oculo lustrandæ. Calculo laboranti supprimebatur urina, inde totum corpus ita inflabatur, ut crepaturam, *memorante Phil. Salmutho* (*Cent. 2. obs. Med. 82. p.97.*) ferè minaretur.

§. 6.

Quod ad morbos acutos. Ab humore nigricante in abdomine contento cadaver pueri, febre peracuta mortui, venter *secundum Nathan. Highmori observationem* (*l. 1. Disquisit. Anat. p.3. c.3. p.73.*), summè extendebatur. De alio, febre pestilenti & venenata extincto *Dn. Panarolus* (*Pentecost. 1. obs. 47. p.28.*): In tantam molem (portentosam aspectu) membra omnia excreverunt, ut tanquam monstrum aliquod cerneremus, eoque magis, quoniam in hypochondrio cum elevatione & depressione ipsius murmur & rugitus sentiebatur, tanquam vivus esset homo. Febre maligna correptus statim intumescebat etiam capite, ut oculorum & nasi vix deprehenderentur vestigia, corpus verò Sarcophago illatum ita distendebatur, ut timerent ne Sarcophagi asseres disjiceret. De venenis intus genitis *ap. Laur. Scholzium* (*Consil. Med. 146. col. 574.*) ista *Hieronym. Capivaccius*: Humores & Spiritus à proprio principio in materiam deleteriam revocati liberi & soluti, quinimò ab eadem refugientes quodammodò ad partes

optimas delabuntur, & sic universum corpus attollunt, & ora venarum aperiuntur, unde & sanguis effluere solet.

§. 7.

Quis verò non vidit à veneno hausto abdomen in stupendam excrescere & attolli molem. In vivente nutrimentum in flatus converti *Caspar. Calder. de Haredia* (*Tribunal. Mag. Med. Stat. 10. Artic. 7. p. 64.*) ratiocinabatur. Ex aliis principiis philosophabatur *J. B. van Helmont.* (*Tr. de Flatibus n. 72. p. 344.*) Neque cadaver tumescit, *scribit*, ob novæ materiæ acquisitionem: Sed quia vita est præcipue in visceribus, ideo habitus corporis à veneno primum contaminatur. Corruptio autem carnis semper est in acido (insigni ne[illegible] mysterio fermentata vetita leguntur Judæis) subita ergò & atrox corruptio in carnes impingens etiam flatum & tumorem in illis gignit. Spiritum vaporosum olim vocabat *Galenus* (*l. 2. de Art. Cur. ad Glaucor. c. 3. p. 57.*)

§. 8.

Exemplis rem ut confirmem, forsan non opus erit, cum hæc quotidiè illa nobis ob oculos versentur, interim evolvi poterit *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. Hist. 18. p. 202. Volum. 4. Act. Hafn. obs. 36. p. 118.*) de quodam, *secundum Joh. Domin. Salæ* mentem, intoxicato, cujus totum corpus, postquam exspiravit, in immensam molem auctum, ut monstrum potius, quam humanum corpus videretur. Strichni seu Solani furiosi eundem esse effectum, *J. Matth. Faber* (*Strychnoman. obs. 2. p. 10.*) *testatur.* De *Petro Lorillard* Ista *J. N. Binninger* (*Cent. 4. obs. 100. p. 480.*): Die post mortem prodigiosè corpus intumuit, omninò nigrescens. Caput præ tumore figuram amiserat, digiti brachium magnitudine æquabant, coxæ corporis medium; testes instar vesicæ bubulæ erant, penis proportionatè turgebat. Ita monstrosè & subitò brevi tempore inflabatur universum cum livore corpus, ut id magna vi in arcam trudi & recondi opus fuerit, ne in immensam molem augesceret, nec ab arca, nec à sepulchro capiendam. Veneno extinctum credidit vulgus, quod verisimile est; nisi contractum ab extravasato & corrupto in ventriculo sanguine virus tantorum Symptomatum autor fuerit. Simile huic propalavit *Dn. Panarol.* (*Pent. 1. obs. 47. p. 28.*) & hoc phænomenon veneno ingenito ascribendum censuit, quem vide.

§. 9.

Venenatorum morsum aliquando idem sequitur phænomenon. De *Nasidio*, quem Prester Serpens morsu impetierat, sequentia *Lucanus* (*l. 9. Pharsal. v. 793.*)

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit Præster, illi ruber igneus ora *Suc-*

Succendit, tenditque cutem pereunte figura:
Miscens cuncta tumor toto jam corpore major
Humanumque egressa modum super omnia membra,
Efflatur sanies letè tollente veneno:
Ipse latet penitus congesto corpore morsus,
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumens accenso non sic exundat aheno
Undarum cumulus, nec tanto carbasa coro
Curavere sinus, tumidos jam non capit artus
Informis globus, & confuso corpore truncus.
Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud impune feris, non ausi tradere busto
Nondum stante modo crescens fugere cadaver.

De Circumforaneo à colubro virulentissimo morso (*l.3. Progymn. Latin. 41.p. 741.) Jacobus Pontanus:* Proh! Proh! quæ viri facies? Num uter magis inflaretur? Totus est follis; jam jam crepabit effusis humi visceribus.

§. 10.

Idem à Medicamentis Chymicis mercurialibus ante obitum haustis (post obitum namque infusum purgans aut laxativum nil operari, rectè *Aureol. Theophr. Paracelsus Secret. de Terr. Element. præfat. p. 687.* statuit,) contigisse mihi fidem fecit Medicus quidam celeberrimus. Cum enim ægro duobus ante obitum diebus quidam Mercurium vitæ κατ' ἀλλ̓ίφεgοιν & mortis pararium *à Joh. Petr. Lotichio (l. 4. obs. Med. c. 1. obs. 5. p. 290.)* dictum, propinasset, non solum post mortem abdomen immensum intumuit, sed & σκύβαλα altero à fato die, non aliter ac si vivus purgaretur aliquoties egessit. Dejectiones post mortem & rugitus hypochondriorum à Solano interemtis familiares, *laudatus J. M. Faber (c. l. p. 45.) notat,* materiam etiam putidam per nares & posteriora copiosè profluentem *observavit (l. 6. obs. Med. c. 6. obs. 2. p. 548.) citatus J. P. Lotichius.* Post Syrupos copiosè propinatos cadavera cum spuma tumida ob fermentationem à saccharo concitatam *famigeratissimus Joh. Joach. Beccherus (l. 1. Phys. Subterr. s. 5. c. 2. n. 73. p. 380) confirmat.*

§. 11.

Frigore extincta cadavera in locum tepidum aut calidum translata mirum in modum intumuisse, recordor. *De Caroli Burgundi* Cadavere inter occisos quæsito & reperto (*l. 13. Wandel. c. 13. p. 301.) Alb. Kranzius:* Nadatum corpus & vulnere geluque tumidum. Fulmine ante viginti annos occisum juvenem

propè

propè pagum Gelenau ſupra modum tumido inveni abdomine. Septem vaccæ ante aliquot annos in pago Helbersdorff fulmine percuſſæ nullum externum percuſſionis obtinuerunt ſignum, præter ventris inflationem, quo etiam attonita & mox reſtituta novem annorum puella affligebatur, ita, ut auxilium Medicum à me exigere coacta fuerit.

§. 12.

Narrat *Herrera (in Hiſtor. Americ.)* in novo regno Granatemi Arborem Aquapum dictam eſſe tàm potentis virulentiæ, ut Hiſpani primum exitialis facultatis ignari ſub Umbra ejus dormientes hydropicorum inſtar immodico omnium membrorum tumore diſtenderentur. Barbaros quoque nudos aut ebrietate ſopitos ſub ipſa diutius commorantes rupta nimio tumore pelle omnibus fuſis inteſtinis miſerabili quodam mortis genere paſſim interire aſſerit. Cujus quidem rationem in virulentum vaporem, peſtiferumque halitum tumefactiva vi pollentem conjiciendum eſſe, nemo, qui noſtrum fundamentum Sciognomicum penitius rimatus fuerit, dubitare debet. *Hæc Athan. Kircherus (l. 1. Art. magn. Luc. & Umbr. p. 2. c. 5. p. 43.)*

§. 13.

Quando igitur ante & poſt mortem cadavera intumeſcunt non vana nos tenet ſolicitudo, an tumore creſcente & ſupra modum aucto abdomen tandem diſrumpi poſſit, & quidem ut inteſtina & viſcera abdomini in conſpectum veniant, & propendeant.

§. 14.

Cui quæſtioni ut eò melius ſatisfaciam, dico, non quæſtionem eſſe de ruptura cutis abdominis, aut Umbilici, quippe quæ veneno ſublatis rarius, hydropicis frequentius ſolet accidere. De veneno exanimatis notabilis eſt *Alberti Kranzii (l. 9. Wandal. c. 9. p. 209.) relatio: Melchior* Dux Brunſuicenſis, frater *Ottonis* Neapolitani Regis, ex Tranſylvanis Ducibus Epiſcopus factus Zwerinenſis, toxico periit fraude ſuorum: Medoni, quem ille cupidè in oppido Roſtock biberat, mala venena miſcuere. Ille, ubi malè ſibi ſenſit ex potu, profectus in Bulzow, Arcem Eccleſiæ, cœpit cruciatibus magis ac magis diſtorqueri. Cernens autem fraga venalia ad oppidum ſuum (quod ignorabat ille addito veneno facerent illum furere) juſſit comparari: & abſumtis ad refrigerium magna vi fructibus illis, adeò intumuit, ut ventrem vix veſtes continerent: crepuitque Spiritum efflans. In Hydropicis id quotidiana ſiſtit experientia.

§. 15.

Cutis namque quo magis extenditur, eò magis de craſſitie ſua remittit, magisque in rupturam inclinat. Supervenit fato ferociens humorum fermentatio, flatusque cutis diſtenſioni ſummoperè velificantes. Ne igitur ſqualorem & fœtorem ingratum cadaveribus affricet luxurians humor circa umbilicum, aut in latere dextro Chirurgi ſcalpillo abdomen aperiunt, aquæ ut in tempore commodus pateat exitus. *Sie zapffen das Waſſer ab, daß die Leiche nicht auffſpringe.*

§. 16.

In hoc comprimis occupabor, an in defunctis ſecundum naturam abdomen vi rumpi poſſit, & quidem ita, ut in teſtina & viſcera viſui ſe objiciant, aut etiam egerantur & propendeant? ubi ante omnia diſtinguendum cenſeo inter abdomen adhuc à putredine minimè correptum, & putridum.

§. 17.

De priori multa ſunt quæ negativam ſuadent. Abdominis modo ſtructuram quis ponderet, ſuoque puncto præfatum obſignabit aſſertum. Cum oſſeum, prout pectus, abdomen inconveniens judicaret ſummus Conditor, ejus partes poſt Cutem pinguedine munire voluit, ſuccedit huic panniculus carnoſus, poſt carnoſorum muſculorum, Rectorum, obliquè aſcendentium, & tranſverſalium, quatuor paria eidem ſuperinduxit. Nil dicam de Peritonæi membrana, nil de Omenti duplicatura. Hoc tantum addam inteſtinorum ſpiras, ne abdomen gravent à Meſenterio coërceri, & variis in locis circa Renum regionem Lumborumque vertebras idcircò annecti. Epar ne propendeat, ſuſpenſorium inhibet, ne Lien, ejus cum ventriculo, Rene ſiniſtro, aliquando etiam Diaphragmate conexio.

§. 18.

Interim exempla variarum Crepaturarum in vivis & mortuis, brutis & hominibus apud hiſtoricos proſtant. Narrat *Georg. Stengel. (tr. de Monſtr. c. 6. §. 14. p. 219.) ex Theophilacto Simocata (l. 6. Hiſt. Maurit. c. 1. & 2.)* de Equis *Imp. Mauritji* nobiliſſimum & aureis ornamentis decorum collapſum, ruptoque ventre confeſtim extinctum. Id equis contingere, ſi ſecali ſicco non prius aqua madefacto, avidè veſcantur, ex Aurigis non ſemel audivi. *Joh. Erneſt. Burggravius (in Achill. Panoplo rediviv. p. 94.) commemorat. è Barthol. Carichtero,* ficus & fructus Halicacabi ſ. Alkekengi tanta erga ſe invicem pollere Antipathia, ut utriusque mixtura in venenum abeat pernicioſisſimum, cani propinatum eum faciat crepare medium. Ob bolum ex pice, pinguedine & pilis *à Daniele* confectum

ctum &Draconi Babylonico devorandum exhibitum Dravo crepuit, *ut in Apocryphis legitur.*

§. 19.

Ex ira, referente *Hieronymo* (*id Epist. ad Præsidium Diaconum & ad Athenodorum*, meminit ex hoc *Guerner. Rolfinck. l. 2. Ord. & Method. Med. Spec. s. 3. c. 103. p. 145.*) nuper *Valentinianus Imperator*, cum adversus Sarmatas propter Illyrici vastationem in Consistorio sævus infremeret, sanguine per vomitum erumpente, discrepuit. Trahit hæc illud *Maronis* (*Ecclog. 7. v. 26.*)

Invidia rumpantur ut ilia Codro

H. H. Mejer. (*l. de Occult. DEI judic. §. 5. p. 91.*) ubi insignem erravit errorem *Servius*, dum (*in comment. ad Ecclog. 5. v. 11. p. 20.*) *Codrum Ducem Atheniensium* interpretatur, cum Codrus sit Pastor, & Poëta canat;

Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri,

æque ut *Alcon*, quem etiam immeritò Cretensem sagittarium venditat.

§. 20.

In veneno extincto rupturam Cutis modo (§. *11.*) allegavi. En etiam abdominis. De proceribus Polonis & patruis Regis Poloniæ Popieli ab ipso medicato poculo interemtis, *Cromerus* (*l. 2. de Reb. Polon. p. m. 38.*) Livores corporum & effusa ruptis præcordiis (rectius disrupto abdomine) viscera veneni indicium faciebant. De Apio risus Norwagico *ad Exc. D. Sim. Pauli* (*Cl. 4. Quadrip. Botan. p. 531.*) *Nob. Georg. Reiwein scripsit*, bestias illo comesto actutum mori & crepare. Peragitur autem totum hoc, simulque cita mors per præsentanea venena animali acceleratur absque ulla fermentatione (*judicat. Martin. Schoockius* (*tr. de Ferment. c. 29. p. 541.*): cum non contingat à Spiritu agitari humidum, sed venenum juxta malignam suam qualitatem, duntaxat congrediatur cum ipso calido nativo. At expugnato jam calido, simulque animali extincto per accidens sæpè contingit fermentatio, quatenus acer Spiritus, qui in veneno existit, superato jam calido nativo, se insinuat in humidum, seseque, quod & calidus sit, componit ad fermentandum humidum, quod usque adeò exagitat, ut malignas qualitates per se humido illi impressas fermentando quoque propellat usque ad extremas corporis partes. Valet hæc Schoockiana philosophia in quibusdam, corrosivis venenis, in aliis autem quibus cum humoribus conflictus instituitur, fallit. Fermentationem namque horum assumtionem insequi (§. *6.* §. *11.* & *præsenti*) allegata Exempla abundè docent. Et cur disrumperetur in his ante vel post mortem abdomen, nisi impetus Fermentationis id in actum deduceret.

§. 21.

De *Ario Hæreticorum principe ex relatione præsentis tùm Episcopi Macarii Atha-*

thanasius (*Epist. ad Serapion. p. 523.*) in nugis suis totus ad sedes necessitate ventris compulsus se contulit, pronus factus medius crepuit, humique lapsus exspiravit. Sancti illius fidei salvificæ propugnatoris *Athanasii* fidem in dubium hic vocare quamvis mihi religio sit, tamen de Ejus interitu & mortis genere non convenire Autores, cuilibet patescit. Crepaturæ Abdominis non meminit *Eusebius* (*l. 10. Hist. Eccles. c. 13. p. m. 229.*) *dum scribit: Arius* ad Ecclesiam pergens, Episcoporum & populorum frequentia constipatus, humanæ necessitatis causa ad publicum locum declinat. Ubi cum sederet, intestina ejus, atque omnia viscera in secessus cuniculum defluxere: Ita tali in loco dignum mortem blasphema ac fœtida mente exolvit. Nec *Socrates* (*l. 3. Hist. Eccles. Tripartit. c. 10. p. 352.*), dum illa de morte Ejus reliquit: Cum venisset juxta locum, cui est vocabulum *Constantini* Forum, ubi columma porphyretica collocata est, terror Eum desubitò ex quodam Conscientiæ secreto, constrinxit, & cum formidine secuta est ventris effusio. Percunctatusque an secessus esset in proximo, & agnoscens, esse post *Constantini* forum, perrexit illuc. Quo facto defectus Eum quidam cum effusione corripuit, & una cum stercoribus meatus quoque prolapsus est. Tunc ergò concidit & sanguinis multitudo cum subtilibus intestinis subsequenter effluxit: decurrebantque pariter cum splene etiam interiora jecoris. Et ita factum, ut repentè sequeretur mors. Effudit igitur viscera *Arius*, sed non per Abdominis rupturam, sed per alvum seu anum, cum Juda Ischariote, ut vulgò fieri consuevit, idcircò minimè comparandus. Fecerat id quidem *Arator Poëta* (*l. 1. Hist. Apostol. v. 449.*) *dum de Ario cecinit:*

Fusa ruit Arius alvo
Infelix, plus mente cadens: lethumque peremtus
Cum Juda commune tulit, qui gutture pendens
Visceribus vacuatus obit.

Et paulò post: (*v. 581.*)

Nec pœna sequestrat
Quos par culpa ligat; qui majestatis honori
Vulnus ab ore parant.

Quo cum eandem fovet mentem *Athanasii* relatione adductus *Excell. Dn. D. Georg. Wolffgang. Wedelius* (*Dec. 1. Exerc. 1. p.*). *Arius* scribit *Epiphanius* (*T. 1. Op. l. 2. adv. hæres. p. m. 722.*) de nocte levandi ventris gratia ad cellam veniens crepuit, quemadmodum *Judas* olim *proditor*, & in impuro illo ac fœtido loco finem vivendi fecit.

§. 22.

§. 22.

Anastasium II. Papam post mortem viscera effudisse, *Bapt. Campofulgosus* (*l. 9. Memorab. c. 12. f. 1064.*) prodidit. Qua via, non addit. Hoc certum est, *Salomonis Alberti* (*Append. ad Orat. de Sudor. Sangv. f. 70. b.*) *testimonio*, quod sequitur: Noribergæ accipimus senis cujusdam, eum agentis annum, qui inter scansiles, & ad succidendam vitam pollentes decimus esset, corpus capite truncato rotæ obligatum esse, quod uxorem occidisset. Qui cum nec à pueris orare didicisset, neque in carcere, ætate propè jam acta, decursaque addiscere vellet, quicquid à Diaconis de æternorum suppliciorum atrocitate subjiceretur, frustra tentatis rebus omnibus in planè impia obstinatione non sine fremitu tandem morte multatur. Brevi post turgidum abdomen rumpitur, & ilia eructando humi spargit.

§. 23.

Vivicomburio damnatorum cadavera flammarum furore adacta crepant, & quidem cum fragore aliquo, quod ipse bis vidi & audivi. Et hoc etiam in rogo cadavera posita curiosis advertentibus præstitisse, nullum est dubium, singulare est, quod habet *Plutarchus* (*T. 3. Vit. Parallelar. in Gracho p. m. 233.*) Cum quidam *Tiberii* amicus subitò esset mortuus, signaque in ejus cadavere mala apparerent, vulgus eum veneno necatum clamans ad funus efferendum humandumque corpus concurrit. Videbantur autem haud abs re suspicati veneficio eum extinctum fuisse. Cadaver enim rogo impositum dissiluit, tantaque multitudo corrupti humoris erupit, ut flammam extingueret, aliaque allata, non prius tamen cremari quivit, quam in alium locum deferretur magnoque labore vix tandem accendi potuit. Humoribus namque ab igne rarefactis & abdomine in tumorem elato, ruptura ista facilè non sine sonitu succedit. Ita Castaneæ, Glandes, & alii ejusmodi fructus carbonibus impositi summo cum fragore non rarò in minutissimas partes dissiliunt, & quasi evanescunt.

§. 24.

Et hæc de his, quibus abdomen à corruptione adhuc salvum & liberum, & in his rupturam quidem non impossibilem, difficilem tamen & rarò contingentem reputo. Exempla adducta cum imprimis veneno trucidatorum sint, in quibus ante mortem putredo fermentatio & flatus jam prædominari inceperunt, mirum non est, si post mortem ruptura ista sit accelerata, destructis abdominis partibus. Nec ista intestinorum aut viscerum cum aliis partibus *supra* (*§. 14.*) allegata connexio multum ad rem facit. Peritoneo namque corrupto aut ru-

pto intestina è loco suo moventur facillimè & prodeunt, quod in hernia comprimis umbilicati, & Enterocele ad oculum patet. Audiamus quæ *Joh. von Meckren (rar-und wunderbahre Chirurgisch und Genes-künstige Anmerckung c. 6. p. 69.)* observavit. *Durch ein allzuschlappes und nachläßiges Binden ist Daniel Clisters achtwöchentlichem Söhnlein der Nabel elendiglich auffgeborst, wodurch alles Gedärme (so erbärmlich und sonder alle Hülffe und Rettung anzusehen war) heraus auff den Bauch geschossen, welches üm so viel mehr ausgedrungen, weil man nach geschehener Auffborstung dem unschuldigen Kinde, anwoch eine Wind-brechende Clystir beygebracht hatte.* Vidi ante biennium infantem, cui abdominis Musculi recti deerant, & ipsum Peritoneum nudum oculis patebat. Huic cum aut in partus difficultate in latere sinistro peritonei pars rumperetur, aut forsan, quod magis divinabam, obstetricis inconsideratæ ignorantia aut errore, & in hoc intestinorum maxima pars exposita cernebatur.

§. 25.

Est & in his Exemplis DEI digitus aliquando conspiciendus, v. g. in Equo *Mauritii Imperatoris*, dum id cum aliis prodigiis *apud* (§. *18.*) *citatum Georg. Stengelium* recensetur. Quæ de Ario memorantur, itidem occultis DEI judiciis accensenda, ut omnes ferè è Theologis prodiderunt. Nec Anastasius forsan Papa aut Atheus ille θεῖον τι improbis in terrorem & conscientiæ stimulum inculcarunt.

§. 26.

Quod si Abdominis partes exteriores & contenta jam corruptioni subjaceant, fermentique putredinalis dominetur ferocia, abdominis in rupturam & crepaturam pronitas facilè in actum deduci poterit. Probant id

Immania Cete.

(Virgil. l. 5. Æneid. v. 826.) Horum trucidatorum namque corpora post aliquot dierum sub aquis moram magno cum fragore rumpi, *Fridrich Martens (Spitzbergische Reisebeschreib. part. 4. c. 8. p. 112.) testatur.* Quam proclives autem in putredinem pisces, *infra* (*l. 3. Tit. 1.* §.   ) declarabitur, & quam velox & ferox humorum in Cetaceis mortem insequatur fermentatio & putredo *citatum Autorem* inspicientem fugere non potest. Vidi ante mortem umbilicum Gangræna & Sphacelo affectum, quod si & interiores partes, quod divinare non ita facilè est, præcoci tententur putrilagine, etiam crepatura ista de facili evenire poterit.

§. 27.

E sacris literis in medium vocandus *abominandus ille SALVATORIS*

NO-

NOSTRI proditor Judas, de quo (*Lucas Actor. c. 1. v. 18.*) πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη τὰ πάντα σπλάγχνα αὐτοῦ. *Lutherus vertit: Er hat sich erhencket, und ist mitten entzwey geborsten, und hat alle sein Eingeweide ausgeschüttet.*

§. 28.

Quamvis *Matthæus Evangelista* scelus illud hominis expresse laqueo se suspendisse (*c. 27. v. 5.*) affirmet, fuere tamen qui alio mortis genere eum sublatum asseruerunt. Hydrope correptum diem suum obiisse Judam jam olim, *teste Oecumenio* (*Comment. in Act. Apost. c. 1. v. 18.*) extitere, qui statuebant. Ex quo à proditione in villam suam (quam malè triginta argenteis, proditionis mercede, sibi comparasse scribere non verentur) discessisset, adeò intumuisse, ut non quidem progredi potuerit, ea via qua plaustrum agi levi cursu suevit. Idem ex Aliorum mente recitat *Theophilactus* (*Enarrat. in Matth. c. 27. fol. m. edit. Oecolampad. 92. a.*). Ita autem ille: Scias, quod posuit quidem collum in laqueum, & cum penderet ab arbore, arbore inclinata supervixit, DEO volente ipsum vel in pœnitentiam conservare, vel in traductionem & confusionem. Dicunt enim, quod morbo hydropico laborarit, ita ut non transire potuerit orbitam, & deinde cecidisse pronum, & crepuisse medium, hoc est, disruptum esse, *ut dicit Lucas in Actis.* Hydrocephalum fuisse, qui ex allegatis *Theophilacti* verbis probare contendunt *Th. Bartholin.* (*de Morb. Bibl. Miscell. 22. p. 99.*) refutat. Solum interim caput currus spatium exclusisse oculorumque palpebras tumentes omnem oculorum conspectum ac usum obliterasse, non aliter, ut de Furnario Hydrocephalico retulit *Hieron. Montuus* (*de Pragmat. Inf. p. 8.*). Id ut è Sacris confirmaret *Henric. Stephani* (*Comment. in Act. Apost. c. 1. v. 18.*), in codice non πρηνὴς γενόμενος (pronus cecidit) sed πρησὴς γενόμενος (tumidus factus) legendum esse putavit. Jungunt his malis incredibilem pudendorum cariem & fœtorem, qui etiam post mortem Judæ prædio isti & adjacenti sylvæ summum affricuit putorem. Veretur tamen *Guilh. Saldenus* (*l. 2. Exerc. subs. 8. th. 25. p. 396.*) ne fabulas aniles magis oleat ista relatio, quam divinam veritatem.

§. 29.

Quid crepaturam illam produxerit si quæras, aquam ferocientem sunt qui allegant, quod ipsum quidem fieri potuisse, si modò de Hydrope Judæ certi essemus, admittit *Th. Bartholin.* (*c. l. p. 101.*); cum verò Aquæ soli ferocienti intercuti tantam violentiam ascribi posse desperent Alii, alias finxere, & in scenam introduxere occasiones. Quam *Papiæ Johannis Evangelistæ discipulo, teste Cæs. Baro-*

Baronio (*T.1. Annal. f. 69. p. 527.*) ascribunt, est quæ sequitur: Corpus tumidum plaustro oppressum collisumque scelesta scelesti proditoris evomuisse viscera. *Th. Bartholin.* (*Conf. Med. de Comet. p. 114.*) eum melancholia cum Hydrope complicata laborare potuisse conjecturatur, eò quod ληκεῖν crepaturam cum sonitu, πρηνὴς verò γενόμενος incessum Melancholicis similem declaret. Si igitur, *inquit*, ab interno principio Animæ commeatus *Judæ* Melancholico obstructus fuit, præceps in solum lapidosum factus, tumidum aqua & atra bile ventrem disrumpere potuit, ut viscera interna effunderentur. *Joh. Paschalius* (*l. 1. Method. cur. morb. c. 44.*) de muliere Ascitica notavit, quod ex casu in lapidem vulnerata per vulnus ventris subitò omnem aquam evacuarit, & in animi deliquium inciderit.

§. 30.

Locum igitur *apud Matthæum* non loqui de morte *Judæ*, sed potius de ulceratæ Ejus conscientiæ tormento *Guilielmo Saldeno* (*c. l. th. 18. p. 386.*) placuit. Quocirca quidam *Judam* Melancholia adactum se saltu præcipitem dedisse & crepuisse volunt, *Vid. G. J. Vossius* (*l. 2. Harmon. Evangel. c. 3. §. 35. p. 271.*) *Henric. Kipping.* (*l. de Cruce Exerc. n. 6. p. 59. & in Omiss. p. 271.*) ut de eo dici potuerit illud *Lucani* (*l. 2. Pharsal. v. 155.*)

Hic se præcipiti jaculatus pondere dura
Dissiluit percussus humo.

Et ita *Lucæ* verba exponunt. *Add. Joh. Pricæum* (*cujus mentem è Jacobo Gronovio Exerc. Acad. de Pernicie & Casu Judæ τοῦ προδότου breviter recenseat Act. Erud. Lips. A. 1683. p. 515.*)

§. 31.

E Præcipitio autem tali abdominis rupturam & viscerum egestionem secutam Edomitæ à Judæis de rupe præcipitati hujus rei testes esse poterunt, (*2. Paralipom. c. 25. v. 12.*). Et ne rupium eminentium asperitati post inflicta abdomini vulnera crepaturam imputes. De *Simone Mago* in cœlum ascensuro, precibus autem *Petri* iterum dejecto *Nicephor.* (*l. 2. c. 36. p. m. 126.*) At ille statim præceps deorsum versum fertur, & humi allisus mortuusque rumpitur. Aliud *de Petro Ramo Aristotelis & Aristotelicorum Attila literis publicavit* (*l. 52. Histor. p. 996.*) *Jacob. August. Thuanus.* Is (in nuptiis Parisiensibus) *à Carpentario* æmulo & seditionem adjuvante immissis sicariis è cella, in qua latebat, extractus, & post depensam pecuniam inflictis aliquot vulneribus per fenestras in aream præcipitatus est, effusis visceribus, quæ pueri furentes magistellorum pari rabie incitatorum impulsu per vias sparserant.

§. 32.

Verbum ἀπήγξατο passionem & strangulatum ex morbo demum Alii interpretantur, inque scenam producunt *Hippocratis nostri Oraculum (S. 2. Aph. 43.)*. Qui strangulantur & moriuntur, nondum tamen mortui sunt, non redeunt ad vitam quibus spuma circa os fuerit. Απαγχόμενον ibidem explicant Anginosum, & quidem ista Anginæ specie, Cynanche dicta, ab ulcere in interioribus Laryngis faucium occludente angiportum detentum. Judæis iste morbus maximè familiaris asseritur, & hoc morbo à prima infantia laborasse *Judam* promulgant, indeque appellatum *Ischariotem* seu Anginosum. Autores hujus opinionis habemus *Hugonem Grotium (in Not. ad Matth. c. 27. v. 5. p. 474.)* & *Danielem Heinsium (in Exercit. Sacr. ad Act. Apost. c. 1. p. 247.)*. Nobile par Criticorum & non ignobilia Sauli sui sidera.

§. 33.

Sed & hi falluntur, ἀπαγχόμενος *Hippocrati* anginosus non est, sed laqueo suffocatus aut strangulatus, aut etiam manu vice laquei, ut *Jacob. Hollerius (Comment. in h. l. f. 102. b.) loquitur*, quamvis *Joh. Viscerus* etiam caussas internas non excludat *(Enarrat. in c. l. Hipp. p. 145.)*, citra tamen mentem *Hippocratis* id fecit. Per ἀπαγχομένους eos, qui laqueo, quem Græci ἀγχόνην vocant, aut manuum injectione, quæ instar laquei sunt, strangulantur & suffocantur, intelligit *Hippocrates*, *Leonh. Fuchsius (in Hipp. aph. p. 146.) commentatur.* De his, qui ex suspendio moriuntur, interpretatus est *cum Celso (l. 2. de Re Med. c. 8. p. m. 81.) Galenus ipse (comment. in h. aph. p. m. 861.)*. Plura ex *Hipp.* scriptis loca collecta suggerit *(Decur. 1. Exerc. Med. 1. Philol. p. 3.) Magnif. Dn. D. Georg. Wolffgang Wedel.* Ipsum verbum ἀπήγξατο, strangulationem laqueo factam semper apud Autores significare, *Claud. Salmasius (Epist. 3. de Cruce p. 618.)* edixit. Nec unquam adhiberi, nisi cum violentia extrinsecus in collo adhibita, quæ circuitu laquei istud angustet, exprimenda est, nec vix scriptorem Græcum alicujus autoritatis esse, qui non eo verbo ita utatur, *Jacobus Gronovius (Exerc. Acad. de Pernicie & Casu Judæ τοῦ προδότου in Act. Erud. Lips. Anno. 1683. Mens. Decembr. recensuit p. 516.)*. Quando igitur *Saldenus (in præf. Otii Theol.) Æliani* locum *(l. 5. var. hist. c. 5.)* Σωκράτης μὲν κωμῳδούμενος ἐγέλα, πολύαγρος δὲ ἀπήγξατο. *Socrates* in Comœdia traductus ridebat, *Polyagrus* vero perturbatione animi strangulatus est, de strangulatione exponi non posse arbitratur, miratur *Jac. Gronovius (c. l. p. 26.)*, ista *Æliani* verba: κωμῳδούμενος ἀπήγξατο, *à Saldeno* ita accipi, quasi *Polyagrus* in Comœdia fuerit suffocatus, cum longissime tunc à Comœdia forsan

 abfue-

abfuerit, & constanti Græorum Sententia κωμωδούμενος dicatur, qui in Comœdia exagitatus & risui expositus fuit. De *Achitophelis* morte & suspendio *LXX. interpretes (2. Sam. 17. v. 13.)* ἀπήγξατο καὶ ἀπέθανε, suspendit se & mortuus est. Et verbum hoc apud Philosophum (*s. 30. probl. 1.*) de iis, qui laqueo se interimunt interpretatur *Theod. Gaza*. Reliqua loca quæ in contrarium afferuntur in quibusdam non in propria significatione verbum illud ponitur, v. g. quando θυμὸς *Aristoteli* ἀπάγχεσθαι dicitur. Et demus id *Jacobo Perizonio (diss. de Mort. Jud. & Verbo* ἀπάγχεσθαι *c. 4.* etiam *in Act. Erud. Lips. 1703. M. Jan. Allegat. p. 18.)*, aliam significationem obtinere in quibusdam ap. Auctores Græcos locis verbum illud; Ergo recte concludetur, significatio illa etiam in hoc loco locum habebit? Non puto. Nec forsan id demonstrabit, & rigore hujus argumenti evincet vir Celeberrimus. Rogandus omnino est, ut monstret locum, qui *Matthei* locum alia ratione illustret, & præcipitium *Judæ*, quod defendere conatur statuminet.

§. 34.

Judam autem laqueo sibi fauces præclusisse, habuit omnis retrò antiquitas persuasum, Evangelistæ autoritate mota. Patere id poterit *ex Augustino (l. 1. de Civ. DEI c. 17.)*, & aliis locis, quæ è Patribus collegerunt *Guil. Saldenus (c. l. th. 15. p. 383.) & Casp. Sagittarius (p. 2. Harmon. Pass. Dom. c. 7. p. 175. p. 494. sq.)*. Arrissit ea etiam celebrioribus nostræ Ecclesiæ Theologis, prout quædam ex illis citat *M. Jacob. Ræserus (Disp. Philolog. 2. de Mort. Jud. §. 7.)*. Instar omnium sit *Joh. Gerhardus, quantus Theologus! (in Not. ad. c. 27. Math. p. 1153.)* & *Max. Reverendus Abrahamus Calovius (illustr. Bibl. N. T. p. 449.)*. Adde si libet è Medicis, *Valent. Henric. Vogler. (Comment de Reb. Natur. SS. in Addend. p. 431. sq.)*

§. 35.

Et ut eò magis id confirmaret Antiquitas, etiam Arboris speciem designarunt, in qua se suspenderit Proditor. Ficum allegant communiter. Inde *(l. 4. Hist. Evangel. p. m. 140.) juvencus:*

Exorsusque suos laqueo sibi sumere fauces,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Ficum hanc adhuc Peregrinantibus monstrari à Monachis Sionitis, *Franc. à Troilo (Itinerar. p. 259.) testatur.* Sed hæc ficta Poëticè & Synecdochicè prolata censuit *Gerh. Joh. Vossius (l. 1. Harmon. pass. Domin. c. 3. §. 29. p. 213.)*, quomodo Alnus, Pinus, Abies, accipi à Poëtis solent pro nave cujusque ligni. Quod non attendens *Beda* historicè & propriè accipit. Sambucum Alii in sce-

scenam vocant, ex quo factum, ut post suspendium perdiderit odoris gratiam, & fungi in sambuco crescentes à similitudine Auricularum *Judæ* nomen indepti, & ad morbos Colli & Laryngis v. g. Inflammationes & Anginas adhibeantur, quod tamen rectè inter errores Epidemios retulit (*l. 2. Pseudodox. Epid. c. 7. p. 7. p. 547.*) *Th. Browne.* Salicem fuisse inter vulgares sunt qui credunt, & hac de Causa salices annosas crepare sibi aliisque persuadent.

§. 36.

Ex hac suspensione lusus poëtici promanarunt. Ita *Timoth. Polus* (*l. 1. Epig. 188.*)

Judas turpis erat fur, ut fur mortuus ergò,
In laqueo vitam finiit ille suam.

Et *Bohuslaus Balbinus* (*l. 3. Exam. Melifs. Epig. 46. p. 81.*)

Fur erat & loculos Judas sine teste ferebat,
Hinc miser est loculi factus imago sui.
Ut loculos, sic & laqueo sibi colla ligavit,
Denique dum pendet, totus erat loculus.

§. 37.

Ut ut verò hæc ita sese, si *Matthæi* verba sequaris, rectè habeant, tamen si cum *Lucæ* narratione componas magnam diversitatem animadvertes, è Commentariis Interpretibus aquam hic hærere. *Magnus ille Theologus B. Joh. Dorschens (in Theologo Latrone p. 184.)* ipse fatetur, nondum explicatum esse, quo pacto ad hanc vel illam interpretationem coincidere queant τὸ ἀπήγξατο, & πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος.

§. 38.

Et hanc ob Causam etiam quidam è Recentioribus cum modò ex Antiquioribus adductis (§. 25. 26. 27.) eandem inflarent tibiam & à suspendio Judam penitus obsolvere niterentur. Inter hos comprimis Dæmoni crepaturam tribuit *Philipp. Theophr. Paracelsus* (*l. 2. Chirurg. magn. tr. 2. c. 18. p. 95.*) dum scripsit: *Judas in den der Teufel fuhr, und ihn in mittenzerriß.* Est & inter hos *Joh. Lighfoot.* commemorandus, qui (*Hor. Hebr. in Matth. c. 27. v. 5.*) persuadere conatur credulis, cum post projectos in templum proditionis suæ nummos recederet, ad suos forsan reversurus, raptum à Diabolo in sublime proditorem strangulatum ac præcipitem datum fuisse, ita ut terræ allisus rumperetur medius, effunderentur ilia, & tam horrendo exitu egrederetur, qui in ipso habitaverat Dæmon. Et hanc opinionem etiam *à M. Georg. Gœzio (Diatr. Academ. de Suspend. Jud. §. 25.)* propositam priori hujus tractatus editioni

(*§. 16. p. 55.*) inserui, & probabiliorem declaravi, sed quæ modo maximè displicet, & meritò inter absurdas numeratur, ἄγραφος namque est & *à Guilh. Saldeno* (*c. l. th. 22. p. 192.*) & *Jacobo Gronovio* (*c. l. c. 15.*) confutata.

§. 39.

Jacobus Perizonius (*Dissert. de Mort. Jud. Vid. Act. Erud. Lipsiens. M. Jan. 1703. p. 9.*) ita se explicat: Nisi obesset locus *Lucæ*, *Matthæum* in morte *Judæ* de suspendio exponerem; nunc verò quum *Lucas* aliud genus mortis *Judæ* tribuat, idque disertius & plenius commemoret, prorsus putem nullam dari commodiorem conciliandi utriusque rationem, quam illud ἀπήγξατο *apud Matthæum* de morte voluntaria præcipitii per mœrorem & desperationem sumta, dictum accipiamus. De isto autem præcipitio modo (§. 27.) dictum, ubi & *Joh. Pricæo ante Perizonium* id placuisse simul annotatum.

§. 40.

Scyllam hanc evitaturus *Isaacus Casaubonus* (*Exerc. ad Annal. Baron.*) ita disserit: Habent hæ narrationes diversitatis aliquam speciem, contrarietatis ne speciem quidem. *Matthæus* expressit facti initium, *Lucas* finem, supplens divinitus, quod deerat narratiunculæ *Matthæi*. Consilium Proditoris fuerat, strangulatione sibi vitam eripere, aptat collo laqueum, impellit se, ut eò facilius fauces elidat. Placuit divinæ providentiæ, ut non simplici morte sceleratus proditor periret. Frangitur laqueus, cadit in faciem *Judas*: id enim est πρηνὴς γενόμενος. Cadit autem vel in saxum forsan asperum, vel in ligni truncum acutum, aut aliàs DEI judicio venter illi funditur, intestina effunduntur. Vox ἐλάκησε non tàm casus violentia, quem Arcana DEI voluntate fissionem in ejus corpore factam esse, vi quadam extraordinaria intus operante. Hæc est Scripturarum simplex narratio. Et hanc opinionem etiam *Jacobo Perizonio*, si præcipitium Judæ ab ipso confictum non admitteretur, probari, *ipse* (*c. l.*) *indicavit*. Add. *Casp. Bertram* (*in Matth. enucleat. c. 27. p. 784.*)

§. 41.

Quomodo suspensus pronus jacere potuerit, non capiunt Critici, neque ego. Posset id de pronitate seu positu corporis à suspendio contingente intelligi, *ratiocinatur Exc. Wedelius Fautor æstimandus* (*c. l. p. 7.*) unde & reddunt quidam vulgò: Suspensus crepuit, vel postquam discisso laqueo præceps factus fuerit. Sed uti hoc non videtur probabile, ita nec illud. Suspendium enim initum corpus ὀρθοστάδιον reddit, neque si ponamus inclinasse utcunque

que caput deorsum hæc circumstantia quicquam creporis rationem dilucidat. Pronus positus dolentium est, tam corpore quam animo, *pergit*, unde non solum animi cruciatibus, angore, terriculamentis percussus; verum quoque corporis dolore εἰλεώδη (quæ singularis viri celeberrimi opinio est,) affectus putandus fuerit, accensis sic duplicatis dolorum facibus. Cumque his tortus creperet medius, novo terrore velut exanimatus omni spe atque solatio privus, sola memoratione dolorosa nefandi facinoris citra fidem in SALVATOREM, abjecto animo laqueum forsan jam collo destinatum, arripuit, sicque exspiravit.

§. 42.

Sed nec ista in faciem pronitas sic mihi explicari videtur, & creporem suspendium præcessisse docetur, de quo *apud Commentatores* altum silentium. Quis verò Doctorum *Jacobo Gronovio* astipulabitur, sequentia astruenti: *Judam* post mortem non sepultum fuisse, sed in notam omnibus & destinatam cadaveribus & belluinis purgamentis voraginem ac Geennam πρηνῆ abjectum fuisse; qui locus tesqui instar cum esset horridus, eminentibus hic illic rupibus, istis impactum infelix cadaver ruptum fuisse & viscera effudisse, prorsus loco tali aspero ad id destinato, ut sic squalor cadaverum dum projiciebantur collisorum citius exsiccaretur & interiret, quam si integra alibi in plana abjecta lentè putrescerent. *Vid. Act. Erud. Lips. 1683. Mens. Dec. p. 516.*) Negat verò *Jacob. Perizonius* (*ap. Eosd. M. Jan. 1703. p. 18.*) damnatorum corpora in vallem quandam sub dio rejecta fuisse, sed in communia vilium cadaverum sepulchra condi consuevisse. Tradi hoc *Jerem.* (*c. 26. v. 23.*) & *apud Maimonidem* (*in Tr. Sanhedrin. c. 14. §. 9.*), ubi testatur *Maimoides* duo fuisse sepulchra damnatis, unum in quo lapidati & ambusti, alterum in quo capite truncati & strangulati conderentur, idque ad sua tempora devenisse per traditionem.

§. 43.

Posse aliquem suspensum & strangulatum prono vultu ad terram inclinare his vidi. Rusticus quidam in sylva voluntario suspendio, ramum abietinum collo adaptans, spiritum excusserat. Corporis ponderi ramus cedens ita ad terram inclinabat, ut suspensus in genua procumbere videretur, & intuentes miserandum defuncti fatum in stuporem & admirationem raperet, quomodo infelix iste suffocari potuerit. Hic verò se strenuum gerere cooperatorem Cacodæmonem animarum perditioni inhiantem notabili observatione nos docuit *Guilb. Fabric. Hildani* (*Cent. 5. obs. Chirurg. 68. p. 459.*). Planè stupendam & ope Diaboli factam luxationem spinæ dorsi vidi Düsseldorpii An.

 1583.

1583. Juvenis quidam viginti circiter annorum ætatis refert, cum propter conceptam quandam phantasiam noctu decumbens in lecto, se strangulare vellet, & in hunc finem ex poplitati suo funem parasset, eumque columnæ spondæ alligasset, colloque injecisset, sequenti die mortuus in lecto repertus fuit, etiamsi collum nullo modò à laqueo stringeretur. Mirantibus hæc omnibus, qui turmatim accurrebant, venit carnifex, qui cum cadaver exuisset, Metaphrenum à Diabolo adeò depressum repertum fuit, ut os pectoris ferè attingeret. Quod an adhuc præstet, aut alia ratione operam hominis subitaneæ internecioni, ne resipiscat locet pessimus animarum helluo quis dubitabit?

§. 44.

Pergit Evangelista, μέσος ἐλάκησε, medius ruptus est. Ventrem exanimato corpori findi *Talmud. Hierosolym. (in Mœd. Caton.)* docere *M. Joh. Philipp. Unselt.) Disp. Philol. de Pernic. & Mort. Judæ Argentorati habita §. 13. p. 31.)* recitat. Maculas suffocationi ascripsit *Augustin. de Laurent. (Dec. 1. Diss. Med. 5. p. 112.)* Qui strangulantur & suffocantur, *inquit*, vehementer intumescunt, ac propterea nonnulli ex antiquis Patribus scripsere perfidum illum *Iscariotem* primum Christiani nominis & numinis hostem Domini & sui proditorem post mortem; quam manu propria injecto in collum laqueo sibi dedit intumuisse, ut caput ipsius dolium æquaret; & quia in ea ingenti strangulatus vi omnes corporis expulsivæ facultates laborant, atque per omnes partes sanguinem succosque alios & flatus diffundunt, ideoque ea maculant, ea maculantur, quæ latiora & capaciora habent vasa (adde & plethoram) veluti dorsum, vultus, pectus atque alia hujusmodi. Tumori autem rupturam succedere posse forsan unus & alter arbitrabitur, aut conjiciet.

§. 45.

Internarum partium prædominantem putredinem fissuræ huic multum conferre jam (§. 23.) demonstravi. Quod si & hæc Peritoneum simul corripiat, ut in illa muliere, *de qua Georg. Seger. (M. C. D. 1. A. 3. obs. 82. p. 139.)* quem etiam allegat *Theoph. Bonet. (Anat. Pract. l. 3. s. 11. obs. 6. p. 896.)*, Mulieres spasmo in vita mirum in modum exagitatum corpus post mortem intra 40. horas putridum apparebat, eò quod ob musculos perpetuis spasmis exercitos, mixtionis principia in tantum laxarentur, ut illa in dissolutionem promta post obitum mox ab invicem decederent, pari certè ritu, uti observamus de carne ferarum, quæ aut cursu diuturno (comprimis calido aëre, *beym Ausschiessen*) fatigatæ, aut fustibus contusæ occiduntur, hæc enim multò citius putrescit, quam illarum, quæ statu tranquillo & sedato mactantur, ut *Th. Willis (Pathol. Cerebr.*

c. 10.

c.10.p. conf. l. 3. Tit. 1. §.) animadvertit. In magna consternatione sequi resolutionem, ut virtus retentiva non amplius suum faciat officium, sicut patet ex historia *Arii*. Et Epiphanius dicit: Judam eadem de causa crepuisse medium, sequente magna resolutione ex desperabunda trepidatione *Steph. Clotzius (Exerc. de Sangu. CHRIST. Sud. 18. §. 5. p. 187. è Martino Chemnitio forsan, quem p. 1. loc. c. p. 83. paulò ante citarat.)* In Judæ namque statum si quis è Physicis & Medicis oculos convertat proditione peracta ubi Salvatorem damnatum ad mortem percipiebat: Sceleris gravitatem Æthna graviorem sentiebat, conscientiæ vi & terrore agitabatur, ut ille *ap. Plautum (Menechm. sc. 5. a. 2. v. 89.)*

Somniabat se teneri tædis Furiarum ardentibus.

Pontifices & Sacerdotes adibat solatium quæsiturus, irridebatur. Mœrore saliebant præcordia, anxietatumque nullus erat finis. Priusquam unum injectum erat telum Satanicum, instabat alterum. Res ad restim devenerat, & à fune calamitatis finem expectabat. Suggestio erat Satanica, *ut Plautinis verbis (in Pers. sc. 5. a. 2. v. 34.) id eloquar:*

Restim tibi cape crassum, & suspende te.

His igitur mœroris & conscientiæ spasmis exercitatus Judas potuit ad putredinem corpus componere, ut cum morte illa invaderet cadaver, & ad crepaturam disponeret. Ita in nonagenario Prætore defuncto ob humores ex mœrore corruptos cadaver tumefactum valdè & lividum cum feretro imponendum tolleretur, non solum per spinam dorsi & costas medias diffractum est, sed & digiti tacti à manu facilè revulsi deciderunt, *quod Exc. Dn. D. Salomon Reiselius (M. C. D. 1. A. 3. obs. 127. p. 201.) recensuit.*

§ 46.

Singularem iterum fovet de ista crepatura sententiam *sæpius laudatus Wedelius (c. l. p. 5.)*, dum non abdomen, sed intestina crepuisse, eaque non extra corpus effusa & pendula, sed in ipsam abdominis cavitatem, effusis illuc fecibus, quique cum his remiscentur humoribus, imò sanguine ipso & consecutione quadam omnium reliquorum viscerum vitalibus succis.

§. 47.

De crepatura partium internarum observationes prostant. *Tomaxina Hieronymi Cardani matertera* summi luctus acerbitatem ex amissa peste Sobole dum supprimere dolorem tentabat, tandem crepuit, atque intus disrupta è medio excessit *Salomon Alberti (Orat. de Sud. Sanguin.) & ex eo Joh. Rud. Camer. (Cent. 15. Syllog. Memorab. n. 14. p. 1217.)* Anno 1622. in Polonia ingens pestis grassabatur, tanta sævitia, ut in demortuis Cranium rumperetur. *Guerner.*

Rol-

Rolfinck. (*l. 2. c. 22. p. 313.*) *memorat*, ubi de ſuturarum fiſſuris plura. Mulieri ob Hemicraniæ diritatem oculus tandem expanſionem ab irruente & ſtagnante ſanguine productam diutius ferre neſcius crepuit medius, humoribus & multo ſanguine profuſis, atteſtantibus id *Idone & Joh. Chriſt. Wolfiis* (*l. 1. obſ. Chirurg. Med. 16. p. 55.*) De Tympani auris in urinatoribus *Phil. Bonann.* (*P. 3. de Teſtac. probl. 30. p. 246. ſq.*) ſolet interdum contingere, *ſcribit Th. Cornel. Conſentin.* (*Progym. 7. p. 308.*) ut in animalibus ſtrangulatis vena cava, qua cordi alligatur, disrumpatur à copia ſanguinis, quæ cum præterfluere non poſſit, ibidem affluentibus reſtagnat. Cor in homine rumpi poſſe credidi nunquam, ſed jam fidem fecit hiſtoria eleganti *Excell. Dn. D. Chriſt. Vaterus* (*M. C. Dec. 3. A. 9. & 10. obſ. 164. p. 293.*). Priores ſex vertebræ inferiores dorſi & prima lumborum carie omnino corruptæ & poſt obitum disruptæ inventæ, *teſtimonio Nic. Blegny* (*Zodiac. Gall. T. 2. M. Febr. obſ. 13. p. 48.*) *add.* §. 43. Frequentius nihil eſt vaſorum pulmonalium ruptura, venam magnam, in eo qui ſanguinem vomebat, & per alvum egerebat ruptam ſuſpicabatur *Guilh. Ballon.* (*l. 2. Epid. & Ephem. p. 168.*). Rupturam Lienis habent *Nicol. Tulp.* (*l. 2. obſ. Med. c. 29.*). *Joh. Bohn.* (*de Renunc. Vuln. ſ. 2. c. 4. p. c. 4. p. 352. ſq.*). *Chriſtian. Vater.* (*M. C. D. 2. A. 8. obſ. 197. p. 498.*) *D. Samuel Graſſius* (*M. C. D. 3. A. 2. obſ. 70. p. 86.*) qui & in eodem cadavere ſimul venam cavam ruptam offendit. Cum me præſente Canis præ modum pinguis è menſa in terram ſaliens oppido extingueretur in cauſam mortis repentinæ inquiſiturus eundem aperui, & inſignem in Liene magno inveni fiſſuram, è qua in abdominis cavitatem ſanguinis extravaſati copia. Inteſtinorum fiſſuram etiam in literas relatam offendo. Ruſticum novimus, *narrat Anton. Beniven.* (*de Abdit. Morb. Cauſ. c. 76.*) qui cum poſt longiores torſiones & ventris diuturnas inflammationes diem obiiſſet, & demortui incideretur corpus, longior in inteſtino (ſed quo?) fiſſura inventa eſt; ex qua etiam recentes uvas, quas paulo ante comederat, prorupiſſe conſpeximus. Retulit & duas & quidem cum fragore factas in iliacis rupturas (*c. l.*) *Dn. D. Wedel.* ſed cum inſpectio Anatomica in his non admiſſa fuerit, recenſione illarum ſuperſedeo.

§. 48.

Nec deſunt uteri à fœtu calcitrante, aut alio impellente rupti obſervationes, ſuggerit talem *Guilh. Fabr. Hildan.* (*Cent. 1. obſ. Chirurg. 64. p. 51.*). Recitat & *Joh. Caſp. Fauſii hiſtoriam*, de alia quæ matrice rupta in ſe ipſam fœtum edidit *Th. Bartholin.* (*l. de Inſol. Part. Viis c. 11. p. 76.*) Aliam publico non invidit *D. Salom. Reiſel. M. C. D. 2. A. 7. obſ. 10. p. 16.*), cui ſe aggregat *Cornel. Solin-*

lingen (*Sonderbare Anmerk. von Frauens und Kindern p. 776.*) *August. Henric. Faschius* (*ap. D. Wedel. c. l. p. 7.*) Ligamentis uteri rupturam etiam accidere posse compertum est. Ligamentum lateris dextri ruptum vidit *Dn. Augustinus Hermannus*, *Amicus colendus*, (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 171. p. 270.*) unde uterus inclinabat valdè, situ ferè transverso. Nec vesica ab hac calamitate immunis. In Bove disruptam descripsit *D. Samuel. Ledelius* (*M. C. D. 1. A. 9. & 10. obs. 145. p. 321.*). Ab Equi calcitratione & ictu in pube factam in Rustico observavi enormem Vesicæ lacerationem. Multa de hoc *Heinrich von Rookhuysen.* (*l. 2. obs. Chir. p. 150.*) *Joh. Pharamund. Rhumel.* (*Herniar. cur. Magnet. c. 9. p. 64. sq.*)

§. 49.

Quamvis igitur hujusmodi rupturas internas dari nullum sit dubium, maximum tamen occurrit in illo paradoxo de Judæ interitu. Μέσος ἐλάκησε, medius crepuit, *Lucas*, aut potius *Petrus ap. Eundem* verba facit, quæ quomodo Paradoxo isti consonent non capio. Τό μέσος sanè aliud inculcat, & de cadavere aut saltem ejus abdomine non de intestinis sermonem esse evincit. Et quomodo quæso sequentia verba, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ, & effusa sunt omnia viscera ejus, cum ista opinione conciliabuntur? Ita non viscera, sed excrementa in testiorum, non foras per crepaturam abdominis, sed in abdominis cavitatem, effusa propalantur. Et si ita res se haberet, quis rupturam istam divinasset, dum conspectui se subduxisset, nec abdomen Judæ à quoquam post suspendium novacula apertum fuit, qui id demonstrasset.

§. 50.

Singulare & inauditum ut Judæ flagitium & scelus extitit, ita, Nemesi divina ita dirigente, etiam mors prodigiosa, & omnibus numeris admiranda pœna. Qui suavibus somniis delectantur, verborumque aucupantur in Classicis mysteria, id operam dant, ut variam lectionem Autorum publico sistant, literatorumque nomen occupent. Divinam verò directionem non attendentes, in devia errorum incidunt, & inextricabiles tricas. Quamvis non omnes circumstantias, quod sæpius contingere solet, Spiritus Sancti relationes enarent, tamen defectus earum rem non oppidò declarat impossibilem. Rem narravit Spiritus Sanctus, modum rei occultavit, cum de fide non sit, hujus cognitionem obtinere. Voluit divina vindicta, ut supplicio non planè absimili afficeretur scelestus ille Magistri sui proditor, quo proditores Patriæ, vel Magistratus sui affici solent, quando in quatuor partes dissecantur,

tur, & cor ipſorum cum reliquis viſceribus vi extrahitur & effunditur, *monet. Eraſm. Schmidius (in declarat. N. T. ad Act. Apoſt. c. 1. v. 18. p. 1776.)* Juſto DEI judicio viſcera corporis effudit, qui non haberet viſcera miſericordiæ, *ait Gerh. Joh. Voſſius (c. l. §. 30. p. 214.)*. A Cacodæmone cum obſeſſum & diſruptum docuiſſet *(c. l.) Paracelſus (Vid. §. 38.)*, ſequentia ſubjicit: *Alſo ſterben ſolche Leute, daß allemal ein Wiſſen kund thon wird, im letſten Abdruck des Lebens, daß der Satan das Leben abgeſtoſſen hat: Alsdann mannigfaltig augenſcheinlich ſcheint, und bewiſen wird. Denn alſo iſt die Beſoldung ſolcher Leute, und ihrer leichtfertigen Hertzen.* Addam adhuc ſingularem *Guilh. Ballonii (l. 2. Epid. & Ephemer. p. 273.)* obſervationem, cui gemellam vix invenies. Præſidi à S. Andrea mirum contigit. Hæc ruptum os Tibiæ & conglutinatum fuit: Extincto corpore (diſſolutis penè omnibus) callus diſſolutus eſt, & os Tibiæ quod ferruminatum erat dividitur ac diſſolvitur nova velut fractura.

§. 51.

Regeris non compertum eſſe, mirando ejusmodi fato quosdam præter *Judam* occubuiſſe. Id verò *Philippum Salmuthum* evolventi conſtabit. Ita verò *ille* *(Cent. 2. obſ. 74. p. 94.)*: Suſpendebatur quidam Lipſiæ ob furta, qui poſt triduum medius ruptus ex altera parte decidit. Suſpenſus quoque quidam Serveſtæ eſt, inter diriſſimas execrationes animam exhalans. Altera die media ejus pars ſub patibulo reperta eſt, utraque tamen parte adhuc per inteſtina cohærente. De Cauſa hujus rei non tantum à Doctis, ſed & plebeis inquiſitum fuit. Æſtas erat Lipſiæ ſummè fervida, obeſus quoque ipſe fur. Unde nonnulli putredinem inductam putabant, qualis *Thucidides* in ſua peſte mentionem *(l. 2. de Bell. Peloponeſ. n. 194.)* faceret. Verum obſtabant cur non & Cæteris in ſimili aëris & corporis conſtitutione tale quid accideret? Alii verò ad violentiam quandam externam id referebant. Sed nulla ejus apparebant veſtigia. An ergò Gallicus fuit? An verò ratione torturæ ſævioris & vehementioris in iſtum inſtitutæ ligamenta illa debilitata fuere, ut à calore putredinali eò citius corrumperentur? De altero autem quid dicendum? Num *Judæ* ſupplicium ſubivit. *Hæc Salmuth.* In hac Exemplorum biga ſpinæ rupturam & partium abdominis omnium à thorace ſeparatio mirabilior videtur, ipſa abdominis Judæ crepatura. Addo his caſum Pariſienſem *à Petro Borello (Cent. 3. obſ. 100. p. 275.)* relatum: Suſpenſa fuit anus, quæ dum à Carnifice agitaretur, à capite ſeparatum eſt corpus ejus, & ad terram decidit, quod funiculi vi, & ob ſenilem fortè ætatem factum credit.

§. 52.

§. 52.

Suſpecta eſt Autoris vitæ *B. Godefridi Cappenbergenſis* (*Monum. Paderbornenſ. p. 226.*) *de Friderico Arnsbergenſi Comite* relatio, qua ſedens in prandio dirupto ventris thorace medius crepuiſſe dicitur. Ut impoſſibile, ſecundum naturam eſt Thoracem Muſculorum pectoralium, Sterno & Coſtarum robore munitum ruptura tentari poſſe, ita ſeculi iſtius (obiit autem anno 624.) ſimplicitati & credulitati relationem iſtam facilè quis aſcripſerit. Ad veritatem magis accedit, quod de portento illo generis humani *Johanne Baſilide Magn. Moſcoviæ Duce* in literas retulit (*l. 3. in Vit. Ejus*) *Paulus Oderbornius.* Hic in Lethargum incidit, nec multo poſt cum gemitu & miſerabili vocis reboatu animam efflavit disruptisque ſtatim illis abſceſſibus, qui pudenda occuparant tanto fœtore ex profluente ſanie totam eam habitationem implevit, ut adſtantes qui à peſtifera labe infici nollent plenis paſſibus eo relicto diffugerent.

§. 53.

Verè memorabiles illæ *Guilh. Ballonii* (*c. l. p. 270.*) obſervationes. Filia *Domini de Chailly* & Socrus mea, uxor *D. Reburtii*, cum hydropicæ fierent, & aqualiculus valdè diſtenderetur partim aquis, partim flatu aliquo poſtquam utraque extincta eſt, ita reſedit venter, ac ſi nunquam intumuiſſet. Et in filia *Domini de Chailly*, cum gibboſa foret, fato functa, ac repente mortua iſta gibboſitas & incurvitas ferè tota diſparuit.

§. 54.

De ſignis eorum, qui ab Aqua ſuffocati fuerunt, & qui minimè, ſequentia prodidit *Auguſtin. de S. Laurentio* (*Dec. 1. Diſſert. Med. 5. p. 109. ſq.*); ſi Cadaveri tota alvus Aqua contenta intumeſcat, à naribus mucoſa quædam excrementa prodeant, ab ore defluant ſpumoſa, extremi digiti detriti & excoriati ſint, eum vivum ab undis ſuffocatum eſſe tutò affirmare poſſumus. E contrà mortuum in Aquam eſſe præcipitatum, ſi nihil tumebit alvus, nihilque ipſi circa os, naresque apparebit, demum ſi digiti excoriati non viſentur. Corpus vivum in Aquas præcipitatum aliquid quærit ubi hærere poſſit, fluctus ſecare, quod non inveniens, tanquam furens in ima arena luctatur ac ſuffodiens effugium contendens id tandem miſerum mergit fatum profundo ideoque ea parte laceri digiti deficiunt. Quæ ſigna majora apparebunt in muliebri cadavere.

Lib. I. Tit. IX.

De

Partu Cadaverum.

Summarium.

1. C*Oitus cum mortuis. 2. Veneficium. 3. Pœnæ. 4. Mortuas non posse impraegnari. 5. Gravidas mortuas parere. 6. Historiæ. 7. Sepultæ parientes. 8. Fœtus aut vivus aut mortuus. 9. Signa fœtus mortui. 10. Vivus cur auram appetat? 11. In partu quæ requirantur? 12. Uteri monarchatus Helmontianus. 13. Quomodo demonstretur, rejicitur. 14. Wepferi. 15. Willisii Rationes. 16. Uteri monarchatus & ignota actio regiminis iterum exploduntur. 17. Fœtum vivum esse partus causam. 18. Mortuæ gravidæ non semper revera mortuæ. 19. Humorum fermentatio. 20. Partum retardantia. 21. Carmina & superstitio mulierculærum.*

§. 1.



O devenit insatiabilis hominum libido, ut œstro tentati venereo, mortuorum etiam non parcant corporibus. De Vespillone, qui virginem peste defunctam horribili scelere iniit, legi poterit *Th. Jordan.(t. 1. de Pest. Phænom. c. 18.)* & *M. Sam. Heinitz,(Hist. Laqu. Venator. Act. Trag. 1. p. 19.)* Execrandum Sigismundi Malatestæ scelus recitat *Joh. Jovian. Pontan. (T. 1. Op. l. de Immanit. c. 17. p. 968.)*. Idem de sepulturæ ap. Ægyptios curatoribus (*Herodotus in Euterp. p. m. 192.*) refert, ut proinde mos apud Eos inoleverat, ut corpora sepulturæ quarto post mortem die crederentur, quo fœtor ab hujusmodi injuria cadavera defenderet.

§. 2.

Veneficium quosdam in cadaverum amorem, ut iis frui, tanquam viventibus appetant, rapere, quidam relatione illâ de *Carolo Magno*, ejusque amaſia, quam tamen non inamœnam fabulam vocat *Franc. Petrarcha* (*l. 1. ad Familiar. Epiſt. 3. p. 10.*) probare ſatagunt. Muliercula illa, quam efflictim in vita arſerat, defuncta, in affectum mors nihil valuit. Eadem mens idem, magno Imperatori erat amor. Inde ne aſpectus Eidem cadaveris ſubtraheretur balſamo, & aromatibus conditum, veſtibus pretioſis gemmis & auro lucentibus decoravit. Dum neglectis curis publicis in lectulo ſuo omnibus excluſis & obſeratis foribus amato corpuſculo adhærebat, amicam ſuam crebro velut ſpirantem reſponſuramque compellans, illi curas laboresque ſuos narrabat, illi blandum murmur & ſuſpiria, illi ſemper amoris comites lacrymas inſtillabat, horrendum miſeriæ ſolamen, ſed quod unum ex omnibus Rex alioquin, ut ajunt, ſapientiſſimus elegiſſet. Addunt fabulæ, quod ego nec fieri potuiſſe, nec narrari debere arbitror. Cauſam hujus ardoris inſueti annulum ſub lingua à muliere detentum allegant, quem cum Colonienſis Antiſtes de cœlo monitus cadaveri eripuiſſet, amorem ſimul Imperatorio excuſſit animo. *E Petrarcha* hanc narrationem repetit *Henric. Kornmann.* (*p. 4. de m. m. c. 14.*) & *Joh. Benedict. Sinibald.* (*l. 1. Geneanthrop. tr. 2. c. 12. p. 30.*) qui, ſi vacat, evolvendi. De *Periandro* cum *Meliſſa* mortua, aut potius Ejus ſpectro ſe commiſcente iterum *Herodot.* (*Terpſich. p. m. 510.*) conſulatur. Tales panem ſuum in frigidum clibanum ponere, in proverbium abiit. *Vid. Petr. Gregor. Tholozan.* (*l. 17. de Republ. c. 9. n. 5. p. 1186.*)

§. 3.

Ut igitur ſummoperè deteſtanda & abſurda eſt illa libido, ut tales non immeritò pica venerea laborare diceres, ita de jure in talium transgreſſorum corpora ſævitur. Evolvendi hic JCtorum Commentarii, ut quæ huc ſpectare videntur ſuppleant. Habet quædam (*c. l. p. 9. c. 41.*) *Henric. Kornmann. D. Joh. Georg. Simon* (*Delineat. Impotent. Conjug. c. 2. th. 3. n. 5.*) cum Aliis. Nec divina vindicta & juſtitia abominationes tolerare voluit, immanique ſupplicio in furioſos iſtos animadvertit, cujus Exemplum dedi *infra* (*l. 2. Tit. 2. §. 43.*)

§. 4.

Mortuas deteſtabili illa initione imprægnari poſſe, credat Judæus Appella. De puella Deyſa mortua à milite imprægnata *ap. citat. Kornmann.* (*p. 4. c. 1.*) relatio figmentum eſt, præſtigioſumque Dæmonem alacres ſuas huic actioni locaſſe manus, tota evincit narratio.

§. 5.

Gravidas verò mortuas parere posse (quod quidem *Joh. Matthæus Quæst. Med. 4. p. 22.* & *Joh. Bensylvat. Cent. 4. Consil. 65. p. 351.* qui in ipso illo mortis articulo, dum mater ad plures migrat, partum contingere credidit, quod aliquando quidem contigisse, etiam in illa ipsa, quam allegat Epilepsia uterina extincta non protinus impossibile judico, inficiantur) exempla varia confirmant. Sæpè à matribus in feretro jacentibus vitales partus prodiere, & in sepulturis nonnunquam inventi sunt pueruli intra crura humatarum parentum, *tradit Corn. Consentinus*, (*Progymn. 5. p. 212.*). Gravida à Clerico trucidata gemellos enixa est, *teste Phil. Salmutho* (*Cent. 2. obs. Med. 1. p. 60.*). Quædam suspensa à militibus, cum pependisset horas quatuor totidemque esset mortua, gemellos vivos peperit (*E Paulo Ebero, Th. Bartholin. c. 2. Hist. 90. p. 352.*) & *Joh. Rudolph. Camerar.* (*Syllog. Memorab. Cent. 7. n. 42. p. 454.*). Quædam post aliquot ab obitu horas (*Henr. Watson. Synops. Philos. s. 3. c. 5. p. 430. Dn. D. Ehrenfried Hagedorn Cent. 3. Hist. 13. p. 296. Isbrand. à Diemerbroeck l. 1. Anat. c. 24. p. 207.*) Per duodecim horas post mortem matris motus fœtus in utero adhuc animadversus *Excell. Dn. D. Joh. Dolæus* (*M. C. D. 2. A. 5. obs. 137. p. 279.*) *notat.* Quæ sub vesperam obierat, manè sequenti inter femora ejusdem repertus est infans, *testimonio Guilh. Harvei* (*Exerc. de Partu p. 345*). Alia post tredecim à morte horas (*Phil. Salmuth. c. l. obs. 36. p. 75.*); post octodecim horas alia, *Ido & Joh. Christ. Wolfii* (*l. 1. obs. Chirurg. Med. 41. p. 131.*); quædam post 36. à morte horas (*Joh. Riolan. l. 6. Anthropogr. c. 8. p. 398.*). Alia suspensa secundo à supplicio die (*Joh. Vesling. obs. & Epist. à Th. Bartholin. collect. c. 49.*) fœtum enixa. Anno 1653. in Nosocomio Hafniensi post 48. horas â morte Matris prodiit puer. *Henric. Watson.* (*c. l.*) Anno 1673. in vicino Hafniæ pago Tronninge post biduum fœtus mortuus (*Th. Bartholin. Vol. 2. Act. Hafn. obs. 35. p. 92. Gothofred. Sam. Polisius M. C. D. 2. A. 4. obs. 42. p. 102.*). Post triduum (*Joh. Georg. Hager. D. 3. A. 3. obs. 44. p. 50.*). Post aliquot à morte dies fœtus semiputridus inventus exclusus. (*Christoph. Schrœtter M. C. D. 2. A. 4. obs. 107. p. 206.*)

§. 6.

Matre rogo imposita *Æsculapius* natus, & à *Mercurio* flammis ereptus Poëtis fingitur. *Ovidius* (*l. 2. Metamorph.*) *Phœbum Mercurio* substituit. Verius Exemplum est quod sequitur: *Georgii Epirotæ fortis viri* clara fuit origo *uxta Valer. Maxim.* (*l. 1. Memorab. c. 8. n. 5. p. m. 47.*) qui in funere matris utero elapsus inopinato vagitu suo lectum ferentes consistere coëgit, novumq; spectaculum Patriæ præbuit, ex ipso Genitricis rogo lucem & cunas assecutus: Eodem

dem enim momento temporis, altera jam fato functa parit, alter ante elatus, quam natus eſt. Elegans in hoc extat in *Theod. Bezæ Epigramm.* (*f. 92. a.*) Epigramma, quod in gratiam Lectoris aſcribere non inconveniens reputavi. Ita autem habet:

Prægnante infelix amiſſa uxore maritus
Unas dum geminis apparat exſequias.
Extinctæ (dictu admirabile) matris ab alvo
Salvus & incolumis prodiit ecce puer.
Salve infans elate prius, quam nate, ſepulchrum
Cui cunas, vitam mors properata dedit.
Mortua tu vero ſuperata morte triumpha
Poſt tua nimirum funera facta parens.
Denique tu cunctos inter celebrere maritos
Uni cui ſobolem mors homicida dedit.

§. 7.

Quædam jam ſepulchro illata fœtum non in lucem ſed tenebras edidit, de qua *Diomed. Cornar.* (*Hiſt. Admir. 15. p. 48.*) *Joh. Matthæus* (*c. l.*). Plura dabunt *Gregor. Nimmann.* (*Diſſ. de Vit. Fœt. in Uter.*) *Guilh. Fabric. Hildan.* (*Epiſt. ad Mich. Döring. p. 1174.*) *Guerner. Rolfinck.* (*l. 6. Disſſert. Anat. c. 33. p. 1195.*). *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. obſ. 99. p. 350.*) ubi & mentionem facit fœtus, qui duos dies atque noctes in utero matris mortuæ vivus delituit, & tandem natus eſt. Auxerunt in hoc exemplo admirationem compacta crura, clauſæ viæ uterinæ & lintea cadaver conſtringentia.

§. 8.

Fœtus qui excluditur aut eſt vivus, aut mortuus. Vivus poſt matris mortem durat, ſi perfectus, ſi non à morbo matris ante obitum debilitatus, ſi viribus integer, rectumque & naturalem obtineat ſitum. Conſilium eſt *Caroli Stephani* (*l. 3. de Part. Corp. Hum. c. 1.*) in puerperis defunctis ante obitum matri in agone conſtitutæ, aliqua re inter dentes interpoſita apertum morientis os ſervetur, quod quidem neceſſarium minimè videtur, cum mater mortua non reſpiret, nec judicio *Dn. D. Pauli Ammanni* (*Paræneſ. p. 396.*) fœtus vita à vita matris dependeat. Id vero non negligendum, quod *Stephani* addit ne obſtetrix unquam ab oſtio vulvæ manum dimoveat, & incurva ac diducta mulieris femora quanta poteſt diligentia contineat. Denaſcitur antequam naſcitur fœtus, ſi morbis in utero (*de quibus mihi peculiaris commentatio*) tentetur,

tur, si à præternaturali positu, matrisque infirmitate & obitu defatigetur & refrigeretur.

§. 9.

An verò fœtus ante matrem ad plures se contulerit? Signa accuratè descripserunt *Hipp. (l. de Superfœtat.)*; *Melch. Sebizius, (Exerc. Med. p. 604.) Rod. à Castro (l. de Morb. Mulier. c. 2. p. 437.)*; An post mortem matris adhuc vivat, quo sectione ipsi succurramus, sedulò attendendum. Signum certissimum est, si moveatur adhuc in utero, uterique capacitas adhuc caleat, omnium optimè id explorabit. Interim etiam fœtum maturum in utero quiescere aliquando, ut extinctus existimetur, *Hildani* observatione (*c. l.*) monemur. Tunc experimentum forsan *Joh. Dominici Salæ* locum habebit, qui, *referente Th. Bartholino (Cent. 5. Hist. Anat. 78. p.*) manum aqua frigida madidam viventi ventri imponebat, adversa frigiditate ut motum fœtus sollicitaret.

§. 10.

Vivus ergò vegetusque partus ut lucem appetat matre mortua sonticas sanè habet causas. In cadavere prædominans frigiditas, sanguinis motus interceptus & sublatus, nutrimenti, quod per os sumit, instans corruptio, cadaverisque mox secutura putredo, sanies & fœtor, hospitii mutet ut sentinam loco tutiore serio inculcant.

§. 11.

Egredi igitur putredinis gymnasium, locumque in quo
Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago,

relinquere affectabit fœtus jam perfectus. Quibus verò auxiliis? quove modo? Absurdus non est *Horatius Augenius (l. 1. de Partu hom. c. 11. p. 23.)*, qui in partu hominis maximam Artificis potentiam sapientiamque admiratur, & divinum hunc opificem præcipuam causam efficientem statuit. Expultricem tamen materni corporis & vires pueri non excludit. Puerperium non fieri nisu infantis, sed laboribus potius matris, quæ dum infantem propter magnitudinem & gravitatem gestare amplius nequit, *Francisci Mauriceau (Tr. de Morb. Grav. & Puerperar. Vid. T. 5. Ephemer. Erud. 1. p. 12.)* mens est. Contra in partu tria convenire, fœtum, mulierem, & uterum, *Roderic. à Castro (l. 4. de Nat. Mul. c. 7. p. 199.)* & communis assertio est. Verum enim verò cum uterus mulieris pars sit, commodius ad binarium reduxit ternarium *Guilh. Harveus (Exerc. de Partu p. m. 342.)*. In naturali & genuino partu mutuas invicem sibi præstare

ſtare operas matrem parientem, pariendumque fœtum. Utrique incumbit, ut molimine alacri opus illud alacriter moveat & promoveat.

§. 12.

A mortua verò genetrice quale in partu auxilium ſperabit fœtus? Nullum ſanè, ſanæ ſi auſcultemus rationi. *J. B. Helmontius, ingenioſus Paradoxorum faber*, ſuum hic ut oſtentaret novandi ſtudium, utero ſingularem tribuit monarchatum, ejusdemque ob inſignem agendi Craſin, ſibique vicisſim ab aliis viſceribus præſtitam obedientiam, Cordi æquiparat *(tr. de Ideis morboſis n. 2. p. 431.)*. Et hoc contingere ob conſenſum uteri cum reliquis partibus, ut ante eum docuere doctiores Phyſici & Medici; (hoc nomen vocat fallax, quod ideò vel larvam continet, vel præter impoſturam fabulam, id eſt nihil. *tr. ignota regiminis actio n. 30. p. 268.*) ſed ob ignotam actionem regiminis, (quam deſcripſit *c. l. n. 29.*) à qua omnes uteri affectus deducit. *(n. 43. p. 270.)* Sola eſt actio regiminis, (*inquit n. 46. p. 271.*) qua furens uterus cuncta exagitat. Concludit tandem uterum vivere ſæpè tumultuarique à morte mulieris quam intulit (*c. l.*) & hanc ob cauſam non rarò ſuum profligare fœtum *(tr. de Flatibus. n. 26. p. 337.)* aſſerit. Vitam hanc uteri ſingularem alibi *(tr. vita multiplex in homine p. 597.)* vocavit.

§. 13.

Ingenioſa hæc ſunt, neutiquam vera. Actio iſta regiminis ignota quid, niſi ignorantiæ aſylum? Non rarò, *inquit Helmont. (tr. Ignota act. regim. n. 43. p. 270.)*, unicum in pede guttureve tendinem ſtringit uterus, vel gulam totam planè comprimit, tanquam ſi morbus topicus eſſet, cum interim nulla exhalatio ad iſtum nervum vel locum mittatur, dirigatur vel recipiatur. Solo aſpectu (en uterum oculatum!) pulmonem comprimit, ut anhelitu in totum privet. Nugæ ſunt, *pergit*, quæ de vapore nocuo huc feruntur. Quippe qui propinquius inteſtina, ſtomachum & Diaphragma convelleret, quam ad pulmonem ſolum perveniret. Alibi quoque guttur ad menti altitudinem ſurgit, ſiditque iterum, nec eſt vaporum iſtorum merces. Sed dominium, regimen, aſpectus, influxusque & præceptum uteri ſic habet. Partem enim quam vultu afficit, & totum quandoque perimit: quia ſubeſt. Quandiu enim à perturbationibus animæ non quatitur, recto ſtat pede, imò dormitat uterus: At ſemel perturbationibus impeditus, de cætero ſuas parit exundationes per totum corpus & ſubinde in mortem durabiles. *Hæc ille.* Antiquum qui obtinet, quod ante probare debuerat, pro conceſſo ſumit, huicque ſuas inædificat rationes.

§. 14.

Aliter & ad sanæ rationis ductum forsan verius his philosophatur *Joh. Jacob. Wepferus (Cicut. Aquat. Hist. & Nox. c. 8. p. 90.)*: Vidi sæpius omni sensu & motu abolitis imò detruncato Capite, cordis motum Systole & Diastole ritè alternantibus plurimis horis integris perstitisse. Fortè talis vita fibris uteri permansit superstes in fœminis, quæ post obitum fœtus vivos aut Embryones excluderunt, nisi enim fœtus impulsus fuisset, non constaret modus, quo fœtus vel Embryo claustra hæc perrumpere potuisset. *Et paulò post: (p. 91.)* In fibris harum partium sensus aliquis & motus instrumentum pertinacius inhærere, nec tàm citò, ut alibi, evanescere statuit. Sed hæc ratio in partu, qui statim aliquot horas post obitum evenit, quid verò de his, quæ post biduum aut triduum à fato pepererunt?

§. 15.

Quare *cum Thoma Willisio (tr. de Morb. Convulsf. c. 10. p. 160.)* uterum in hoc & aliis præfatis casibus absolvo, nec actionem regiminis istius, aut consensum tam latè se diffundere pronunciare audeo. In Puerperis uteri dislocatio interdum contingit *(Id. c. l. p. 187.)* & tamen nihil furoris advertimus, nihil quod hystericum exprimat malum. Convulsiva igitur est ista hysterica affectio, & ad Cerebrum & genus nervosum præcipuè spectat *(ib. p. 164.)*. Quæ verò in abdomine concitantur molestiæ, non tàm utero, quam Mesenterio tribuenda cum Eodem *(p. 181.)* censeo.

§. 16.

Quod si hac firmo tubicine nituntur, spontè mole sua ruit uteri monarchatus, & ignota actio regiminis perpetuæ ignorantiæ devovetur. Nec ideò tumultuabitur semper post mortem uterus fœtum cum secundinis exturbando, cum omnis actionis virtute unà cum Cadavere exutus, frigeat ut lapis, rigeat ut truncus. *Evolv. Th. Bartholin. (l. 1. Anat. Reform. c. 28. p. m. 172.)*

§. 17.

Cum igitur mater fatis functa desit fœtui, ne sibi ipsi desit, auramque hauriat vitalem, omni nititur conatu. Fœtus illud molimen tanti, etiam matre adhuc vivente, momenti est, ut sine eo frustra laboret & defatigetur mater. Oportunè illud demonstravit *Guilh. Harveus (l. c. p. 344. 345.)* partu Rajæ, pastincæ, Galei, omniumque piscium cartilagineorum, qui ova intus concepta gestant, eaque perfecta, bicolora atque cortice cartilagineo valido quadrangulari conclusa, è quibus infra abdomen & uterum detentis pisciculi ef-

formati

formati rupto vi cortice foràs egrediuntur. Ita viperæ non parentis alvum exedendo naſcuntur, ut pluribus deduxit *Georg. Voigt.* (*Curioſ. Phyſ. c. 4. p. 107.*); ſed tunicæ incluſæ, Secundam vulgò vocari *ap. Marc. Aurel. Severin.* (*de Vip. Pyth. p. 197.*) legitur, quam erodunt, ut lucem videant, de quo *Joh. Vesling.* (*Epiſt. ap. Eund. p. 245.*) Ita Bombyces & alia inſecta, imò & pulli conſueto tempore non matris, ſed proprio molimine clauſtra Corticis ovorum effringunt, ſibique parant exitum.

§. 18.

Quod verò mortuum fœtum luci ſiſtit, quo pulſore uterum linquere cogitur? Non ſemper revera mortuæ ſunt, mortuas quas conjicis. Exemplum habet *Diomedes Cornarius* (*hiſtor. admir. 15. p. 48.*) alicujus, quæ pro mortua ſepulchro illata infantem peperit. Adde illud maximè notabile *ap. Caſp. à Rejes* (*Camp. Elyſ. jucundi quæſt. 79. n. 11. p. 1055.*): uteri ſuffocatione oppreſſæ mortuis jacent ſimiles (*Guerner. Rolfinck. l. 6. Diſſ. Anat. c. 33. p. 1195.*), aut longiore ſyncope tentantur. (*Isbrand. à Diemerbroeck. l. 1. Anat. c. 24. p. 207.*) Excludit fœtum in tali caſu ultimus Naturæ conatus; ut in illa ſe ſuffocatura, quæ in mortis anguſtiis fœtum excluſit, *juxta Th. Bartholin.* (*C. 2. hiſt. 99. p. 353.*) & antequam fato cedat, excedere cogitur. Nec uteri amplum orificium excludimus *cum Eodem* (*l. 1. An. Ref. c. 28. p. 172.*). Quæ de reliquiis facultatis vegetatricis in Cadavere inſerit *Phil. Salmuth.* (*c. l.*) *jam* (*in Exerc. prælimin.* §.   ) diſcuſſa. Nec rationem ſuggeret quisquam, cur reliquiæ iſtæ potentius ipſa anima agant operenturque.

§. 19.

Humorum in utero collectorum tandem impetuoſa fermentatio mortem inſequitur, tantas ciens turbas, ut aliquando, prout vidi eorum magna per vulvæ rimas egeratur copia. Hinc eſt quod cum ſonitu aliquando fœtus prodent, quod hiſtoria *P. J. Hechſteteri* (*Decad. 6. obſ. med. Caſ. 3. p. 657.*) ſatis declarat, imò cum utero & inteſtinis fœtus excutiatur. Vid. *Joh. Schenk.* (*l. 4. obſ. med. p. 590.*) Succedit & debetur huic abdominis tumor & flatuoſitas, comprimis, ſi medicamenta partum facilitantia & longas illas Obſtetricum potiones, quas non ſine Cauſa rejecit *Guilh. Harveus* (*c. l. p. 342.*) ante mortem avidis hauſerint faucibus. Illa fermentatio, ut fœtus egeratur, ſi uterus non conſtrictus, ſed laxus ſit, multum auxilii ſubminiſtrare valebit. Benè igitur *J. Th. Schenckius* (*l. 1. Anat. Exerc. 9. ſ. 2. c. 36. p. 738.*) cauſam quærit (1.) in flatibus una cum fœtu gemellis, (2.) in tono reſoluto cervicis & oris uteri interni. (3.) In pondere fœtus mortui deſcendentis. Primum,

subjicit, accelerant & augent assumtorum medicamentorum δυνάμεις duo posteriora humorum resoluto & augmentum. Sed hoc quomodo fœtui pondus addet? & quomodo pondus premet uterum ejusque vias & portas, ut trans eat?

§. 20.

Putant equidem mulierculæ & qui cum febricitantibus in mentis rapiuntur fluctus, omnem mortuum fœtum à matre mortua expelli, & id, si ante funus non contingat, in sepulchro, indeque *referente Th. Bartholino (c. l. p. 352.)* cum puerpera in arca ferali forficem, acus, spongias aliaque puerperii instrumenta, quibus credunt prodituro infanti opus esse, arcæ ferali includunt, & simul terræ condunt. Id verò anilium fabularum tabulis meritò inscribitur. Cœterum quod non omnis fœtus matre mortua explodatur, variæ possunt in medium adduci causæ. Quæ partus in vivente moram promovent, huc spectant, comprimis verò, *secundum Hippocraticum Oraculum (s. 5. aph. 40.)*. Omenti, aut ut id olim exponebat *Præceptor in arte Asclepiadea meus beatus Dn. D. Christian. Langius (in Not. ad h. l. M.)*, suminis nimia pinguedo, aut etiam lapidea durities, quam observavit *Dominic. Panarol. (Pentecost. 3. obs. 10. p. 69.)*. Si vasa umbilicalia fœtus collo fuerint involuta (*Hippocr. de Octimestr. part. p.*) *Joh. Schenck. l. 4. obs. Med. p. 586.)*; si perversus & non genuinus fœtus in utero sit positus (*Guilh. Fabr. Hildan. Cent. 4. obs. Chirurg. 57. p. 435.)*; si fœtus monstrosus aut biceps (*Aëtius Tetrabibl. 4. Serm. 4. c. 22.)*, aut tripes (*Nicol. Tulp. l. 3. obs. c. 37. p. 257.)*, aut magni capitis *P. Forest. (l. 28. obs. Med. 71. p. 751.)*, aut Gemelli adsint, iique connati, *(Vid. it. Forest. c. l. obs. 75. p. 756. & Disc. de Gemell. & Part. Num. c. 4. §. 4.)* aut fœtus magnitudine excedat; *(Th. Bartholin. c. 5. Hist. Anat. 43. p.)* Rumpitur aliquando uterus, aut à fœtu calcitrante (*Guilh. Fabr. Hildan. Cent. 1. obs. 64. p. 64. Exc. Dn. D. Leonh. Bausch. Schediasm. de Ætit. Proœm. p. 5.)*. Carnea in utero coalescentia viam præcludit *(Th. Barthol. Cent. 1. Hist. 94. p. 153.)*. Orificii pudendi laterum juxta Nymphas coalescentia. (*Guilh. Harv. de Partu p. m. 345.)* Scirrhus uteri *(Tob. Knobloch. ap. Gregor. Horst. s. 17. Epist.)* uterus olim sectionem Cæsaream expertus *(Rod. à Castro l. 4. de Morb. Mul. p. 447.)*. Uteri naturalis angustia ut & ossa pubis conjuncta & constricta (*Claud. de la Courvee p. 3. de Nutr. Fœt. c. 12. p.*). Et sexcenta alia, quorum copiam suggerent observationes Medicæ. Potissima causa est uteri spasmodica constrictio, quæ etiam post fata adhuc durat.

§. 21.

§. 21.

Loco Epimetri ſit illa Ethnicorum ſuperſtitio, qua carminibus partum in utero viventis retineri poſſe perſuaſum habebant. Nec noſtræ hic abſolvendæ mulierculæ, quæ digitos hoc vel illo modo junctos partum vel promovere, vel retardare credunt. Ita cum *ap. Ovidium (l. 10. Metamorph. v. 299.) Alcmena Herculem* eſſet paritura *Ilithyia*

dextro eſt poplite lævum
Preſſa genu digitisque inter ſe pectine junctis
Suſtinuit partus, tacita quoque carmina voce
Dixit, & inceptos tenuerunt carmina partus.

Et de puerperarum Aſtantibus *Th. Bartholin. (Antiqu. Puerper. Synopſ. p. 6.)*: Aſſident, ſed nec poplite in alterum genu poſito, nec digitis pectinatim implexis. Inter veneficia enim id retulit *(l. 28. c. 6.). Plinius.*

LIB. I. TIT. X.

De

Unguium, Cornuum & Oſſium incremento.

Summarium.

I. *ENochus an ſibi ungues reſecet & capillos in Paradiſo?* 2. *Ungues quid ſint?* 3. *Mediam naturam inter viventia & non viventia habere.* 4. *Nutriri, augeri & creſcere.* 5. *Mortuis non revera creſcere.* 6. *Contrarium.* 7. *Exempla Papæorum.* 8. *Noſtrorum.* 9. *Rationes partis affirmativæ.* 10. *Unguium vita.* 11. *Gallorum calcaria tranſplantata.* 12. *Cornua plantatilia.* 13. *Cornua in pedes &c. non poſſe transplantari.* 14. *Cornutorum Exempla.* 15. *Cornua ex oculis in Chymico ſuſpenſo.* 16. *Cau-*

Causa difficulter explorabitur. 17. Cornua in terra non crescere. 18. Gigantes non fuisse, quidam credidere. 19. Refutantur. 20. Ossa prodigiosæ magnitudinis. 21. 22. Ossa sub terra non crescere. 23. Ossa Gigantum olim in Principum palatiis suspensa. 24. Gigantes in locis septentrionalibus fuisse. 25. A Goropio eorum sub terra elaboratio Dæmonibus ascripta. 26. Sed minus rectè. 27. Medicus circa ossa talia rogatus circumspectè pronunciet. 28. Exemplo dentium illustratur. 29. Ossium animalium & mineralium differentia. 30. Circa ungues abscissos vulgi ridicula superstitio.

§. 1.



QUosdam è Papicolis quæsivisse, an *Enochus* vivus in Paradisum terrestrem, ut nugantur, translatus, & cujus opera tondeat capillos? cum tonsorem in Paradiso extra hominum societatem, nec forfices aut potius forcipes: num ungues resecet? cum cultrum non habeat, nisi statuas, cultro aut forcipe instructum fuisse, cum tolleretur, *Dn. D. J. Conrad. Danhauer.* (*p. 1.Homiliar. Sacr. 10. p. 363.*) è *Sanctio*, *ex Aliis Pl. Rev. Joh. Sebast. Mitternacht.* (*Dissert. 2. de Johanne p. 252.*) demonstrat, eosque sale fricatos dimittit.

§. 2.

Nugis hisce risum reponens, comprimis cum etiam ex Papicolis id fecerint, interque incerta collocarit *ipse Suarez* (*T. 2. in part. 3. Thom. Distinct. 55. f. 1.*) alia de unguibus & cornubus curiosè trutinare in animum induxi meum. Ungues clausulas nervorum summas olim existimabant, quod *Plin.* (*l. 11. c. 45.*) annotavit. Unguem *Empedocles*, *teste Aristotele* (*l. de Spirit. c. 6.*) per congelationem è nervo constitisse *ait*. Non procul ab antiquissima illa *Empedoclis* sententia recedere videtur *Nobilissimo Georgio Friderico Franco de Franckenau* (*in Curios. ὀνυχολογ. §. 6. p. 7.*) *sagacissimus Naturæ scrutator Marcellus Malpighius* (*in Dissertat. de Corn. Vegetat.*) quando ungulam nihil aliud esse, apertè loquitur, quam fibras perforatas, quibus nerveæ papillæ (quas tactus organum constituere existimat,) sensim solidiores factæ ad ultimam usque feruntur superficiem, unà cum mucosa & nervea exsiccata materia, qua enata inter fistulas spatia replentur, atque ita ungulam esse appendicem cuticulæ & re-

tis

tis atque eandem cum papillis exsiccatis & solidioribus factis. Vid. *ipse Malpighius* (*T. 2. Op. p. 213.*). Ex digitis cum ossa densa & parva habeant, venas ac nervos etiam parvos ac densos, ita ex ipsis ungues tenues & densi oriuntur, qui extremas venas comprehendunt, adeò ut nec ulterius progrediantur neque alia aliam excedat, *Hippocratis* mens est (*l. de Nat. Puer. S. 3. Op. p. 20.*) *Joh. Argenterio* (*in Galen. Art. Med. Comm. 2. p. 454.*) magis eorum opino placuit, qui volunt ungues provenire ex cartilaginosa substantia extremæ partis indurata. Nam unguium durities media est inter ossa & cartilaginem, tanquam ex cartilagine exsiccata & tendente ad ossis naturam consistant. Rectè verò ridet Idem *Acachiam* ungues gigni ex crassis terrenisque nervorum excrementis asserentem (*p. 452.*)

§. 3.

Concludit tandem *Joh. Argenterius* (*c. l. p. 454.*) : Ego ita puto sentiendum, pilos & ungues mediam naturam habere inter viventia & non viventia, cujus generis corallus, fungus, spongiæ marinæ & alia quædam esse agnoscuntur. Clarius *Honoratus Fabri* (*l. 3. de Plant. Propos. 24. p. 115.*): Unguis inter osseas plantas suum locum habet. Quod osseus vel corneus sit, nemini dubium esse potest. Nutritur enim & crescit per intus susceptionem, *ut ajunt*, & ab intrinseco, suoque fibrarum plexu constat atque radice. Crescit autem proportionaliter, quod certè vitæ vegetantis perspicuum argumentum est. Igitur supponit rudimentum quoddam primigeniæ organizationis, quod revera universo plantarum vegetantium generi competit.

§. 4.

Quod si hoc, ungues nutriri, augeri & crescere nullum est dubium. Peculiare quid in nutritione pilos & ungues præ aliis corporis partibus obtinere *ex Galeno* comprimis docuit *Franc. Vallesius* (*l. 2. Controv. c. 5. p. m. 65.*). Augentur *secundum Galenum* (*l. 1. de U. P. c. 11. p. m. 274.*) non ut aliæ partes in longum, latum & profundum : sed pilorum modo in longum solum, subnascentibus aliis semper unguibus novis & antiquos propellentibus. In radicem ipsam non modo nervus, sed etiam arteria, venaque porrigitur, unde sensum & vitam & alimentum sicut aliæ partes accipiunt; *Alibi* (*l. 2. de Anatom. Administr. p. m. 65.*) docuit, & supra dictum repetit, quod non placere videtur *Casp. Bauhino* (*l. 4. Theatr. Anat. c. 45. p. 661.*). *Ipse Adr. Spigelius* eos secundum omnes tres dimensiones crescere & augeri (*l. 2. de Corp. Hum. Fabr. c. 31. p. 72.*) demonstravit. Ad cornua & ungues quod attinet, *Franc. Glisson.* (*de Part. Contin. in Gem. c. 6. n. 4. p. 38.*) *judicat*, ea si in junioribus animalibus cum iisdem

dem in ſenioribus conferantur, evidenter organicè augentur, imo & quoquo verſum atque ſecundum omnes dimenſiones. Eorum enim cavitas ampliatur, circumferentia augetur, craſſities major fit, & longitudo producitur, atque hæc omninò proportionaliter. Et ſi non in latum creſcerent, cur ungues digiti pedum majoris ſe non rarò ad latera cuti circumjectæ profundius inſinuant, acutumque dolorem & moleſtam ambulationem cauſantur? *Gabr. Fallopius* horum incrementum, *teſte Caſp. Hoffmanno* (*l. de Part. Simil. Corp. Hum. c. 18. p. 109.*) qui ſe eidem aggregat, non ultra annum 25. quoad latitudinem & profunditatem extendit, augeri autem ulterius tantum quoad longitudinem aſtruit, ſed cum in ſenibus etiam, mihique ipſi contigit, latitudo increſcat, & ut dictum cuti altius ſe immergant non ſine triſti doloris ſenſu, & nemo neſcit ſenioribus craſſiores eſſe ungues ac junioribus, aſſerti hujus vanitas oppidò pellucet. Quod ſingulis annis ad minimum bis toti unguess fiant novi, idem *Fallopius* ſe animadvertiſſe, *Eodem memorante* (*c. l.*) prodidit. Dicerem, quod in me ipſo obſervavi, ubi maculis albis (νεφέλιαι Græcis dictis) illuſtratæ fuerunt ungues, binorum menſium intervallo id aliquando contingere. Cuidam ungues ſecare nunquam neceſſe *Hieron. Cardan.* (*l. 11. de Subtil. p. 637.*) rectè inter ſingularia computavit. Interim pilos & ungues non in immenſum creſcere *Laurent. Joubert.* (*Annotat. in l. 1. Galen. de Nat. Facult. c. 7. p. 169.*) non fruſtra aſſeruit. Sed hoc non impoſſibile videbitur illi, qui *ap. Anton. van der Linde,* (*Med. Phyſiol. c. 16. & 51.*) hiſtoriam mulieris Enchuſanæ legit, cui ex inaudita δυσχερεία ſui fœditate & negligentia in pedibus ungues in tantum excreverant, ut ambulare tandem non poſſet. Medicus vocatus ſerrare jubet. Segmentum pollicis duos pollices longum, craſſitudine digiti: circa radices ſolidum, inde ex multis laminis veluti totidem unguibus conpaginatum. Segmen medii digiti æquè longum ac prius, ſed minus craſſum, inſigniter tamen. Nullum pollice brevius etiam minimi craſſius eſt craſſiſſimo pollicis ungue. Quod in latum accrevit introrſum cernitur aduncum. Add. *laudati G. Friderici Franci à Frankenau* (*Onychol. Curioſ.*)

§. 5.

An etiam mortuis adhuc creſcant? controvertitur. Multi è Medicis & Phyſicis id negant pernegantque. Fallacia id videtur (*c. l.*) *Caſparo Hoffmanno,* quæ ortum habeat ex aſſumtis carnibus, unde fit, ut appareant ungues longiores, quam erant. Abſumtis & depreſſis carnibus ob excluſionem ſpirituum & vaporum, quorum proprium eſt diffundere & ampliare, eædem ungues (exiſtimat *P. Salius Diverſus Tr. de Febr. Peſtil. c. 19. p. 120.*) ad ſenſum longiores

eſſe

esse videntur. Ungues cum exordia (rectius exodia legit *Hieron. Mercurial. l. de Gen. Hom. c. 17.*) nervorum sint, meritò nervis resolutione porrectis provectiores & quotidiè deficiente carne (dum ab ambiente caro pulposa & pinguedo exsiccantur, cutisque corrugatur) expelli videntur, *Tertullianus* (*l. de Anim. c. p. 688.*). Eadem habent *Alex. Aphrodis.* (*l. 1. probl. 40. Fr. Vallesius* (*c. l. p. 69.*) & *Laurent. Joubert.* (*c. l.*) quamvis & hoc *alibi* (*l. de Pest. c. 4. p. 308.*) admittat, ejusque rationem reddere nitatur. *Guerner. Rolfinck.* (*l. 2. Diss. Anat. c. 55. p. 450.*) *Joh. Theod. Schenck.* (*l. 1. Exerc. Anat. 2. s. 1. c. 20. p. 100.*) Crescunt igitur non ὄντως sed φαινομένως. Nec hic reticendum putant muliercularum superstitionem, qua prohibent ne resecare ungues sibi patiatur patiens, metu majoris mali. Inde progressu temporis vulturini evadunt, verumque in mortuis mentiuntur incrementum.

§ 6.

Sunt tamen qui contrarium profitentur. *Democritus* crementa unguium & comarum in Sepulturis aliquanti temporis denotat *Tertullianus* (*c. l. c. p. 682.*) disserit. Affirmasse id *Archi-philosophum* (*l. 3. Hist. Anim. c. 11. p. 886.*) patet, quod quidem pronunciatum interpretatione corrigere tentavit *Hieron. Mercurial.* (*l. de Morb. Cutan. c. 3. p. 15.*) an feliciter, alii divinent. Videas in hac opinione *Plinium* (*l. 11. c. 45.*) *Plotin.* (*l. 2. de Dub. Anim. c. 19.*) *Th. Campanellam* (*l. 4. de Sens. Rer. c. 12. p. 317.*) *Anton. Santorell.* (*Post Prax. Med. c. 20. p. 56.*) *Fransc. Glisson.* (*c. l. p. 45.*) *Isbrand. à Diemerbroek.* (*l. 9. Anat. c. 23. p. 834.*)

§. 7.

Nec Exempla desunt id satis superque confirmantia. Narrat *ex Aliis Henric. Kornmann.* (*p. 3. m. m. c. 13.*): Bononiæ in Romandiola in monasterio Corporis CHRISTI ostendi *B. Catharinam*, ejus domus olim, sororem, quæ incorrupta sedet, & ungues ejus in manibus pedibus indies augentur, ac si in corpore etiam viveret. Subjungit *ex Hieron. Cardano* (*l. 8. de Var. Rer. c. 41. p. 516.*) de *B. Gaudentio*, cui cum sex perpetuis mensibus ab obitu inhumatus mansisset, perpetuo ungues & capilli fuere superaucti. (*c. l. c. 23.*) Idem de *B. Salome de Domo Regali. Poloniæ.* (*c. 25.*) De manu *S. Johannis*, quæ in Insula Pathmo asservatur, *Sandys.* (*l. 1. Itinerar. p. 197.*)

§. 8.

Quod si hæc superstitiosi Papatus commenta reputas, en è Medicis fided ignis Exempla. Certa est historia cum multis etiam, qui imberbes erant, barba prælonga ad multos annos creverit, ungues quoque longitudine admiranda. Ca-

daver suspendiosi cujusdam conditum domi apud se habuit *Ambros. Pareus*, cujus ungues resectos à se crebrius increscere, & ad priorem mox magnitudinem redire animadvertit (*Vid. tr. de Embammat. Condiend. Cadav. ap. Petr. Uffenbach. Thesaur. Chirur. p. 660.*). Vidit manum Nobili cuidam Bohemo viventi amputatam aliquot annos jam tumulatam & incorruptam *Michaël Babst* (*Kunst- und Wunder-Buch T. t. ij b.*), cujus ungues penè ad mediam digiti longitudinem creverant.

§. 9.

Nec rationes præterea parti affirmativæ deesse videntur. Si namque capilli crescunt demortuis, ut demonstravi *supra* (*Tit. 1. §. 18.*), cur non & ungues, cum, *secundum Franciscum Mercur. Helmont.* (*tr. Alphabeth Nat. Colloqv. 4. p. 32.*) ex una & eadem materia, viscida nempè, constituantur, quia si coquantur, gelatinam dant. Mucum glutinosum vocavit *Hippocrates*. De pilis quidem loquitur (*l. de Princ. aut l. de Carnibus p. 33.* plurima namque Exemplaria habent περὶ σαρκῶν, pauciora περὶ ἀρχῶν. *Vid. Anut. Foës. comment. in h. l. p. 105.*). Ubicunque in corpore glutinosum est, ibi pili giguntur à calido. De Unguibus verò, quod ex muco glutinoso procreentur, & ex densissimis constent (*l. de Nat. Pueri p. 20.*). Interim pilorum gluten non ita terrestri squalore abundare, prout unguium, quivis facilè concedet. Pilis & unguibus idem nutrimentum ascripsit *Joh. Dolæus* (*l. 1. Encyclop. Chirurg. c. 2. p. 27.*). Excrementum id verò *cum Ludovico Septalio* (*in s. 10. Arist. probl. 59. p. 143.*) proclamare non audeo. Ut senibus capilli aliquando præter naturam crescunt, ita & ungues, ut his manus aduncas eleganter tribuit *Cornelius Gallus* (*Eleg. 1.*). Idem Phtisicis & hecticis contingit, ut de his *Francisc. du Port* (*l. 2. de Sign. Morb. c. 23. p. 43.*) cecinit:

Incurvi fiunt velut alitis ungues.

Θηρίωμα seu affectum ferinum ob id dici has ægritudines *Hippocrati & Galeno Joh. Gorræus* (*l. Definit. Med. p. 182.*); *Th. Grossius* (*Lection. de Febr. p. 297.*); *Hieron. Mercurial.* (*l. 5. Lect. Patavin. c. 7. p. 507.*); *Francisc. Valles.* (*in l. 4. Epid. Hipp. col. 335.*); *Joh. Collius* (*l. 2. de Min. Commun. Princip. & Pass. Morb. p. 167.*) & *Hieron. Montuus* (*p. 1. Med. Pract. l. 2. c. 12. p. 96.*). Cur non idem contingeret in mortuis?

§. 10.

Quod siquis *Stephani Roderici Castrensis* decretum (*l. 3. de Meteor. Microcosm. c. 9. p. 114.*) opponat: Ungues pro vivis habere esset superstitiosum. Add. *Joh. Poncium* (*Curs. Philos. ad ment. Scot. tr. de Anim. Disp. 1. qu. 20.*

Con-

Concluſ. 4. n. 151. p. 748.) Et vitam his denegare *ipſe Galen.* (*l. 1. de U. P. c. 11.*) quibusdam viſus, qui tamen *alibi* (*l. 1. de Anat. Adminiſtr. p. m. 65.*) his ſenſum, vitam & alimentum, ut aliis partibus, aſcripſit. Vivos ungues habet in illo *Horatius* (*l. 1. Satyr. 10. v. 20.*)

In verſu faciundo

Sæpè caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

Sed id affirmantem non feriet telum. Ad ſenſum provoco individuum vitæ Comitem. Eorundem idcirco partibus inferioribus vitam non denegant, *Valleſius* (*c. l. p. 66.*) & quos citat *Laurent. Forer.* (*virid. Philoſ. Diſput. Miſcell. Th. 35. p. 529.*). Et ſi ſunt plantæ oſſeæ, quod *ſupra* (§. 3.) commemoravi, vitaque vegetabili gaudent, comprimis anima propria ab animalis anima diverſa & diſtincta, *juxta Anton. Santorell.* (*Poſt-Prax. Med. c. 20. p. 56.*), poſt mortem animalis vivent mortuo toto, haut aliter ut pili, & incrementa capeſſent. Si igitur mortuo homine alimentum ipſis non denegatur, vegetant & creſcunt. Audiamus *Aureol. Theophr. Paracelſ.* (*l. 2. de Nat. Rer. p. 885.*). *Es ſoll ſich niemand verwundern, daß einem Ubelthäter am Galgen oder Rad ſo lang hernach, Bart, Haar und Nagel wachſen, ſoll es auch für kein Zeichen ſeiner Unſchuld achten, wie die Unverſtändigen meynen: dann ſolches iſt natürlich und gar nicht unnatürlich, hat auch ſeine natürliche Urſachen. Dann alldieweil Feuchtigkeit im Menſchen iſt, wachſet ihm Nagel, Haar und Bart: und das noch mehr und gröſſer iſt, wachſen einem Menſchen unter der Erden, der vergraben liegt, noch Nægel, Haar und Bart biß ins andre Jahr, oder zu ſeiner Verweſung.* Deficiente autem alimento, aut ob cadaveris exſiccationem, aut totalem ſub putrefactionis umbone reſolutionem & deſtructionem & hoc faceſſet incrementum.

§. 11.

Ungues præciſos vitam retinere eſſentialem, audaci calamo *Joh. Marcus Marci à Kronland* (*Philoſ. Vet. p. 5. ſubſ. 6. p. 499.*) *prodidit*, & ex hoc fundamento eosdem præciſos & in quercu terebrata incluſos ſuo magnetiſmo hominem à podagra dicuntur liberare (*p. 497.*). Momentum opinioni afferunt Gallorum calcaria in criſtatum locum (rectius criſtæ abſciſſæ locum) inſita, ibidem uniri, vegetare & creſcere. (Vid. *Th. Bartholin.* (*de Unicorn. c. 7. p. 48.*). *Petr. Borell.* (*Cent. 1. Obſ. Med. Phyſ. 10. p. 15.*) *Anton. Deuſing.* (*Conſiderat. Fœt. Muſſipont. ſ. 2. §. 53. p. 28.*) Et hoc imago quædam villicæ inſitionis, & curtorum reparationis *Marco Aurelio Severino* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 1. Epiſt. 60. p. 247.*) eſſe videbatur. Et rectè quidem. Iſta namque inſitio æquè ut in

vegetabilibus contingit, aut etiam animalibus, v. g. in curtorum Chirurgia, *de qua ſupra (Tit. 2.)* ob formarum materialium diviſibilitatem, ut ut vult *Joh. Sperling. (l. 1. Inſtit. Phyſ. c. 3. qu. 5. p. 145.)*. Non tamen immediata calcaris & cranii contiguitate abſolvitur, ſed carnis pulpoſæ in calcaris cavitate latitantis & abſciſſæ criſtæ applicatæ ſubſidio, quæ invicem parvo temporis ſpacio conglutinantur, ut tandem calcaris implantati nutrimentum & incrementum deprehendamus. *Conf. O. Wormius (ap. laudat. Th. Bartholin. Cent. 1. Epiſt. 38. p. 174.)*. Vidi tamen & cornutos capos poſt aliquot à caſtratione demum annos factos, in quibus inſitio illa nunquam celebrata. Quod an forſan à cranii in abſciſſione criſtæ læſione contigerit, an alio Naturæ luſu, non facile dixerim, ut parum abfuerit, quin ejusmodi calcarium transplantationem olim pro fabula habuerim, comprimis cum Gallinarum cornutarum mentionem faciat *Joh. Albert. à Mandelsloh. (l. 2. Itinerar. Or. c. 19. p. 171.) & Thom. Bartholin. (c. l. p. 49.)*, qui & Gallos unicornes & bicornes Patavii & Venetiis vidit, etiam cornutis, ut ferebatur, parentibus editos. Cornuti Galli gallinacei bicornis à cornuto patre nati, cujus cornua pileolo plumeo dum viveret obvelata erant, iconem ſuggerit *Excell. Mich. Fried. Lochnerus (M. C. Dec. 2. A. 8. obſ. 26. p. 74.)*. Cornu appellationem non mereri caponum cornu perſuaſit *Bartholino Ariſtoteles*, qui *(l. 9. Hiſt. Anim. c. 50.)* cervis caſtratis, ſi per ætatem cornua non gerant, cornua germinare negavit. Quia tamen in caponibus ætatis progreſſu, *concludit*, ſimile quid pullulet, nihil vetat, partim aucta ſeminati materia craſſiori, partim excitato calore, anteà ſuppreſſo, qui etiam ad pedes ungulata cornua, calcariaque condenſat, quo per naturæ ſuæ pondus vergunt.

§. 12.

Hoc autem felicius procedet, quam cornuum vervecinorum aut bubulorum in alia corpora transplantatio. Id quidem credidit *Petr. Borell. (c. l.)*, cum vidiſſet vaccam cornua multa in pede (quinque *Cent. 4. obſ. 52. p. 318.*) habentem, & de capra idem legerat. Vidit *Idem (c. l. p. 317.)* cornu cum gyro ſuo in pede vervecis. Capram cornu in crure geſtantem conſpectam, *Ariſtotelis (l. 4. de Gen. Anim. c. 4. p. 1315.) teſtimonio* cognovi. Sed hoc conjectura eſt, & quidem talis, quæ diſtat à veritate,

Quam diſtant æra lupinis.

Longè namque alia ratio calcarium in capris eſt, & eorum inſertionis, ac cornuum. Illa pulpoſa carne plena cryſtis etiam ſucculentis & carnoſis junguntur, illa capitis aut crinei potius partes in quo radicantur, carne & radici-

bus

bus planè carent, aut una cum radicibus evelli nequeunt. Inde frutices calvariæ cervi cornua Chymicis, & frontes arboreas cervorum dixit *Dracontius (l. 1. Hexaëm. v. 520.)* in quem locum *Vide Andr. Rivini notas &c.*

Æquantia cornua Sylvas.

Statius (l. 9. Thebaid. v. 590.) Cornua arborea cervis tribuit *Virgilius (l. 1 Æneid. v. 194.)* & ramosa *(Eclog. 7. v. 36.)*. Add. *Honorat. Fabri, (l. c. prop. 27. p. 117.)*. Nec commodus locus implantandi eadem essent pedes, aut alia membra, & ita his implantata crescerent, ut visci semen terræ commissum. Credidit tandem *Borellus (c. l.)*, hæc è materia nimia ungularum (comprimis in pedibus) provenire.

§. 13.

Nec posthabendum cornua ejusmodi cum in brutis, tum in hominibus morbosum quid & ex Tumorum genere esse. Cornu tale definivit *Illustris Dn. Georgius Francus à Franckenau, Patronus, dum viveret, incomparabilis (Tr. Philolog. & Med. de Cornut. §. 38. p. 20.)*: Tumorem præter naturam in externa aliqua corporis humani parte enatum, similitudinem cornu animalis cornuti quodammodo habentem, & actiones lædentem. Ita cornu è latere ovis in dextro hypochondrio circa costas spurias enatum pro tumore anomalo habet, & corneum vocat *Th. Bartholin. (Cent. 2. Hist. Anat. 13. p. 193.)*. Ita & cornua in abscessibus inventa commemorat *Marcus Aurel. Severinus (l. de Abscess. Anomal. qui est 3. c. 16. p. 114.) & Alibi (l. de Noviss. Abscess. qui est 4. c. 25. p. 256.)* de cornu referente abscessu historiam habet.

§. 14.

Cæterum cornutorum apud historicos & observationum scriptores innumera prostant Exempla. *Genutio Cippo* Prætori paludato portam egredienti novi & inauditi generis prodigium incidit. Namque in capite ejus subitò veluti cornua emerserunt, *referente Valerio Maximo (l. 5. c. 6. n. 3. p. m. 237.)*. De *Actæone* è Poëtis res etiam pueris nota. Audiamus de hoc cornutorum pari *Plinium (l. 11. c. 37.)*: *Actæonem* & *Cippum* etiam in Latina historia fabulosas reor. Inter recentiores agmen ducat ille *Franciscus Trovillunius* ex montanis Cenomanorum, *à Johanne Bellemontano Lavardino, Provinciæ Gubernatore*, captus cui anno ætatis septimo cœpit crescere cornu duritie & crassitie eadem, quæ in vervecinis & caprinis esse solet, sed illud non spiralibus lineis, sed porrectis striatum erat, color fulvus, qualis barbæ aut comæ. Hic excepto Syncipite postica parte capitis comatus more aliorum fuit, & glomos pilorum barba & mento & supra labra habebat, eadem prorsus specie, qua Satyri vulgo pinguntur.

tur. Sinciput verò totum glabritie renidebat, materia omni pilorum in cornu (si superis placet, quid cuti capitis cum cranio?) quod in dextra bregmatis parte enatum, non extra caput more vervecinorum, sed verius sinistram reflectebatur. Unde fiebat, ut extremum cornu in cranium incideret, penetraturum haud dubiè & perniciem allaturum, nisi aliquoties recisum fuisset, qua ex re se maximos & continuos ferè dolores, nec non ex contactu attrectantium percipere se homo miser affirmabat. Historiam dedit *Jacob. August. Thuan.* (*l. 123. Histor. ad Ann. 1599. p. 884.*). Aliam recensuit *Amatus Lusitan.* (*Cent. 1. Curat. Med. 51. p. 133.*). *Zacut. Lusitan.* (*l. 3. Prax. admirand. obs. 97. p. 118.*). *Samuel Fuchsius* (*Metaposcop. c. 14. p. 80.*). *Barthol. Cabrol.* (*obs. 11. p. 7.*). Cornu in dorso gestavit *Abenzoar* cum alio viro, quod ipse prodidit (*l. 1. Theisir. tr. 6.*). Animadvertit & tale in dorso remigis *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 199. s. 5. p. 645.*). De cornu ex vulnere in genu *Alex. Benedict.* (*l. 1. Hist. Part. Corp. Hum. c. 14. p. 1188.*); In calcaneo gestabat alius *ap. Zacut.* (*l. 2. Prax. Med. admir. obs. 188. p. 89.*). Mulierum cornutarum exempla *Vid. ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. Anat. 78. p. 128. Volum. 1. Act. Hafn. p. 1. obs. 16. p. 43. & Volum. 3. obs. 67. p. 108.*). De corpore duro cornu referente supra Zigoma vetulæ enato, *Petrus Estanone* (*ap. Lazar. River. obs. commun. 6. p. 682.*). Cornu in palpebris mulieris prognatum inter rariora Ducis Hetruriæ asservatum delineat *Oliger. Jacobæus* (*ap. Th. Bartholin. Vol. 5. Act. Hafn. obs. 104. p. 275.*). Plura de hujusmodi excrescentiis in utroque sexu *Joh. Schenck.* (*l. 1. obs. Med. p. 13.*). *Zacut. Lusitan.* (*l. 2. Hist. Med. Princip. 4. p. 170.*). *Th. Bartholin.* (*Tr. de Unicornu c. 1. & de Morb. Bibl. Miscell. 13. p. 72.*). *P. Borell.* (*c. l. obs. 14. p. 21.*) & *Celeberrimus Noster Francus à Franckenau* (*c. l. §. 10. sq. p. 12.*) qui omnium vota & expectationes explebit.

§. 15.

Hoc verò omnem superat fidem, mortuo non è capite, sed oculis cornua enatos fuisse. Audiamus *Henric. Kornmannum* (*p. 5. m. m. c. 7.*) non auritum, sed αὐτόπτην testem. Hocce vidi, *scribit*, in Ducatu Charitinorum propè Studgardiam (est ea Metropolis sedes Ducis Wirtenbergici) mirabile: Chymistæ furcis suspenso duo cornua ex oculis longitudinis instar digiti nascebantur anno sextæ centenariæ primo post mille.

§. 16.

Exemplum hoc sine exemplo animos curiosorum non sine ratione tenet suspensos. An eadem sit cum *Sethi Calvisii* historia, judicent Alii, (in multis namque Lectores fallere solet *Kornmannus*) qui (*Oper. Chronolog. p. m. 880.*) Anno 1607. Pseudochymicum Stargardiæ ad patibulum ferreum protractum,

nar-

narrat, miraculum tamen illud ſicco tranſit pede, quos talia ſcrutari juvat, judicent. Quid ſi diceret aliquis, eum in vita uſum fuiſſe Azoth, aut Lapide Philoſophorum medicamentoſo, eique morte violenta extincto, lacrymas abiiſſe in cornua, non aliter ut de cervi lacrymis ſcribitur, quæ ad oculorum canthos gummatis inſtar concretæ oſſium & cornuum aliquando exæquant duritiem. Vide quæ collegit *Excell. Joh. Andr. Graba Noſter* (*Elaphogr. ſ. 2. c. 26. p. 214.*). Sed hæc Oedipum requirunt, non Davum.

§. 17.

Nec minorem difficultatem habet, quando iterum *Borellus* (*c. l. p. 318*) aſſeruit ſe cornua vervecina & bubula vidiſſe, quæ radices in terra egerant, ut cornu plantabile *Linſchotti*. De hoc autem iſta *Adamus Olearius* (*in præfat. ad Itiner. Mandelsloh.*). *Dieſes ſchreibet Hugo Johann. von Lindſchotten* (*Indianiſch. Schiffarth p. 4. c. 17.*) *ausdrücklich, und giebt es vor ein warhafft Ding aus, ſaget, daß es auff der Inſel Goa geſchehe an einem ſteinigten Orthe, woſelbſt die Schlächter die Hörner als nichtwürdige Dinge hinwerffen, und habe er ſelbſt etliche aus der Erden gezogen, welche 2. und 3. Spannen lang Wurzeln in die Erde geſchlagen hätten, ſollen ſonſt nirgend als bey Goa gefunden werden.* Eadem *Joh. Albert à Mandelsloh* (*Itiner. Orient. l. p.*). Adduxit etiam *Linſchotani* relationem *Magnus Herm. Conring.* (*de Habit. Corp. German. Cauſ. p. 143.*) eamque, quod miror non ſolum ſine virgula cenſoria dimiſit, ſed potius approbaſſe videtur, dum pilos ſe inſtar ſtirpis alicujus habere, & eandem eſſe unguium & cornuum naturam probare ſatagit. Acceſſit his *Euſebius Nierembergius* (*cit. Franciſco Redi Experim. Nat. p. 163.*), qui ibidem inſtar braſſicæ radicare ipſi dicuntur & non niſi cum maxima difficultate evelli, & erutas multiplicari. Quod ad *Borelli* relationem ſpectat, quamvis illum in arcanis recenſendis ſatis apertum deprehenderit *Th. Bartholin.* (*ap. Jacob. Phil. Sachſium, Epiſt. Gammarol. annex. 1. p. 970.*) tamen & hunc nimis credulum, aliquando etiam nugivendulum facile in obſervationibus animadvertas, v. g. ſi (*Cent. 1. obſ. 10.*) tantum attentè & ſine præjudicio excutere non graveris, ut alia loca allegare jam ſuperſedeam. Non ſatis attentè legit *Linſchottum Borellus*, qui in ſola Inſula Goa cornua iſta plantabilia inveniri aſſeruit, ſed & hanc Naturæ laſciviam (ita de Cornutis loquitur *Plin. l. 11. c. 37.*) in Europa ſe vidiſſe gloriatur. Nobiliſſimus Mandelslohius ſuffragio ſuo hanc narrationem fulcire potuiſſet, ſi oculatus non auritus teſtis extitiſſet. De *Nirembergii exſcriptoris* fide multum dubito, eumque dignum judico, cui (quod de *Plinio Joh. Mich. Dilherr. T. 1. Diſſ. Acad. p. 273.* aſſerebat.) litera R. imprimatur. Obſtat (*a.*) Autorum alio-

aliorum, qui Goæ descriptionem evulgarunt dissensus, apud quos altum de hoc silentium, imò contrarium in hanc rem inquirentibus responsum fuit, ut patet ex illis, quæ *Francisc. Redi* (*p. 165.*) exhibuit. (β.) Obstat ipsa cornuum natura & textura. Cornua quamvis vegetabilia sint, Animalium tamen sunt, adeoque in animalibus tantum, non in terra radices ajunt, haud secus ut viscum in arboribus, (quod accuratè descripsit & depinxit *Lynceus ille indefessus Marcellus Malpighius* (*Anat. Plantar. part. 2. p. m. 140. 141.*) non in terra provenit & radicatur. Obstat (γ.) Radicum in cornibus constitutio. Dicam cum *J. C. Scaligero*, ut quasi cornua ex ossibus animalium; sic ex arboribus educi viscum, interim cum Eodem viscum habere radicem nullam necessario. (*in l. 2. de Plantis p. 430.*) dicere vereor, inque hoc passu etiam cornubus radices omnino denegabo. Et sanè, quæ cornua hic eligenda censeas, non juniora & teneriora, quippe adhuc imperfecta & ad transplantandum inepta, nec consummata, quippe præscriptam magnitudinem consecuta, & radicationi in arena aut terra, ulteriorique incremento ob duritiem non subjecta. Dicat nugator iste, cur tenuibus & teneris in solo proprio gaudeat radicibus cornu; in alieno verò lasciviat duobus vel tribus Spithamis longis terræque infixis. Obstat (δ.) Soli qualitas, transplantatio & incrementum & nutrimentum proportionatum exposcit. Ossa autem cujus soboles & alumnæ sunt cornua, mucilaginosa constituuntur & aluntur humore, qui ex arenosis & petrosis locis minimè expectandus. Nec quispiam benè subducta ratione in hujusmodi locis radices commodè figi & extendi posse facilè statuet. Non igitur possum non mirari *cum Francisco Redi* (*c. l. p. 162.*) credulam Authorum simplicitatem, qui has ineptias, (ita ille vocat & jocum esse *ex Antonio Morera Canonico Ecclesiæ Cathedralis* Goæ accepit *p. 164.* quo incolæ Lusitanis illudere solent, cum mulieres Goæ admodum luxuriosæ sint) recensere non erubuerunt.

§. 18.

Quod de unguibus & cornibus hactenus in disquisitionem venit, ut etiam de ossibus quæramus *Illustris Vir Th. Bartholinus* ansam nobis dedit. Hic namque dum in Dania ossa Giganteæ monstrositatis passim inveniantur, (*l. 4. Hist. Anat. 94. p. 417.*) Fuit cum crederem ossa demortuorum terræ commissa in monstrosam hanc excrevisse magnitudinem, præsertim (cum hæc allegasset, superaddit *l. de Fermentat. s. 1. c. 6. p. 57. Martin. Kergerus*) in Dania, ubi Gigantes unquam habitasse nullæ historiæ meminerunt.

§. 19.

Gigantes inter ea, quæ non sunt, cur reposuerit *Seneca* (*Epist. 59.*), me ignora-

gnorare fateor. Pollicem huic pressit *Andreas Brunnerus*, qui (*p. 2. Annal. Bojar. p. 47.*) tales robore corporis potius, quam mole prodigiosos asseruit, & *Jac. Bolduccius* (*l. 1. de Eccles. Ant. Leg. c. 9. p. 71.*) omnia de Gigantibus prolata mythologicè vel metaphoricè explicanda voluit. *Joh. Goropius Becanus* (*in Gigantomach. quæ est l. 2. Antwerp. p. 206.*) Gigantum prosapiæ pariter bellum indixit, *dum scripsit:* Confidenter de Philosophiæ præceptis statuamus, nihil in humana statura ab ineunte immutatum esse. Si enim eadem nunc est, quæ olim fuit essentiæ forma, eandem necesse est teneri magnitudinis definitionem. Materia enim sua spontè infinita, ab idea sive forma terminatur, ut *Aristoteles* etiam in iis, quæ de Anima tradidit, *annotavit libro*, (*ni fallor*) *secundo*. Cum enim corpus corporisque membra ad usum suum sint comparanda, nunquam ita secundum naturam excrescent, ut usui suo sint inepta. *Hæc ille vir doctissimus, insignis tamen innovator.* Ab hoc non dissentit *Jacob. Gaffarellus* (*p. 2. Curiosit. inaud. c. 5. p. 83.*), quando disserit: *Goropium* vidisse ossa magnitudinis insolitæ in terra producta, & inde, *subjicit*, fortasse existimarunt veteres fuisse in terra aliquando Gigantes prodigiosæ magnitudinis, quibus errandi Causam præbuit ignoratio secretorum Naturæ.

§. 20.

Erubescant verò hi loqui & scribere contra Sacrorum Oraculorum autoritatem, Historicorum fidem, & experientiam & αὐτοψίαν toties totiesque etiam nostro seculo approbatam. Gigantum quoties *Sacra* meminit *Scriptura?* Vocantur Nephelim (*Genes. 6.*), quamvis hanc vocem nullam corporis magnitudinem, sed homines cadentes significare persuadeat *Joh. Gorop. Becanus* (*c. l. p. 168.*), eò quod à *Cain* descendant, qui primus extra Paradisum cecidit turpissimo Lapsu (*ib. p. 206.*). *Enakim* etiam & *Rephaim*, de quibus *evolv. Gregor. Michaël.* (*not. in Jac. Gaffarell. curiosit. inaudit. n. 53. p. 244. sq.*), qui &, quod de Regis *OGGI* in Basan ossibus nugentur *nugacissimi bipedum Rabbini* (*c. l. p. 248.*) exposuit. Ajunt, *inquit*, Cervum in mortui Regis *OG* tibiam ingressum per medium diem in ea oberrasse, cum illum insecutus sit Venator. Poterat hic, *subjicit Michaëlis*, os impudentissimum ossis labyrinthei nuncium ab indignante veritate simul se occultare.

Et quit Typhœus, & validus Mimas?
Aut quid minaci Porphyrion statu?
Quid Rhœcus? evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax?

Multa de Gigantibus annotarunt & congesserunt *Augustin.* (*l. 15. de Civit. DEI*

c. 9. p. m. 122.) ubi & *Homerum* (*l. Iliad. 6. v.*) & *Virgil. l. Æneid. v.*) *testes citat. Hieron. Magius* (*l. 1. Miscell. c. 4.*); *Joh. Bocatius* (*l. 4. Geneal. Deor. c. 68. p. 115.*); *Sim. Majolus* (*Colloqu. 2. Dier. Canic. p. 64.*); *Th. Fazell.* (*Dec. 1. Rer. Sicul. l. 1. c. 6.*). *Joh. Jonston.* (*Cl. 10. Thaumatogr. c. 4. art. 1. p. 453. & de Constant. Nat. propos. 5. Artic. 2. p. 50.*). *Henric. Kornmann.* (*de Mirac. Viv. p. 9. sq.*). *Edo Neuhus.* (*l. 2. Sacr. Fatid. c. 16. p. 256.*). *Joh. Ben. Sinibald.* (*l. 8. Geneanthr. tr. 2. c. 5. p. 704.*). *J. Lipsius* (*l. 3. Physiol. Stoic. c. 5.*). *Philipp. Camerar.* (*Cent. 1. op. subcisiv. c. 82. p. 380.*). *Athanas. Kircher.* (*l. 9. Mund. Subt. s. 2. c. 4. qu. 1. p. 56.*). *Casp. Schottus* (*l. 3. Phys. curios. c. 8. p. 384.*). *Erasm. Francisci.* (*l. 1. Spec. Art. & Mor. exot. Tit. 17. p. 119.*)

§. 21.

Hinc etiam prodigiosæ magnitudinis ossa casu non rarò inventa. Drepani in Sicilia tres dentes Gigantis in antro primum sedentis, mox aëre puro accedente in Cineres difflati monstrosæ granditiei inventi ponderis trium ratulorum, id est centum communium unciarum, *teste Joh. Boccatio* (*c. l. p. 115.*). Hos dentes Drepanites in testimonium comperti Gigantis, & sempiternam posteritati memoriam filo alligavere ferreo, & suspendere in quadam civitatis Ecclesia in honorem annunciatæ Virginis edita & ejusdem titulo insignita. Prætereà & partem Cranei anteriorem invenere firmissimam adhuc, & plurium frumenti modiorum capacem. Sic & os alterius cruris, cujus etsi ob annositatem nimiam in putredinem pars devenisset, præceptum tamen in reliquo ab his, qui totam hominis altitudinem ad mensuram cujusque minimi ossis novere, eum fuisse magnitudinis ducentorum cubitorum vel amplius. Ossa Gigantis *Buard* Valentiæ in Monasterio Jacobinorum ejusque delineationem quindecim ulnas longas vidit *Joh. Wilhelm. Neumayr.* (*in Itinerar. p. 31.*). Ossa talia possedit *O. Wormius v. g. Dentem & Costas* (*l. 3. Mus. c. 26. p. 343.*). Ossa hujusmodi etiam in Museo obtinuit *Felix Platerus* (*l. 3. obs. med. p. 549.*), ad quorum proportionem sceleton decem & novem pedes longitudine adæquans delineari & depingi curavit.

§. 22.

Ossa sub terra diuturnitate temporis crescere, *ipse Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hist. anat. 98. p. 159.*) inficiatur, & hoc ipso magis veritati litat, atque contrario *supra* (§. 18.) effato. Notum namque est (α.) ossa à natura destinatam habere magnitudinem, non secus ac reliquæ corporis nostri partes, quam excedere non possunt. *Conf. Aristot.* (*2. de Gen. Anim. c. 6.*). (β.) ossa ad debitam magnitudinem dum pervenerunt, tantam duritiem consequi, ut viven-

te corpore auctrix nihil juris in ea obtineat. (γ.) Si igitur in vivente statuto tempore ob duritiem ossium cessat incrementum, in mortuo qui resuscitabitur? (δ.) Dices, ossa plantarum titulo insigniri *ap. Honorat. Fabri. (l.3. de Plant. Propos. 29. p. 121.)*, crescent igitur sub terra ut pili & ungues. Sed prælicenter plantæ nomine abutitur *H. Fabri*, quod vel indoctis patet. Ubi sunt ossium radices, ubi nutrimentum & reliqua, quæ auctrix imperat, antequam incrementum impetret pars augenda. Os in corpore non sua, ut pilus & unguis informatur anima, neque propria vivit quadra, ut unguis & pilus. Quamvis demum in terris quibusdam Gigantes non extitisse certò constet, ossibus Gigantëis ibidem repertis non oppidò concludendum erit, ergò sub terra latentia creverunt. Potuerunt tanquam rara & singularia eò transferri, aut ab inundationibus notabilioribus eò devolvi.

§. 23.

Ossa namque Gigantum in tali olim pretio fuisse, ut etiam Principes & Magnates sua illis exornarint palatia, historici memorant. Prætorium iisdem excoluisse *Augustum*, *Suetonius (in Octav. August. c. 72. p. m. 78.)* memorat, & quidem immanium belluarum ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur Gigantum ossa, habet historicus. Non possum non adjicere *Summi Viri Isaaci Casauboni Epicrisin (Comment. in h. l. p. 261.)*. Quæ de Gigantibus prodida sunt ab antiquis Poëtis & λογογράφοις, ea sunt ita fabulosa, ut meritò *Suetonius* illis nullam fidem habuerit. Sed quod propterea Gigantes nullos fuisse, aut nulla eorum ossa reperiri existimasse videtur, in eo fugit eum ratio. Simile de Templo Muhammedanorum Damasci conspicuo, cui par non fuit ædificium in toto orbe, quodque olim *Benhadadi* palatium fuisse dicitur, retulit *R. Benjamin Tudelensis (Itinerar. p. 56.)*. Ita *Suidas* (in voce *μῆνας f. 591.)* recitat, magnam ossium Gigantum multitudinem cum ædes S. Menæ Constantinopoli repurgaretur in ampla quadam fossa repertam esse, quam *Anastasius Imperator* conspicatus in Palatio, ut rem admirabilem, reposuerit. Allegavit hæc *Theologus Magnus B. Joh. Bened. Carpzov. (Dissert. de Gigant. c. 1. p. 1. 2.)*

§. 24.

Quo Autore verò cognavit *Martinus Kergerus* in septentrionalibus regionibus, imprimis Dania nullos Gigantes extitisse & vixisse?

Arctorum (Magno si quicquam credis Olao
Grammaticoque, prior Patriæ, qui prodidit acta)
Procerorum orbem tenuerunt monstra Gigantum,

Mole ut corporea qui magni & corpore magni,
Sic animis etiam magni gestisque fuere.

Joh. Pincier. (l. 4. Ot. Marpurg. p. 190.) cecinit. Arngrimus Jonæ accuratus rerum Islandicarum scriptor, Gigantis quindecim ulnarum, qui regnante *Magno Erici filio, Rege Norwagiæ* anno 1338. à quatuor viris trucidatus fuit *(l. 1. Rer. s. Comment. Island. c. 4. p. 34. sq.) meminit.* De *Harchbeno*, cujus proceritatis dimensio novem cubitis tenderetur, *Saxo Grammat. (l. 7. Hist. Danic. p. m. 124.).* Hic proceritate æquabat *OG Regem Basan, Judicio Stephan. Joh. Stephan. (in not. ad h. l. p. 155.).* Noti etiam sunt *Starchaterus, Arngrimus, Arverodus* tum *ex Saxone*, tum *ex Olao Magno (l. 5. Hist. Septentr. c. 2. p. 164.).* Spectant huc, quæ narrat *Joh. Isaac. Pontanus (l. 1. Rer. Danic. p. 14. & 55.)* qui in eo saltim *à Jona* dissentit, quod primos omnium septentrionalium regionum incolas Gigantes fuisse commemoret. *Ipse Saxo Gramm. (in proœm. hist. Dan. p. 4.)* ista: Danicam verò regionem giganteo quodam cultu exercitam, eximiæ magnitudinis saxa veterum bustis ac specubus affixa testantur. Quod siquis vi monstrosa patratum ambigat, quorundam montium excelsa suspiciat, dicatque si callet, quis eorum verticibus cautes tantæ granditatis invexerit. *Conf. Ol. Magn. (c. l. c. 1. p. 162.).* Qui igitur obstinatè negant, *concludo cum Steph. Joh. Stephanii (in not. ad præfat. Sax. Grammat. p. 27.)* vasta quadam corporum mole, & extra communem sortem proceræ staturæ homines olim & præcipuè in Dania cæterisque regnis Borealibus extitisse conanturque omnia, quæ non solum in prophanis, sed etiam sacris literis de Gigantibus leguntur, nunc figmentorum poëticorum nomine, nunc per allegorias Physicas, interdum morales eludere, næ illi cum ratione insaniunt, nec magis sapiunt, quam benè olent, qui in culina habitant, ut *cum Petronio* loquar.

§. 25.

Credidit *Joh. Gorop. Becan. (c. l. p. 223.)*, Ossa monstrosa sub terra Dæmonis arte confingi, ut ejuscemodi ludibriis credulos homunculos dementaret, & à veritate ad falsas de rebus omnibus deduceret. Convenit ferè hæc opinatio cum vulgi sententia, qua ollas fossiles à pygmæis sub terra elaborari censuit, quod *Joh. Jonstonus, (Thaumatogr. Nat. Cl. 1. A. c. 4. p. 458.)* in literas retulit, & utensilia eorum, *teste Georg. Agricola, (l. 7. de Nat. Fossil. p. 639.) & Joh. Dan. Majore (in Columnam de Purpura p. 15. sq.)* reputat.

§. 26.

Diabolum verò ignorantiæ Asylum fingere, aut facere portentosum. Ipse *Goropius* dubitanter rem expediit, dum subdit & fatetur, ea esse posse belluæ ma-

marinæ aut Elephantorum ossa. Ita de illis ab Augusto in Prætorio repositis *Suetonius*, ut *supra* (*§. 23.*) memoratur. Ossa & cornua unicornu ex dente Elephantino ficta Delphis, in Belgio vidit *Andr. Tenzelius* (*f. 9. Excess. Chymiatr. p. 666.*). In agro Solonio juxta mare Drepanum & Panormum inter ab Agricolis vera adhuc erui ossa Elephantum, *Marchio Vintimiglia Athan. Kircherum* (*l. 8. Mund. Subterran. s. 2. c. 4. p. 62.*) instruxit, qui præteritorum seculorum temporibus ab Assis in Siciliam contra hostes in bellum introducti, ibidemque interfecti & tumulati sunt, quæ imperiti passim pro gigantum ossibus venditarunt. *Conf. Petrus Gassendus* (*l. 3. de Vit. Peiresc. p. 210. & l. 4. p. 366.*), qui & costas hæc esse aliquando (*c. l. p. 356.*) deprehendit.

§. 27.

Ne igitur decipiatur Physico-Medicus, Anatomen, ejusque partem non ignobilem osteologiam, in consilium vocet. Docet namque illa ossa quædam in homine à brutorum ossibus forma externa in multis differre, v. g. cranium, scapulas cum claviculis, ossa pollicis & calcis, &c. Hæc igitur si offendat exactè considerata forma externa humana pronunciet. Contra dentes, maxillas, vertebras, costas &c. cum brutis convenire, utplurimum αὐτοψία probabit. In his igitur ne fallatur aut aberret, poterit autem facillimè, probè circumspiciat, imprimis in proportione examinanda cum reliquis ossibus Argus sit, ne doctis & curiosis se deridendum propinet.

§. 28.

Exemplum nobis sit dens ille *apud Conrad. Gesnerum* (*l. 4. Histor. Animal. f. 420.*) quamvis circa radicem non integer duas uncias pendens. Jam verò humani dentes plerique omnes, etiam majusculi drachmam seu octavam unciæ partem non excedunt. Unde conjiciendum esset, quemadmodum dens ille communem sedecies excedit, ita quoque hominem illum, si homo fuit, toties aliorum hominum corpora excessisse. Quæ ferè proportione *Antæi Gigantis* corpus superavit, utpote sexaginta cubitos longum, qui excessus ad quatuor quindecuplus est. Alium computum è magnitudine dentis, qui in Musæo Wormiano asservatur, *M. Christiani Johannis, vide sis ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. Anat. 98. p. 161.*). Quod si eadem proportione dentem illum *ap. D. Augustinum.* (*l. c. p. m. 123.*) è quo dissecto centum, aut illum *ap. Guilielm. Candenum* (*in Britann. p. 351.*) è quo ducenti dentes confici potuissent, aut illum Christophori Magni dentem molarem pugno majorem quem vidit *Ludov. Vives* (*Com. in August. in l. 15. de Civ. DEI c. 9. p. m. 124.*) aut illum Viennam Austriæ transmissum, quinque & semi-libram ponderantem (*Joh. Petr. Lotich. T.*

V. Theatr. Europ. p. 974.) metiremur monstra Gigantum, & montium instar homines produceremus.

§. 29.

Dispiciendum pariter hic probè est, an dentes & ossa illa Giganteæ molis effossa revera ossa sint, an lapides ossium figuram referentes. Illa eandem cum ossibus hominum aut brutorum constitutionem, texturam, confirmationem, symmetriam & cavitatem obtinent; hæc figuram saltem externam (similitudinem formæ vocant Physici,) cætera lapides sunt, & purum naturæ mineralis opus. Monuit prætereà *illustrisſimus Comes de Vintimiglia Athanaſ. Kircher. (c. l.)* hoc discrimen esse inter ossa vera & à Natura minerali efficta & producta, quod illa semper tibiarum canales, fistulososque meatus olim medulla refertos retineant; hæc verò solidum lapidem, sine ullo tibiarum meatu mentiantur. Perpetuum tamen id non esse Enostos lapis, cavitates non rarò insignes, quales in tibiarum ossibus cernimus, visui exhibens evincit. Mineralia ossa insigni monstrositate sæpius suspensos tenent spectatorum animos; humana autem rarissimè consuetam magnitudinem excedunt, & si hoc aliquando stupendo tamen excessu, ut illa, nostros non feriunt oculos. Vid. iterum *(c. l. §. 1. p. 56. & sq.) Athanaſ. Kircherus & Philippus Bonannus (Part. 1. de Testac. c. 7. p. 47. sq.).* Cum præterea non dicam in toto Terrarum orbe, sed tantum in caverna illa Panormitana tanta istorum ossium seges reperiatur, quis tot exercitus Gigantum sibi fingere poterit, si ad petrefactionem recurras, quorum partes transmutatæ illa dictitentur, quod iterum *(c. l. p. 49.) Bonannus.*

§. 30.

Coronidis loco ad ungues revertor, & ὡς ἐπίμετρον cur abſcisſi tàm sanctè à vulgò custodiantur addo. Nostros si consulas, ne eos colligant Magi aut Veneficæ, iisque ad incantationes & Veneficia utantur, quod etiam *Casp. Barthius (l. 7. Adverſar. c. 3. col. 316.)* notavit, regerunt. Magis verò ridicula est illa, quæ Daniæ, *teste Th. Bartholino (Cent. 3. Hist. Anat. 78. p. 155.)* dementat incolas. Ungues resectos hi sibi servant, *scribit*, secumque in sepulchrum recondunt, sperantes inde buccinam fieri ab Angelis in extremo die. Ungues & pili an beatis corporibus denegandi, quærit *Th. Spizelius (Conſid. Corp. Glorioſ. §. 38. p. 96.)* idque affirmat, ita tamen, ut monstrosam illam unguium & pilorum omnium, etiam resectorum, restitutionem rejiciat, & ita *D. Augustini (Enchirid. ad Laurent. c. 89.)* verba & mentem explicet.

LIB. I. TIT. XI.

De
Penis in Cadaveribus Erectione.

Summarium.

1. PEnis dignitas. 2. Honores huic habiti divini. 3. Isidis apud Ægyptios institutum. 4. Priapi in æde Bacchi. 5. Collo appensus in victoriæ signum, & sponsæ ornamentum penis. 6. Transitio. 7. Penis in mortuis erectio an Satyriasis. 8. An Priapismus? 9. Historia. 10. Post mortem an contingat? 11. An à Coitu cum Moniali. 12. Musculi quid conferant. 13. Quid Spiritus & Sanguis. 14. Pruritus in Venerem insignes. 15. In coitu mortui. 16. Mortuæ. 17. Singulare Exemplum. 18. Apologia. Paolæ. 19. Causæ, assumta Alimenta. 20. Medicamenta. Imprimis Purgantia. 21. Vis purgatricis transfusio. 22. Cur Aphrodisiaca. 23. Fontes medicati. 24. Cantharides. 25. Satyrion. 26. Bangue. 27. 28. Maslach. 29. Opium. 30. Herba Theophrasti. 31. Boletus Cervinus. 32. Morbi. Satyriasis. 33. Epilepsia. Casus ab alto. Podagra. Calculus. Morsus Aranearum. 34. Milites in acie cadentes. 35. Quid metus possit? 36. Sanguinis ebullitio. 37. Veneficium. 38. Erectio penis in cadavere quomodo procuranda. 39. Membrum virile è foco Tarchetii. 40. Præstigiosa in vivis penis ablatio.

§. 1.



IN abscondito quasi latet penis fistula, ne natura stimulum libidinis unicuique ob oculos posuisse videretur, castisque oculis sponte obtruderet scandalum. Ut verò abstruso quæ jacent in loco non illicò ignobilia æstimanda; ita nec præfafatum membrum omni dignitate defraudandum, suggerendæ quippe proli summè necessarium, intra hominis ætatem ali-

alioquin defecturæ. Quare pater omnium membrorum *à Paulo Zacchia* (*l. 5. Quæst. Med. Legal. Tit. 3. qu. 1. n. 13. p. 449.*) & *Georg. Philipp. Harsdorffero* (*Specul. Hist. c. 79. p. 576.*) non immeritò salutatur.

§. 2.

Absit verò divinos huic tribuamus honores, prout Ethnicis in more positum fuit. In oppido namque Lavinio Libero integer mensis dicabatur. Quibus diebus unusquisque spurcissimis abutebatur verbis, donec per forum pudendum Liberi patris membrum, palam exultante nequitia, transveheretur. Cui inspectantibus omnibus matrem familias honestissimam coronam necesse erat imponere. *Vid. Augustin.* (*l. 7. de Civit. DEI c. 21. p. 414.*). *Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l. 4. Lect. Antiqu. c. 6. col. 150. sq.*). Inde & illud apud *Joh. Riolan.* (*l. 2. Anthropogr. c. 30. p. 155.*) leges:

Nota sub urbanas inter Theletusa puellas,
Quæ puto de quæstu libera facta suo est:
Cingit inaurata penem Tibi sanctè corona.
Hic Pathicæ summi Numinis instar habes.

§. 3.

Spectat huc *Isidis* apud Ægyptios institutum, de quo sequentia *ex Aliis v. g. Jano Jacobo comprimis Boisardo* (*l. 9. Divinat. & Magic. præstig.*), *Joh. Bened. Sinibald.* (*l. 2. Geneanthr. tr. 2. c. 2. p. 129.*): *Osiridis s. Serapidis* corpore à *Typhone* & Ejus sociennis discerpto pudenda in Nili profluentem abjecta in mare devoluta sunt, & à Phagro, Oxyrintho, Lepidauro piscibus devorata fuerunt. Pudenda igitur ex Auro fabricari præcepit *Isis*, quæ solenni ritu appendit tholo Templi, proposuitque populo adoranda, tànquam partem datam à natura generationi aptam & necessariam ad propagationem generis humani *Phallumque* vocavit. Cujus Numen Sacerdotis sacrificio honorarunt ejusque cultum statim amplexi sunt Arabes & Tyri, postea tota Græcia, tàm Asiatica, quam Europæa, Deumque istum generationis efficacem nominarunt. *Priapum* Hebræi tunc quoque venerati sunt & vocaverunt *Phægor & Beel Phægor*, cujus Antistes fuit *Maacha* Regis Asæ mater, ut (*3. Reg. XV, 13.*) traditum. Adde & quæ (*ad August. L. 2. de Civ. DEI c. 14. p. 95.*) commentatur *Lud. Vives.*

§. 4.

Erigebant etiam in æde Bachi priapos Syri. Ita *Lucianus* (*de Dea Syria T. 2. Op. p. 663.*). Etiam Priapi stant in vestibulis duo admodum magni, quibus inscriptum est *hoc Epigramma:*

Hos posui Bacchus tibi Juno noverca priapos.

Græci

Græci, *pergit*, priapos Bacho erigunt: in quibus & tale quiddam portant pusillos viros ligneos, magna pudenda habentes. Vocantur autem Neurospasta hæc. Est igitur & hoc in templo illo. In dextra ædis sedet pusillus vir æneus pudendum magnum habens. Genitalibus propriis inferiorem Priapum vocat *Arnobius (l. 6. Adv. Gentes. p. m. 209.)*. Bacchum ipsum dicasse ædi sacræ Priapos statura trecentorum ulnarum. Rectius forsan pro τριηκοσίων legendum esse τριάκοντα credidit *Jacob. Palmerius (in Not. in h. l. 672.)*. In horum unum vir quispiam singulis annis bis ascendit, perque dies septem in ejus summitate habitat, addit *Lucianus* causas subjungens cur hæc ita contingant. Priapum autem Bacchi Sacris addi multa sunt in causa *Lud. Vives (in August. l. 7. de Civ. DEI c. 21. p. 414.)* ratiocinatur. Primum quod Priapus comes fuit expeditionum Bacchi: deinde quod sine beneficio Bacchi frigeat, ideò filius putatur Liberi & Veneris. Jam & Bacchus seminibus præesse creditur, quorum membrum instrumentumque inter omnia primum est Priapus, & hac de causa hortis præficiebantur, ejusque sacra per pagos villasque à Rusticis magna lætitia risuque celebrata sunt. Super Priapi immanissimum & turpissimum fascinum sedere nova nupta jubebatur, more honestissimo & religiosissimo *Augustin. (l. 6. de Civ. DEI c. 9. p. m. 360.) memorat.*

§. 5.

Nec in victoriæ signum aut corporis ornamentum cum aliis collo penem appendere nobis animus est. Narrat siquidem *Hugo Linschottus (in Itinerar.) Cafres* Athyopiæ populos ad oram maritimam, quæ ad caput bonæ spei porrigitur, invicem variis bellis occupari. Victores victis cæsis & captis pudenda rescindere, quæ resiccata Regi in reliquorum procerum præsentia his moribus offerunt. Pudenda in os assumunt singulatim, atque ad Regis pedes ea exspuunt; Rex collecta ac sublata in regium munus victori restituit, quæ victor filo connexa pro monili sponsæ seu uxori suæ de collo suspendit. Sponsa hoc habitu incedens, in tantum attollitur, ut se vel totius mundi Reginam aut aureo vellere insignem credat. Allegant hoc etiam *Excell. D. Joh. Theod. Schenck. (l. 1. Exerc. Anat. 8. s. 2. c. 34. p. 616.)* & accuratissimus Anatomicus *Regnerus de Graaff (de Viror. Org. Generat. Inserv. p. 130.*

§. 6.

Quid post mortem aliquando in pene singulare deprehendatur jam saltim libare libet. Et quamvis nupta & prætextata verba aliquando spargat hæc commentatio, nemini tamen, ut castitatis repagula laxet, autor ero. Naturalia tracto utili, non obscœna, curiositate inflammatus. Nec quempiam

impurum ablaturum, purum & castum animum qui attulit opinor & spero, adeoque à prolixiori honoris præfatione libenter abstineo.

§. 7.

Mirandum illud est Penis Erectio, dum in agone penis erectus post obitum talem rigorem servat, aut post mortem demum reliquis Partibus flaccescentibus rigiditate sua spectantium oculos obrigescere facit. Phænomenon illud an Satyriasis, an Priapismus commodè dici possit, non immeritò quæritur. Primum haud facilè admitterem. Satyriasis namque maximam rei Venereæ appetentiam habet Comitem, peracto coitu onobelos vepenem repræsentat. Talis in Venerem Satyrorum erat propensio, qui seniores facti dicebantur Sileni, *juxta Pausaniam* (*l.1.f. in Attic.p.27.*). Unde & nomen huic affectui. Quis verò è mortuis pessulum ostio obdere, *ut Terentiano* (*in Eunuch. a.3. f.5.* explicat & confutat *Marcellum M. Anton. Muretus l. 12. Var. Lect. c.9. p.320.*) *utar*, appetet, cui cum vita omnem sensum & appetitum abstulere fata.

§. 8.

Priapismus vocatur affectus, quando citra rei Venereæ appetentiam erigitur mutuo,

Minusve languet fascinum.

Spasmodicus hic est motus, non cum titillatione, sed dolore molesto, qui unà cum Tetano ne à coitu quidem cessat. Nec hi tantum priapismo laborare exactè dicuntur, sed illi propriè, qui simul telum asini & inguinum pondus tam grande præferunt, ut ad ejus pondo, *(verba sunt Petronii Satyric. p.m. 206.)* ipsum hominem laciniam fascini crederes. Talem probris magis natus Imperator, quam ei loco ad quam fortuna eum provexerat, Commodus Antonius aluit pene prominente ultra modum animalium, quem onon appellabant, sibi charissimum, quem & ditavit, & sacerdotio Herculis Rustici præposuit. (*Vid. Æl. Lamprid. in Vit. Commod. p. m. 89.*) Fingunt autem cum primis incredibili veretri magnitudine Priapum luxuriasse, (*Conf. Augustin. l.6. de Civ. DEI. c.9. p.m.360.*) Ob Junionis manum veneficam, inde & illum fastidiens Venus in Lampsaco urbe maris Hellesponti reliquit, quod notat *Natalis Comes* (*l. 5. Mythol. c.20. p. 520.*) Hunc post pulsum de Lampsaco propter virilis membri magnitudinem *Servius* (*in 4. Georg. v. 111. Virgil. p.120.*) asseruit, quin & inter Priapum & asinum Sileni, qui erant in Comitatu Bacchi ortum certamen de membri virilis magnitudine, Priapumque ab Asino victum interemisse victorem, *Lactantius* (*l.1. Inst. Div. c. 21.*) tradidit. Palum igitur ingeniosè vocavit *Horatius* (*l.1. Satyr. 8. v. 5.*) & Ityphallum terribile mem-

membrum; Columella (*l. 20. de R. R. v. 33.*). Hinc Vepenem (ita legit *Lud. Cæl. Rhodigin. c. l. Alii* habent pipinnam, ut *Jos. Langius*, manuscripta bipinnam *Evolv. Adr. Turneb. l. 8. Advers. c. 4. col. 228.*) *Martialis* (*l. 11. Epigr. 73.*) Priapo opponit, quando scribit:

Drauci nata sui vocat vepenem,
Collatus cui Gallus est Priapus.

Quorcirca & morbis in magnitudine accensetur, & ex inflationum genere esse dicitur *Galeno* (*l. 14. M. M. c. 7. p. m. 515.*). Conf. *P. Forest.* (*l. 26. obs. med. 9. p. 573.*). Si quid hic pronunciandum; Neutrum hic admittendum. Si tamen laxius voce Priapismi uti liceat, ad hunc illa eatenus referenda, quatenus quasi quidam penis Tetanus est, & à prægresso in viventibus adhuc Priapismo & distentione, in mortuis aliquando perennat.

§. 9.

Exempla, quæ penis erectionem post mortem durasse testantur, prostant. Hoc mali genus insolens admodum est, *scribit Joh. Fernel.* (*l. 6. de Part. Morb. & Symptom. c. 13. p. 312.*), quo tamen narrant jugulatum quendam biduo ab excessu è vita intentum rigidumque exhibuisse penem. Non simplici vice meis vidi in demortuis erectionem penis adhuc integram, *memorat Dn. D. Ambros. Stegmann.* (*M. C. D. 3. A. 4. obs. 105. p. 221.*). De mutone strictè erecto alicujus à Papismo conversi Clerici *Christian. Lehmann.* (*Histor. Schauplaz natürlicher Merckwürdigkeit im Meisnischen ober Erz-Gebürge s. 16. c. 21. p. 938.*). In acie qui cadunt erecto cadere pene à militibus sæpius accepi, idque variis exemplis demonstrasse illos, qui in prælio Lüzensi olim occubuerunt ex oculati testis recensione notavit *celeberrimus Dan. Ludovici* (*M. C. D. 1. A. 20. obs. 158. p. 351.*). *Nobilissimo nostro S. P. Sachsio* viri militares è bello Turcico ad S. Gothardum commisso retulerunt, cum Turcæ vestibus exuerentur, plurimos illorum inventos, qui post mortem membrum rigidissimum servassent, ac si novum in Campum Veneris subituri essent prælium. Idem in Gallis & nostris ad Rhenum cæsis alios propriis oculis lustrasse, commemorat *prælaudatus Ludovici* (*c. l. obs. 34. p. 98.*). In sene juvenculæ maritato *Phil. Salmuth.* (*Cent. 3. obs. 29. p. 124.*); In Principe decollato. *Joh. Dan. Ernesti* (*Gemüths-Ergezligk. Colloq. 45. p. 887.*); In adultero decollato iterum *Phil. Salmuth.* (*c. l. obs. 40. p. 130.*); In suspensis *Paul. Zacchias* (*l. 4. quæst. Med. Legal. T. 1. qu. 10. n. 31. p. 365. & l. 5. T. 2. qu. 11. n. 5 p. 435.*) & *Ph. Salmuth.* (*c. l.*) quod in illis, quos novaculæ Anatomicæ subjectos memini, me nunquam deprehendisse recordor. Ursorum virgas indurari etiam post mortem dicunt, sed partem illam naturaliter

duram esse, quod os habeat in extremitate sua Anatome docuit. (*T. 5. Ephemer. Erudit. n. 4. p. 41.*). Osseum etiam penem in bubulco Hasso vidit *Dn. D. C. F. Paulini parens* & ideò semper rigidum, à quo uxori in copula maritali acerrimi suborti dolores, quod ultrò fassa est. (*Vid. Ejus. obs. Med. Phys. in in App. M. C. D. 2. A. 4. & 5. n. 116. p. 71.*)

§. 10.

In Causas hujus miraculi antequam inquiram, præmoneo, esse difficulter credibile post mortem demum mentulas cadaveri erigi (nisi forsan totum abdomen in magnum attollatur tumorem, quod à veneno trucitatis contingit, quibus aliquando cum abdomine (Vid. *supra h. l. T. 8. §. 8.*) genitalia à flatu mirum in modum intumuisse, Exemplum *à Th. Bartholino* (*C. 2. Hist. 18. p. 202. & Vol. 4. Act. Hafn. obs. 36. p. 121.*) notatum declarat, quamvis & in mole abdominis Hydropico penem non semel retractum & obscuratum viderim. Rigidam verò post mortem posse permanere non impossibile.

§. 11.

Causam hujus olim à supernaturali principio deduxerunt & retulere in stuprum cum Moniali commissum. Credebant nempè, qui has devirginassent, illis post mortem membrum illud pudendum permanere rigidum. Fluxit inde *versus barbarus:*

Qui Monacha potitur, virga tendente moritur

Vid. Leonell. Faventin. (*p. 2. Med. Pract. c. 75.*). Citat ex Eo *Henr. Kormann.* (*p. 4. m. m. c. 67.*). Quod si verum esset, sancti illi Patres Monachi morte circumventi cæteris partibus languentibus cur non viriles vibrarent hastas, priapisq; vel ipsum provocarent Priapum. Siquidem in Monasteriis, ut huc traham illud è Papicolis *ficti nominis Petri Firmiani, in Privilegio* namque *P. Zacharias Capucinus Lexoviensis* audit(*Cyg. Gall. Tr. Ædes pudicitiæ p. 131.*), pietas quasi lenonis officio fungitur, dum turpissimis moribus velum obducit, CHRISTOQUE, qui publicis honoribus colitur, in secretioribus aditis præfert libidinem. Hæc eorum castitas, ut magis patescat, verba superaddam *Cornelii Agrippæ* (*de Vanit. Scient. c. 63.*); Ille cum *in præcedenti capite* (*62.*) de sectis monasticis egisset, cur titulum de Arte Meretricia subjiciat, hanc assignat rationem: Reliquum nunc, *scribit*, quia apud Ægyptios primos Religionum Autores neminem olim sacerdotem fieri licebat, qui Priapi sacris non prius initiatus fuisset, atque ita nostra Ecclesia receptum sit, quod carens testibus, Papa non esse possit, prohibeanturque Spadones, Eunuchi & Castrati Sacerdotem ordinari, palamque videmus ubicunque sunt magnifica ista templa & sacerdotum monacho-

chorumque collegia, ut plurimum in proximo esse lupanaria, quin & plurimæ Monialium & Vestialium ac Beguinarum domus privatæ quædam meretricularum fornices sunt, quas etiam monachos & religiosos (ne diffametur eorum castitas) nonnunquam sub monachali cuculla, aut virili veste in monasteriis aluisse scimus, visum est non præter ordinem de Arte Meretricia sermonem hic subnectere. *Hæc Agrippa*.

§. 12.

Sed hæc causa cum obscura sit, & nullo classico testimonio, prout res requirit, firmari possit, ad alias me confero. Quod ut felicius procedat, in antecessum à quibus viventibus secundum & præter naturam penis erigatur, tribus prælibandum. Musculos penis ad erectionem immediatè facere antiquis persuasum fuit, sed hanc sententiam dum accuratè exanimavit *Regnerus de Graaff* (*c. l. p. 144.*) rejecit, quia in omnibus musculis, dum agunt id, ad quod destinati sunt, eorum ventres intumescant, atque extremitates ad se invicem accedant. Quod cum ita sit, fieri non potest, ut penis hac ratione extendatur; quandoquidem musculi actio sit contractio, quæ extensioni contraria est. Neque etiam horum musculorum ope immediatè penis erectionem contingere posse, ex eorum accuratiori inspectione, & ex iis, quæ jam dicta sunt, clarè cognoscitur; quia musculorum illorum extremitates ad se invicem debent accedere, & cum principium, quod coxendicis ossibus firmiter implantatur, propter illorum quasi immobilitatem moveri non possit, necesse est altera eorum extremitas appropinquet, cui cum affixum sit membrum virile, necessario id sequi debet: Si verò sequatur, quid fiet? penis non erigetur, sed deprimetur; quia in inferna parte, sive sub pene ex coxendicis appendicibus originem sumunt dicti musculi, & inferioris penis parti implantantur. Mediatè tamen eos ad hanc actionem concurrere posse *asserit* (*c. l. p. 158.*), quatenus scilicet penis musculi coarctando corpora nervosa circa eorum exortum sanguinem versus penis partem anteriorem propellunt, atque sic corporum nervosorum distentione erectionem adaugent.

§. 13.

Spiritum & sanguinem utrumque vasa distendentem allegat *Th. Bartholin.* (*l. 1. Anat. Ref. c. 15. p. 147.*). A flatibus & spiritibus à corde per arterias ad penem tendentibus rigere & attolli *Joh. Bened. Sinibaldo* (*l. 3. Geneanthrop. tr. 1. c. 7. p. 265.*) placuit, qui animalia parva corda obtinentia salacissimis annumerat, quia calidissima. Nobile illud licet pudendum membrum, cujus petulantia ad opus nobilissimum jucundissimumque natura abutitur, unde in

tentigine duritiem obtinet, nisi ex spirituum inflatione? quibus effusis, quam citò languescit? quærit & respondet *Sebast. Basso (l. Meteorol. in Tent. 4. Artic. 5. p. 613.).* Spiritum animalem quamvis non excludat *Regner. Graafius (c. l. p. 154.)*, tamen *cum Nathan. Highmoro (l. 1. Corp. Hum. Disquis. Anat. p. 4 c. 3. p. 96.)* arterioso sanguini primatum tribuit: Ut verò sanguinem hunc multum ad penis erectionem facere non nego, in eo tamen minimè erit acquiescendum. Quæ causa erit impellens? Cur iste sanguis ἀθρόως penis subeundo arterias distendat. Nulla sanè alia quam nervosas partes titillans sub idea libidinis vapor, quam prægressam titillationem doloris levioris propaginem demum sanguinis affluxus insequitur. Vapore isthoc una cum semine egesto, quod detumeat penis, unica causa est, quamvis sanguis iste per venas non retrocesserit. Quare cum in pueris & senibus stimulus iste non deprehendatur, nec tento valent, nec duello. In brutis verò à natura constituto tempore expergiscatur, non omni tempore venereos amant actus. Causa est pariter hic stimulus, cur nobis invitis etiam in somno promineat veretrum. Quocirca pudendorum Naturæ in viris insita vis, inobediens atque imperiosa & quasi animal quoddam non exaudiens rationem furiosarum libidinum violentia subjicere sibi cuncta conatur dictitat *Plato (in Timæo, fol. 301. b.)* genitalisque arrectionem bestiam, de qua *Matreas* conquerebatur, se animal alere, quod se ipsum absumeret. (*Vid. Isaac. Casaubon. Comment in Athen.*)

§. 14.

Et ita quosdam salacitas à natura ita prurire fecit, ut cum à coitu, quamvis sæpius iterato, nullum sentirent levamen, in castrationis vituperio quæsiverint refrigerium, ut ille *ap. Balthas. Tim. à Güldenklee (l. 3. Cas. Med. 52. p. 198.).* Quosdam ex intemperantia venerea mortuos, non raro inter amplexus animam ejaculasse, aut non multo post inter vivos esse desiisse, *Galenus (l. 1. de Sem. c. 35. p. m. 585.)* memorat. Sunt illi, qui *cum Veteri Poëta (est ille Ovidius l. 2. Amor. Eleg. 10.) apud Anton. Nattam (l. de Pulchro) cit. J. C. Steebio Cœl. Sephirot. c. 4. s. 3. n. 909. p. 83.)* exclamant,

Felix quem Veneris certamina mutua perdunt,
Dii faciant lethi causa sit illa mei.
Induat adversis contraria pectora telis
Miles, & æternum sanguine nomen amet.
Quærat avarus opes, & quæ lassavit eundo
Æquora perjuro naufragus ore bibat.

At

At mihi contingat Veneris languescere motu,
Cum moriar medium solvar & inter opus.

Ita quidam enormi satyriasi correptus astantes rogabat, uti se deliciis istis mori sinerent, quod etiam *teste Barth. Cabrolio* (*observ. 17. p. 10.*) factum.

§. 15.

Exempla eorum, qui inter amabiles complexus Φοβερȣ̃ Φοβερώτατȣ præda facti, prostant *ap. Plinium (l. 7. Hist. Nat. c. 53.) Valer. Maxim. (l. 9. c. 12. n. 8. p. m. 436.). Petr. Forest. (l. 26. Obs. Med. 20. p. 591.). Joh. Jov. Pontan. de Obedientia.). Guilh. Fabric. Hildan. (Cent. 1. obs. Chirurg. 19. p. 25.). Felic. Plater. (l. 1. obs. Med. p. 171.). Laurent. Tris. (l. 2. Spec. Med. c. 9.). Marcell. Donat. (l. 4. Hist. Med. Mirab. c. 17. p. 394.). Georg. Phil. Harsdörffer (Grossen Schauplatz Jämmerlicher Mord-Geschichte p. 1. Hist. §. 11. p.) Joh. Benedict. Sinibald. (l. 9. Geneanthrop. tr. 2. c. 22. p. 793.). Henric. ab Heer (Spadacren. obs. 9. p. 138.). Caspar. à Rejes (Camp. Elys. Jucund. Quæst. 44. n. 23. p. 533.). Guerner. Rolfinck. (Ord. & Method. part. Gener. dicat. p. 2. c. 32. p. 181.) de Johanne Menard. Med. Ferrariensi* memorat, cum ab Astrologo ipsi prædictum fuisset vitæ periculum, in fovea ipsi imminere, è foveis & fossis sibi timuit. Cum verò ille prolis, quam vitæ cupidior, planè senex uxorem duceret juvenculam, prima nuptiali nocte cum dilecta concumbens desideratis intentus amoribus in genitali fovea extinctus suavi morte oraculi implevit scopum & funus maturavit suum. Huc alludens *Johann. Latomus Germanus* tale concinnavit distichon:

In fovea qui te periturum dixit aruspex,
Vates verus erat, conjugis illa fuit.

Talis & *Menelaus*, cui sequens posuit Epitaphium (*l. Funer. f. 66. a.*) *Johann. Secundus:*

Inter opus medium lasciva morte solutus,
Hic situs est, & init jam Menelaus humum.
Qui blandæ Veneri vitæ sacraverat annos,
Haut aliter vitam ponere dignus erat.

Hoc mortis genus *Panthalonus* (*in Comœdia*) vocabat *la morte del grillo in sul buso*, subjiciebat *Zanima non cantava.* Sermo erat *de Joviano Poëta*, addit *Henric. ab Heer* (*c. l. p. 140.*)

§. 16.

Citatus Sinibaldus (c. l. p. 744.) & Joh. Faes (in Lil. Girald. l. de Sepulchr. & variis Sepel. rit. c. 2. Animadv. p. 161.) ex Aliis hoc recitat Epitaphium:

F. J. Dicat

Cineres & ossa Laodiceæ Philocaptæ hic sita sunt, perpetuæ memoriæ facti & infamiæ causa, quæ insatiabili Venere exhausta subter vivo viro mortua est. Vix. Ann. xxiij. Mens. vij. Dn. W. infœlicissimi parentes tacito nomine extra sortem ad rudera posuere. O voraginem exurientem! Sed nec soli *Laodiceæ Philocaptæ* sors ista obtigit, cum de *Angirilla* inter amplexus mortua historiam recitet, *Joh. Anton. Campan.* (*l. 2. Epist. 16. p. 82.*) dum ita *ad suum Antonium. Angirillam* vicinam scribis occidisse, & quod miserrimum atque infelicissimum putas inter amantis oscula atque amplexus exspirasse: longè falleris opinione. Siquidem non occidunt, qui ita perire voluerunt, ut animam non desererent quidem, sed amanti certissima fide committerent. Nam si, quemadmodum *Lucretius*, amantes toto corpore in corpora migrare cupiant, eamque ob rem osculandi coëundique appetitus oriatur, ut oculis animam, corpus coitu in rem transferamus amatam, quid felicius evenire potuisset quam corpus in ulnis, animam verò in amantis pectore fuisse reconditam. Si enim bonum id est, quod omnia appetunt, malum necesse est ut appelletur, quod omnia *Hæc Campanus*, qui & alia quædam subjungit, qui si lubet evolvatur.

§. 17.

Nec semper hoc mortis genere demortuis viris penis riget, sed & totum corpus eo positu quo obierunt. Notabile Exemplum utriusque sexus *Thomas Cantipratanus* (*l. 3. Mirac. & Exempl. sui temp. c. 30. n. 20. p. 331.*) recensuit de Presbytero & Moniali in concumbendo mortuis Exemplum. Hos vetula Monialis in lecto jacentes & conjunctos & cruribus brachiisque inflexis turpiter ita, ut irrigidati nulla arte separari ab invicem invenit, quorum Cadavera cum horrore & scandalo multorum, sicuti inventa fuerunt, simul fuerunt sepulta.

§. 18.

Sunt ex his, qui merentur, quos sequenti tueatur Apologia *Valerius Maximus* (*c. l.*); Quorsum attinet eorum cavillari fata, quos non libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit. Fine namque vitæ nostræ variis & occultis causis exposito, interdum quædam immerentia supremi fati titulum occupant: cum magis in tempus mortis incidant, quam ipsam mortem accersant. Peolas has vocavit antiquitas, *autoritate Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l. 14. Lect. Antiqu. c. 6. coll. 740.*) Peos namque pudendum *Aristophani* significat.

§ 19.

Assumta alimenta tentigini huic favere nemo inficiabitur.

Vi-

Vina parant animos Veneri si plurima sumus.

Amorum Magister Ovidius (l. 2. de Remed. Amor. v. 411.) inculcat. Hinc in Priapismo, *suadente Epiphanio Ferdinando (Hist. Med. 26.)* Flatuosa pariter malo addunt stimulum cum sæpè hoc malum flatibus suam debeat originem. *Vid. Th. Erastus (tr. de Caus. Morb. cont. p. 22.)* Ideo forsan fabæ Pythagoræ Ejusque asseclis suspectæ, quod *ex Ed. Neuhusio (l. 2. Sacr. Fatid. c. 1. p. 13.)* colligere in proclivi esset. Qui præter victum calidum & humidum, quo semen rursus gignitur etiam à turpibus desideriis non cessarunt, hi quoque post mortem rectum intentumque habere pudendum deprehensi sunt, *ex Alex. Tralliano P. Forestus (l. 26. obs. med. 9. p. 572.) docuit.*

§. 20.

Assumta medicamenta ansam huic malo pariter suggerunt. Purgantia hic multis suspecta. Ventrem non solvunt, *tradidit iterum P. Forestus (c. l. p. 574.)*, in Priapismo Medici, ne cum fluxu ventris materia inferius derivetur. Exempla singularia communicat *Fel. Platerus (l. 1. obs. med. 9. p. 245.)* Cum amicum quendam meum *narrat*, virum multos annos viduum & continentissimum pientissimumque leviter purgare vellem, ac pilulas leviores ex aromatibus paratas, sicque dictas, exhibuissem, sequenti manè ad me venit, expostulans mecum, me se decipere voluisse, cum nullam ab illis senserit per alvum evacuationem, sed pruritum & stimulum solum venereum, à quo tota nocte fuerat divexatus, vixque illum à sententia potui dimovere, etsi à medicamentis purgantibus quandoque irritari etiam ea loca, ad seminis excretionem pertinent ostenderem, ideoque non studio, sed casu hoc factum esse. Gemellum mox subjungit, cui adde quod recitat *Balth. Timæus à Güldenklee (l. 3. Cas. Med. 50. p. 193.)* tertiumque superaddidit *Platerus:* Alius quidam sumto Catharctico, cum illud adhuc operaretur, simulque eum ad Venerem stimularet, uxorem astantem illique ministrantem compressit, unde valdè debilitatus, adeò, ut Medicum accersere, illique delictum fateri cogeretur, asserens se nunquam adeò ad Venerem impulsum, atque ea ipsa hora, qua adhuc per alvum dejiciebat, nec se ullo modo continere potuisse. Gemellum *Miscellaneis Curiosis (D. 1. Ann. 2. obs. 71, p. 131.) inseruit Dav. Spilenbergerus & Actis Hafniensibus (Vol. 4. obs. 73. p. 176.) O. Borichius.* Plura huc spectantia communicat *Joh. B. Sinibald. (l. 3. Geneanthr. tr. 1. c. 12. p. 274.)*

§. 21.

Quendam à pharmaco irritante excitatum una cum semine vim purgan-

tem in meretricem transfudisse *P. Borell. (Epilog. Obs. Phys. Med.)* & *Joh. Dan. Horstius (obs. anat. 20. p. 31.)* testes sunt. Operantur ut purgantia *suasu Dan. Sennerti (l. 5. instit. med. p. 2. s. 1. c. 5. p. 1111.)* nutricibus oblata infantem purgant, lac vi purgatrice impraegnatum dum sugit.

§. 22.

Cum verò, dum alvi à purgante claustra laxantur, muto riget, non omnibus id familiare est, sed junioribus venereis, & Plethonicis, quibus *Sinibaldus (c. l.)* atri bilarios addit. Expertus est hoc ille *ap. Alexandrum Benedictum (l. 24. de Cur. Morb. c. 18. p. 922.)* decrepitus, de quo sequentia consignavit: Quidam à nobis nobilis Venetus quaesivit, ut aliquo adjumento senectutis effoetam virilitatem reficerem. Septuagenarium hominem demiror, claudum, Hemiplexia debilitatum, tàm impudenter lenocinia adhuc per vicos perquirentem, roganti capulari Seni Dia Satyrion concitatorium promisimus: at Diaphoenicon abstulit hilaris senex, quo assumto inter meretricis amplexus, salivariaque oscula pigritantem Venerem demirans primum atque subinde damnans, turbato ventre ad sellam properare cogitur, non sine intestinorum tormentis, atque eo modo decies alvum stolidus homo exoneravit. Ferunt Alii, subjicit *P. Forestus (c. l. Obs. Med. 19. p. 591.)*, idem Monacho contigisse, at alio modo: Medicamentum ad continentiam faciens expectabat Monachus: Alius eodem tempore Sponsus utcunque senex medicamentum expostulabat ad Venerem concitandam, sed pharmacopolae errore contrarium Monacho exhibitum fuit, ita ut illa nocte tentigine Veneris supra modum affligeretur, contra Sponsus novae nuptae nihil hilaritatis attulerit.

§. 23.

Cur autem purgantia Aphrodisiaca simul sint, brevibus ista complexus est *Nathanaël Highmorus (l. 1. Disquis. anat. p. 4. c. 2. p. 93.)*: Glandulae prostratae sunt inter vesicae Cervicem & Intestinum rectum positae, inde contingit, quod post Clysterem aut acriorem κάθαρσιν affecto intestino recto semen quandoque emittatur, & appetitus venerei excitentur.

§. 24.

Spectant huc fontes medicati quidem. Ea Spadanorum fontium est proprietas, *observat Henric. ab Heer. (Spadacren. c. 14. p. 132.)*, qua exteris his utentibus priapismum excitat. Id etiam in potu Thermarum Carolinarum, & Acidularum Egranensium aliquoties obtigisse recordor. Militat autem hic eadem (*in §. praecedenti*) allata ratio, cum non tantum scybala expel-

pellant, sed & Diuretica sint, qua posteriori operatione vasa Spermatica mirum in modum afficiuntur & irritantur.

§. 25.

Probant id Cantharides. Hæ non tantum extra applicatæ (*Joh. Langius l. 1. Epist. med. 47. p. 231. Reiner. Solenander s. 1. Consil. Med. 2. p. 13. Henric. ab Heer. obs. 9. p. 135.*), sed etiam in manu detentæ (*Henric. Smetius l. 1. Miscellan. Epist. 8. p. 44.*), imò in bursa gestatæ (*Joh. Schenk. l. 7. obs. med. p. 873.*) vesicam & vias urinarias lædunt ita, (quamvis id *teste Dan. Sennerto tr. de Dysent. c. 2. p. 10.* perpetuum non sit) ut mictio subsequatur cruenta. Sic intro sumtæ illæsis reliquis partibus per vias lacteas, (*ut vult Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 65. p. 480. & de Lact. Thorac. c. 9. p. 77.*) non expectantes, donec per universum fiat circulatio (*id. Cent. 3. Epist. 75. p. 334.*), spontè ad vesicam feruntur, imò & uterum, ut iisdem assumtis fœtum tenellum ejiciant scorta impura (*Joh. Schröder. l. 5. Pharmac. cl. 4. c. 98. p. 340.*), iisque non sine vitæ periculo inferunt calamitates. Exempla ex Aliis *citatus Joh. Schenck.* (*c. l.*) compilavit. Evenit inde per accidens, ut ab ista titillatione juvenes obtineant priapos extentos, ut ille *ap. P. Forestum* (*l. 24. obs. med. 7. p. 448.*) & irritati supra modum etiam ad sanguinis cum semine profusionem coëant. Historiam notabilem recensuit (*obs. 17. p. 9.*) *Barth. Cabrolius.* Mota hoc experimento infamia prostibula scortatoribus cibos earundem pulvere aspergunt, ut illa, de qua *Joh. Shenckius* (*c. l.*), quin & ipsi scortatores ad coitus illecebram Cantharidum pulverem absorbeant, ut ille *ap. Joh. Langium* (*c. l.*) juvenis Gallus, quovis Gallo gallinaceo salacior. Quamvis semper funestus exitus infame hoc maneat desiderium.

§. 26.

Prostant præter hæc alia delicatiora, quæ absorpta restinguunt, ut *Mandaurensis* (*l. 2. de Aur. Asin. p. m. 33.*) *loqui amat*, pudoris ignaviam, & alacrem vigorem libidinis incutiunt. Satyrioni à natura ad Venerem inditus stimulus, ipsa id attestante signatura (*Paracelsus l. de Imagin. c. 9. p. 306.*) nomen peperit. Ex aquæ pinguedine eundem deduxit *Joh. P. Faber* (*l. 3. Panchym. s. 8. c. 6. p. 404.*). En *ex Athanas. Kirchero* (*l. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 2. c. 5. Reg. 2. p. 61.*) memorabilem nec injucundam narrationem. Adolescens quidam quoties in horto suo locum quendam non viriditate minus, quam umbrarum amœnitate conspicuum, visitaret, toties adeò vehementibus libidinis stimulis agitabatur, ut insolita quadam corporis prurientis affectione agitatus Satyriasin contraxisse videretur. Contigit autem *cum Henrico Corvino nobili seplasiario* quo-

dam tempore amicius tractans, ei passionem suam revelaret. Is quid erat suspicans locum sibi monstrari postulat, quo facto, totum locum Satyrii quodam genere, cujus nomen consulto tacemus, repletum invenit, quo invento nihil facilius fuit, quam causam tàm vehementis Symptomatis assignare. Retulit quoque hanc herbam tàm potenter ad venereos motus excitare, ut vel manu detenta (quod de Satyrio Erythronio in literas retulit *Dioscorides l. 3. de Mat. Med. c. 144. p. m. 232.*) & ex hoc forsan *J. B. Porta (l. 3. Phytognom. c. 44. p. 217.)* quis sese manifesto Satyricæ commotionis periculo exponat, ut proinde mirum non sit, tàm potenter fuisse agitatum, qui herbam ejusdem genuinam sobolam tàm frequenter terendo molestaverat. Quocirca & stuprum rogantes omnes viderentur Satyrion bibisse, *Ascyltoa p. Petronium (Satyric. p. m. 53.)*. In quem locum vide *Georgii Erhardi Symbola (p. 549.)*. Cum in Satyrione vis delitescat Saturnina, illa *secundum Paracelsi (l. 3. de Vit. Long. c. 11. p. 857.)* monitum, clam virtutem, qua de gloriari Satyrion debebat, suffuratur ac debilitat, fitque sic ejus exaltatio triginta granis minor. Quo fit, ut non raro opem usurpatus deneget Satyrion.

§ 27.

Bangue Persas efficaciter in Venerem animare *Adam Olearius (Itinerar. Muscov. Persic. 4. 15. & in Not. ad Itinerar. J. A. von Mandelsloh. l. 1. c. 20.)* retulit. Præparationem his descripsit: *Die Blätter werden gesamlet, ehe sich noch der Saame an den Stengeln sehen lässet, werden in Schatten gedörret, und zu Pulver zerrieben, mit Honig vermischet, und Kugeln als Tauben-Eyer groß, daraus gemacht, von solchen essen sie ein oder zwey Stück, und gehen darauff ihre Gänge. Sie rösten auch die Hanff-Körner, besprengen sie mit Saltz, und essens an statt des Confects. Add. Anonym. (l. 2. de Plant. Ind. Hist. c. 25.)* Banguen autem cannabim nostratem putat, quod è *Garsia ab Orto (l. 2. exot. pl. Hist. c. 25.)* refutat *Jac. Tappius (Orat. de Tabac. & ejus abus.)*. Quæ de Asseral Specie Bangues habet *Joh. Harmann. (tr. de Op. Th. 3. qu. 3. p. 25.)* huc referantur. Ipse *Galenus (l. 1. de Facult. Alim. c. 41.)* cannabim caput gravare & somnia turbulentare observavit, quod *Alex. Maurcord. (Epist. mox citanda)* allegat, posterius *apud Galenum* non legitur, sed *ap. Sim. Sethi (de Alim. lit. K. n. 3. p. m. 46.)* Semen si immodicè edatur desipere facit. Folia verò arida uti farina pota, aut magis, si pro potione harum farina mandatur ebrietatem quandam admirabilem & sensus privationem devoranti inducit: Apud Arabas esitatur pro vino & inebriat: desiccat vero semen genitale ut caphura. Unde Atociis admiscetur & basis est Ægyptiorum narcotici (de semine loquitur) Pharmaci, quod Bosam appellant, & quo festivam insaniam accersunt, pronunciat *Henric. Mund. (de Aër. Vit. Escul. & Potul. c. 2. p. 124.)*.

Can-

Cannabis folia & ſemen Turcas plebejos melle in Electuarium ventriculi infirmitatibus utile coquere, ſed quod Phantaſmata infert, ac ſomnia Gigantum aliorumque terriculamentorum formidine moleſtum retulit *Bapt. Sylvagius Reip. Venet.* interpres ad portam Ottomanicam *Joh. Matth. Fabro.* (*V. Ejusd. Strychnoman. p. 82*)

§. 28.

Maslach Turcarum hic etiam magnum nomen eſt. Quid ſit, inter Autores non convenit. Evolvantur *Joh. Hartmann.* (*c. l. qu. 4. p. 29. ſq.*) *Dan. Sennert.* (*l. 1. Med. Pract. p. 2. c. 6. p. 328.*). *Caſp. Hoffmann.* (*l. 2. de Med. Offic. c. 169. §. 22. p. 421.*). *Andr. Tenzel.* (*Exeget. Chym. p. 547.*). De nomine verò *Leonh. Thurneuſſer.* (*l. 1. Herbar. c. 29. p. 117.*) *Joh. Oberndörffer* (*Apol. Chym. med. p. 71.*) *Excellentiſſimus Noſter G. W. Wedel.* (*l. 2. Opiol. ſ. 4. c. unic. p. 160. & Exerc. Med. Philol. Dec. 5.*) ubi egregiam de hoc *Magni Medici & Miniſtri Sultanis Turcici Alex. Maurocordati ad Eum datam Epiſtolam* leges, multa Curioſa & à vulgari traditione diverſa continentem. De hoc, quod prælium inituri Turcæ non aliter, uti quidam noſtri milites & nautæ pulverem pyrium epotant, quod *Fr. Baco Verulamius* (*Hiſtor. vit. & mort. col. 223.*), ad conciliandam animi fortitudinem devorent, *Leonh. Thurneuſſ.* (*c. l. p. 170.*) & alii teſtantur. Id vero ad venereos amplexus continuandos multum conferre, juxtim fama eſt, ut in campo Martio & venereo ſtrenuos ſe præſtent bellatores. A Turcico Maſlach aſſumto defuncto mentulam fuiſſe erectam (mallem ſcripſiſſet, permanſiſſe erecta) è *Phil. Salmutho* (*Cent. 3. obſ. med. 40. p. 103.*) conſtat. Et cur plurimi Turcarum in prælio Ungarico ad S. Gothardum poſt mortem erectis mutonibus fuerint inventi (*Vid. ſupra* §. *9.*), id unicè eſui & uſui Maſlach imputandum cenſuit *Nobiliſſimus Noſter J. P. Sachſius* (*in lit. ad me datis.*)

§. 29.

De opio idem referunt Indis & Turcis maximè familiari. *Conf. Marcell. Donat.* (*l. 4. hiſt. med. adm. c. 18. p. 402.*) *P. Bellon.* (*l. 3. obſ. c. 15. p. 429.*) Inde quidam Maslach Opium reputarunt, quo etiam inclinat *J. C. Scaliger* (*Exerc. 154. p. 615.*) & illud ex opio eſſe confectum, putat *Dan. Sennert.* (*c. l. p. 329.*) & qui vitulo arat *Matth. Tilingius* (*p. 1. de Laud. Opiat. c. 2. p. 53.*). Aſcribendum illud forſan Opii caliditati. Calidum namque non frigidum, ut veteres, *Dioſcorides* (*l. 4. mat. med. c. 63. & 65. p. 267.*) *Galen.* (*l. 8. de Comp. med. ſec. loca c. 3. p. 877.*) *& alii* pronunciarunt, *P. And. Matthiol.* (*l. 4. comm. in Dioſc. c. 63. p. 527.*) *Joh. Hartmann.* (*c. l. theſ. 5. q. 1. p. 50. ſq.*) cum omnibus

bus ferè Neotericis probarunt, quæ calida, ut ipsa Aromata, œstrum concitant venereum. Ex illo igitur Indi in Bantam Electuarium parant, Affion dictum, coloris cineritii, saporis dulc-amari, quo Chinenses in Batavia utuntur; ejusque usu tam alacres fortesque sub vexillo Veneris evadunt milites, ut non tremula, sed erecta hasta pugnam per totam noctem continuent. *(Vid. Jac. Saar Ost-Indianisch Kriegsdienste c.2, p. 12.)* Cur verò orientalibus opium Venerem excitet, septentrionalibus extinguat ob laxitatem pororum accidere *concludit prælaudatus Sachsius*, ob quam & calidissimam temperiem unoquasi ictu Spiritus & vires diffluunt, opii autem vi, parumper quasi freno cohibiti, ad plura certamina repetenda sufficiunt. Adderem ego Consuetudinis vim dum à minima dosi ejus usum incipiunt Persæ, ut est *ap. J. B. Tavernier (l.5. Itin. Persic. c.17. p.269.)* cum aliis populis, & majorem dosin, ad quam tanquam ad insuetum Europæi ascendere nec possunt, nec sine noxa debent. Et dubito sanè annon potius esus & usus quotidianus oryzæ plus armet in Venerem Turcas ac Indos, quam opii. Pluribus de hoc problemate egit *Idem (M. C. D. 1. A. 2. obs. 69. p. 127.)*. Eadem esse videtur causa, cur Turcæ sumpto opiato per somnos mox sibi videntur vivere in Paradiso: Christiani in inferno *(O. Borrich. de ort. & prog. Chym. p.58.)*. Curque biliosis Venerem restinguat, pituitosis excitet fumus Tabaci & radicum Asparagi usus. *Hermann. Grube de Arcan. Med. non Med. art. 5. c. 1. s. 2. p. 148. sq.)*

§. 30.

Theophrastus Eresius (l. 9. hist. plant. c. 20. p. 126.) mentionem fecit herbæ quam Indus attulerat. Hæc non solum edentibus, sed saltem tangentibus virilia impetuosè erexit, ut quoties vellent (ad Septuaginta vices in die, *ut habet Hieron. Cardanus (l. 8. de Subtil. p. 473.)* coirent. Banguem hanc fuisse quidam suspicantur. *Conf. Joh. Fragosum (Hist. Med. Ind. tr. 3. c. 26. p. 59.)* De Radice quæ & Venerem augendam mirè confert, & virgines, si super eandem sedeant, aut urinam faciant deflorat *J. C. Scaliger. (Exerc. 75. f. 1. p. 568.) Joh. Pharamund. Rhumel. (Theol. Vegetab. Embl. 41. p. 19.)* De arbore Agnacat *iterum Scaliger. (c. l. p. 569.)* Adde quæ de Satyrione modo (§. 24.) dixi.

§. 31.

De Boleto Cervino multa vulgus. Placet mihi *Excell. Dn. D. Joh. Andr. Grabæ* ἐπίκρισις, quando aromatibus, & aliis junctis non Boletis, eam vim tribuit. *(f. 3. Elaphogr. c. 20. p. 258.)*. Nec ferè hactenus demonstratum, qui & cujus naturæ isti sint Boleti. Semen sanè Cervorum aut saliva eorum in Venerem

rem ruentium, ut quidem voluit *Paracelsus. (tr. 1. de Pestil. p. 336.)* matrem & patrem esse vix credet, qui Boletos pro Cervinis jactatos in locis offendet crescentes, in quibus nunquam Cervi pedes fixerunt & vixerunt. Id mihi aliquoties animadvertere contigit, Cervos Venere exhaustos & emaciatos fungos illos vescos, quos à Colore flavos, *gelbe Schwämme*, vocamus, summo cum appetitu depavisse, quasi in quandam recreationem. An forsan id nominis inde acceperint divinare nolo. Sed & boleti isti majores exsiccati cocti & acido jure parati vulgò à vulgô inter aphrodisiaca habentur & forsan non vulgari ratione cum flatulenti sint, gemellumque semini odorem per auras disseminent.

§. 32.

E morbis, ut etiam monitum, Satyriasis maximè huc confert. Festiva est illa de Monacho quodam *Petri Foresti (l. c. obs. 20. p. 575.)* narratio. Monachus quidam salax incidit in Satyriasin, cum imaginationibus veneris valdè indulgeret; adeoque tentigine non sine dolore in Venerem stimulabatur, ut furore quodam agi videretur. Is ut tentiginem illatam reprimeret, mentulam in ollam, aqua frigida plenam, immersit. Sed ex vehementi motu cum veretrum moveretur ollam in frontem impegit: Accitus Medicus ut cicatricem inflictam curaret, rem gestam magno cum risu aperuit. Exemplum cujusdam cui ob desuetudinem Veneris penis extendebatur & rigebat *videsis ap. Galen. (l. 6. de Loc. Aff. c. 5. p. 608.)*

§. 33.

Epilepticas convulsiones etiam penis rigor excipit, *Aretæus (l. 1. c. 5.) memorat.* In casu ab alto virile membrum donec animam efflavit cuidam assiduè erectum permansit, *ut Joh. Schenck. (l. 1. Obs. Med. p. 121.)*. Podagrico equuleo subjecti venereas titillationes experiuntur, & non raro erecto pene inter Ideas & sollicitationes aphrodisiacas nulli non melleas, ejulant, & dolore ingravescente vel melli mixtum deplorant. Expendit id non ineleganti discursu *Georg. Feltmann. (Tr. Dea Podagra c. 6. §. 9. sq. p. 34.)*. Idem calculi & vesicæ patrant. Utroque Rene calculosos plus justo petulcos observavit *J. B. Helmont. (Tr. Vita brevis p. 588.)*. Vidi tales laborantes, *inquit Paul. Zacchias (l. 3. Quæst. Med. Legal. T. 1. qu. 4. n. 8. p. 271.)*. Et cum à calculi doloribus sæpius instar caudæ propendeat intestinum rectum, balanoque pruritus inducatur *(juxta Wolffg. Hœfer. l. 3. Herc. Med. c. 4. p. 171.)*, cur non & tentum vibrarent, comprimis robustioribus, junioribus & succulentis istæ calamitates? Rationes alias suggeret *J. Bened. Sinibaldus (l. 3. Geneanthrop. Tr. 1. c. 17. p. 286.)*. Et hæc etiam causa esse poterit, quod calculosi polluuntur pollutionibus arenosis *sec. Joh. Theod.*

od. Schenck. (*l. 1. Exerc. Anat. 8. c. 35. p. 650.*). Iis quos morsu aranea petiit observatione *Bertrucii Bononiensis* (*l. 2. Collector. Med. tr. 3. c. 3. f. 251. b.*) virga erigetur ex multiplicatione ventositatum in corpore plurimarum.

§. 34.

Milites in acie erecta hasta virili cadentes iterum in mentem revocat *Alex. Benedictus, dum* (*l. 24. de Cur. Morb. c. 19. p. 926. scribit*: Mirum est, quod in castris vidimus ad Tarum in Parmensi agro in pugna adversus Gallos, nuda erant cadavera passim per ripas fluminis jacentia, quorum inguina miræ supra modum magnitudinis intenta erant, solis (ut puto) vapore ac hesterno imbre, quo corpora perfusa erant.

§. 35.

Metus mortis instantis hic aliquid præstat, quod exemplo duorum comburendorum, & in Musico qui ob delictum à lictoribus quæsitus se subduxerat, & in alio virgis cædendo *Phil. Salmuth. Cent. 3. obs. 21. p. 121.*) *meminit*. Ideò metuentibus testiculos contrahi, *Aristoteles s. 27. probl. 7. & probl. 11. credidit*, quod ideò contingit, si *Cassio* (*quæst. Nat. & Med. 47. p. m.*) credendum, quia moribundi (addit & timidos *Aristot. s. 4. probl. 8.*). Excernitur autem semen more consueto testiculis sursum recurrentibus, qui deinde supra retenti manent. Ex semine igitur in crucem actorum effluente Mandragoram veram enasci, vulgus credit, dum à circumforaneis ipsi imponitur. Id certum est ob metum mortis non tantum externas partes rigere, cujus causam acido *Francisc. Bayle* (*probl. Phys. Med. 118. p. 295.*) ascripsit, comprimis vero pedes, quod suppliciorum infamium candidati fatentur, sed & expultricem stimulari, ut excrementa alvi meticulosi egerant & vesicæ, imò & ipsum semen. In junioribus igitur, venereis & sanguineis, nervum qui habent etiam rigentibus partibus vicinis penis rigere poterit, & cum urinæ & seminis egestione etiam intumescere & erigi. Dixi quædam huc spectantia *alibi* (*M. C. D. 3. A. 7. & 8. obs. 136. §. 17. p. 251.*)

§. 36.

Ast cum probro militi vertatur metus & timiditas, fortiter dimicantibus sanguis ebullit, spiritusque ferociunt, non aliter ut amore insanientibus, adeoque ut ira furor brevis: ita amor diuturna insania. Pulchrè idcircò Poëtarum ingeniositas Martem & Venerem uni inclusit thalamo. Quasi non sit fortis bellator, nisi qui strenuus amator. A prædicta igitur sanguinis ebullitione facile penis arrigitur, & subsequente insperatò morte violenta à concluso in ejusdem vasis sanguine per aliquot horas aut dies usque dum consummata putre-

putredo insequitur arrectio illa durat. Quod radiis Solis & Cœlo pluvioso in ascribit *Alex. Benedictus* (§. 33.) in eo mihi non satisfacit, quando in aliis à Jove non lotis, nec à sole unctis idem deprehenditur. Interim non nego dum à pluviosa athmosphæra ob putredinem corpus intumescit, tumorem penis etiam urgente calore putredinali, ut vulgò asserunt, aliquantisper modo penis prius fuerit rigidus, adaugeri posse.

§. 37.

Nec veneficium omninò excludendum. Si reperti sunt Plutonici viri *teste B. Sinibaldo* (*l. 5. Geneanthrop. tr. 2. c. 2. p. 666.*), nec non Stygiæ mulieres, quæ interdiu solo intuitu obscura quædam murmurante lingua: noctu decantatis quibusdam abstrusis verbis lumine accenso vel præsentes vel absentes, seu vigiles sive somno sepultos in pollutionem demerserunt, cur non & rigorem membro virili inducere possent, etiam post fata permanentem. Tali forsan fascino cruciatus fuit olim *Heraclitus Imperator*, quamvis priapismum fuisse suspicetur *Marcellus Donatus* (*l. 6. Hist. Med. mirab. c. 4. p. 637.*). De Eo *Pomponius Lætus* (*in Compend. Hist. Rom.* quod novo cladis genere obierit: Testium nempe folliculo sursum verso simul cum virili membro, & semper tenso, ut quoties mejeret, nisi tabula umbilico admota prohibente, vultum lotio sparsisset. Gemellam huic observationem à causa naturali excitatam *vide sis ap. Zacut. Lusitan.* (*l. 3. Prax. Med. Admirand. obs. 118. p. 128.*)

§. 38.

Ad excitandam in demortuorum cadaveribus penis erectionem Siphone suo utitur *Regnerus de Graaff* (*tr. de Organ. Viror. p. 154. de Us. Siphon. p. 230.*). Immisso, *inquit*, liquore per arteriam hypogastricam ad corpora nervosa excurrentibus statim erigitur penis, idque magis vel minus, prout majori vel minori vi liquorem in corpora nervosa propuleris. Quin eodem modo flatu id affici posset indubium. *Add. Anton. Santorell.* Prout & flatulenta phænomenon hoc præstare *supra* (§. 18.) recensui. (*Post Prax. Med. c. 21. p. 60.*)

§. 39.

Επιμέτρυ loco sequentia Lectori curioso curiosius examinanda propino. E foco *Tarchetii Albanorum Regis* membrum virile exertum fuisse, aliquotque dies durasse, cum quo cum Ancilla rem habuisset, geminos *Remum* & *Romulum* peperit, *Plutarchus* (*T. 1. Vitar. Parall. in Vit. Romul. p. 36.*) *autor est.*

§. 40.

Maleficas non solum virilia viris aliquando decurtare, historiis *Th. Barthlin.* (*Cent. 3. hist. 71. p. 143.*) firmat, sed & occultare penitus & præstigiosè au-

auferre videntur, prodidit *Joh. Petrus Lotichius* (*l. 6. obs. Med. c. 4. obs. 2. p. 524.*) & *Excell. Joh. Christian. Frommann.* (*l. 3. de Fascinat. p. 6. c. 18. p. 860.*), adeò ut firmiter credant incantati, Saturnum invidiosa falce genitalia eorundem invasisse. Historias duas *Jacobus Sprengerus* (*p. 1. Mall. Malef. qu. 9. p. 123.*) quas *ex eo citant. J. Bapt. Condronchius* (*l. 3. de Morb. Venefic. c. 5. f. 114. a.*) *Dan. Sennert.* (*l. 6. Med. Pract. p. 9. c. 3. p. 396.*) *Henric. Nicol.* (*de Mag. Action. Exerc. 9. n. 10. p. 199.*). Nec id mirum, cum & partes internas auferre valeant, ut iterum (*c. l. c. 16. p. 849.*) *Noster Frommann*, naturalesque subsint Causæ, v. g. flatus, qui intra triplicem membranorum vesicæ complexum inclusi & distenti membrum ad oculorum effugium retrahere valent, ut singularem historiam communicavit *P. Sorbait* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 50. p. 89.*) & ipse à pondere Intestinorum aut copia urinæ in scroto fluctuantis in Hernia intestinali & aquosa non semel fistulam penis retractam viderim aliquoties, ut aciem ferè oculorum effugeret. Idem in Sarcocele in Parocho deprehendi. A spasmo pudendum contractum intrò sic subinde evanescit, ut absque præputio extet nihil, *Helmont.* (*tr. de Lithias. c. 9. n. 133. p. 734.*) *annotavit.* Contrarium sustinet *Caspar. Calder. de Heredia.* (*Tribunal. Mag. Med. Stat. 8. Artic. 4. p. 50. & Artic. 8. p. 53.*) Utrumque modum esse possibilem *Jacob. Sprenger.* (*c. l.*) reputabat, & notabile exemplum (*part. 2. c. l. qu. 1. c. 7. p. 273.*), quod etiam citat *Fr. Vill. Torreblanc.* (*l. 2. de Mag. c. 41. p. 20. p. 307.*) & *Erasmus Francisci* (*1. Theil der Schaubühne 3. Versamml. p. 546.*) adduxit. Jungendum huic quod *Nicol. Remigius* (*p. 2. Dæmonol. c. 5. p. 270.*) de sene, Janitore Bassumpretano retulit. Verba Sprengeri inserere, quia merentur, non pigrabor: Retulit quidam, quod dum membrum perdidisset, & quamvis quandam maleficam Causa recuperandæ suæ sanitatis accessisset. Illa, ut quandam arborem ascenderet, in firmo injunxit, & ut de nido, in quo plurima erant membra, si quid vellet, accipere posset indulsit. Et cum ille magnum quoddam accipere attentasset, non, *ait malefica*, illud accipias, & quia uni ex plebanis attineret, *subjunxit.* Referunt, quosdam juvenes in Germania, *narrat Andr. Cæsalpinus* (*l. de Dæmon. investig. c. 9. p. 154.*), ex improviso sum membra genitalia amisisse, quam rem cum aliis communicassent, moniti sunt, id ex maleficio contigisse: Idcircò comperta malefica, quæ in vindictam illatæ injuriæ id perpetraverat, ab eadem soluto maleficio restituta sunt. Claudat agmen *illustris Joh. Weichardi Valvasoris* (*l. 12. Carinth. c. 12. p. 117.*) relatio: *Zu meiner Zeit ist es einem Soldaten und jungen Steierischen von Adel zu Carlstadt geschehen, daß ihm einige unzüchtige Weibespersonen das männliche Glied also verhexet haben,*

ben, daß er ſelbiges gar verlohren, und zwar aus Argwohn dieſer ſchändlichen Huren, welche vermeynten, daß er ihrer müßig gienge, und üm andre buhlte. Als nun dieſer Verzauberte ſolches guten Freunden klagte, ward ihm gerathen, wofern er vielleicht auf den Schnitt gegangen, und mit einer zu thun gehabt, ſo ſollte er der Bröckin gute Wort geben, und ſie freundlich bitten, ihm ſein abgenommenes Gewehr wieder zu ſchaffen. Der junge Edelmann folget, und bittet von der Huren reſtitutionem in integrum, mit Vertröſtung, hinfort wiederum fleiſſig einzukehren, worauff ſie eine in Sieb oder Reitern hervor gebracht, in welcher neun männliche Glieder gelegen, von welchen ſie das ſeinige ihm zugeworffen. Dieſe Geſchicht hat mir derſelbe Edelmann ſelbſt erzehlet. Parallelas communicant *Dn. L. Jacob. Auguſtin. Hünerwolff (M. C. D. 2. A. 8. obſ. 95. p. 210.) & Magnif. Noſter D. Joh. Paul. Wurffbain (M. C. D. 3. A. 1. obſ. 166. p. 308.)* Naturaliter viro cuidam cauſode cum inflammatione & tumore pedum ac abdominis correpto ante obitum inteſtina Gangrænoſa in ſcrotum delapſa ita inficiebant eum, ut teſticuli deciderent: membrum autem virile penitus diſparuerat; *teſte D. Samuele Ledelio, Collega honorando (M. C. D. 2. A. 4. obſ. 18. p. 98.)* quod an intra abdomen ſe receperit, an ut putridum natum ſegregaverit, & inter lecti excrementa latuerit, adſtantes declarare nequibant.

LIBRI I. FINIS.



LIB. II. TIT. I.

De


Maculis Cadaverum.

Summarium.

1. STigmata varia pueris & ætate grandioribus impacta. 2. Sphragitidibus sacrandi crucis signo Christiani notati. 3. Ignominiæ & servitutis notæ Servis & Christianis inustæ. 4. In æternæ captivitatis testimonium à Turcis. Diabolus stigmatizat Magos. 5. Sanitatis causa cauteria adhibent Medici. 6. Sacrificatio & nota venæsectionis. 7. Nomina & imagines fœtui inscriptæ. 8. Maculæ in morbis. 9. In Peste. 10. In febre maligna. 11. Maculæ Scorbuticæ. 12. In morituris. 13. In mortuis. 14. In Peste extinctis. 15. Signa Peste extinctorum. 16. Violenta morte. 17. In à venenis mortuis. 18. Alia veneni assumti signa. 19. Cadavera venenatorum an aperienda? 20. In assumtis venenis mineralibus approbatur. 21. Corrosiva venenorum vices supplent. 22. Venena vasa Porcellana & Stomachum maculantia. 23. Venena in corpore generabilia. 24. Ab assumtis sals-acidis ventriculi erosio. 25. In febribus ardentibus & peste. 26. Signa venenorum assumtorum. 27. Venena inspirata. 28. A vaporibus putridis enecti. 29. Fulminati. 30. Syncoptici. 31. Apoplectici & Epileptici. 32. Βλητοὶ *qui Veteribus. 33. Ante mortem disparentes, post mortem iterum apparentes maculæ. 34. 35. Causa macularum in mortuis. Caloris reliquiæ. 36. Conatus Naturæ. 37. Hechsteterus laudatur. 38. 39. Illustrantur Hechsteteriana. 40. In Aqua suffocati. 41. Emendantur Hechsteteriana. 42. Vibices unde in dorso. 43. Maculæ post aliquot à morte dies. 44. Cruces in vestibus &*

& cadaveribus. 45. Maculæ Embryonum. 46. In partu difficili. 47. Stigmata fœtus in utero. 48. Color luteus in fœtu ab assumto Croco. 49. Etiam in aliis non à Croco. 50. An ab Ictero in utero. 51. Aliæ infantum maculæ. 52. Magicæ. 53. Ab insectis venenatis. 54. Non venenatarum à venenatis differentiæ. 55. Maculæ internæ à plagis externis non semper conspicuæ. 56. Labia vulnerum à venenatis morsibus. 57. Monitum ad Tyrones. 58. Ubi de plaga inflicta constat, etiam non apparentibus maculis capitis apertio non negligenda. 59. Singulares notæ in incantatis. 60. Prodigiosæ in infante.

§. 1.



VAriis maculis & stigmatibus varias ob caussas corporis certas partes, imò totum corpus notare gentibus in more positum fuit. Infantibus exponendis certas inurebant notas, ne aperta expositi conditione fallerentur, *ut Fr. Lindenbrog.* (*obs. ad Terent. Eunuch. a. 4. s. 6.*) observavit. De Dacis & Sarmatis *Plinius* (*l. 22. c. 1.*). De Britannis hæc Solinus (*Polyhist. c. 22.*): Regionem partim tenent Barbari, quibus per Artifices plagarum figuras jam inde à pueris variæ animalium effigies incorporantur, inscriptisque visceribus hominis incremento pigmenti notæ crescunt: nec quicquam mage patientiæ loco nationes ferè ducunt, quam ut per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant. Quocirca, *teste Herodiano* (*l. 3. c. 14.*) nec induuntur, ne scilicet picturam corporis adoperiant, aut, dicam quod res est, stultitiæ testimonia minimè proletaria sipario involvant. Apud Thraces punctas notis esse frontes *teste Herodoto* (*l. 5. s. Terpsich f. m. 100. b.*), nobile judicatur: non esse notatos punctis ignobile. De Gelonis & Agathyrsi (picti idcircò *Maroni* Agathyrsi *l. 4. Æneid. v. 146.*) cœruleo colore pictis, videatur *Pompon. Mela* (*l. 2. de Sit. Orb. c. 1.*), quod ad Americanos applicat *Georg. Horn.* (*l. 3. de Origin. Americ. c. 15. p. 365.*). Omnes totius orientis incolas id adhuc observare, acuque prius vulneratam cutim felle piscis cujusdam colore obscuro tingere, *testis est Petr. della Valle* (*p. 1. Itinerar. Epist. 16. p. 206.*). De incolis Regni Pegu *vid. J. Schreiber* (*l. 2. Itin. Orient. c. 12. p. 131.*). Grœnlandicæ mulieres cicatricibus hinc inde faciem compungunt semper, non tàm ad ornatum, quam ut nubiles fœminæ nuptæque à puellis impuberibus aliqua nota distinguantur.

§. 2.

Sacrandi apud Gentiles Sphragitidibus stigmati: ita *Prudentius (l. Peristeph. in Martyr. Rom.)*

Quid quum sacrandus accipit Sphragitidas
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere, ut igniverint
Quacunque partem corporis fervens nota
Signarit, hanc sic consecratam prædicant.
Functum deinde cum relinquit spiritus
Et ad sepulchrum pompa fertur funeris
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ
Insignis auri lamina obducit cutem
Tegitur (ita forsan rectius, quam tergitur, ut communiter) *metallo quod perustum est.*

Signaculum crucis frontibus inscriptum Christiani veteres circumferebant. Varia collegit *Casp. Barth.* (*l. 43. Advers. c. 27. col. 1952.*) & *Casp. Sagittar.* (*de Cruciat. Martyr. c. 16. §. 16. p. 167.*). In India intermedia, Abasia dicta, Christiani crucem auream in fronte gestant, quod eis in baptismo imprimitur. Saraceni habent signum à fronte usque ad medium nasi. Sunt etiam illic multi Judæi, qui ignito ferro in utraque maxilla signati sunt, recitat *Marcus Paulus Venet.* (*l. 3. de Region. Orient. c. 43. p. 159.*). Jacobitas in Mesopotamia infantum baptizatorum frontes aut brachia signo crucis ignito ferro impresso signare *Phil. Baldeus* (*l. 1. Descript. Malab. & Coromandel c. 20. p. 129.*) *autor est.* Christiani imprimere in manibus & brachiis solebant nomen CHRISTI aut signum crucis *Mich. Meisner.* (*Diatrib. de Stigmat. n. 59. p. 106.*)

§. 3.

In ignominiæ & servitutis notam etiam hæc transiit consuetudo. De servis literatis quædam *Galenus noster* (*l. 1. de Dignosc. pulsu c. 1. & l. 8. de Plac. Hipp. & Platon. c. 9.*). Plura *Laur. Pignor.* (*Tr. de Servis p. 30. 31.*). *Langlaus* (*l. 10. Semestr. c. 2.*). *Joseph. Laurent.* (*l. 1. Polymath. Disc. 9. p. 22. sq.*). *Herman. Hugo.* (*de Prim. Scrib. Orig. c. 19.*). *Mich. Meisner.* (*c. l. n. 19. p. 59. sq.*). Etiam, si quid deliquissent gravius pœnæ nomine notabantur, quod ex Aliis notat *Brodæus* (*l. 4. Miscell. c. 24. ap. Jan. Gruter. p. 2. Thes. Critic. p. 524.*). Inscriptus igitur pro servo *ap. Martialem* (*l. 8. Epigr. 75.*) & inscripta ergastula *ap. Juvenal.* (*Satyr. 14. v. 25.*) servos in ergastulis, qui frontes notis inscriptas gerunt *Henric. Kipping* (*l. 4. Antiqu. Roman. c. 1. p. 567.*) interpretabatur. Ita & stigmata sibi Ido-

Idolorum cultores inurebant in falſorum Numinum honorem, utque eſſet obſignatio iſta ſervitutis indicium, de quo plura *Joh. à Chokier de Surlet* (*p. 2. Fac. Hiſtor. c. 15. p. 239.*). De Romanis honeſti ordinis viris *à Caligula* hoc modo deformatis, *Sueton.* (*in Calig. c. 27. p. m. 147.*). *Petr. Faber* (*l. 2. Semeſtr. c. 5. p. 52.*) ut eodem ſtigmate Chriſtiani inſtar Servorum fugitivorum notarentur aut potius ornarentur nullo non ſtigmate aut opprobrio notandi veræ Eccleſiæ perſecutores præceperunt, quod iterum *ex Caſp. Barthii* Cornu Copiæ in hoc alveare transfero (*l. 43. Adverſ. c. 27. p. 1982.*) *add. Joh. à Chokier:* (*Facul. Hiſt. Cent. 1. c. 33. p. 77.*). *Caſp. Sagittar.* (*c. l.* §. *12. p. 166.*) *Mich. Meiſner.* (*c. l. n. 28. p. 63.*)

§. 4.

In æternæ captivitatis teſtimonium Turcas captivorum vultus, cute novacula prius diſſecta, poſt inſperſa fuligine, ſtigmatizare proditum eſt. Id verò Satanam ſecuti patrant, qui etiam ſuis mancipiis (veluti fugitivis ſervis de lapide emtis) certas figuras in certis locis ſub oculorum palpebris, inter nates in oris palato &c. (*Lambert. Donæus de Sortiar. c. 14. p. 64.*) aliquando veſtigium pedis leporis, Aranei, interdum gliris aut equi, catelli nigri effigiem, aut manus bufonis, rubetæ vel lacertæ ſimilitudinem referentes inurit, de quibus prolixè *Joh. Bodin.* (*l. 3. Dæmonom. c. 4. p. 282. & l. 4. c. 4. p. 599.*). *J. Bapt. Condronch.* (*l. 3. de Morb. Veneſ. c. 4. f. 107.*). *Petr. Oſtermann. JCtus* (*de Stigm. l. 9. Prop. 6.*). *Paul. Zacchias* (*l. 7. Quæſt. Med. Legal. Tit. 4. qu. 1. n. 11. p. 654.*). *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obſ. 92. p. 91.*). *Strozzius Cigogna* (*p. 1. Mag. Univ. Theatr. l. 4. c. 3. p. 479.*). Negat hæc ſtigmata usque dum aut à certiori experientia per integræ fidei viros, aut per propriam confirmentur, aut aliud ſancta Mater Eccleſia injungat *P. Zacchias* (*c. l. qu. 5. n. 4. p. 663.*), quem ideò elogio mactat *H. Coccejus* (*in Not. ad h. l.*) Conjecturam, ſi abſint notæ, eſſe fallacem, patet *è cit. Bodino* (*l. 3. Dæmon. c. 4. p. 284.*), cum Diabolus illas aliquando deleverit, idque exemplis confirmat. Magos etiam poſt mortem nigerrimo vultu ſiſtit. De Ignatio Lojola Societatis Jeſuiticæ Autore *Joh. Haſenmüller.* (*Hiſt. Jeſuit. cit. Joh. Chriſt. Frommanno l. 3. de Faſcinat. p. 3. ſ. 2. c. 5. §. 5. p. 524.*) ſcripſit, ſe audiiſſe *ex Turriano Jeſuita celebri* ipſius comitem usque ad Miſſæ aram fuiſſe Dæmonem, à quo etiam ſæpè ita fuerit agitatus, ut in magna copia frigidiſſimum mortis ſudorem fuderit, & denique cum tremore obierit, mortuum nigerrimo vultu conſpectum eſſe.

§. 5.

Non infamiæ notas Clientibus ut imprimant (prout ille quidem *ap. Aug. Tho-*

Thomerum allegante Conr. Victor. Schneidero l. 4. de Catharr. c. 11. p. 717. quod & legitur *ap. Diomed. Cornar. obs. Med. c. 12. p. 20.* qui Medicum cauterium suadentem his allocutus: Honestus civis sum, maleficus illa pœna ignis dignus est & sceleratus), sed sanitati recuperandæ ut inhient solertiores Medici & Chirurgi, monito *Hippocratis Nostri* obsecuturi (*s. 8. aph. 6.*) ad summa illa remedia (*s. 1. aph. 6.*). Ferrum & ignem, in summis morbis vera asyla confugiunt, non semel commendabili sævitia stridulis cauteribus faciunt, ut fervent

inusta laminis cutis

Vel summa pellis ignis obductus coquat

Papulasque fervor æstuosus excitat.

(*Prudent. c. l. v. 486.*). Rident hos *J. B. Helmont.* (*Tr. Cauterium n. 15. p. 310.*) experientiam effrons irridet. *Vid. Joh. Costæus* (*de Igneis præsidiis*). *Mich. Gavasset. Th. Fienus, Casp. Bartholin.* (*Tr. de Cauteriis.*) *Marc. Aurel. Severin.* (*in Pyrot. Chirurg.*). *Petro Poterio* inter tormenta hanc operationem reponenti (*Cent. 1. obs. & cur. 25. p. 47.*) nil præter illud *Prudentii nostri* repono (*c. l. v. 513.*)

Non est amarum quo reformatur salus.

Et hæc stigmata propriè dicta Medicis, *de quibus Aëtius* (*l. 8. c. 11.*). *Scribon. Lang.* (*de Comp. Med. c. 231.*) ubi quidem non contradico Magno *Th. Reinesio* (*l. 3. Var. Lect. c. 9. p. 483.*) qui στίζειν unde stigmata, præter pungendi & vulnerandi significationem etiam, signandi, pingendi, variandi & maculandi vim habere asserit. Variant hæc prout sunt Fonticuli, setacea, vulnera (de vulnere rotundo & profundo *apud Nicol. Tulpium l. 3. obs. Med. c. 50. p. 276.* historia extat) Cicatrices &c.

§. 6.

Ne sacrificatio cutem devenustare videatur, Rosarum, Cordis aut alias figuras cuti infligere Artis filii (tales namque haberi amant desiderantque) Balneatores consueverunt. Id verò quod *Reiner. Solenander* (*Consil. Med. 15. s. 5. p. 487.*) monet, annotasse è re Chirurgorum erit. Sæpius animadvertitur, *scribit*, ut in carnosioribus venæ lateant, frustrenturque Chirurgi laborem. In tali casu si semel pertusa sit vena, vulnusculumque coaluerit abrasa crusta pulveris illius fuliginis, quem vulgò Kyroit (*Kinrous.*) nominant, infricetur. Si remanet litura cœrulea in loco, in quo divisa fuit, quæ nunquam evanescit. Et hunc modum in Livonia à Chirurgis passim observari addidit.

§. 7.

Quid in fœtu uteri ergastulis adhuc clauso moliatur imaginatio Prothei inde

inde filia *Athanaſ. Kirchero* (*Tripl. Regn. Magnet. ſ. 1. c. 3. p. 23.*) nuncupata, neminem latet. Ingredi olim hoc Naturæ ſanctuarium (*Diſcurſ. Inaugur. de Nutrit. & Morb. Inf. Art. 2.*) animo decreveram, ſed temporis & chartarum penuria coactus in ipſo ſubſiſtebam veſtibulo, commodiori id occaſioni (*Theor. Morbor. Embryon. iu utero*) *favente divina gratia* illud reſervaturus. *Epimenidis* defuncti corium ſeu cutem longo tempore poſt (mortem) literis diſtinctam tradidit *Suidas (in Hiſtor. Tit. Epimenides col. m. 319.)* Inde Epimenidem Cutis, Ἐπιμενίδου δέρμα res arcanas exprimit. De re repoſita miraculique loco ſervata interpretatur *Eraſmus (in Athag. p. m. 456.)* literatæque cutis non meminit. Sed hæc fabuloſa fortè, ut alia *de Epimenide*, aut Magica. Hujus loco ſit miranda illa *Georgii Stengelii* (*l. de Monſtr. c. 5. §. 11. p. 182.*) relatio : Puer nobilis familiæ, *refert*, Buntruti omnibus ſæpius Spectandum dedit ex utero ſecum natum paternum nomen poſt aures expreſſum, quod acceperat hoc modo : Mater illius ante Conjugium ita Sponſa Sponſium efflictim amabat, ut quicquid manu arriperet, in eo ſtatim Sponſi nomen inſcriberet. Prægnans poſtea fortè perterrita aurem fricuit, quo contactu id nomen, quod animo intuebatur fœtui eleganter impreſſit. De *Cunigunda de Doerſtad* ex veteri membrana *Noſter Chr. Fr. Paulini* (*Schol. ad Alex. de Inſula Breviar. Rer. memorab. obſ. 47. M. C. D. 2. A. 4. p. 210.*) JESU crucifixi ſemper memor, adeò, ut etiam imaginem Ejus in utero adhuc concluſo impreſſerit infanti. Imaginem Crucifixi in utero etiam infanti impreſſiſſe devotiſſimam mulierem, A. 1188. *citatus Alex. de Inſula* (*c. l. p. 209.*) retulit. De *Joh. Friderico Saxoniæ Electore* auream in dorſo crucem à nativitate geſtante *Vid. Abrah. Bucholzer.* (*Chronol.*) De *Guſtavo*, *Rege Sueciæ* galeato nato cum rubra in pectore Cruce (*Monatl. Unterred. Menſ. April. 1694. p. 279.*). De Erucula inſignita puella, *Vid. Rietlin.* (*Itin. Med. p. 31.*)

§. 8.

In morbis quibusdam quot maculis corpus defœdatur ? De Cutis vitiis commemorabo nihil, nec de variolis, aut morbillis quid addam. Memorabilis planè eſt illa, de undecim annorum puella *Eberhardi Gockelii Noſtri* (*obſ. Med. Dec. 4. obſ. 7. p. 713.*) hiſtoria, quæ poſt tenſionem in ambobus temporibus convulſivam & ſpasmodicam cum dolore pungitivo variis in partibus variis crucibus notata. In Paraxiſmo Epileptico maculæ effloruerunt puero, ubi & hoc ſingulare, quod ſanguis venæſectione emiſſus exhibuerit in ſuperficie maculas ejusdem coloris, quod *Amicus & Collega olim Noſter*

 B. D.

B. D. Ehrenfried. Hagedorn. (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 144. p. 345.*) literis consignavit.

§. 9.

Ipsam Tibi sistam mortalitatem, ut quidem *Cypriano* (*l. de mortalitate*) pestem vocare placuit, nec solam sed vibicum & Exanthematum stipatam satellitio. Vibices mihi non sunt Carbunculi, ut quidem vulgò confundi solent, sed vibex pestilentialis *Nobilissimo Dn. Joh. Dan. Majori Collegæ quondam suavissimo & post fata colendissimo.* Est macula quædam longa purpurea instar vestigii ex flagellatione prævia relicti, pestem flagellum Numinis esse oppidò declarans. Historiam si amas, solertia *laudati Dn. D. Majoris* eandem Tibi (*part. 1. Dub. de Chirurg. infus. Dub. 14. §. 3. p. 259.*) communicabit. Maculas his jungo parvas rotundas in Cute, ob venas parvas in superficie cutis ruptas, ut *Stephan. Atheniensis* (*Comment. in 1. prognost. t. 5.*) voluit, qui tales ægros *ab Hippocrate* βλητοὺς, id est, percussos s. castigatos (*1. de Acut. tr. 35.*) vocari asseruit, cujus rationem se ignorare fatetur *Hieron. Mercurial.* (*l. de Peste c. 18. p. 53.*), de quo problemate *mox* (§. *32.*) pluribus. Huic qui in peste pleuresi laborarat cadavere vix refrigerato totum dextrum latus nigerrimo colore instar carbonis infectum, vidit *Isbrand. à Diemerbroeck* (*l. 4. de Pest. Noviomag. c. 38. p. 357.*) In peste extincto animadverterunt in Cadavere multa Exanthemata nigra erupisse, vera pestis indicia notat *Idem* (*c. l. hist. 5. p. 232.*). Exanthemata bubonum loco erumpere, deprehendit *Laurent. Giselerus* (*de Pest. Brunsuic. obs. 12. add. obs. 55.*), ut non sine Causa dictitet *Laudatus Diemerbroeck* (*c. l. hist. 27. p. 248.*): pestis indicia demum post mortem apparere.

§. 10.

In febre maligna à petechiis, petechiali dicta, nemo nisi Tiresia cœcior, hunc macularum proventum uberrimum non oculis usurpavit, ut ita multorum morborum genium in cute depictum curiosus legere queat. Vibices etiam vocavit *Philipp. Hechsteter.* (*Decad. 1. obs. med. c. 5. p. 22.*), quos tamen paulò ante maculas pulicares nuncuparat. Morsus namque pulicum magnitudine æquant, inde morsus malignitatis, nec non mortis appositè eas salutat (*c. l. p. 16.*) *Die Toden-Flecken, Paulus à Sorbait* (*de Pest. Vien.*). Ut verò exactè à pulicum morsibus distinguerentur, observavit *Dan. Sennertus* (*l. 4. de Febr. c. 11. p. 1006.*) & *Ludovic. ab Hornig.* (*Würg-Engel. qu. 179. p. 245.*): In morsibus pulicum in medio punctum quoddam, morsus vestigium, quod compressione non delitescit, etiam reliquo rubore circum quaque evanescente;

ſcente; Petechiæ verò ſi digito comprimantur, evaneſcunt quidem, ſed redeunt, & nullum puncturæ veſtigium in medio conſpicitur. Subjungendum huic *Petri à Caſtro (de Febr. malign. ſ. 3. aph. 31. p. 52.)* experimentum: Farina, *ſcribit*, Lupinorum aceto aut oxymelite ſubacta illitaque ſtatim pulicum puncturas delet; non ſic peſtilentes peticulas, quæ, ut à principio interno emanantes, radicitus inhærent, nec cedunt experimento.

§. II.

Sepoſitis reliquis infame ſeculi noſtri flagellum, planiſſimumque illud καθ᾽ ἐξοχὴν Medicorum Scandalum, ſcorbutum, intueri non pigebit. Proh!

Monſtrum horrendum, informe, ingens!

Quid Monſtrum? dicere oportebat belluam truculentisſimam, nulli parcentem, nec ſexui, nec ætati, nec viſceri, nec parti.

- Hac naſcente putem ſimul omnia diras
Eumenidas cecinisſe fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro (dira omnia) ab imo
Excivisſe lacus, ſtygiaque à ſede laborem
Peſtemque horribilemque famem, bellumque, necemque.

Ut huc illud *Hieron. Fracaſtorii (in Syphylide v.)* accommodem. Ne beſtia ipſi cederet peſti, inter ſtigmatias (de quibus *Vid. Ludov. Cæl. Rhodigin. l. 7. Lect. antiqu. c. 31. col. 381.)* ſibi locum eſſe voluit. Colores Cutium cœruleos reddere, jam ſuo tempore *Ol. Magnus (l. 16. Epit. Hiſt. Septentr. c. 3. f. 130. b.) ſcripſit.* Effloreſcunt namque ſcorbuticis, commentatur *Hieron. Reuſnerus (de Scorbut. Exerc. 5. p. 292.)* crurum lituræ & maculæ, ſanguinis leviter diluti faciem repræſentantes, ſimiles lentiginibus à morſu pulicum ſuperſtitibus, majores tamen, quæ licet creberrimè in Crurum propylæo hoſpitentur, interdum tamen etiam non ſolum femorum gurguſtium, ſed univerſi quoque corporis exedram occupant. Dixit quædam *Reuſner.* quæ ſi cum ſubſequentibus componere non graveris, ferè nihil dixiſſe videbitur. Majores utique pulicum morſibus ſcorbuticis contingere Stigmata, experientia magiſtra *cum Thom. Williſio (tr. de Scorbuto c. 3. §. 10. p. 258.)* didici. Obſervavit *ille* nummi denarii, non rarò etiam ſolidi aream exæquare, interdum, *addit*, cutis ad magnitudinem manus aut ſupra, in parte quadam ſugillari videtur. Veriſſimè hæc *Williſius.* Alios ut taceam ante hos triginta annos in Lanione crura cum pedibus nigerrimo Colore deturpata deprehendi. Juraſſes jovem lapidem, morbi inſcius, à fuſtigatione ſugillata, ſenſus interim ſummopere

 obtun-

obtundebat ſalvo manente motu. Idem animadverti annno 1674. in juvene viginti annorum, de quo tutò pronunciare potuiſſes:

Nec facit officium pesque manusque ſuum,

feliciter reſtituto, ut qui curru huc translatus fuerat, pedes iter ſuum remetiri potuerit. In Sphacelum Spurias has lituras & picturas aliquando tranſiiſſe *Excell. D. Val. Andr. Mollenbroc.* (*de Varis c. 3. n. 22. p. 37.*) *confirmat.* Varia præterea exanthemata extumentia annotavit *Phil. Salmuth.* (*Cent. 3. obſ. 60. p. 141.*) *cum Th. Williſio* (*c. l. p. 259.*). Queis & meas jungerem obſervationes, niſi alia dicenda ſupereſſent.

§. 12.

In morituris etiam maculæ effloreſcunt, unde tritum: *Er hat ſchon Toden-Mähler* (*Phil. Hechſteter. c. l. p. 35. Joh. Tilemann. in Aph. Hipp. p. 237. & Matth. Tiling. tr. de Febr. Petech. ſ. 1. c. 4. p. 51.*) & has à capreolarum maculis, cum quibus conveniunt, noſtros *die Rehe flecken* vocare, autor eſt *Andr. Rivin.* (*in Caſſ. problem. p. 75.*), quo nomine & eas *Felix Platerus* (*T. 2. Prax. c. 2. p. 19.*) mactavit, in peſte maculam mortis Belgæ, *teſtante Isbr. à Diemerbroeck* (*l. 4. de Peſt. Hiſt. 41. p. 260.*). *De Valentiniano Imperatore Ammian. Marcellin.* (*l. 30. c. 9. p. m. 515.*): Jam ſuperatus liventibusque maculis interfuſus animam diu colluctatam efflavit. De aliis *Dn. D. Sim. Schultz* (*M. C. D. 1. A. 4. obſ. 121. p. 131.*). Has poſt obitum aliquando diſparere *Hagedorn. Noſter Exemplo* ſingulari (*Cent. 3. Hiſt. Med. Phyſ. 43. p. 340.*) prodidit: Aſtris mortis ſecundum Necromantiam ſignari hominem, *Theophr. Paracelſ. T. 1. Op. l. 9. de Reb. Natur. p. 921.*) philoſophatur. Cæterum has nunquam critice contingere, ſed ſymptomatice, recte auguratur *P. Foreſt.* (*l. 6. obſ. Med. 12. p. 169.*), cum nulla hactenus fuerit macularum occaſione ſecuta criſis, nec etiam tam modica eductio tantæ moli ſufficeret, ut criſis ſequatur. Sugillationem ante mortem ſine ulla vi externa in pueris ſubortam delineavit *Vit. Rietlin.* (*A. 2. lin. Med. Menſ. Dec. n. 31. p. 646.*)

§. 13.

Hæ maculæ, cicatrices, vibices, exanthemata & ſtigmata ſi in mortuis adhuc ſe viſui objiciant noſtro, nemo mirabitur; hoc verò inter ſingularia merito refertur, quod in cadavera hujusmodi ſtigmatibus adhuc fati ferociat ſævitia. *Nicolai Filio ap. Hipp.* (*l. 7. Epidem. Hiſt. 100. in editione Foëſiana p. 332. juxta Franc. Valleſ. l. 5. Hiſt. 85. col. 521.*) alvus ſ. venter ante mortem intumuit & mortuo poſteriora facta ſunt rubra. Hoc ſignum (*addit in Comment. col. 523. Valeſ.*) fieri ſolet in multis recens mortuis & nonnullis etiam moribundis, velut in

iis

iis, qui venenum acceperunt, aut internis iisque malignis inflammationibus erant affecti, aut malignos aliquos ſuccos collegerant. De puero febre maligna extincto, cui ſecundo demum poſt mortem die in facie & corpore macula rubicundis pulicum morſibus ſimiles proruperunt *Ido & Joh. Chriſt. Wolfii* (*l. 2. obſ. Chirurg. Med. 29. p. 235.*). De febre peſtilentiali extinctis *Petrus Salius Diverſ.* (*tr. de Febr. Peſtil. c. 19. p. 118.*): Maculæ (in febri peſtilenti) aliquando non vivo ſed mortuo ſuperveniunt. Quam primum enim extincti ſunt nonnulli, ſtatim eorum commaculantur corpora, perindeque apparent, ac ſi flagellis acerrimis percuſſa fuiſſent. Aliis autem apparent livores maximi, aliis autem minimæ ſuperveniunt maculæ, morſibus pulicum ſimillimæ. Et hæ maculæ omnes ſunt variæ & diverſæ colore inter ſe, & non tantum aliquæ corporis partes commaculantur, ſed etiam aliquando totum corpus uno eodemque colore inficitur, ut ego ſemel in quodam vidi ægrotante, qui cum violentia febris peſtiferæ extinctus fuerat, poſt mortem adeo in toto corpore infectus eſt, ut ſucco pomi totus infuſus videretur. *Hæc Salius.* Ita maculas, quas purpuras vocant, in peſte aliquando non niſi poſt mortem in conſpectum venire, *Ambroſ. Pareus* (*l. 21. Chirurg. c. 18. p. 475.*) & *Isbr. à Diemerbroeck.* (*ſupra* §. *9. allegatus*) retulerunt. Papulas vocat *Laurent. Joubert.* (*Tr. de Peſte c. 4. p. m. 308.*), hasque peſte ſublati certiſſimum ſignum ebuccinat. Maculas diverſi coloris poſt mortem erumpere, *Dan. Sennert.* (*l. 4. de Febr. c. 4. p. 419.*) annotavit, & multi Medici obſervarunt, febre peſtilenti interemptos infici poſt mortem maculis, *Anton. Santorell.* (*Poſt-Prax. Med. c. 10. p. 55.*) promulgavit. De maculis & vibicibus peſtilentialibus poſt mortem *Petr. Foreſt.* (*l. 5. obſ. Med. 37. p. 190.*). *Alex. Maſſarias* (*de Peſte tr. 1. p. 44.*). *Steph. Rod. Caſtrenſ.* (*l. 3. de Meteor. Microcoſm. c. 7. p. 111.*). *J. B. Siton.* (*Iatroſoph. Miſcell. tr. 1. p. 2. & 3.*). *Paulus de Sorbaith.* (*de Peſt. Vienn. qu. 49.*). *Textor refert, diſcurrit Hieron. Reuſner.* (*de Scorb. Exerc. 6. p. 416.*): Cadavera peſte ſublatorum ſi aceto ferventi abluantur, papulas, ſi quæ retroceſſiſſent, denuo emittere & certius facere peſtis indicium. Quod in aliis quoque ſonticis morbis, *addit*, experientia aſtipulatur. Quid ſi aceti acredo & ferviditas has maculas pingeret? Bubones etiam erumpere *Mannagetta* (*p. 3. Peſt-Ordnung c. 7. p. 125.*) expertus. Tumores (ſine dubio bubones innuit) mortuis ſuboriri, qui in viventibus delituerint, ut in plerisque Lugduni hodie fieri narrant certiores mihi (de Peſte) præbet conjecturam, *Laur. Joubert.* (*c. l. c. 8. p. 283.*) pronunciat. Petechias poſt mortem demum comparentes *Vit. Rietlin.* (*c. l. n. 14. p. 611.*) imitatur fere hoc genus morbi *illum Cyrenæorum Tyrannum Nicocratem*, qui, *teſte Plutarcho* (*l. de Clar. Mulier. c. 19. f. m.*

175. b.) post multa crudeliter & nefarie perpetrata portis quoque custodes apposuit, qui mortuos dum efferrerentur gladiolis confoderent, & cauteriis admotis stigmatibus compungerent, ne quis per fraudem vivus elaberetur.

§. 14.

De Peste Parmensi, quæ Anno 1468. grassabatur, ista *Roland. Capellut. (tr. de Cur. Pest. p. 7.)* reliquit: Alii peste moriebantur, quorum corpora denigrata erant; Alii solum Renes habebant denigratos. Alii moriebantur, quorum corpora tota mutata erant. Alii solum coxas & pectus mutatum habebant. Alii erant, quorum corpora à proprio colore mortuorum non mutabantur, sed post aures vel juxta oculum dextrum vel sinistrum nigredinem quandam ad lentis similitudinem habebant. Alii etiam erant, qui in corporibus vesicam quandam ad similitudinem glandis, quæ lardo plena esse videbatur. In Peste Lotharingiam Anno 1089. infestante cadavera *Sigeberto in (Chronic. f. 101. b.) & Joh. Trithemio (in Chronic. Hirsaug.)* referentibus carbonum ad instar nigricabant, quod & in illo igne sacro, quo nomine pestem signare videtur 1109. *à Sigeberto (c. l. f. 108. a.) & Alb. Kranzio (l. 5. Saxon. c. 15.)* recensitum. Post mortem conjugis *Henric. Cornel. Agrippæ* pestilentia sese per universum corpus magnis maculis effundebat, cujus rei ipse testis est *(l. 5. Epist. 81. p. 948.)*

§. 15.

Quærunt *Autores Animadversionum in Boeckeli Pest-Ordnung (part. 2. c. 2.). Was für Anzeigungen bey den Todten zu finden, daraus man schliessen könne, daß derselbe an der Seuche der Pest Todes verblichen?* Et respondet: *Es ist zwar nicht ohne, daß zuweilen ein jedweder erkennen kan, wann nehmlich, nachdeme iemand eilends Todes verblichen, fahren an seinem Leibe schwartze Flecken aus, Feur-Blasen und dergleichen Zeichen, bisweilen aber ist derer keines an den Todten zu sehen, besondern der Leib ohne einige andere Gestaltnüsse. Derenthalben man auff andere Zeichen Acht haben muß. Und wird zwar dafür gehalten, wann bey denen Verstorbenen die Spitzen der Nasen hänget, und schwärtzlich ist, auch pinnarium blau und schwärtzlich angelauffen, über deme des Toden gantzer Leib ohngewöhnlich weich ist, daß nichts gutes zu præsumiren sey. Schwartze und blaue Flecken, oder was Farbe sie auch immer haben mögen, ob sie gleich auch zu andern Zeiten sich haben sehen lassen, dennoch geben sie in Pest-Zeit nicht wenig Verdacht, bevor da sie nicht Zircul-rund seyn. Hæc illi.* Livorem faciei ac tumorem cruoris per os & nares rejectationem, citam corporis putrefactionem, istis signis etiam accensuit *Paul. Zacchias (Tom. 3. Consil. 27. n. 4. p. 51.)*

§. 16.

In omnibus violenta morte extinctis (nisi decollati fuerint) quos quidem aperire aut occasio tulit, aut officii ratio flagitavit, dorsum partim rubris, partim cœruleis vibicibus conspicuum offendi. Idem in aqua suffocatis contingere non semel compertum. In *prolixæ spei juvene Christiano Sigelio, affine charissimo*, cui Equus excussor fatum accelerarat Ephelides altero post obitum die comparebant, hieme quamvis, quo alias disparent, fato cederet. In à variis inflictis vulneribus mortuo totum caput, facies, brachia & venter in tantum intumuerant, imprimis scrotum in magnitudinem capitis elevabatur, ut cadaver horridum aspectu omninò appareret. Quin etiam prædictæ partes omnes adeò flavescebant, ac si Croco omnimodò infecta essent. Ita *Emanuel Urstisius* (*ap. Guilh. Fabric. Hildan. Cent. 2. obs. Chirurg. 15. p. 103.*)

§. 17.

Venena assumta quomodo corporis habitum mutent, *supra* (*l. 1. Tit. 4. §. 32. & Tit. 8. §. 7. & 8.*) tribus tetigi: Illa verò iterum mentem subeunt, quando cadavera vi venenata peremta hospitis ingrati variis subinde maculis & lituris plusquam viperinam produnt truculentiam. Videmus inde variis coloribus veneficio extinctorum cutim aspergi, *scribit Phil. Hechsteter.* (*c. l. p. 31.*). Livescit eorum facies, lingua labraque corporis extrema, imprimis ungues nigricant, *addit Hieron. Cardan. in Art. Curand. Parv. p. 239.*) non solum ungues livere, sed & cum capillis & barba leviter attractos decidere. Vibices autem dorsi, *subdit*, veneno, pesti & abscessibus magnis communes sunt, quos etiam in peste Viennensi mortuis observavit *Paul. à Sorbait* (*de Pest. Vienn. qu. 49.*). Livores, ut ad Venena redeam, in *Germanici* cadavere, veneni signum *à Suetonio* (*in Vit. Caligul. c. 1. p. m. 132.*) allegantur. Provocat ad hoc *Quintilian.* (*Declamat. 15.*): Veneficium si arguis, oportet ostendas putre livoribus cadaver inter efferentium manus fluens tabe corpus. Πελιδιὸν vocat istum colorem *Galen.* (*l. 6. de Loc. Aff. c. 5.*), de quo varia è *Galeno & Hippocrate Anut. Foësius* (*Oeconom. Hippocrat. p. 491.*). Hoc ipsum cum Neronem nequaquam latuisset, *scribit Dion. Cassius* (*in Vit. Ejus*), Britannici corpus gypso oblitum fuisse, ne livor è veneno appareret, pluriamque coortam gypso amoto scelus omnium oculis objecisse. De quo *Anton. Santorell.* (*Post Prax. Med. c. 10. p. 55.*). Quo loco non possum non inserere, cujusdam demortui faciem gypso oblitam, à Gypsoplaste, ablato gypso statim intumuisse, liventem & tandem denigratam, ut cadaver efferendum vix in conspectum præsentium exponi potuisset. Funestum cadaveris livorem *Excell. Dn. D. Gottfried Welschius, olim in alma Philurea Præceptor & Pro-*

Promotor colendus (*Rational. Vulner. Lethal. Judic. c. 17. p. 193.*) & maculas, circa præcordia imprimis, & in reliquo corpore plurimas; nunc majores, nunc minores coloris modo lividi, modo nigricantis, modo ex rubro flavescentis, uno verbo varii, prout scilicet veneni & ab eo inductæ corruptionis fert qualitas & conditio. In Melancholico hypochondriaco non sine veneni suspicione extincto sinistrum latus lividum, dextræque manus digitos impensè liventes nigricantesque reperit *J. P. Lotichius* (*l. 4. obs. Med. c. 4. obs. 3. p. 348.*). Totius corporis denigrationem & apostemationem assumtum Napellum insequi *Paul. Zacchias* (*l. 2. Tit. 2. qu. Med. Legal. 6. n. 11. p. 216.*) innuit. Extremorum à colore livido cœruleoque contaminationem venenis competere potissimum, *astruxit Adr. Spigelius* (*l. 8. de Corp. Human. Fabr. c. 1. p. 224.*), cui *adde Johann. Matth. Fabrum* (*Strychnoman. p. 10. & 84.*). Præputium & maximam pudendi partem obscure rubram in philtrato se deprehendisse, *meminit Valent. Andr. Mollenbrocc.* (*ap. Casp. Theophil. Bierling. Cent. 1. Adv. Curios. obs. 11. p. 29.*). Ab assumto Arsenico pudenda nigra prorsus, *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. 10. p. 7.*)

§. 18.

Cum verò cadaveris nigredo non semper absorptum venenum indicet, ut *rectè Vit. Rietlin.* (*A. 5. lin. Med. Mens. Jun. n. 4. p. 559.*) demonstrare satagit, signa hujusmodi attendentes non sine mentis attentione decreta evomant. Si antecedentia & postmodum internorum viscerum inspectio idem firment (collectivè namque signa esse sumenda, sapienter admodum *Welschius* (*c. l. p. 197.*) *monuit.*). Medici de propinato & assumto veneno suam ferre solent sententiam. Ad antecedentia (ut hæc in Tyronum gratiam addam) referendum venit, si quem suapte natura probis succis abundantem, ac sanorum in censu habitum absque brevia causa repentè esse moriturum videris. Ita *Galenus* (*l. 5. de Loc. Aff. c. 7.*). Exempli loco sit ille *ap. Dn. D. Paul. Ammannum* (*Med. Critic. Cas. 60. p. 304.*), qui sanus alioquin ab assumto Arsenico in pulte à muliere oblato in momento morbo correptus sexto Naturæ debitum exsolvebat. Si sensum tetri odoris aut saporis inter devorandum senserit æger. *Vid. Dan. Sennert.* (*l. 6. Med. Pract. p. 5. c. 3. p. 241.*). Unde *Carolus V. Cæsar* (*teste Hieron. Cardano l. c.*) dicere solebat, solum voraces venenum devorare. Quæ venenum assumtum insequuntur symptomata *ap. Practicos* fusius annotata reperias, comprimis *Hieron. Cardanum & Mercurialem, Santem Ardoinum, Ant. Guainerium, Jac. Grevinum, Ferdin. Ponzettum, & Alios*, quorum luculenti de venenis prostant commentarii. Adde si libet *Casp. Cald. de Hæred.* (*Tribunal. Mag. stat. 13. art. 6. p. 62.*)

§. 19.

§ 19.

Cadavera an aperienda, ut de veneni aſſumti certitudine ex illis decernas? Si percontèris, jam olim inventi, qui venenorum lethalium hauſtu perditos, dignoſci ab iis non poſſe, qui ab aliqua corporis affectione perierunt, ſtatuerunt. Quam ſententiam etiam amplexus, contrariam populorum opinionem è trivio ad forum delatam vocat ridetque *Joh. Prævotius (in Op. Poſthum. tr. de Nat. Venenor. p. 784.)*. Hujus verò rationes, ut noſtram de ponte deturbent, tanto robore non pollent. Maximum hujus opinionis fundamentum verſatur in illa theſi, quod venena in corpore generari poſſint, ſed hoc hactenus, ut quidem omnibus ferè perſuaſum, ſufficienter probatum haud quaquam eſt. *Conf. quos citat Caſp. à Rejes (Camp. Elyſ. jucund. quæſt. 64. n. 7. p. 847.)*. Et ſi admittendum, cum grano ſalis & non ſine diſtinctione admittendum. Deinde inter venena mineralia, vegetabilia, & animalia probè diſtinguendum. Horum quædam habitu, fumis, vaporibus enecant, quædam morſu & ictu, ſubſtantia aſſumta quædam. Paucis quædam ſunt fixa, volatilia alia. Quædam nata, præparata quædam. Quædam certæ parti, quædam toti adverſa. Quædam morbis mortem lentam, quædam inopinatò, deleteria vi, violentam inferunt.

§. 20.

Circa aſſumta comprimis mineralia ſollicitis maxime & ſtatim quidem poſt obitum ad Anatomen recurrendum. Præter præfata namque ſigna externa in ventriculo aliquando minerale aſſumtum adhuc offendimus, præcipuè ſi non ante aſſumtionem in alichol redactum fuerit, aut etiam in magna copia abſorptum. Ita in ancilla, quæ Recrementum metallicum, Cadmiam nativam, ſ. Cobattum vulgò *Mukken- aut Fliegen-Pulver*, quibus enecandis dicatum craſſo modo contuſum veſperi ſumſerat, circa matutam autem poſt varias anxietates præcordiales & vomitus ſanguinis enormes invitum excuſſit Spiritum, aſſumtam Cadmiam ventriculi plicis impactam demonſtravi, eroſamque interiorem ventriculi tunicam, vaſaque eroſa & aperta. Inteſtinis & cum proximis viſceribus nihil calamitatis iſtiusmodi malum inflixerat. Forſan quod continuo vomitu exercitus ventriculus clauſo pyloro inferiore viam veneno intercluſerat.

§. 21.

In ventriculo inſuper ſaburra corruptorum humorum, variegati coloris aut à venenis tinctorum, nigerrimam aliquando vidi, ventriculumque quaſi fuligine aut atramento in partibus interioribus ſeu parietibus aſperſum. *Adde*

Godof. Welſchium (c. l. p. 203.) Eſt & his ſtomachus eſcharoticus & excoriatus *(Cardan. c. l. p. 239.)* eroſus, exeſus, & putridus, *(Petr. Pawius obſ. anat. 12. p. 24.)* aliquando etiam ad inteſtina malum tranſit. *(D. Andr. Möller. Annal. Freiberg. p. 283.)* Quocirca multa è venenorum claſſe, non tam quatenus venena, quam quatenus corroſiva, Archeum & vitam fugando, vitale lumen extinguunt. Eminet in horum claſſe comprimis Arſenicum, (exempla habet *c. l. Möllerus*) & his Antidota minus convenienter & appropriatè opponuntur, cum potius unctuoſa & Emplaſtica expoſcant medicamenta; *(Thom. Bartholin. tr. de Unicorn. c. 29. p. 286.)* & ex hoc *Anton. Deuſing. vindic. unicorn. p. 239.)*, nec immeritò multum ſpei in pinguia repoſuit *Jacob. Primeroſ. (l. 1. de Vulg. Error. c. 6. p. 15.)*. Jecur nigritie ſqualere, ſed ſine abſceſſu, iterum *Hier. Cardanus (c. l.)* addidit. Quæ de ſanguinis grumoſa in & circa Cor collectione & ſtagnatione, obſervarunt *Alii*, paucis libat *P. Foreſtus (l. 30. obſ. med. 1. p. 4.)*

§. 22.

Id autem nulli mirum videbitur à veneno Oeſophagum, ventriculum, & Inteſtina maculas exulcerationem & Sphacelum incurrere, quin & perſonari, ut eſt *ap. Th. Bartholin. (Cent. 2. hiſt. 18. p. 202.)* cum ipſis vaſculis terreis, in quibus latuit, antequam propinaretur malitiam & ſcelus affricet. Porcellanis virtutem aſſignat *Guid. Panciroll. (in nov. repert. Tit. 2. p. m. 68.)* add. *(Comment. in h. l. p. 75.) Henric. Salmuthi*, quod nullum admittant venenum, ſed eo immiſſo ilico rumpantur. Inde *Muſarum Germanicarum Apollo, Mart. Opitius (l. 1. Sylv. poët. p. 43.)*

Willt du uns Gifft beybringen,
Die Porzellane wird uns in der Hand zuſpringen,
Und ſagen was du thuſt.

Maculas igitur hujusmodi vaſis, ut ventriculo Eſcharas imprimere compertum ſcribunt. *Baldus Angelus Abbatius (l. de Mirab. Vip. Natur. c. 31. p. 166.)* ſuffragatur, ipſa vaſa, in quibus venena manſerunt, ex colore non ſecus, quam vaſa facta ſono, ac homines voce dignoſci. Vaſa namque aut colore nigro, aut livido afficiuntur, maximè ſi metallica fuerint. Inde *Plinius (l. 30. c. 16.)* ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam, quæ non proderetur à veneno ſtygis aquæ, cum id dandum *Alexandro M. Antipater* mitteret, memoria dignum eſt: magna *Ariſtotelis* infamia excogitatum.

§. 23.

Parum certitudinis ſigna modo *(§. 21.)* allata alere, *Fortunatus Fidelis (l.*

4.

4. de Relat. Med. c.3. p.550.) P. Zacchias (l. 2. quæst. med. legal. Tit. 2. qu. 7. n. 34. p. 220.) cum Aliis persuadere conatur, eò quod tale venenum in nobis aut generari possit, aut etiam ab aliis assumtis talia partibus primæ & secundæ coctionis dicatis infigi stigmata. In quam etiam sententiam propendet *Caspar. Cald. de Hæred. (c. l. Stat. 20. Artic. 1. p. 58.)*

§. 24.

Non diffiteor ab aliis salsacidis assumtis ventriculi interioris tunicam posse erodi. A continua Spiritus vitrioli usu id observavit (*in Epist. Chym.*) *Joh. Francus*, ita etiam ut quasi igne exesus appareret, ut habet *Domin. Panaroll.* (*Pentecost. 1. obs. 20. p. 12.*). Quod etiam de Magisterii (forsan non ritè edulcorati) usu venditavit *Joh. Crato* (*ap. Laur. Scholz. Epist. Med. 163. col. 275.*). Ita à multiplici Mercurii vitæ assumtione interior ventriculi tunica ita cœpit corrodi, ut quasi in lacera veste plurima penderent frustra nigricantia, prout *Joh. Rudolph. Salzmann.* (*obs. anat. p. 60.*) id se vidisse profitetur.

§. 25.

In febribus ardentibus, *teste Th. Bartholino* (*Cent. 3. hist. 92. p. 185.*) & in peste ventriculum inveniri escharoticum, cum si *J. B. Helmontio* (*Tr. Tumulus Pestis qu. 891.*) pestis formetur circa Stomachi & Lienis ditionem, lienisque emunctorium sit propè os Stomachi, adeoque scopus illius Sagittarii. Nec fidem inde *Bartholin.* (*Cent. Epist. Med. 42. p. 156.*) Helmontio derogare audet, dum sedem malignarum febrium ventriculum allegat. Observatus enim est, *addit*, in his ventriculis cum intestinis inflammatus. Unde ingens illa sitis, vomitus, faucium ardor, & alia apparentia oriuntur. Exempla demum subjungit *ex Andr. Spigelio* (*l. 1. de Semitert. c. 16. p.*) *Dom. Panarolo* (*Pentec. 4. obs. 8. p. 115.*) *Isbrand. à Diemerbroeck* (*l. 4. de Pest. Hist. 15.*), in quibus post mortem ventriculus escharoticus & adustus deprehensus. Imò omnia viscera nigricantia & Sphacelata, quin & ipse Ventriculus putridus, ut sine ruptura & læsione digitis attractari nequiverit, quocunque enim digitorum attractu disrumpebatur, cavitas relinquebatur manifesta. (*Th. Bartholin. Cent. 3. hist. 68. p. 137.*) Non dicam in Epileptica ventriculum in sinistra parte nigricantem, & quasi putrefactum viridi humore refertum offendisse *Joh. Dan. Horstium*, quamvis & hæc malignæ febris Symptomata fuisse existimet *Laudatus Th. Bartholin.* (*C. 3. hist. 80. p. 160. 161.*). In *Palatini Electoris Friderici III.* corpore febre & œdemate pedum extincto, interiorem Venrriculi tunicam circa stomachum versus dorsum subnigricantem invenit *Henric. Smetius* (*l. 10. Miscell. p. 537.*)

§. 26.

Dico interim, salvo aliorum judicio, si homo (α.) sanus, (β.) morbis malignis aut peste non grassantibus, (γ.) nulla ante vexatus febri, (δ.) ab assumtione hujus vel illius cibi & potus, (ε.) subito ex optimo in pessimum deturbetur statum, morbumque vehementem, (η.) nulla intervalla admittentem, Symptomatibus (θ.) intoxicatis aliàs consuetis concomitatum incidat, & sibi (ι) quod quidam addunt (inde sitis carentia maximum argumentum ægrum venenum non bibisse *Cardano tr. 5. l. 2. Contradict. 10.* quod etiam *P. Zacchias T. 3. Consil. 16. n. 7. p. 23. allegat* & distinctionem superaddit) nimia tentetur, post mortem subitaneam autem (κ.) lituris (*§. 15. allegatis*) in externis partibus, in internis autem sive visceribus (λ.) stigmatibus (*§. 19. notatis*) defœdatus deprehendatur, nullusque ex astantibus (μ.) ob cum ægro habitam consuetudinem in eundem morbum, iisdem stipatum symptomatibus prolabatur, illum pro eo, qui à veneno externo f. assumto periit, habendum esse. Vid. *P. Zacchias (citat. locis)*. A veneno *Henrico Stuarto Scotorum Regi*, ut *Jacobus Abremethius magno usu medendi præditus* colligebat, liventes pustulæ tanto cum dolore & totius corporis vexatione eruperunt, ut exigua spe vitæ spiritum duceret *Georg. Buchanan. (l. 18. Rer. Scotic. p. 656.) perhibet.* Portionem materiæ vomitu rejectam gallinis alii objiciunt, sed fallit hæc probatio, ob rationes *ab Eodem Zacchia (c. l. qu. 8. n. 23. p. 223.)* adductas. Quod si portio assumtorum reliqua in promtu adhuc sit, utique cum humore in ventriculi capacitate fluctuante poterit conferri, quin imò si in ventriculo contenta & viscerum læsiones examinentur accuratius ex impresso charactere veneni species aliquando elici poterit. Ut adeò & hic suam commodet operam veritati eruendæ laudabiliter Anatome.

§. 27.

Dixi hactenus de venenis ore assumtis, jam de venenis, quæ halitu inspirantur, verba adhuc pauca facienda. Inter hæc potiorem paginam faciunt halitus metallici. Est etiam, *inquit, Georgius Agricola (l. 6. de re Metall. p. 173.)* ubi ratio cum Orco habetur. Nam quidam loci metallici, licet rari sint, suaque spontè virus gignunt, pestilentemque auram exhalant. Eadem *Athan. Kircherus (l. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 2. c. 5. p. 62.)*. Chinenses idcircò Metallorum venas aperire reformidant, imò prohibent, ne vapores venenati inde emergentes sanitati incommodent. *(Adam. Olear. in not. ad l. 2. Itinerar. Mandelsloh c. 8. p. 138.)*. Experimentum hujus periculi faciunt tale: Si dimissa ardens lucerna in cuniculos confestim extinguatur, quamvis etiam aër condensatus, metallicis tamen vaporibus minime infectus, aut aër in cellis vaporibus vini aut cerevisiæ saturatus & infarctus idem, *teste Rob. Boyleo (de vi*

Aër.

Aër. elast. Experim. 41. p. 312.) & experientia præstet. Nec mirum, *subjicit Helmont. (Tr. Tumulus Pestis p. 862.)* si præter vires etiam præfocent lumen vitale, si lumen igneum candelæ extinguant. Causa videtur *Malach. Thrustoni (Diatr. de Respir. Us. Primar. s. 19. p. 79.)*, quod vapor teterrimus ore haustus atque pulmonibus exceptus per transeunti sanguini quasi manus injiciat, cursum inhibeat, ejusque molem cogat, coërceat, figat, inspisset, constringat. Idque minimè singulare videbitur illis, pergit, qui (*docente Illustriss. Boyleo*) norunt Argentum vivum fusi plumbi halitibus momento ferè temporis figi posse, & quidem pertinaciter. Tantis nempè viribus pollet Saturnus ille (ignavum alias uti videtur silicernium), ut ipsi Mercurio idem faciat, quod (claudus) Vulcanus Marti fecisse dicitur. In hoc modo examinatis non solum corpus turget, facies pallet, (etiam ad tempus in iis, qui evaserunt, ut mortuis similes appareant, *vid. G. Agricola c. l. p. 172.)* oculi prominent, sed etiam dorsum ubique sugillatum quasi apparet & nigricat. *Der gantze Rücken siehet wie eine braune Heidel-Beer. (Zacchar. Theobald. de Arcan. Nat. s. 22. p. 175. & ex Eo Erasm. Francisci p. 2. Lustiger Schaubühne 2. Versaml. p. 500.)*

§. 28.

Idem in cadaveribus à vaporibus subterraneis malignis & putridis enectis observatum. Sepulchri vapore suffocati tres vespillones, *narrat Fortun. Licetus (de Annul. Antiqu. c. 23.)* insignem nigredinem in cute monstrarunt.

§. 29.

In Fulmine tacto, (quamvis id perpetuum non sit *observante Plutarcho l. 4. Sympos. qu. 2. p. m. 244.* cui & mea aliqualis astipulatur experientia) collum denigratum non nihil apparuit, (*Joh. Schenck. l. 1. obs. Med. p. 84.*) ut & in alio facies & collum nigrum & lividum Oxoniæ *à Wallisio* animadversum prodiderunt *Ephemer. Eruditorum (T. 2. Ephem. 29. p. 338.)*. Partim ob adustionem, partim ob veneni affusionem, ut *concludit Adalbertus Tylkowsky (Meteorol. curios. p. 1. c. 10. §. 8. p. 36.)* quem *citat Phil. Jac. Sachsius Noster (M. C. Ann. 2. obs. 37. p. 68.)*. Cruce in pectore Stralesundi quidam superiori tempore (1670.) à fulmine, alius in dorso vibicibus notatus, quod *Novellæ Lipsienses Ritschianæ (cit. anni p. 737.)* retulerunt.

§. 30.

Fossulas variolorum ante non conspicuas in deliquiis & palpitationibus cordis observavit *J. B. Helmont. (Tr. Blasbumanum n. 26. p. 148.)*. Ego in puerpera febre purpura extincta post abdominis tumorem pustulas in corpore, comprimis in facie.

§. 31.

In Apoplexia & Epilepsia sublatis ejusmodi in dorso stigmata nemo non animadvertit. Observavit & annotavit ista *Phil. Hechsteter.(c. l. p. 31.). Johan. Dan. Horst.(ap. Th. Bartholin. Cent. 3. Hist. 80. p. 161.). Laur. Giseler.(obs. de Pest. Brunsuic. c. 19.)*. In Hydrope sublato cutis circa regionem ventriculi, umbilici inguinum, maculis atro-purpureis instar Ecchymomatum picta erat. *(citat. Horst. ap. Bartholin. c. l. Hist. 81. p. 163.)*. De uxore Fabri ferrarii aqua intercute mortua *Hippocrates Noster (s. 7. l. 4. Epid. p. 233.)*. Statim ubi decessisset totum corpus velut scuticis cæsum rubore infectum est. Nec hystericæ excludendæ. Memini, *scribit. Helmont. (tr. ignota actio regiminis n. 46. p. 271.)* me quondam strangulatas ab utero vidisse, quarum cadavera livebant, nigricantia iis partibus, quibus doluerant ante mortem. De hysterica, cui post mortem cutis per totum discolor, in hac parte livida, in ista viridis, inque alia subnigra apparebat. *Vid. Th. Willis (de Morb. Convulsiv. c. 10. p. 180.)*

§. 32.

Βλητοὶ vero qui Antiquis vocati? βλητὸν *Hesychio* esse ἀπόπληκτον à morbo καββαλικωτάτῳ ceu fulmine jactum, pulsatum, attonitum & prostratum, quem barbaries semilatinorum stuatum appellat *Th. Reinesius (l. 1. Var. Lect. c. 8. p. 28. annotavit. Conf. Just. Cortnum. (de Morb. Atton. Art. 4. c. 26. §. 4. & 5. p. 102.)* habet & quædam *Brodæus (l. 4. Miscellan. c. 23. ap. Jan. Gruter. p. 2. Thesaur. Critic. p. 543.)*. Et è *Brunnero Fred. Deckker. (in Prax. Paul. Barbette l. 4. c. 3. p. 145.)*. *Hippocrates* autem *(1. de Rat. Vict. in Morb. Acut. p. m. 55.)* quem meritò *cum Hieron. Mercuriali (tr. de Peste c. 18. p. 83.)* sequor, ex lateris inflammatione repentè stertore aut difficultate respirandi suffocatos livores ad latus habentes à veteribus βλητὰς, sideratos, vocatos asserit, (quamvis et am alibi in alio significatu id vocabulum sumat, ut testatur *Just. Cortnum, (c. l. Artic. 1, c. 3. §. 4. p. 15. sq.)*, eo quod ipsis mortuis latus lividum, plagæ non absimile deprehenditur. Exemplum de juvene nobili recensuit *(l. 3. de Met. Microcosm. c. 7. p. 111.) Stephanus Rodericus Castrensis*. Tetigit etiam hunc locum *Alex. Massarias (c. l.)* pluraque huc spectantia vide sis *apud Anut. Foësium (c. l. p. 123.)* Cur autem *Stephanus Atheniensis (Comment. Super. 1. Progn. tr. 5.)* ægros in Peste maculatos Hippocratis βλητὰς, id est, percussos seu castigatos à DEO fuerit interpretatus, rationem se ignorare fatetur *(c. l.) Mercurialis.*

§. 33.

Quandoque subitò ante mortem maculæ disparent scorbuticæ, & rursum post mortem efflorescunt, *narrat God. Smollius (tr. Trias maritima Soror. 1. p. 22.)*

22. *& Dan. Sennert.* (*l.3. Med. Pract. p.5. ſ.2. c.4. p. 576.*). Anno 1648. Lipſiæ in Studioſo quodam tales maculas per totum corpus poſt mortem uberrimè vidit erumpere in ipſo vivente adhuc non conſpicuas *Dn. D. Valent. Andr. Mollenbrocc.* (*tr. de Arthritid. vag. Scorbut. c. 3. n. 19. p.35.*). Confirmavit id ante hos dudum *Joh. Wierus* (*de Scorbut. obſerv. p. 13.*) quando ſcripſit: Morientibus ex hoc malo (Scorbuto) pleriſque deliteſcunt maculæ, aliis à morte effloreſcunt uberrimè. Colorem totius faciei in nigrum mutatum deprehendit *Dan. Sennert.* (*tr. de Scorbut. c.5. n.5. p.75.*). Habet & quædam de maculis ſcorbuticis *ex Gregor. Horſt.* (*T.2. Oper. p.378.*) *Wolffang. Hœfer. l.2. Herc. Med. c.1. p. 99.*)

§. 34.

Hier. Mercurialis, ut cauſam hujus expulſionis redderet, confugit (*l. de Macul. c. 8.*) ad reliquias expultricis in cadavere relictas: Expultricis motorem eſſe, *ait*, calorem, cujus veſtigium in cadavere ſecedens Anima reliquit, ut à ſole & igne ex loco ablatis calor aliquis relinquitur, hunc igitur relictum calorem vapores & ichores illos venenatos ad cutem propulſare, & has maculas cauſari. Addi etiam poteſt hoc, ſubjungit *cum Mercurialem allegasſet Phil. Hechſteter.* (*c. l. p.31.*), ut firmior ſit hæc opinio: Etſi poſt mortem actualis calor, influens & emphytos dictus recedat, ſymphytus tamen & commatus in miſto corpore, quale cadaver eſt, permanet, in cujus dialyſi evaporatione vaporum motio fit. Præterea etiam cum maculæ vi morbi protrudantur, dum muſculis compreſſis arteriæ ſubtiliſatum ſanguinem evomunt, & corpus calidiſſimis morbis extinctum etiam poſt mortem calidum remaneat, maximè ſudore, lucta mortis & ſtragulis adjutum, non ab expultrice Naturæ, ſed motu morbi ad cutem ferrentur. Jungit naturali putredinalem ad cutem, & extra hanc excrementa promoventem (*Tr. de Peſte c. 4. p. 308.*) *Laur. Joubertus.*

§. 35.

De reliquiis caloris in cadavere eadem conjecturatur *Gregor. Horſtius ap. Wolffgang. Hœfer.* (*Hercul. Med. p. 99.*) & calore nativo ſecedente, extinctiſque ſpiritibus, qui humoribus in corpore vivo dominantur, materiam vel malitioſam, vel putredine turgidam, & Rege ſuo deſtitutam hinc inde vagari, & qua data porta ruere, idem aſtruit. Si humores in ſangvine ſint pauci, maculas parvas rotundas fieri; ſi copioſi venæ (arteriæ) parvæ (capillares) in cute diſrumpuntur præ multitudine ſanguinis his diſruptis ſanguis ſubtus cutem firmatur, ubi maculas illas latiſſimas, ubi vibices illas, quæ & in vivis & mortuis apparent, inducunt, ita contendit (*c. l.*) *Stephanus Athenienſis.* Cauſa in magnis

Na-

Naturæ conatibus posita esse videtur *Fortunato Fideli* (*l. 4. Relat. Med. c. 1. p. 591.*) quos illa in extremis violenter & magno exercet opere. Illuc enim trudit Natura sanguinem, qui deinde Spiritu destitutus livet, & alienam speciem assumit.

§. 36.

Phil. Hechsteterus & *cum eo Matth. Tilingius* (*tr. curios. de Febr. Petech. c. 4. p. 54.*) sugillationes & maculas has paulò ante mortem & in ipso agone fieri, non autem post mortem (*c. l. p. 34.*) asseverat. Allegat autem causas, calorem partim extraneum, partim intraneum humores fundentem & moventem, & frigus succedens eosdem condensans. Frigus igitur coloris & consistentiæ, calor autem motus causa erit. (*p. 32.*) Addit his ultimum Naturæ conatum, qui non tantum ad extrema, ut eorum succurrat frigori sanguinem impetuosè propellit (cum motus cordis postrema vitæ actio sit, systole illa sanguinem in carnes & extremas arterias detrudi pronunciat *Honoratus Fabri l. 1. de Hom. Prop. 20. qu. 1. p. 241.*); sed & vasa partim aperit capillaria, ut transudet, indeque maculæ, aut rumpit, ut ad cutim stillet, unde sugillationes. *Adde*, quæ *Hechsteter. disputavit alibi.* (*Dec. 8. cas. 2. p. 195. sq.*) In eandem propendet sententiam *Laur. Giseler.* (*c. l.*) qui rationem, cur in Epilepsia extinctis maculæ compareant, redditurus infit: Ex vehementi Epilepticorum lucta, & motu convulsivo facilè aliquid tenuioris sanguinis in cutem potest protrudi, quod post mortem livescit, aut nigret calore vitali & temperantè evanidò. *Conf. Lud. ab Hornig.* (*Würg Engel qu. 180. p. 247.*) qui *alibi* (*qu. 183. p 249.*) addit: *Was die Flecken* (*in peste post mortem*) *betrifft, so kommen solche alsdann, wann facultas retentrix mit der Seel hinweg ist, und die noch im Leibe hafftende humores à calore præternaturali agitati hier und dort hin beweget werden, und wegen der Dunst zur Haut gelangen, und daselbst hangen bleiben, quæ è Dan. Sennerto* (*l. 4. de Febr. c. 6. p. 840.*) hausta, & in patrium idioma translata mihi videntur.

§. 37.

Placet autem *Hechsteteri* in causis reddendis studium & judicium, inde præsuppono (α.) cadaver fuisse corpus sanguineum. (β.) Sanguinem in morbo non fuisse Hæmorrhagia, Dysenteria, per urinam, hæmorrhoides aut menses copiosè excretum. (γ.) Violenta non lenta morte extinctum. (δ.) Eximia concussione, convulsione &c. ante mortem agitatum. (ε.) Magnam humorum fermentationi aptorum copiam adhuc in ejusdem cavitatibus & vasis fluctuare.

§. 38.

§. 38.

Quod ad (α.), cur non omnia cadavera has cutis defœdationes incurrant, patet. Non autem Plethoram hic κατ' ἐξοχὴν seu luxuriantem attendo, sed carnosum mediocriter habitum, laudabilem & necessariam sanguinis excellentiam. Quod ad (β.) distinctione opus erit. Si ex vasis à corde remotioribus sanguis evacuabitur impetuosè, pallor & livor potius totius cadaveris apparebit. Hinc fit, ut etiam rarò in decollatis in dorso tales offendamus vibices. Contra si pulmonum vasis, cordis thalamis, magnorumque vasorum canalibus vulneratis, in cavitates abdominis cruor impetuosè ruat, in pedibus, brachiis & dorso oppido præfatæ comparent sugillationes, quod in hoc modò sublatis cadaveribus non semel notavi. Causa hujus diversitatis non longè arcessenda. In prioribus sanguis sensim evacuatur, adeoque in venis capillaribus & fibris quæ fluctuant portiunculæ & miasmata adhuc ad cor revocantur, & ab externis ad internas partes transit rigor; in posterioribus autem ab internis ad externas, in quibus moleculæ sanguineæ hærentes subito destructo caloris foco & nido congrumatæ, præfata sugillatione notat cutem. Quod ad (γ.) violenta mors non tantum hoc loco nuncupatur, quando ab extremo aliquo violento corpors & animæ rumpitur commercium; Sed & mors ex acutis, malignis & pestilentibus, sicut & ex aliis morbis subitaneis v. g. Syncope, morbo uterino, Epilepsia, Convulsionibus hic subintelligenda innuitur.

§. 39.

Quod ad (ε.), notum est, cum morbo fermentationem humorum post mortem non semper cessare. Inde abdominis distentio, quod ex supra dictis (*l. 1. Tit. 8. §. 10. & Tit. 9. §. 19.*) satis liquet. In Scorbuticis & à febribus acutis extinctis id maximè patescit, si viscera spuriis humoribus impacta putrilaginem vivente adhuc animali à morbo jam conceperunt, aut glandularum cum naturalium, tum ascititiarum mesenterii fontes à culinarum sordibus vitiati depravatæ lymphæ evomant scaturiginem. De illis *Dn. D. Valent. Andr. Mollenbrocc.* (*c. l.*) evolvendus; de his sequens *è Nathan. Highmoro* (*l. 1. Disquisit. Anatom. p. 3. c. 3. p. 73.*) recensere animus est. Puer duodecim annorum, *scribit*, per dies aliquot febre laborans per acuta continua, diris cruciatibus & Paraphrenitide vexatus, tandem in volis manuum, & plantis pedum ac digitorum apicibus pustulæ magnæ & altæ excitantur humore rubro paulò nigricante plenæ, cui mortuo venter summè extendebatur. Aperto cadavere totum abdominis spatium inter intestina, eo ipso humore, qui è pustulis manuum ac pedum

dum effluebat repletum & distentum inveni. In Liene versus partem ejus inferiorem, quæ ventriculum spectat, foramen ad magnitudinem pollicis in substantiam ejus insinuatum, cujus media pars absumta fuerat, eodemque humore per foramen illud effluente apparuit, quo humore ungues nostri nigricante colore adeò tingebantur, ut dies aliquot ad nativam albedinem non redierint. *Hæc ille.* Non autem mirum est in cadavere adhuc bullire & fermentare humores, cum extra corpus eos aliquando ad tempus in fermentationis gyrum commotos videmus. Ille *apud Petr. Borellum* (*Cent 2. obs. 1. p. 104.*) vomitu bilem rejiciebat, instar aquæ fortis bullientem. In Scorbutico & Arthritico etiam materiam albicantem ventriculi tumultu explosam per quartam horæ partem motum talem servasse olim me vidisse memini. Nec novum est, urinas Lienosorum & Scorbuticorum, cumprimis si nimia tententur flatulentia, etiam post aliquot ab emissione horas in vitro circulari ita, ut novæ inde emergant bullæ, & è bullis spuma.

§. 40.

Amplector etiam *Phil. Hechsteteri (c. l.)* mentem, quando de suffocatis ratiocinatur: At in suffocatis fortè alia erit expulsionis causa, cum mors iis fiat ob denegatam respirationem, quare natura ad transpirationem properans secum & spiritum & sanguinem ad extrema rapit, ad cutim maximè, refrigerii causa, ad virtus in corde residens copia & humiditate excrescementorum obruta succumbit, & spiritus una cum humoribus in vasis capillaribus cutis derelinquit, nec amplius fovere valet. Turgentium itaq; vasorum oscula aperiuntur aut rumpuntur, unde sanguis ad cutem stillat, qui condensatus frigore externo (cur non & interno?) livescit & nigricat. Ut igitur & hic pro more suo peccet vulgus, quando talismodi sugillationes Spectris aut Nymphis aquaticis imputat, dum pronunciat: *Der Nix habe sie gehalten und geknipffen.*

§. 41.

Interim, quod post mortem maculæ in cadaveribus non efflorescant, ambigenti *Hechstetero*, &, qui hujus vestigia legit, *Matthia Tilingio (c. l.)* assurgere non possum. Indice res non indiget. Exempla modo allegata (§. 73.) ut ab eo faciam divortium aures vellicant. Vapores putrescentis caloris vi (*Vid. Ambros. Pareus l. 21. Chirurg. c. 28. p. 475.*) jam sese elevare incipientes sumto motus initio, (*Casp. à Rejes Camp. quæst. jucund. Elys. q. 33. p. 399.*) humorum malignorum ebullitio, aut potius, prout Corpularis Philosophiæ Professores dictitant, motus particularum diversarum intestinus etiam post fata durans, imò majores vires, ut è *Greg. Horstio* non ita pridem (*§. 35.*) allegavi,

gavi, ſumens, aut acidum Helmontianum, non enim adeò, ut primò quidem intuitu videntur, ſi rectè explices & applices, inter ſe videntur pugnare, magnum huic negotio afferunt momentum & incrementum. Flatus huc referendus etiam tumores progignens, de quo *J. B. Helmont.* (*tr. de Flatibus n. 72. p. 344.*). Quod ſi Gangræna incipiens partes quasdam ante mortem jam habeat, quæ vivente corpore rubra aut alba videntur, in mortuò oppido nigreſcunt, quod in nobili vidua Anaſarca laborante notavit *Phil. Salmuth*, (*Cent. 2. obſ. 99. p. 110.*). Inde rectè in peſte & febribus malignis iſtæ maculæ (nigricantes comprimis) *Thomæ Williſio* (*tr. de Scorbut. c. 3. §. 10. p. 259.*) videntur eſſe ſanguinis ſiderati & νεκρώσει affecti partes quædam rejectæ. Et has non in ſummitate Cutis ſolum exiſtere, ſed aliquando in artubus ad perioſtium & oſſa ipſa penetrare, Anatome edoctus teſtari poſſum. Quare ſi per dies aliquot terræ ejusmodi cadavera non mandentur, depreſſæ apparent, (*ſie fallen ein*) & fœtidum ſudant aut eructant tubulorum inſtar humorem.

§. 42.

Cur verò dorſi regio iisdem potiſſimum contaminetur, non incongruè forſan quæritur? In veneno & peſte extinctis id obſervavit *Adrian. Spigelius* (*l. 8. Fabr. Corp. human. c. 1. p. 224.*) & *mecum* forſan *Alii*. Cauſam exiſtimat, quod paulo ante mortem dejectis ob vim veneni (addo & morbi) omnibus viribus ſuſtinere ſe & tueri in latere ægri nequiverint, adeoque in dorſum volverint, unde quicquid ſanguinis in corpore fuit, ad partem declivem per venas & arterias à venæ cavæ & arteriæ trunco per dorſum excurrentes repentè ad cutem decubuerint, unde nigro ipſa colore poſteà ſuffuſa fuit. *Hæc ille.* Quæ quidem ſi ad leges circulationis M. S. & moderna principia examinentur, omnium calculum non ferent. Jungenda his vaſorum in dorſi muſculis copia, continuusque eorum in ultimo conflictu isque inordinatus & violentus motus, calorque qui à perpetuo in dorſum decubitu excitatur, ſanguinis particulas alliciens, attenuans, in motum præcipitans, & è vaſis quaſi exprimens. Quæ & Cauſa eſt cur dorſum ſudore madet continuo, & petechiæ, variolæ & morbilli prius in dorſo ac aliis partibus conſpiciuntur & erumpunt. Hoc addo, maculas in peſtiferis poſt mortem, ſi quæ prius receſſiſſent ſi aceto ferventi abluantur, denuò comparere, quod ex Textoris obſervatione *meminit Laur. Joubertus* (*l. de Peſt. c. 8. p. 283.*)

§. 43.

Hæc de Maculis mortem oppidò inſequentibus. Alia ratio eſt livorum

& maculorum, quæ corruptionis prima lineamenta in Cadavere signant. Audiamus hac vice *solertem Naturæ Secretarium Joh. Joach. Beccherum (l. 1. Phys. subterr. s. 5. c. 1. n. 55. p. 331.)*: Natum ferè idem tempus & modum in putrefactione servat, *infit*, quem in generatione observavit, nempè, prout hic gradatim coagulat; ita illic sensim resolvit. Quam primum enim homo (comprimis vi morbi) moritur, oppidò corpus (corpus extra vitalitatis sphæram constitutum) mortalem & cadaverosum vaporem expirat valdè subtilem, qui cum per quinque dies duraverit acescere incipit, tandem post decem vel duodecim sulphureum odorem, stercoris humani instar, spirat, interim die circiter trigesimo (pro cadaveris tamen & loci addo & atmosphæræ varietate & constitutione, ac mortis genere, citius vel tardius hæc omnia contingunt) cutis lanugine quasi obduci solet, atque imprimis flavescit, ubi virides maculæ hinc inde conspiciuntur, quæ lividæ tandem fiunt, & nigrescunt, ultimò sic constitutæ situ obducuntur crasso, tandem subsidere incipiunt, fiuntque foramina ex quibus sanies & aqua nonnunquam effluit, interim maculæ etiam coëcunt, & quasi strias & liras digito ductas per totum vultum faciunt, ita sensim in vermes (ad veterum generationis æquivocæ Professorum mentem *scribit*, adeoque hunc terminum resolutionis illum vidisse creditur durum videtur) abeunt, & tota facies corrumpitur, ut præter calvariem nil supersit, nam quomodo in reliquo corpore putrefactio procedat, animadvertere non licuit. Hæc (*subjicit*) in puero accuratè per annum observavimus.

§. 44.

Cruces olim etiam præterlapso seculo in vestibus Baptizatorum, judæorum & aliorum, ut & in peplis mulierum nullo sensibili motus vestigio impressæ apparuerunt, Historicorum id attestantibus, è quibus potiores historias compilatas curiosis communicant *Libertus Fromondus (l. 5. Meteorolog. c. 6. Artic. 3. p. 399.)* & *Athanas. Kircherus (p. 1. de Cruc. prodig. c. 2. p. m. 316.)*. Anno præterlapsi seculi sexagesimo à 16. Augusti usque ad 15. Octobris Vesuvio portentoso impetu & fragore cineres, Lapides, variam terrestrium glebarum diversorumque succorum mineralium miscelam eructante in tractu Neapolitano linteis, vestibus & stragulis, non laneis, ista Crucum Phantasmata incubuerunt, & ne mirando phænomeno portentum deesset etiam linteis cistæ inclusis. *Conf. iterum Kircherus (c. l. p. 2. c. 2. p. 330. sq.)* Phænomenon hoc in Germania quondam *Joh. Trithemii testimonio* (quod *idem citat p. 3. c. 2. p. 358.*) epidemica Pestis lues ut insecuta, & in peste inguinaria Constantinopolitana anno 746. in vestibus eorum, qui inficiebantur

tur lue crucum ſignum impreſſum mortem portendebat certiſſimam. *(Id. p. 1. c. 2. p. 319.)* Cruces etiam in ſtragulis lectorum peſtifera lue infectorum anno 1656. quo Roma peſtilentia infeſtabatur viſas, *Idem (p. 2. c. 2. p. 344.)* annotavit. Crucum ex imaginatione matris fœtui impreſſarum *ſupra* (§. 7.) mentionem feci. In ipſis etiam mortuorum corporibus σταυρισμὸς aliquando conſpectus. De *Conrado Rege, Henrici Filio, Alb. Kranzius* (*l. 5. Saxon. c. 15. p. 115.*) retulit: Teſtati ſunt, qui defuncto aderant, cum veneni ſumti eſſet ſuſpicio, crucem ſe in Ejus brachio vidiſſe. Generoſus quidam vir in ducatu Görlicenſi ex forti Apoplexia *(recenſente Dn. D. Ehrenfried. Hagedornio Cent. 3. Hiſtor. Med. Phyſ. 44. p. 340.)* diem obibat ſuum. Elapſo circiter triduo, funereque in ſedem avitam deducto, & cognatis, domeſticis, ſubditisque ſpectandum adhuc ſemel oblato, in mala dextra vultus formam crucis ſanguinolentæ omnibus, qui tunc aderant videndam præbuit. Unde terror plurimos invaſit haud vulgaris, propterea loculo ferali iterum clauſo. Poſt dies non ita multos iterum funus petentibus non nullis in loculo ferali reconditum ſiſtitur ſpectandum, ecce eandem Crucis formam ſartam tectamque in vultu usque vident. Fuerunt, qui ominoſum quid familiæ imminere arbitrarentur, ſine tamen omine rem haud fuiſſe indicio eſſe poterat incendium non longum à morte Domini in ædibus propriis ex improviſo ortum, flamma ignis multa pecora, ædificiaque nonnulla cum duobus ſervis conſumente. In naſo defuncti *Georgii Sandberys* viſa eſt alba ſtella ſexangularis *ex Henric. Swart. (Chronic. Vallis DEI ad ann. 1327.) Nobiliſs. Noſter Chriſt. Franc. Paulini (M. C. D. 2. Ann. 3. obſ. 180. p. 313.)*

§. 45.

De maculis Embryonum quædam adhuc ventilanda occurrunt. Hæ namque à Medico minimè negligendæ, cum ſæpius tanquam ſignum procurati abortus, aut fœtus poſt nativitatem occiſi allegentur. Confricationis in utero factæ quasdam eſſe indicia *Guilh. Harveus* (*Exerc. de Partu p. m. 331.*) *prodidit.* Infans namque in utero utplurimum reperitur adductis ad abdomen genibus, flexis retrorſum cruribus, pedibus decuſſatis, manibusque ſurſum ad caput ſublatis, quarum alteram circa tempora vel auriculas, alteram ad genam detinet; ubi maculæ albæ, tanquam confricationis veſtigia in cute cernuntur.

§. 46.

In partu difficili, dum capite exitum molitur fœtus, ſuggillare poteſt quædam capitis loca. Brachium fœtus in utero mortui extra uterum aliquot horas, antequam naſceretur, propendens, nigrorem contraxerat, reliquis parti-

bus nihil macularum monſtrantibus. Quid quod à contrectatione in partu duriore maculæ cœruleæ & purpureæ fœtui poſſint imprimi, quod *notat Balth. Tim. à Güldenklee* (*Reſponſ. Med. 51. p. 117.*). Fallax igitur, à maculis quod deſumitur, fœtus occiſi eſt indicium, niſi ſanguis in cerebro extravaſatus, cranii depreſſio, ſterni & coſtarum compresſio, vertebrarum luxatio, colli diſtorſio & alia ſigna conſpicua ſimul concurrant.

§. 47.

Interim fœtus in utero variis ſtigmatibus inſigniri minimè inficior. Totius corporis lividum colorem, quamvis ſine morbo in fœtu excluſo deprehendit *Vit. Rietlin.* (*lin. med. A. 96. M. Mart. n. 6. p. 110.*). A febricitante matre debiles & quaſi excoriatos toto corpore *notat Th. Bartholin.* (*Cent. 4. Epiſt. med. 87. p. 500.*). Excoriationem matre febri ardente detenta, quæ ſedata per vices recrudeſcebat (*Cent. 1. Hiſt. Anat. 21, p. 36.*) habet *Idem*. Uſus nimius aceti & acidorum tempore geſtationis in eandem fœtu præcipitaſſe calamitatem alibi (*M. C. D. 1. A. 2. obſ. 149. p. 233.*) *ſcripſi*. *Infelicem illum Hungariæ & Bohemiæ Regem Ludovicum* ſine cuticula natum ex *Ænea Sylvio Joh. Riolanus* (*l. 2. Anthropogr. c. 4.*) *prodidit*. Fœtum in utero mortuum febricitaſſe indicio erit, *teſte Dan. Puerario* (*ap. Th. Bartholin. c. l. Epiſt. 86. p. 488.*), ſi totius corporis habitus maculis quibusdam rubris & lividis diſtinctus appareat. Uxor *Bodini* ſeptimeſtrem partum excuſſit ei morbi, eodem modo maculatum (erat enim febris cum Rubiolis) quo & mater, *recitat Guilh. Bellonius* (*l. 1. Epid. & Ephem. p. 55.*). Puella cum cuticula tota puſtuloſa, quam paulò poſt plenaria cutis excoriatio excepit, haud ſecus ac ſi fervida macerata eſſet cutis, quod *Dn. Chriſt. Gockelius* (*M. C. D. 2. A. 6. obſ. 151. p. 313.*) *commemorat*. Infantulo tertio poſt nativitatem die Epidermis omnisque cutis de corpore erat quaſi abrupta & avulſa magnaque ſanguinis copia ſecuta, *Freder. Deckero* (*Exerc. Med. c. 5. p. 277.*) *teſte*. Notabile quam maximè eſt, quod recenſente *D. Valent. Andr. Mollenbroccio* (*M. C. D. 1. A. 1. obſ. 53. p. 150.*) Generoſi cujusdam viri uxor, cum ante Variolis laboraſſet & filiam peperit veſtigiis Variolarum conſpicuam. Idem memorat *D. Johan. Georg. Sommer* (*M. C. D. 2. A. 9. obſ. 23. p. 54.*).

§. 48.

Ab uſu Croci, aut etiam medicamentis crocatis in partu difficili ſæpius repetitis, & per vaſa lactea cum Chylo ad uterum delatis, quæ *Isbr. à Diemerbroeck* (*l. 1. Anat. c. 30. p. 299.*) eſt conjectura, mulierem peperiſſe duas puellas omnino luteas, recenſet *Iſibordus ab Amelunxen* (*Breviar. Rer. Memor. n. 16.*

Vid.

Vid. App. M. C. D. 2. Ann. 4. p. 196.) & *Amat. Lusitan. (Cent. 5. Curat. Med. 34. p. 71.)* quibus pollicem premunt *Joh. Heurnius (l. 2. Meth. ad Prax. c. 14. & l. de Morb. Mul. c. 8. p. 53.). Henr. ab Heer (obs. Spadan. 14. p. 187.). Isbr. à Diemerbroeck (c. l. c. 17. p. 150.) & Joh. Ferdinand. Hertod. (M. C. D. 1. A. 1. obs. 60. p. 157.).* Hujus asserti veritatem ut erueret *laudatus Hertod.* sumsit canem fœminam trium vel quatuor septimanarum gravidam, eique toto reliquo gestationis tempore tàm cibum quam potum Croco tinctum exhibuit, donec octo forsan dies ad partum superessent, ubi ultimis tribus diebus etiam ad drachmas duas & tres Croci jusculis addidit. Cane dissecta colliquamentum non exiguo colore croceo tinctum visebatur, in catellis autem albidiores cutis particulæ plenariè croceum referebant colorem. (*Vid. Ejusd. Crocolog. qu. 4. p. 279.)*

§. 49.

Tantum abest, ut *Nobilissimi Viri* Experimentum in dubium traham, ut potius rationibus & experientia hac tanquam firmissimis Physicæ & Medicinæ Atlantibus fulti curiositatem Ejus exosculer. Hoc saltem adjicere libet, quod bis in infantibus recens natis mihi his tueri licuit. Puellæ nempè Crocea tinctura habitum corporis conspicuæ à matribus, quæ ne tantillum tempore gestationis de Croco gustaverant, neque difficili partu adactæ eundem absorbere fuerint Coactæ luci datæ sunt, qui ipse color, nec aquæ nec vini lotura adhibita disparuit, quod de fœtibus Croco decoloratis *annotavit* (*c. l.*) *Amatus*, sed ultra mensem fortiter tanquam cuticulæ nativus in ea sine omni noxa perseveravit.

§. 50.

Ictero in utero has laborasse, & adhuc laborare mulierculatum astentium erat sententia, inde ut malum illud averruncarem, in consilium vocabar. Cum verò nihil, quod à statu præternaturali recederet, aut eundem turbaret cognoscerem, aliam causam subesse arguebam tacitè. Notum videlicet est, Lochia non rarò flava egeri, quinimò & fluorem muliebrem menstruum Croceo aliquando comparere colore, prout *observavit Alard. Hermann. Cummeniuss (M. C. D. 1. A. 3. obs. 115. p. 186.).* Inde etiam contingit, ut infantes recens nati & vomitu & secessu materiam exponant Croceam hausti per os in utero alimenti peculiarem indicinam. Si igitur humor, cui innatat fœtus, tinctura crocea & flavescente, sive biliosam voces, sive non, hoc ipso non me movet, fuerit imprægnatus, cutis & cuticulæ teneritudo facilè imbibet eandem, crocumque æmulabitur. Ita partes vesiculæ felleæ adjacentes flavedine non rarò rutilare nemo nescit. Et

si

si iracunda prægnans abortum patitur, fœtum rejectum subflavescere *putavit Honor. Fabri (l. 5. de Hom. Propos. 47. p. 433.)* & quidem ob motum bilis ad uterum, ut *Frideric. Moller. (de Part. 173. dier. §. 95. & 99. ap. B. T. à Güldenklee Respons. 30. p. 78. sq.) ratiocinatur.*

§. 51.

Hoc præterea annotasse forsan juvabit, quod *P. Borello (Cent. 1. obs. 45. p. 48.)* debemus, sæpè observatum est, scribit, pueros subitò noctu mortuos fuisse, cum clamore & ejulatu sine morbo præcedente, gutta autem sanguinis in gena vel alibi reperiebatur. Unde hæc mors subita? *quærit*, existimo autem, respondet, vel à venenato insecto quodam vulneratos esse, vel acu longa à Sagis transfixos. Quem Satanas mirabili modo in momento enecaverat Æthiopis nigerrimi referebat faciem & cutem *Joh. Bodino teste (l. 3. Dæmonom. c. 2. p. 427)*

§. 52.

Quamvis à Magis nulla mortis indicia sæpissimè referre *annotarit Nicol. Remigius (Part. 2. Dæmonol. c. 10. p. 321.)*, in Diœcesi Basileensi & oppido Damri quædam incinerata fassa fuerat, se ultra quadraginta pueros necasse per modum talem, ut quando ex utero egrediebantur, acum capitibus eorum per ventricem usque in cerebrum infixit, *notante Jacobo Sprengero (p. 2. Mall. Malef. qu. 1. c. 13. p. 319.)*, & qui etiam illum *citat Joh. Bodino (l. 3. Dæmon. c. 5. p. 322.)* & *Strozzio Cigogna (Mag. omnif. Theatr. part. 1. l. 4. c. 4. p. 495.)*. An puncturæ hæ maculas post se reliquerint altum est silentium.

§. 53.

Dum autem venenatorum insectorum mentionem injicit, *Petr. Borellus.* de maculis ictus & morsus eorundem attestantibus in Cadaveribus pauca quædam aspergere operæ pretium est. Quorundam ictus totum corpus aliquando deformant, aliquando partes, comprimis punctas, aliquando nullum virulentiæ post se relinquunt signum. Vidimus quendam, *narrat Ant. Brassavola (Comm. ad l. 4. Aphor. 62.)* ab echidna, vulgò marussio ictum, qui trium horarum spatio ab ictu vitam cum morte commutavit, & totus maculis affectus est luteis, violaceis, nigris. Aulico cuidam à vipera mordicus arrepto contigisse observatum est, ut corporis totius color in porraceum commutaretur. *Vid. Cœl. Rhodigin. (l. 6. Antiqu. Lect. c. 13.)*. A Scorpionis ictu maculis totum corpus nigris conspersum maculis deprehendit *Marcell. Donatus*, quod in multis aliis observare non potuit *(l. 1. Hist. Mirab. Med. c. 9. p. 74.)*. Brachii ex serpentis morsu putrefactionem *ex Gilberto Anglico recitat Ambros. Pareus (l. 20. Chi-*

Chirurg. c. 5. p. 434.) ut & de Acontiæ serpentis, *Conrad. Gesnerus* (*l. 4. Hist. Aquatil. p. 528.*). De morsu viperæ sequentia *Excellentiss. Dn. D. Mich. Ettmüllerus, Amicus etiam post fata honorandus* (*in eleganti de Vip. Mors. Dissert. c. 2. punct. 1. §. 1.*). Color partis læsæ primò quidem rubicundus, sensim alterato per fermentum veneni sanguine, subruber, donec livescat, & obrepente Gangræna Sphaceloque nigrescat; corporis similiter nativus nitor perit, & pro fermenti efficacia, & sanguinis certa mistione ac inde orta alteratione nunc rubescit, nunc viridescit, nunc purpurascit, nunc nigrescit, sanguineæ massæ tinctura sic corrupta: quales alterationes observare est in sanguine eorum, qui post iræ nimiam incandescentiam eundem arte evacuant, quibusdam mirè flavescit, (ut in illo *ap. Ant. Brassavolam. c. l.*) aliis viridescit, vel etiam omninò livescit: confusa ex inordinata effervescentia debita sanguinis mistione, indeque obfuscato & obtenebrato splendido ejus rubore. *Hactenus Vir. Beatus.*

§. 54.

Ut venenatorum morsus à non venenatis distinguant, Alii puncturam apparere nigram cum circulo cœruleo, partes autem adjacentes tumere, asserunt. Plagæ magnitudine vix acus caput referunt, *teste Jac. Grevino* (*l. 1. de Vener. c. 10.*). Quatuor caninos dentes viperæ fœmellis, duos tantum maribus tribuunt quidam, inde distingui plagarum numero posse, utrum à fœmina an mare læsio facta fuerit. *Conf. Th. Browne* (*l. 5. Pseudodox. Epid. c. 12. §. 2. p. 814.*) In plusquam trecentis tamen viperis unius æque atque alterius sexus duas tontummodo dentes caninos, cum quibus mordent firmos & solidos *vidit Franciscus Redi, Nobiliss. Aretinus* (*in obs. de Viper. p. 22.*) & *ante hunc Lud. Locatelli* (*Theatr. Arcan. p. 263.*)

§. 55.

Cæterum nec in omnibus morsibus & ictibus venenatis plagæ notabiles apparent. Ab Aspide morsis, nec ullus locus affectus, nec livor indicat malum vel notæ omninò aliquæ adsunt, ex quibus criminis autor deprehendatur, adeò ut non pestifero ictu, sed venenati pharmaci potione sublatus esse, qui periit, existimetur: Diligenter tamen considerantibus gemina quædam punctula minula & subobscura invenientur, per quæ venenum fuerit dilapsum. Inde scitè monent Practici: Vulnera à venenatorum morsibus vel ictibus illata plus nocere vi venenata, quam vulnere, quæ per se non sunt magni momenti. De Causa si percontaris, velocitatem veneni, qua è vestigio in ima vitalia & abdita se condit, nihilque extrinsecus moratur, *allegat Anton. Ludov. Olysipus* (*l. 3. occult. Rer. Propr. c. 7. cit. Joh. Schenckio l. 7. obs. Med. p. 868.*) subitilitatem *Hieronym.*

nym. Cardan. (l. 2. de Venen. c. 6.) Spirituositatem veneni moderni, aut activitatem fermenti, cujus motum mirum in modum promovet sanguinis circulus. Mota hac de Causa Cleopatra Aspidem elegisse fertur, cujus morsu moreretur, eamque non Cordi aut pectori applicuit, quod Alexandriæ in usu, (Vid. *Galen. l. de Theriac. ad Pison.*) sed brachio, quo sanguis ab Aspide infectus citius quoque Cor inficeret, ut contra Antiquitatem *Th. Browne (c. l.) docuit*, qui & quo mortis genere occubuerit adhuc incertum esse tradit. Ab aliis serpentibus demorsa membra aliquando etiam parum mutantur à colore naturali, nisi quod in tumorem eleventur, prout historia *Nicolai Florentini (Sermon. 4. tr. 4. c. 18. à Joh. Schenckio pariter allegata c. l. p. 864.)* id evincit.

§. 56.

Labia vulnerum à venenatis armis inflictorum livent & nigricant, ut *voluit Nicol. Pfizzer. (l. 1. Ration. Vuln. Judic. c. 10. p. 37.)*, id tamen non semper evenire, *Franc. Redi (obs. de Viper. p. 26. & 27.)* nos informat. Canis, inquit, post mediam horam, quum erat sagitta ex Bantam percussus, frequenter vomuit, & cum labore, tandemque cum ululatibus & convulsionibus mortuus. In universis visceribus ejus non reperiebatur minima læsio, & ille ipse locus, in quem se sagitta insinuaverat, nec ad minimum colorem mutaverat.

§. 57.

Annotavi hæc in gratiam Tyronum, ut illis calcar adderem in signa à venenatis animalium morsibus mortis diligentius inquirere apud vivos & mortuos Præceptores, adeoque evolvere cum alios, tum supra citatos, qui doctrinam de venenis solertiori opera indagarunt. Poterit namque contingere, ut in sylvis, pratis, aut agris, cadavera reperiantur, quorum mors non tam manus violentiæ, quam venenato ejusmodi bestiarum morsui, puncturæ, aut ictui erit ascribenda. Ne igitur vacillet præsumtio, fluctuetque visitantis & decernentis animus omni studio erit præcavendum.

§. 58.

Addam etiam in Tyronum gratiam monitum, benevolæ mentis τεκμήριον, circa cadavera, quos ictus fustis, lapidis jactus &c. capiti illatus sustulit. Accidit sæpe, quod aliquibus historiis confirmare valerem, si necessitas id exigeret, ut nulla ictus vestigia, nec sugillationes & maculæ in capitis tacti regione, si tempora excipias, animadvertantur, & tamen, si remota cute cranio denudetur cerebrum in parte opposita cranii, non tantum fissuræ (contra fissuram vulgo nuncupant,) comprimis in interiore cranii lamina oculis se objiciant, sed

ſed & ſanguinis extravaſati copia non ſpernenda, lethalitatis vera & firma indicina. Nunquam igitur in tali caſu, ut quidem Tonſores & hujusmodi farinæ homines facere ſolent, capitis apertio accurata negligenda.

§. 59.

Obſigno demum hunc Titulum ſingulari obſervationum biga. In incantata deprehendebantur lividæ duæ maculæ in alterutra manu, ſupra cubitos utrosque diverſæ literæ, quas inter exactè hæ duæ N. nimirum & B. in unam quaſi coalitæ, & invicem ſibi in hunc modum appenſæ, notis quoque crucis ✠ his inſignioribus aliquibus notatæ. Poſt Characteres ſub forma crucis unius atque alterius, quæ circa collum, pectus & ventrem infinum, ſummo utplurimum diluculo, erumpebant. Alia nocte denuò cruces novæ, quibus nova ſigna alia, cordis nim. novi, item alii Aſtronomici, Plantarum vid. configurationum uſitatarum, uti ☌. ✱. □. △. ☍, tum & Planetarum ipſorum ac luminarium ♄. ♃. ♂. ☉. ♀. ☿. ☽. nec non ſimplicium quorundam medicamentorum Chimicorum velut ♀. ♀. ⊕. ⊖. ⦶ &c. Characteres (non enim horum, ut & Aſtronomiæ ac Chymiæ ipſius, quibus ſæpiusculè tum legendo, tum calculum ducendo ſeſe oblectare ſolebat, præter ſexum muliebrem ignara erat) adjungebantur, cuti quaſi inciſæ efflorеſcebant. Alio tempore manui dextræ figura Roſæ, ſiniſtræ Trifolii forma cum Ann. nativitatis CHRISTI hoc 1635. leviter inciditur, ac quidem artificiosè adeò, ac ſi quis Apelles ea pinxiſſet. Anno huic SERVATORIS Noſtri demum cor telis transfixum, ſtulti item imago, nec non Germanicum verbum hoc, Narr, & neſcio cum crucibus diverſis, quæ alia citra ullum dolorem, ingenti autem aſtantium ſtupore ſubjungebantur. Cruces non ſemper eandem referebant faciem: ſed modo longiores, modo breviores, modo longiſſimæ conſpiciebantur: quædam apparebant profundiores, doloremque ac pruritum excitabant, quædam ad ſuppurationem perveniebant ſuaque veſtigia ultra menſem poſt ſe relinquebant. Hæc *ex literis Balthaſ. Habnii ad Dan. Sennertum datis (Syllog. Phyſ. Med. Caſ. incantationi vulgo aſcribi ſolitarum Decur. 1. Caſ. 4. p. 39. 40. 42. 43.) Georg. Abraham. Merclinus.* Proh! quam crucem ingenioſis figunt illæ cruces Magicæ, quam acumen obtundunt notæ iſtæ & inſcriptiones portentoſæ curioſorum & doctiorum eludunt conjectanea!

§. 60.

Supereſt adhuc alia, quam non invitus ad divina prodigia retulit *Martin. Del-Rio* (*l. 2. Diſquiſit. Mag. qu. 25. p. 538.*). Illam conſignavit *Petrus Bizarus* (*Epit. Mirab. Europ. p. 302.*) quæ ita habet: Lintzii dum ibi *à Carolo Auſtrio*

conventus celebrabatur, cuidam Rustico nato est infans, in quo nihil sanè desiderabatur: vixit dies quatuordecim, & triduo ante obitum sudavit, atque ita sudans extinctus est. In mortuo infante statim cœperunt apparere stigmata in manibus, pedibus & latere; sicut CHRISTI vulnera pinguntur. In capite etiam corona spinea. Cæsar cum hoc audiret, misit quosdam ex suis, qui hoc prodigium contemplati, Eum de tota re plenius edocuerunt, remque ita se habere intellexit. Quæ hic partes naturæ? quærit (*c.l.*) *del-Rio*, & respondet, nullas certe video sufficientes.

LIB. II. TIT. II.

De

Cadaverum Contagio.

Summarium.

1. *Contagium non dari multis persuasum.* 2. *Contrarium proponitur.* 3. *Tenzelii assensus.* 4. *Mortui in Veteri Testamento impuri.* 5. *Cacodæmonis κακοζηλία.* 6. *Lustratio per aquam ap. Judæos & Ethnicos.* 7. *Cadavera an Contagiosa? Distinguitur Contagium. Cadaver videre fœtui noxium.* 8. *Aliæ Contagii acceptiones.* 9. *Violenta morte sublata contagiosa.* 10. *Qua de causa quibusdam Anatomici non longævi.* 11. *Distinguendum tempus.* 12. *Præcautio.* 13. *Anatomicos brevioris vitæ non à corporum sectione occubuisse.* 14. *Observationibus observationes opponuntur.* 15. *Aquilarum & vulturum odor.* 16. *Advolasse hos ad cadavera è longinquis oris, negatur.* 17. *Helmontii effugium improbatur.* 18. *Canum latratus flebilis signum pestis, aut stragis imminentis.* 19. *Odor aëris.* 20. *Nebula in loco ubi strages. Vapores è mortuis brutis.* 21. *Fœtore pestem profligare tentarunt quidam, sed infeliciter.* 22. *Mor-*

Morbo benigno sublata non esse contagiosa. 23. *Contrarium Helmont, Anatomiam localem sugillans.* 24. *Refellitur.* 25. *Anatomes localis utilitas.* 26. *Anatome Practica Th. Bartholini. In Vulcanum invectiva.* 27. *Helmont. Helmontio opponitur.* 28. *Objectionibus respondetur.* 29. *Miasmatum fœtidorum incommodum.* 30. *Oscula morituris data.* 31. *Data & Mortuis.* 32. *Noxa.* 33. *Osculum contagiosum.* 34. *Dubium.* 35. *Contagium per osculum in malignis.* 36. *Fœteris cadaverum noxa.* 37. *Coitus cum pestiferis & viventibus innoxius.* 38. *Lactatio pestiferarum insons.* 39. *Sine noxa secta cadavera pestifera.* 40. *Tutius contrarium asseritur.* 41. *Etiam feretrum gestantes infici posse.* 42. *Sepulchra pestiferorum deleterium quid exspirant. Remedium.* 43. *Coitus cum infectis non semper innoxius, cum mortuis detestandus & exitialis.* 44. *Tenelli cur sine noxa matrem infectam bibant.* 45. *Anatome infectorum quatenus innoxia & quomodo administranda.* 46. *Scorbuto extincta inficiunt, ideoque statim à morte non secanda.* 47. *An majus à vivis, quam mortuis contagium? Affirmatur.* 48. *Negatur.* 49. *Ossa mota inficere.* 50. *Lemnii distinctio.* 51. *Contagiosiora cadavera viventibus.* 52. *Sennerti distinctio.* 53. *Tempus circa cadavera triplex.* 54. *Suadent quidam citam pestiferorum sepulturam, eamque noctu.* 55. *Brutorum contagia an carnes deleterias reddant?* 56. *Prudentia hic opus.* 57. *Contagium mumiale non sufficit.* 58. *Canes, feles & insecta pestem propagant.* 59. *Rabiosorum Anatome & carnes reprobantur.* 60. *Bruta carnivora peste mortua animalia vitare.* 61. *Carnes fulmine tactas obesse.* 62. *Veneno enectas carnivora horrent, ut & Magorum cadavera.* 63. *Objectioni respondetur.* 64. *Spiculis intoxicatis interemta.* 65. *Veneno pastorum animalium haud innoxiæ carnes.* 66. *Quæ innoxiæ.* 67. *Carnes humanæ an tuto comedantur?* 68. *Sanguis humanus an medicamentum?* 69. *Essentia, Spiritus sanguinis humani.* 70. *Lac humanum. Cranium.* 71. *Superstitiosa varia.*

§. 1.



Contagium & morbos contagiosos chimericum quid pronunciarunt quidam, è Republica medica eosdem exesse jubentes. *Gregorium Nyssenum* in hoc contubernio invenio *ab Hieronymo Mercuriali* (*tr. de Peste c. 3. p. 9.*) *citatum*, qui nullum morbum contagiosum proclamavit, eò quod Sanitas non sit contagiosa. Sed contrariorum eadem est ratio. Quia autem videbat experientiam sibi reluctari, quandoquidem multi, quotidiè conspiciuntur ex conversatione peste laborantium contaminari, *judicat*, hoc evenire, non quia infecti contaminent, sed quia omnes qui capiuntur peste, communi aëre utuntur, & eandem internam dispositionem habent. *Hieron. Perlinus* (*in Declamat. adv. morb. contag. comprimis c. 2. p. 20. sq. & c. 3. p. 24.*) promittit & delineat opus, in quo probaturus sit, nec pestem, nec alium morbum esse contagiosum & hæreditarium. Sed hoc opus, nisi fallor, lucem non vidit, & cum Autore tumulo illatum blattis tineisque in prædam cessit. *Procopius* (*l. 2. de Bell. Persic. c. 12. p. 123.*) maximam illam pestilentiam, quæ *sub Justiniano* urbem Constantinopolitanam depopulabatur, contagio non nocuisse disertis verbis prodidit, & *Hieronym. Thriverus* (*Comment. in f. 5. aph. 11. p. 340.*) phtiseos contagium inter non Entia retulit. *Ipse Mercurialis* (*c. l.*) neque *Hippocratem* neque *Avicennam* contagii semina expressisse, veteresque Medicos debiliter & obscurè de contagio fuisse locutos (*c. l. p. 9.*) *tradidit*.

§. 2.

Cur verò sanitas non sit contigiosa, *alibi* (*Pneumatopæg. f. 1. Artic. §. 8. dictum*,) ubi etiam quod ex parte contagiosa pariter monitum. Nec quadrat, sanitas non est contagiosa, ergò nec morbus, ut ibidem demonstratum. De Peste illa Constantinopolitana sine peste, sive contagii inquinamento etiam (*c. l. f. 2. Artic. 5. §. 33.*) huc referri, forsan non indigna leges. De Phtiseos noxa contagiosa etiam ibidem (*§. 18.*). Plura dabit *Lud. ab Hornig.* (*Würg-Engel qu. 2. p. 24. sq.*)

§. 3.

Rectè igitur contagii existentiam cum Aliis emunctioris Nasi Medicis tuetur *Andr. Tenzelius* (*part. 1. Med. Diastat. c. 1. p. 22.*), dum infit: Omnes morbi sunt contagiosi, imò ipsissima etiam sanitas, si secundum activam propriam duntaxat potentiam perpendatur, seu ut Philosophi loquuntur κατ' ἐντελέχειαν. Unum quodque enim naturaliter potentia præditum est, tale redde-

dere & aliud, quod contingit, quale ipsum per se est, licet æquè promta & expedita omnium operatio non sit. Sanitas enim quies quædam est, temperies & habilitas naturæ amica, & proin minoris activitatis, quam ut Munia ei subjuncta alium vel sanum vel ægrum tam promtè afficere queat. Quæ ipsa ratio in reliquis morbis militat, pro non Contagiosis vulgo habitis. Vel enim illi profundius in corpore hærent, & ad fixiorem coagulationem destinati sunt, quam ut vicinum quemvis contingere, vel contactum immutare valeant. Quamvis nullus horum non alicubi ratione contagii alteri perniciem attulerit, ut & καἰ' ἐνέργειαν ad passivam rationem objecti rem considerando omnes morbi, sed secundum magis & minus sunt contagiosi. In his omnibus prora & puppis Mumia est.

§. 4.

Mortui in V. T. reputabantur impuri & tales etiam, qui mortua tangebant corpora (*Levit. c. 11. v. 24. Numer. c. 19. v. 10. 13.*) quinimô contrectatis ossibus & sepulchris eadem ipsis imputabatur immundities (*c. l. v. 16. 18. Add. Cornel. à Lapid. Comment. in Num. c. 19. v. 11. 12. p. 894. Jacob. Tirin. in Thren. c. 4. v. 14. p. 706. & in Jerem. c. 34. v. 5. p. 685.*). Sepulchra inde, & Agri, in quibus sepulchra, calce notabantur, quod è Rabbinis *Joh. Christoph. Rosteuscher* (*Disc. de Sepulchr. Calc. Notat. Part. post. c. 4. §. 3. sq.*) demonstravit. *Samaritani* mortui cadaver, referente Epiphanio (*T. 1. op. l. 1. adv. hæres. p. m. 26.*) *abominabantur*. Hæresis Caiciæ mentionem facit *Cornel. Agrippa* (*T. 2. Op. Declamat. B. Anton. Eremit. p. 575.*) ab *Eunomio* & exinde à *Vigilantio Hæreticis* asserta, qui male juxta mentem *Agrippæ*, exponentes sacras literas ad simplicem verborum Corticem attendentes Judæorum & Samaritanorum more corpora mortuorum pro immundis habebant, ita ut etiam contactu polluerent tangentes, quemadmodum litera legis de his loquitur. Quin & animabus à corpore separatis immunditiem quandam affingebant Judæi. Quando aliquis apud Judæos moritur omnem aquam, quæ erat domi in vasis, extra domum, ut immundam effundunt, quod putent, animam de corpore recenter egressam lavari in aqua illa, suoque contactu inficere. Addunt alii Angelum mortis s. Satanam gladium suum, quo hominem illum interemit, in ea aqua rursum lavare. *Vid. Joh. Buxtorff.* (*Synag. Judaic. c. 49. p. 712.*). Cadavera, quæ aliquo transferebantur in Ierosolymam admissa non sunt, ne funestarentur Sacra Ejus. Sepulchra autem duo duntaxat ibi fuere, unum *Davidis*, alterum *Oldæ*, quæ structæ à priscis vatibus, ajunt, *commemorat Petr. Cunæus* (*l. 1. de Republ. Hebr. c. 7. p. 55.*). Sub illo verò de mortuis non tangendis decreto apud Judæos mysticum quid insinuari,

ari, recte *tum Aliis Clemens Alexandrinus* (*l. 4. Stromat. p. 392.*) & *Epiphan.* (*c. l.*) non sine causa annotavit. Ἄνοιαν igitur Samaritanorum abominationem vocabat, neq; loculus *Josephi* quadraginta totos annos in castris circumlatus abominationi fuit, neque contagione sua ullam labem aspersit. Enim verò (*pergit c. l. p. 28.*) *Joseph. Israëlem* sepeliit (Patrem), nec detestatus est: imo post ejus mortem in faciem procumbens, exosculatus est. Neque tamen scriptum est expiandi se gratia ipsum abluisse. Præterea *Mosis* corpus quemadmodum à majoribus accepimus, ab Angelis sepultum est; neque illi tamen loti sunt, ac ne polluti quidem sancti illius corporis attactu. *Hæc Epiphanius.* Execrandam Hæresin Caiciam appellat (*c. l.*) *Cornel. Agrippa.*

§. 5.

Cacodæmon, ut in aliis DEI summi & veri, ut apud Gentiles est Simia, ita apud hos eadem eorum animos tenebat persuasio. Externis aut religione aliqua devinctis, ne quidem Cadaver conspicere, ne dum tangere licuit, nisi contaminatorum numero aggregari desiderabant. Pontifici id nefas fuit, quod ex Aliis recensuit *Joh. Guthier.* (*l. 2. de Jur. Man. c. 8. p. 221. sq.*) Homo funebris indignus judicabatur aspectu Principis, ne oculos omnibus salutares impiaret, de quo confer, quæ collegit *Casp. Barthius* (*animadv. ad l. 6. Stat. Thebaid. v. 205. p. 425.*). Qua de Causa moti Persæ, *teste Herodoto* (*l. 3. histor. p. 73.*) humana cadavera DEO igni objicere scelus habebant, cujus rationem assignavit, *ap. Diosc.* (*l. 3. Anthol. c. 4.*) *Euphrates*, corpus suum cremare prohibens, ne ignem inquinaret. *Add. Joh. Michaël. Dilherr.* (*T. 1. Disput. Academ. p. 114.*)

§. 6.

Lustrabantur aqua Judæi, idque ex legis decreto, de quo ritu *Cornel. à Lapid.* (*in Numer. c. 19. v. 11. 12. p. 489.*). Laudat *Dilherr.* (*T. 2. Disput. Academ. p. 233. & 410.*). Quem quidem ritum βαπτισμὸν ἀπὸ τοῦ νεκροῦ vocasse *Siracidem* (*c. 34. v. 30.*) quibusdam è Theologis placuit. Expiationem hanc imitati Gentiles, ante ædes, vas aquæ lustralis, dum bustum in iis collocabant, quo se exiens, aspergeret & expiaret. (*Dilherr. c. l.*) Et dum ad rogum expectantes collectis conditisque reliquiis funeri finis fieret, non ante à lugubri hoc officio propter contractam pollutionem discedebant, quam aqua ter essent lustrati. De funere *Miseni Virgil.* (*l. 6. Æneid. v. 228.*)

Ossaque lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios pura circumtulit unda.
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ:
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

A-

Aſpergillum igitur Rore marino & Oliva conſtabat, *concludit (c. l.) Cornel. à Lapide.* Fiebat etiam luſtratio per ignem & Aërem, ut rectè *Servius (in l. 2. Georg. v. p.)* memoravit.

§. 7.

Hæc cum ſcopum noſtrum non feriant, mitto, diſquiſiturus utrum cadavera viventia corpora inficiant? Contagium autem in triplici ſignificatione admittetur; uno quidem improprio & remotiori, quando terrore, quem aliquando ex improviſo appropinquantibus infert corpus mortuum, humoribus & Spiritibus alterationem & motum præternaturalem inducit, & imaginationem turbando hunc vel illum effectum concitat. Judæi igitur defuncti vultum tegunt, eò, quod ſi aſpiciatur, inducere memoriæ oblivionem, tradunt, *quod Joh. Buxtorf. (c. l.) retulit.* In Gravidis cadaverum aſpectum noxa aliquando non carere *Martin. Weinrich. (p. 1. de Ort. Monſtr. c. 17. f. 160. b.)* & *ex Eo Henric. Kornmann. (p. 7. de m. m. c. 61.)* ſingulari hiſtoria edocuit. Vidimus, *inquit*, Wittebergæ Civem facie cadaveroſa, qui dixit: matrem, cum utero geſtaret, ex conſpectu cadaveris exterritam eſſe, & ex eo fœtum illi aſſimilatum. Referendum huc illud, quod *ex Hector. Boëtio Hieron. Cardanus (l. 8. de Var. Rer. c. 42. p. 568.)* recenſuit. Guanoræ cujusdam beatæ mulieris in Scotia Sepulchrum ſi calcet mulier, perpetuo ſterulis evadit. Gravidarum etiam, & difficultate partus mortuarum ne tranſeant ſepulchra Gravidæ, *Ludovicus ab Hornig. (de Jur. Poſtar. cit. Mart. Zeilero p. 2. Epiſt. 568. p. 930.)* conſuluit, ne videlicet horrore concuſſæ, (*Vid. Henr. Kornmann. c. l. c. 67.*) aut timidiores ob fortem imaginationem factæ, & ſibi & fœtui noceant.

§. 8.

In propiori ſignificatu vox Contagii accipitur, quando noxam, quam putridæ aut ad putrilaginem accedentes aporrheæ viventi affricant, denotat. In proximo & genuino ſenſu tandem, quando morbos, quibus cum in vita dum erat corpus demortuum conflictabatur, aſtantibus communicant, ſive morbi ſint maligni, non tamen venenati & citò interficientes, ut ſunt Ophtalmia, ſcabies, Lues venerea, Lepra, Phtiſis, Scorbutus &c. Sive maligni venenati & acuti, ut febres malignæ, & Peſtis. Deinde illam diſtinctionem cadaverum repetendam cenſeo, quando quædam mors violenta, quædam naturalis è vivorum numero excedere coëgit; medio ferè modo ſe habere venenis trucidata videntur.

§. 9.

De violenta morte extinctis an sint contagiosa? si quæramus, Affirmativam tuentur plurimi, eò, quod soluto animæ cum corpore commercio, oppidò putredinis imperio subjiciatur Cadaver, ut in terram, quam matrem agnoscit, quantocyus resolvatur. Ex illa autem Cadaveris resolutione quid aliud, quam putidæ & putridæ emanationes aëri scelus inferentes, & corpori noxam? *Conf. Tob. Cober.* (*Decad. 1. obs. Castrens. Hungar. 10. p. 116. sq.*) Inde in illis locis, ubi strages facta, & cadavera sub jove frigido cubant, semper conspici nebulam, milites referunt. Quam latè autem per aërem se diffundant prædictæ exhalationes, ut de earum copia dubitatio omnis tollatur, vultures & Aquilæ probabunt, qui è dissitis locis odore Cadaverum allecti, ad eorum magno agmine advolant agmen, appetitui ut satis faciant. Quis præterea nescit corpora cæsorum inhumata ipsam aëri posse communicare pestem, prout exemplum cæsorum à Teutonicis Romanorum id *apud Alb. Kranzium* (*l. 6. Saxon. c. 24. p. 152.*) evincit? Illam Naugardiæ pestem, quæ intra sex menses octuaginta hominum sustulit tanta celeritate, ut ambulantes in plateis mox deciderent, & ad sepulchra mortuorum, qui sani tumulandis advenerant, cum mortuis tumularentur, insepultis Cadaveribus, *Idem* (*l. 11. Wandel. c. 5. p. 251.*) ascripsit. Gemella Exempla suggerent *Livius* (*l. 3. c. 25. & 41.*) *Dionys. Halicarnass.* (*l. 10.*) *Diod. Sicul.* (*l. 4. Bibliothec.*) *Jul. Alexandr.* (*l. 6. de Bell. Punic.*) *Joh. Cuspinian.* (*in Vita Henric. I. Imperat.*) *add. Avicenn.* (*l. 4. fen. 1. tr. 4. c. 1.*) *Haly* (*l. 5. Theoric. c. 11.*) *Horat. Augen.* (*l. 1. de Pest. c. 12. p. 56.*)

§. 10.

Et hanc causam esse, cur Anatomici celebriores brevioris fuerint vitæ, sunt qui censent. Ipse *Th. Bartholin.* (*de Peregrin. Med. p. 13.*) scripsit: Anatomicos exhalationibus cadaverum enervari, ut pauci ad canitiem venerandam aspirare possint. Addo *ex Oro Apolline* (*l. 1. Hieroglyph. c. 39. p. m. 19.*): canum sectiones frequenter exercentes, ob graves ex animali inciso surgentes vapores, spleneticos incurrere morbos. Exempla prostant in *Andrea Vesalio*, *Julio Casserio*, *Gabriele Fallopio*, *Adriano Spigelio*, *Francisco Plazzono*, *Joh. Veslingio*, *Christophoro Schelhammero*, *Marquardo Slegelio* & aliis *ap. Guerner. Rolfinck.* (*l. 1. Dissert. Anat. c. 3. p. 42. & 43.*). *Samuel Mœresius*, ut scripsit *Anton. Deusingio* (*Vid. Ejus Append. ad Exerc. de Nutriment. Elaborat. p. 331.*) & *Excell. noster Gabr. Clauderus* cum comitibus (*Method. Balsam. Corp. c. 5. §. 3. p. 130.*) Anno 1660. *Ludovicum de Bils* offenderunt lecto affixum, querebatur de dispositione phtisica,

ca, tuſſi, Aſthmate, Atrophia, ob pulmones cadaverum, brutorum præcipuè copioſiſſimè ſectorum evaporationibus debilitatos: Ferebatur enim, plus ducentos canes diſſecuiſſe, quod nec ipſe *Tob. Andreæ (in Bilanc. exact. Bilſian. & Clauder. Balſam. p. 87. & 88.)* negare potuit. Ante annos non ita multos *D. Laur. Wolffſtrigelius exercitatisſimus Profector Viennæ*, vix publica Anatome ad Umbilicum perducta ſubitò vitæ ſuæ pauſam fecit, narrat larvatus *iſte Joachim. Vit. Wigandus (Diſſ. 2. de Philiatr. Germanor. Itiner. p. 156.)*. Hanc ob cauſam *Franciſc. Ranchinus (tr. de Morb. Pueror. ſ. 2. c. 6. p. 348.)* Chirurgos in cadaverum conditura monuit, ne negligant media præſervantia, ſeu Cor & cerebrum recreent, ne à vaporibus putridis à cadaveribus diſſectis exſpirantibus inficiantur.

§. 11.

Diſtinctione hic opus eſt inter cadavera heri aut hodiè interemta, & quæ ante menſem vel unum violentæ ceſſerunt neceſſitati. Contingit aliquando, ut diu ſepulta in lucem protrahantur, & quantum quidem prædominium putredinis admittit, inſpiciantur & cultro Anatomico ſubjiciantur, ut de lethalitatis veritate conſtet. Ita memini me olim Auguſtoburgi militem aliquot ſeptimanas ſepultum & refoſſum Sirio regnante inſpexiſſe, & in læſionis locum inquiſiviſſe. De his, comprimis ſi frequentius Anatome inſtituatur, verum erit modò latum pronunciatum; de illis minimè. Ad Anatomen qui elegerit corpus impollutum (addo recens) bonæque conſtitutionis, nihil habet quod expaveſcat, decidit *laudatus Gu. Rolfinck. (c. l. p. 49.)*. Nimis teneri qui ſunt & delicati, abi ineant, & ad alia ſtudia ſe conferant. Quocirca in eligendis etiam pro Anatomia cadaveribus curioſa fuit antiquitas, ut *ex Alexandro Benedicto (l. 1. Hiſt. Part. Corp. Hum. c. 1.) patet*. Nec omni tempore eandem exercent, ſed comprimis, niſi graviores urgeant cauſæ, hyemali, nec in locis obſcuris & tenebricoſis, ſed amplis & perflatilibus ſuas adminiſtrant ſectiones & demonſtrationes. Vim putredinis eluctaturi diſſectionem ordiuntur ab infimo ventre ſeu abdomine *ad Joh. Veslingii (Syntagm. Anat. c. 1. p. 3.)* manuductionem.

§. 12.

Poſt ſingulas demonſtrationes corpora inciſa liquore conſervativo irrorare quibusdam in more poſitum. Ex vino & ſpiritu vini ſuper herbas Majoranæ, Thymi, Serpilli, Origani, radices Cyperi rotundi, Calami aromatici, Angelicæ, flores Lavendulæ, Chamœmeli Romani, & raſuram ligni Saſſafras per deſtillationem prægreſſa digeſtione debita abſtractus ſpiritus & miſtus dein cum Spiritus Nitri parte aliqua *Excellent. Heſpero noſtro Dn. D. J. D. Majori (Vid.*

Anat. Kilonienſ. c. 1. §. 11. p. 5.) olim erat in uſu. Quod ſi æſtatis tempore celebranda ſit ſectio, ſuadet *Joh. Riolan. (l. 1. Anthropogr. c. 18. p. 61.)*, ut ſupra ſcordium & clematitem Daphnoidem cadaver recumbat, & peracta lectione iisdem herbis ſepeliatur, interiora autem aqua ſalſa, aut aqua vitæ aut aceto laventur. Ipſa autem ſectio in loco frigido adminiſtretur, & noctu corpus in loco collocetur ſubterraneo. Ad fœtorem præpediendum. Iſraëlitæ cadaveribus regiis lecto argenteo vel ferreo ſuperpoſitis aromata & unguenta partim injiciebant, partim apponebant, quæ mox flammis abſumebant, cadavere ex parte afflato & aduſto. Probat id hiſtoria *Regis Aſſæ, (2. Paralip. c. 16. v. 14.)* quam explicant *Jacob. Tirinus (in h. l. p. 302. & in Jerem. c. 34. v. 5. p. 685.)* & *Joh. de Pineda (T. 2. in Job. c. 18. v. 15. n. 6. p. 35.)*.

§ 13.

Ad clariſſimorum Anatomicorum Exempla reſpondeo, *Veſalium* Itinere Hieroſolymitano confectum, & adverſis ventis ad Zacynthum Inſulam delatum morbo acuto obiiſſe, maligno *Fallopium & Caſſerium*, inflammatione jecoris tenellæ aliàs naturæ *Spigelium*, *Plazzonum* in praxi occupatum, febre ardente. *Veslingius* cum malignis converſans, contagio infectus pœnitendo, *Schelhammerus* autem à teneris valetudinarius hypochondriaco & ſcorbutico miaſmate ad plures abiit. *Slegelio* non cadaveris ſecandi manus terrorem injecit, ut inde in Libitinæ cenſum venerit, quod rumor inanis etiam *Th. Bartholino (c. l.)* perſuaſerat, ſed febrem ardentem hunc vivorum numero eripuiſſe *Mich. Kirſtenius (ap. Georg. Seger, de quiddit. Lymph. Bartholin. Epiſt. 7. p. 59.)* fidem fecit.

§. 14.

Ex altera parte, *pergit Rolfinck. noſter (c. l. p. 47.)*, quot inſignes viri illibata ſanitate pollentes & vigentes occupati his ſtudiis quam maximè canitiem aluerunt. De *Democrito* Centenario *Vid. Th. Bartholin. (c. l.)*. *Hieronymus Fabricius ab Aqua pendente* quinguaginta & ultra annos in Anatomico docendi munere conſumſit, nonagenarius terræ redditus *Joh. Riolanus* octogenarius, *Simon Pauli* Septuagenarius. *Adrianum Falcoburgium, Marcum Aurelium Severinum, Th. Bartholinum* & *Alios* proſectionibus operas navantes indefeſſas vidit adoleſcentia, vidit juventus, vidit demum ſenectus decrepita. Ipſum intuemini *dudum Divis aſcriptum Guernerum Rolfinckium*, quem toties citavi. Ille à primis ſtudiorum incunabulis Anatomiæ, ut ipſe fatetur, fuit addictiſſimus, & intra annos viginti quinque, quibus Anatomiæ illuſtrandæ in illuſtri Academia Salana præfuit, innumeras proſectiones in magna Auditorum frequentia habuit, nec hos tantum, ſed & morbida inſimul aperit cadavera. Vixit tamen ultra ſeptua-

ſeptuaginta annos vegetus & incolumis,& octuagenario ferè proximus, vitæ ſatur, placidè deceſſit. Tantum itaque abeſt, ut circa corpora violenta morte peremtorum commorationes ad uſum Anatomicum afflatibus noxiis vitæ inſidientur, ut potius verum ſit illud *Heliodori (l. 5. Æthiopic.)*, τῦ ἅιμαῖος ὄψις Φρονήμαῖος γίνεται ςόμωσις. Sanguinis intuitus ſapientiæ & audaciæ Chalybs. Odor & vapor hic tibi proderunt olim, ſine tamen omni immundicie, *dictitat iterum Rolfinck.* (*c. l. c. 2. p. 34.*)

§. 15.

Quæ de Aquilis & vulturibus dicuntur, ſi examines, Aquila cadavera potius abhorrere, quam ſectari, obſervatum. Aquilas nunquam attingere cadaver, niſi fortè ab ipſis poſt venationem relictum, *Ariſtoteles (l. 9. Hiſt. Anim. c. 32.)* auctor eſt. Qui verò illis delectatur Percnopterus, avis degener, vocatur *Ulyſſi Aldrophando*, potius vulturis ſpecies eſſe perhibetur, & Aquila vulturina idcircò dicitur. (*Vid. Joh. Sperling. Zool. Phyſ. l. 4. c. 2. Axiom. 3. p. 299.*) Videntur namque vultures à Natura, ſeu DEO potius, producti, *pronunciat W. Franzius (p. 1. Hiſt. Animal. Sacr. c. 13. p. 502.)* ut ſint tanquam animata ſepulchra (ἔμψυχοι τάφοι hinc Græcis dicti,) tanquam publici veſpillones, comprimis ſi morem Iberorum attendas, de quo *Silius* (*l. 13. v. 465.*).

Tellure ut perhibent is mos antiquus Ibero
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur,

qui non patiuntur aërem infici venenatis halitibus exhalantibus ex Cadaveribus. His ea ſagacitas aſcribitur *à Plinio* (*l. 10. hiſt. nat. c. 6.*), ut triduo aut biduo ante ad loca volent, ubi cadavera futura ſunt. Unde *Vulgatus:*

Hanc volucrem narrant luces tres noſſe cadaver
Venturum, olfactu nam viget hæc volucris.

Reſpexit eo *facetiarum Magiſter* de paraſitis iſta (*in Truculent. act. 2. ſ.*) eloquens:

Quaſi vulturii triduo prius
Prædivinant, quo eſituri ſunt.

Futuro bello ſeptem ante dies, quam pugna committatur, locum prævidere, in eamque partem, in qua alterutra pars ſuccumbet reſpectare ferunt. *Ælian. (l. 2. Hiſt. Anim. c. 46. p. 124.) prodidit,* eos exercitum præſenſione quadam conſequi, & hominem prætereà vicinum ad moriendum diligenter obſervare, quod omnis pugna ſtragis edere ſoleat. Plura de his *Cæl. Rhodigin.* (*l. 8. var. lect. c. 1[illegible]. col. 433. ſq.*) Gedulis tamen *cum Joh. Sperlingio (c. l. c. 4. Axiom. 2. p. 310.)* regerimus: Olfactus rerum præſentium non futurorum eſt, &

 illud

illud *Andreæ Chiocki* (*M.* Calceolar. *f. 6. p. 652.*), quoniam sensus ab objecta re præsenti immutatur, *teste Aristotele*, quod nondum est, nihil agere potest. Ubi nullum cadaver, ibi nullus cadaveris odor, nullaque odoris perceptio. *Add. Lud. Septal.* (*Comm. in f. 12. probl. Arist. probl. 3. p. 220.*) & hæc si quis ut vera admittere voluerit, vultures in prophetas transmutabuntur, qui viventium futura cadavera norint olfacere, *regerit* (*tr. de Ferment. c. 28. p. 528.*) *Martin. Schookius.* Quando itaque *apud Mattheum* (*c. 24. v. 28.*) & *Lucam* (*c. 17. v. 37.*) SALVATOR dixit: ubi Cadaver, ibi congregantur Aquilæ, non legitur textus pro Cadaveribus futuris, ut benè *J. B. Helmont.* (*tr. Tumulus Pestis p. 874.*)

§. 16.

Interim monumentis historiarum proditum est, *scribit Kenelm. Digbæus* (*Orat. de Pulv. Sympath. p. m. 94.*): Vultures quandoque per ducenta vel trecenta milliaria advolasse sectatos odorem acervi Cadaverum, quæ post cruentam cladem inhumata jacebant; præterea pro certo cognitum habebatur, vultures hosce ex tam longinquis locis advenisse, quod id genus Avium in vicinia planè infrequens fuerit. Vultures autem, *addit*, sagacissimè odorantur, & sanè putridas putidasque cadaverum Atomos per Spatia æque longinqua in aëre perlatas fuisse oportet, avesque istas cum semel odorem hunc persenserint, illius vestigiis inhærentes usque dum ad ipsam morticiniam pervenerint, credendum est, idque eò magis, quod odor, seu potius fœtor ejusmodi, quo propius abest, eò apertius naribus offerri solet. Ne nimia locorum distantia, cum utique justam distantiam sensus requirant, te offendat, fabarum odorem, dum florent, ad magnam distantiam, si ventus eò feratur, à viatoribus hauriri; odorem autem Roris marini, qui ex ora maritima Hispaniæ efflatur, triginta vel quadraginta milliaria emetiri, si faveat ventus, ipse cum nautis ter vel quater observavit. Atomorum copia insignis, si ita est, requiritur, earundemque motus continuus, ita ut Atomi Atomis succedant, nulla ventorum vehementia earum contiguitatem turbante. Quid si suspicarer, mare tunc temporis talem fragrantiam spirasse, prout *infra* (*h. l. Tit. 8. §.*) docebitur. Dem verò illud *viro utraque Minerva celeberrimo.* Quid quadraginta, si cum ducentis vel trecentis, imò pluribus componantur milliaribus. Sint nobis odoratus sensu multò superiores, ut etiam *ex aliis Conr. Vict. Schneiderus* (*l. de Osse Cribriform. p. 342.*)

Per auras
Mellis Apes quamvis longè ducantur odore
Vulturiique cadaveribus, (*Lucret. l. 4. de Nat. Rer. v. 699.*)

Ad

Ad Cornicis putrescentis fœtorem in tota domo commorantes conveniant mures aranei (*Conr. Gesner. l. 1. Quadrup. Hist. p. 850.*) Ab Italia tamen in Africam ductu harum Atomorum trahi vultures verisimile non videtur.

§. 17.

Subodoratus hanc difficultatem *J. B. Helmontius* (*tr. de Magnet. Vuln. Curat. n. 83. p. 608.*) magnetismum Aquilarum sive vulturum ad cadavera commentus est, cujus verba allegat, an approbet, non addit *Laurent. Straussius* (*in Epist. ad Com. Digb. de Pulv. Sympath. p. 132.*). Adjungam, *discurrit Helmont.* magnetismum Aquilarum ad cadavera: Nec enim volatilia tàm acuto sunt odoratu, ut ab Italia in Africam ad cadavera concedant. Nec enim odor tàm largè lateque spargitur; obstat namque maris ampla latitudo interjecti, & quædam consumtionis proprietas elementalis: Nec est quod visu arbitreris has aves percipere cadavera tàm eminus, maximè si ponè montem ad meridiem ea jacuerint. At quid opus est avium magnetismum inculcare pluribus: Si DEUS ipse, Philosophiæ initium & finis, eundem processum cordis & thesauri, cum avibus & cadavere, atque vicissim expresè statuat? Si enim Aquilæ ad escam, cadavera ducerentur eodem appetitu, quo quadrupedes ad pascua feruntur, certè dixisset uno verbo, quod animalia ad escam confluant, sicuti hominis cor ad suum thesaurum, quod falsum contineret. Neque enim cor hominis ad thesaurum pergit, ut saturetur eo, sicut animalia ad escam. Itaque non est comparatio cordis humani & Aquilæ in fine, propter quem ad desiderium tendunt: sed intensionis modo, nempè quod alliciantur & ferantur per magnetismum realiter & localiter. Et *paulò post: (n. 85. p. 609.)* Aquilam peculiari elogio trahi, dicit, ad cadaver; quia à spiritu insito & mumiali cadaveris vocatur, non autem ab odore corporis putrescentis. Istud nempè animal solum spiritum mumialem in administrando sibi appropriat. Hic nempè peculiariter de Aquila dicitur: Juventus mea ut Aquila renovabitur. Siquidem juventus renovatio ab Elixire spiritus, probè depurato, per quandam digestionem singularem isti volucri propriam, non ab esu carnium prodit. Alioquin etiam canes & picæ renovarentur, quod falsum est. *Hæc Helmont.* Quam benè forsan alibi discutitur, cum hæc hoc loco saltem libanda, non ventilanda. *Robertus* sanè *Boyle Vir, gente & mente illustris, Helmontio* in hoc tractatu fidem non adhibet, eumque vagum vocat, & primò ab adversariis Ejus editum (*p. 1. Chymist. Sceptic. p. 37.*), addit paulò post (*p. 2. p. 56.*): Commenta & falsitates in hoc tractatu, testimonia Ejus in aliis ipsius scriptis suspecta reddiderunt. Nec ratio valet *Joh. Marc. Marci à Kronland* (*p. 4. Philos. Restitut. s. 1. subs. 8. p. 525.*); dum censet, halitum aëri permixtum

tum illuc una cum vento deferri, ſic namque in tam longo itinere halitus potius diſpergeretur, & odor, ſi non annihilaretur, infringeretur. Expendens, & has abſurditates *Joh. Sophron. Kozak.* (*tr. de Sale c.3.ſ.9.p.130.*) evitare volens, in majores incidit, tradendo, hujusmodi bruta (*quod etiam ſupra l.1. Tit.3.* §.*13. allegatum*) non niſi à ſpiritibus ſagacibus obſeſſa id præſtare poſſe.

§. 18.

Quod de vulturibus, idem de canibus referunt. Inter futuræ ſtragis ſigna & hoc numerabat *Lucanus* (*l.1. Pharſal. 543.*):

Flebile ſævi
Latravere canes.

Compertum eſt, latratus canum, ejulantium gemitus imitantes, diri ſemper, aut utplurimum, ominis fuiſſe, *ſcribit Majoli Continuator* (*T.2. Dier. Canic. Colloqu. 2.p.194.*). Spectant huc de ſignis futuræ peſtis *ſupra* (*l.c.* §.*12.*) prolata. Sed ſi futuram peſtem aut ſtragem inde colligere tentes, eadem, quæ modo de vulturibus (§. *15.*) è *Joh. Sperlingio & Andr. Chioco recenſui*, obſtant. Si præſentis ſignum aſſeras, non temerè rejicienda *Th. Bartholini* (*l.1. Tit.3.* §.) adducta conjectura, comprimis ſi *Cornelio Conſentino* auſcultes, brutis ſenſus peculiares, nobisque incognitas, aſcribenti (*Progymmaſm. Phyſ.1.p.73.*). Melius ad meam mentem *Andreas Libavius* (*de Cruent. Cadav. ad Theſ. 196. p. 284.*). Quod de præſenſione Avium (canum &c.) dicitur, ex accidente eſt. Caſtra ſequuntur non immeritò. Multa enim ad cibum in illis animalia occidi ſolent, à quorum abjectaneis corvi, vultures, & ſimiles, vivunt. Multa etiam fiunt ſuſpendia, interneciones, cadaverumque reliquiæ, à quibus exhalans putredo acutas nares facilè tangit, & ad cibum allicit: ut non neceſſe ſit ſtatuere, vultures cædem præſentientes in loco eo, ubi futura eſt, convenire aliquot dies ante.

§. 19.

An etiam aër odore & ſapore canibus & aliis brutis nauſeam moveat & malam corporis diſpoſitionem, ut in flebilem ululatum ſolvantur, ſanè conſiderationem mereri videtur. Fracedinem tunc temporis aëri aſſignat *J. B. Helmont.* (*Tr. Tumulus Peſt. p. 865.*). De paſſeribus *Anonymus*, quem *Ludobert. Erpenium eſſe, olim B. Præceptor Dn. D. Joh. Michaëlis aſſerebat* (*tr. German. de Peſte*): *Weil die Lufft ſtarck ſchmäcket, verlaſſen ſie die Spazen.* In Peſte Anni 1552, quæ Witebergæ tunc ſæviebat, nullæ conſpiciebantur corniculæ. In oppido Jeſſen, quod tribus illinc milliaribus diſtat, quo fugeramus, quod puriorem illic aërem eſſe arbitraremur, frequentes per aëra volitabant quotidie, *notat Joh. Bœckelius* (*de Peſt. Hamburg. Ann. 1565. c. 4.*). Aviculæ etiam in nido inchoatos pullos

los *experientia Alex. Benedicti (l. de Peste c. 5. p. 1139.)* destituunt, & loca remota petunt. Quæ forsan etiam causa esse poterit, cur ante pestem in rabiem agantur canes, & hoc inter signa imminentis calamitatis recensuerit (*c. l.*) *Alex. Benedictus*, & è Poëtis *Ovidius* (*l. 7. Metamorph. v. 538.*). Nec forsan de nihilo, quod quidam observant, venenum pestilentiale primum subtile, adeoque minimè naribus aut potius odoratus instrumentis, benè verò canum proportionatum, tractu temporis tandem apparere crassius.

§. 20.

Nebulam demum in loco ubi strages commissa Cadaverum emanationes concitant, sed dum demum, cum putredo in eadem suum exercet dominium, ubi laxatis repagulis furit, aëremque pessundat, ita, ut etiam vivorum corporibus pestem minetur, & affricet. (*Vid. Ludov. ab Hornig. Würg-Engel qu. 57. p. 96.*) Non tantum aqua paludosa putrescens, *Diodor. Sicul. l. 12. Sabellic. l. 8. Ennead.*) aut pisces hyeme à glacie suffocati, aut Balenæ Cadaver in littus projectum (*Georg. Agricol. l. 1. de Peste p. 14. P. Forestus l. 6. obs. med. 9. p. 161.*), Crocodilorum & aliorum monstrorum multitudo à Nilo in campos eructata, ut inde pestis Ægypto sit maximè familiaris, (*Athanas. Kircher. s. 1. Scrutin. Pest. c. 3. s. 1. p. 19.*) Cadavera à Tiberi accrescente Romæ in sicco relicta, (*P. Forest. c. l.*) Muscæ, Scarabæi, Locustæ, (*Hieron. in Joël. Georg. Agricol. c. l. p. 15.*) Papiliones, (*D. Augustin. l. 3. de Civit. DEI c. 31. p. m. 204. Sabellic. Ennead. 5. P. Forest. c. l. p. 162.*) Bombyces (in scenam hanc ducti *à Gratiolo de Peste p. 1. c. 17.* quem refutat *Paul. Zacchias l. 9. quæst. med. legal. Tit. 6. qu. unic. n. 4. p. 792.*), aut boum & aliorum brutorum cadavera, putrilagini subjecta, *Athan. Kircher.* (*c. l. p. 18. Paul. à Sorbait. de Pest. Viennen. qu. 3.*) contagio suo venenato Athmosphæræ poros subeunt & venenant, sed comprimis humana sive fame, (*Joh. Cornar. l. de Peste*) sive ferro enecta, si insepulta relinquantur, ejusmodi perniciosas & deleterias aporrheas præ aliis animantibus, *teste Georg. Agricola. (c. l. p. 16.)* emittunt, quæ quo magis cum vivorum mumia Symbolizant, eò periculosiores & infestiores generi nostro censendæ. Inde Oraculum *ap. Thucididem (l. 2. p. m. 201.)*:

Ἥξει δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Doriacum veniet bellum una & pestilis aër.

Exemplis id declarant *Ammian. Marcellin. (l. 19. c. 3. p. m. 166.) & Georg. Richter. (Axiom. Oeconom. 113. p. 257.) Add. Hieron. Mercurial. (c. l. c. 21. p. 98.) Ambros. Pareum (l. 10. Chirurg. c. 13. p. 260.)*. In expugnatione urbis Romæ cadavera humana, & jumentorum semisepulta, adeò funestam, eam-

que præcipitem dedere pestilentiam, ut memoria hominum par lues extitisse non credatur. (*Anonym. Hist. dirept. urb. Rom. p. 153.*) *Diodorus Siculus* (*l. 14.*), duas potissimum res Carthaginensi pesti incrementa dedisse, astruit, insepultorum nempè corporum fœtorem, ex palustris loci putredinem.

§. 21.

Cum igitur à putredine & fœtore rerum putridarum Pestis & morbi maligni, næ mihi illi errare videntur, qui fœtoribus aërem vitiatum & infectum emendare, pestemque peste profligare contendunt. Narravit quidam Mercator Cretensis (fide forsan Græca,) *Alexandro Benedicto* (*c. l. c. 6. p. 1144.*), cum in Taurica regione sævissima pestis orta esset aëris vitio, quo finis moriendi non erat, in ea summa hominum strage à se Medicum visum, loci incolam, qui canes omnes interemtos passim per vias perque vicos omnes abjici jussit, qui distenti & putridi tetro odore Cœlum impleverunt, quo remedio statim civitas sanitati restituta fuit. Causam eruere nisus *Remb. Dodoneus* (*Exemp. obs. med. collect. p. 269.*) quem, si lubet, evolve. Coriarios, ut & latrinarum & Cloacarum purgatores Lutetiæ ægrè, quod omni fœtori assueverint peste invadi, è *Jul. Palmario* (*de Febr. pestil. c. 15. p.*) novimus. Hircorum fœtorem Alii commendant, de quo *Hieron. Mercurialis* (*c. l. c. 22. p. 104.*) *Th. Jordan.* (*de Pest. Phænom. tr. 3. c. 9. p.*) *Joh. Bikker.* (*T. 1. Hermet. Rediv s. 3. c. 14. p. 430.*), odorem urinæ Hirci *Avenzoar.* Salsè hos irrisit *Ludeb. Erpen.* (*tr. de Peste*): *Etliche halten von glatten ausgearbeiteten Bockfellen zu Unter-Hosen und Strümpffen mehr, als von Böcken.* Fœtida etiam loco præservativorum internè commendant, & assumunt. Propriam aut pueri potant urinam (*Galen. l. 10. de Simpl. Med. Facultat. p. m. 975. Henric. Ranzov. l. 3. Comment. Bellicor. c. 15. n. 6. p. 228. Casp. Amthor, Exerc. Antiloim. s. 2.*); Forsan quia ex urina arte Chemica sal saluberrimum excoquitur, quod pestilenti veneno resistit, & sanguinem purificat, ut notat *Franc. Joël.* (*T. 5. Op. l. 2. s. 4. p. 171.*). Urinam etiam Felis præscripsit *Aug. Ezler.* (*Isagog. Phys. Mag. Med. p. 29.*). Fimum Columbinum potionibus admiscuit, *referente Alex. Benedict.* (*c. l. c. 9.*), *Zoar.* Stercus Gallinæ nigræ in Peste Mediolanensi efficax deprehendit *Anton. Portus* (*l. 2. de Pest. c. 44. & l. 3. c. 11.*). Matutino tempore Alii ore super cloacam aperto Mephitim inspirant, ut *Andr. Libav.* (*ap. Gregor. Horst. l. 2. Epist. Medic. s. 10. p.*), *Jacob. Sylvius* (*Comment. ad l. 2. Galen. de Diff. Febr. c. 7.*), tradunt. Imò ipsum stercus humanum non solum externè plantis pedum applicant, sed etiam aquam ex eo destillatam assumendam suadent. Conf. *Ludov. ab Hornig.* (*c. l. qu. 363. p. 684.*)

684.) Quidam Axungiam (*Stäncker*) assumunt (*Joh. Coler. l. 19. Oeconom. c. 8. p. 843.*). His verò nihil repono *cum Dan. Herlicio* (*p. 1. Pest-Ordn. c. 3. p. 48.*), quam illud *Anaxagoræ*, qui cum Asinum Carduis & Urticis vesci videret, ridens exclamabat: Similes labris lactucæ. Quantoperè namque tetri & abominabiles odores Ventriculo Cordi & Cerebro sint inimici, etiam Davum non latet. Autoritates his opponit varias *P. Zacchias* (*c. l. n. 6. p. 751.*), cui junge *Joh. Böckel.* (*Hamburg. Pest-Ordnung p. 1. c. 11. f. 40.*), *Andr. Starckium* (*de Pest.*) *Georg. Agricol.* (*l. 2. de Pest. p. 68.*), *Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. jucund. qu. 66. n. 2. p. 888.*) & *Alios.* Distinguit *Levin. Lemn.* (*l. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 10. p. m. 181.*) inter fœtores humidos & calidos, & evaporationes ad siccitatem vergentes, illos pestis pararios; has averruncos asserit, quid autem hac distinctione proficiat, cuilibet ratiocinari in proclivi est.

§. 22.

Qui morti naturali decedunt, morbo laborarunt aut benigno, aut maligno. Illi ferè cum violenta morte extinctis conveniunt. Morbo contagioso non laborarunt, ergò nec de Contagio post mortem timor aliquem subeat. Inde etiam non est cur ea reformidet cordatus Medicus, si occasio tulerit illa aperiendi. Gratuletur sibi potius de occasione in morborum Causas & naturam accuratius inquirendi. (*Vid. Th. Bartholin. de Anat. Pract. Consil. §. 2. p. 10.*)

§. 23.

Sugillat quidem pro more, quo jure, mox patebit, hunc Medicorum Cordatorum Conatum *Scholarum Attila J. B. Helmontius* (*tr. Ignotus hospes morbus n. 90. p. 404.*), dum infit: Postremò Cadavera dissecantur, quod fit ad excusandum excusationes in peccatis. Vix namque post mille annorum Anatomen moderni aut melius morbos agnoscunt, aut felicius abigunt. Gaudent quidem imminentem in parte cujuspiam corruptionis notam offendisse, infida illorum subsidia impossibilitatis clypeo tegentem. Mundo sc. sic imponitur alto supercilio. Nec enim ista corruptio ante biduum ibidem erat, etsi locus doleret dudum ante: Tantum abest, quod medentem tempestivè accersitum excuset, quin potius ejusdem culpam pandat: qui scilicet alligatum excrementum opportunè discussisset. Nihil enim partium continentium destruitur in vivis, quin vitæ commercio prius sit orbatum. Quin etiam nec potest vitæ balsamo dudum privari, nec pars demortua multas expectat horas in corporis tepore, quæ non pariter festinanter putreat, fœteat, atque totum in sui conspirationem trahat. Liquet itaque inde, quod cor-

ruptio in dissecto Cadavere obvia paucis sit horis ante facta, paucisque ante obitum diebus inceperit. Vomicæ enim malignis conciliabulis excitatæ in pulmone, morborum quidem continent semina; at partium internarum mortificatio obitus diem non multis passibus anticipat. *(Add. tr. Asthma & Tussis n. 48. p. 294.)* Eò collimat Somnium (*tr. Præfatio n. 12. p. 388. & n. 14. p. 389.*), quod pro rei confirmatione, cum semivigil de essentia morborum, ut bene *cœlitibus dudum ascriptus Præceptor Dn. D. Joh. Theodor. Schenckius* (*in Defens. Anat. Local. A. 3.*) scribere statueret, allegat. Conf. *Fr. Osw. Grembsium* (*l. 2. Arb. integr. & ruinos. hom. c. 1. n. 34. p. 162.*)

§. 24.

Proposuit ista, cum videret Anatomen localem, suas de ortu morborum hypotheses, quam labili & ruinoso ex parte fundamento niterentur, aliquando detecturam. Qua de causa eandem sugillat oculis Circeis, nihilque ad artem conferre, posteris astuto satis calamo persuadere conatur. Somniat, dum cadavera dissecari ad excusandum Artis transgressiones asserit. Frontem posuerat, dum scriberet: Vix post mille annorum Anatomen moderni aut melius morbos agnoscunt, aut felicius abigunt quod & *alibi (tr. Ignotus Hydrops n. 10. p. 408.)* repetit & seriò inculcat. Ante hunc *Aureol. Theophr. Paracels.* (*Labyrinth. Medic. c. 4. p. m.*), cujus sequacem se venditat *Helmont.* (*de Magn. Vuln. Curat. p. 595.*). Idcircò *larvatus Paracelsus*, *Schenckio vocatus* (*c. l. & ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 72. p. 479.*), ista dictitat: *Das Sehen ist allein ein Sehen, wie ein Baur einen Psalter siehet, siehet weiter nichts als die Buchstaben, da ist weiter nichts mehr.* Invidiæ vertigine rotabatur cum justum pretium laboribus Anatomicis statuere recusaret.

§. 25.

Contrarium Anatomicarum observationum scriptores Soli exponunt. Ausim dicere, (pronunciat *Guilh. Harveus Exerc. 2. de Circul. Sanguin. p. 176.*): plus una dissectio & apertio tabidi aut morbo aliquo antiquo vel venenato confecti corporis ad medicinam commodi, quam decem corporum strangulatorum affert. Quæ contra *Joh. Riolanum* disputat *Anatomicorum Aquila, Th. Bartholin.* (*Defens. Dub. Lact. c. 2. p. m. 318.*), legi merentur. Commendat cum Aliorum Medicorum clarissimorum (*Cent. 4. Hist. Anat. 20. p. 264.*), tum imprimis *Ballonii* operam summoperè, eamque magni æstimat, dum (*Defens. Dub. Lact. c. 2. p. 320.*) edicit: Optarem certè plures in urbe Parisiensi extitisse *Ballonios*, qui in civitate frequentissima, & Nosocomiis instructissima debita diligentia per dierum seriem consignassent, & raros morborum eventus, & remediorum successus,

ſus, & obſervata in morbidorum cadaverum diſſectione. Hujusmodi Diaria & obſervationes centum Anthropologiis præferrem, & quovis ære redimerem.

§. 26.

Hac intentione Anatomiam Practicam dudum deſiderarunt Medici, ſed fruſtra. Laudatus *Th. Bartholinus* quidem deſideriis illorum ſatis facturus, non ſolum obſervationibus ſuis Anatomicis varia inſeruit, ſed & operi tali Anatomico plusculos annos jam dedicaverat, in quo univerſam Anatomem ex corporibus morbo defunctis ea methodo compoſuerat, ut ſingularum partium à capite ad calcem conſtitutio præternaturalis, in quocunque morbo innoteſceret, idque ex ſola αὐτοψία & propria inſpectione, uſus tàm in publicis ſectionibus morbidorum, quam privatis defunctorum in Noſocomiis publicis, ab illo in longa peregrinatione olim viſitatis. Inſpexerat ad inſtitutum promovendum omnium Medicorum tàm veterum, quam recentiorum libros, quos Practicos vocamus, inſtitutiones, obſervationes, Epiſtolas, Hiſtorias, Conſultationes, Anatomes, Caſus & ubicunque morbidum cadaver apertum invenerat, ſuo argumento adjecerat. Quo fine quoque ab Eo lecti ſunt Gentium variarum Annales, & Ephemerides, ubi Principum exenterationes pro conditura annotantur. Magnum inde (& quidem meritò) ad ſedes affectas & curationem morborum momentum promittere auſus fuiſſet, ſi ad finem perducere ſuſceptum opus, ex quo Anatomica tractavit, (tractavit autem iſta ferè à teneris) licuiſſet. *Conf. Diſſert. de Bibliothec. Incend.* (*p. 58. ſq.*) & *Conſil. de Anat. Pract.* (*§. 1. p. 1. ſq.*) ubi opus penè confectum viginti annorum lucubrationibus (*p. 6.*) vocat. Verum,

O Spes fallaces hominum!

Tot annorum labores, tot moleſtiarum, tot periculorum, tot vigiliarum partum

Abſtulit atra dies.

Quid dies? horula

atra ſignanda lapillo.

Vulcanus tot tantorumque calamitatum faber nec piis abſtinuit chartis, nec ſummè proficuis curis pepercit. Devoravit illas plusquam beluino furore, in favillas redegit æternum aliàs victuras paginas. Opus erat, quod unicus promittere poterat ſimulac abſolvere, poſt hunc verò nemo ne quidem promittere audebit. Publicum tangit hæc jactura, pro qua nemo paciſci valebit, quia ir-

 repa-

reparabilis. Inter sidera locent Vulcanum Chymici, non sceleris immanitate moti, antiquum ut repetat hospitium vovemus.

Vas verò doctæ nobis salvete favillæ,
A nostra toties fulcra petita schola.
Ante Patrem rapuit vos inclementia fati,
Fleret ut ad vestrum magnus Apollo rogum.
Sæpè Venus dixit, veneri parce atque lepori,
Suadæ parce minis Mulciber alme tuis.
Nil movit Claudum. Quæ Mars non perdidit, ipse
Perdam, ait, hæc flammæ victima sunto meæ.
Causa subest, dudum Nymphe flagravit amore,
Quæ tandem lympham cessit in ignicrepam.
Hanc dum non potui flammis consumere, corpus
De tot corporibus perdere constitui.
Martis tela prius curavi, jam modo Morti
Has chartas perimens tela cupita paro.

Laborum horum dispendium ex parte restituere non infeliciter *in sepulchreto suo* annisus est *Theophilus Bonetus, Medicus variis scriptis notus*, & *in suis ex cadaverum inspectione editis observationibus, Stephanus Blancardus.*

§. 27.

Sed ad *Helmontium* redeundum, *Helmontio Helmontium* ut opponam. Anatomen fraudem & crassam ignorantiam involvulo detexisse, *scripsit (Tr. de Flatibus n. 30. p. 339.)*; Quapropter, *addidit*, deinceps neminem perire sivi. Ut vomitus continui in peste causam cognosceret, exactius locali supplicavit, & ventriculum escharoticum invenit (*Tr. Tumulus Pestis p. 891.*). Hydropis Causam veram indagavit (*Tr. Ignotus Hydrops. n. 10. p. 408.*), notamque hydropisin (*c. l. n. 47. p. 416.*) primus delineavit, sed Anatome monstrante viam. Siccine multum utilitatis ex Anatome in Medicinam redundabit, quod crassos errores Medentum filo ductus Anatomes Ariadnæo primus, egregiè, si Diis placet, depilavit. Exemplo sit sexagenarius ille dissectus (*tr. Præfatio n. 14. p. 389.*). Unde cognovit acidum cremorem in duodeno salis saporem confestim acquirere, suumque salem acidum in salem salsum adeô libenter commutare? (*Tr. Sextupl. Digestio alimenti humani n. 7. p. 167.*) Ex Anatome. Unde fellis stomachum esse duodenum? (*ib. n. 24. p. 170.*) Ex Anatome. Unde flatum ilio naturalem? (*tr. de Flatibus n. 39. & 43.*) Ex Anatome. Unde pulmonem costis retrò

trò annatum Asthma & Dispnœam non inferre? (*Tr. Asthma & Tussis n. 47. p. 294.*) Ex Anatome.

§. 28.

Quod addit, tempestivè accersitum Medicum excrementum alligatum discutere posse, id procedit, si non obstet excrementi copia, aut visciditas, aut malignitas, aut demum partis, cui alligatur, debilitas aut corruptio. Nihil partium continentium destrui in vivis, quin vitæ commercio prius privatum, id de destructione totali verum erit, successiva & particularis corruptio contrarium arguit. Quod corruptio in cadavere (aut ejus visceribus,) paucis ante obitum diebus inceperit, id vel phtisis & scirrhi, abscessus & steatomata &c. refutabunt. Neque semper corruptiones viscerum, ut indagent, aperiunt cadavera Anatomici, cum sint prætereà aliæ mortis morborumque occasiones. Ita Renem sinistrum grumo cruoris extravenati (qualis farcimini elixato inest,) tumidum & justo majorem in Hydrope extincto vidit *ipse Helmont.* (*Tr. Ignotus Hydrops n. 10. p. 408.*) In lenta febre sublatorum lapillos (*ib. p. 409.*).

§. 29.

Redeo ad cadavetum contagium; ubi quidem non nego cadaver spirare miasmata fœtida, innocua tamen & minimè contagiosa, quamvis hoc non admittat *Anton. Santorell.* (*Post-Prax. Med. c. 6. p. 15.*). Inde dubito an ista ratio semper moveat vulgum, ut fenestras post hominis è vita discessum aperiat, quam *Martin. Zeiler.* (*p. 2. Epist. 462. p. 526.*) in medium protulit. Qui prudentiores aliis sunt, id quidem ita proferunt, superstitionem ut pallient, aliter vero sentit ipsa simplicitas, quippe quæ hoc ipso animæ in conclavi detentæ parare nituntur exitum. Quasi anima cujusvis materiæ expers per fenestras tanquam per januas exeat.

§. 30.

Osculabantur sane apud Romanos sanguine proximi in mortis confinio constitutos sine noxa & periculo, extremumque excipiebant halitum. (*Alex. ab Alex. l. 3. Genial. Dier. c. 7. f. 177. b.*) Ita *Augustus* inter *Liviæ* oscula defecit, (*Sueton. in Vit. Ejus c. 89.*). In causam inquisiturus *Joh. Kirchmann,* (*l. 1. de Fun. Roman. c. 5. p. 25.*) *subjicit*, an quemadmodum peregrè abeuntes, sic etiam morientes osculo dimittendos censuerunt? Mortem enim ad vitandam δυσφημίαν abitionem dixere. Hinc illud frequens in tumulis: abiit, non obiit, ad id etiam Hebræos & Christianos respexisse, annotat (*c. l.*) *Anton. Santorell.* Proximus naufragio ille *apud Petronium* (*in Satyric. p. m. 147.*) ista ad *Eucolpionem*: igitur si verè *Eucolpion* dilexisti, da oscula, dum licet, & ultimum hoc gaudium fatis

tis properantibus rape. (*Add. p. 149. & Joh. à Wouwren in h. l. p. 459.*) An verò exeuntem animam hoc modo excipere, & in se transferre voluerunt, quod quidem fieri posse muliebriter crediderunt, persuasi animam per os, tanquam portam exitum sibi parare. Quare *Ovidius aut potius C. Pedo Albinovanus* (*Consolat. ad Liv. v. 95.*)

At miseranda parens suprema, nec oscula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente sinu.
Non animam apposito fugientem extraxit hiatu,
Nec traxit cæsas per tua membra comas.

Et *v. 156.*

Sospite te salsim moriar Nero: Tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

De *Argia* corpus *Polynicis* amati vidente (*Statius l. 12. Thebaid. v. 318.*)

Corpore toto
Sternitur in vultus, animamque per oscula quærit
Absentem.

Et de *Tyrrheno* morituro *Lucanus* (*l. 3. Pharsal. v. 747.*)

Ille caput labens, & jam languentia colla
Viso patre levat, vox fauces nulla solutas
Prosequitur, tacito tantum petit oscula vultu.

Plura *Casp. Barthius* (*Animadv. ad Stat. 12. Thebaid. p. 585.*). Animam *Mosis* per deosculationem oris ejus accepisse DEUM, comminiscuntur *Rabbini* (*Vid. Pl. Rev. Martin. Geier. (de Luct. Ebræor. c. 5. §. 11. p. m. 64.)*.

§. 31.

Mortuos præterea osculabantur in rogum ponendos. Patet id è *Tibullo* (*l. 1. Eleg. 1.*)

Flebis & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lacrymis oscula mixta dabis.

Mortuum *Polynicem* etiam osculari vovet *Antigone ap. Euripid.* (*Phœniss. l. v. 65.*)

ὦ φίλτατ' ἀλλὰ στόμα γε σὸν προσπτύξομαι.

Plura testimonia *Jacob. Pontan.* (*p. 3. Attic. Bellar. Syntagm. 2. n. 10. p. 101.*) Vulneribus oscula figebant. Ita *Papin. Statius* (*l. 12. Thebaid. v. 28.*)

Pars oscula figunt
Vulneribus magnis, & de virtute queruntur.

De vulneribus Martyrum interemtorum quædam habet *Casp. Sagittarius* (*l. de Cruciat. Martyr. c. 2. §. 31. p. 23. sq.*).

§. 32.

§. 32.

Aliquando oſcula morituris & mortuis data tamen obfuiſſe proditum. Moriturum ſi minus perturbant, levare certè non poterunt; certò deoſculantes offendunt; nam à mortuis vel in mortis confinio poſitis non niſi tetri halitus perſpirant: at hi ſunt certo exitio inſpirantibus, inſpirabunt autem exoſculantes, nam à facie, & oculis magna fit exſpiratio. Ita *Anton. Santorell.* (*c. l. p. 15.*). *E Schickardo* retulit (*c. l.*) Judæorum commentum *Dn. D. Martin. Geierus*, dentibus obeſſe, ſi quis conſanguineo cadaveri oſculum figat. Tenet ſuperſtitioſa turba mulierum, notat *ex Abrah. Sculteto* (*in Concion. ſupra Eſaiæ c. 47.*) *Henric. Kornmann.* (*p. 7. de m. m. c. 66.*) in ſua Philoſophia pro certiſſimo: Si mater mortuo infantulo oſculum dederit, oſculum illud cauſam eſſe, ut & alii infantes paulò poſt moriantur.

§. 33.

De oſculo contagioſo ſingularem in literas retulit hiſtoriam (*obſ. Med. rar. p. 137.*) *Edmund. de Meara.* Vir quidam nobilis, quoties vino incaleſcit, odorem ſpirat cadaveroſum, ſibi & aſtantibus valdè gravem; Sed uxori graviſſimum, cum in Venerem accenditur. Dixit autem, id ſibi accidiſſe ex oſculo conjugis, quam in primis nuptiis duxerat: Illi ſiquidem mortuæ & quatriduanæ, paulò antequam efferretur, oſculum dederat, à quo propter fœtorem ſibi continuo moriendum exiſtimavit. Quomodo ejusmodi oſculum hujus effectus tàm diu continuati cauſa eſſe poterit, ſubjicit citatus Autor, explicatu arduum eſt. An quia miaſma ſeu effluvium quoddam craſſum & viſcidum à cadavere putreſcente expirans inter oſculandum in cavitatem aliquam ſeu porum oſſis Ethmoidis penetrans ibidem hæret innoxium & inodorum, donec corpore incaleſcente agitatur & accenditur. Ita halitus pertinacis, qui triduo balneis & lavacris ex manibus aboleri non potuit, meminit *Th. Bartholin.* (*Diſſ. 9. de Med. Dan. Domeſt. p. 418.*); Fœtoris, qui etiam ultra viginti dies cerebro moleſtias creavit & nauſeam, *Conr. Victor Schneiderus* (*l. de Oſſ. Cribriform. p. 122.*).

§. 34.

Ego *cum Excellentiſſimo Heſpero Noſtro* (*p. 1. Dub. Circ. Infuſ. 17. §. 5. p. 285.*), qua ratione ejusmodi oſculum effectus tàm diuturni cauſa eſſe potuerit, nec ſemel affectum maritum quoque paulò poſt jugulare, aut certè eundem in in morbum graviſſimum conjicere, quærerem. Fefellit ſine dubio *Mearam* iſte Nobilis, ut connatum fœtorem palliaret. Invenias enim, qui hircum olent perpetuò, comprimis ubi nimio exercitio in ſudorem ſolvuntur. Judæis naturalis quidam fœtor, propterea vulgare illis Fœtentium nomen, ſicut etiam gra-

ve aliquid habent Arabes & hircino ſimile, quod è *Caſp. Sanctio Comment. ad 2. l. Regum c. 19.*) allegat *prælaudatus Dn. D. Geierus* (*c. l. c. 21. §. 4. p. 376.*). *Plura infra* (*Tit. h. l. 8. §.*)

§. 35.

Quod ſi morbis contagioſis defuncti, haud innoxiè illis oſcula imprimi, obſervationes tradunt. Cum cujusdam magni Comitis ſervus febre valdè maligna decubuiſſet, *narrat laborioſus Vitus Rietlin. (Lin. Med. Ann. 96. M. Jan. obſ. 25. p. 40.)*, ita, ut ab illa vita privatus fuerit, mortem ejus reſciſcens ſerva quædam è Turcia adducta, & S. Baptiſmate tincta, aut quod amore ejusdem flagraverit, aut quod varia beneficia ab eodem acceperit, aut alia de cauſa, accurrit & cadaveri quam plurima oſcula infixit. Eodem autem adhuc die itidem in febrem malignam tàm vehementem incidit, ut de vita periclitaretur.

§. 36.

Cæterum fœtor cadaverum non ſemper innoxiè naribus inſpiratur. Putridas è cadaveribus emanationes peſtiferas reputabat *Joh. Joachim. Beccherus* (*l. 1. Phyſ. Subterran. ſ. 5. c. 1. n. 41. p. 322.*). Mortuum tangendo febrem quendam contraxiſſe, *D. Vitus Rietlinus* (*Ann. 6. lin. med. M. Febr. obſ. 28.*) *teſtis eſt*. Fœtorem cadaverum ſtomachum ſubvertere, dixit *J. B. Helmont.* (*tr. cuſtos errans n. 46. p. 212.*), id verò de fœtore ſummo, ſummæ putredinis indicio intelligendum. Ratio *Helmontii* eſt, quod aër (ut omnis, ita & fœtidus,) poſtquam per pulmonem in thoracem deductus, ipſum ſeptum transverſum deorſum in formam circularem detrudit, ejus poros penetrat, & dum bibitum aërem Diaphragma transcolat, orificium ſtomachi afficit. Clarius forſan ad mentem *Helmontii*, & ipſo *Helmontio* verè magis *Carol. Muſitan.* (*l. 3. Trutin. Med. c. 8. p. 546.*) philoſophatur. Vomentis, *inſit*, aſpectus, ceu etiam rerum formidarum & nauſeoſarum, imò & ſermocinatio & imaginatio ventriculi ſubverſionem concitat, ob imaginationem, quæ radicale in ventriculo dominium obtinet, patet id in oſcitatione, quod ſtatim ſimilem imaginationem & effectum in aliis producit. Nec poſthabenda *Conr. Vict. Schneideri* (*l. c. p. 208.*) ſententia, dum pronunciat: Multi vomunt, aut vomituriunt eo temporis momento, quo illi ſibi maximè adverſum fœtorem perſentiſcunt. Nec mirum: cum hæ membranæ narium tunica, quæ propter nervos ſentit tàm exquiſitè, & gulæ tunica, ut ipſi hæ duo ſenſus affines ſint. Atque cogitatione & nauſea nunc vomitus provocatur, nunc alvus ducitur. Propullulat inde quaſi quædam Antipathia *ab Hieron. Cardano* (*l. 8. de Variet. Rer. c. 45. p. 574.*) obſervata, cujus ratione effici asſerit, ut etiam inſata & comprimis perfectiora animalia, maximè equi & canes

nes odorem mortuorum, sui generis refugiant Citat etiam (*c. l.*) hanc antipathiam, quando leprosos balneo ejus aquæ, in qua cadaver ablutum, sanari refert.

§. 37.

An cadavera, quibus maligni, pestilentes & venenati morbi fatum accelerarunt, ab omni contagionis culpa liberanda tandem erit decidendum. Affirmativæ non pauci favent, eò quod experientia & observationes Practicorum his stent à latere. Si cum vivis infectis sine contagii noxa versamur, cur non & cum mortuis? Exemplum planè singulare est, quod habet *Joh. Beverovicius* (*part. 2. Thesaur. Med. c. 11. p. 212. edit. German.*) de ancilla quadam Amstelodamensi, qui tribus locis peste affecta, & in hortum deportata juveni amatori, cui desponsata erat, singulis noctibus condormivit, & illæso juvene convaluit, de qua lepidum (*C. B. Casparis forsan Barlæi.*) subjicit *Epigramma.*

Incubuit tactam non una peste puellam
Sponsus, & ægrota virgine prurit amans.
Figit pallidulis rorantia basia labris,
Et media partes morte precantis obit.
Non juveni fuit ancillæ facere illa molestum,
Nec fuit ancillæ res gravis ista pati.
Ite procul Medici. Non sunt medicamina pesti,
Sanatur sponso succuba sponsa suo.

Convenit, si non eadem est, hæc relatio cum ea *à Vincentio Fabricio* metricè descripta, quæ *Miscellaneis curiosis* (*Ann. 2. obs. 188. p. 286.*) inserta legitur. Prætereundum fortè ob flagitii immanitatem fuerat Exemplum, quod adducit *Th. Jordan.* (*tr. de Pest. Phænom. c. 18. p. 217.*) de Vespillone, qui virginem noctu peste extinctam mane iniit, & indemnis evasit. Et quis non scit vespillones innoxiè ut plurimum talia cadavera tractare.

§. 38.

Mirus casus est è *Phil. Salmutho* (*Cent. 1. obs. 98. p. 58.*) qui sequitur: Roslavii ad Albim fœmina quædam peste corripitur, moritur. Adjacet ipsi infans annorum unius & dimidii, & lactat matrem defunctam. Maritus quoque post moritur, infans autem evadit. Infans duabus nutricibus peste infectis lactatus superstes remansit quoque, *ex observatione Joachim. Camerarii ap. Joh. Schenck.* (*l. 6. obs. med. p. 793.*). Infantes aliquot matum peste contaminatarum mammas absque noxa suxisse matribus pereuntibus ipse in peste Chemnicensi 1680. deprehendi, & testari possum. Quid *Petro Foresto* acciderit, (*l. 6. obs. med. 9. p. 163.*)

263.) retulit. Sex hebdomadas nutricem, s. matrem peste infectam suxit infans. (*Cornel. Stalpart van der Wiel. c. 1. obs. rar. 99. p. 397.*).

§. 39.

Secuit talia corpora absque ullo incommodo *Guilielm. Rondeletius.* Corpora illa mortuorum, (*scribit l. de Febr. Curand. p. m. 806.*) quæ amplius non exspirant, nullum venenum ejaculantur. Quod si aliquid contrahatur, hoc potius ab eorum pannis contrahitur, quam ulla re alia. Siquidem, *pergit*, dissecuimus aliquando corpora ex peste demortuorum multis spectantibus studiosis sine aliquo damno, propterea quod mortuo animali perit omne venenum. Quod *Rondeletii* factum etiam allegant *Petrus Forestus* (*l. c. obs. 28. p. 185.*). *Dan. Sennert.* (*l. 4. de Febr. c. 2. p. 736.*). Fecerat id etiam *Jacobus Bontius* (*Hieron. Florentin. in Pavii librum de Peste c. 4.*). Venetiis id etiam in Peste factum, testimonio *Pauli à Sorbait* (*de Peste Viennens. qu. 13.*). Idem tentasse *J. B. Helmont, supra* (*§. 26.*) allegatum. *Plura vid. ap. Th. Bartholin.* (*tr. de Vas. Lymphat. c. 2. p. m. 159. & Consil. de Anat. Pract. §. 3. p. 13.*

§. 40.

Rectius verò calculum mihi posuisse videntur negativæ Fautores & Patroni. Si namque corpora porosa inanimata, v. g. vestes pelliceæ, (*Hieron. Fracastor. l. 3. de Morb. Contag. c. 7. p. m. 482.*) Culcitra, (*Alex. Benedict. l. de Peste c. 3.*) Chordæ, quibus peste mortuorum cadavera sepulchris inserebantur, (*Vict. Trincavell. l. 3. Consil. 17.*) Corium & suber, (inde pestis sutorum Valentiæ in Hispania Anno 1648. *sec. Athan. Kircher. c. l. c. 9. p. 103. 104.*) & alia, quorum Catalogum *Nicolaus Massa* (*tr. 2. de Peste c. 1.*) & *Isbrand. à Diemerbroeck* (*l. 2. de Pest. Neomag. c. 3. n. 19. p. 97.*) collegerunt, non solum contagium recipiunt, sed etiam per plures sæpe annps servant, cum non in corpore, in quo ipsa pestis sibi elegit nidum & focum, & in quo suam exercuit tyrannidem, contagium illud adhuc posset delitescere? Ex Contagio cadaveris peste emortui plures interfectos notat *Zacut Lusitan.* (*l. 3. Prax. admir. obs. 43. p. 105.*). Ideo tempore pestis, ex Consilio *Illustris Cimbriæ Pro-Ducis Henrici Ranzovii* (*l. 4. Comment. Bellic. c. 15. n. 8. p. 229.*), mortuorum cadavera, quorumcunque etiam fuerint, ex navi ejiciantur omnia: non ideò quod per mare corpus exanime, ut quidam pro certo asserunt, duci nequeat, sed ne inficiantur superstites reliqui. Cadavera etiam à longissimo aërem corrumpere, *Nicol. Massa* (*c. l. f. 16. a.*) & *Simon Simonius* (*l. 1. Method. Curand. Pest. p. 36.*) docent, &, ut statim post mortem, æstivo comprimis tempore, terræ mandentur, *Martin. Pansa* (*Consil. Antipest. 2. c. 3.*) consuluit. Conf. *Matth. Unzer.* (*l. 1. de Pest. c. 16. qu. 3. p. 103.*)

§. 41.

§. 41.

Addo è *Wolffg. Gabelchovero* (*Cent. 5. Cur. & obs. med. 71. p. 165.*), etiam per feretrum, in quo mortuus quiescit, contagium fieri posse existimante, quod si timidi & meticulosi tractent, vel humeris suis gestent. Unde morem hunc opificum & artificum, pestis tempore, nunquam probare potuit, quo Opificium & Artificium quoslibet mortuos per arti suæ addictos volentes nolentes efferri cogit, minimè interim considerantes, quam latè lues hæc in meticulosis spargi & disseminari possit. Omnium optimè illud vespillonibus, & qui ex pacto ob mercedem spontè se huic negotio addicunt, hoc, quicquid est muneris, committitur, ita tamen, ut & illi, cum ferè quotidiè unus vel alter inficiatur & intereat, cum internis medicamentis præserventur, tum etiam, ne isti operi accincti pereant, omni studio & cura præcaveatur. Si rheda vel curru, non humeris, in cœmiteria deferantur, onere, fœtore, & periculo subtrahent humeros, nares & vitam. Ne exspirent per rimas luridæ istæ aporrheæ, pice rimæ in sandapilis obdurentur, clausoque feretro illud corio, ad id destinato, tegatur, quod in peste Chemnicensi ex consilio sanitatis curatorum & meo, non sine successu præstitum.

§. 42.

Sed ne sic quidem res omnis in vado. Tumbas à concluso aëre & fœtidis cadaverum exspirationibus evasisse deleterias, supra (*l. 1. Tit. 3. §. 53.*) demonstratum. Noviomagi in Peste in ipso Templo majore, ob sepulchra nimis multis cadaveribus peste sublatis repleta, & pauca terra negligentius contecta, cadaverum pessimus fœtor exspirans non uni exitiosum contagium intulit, *Isbrand. à Diemerbroeck* (*l. 2. de Pest. Noviomag. c. 3. n. 12. p. 94. & n. 19. p. 97.*) *prodidit*. Qui prudenter, ne in ejusmodi Templis conciones habeantur, consuluit. Omnium optimè sepultura pestiferorum in Templis à Magistratu prudenti non admittitur, & in Cœmiteria, solis his sepulturis destinata, (*die Pest-Gottes-Aecker,*) transfertur. Et cum fossas istas negligentes vespillones & luxuriosi (quis enim tunc temporis male feriatorum istorum coërceat malitiam?) non satis profundas parent, exantlata ista calamitate, negligentiæ istiusmodi medela est destinanda. Prudenter, *inquit P. Forest.* (*c. l. obs. 25. p. 182.*) in Peste Delphica, cum cadaveribus cœmiterium Templi antiqui refertum esset, senatus consuluit Medicos, quibus præcavendum, ne corpora ibidem sepulta de novo Pestem inducerent? Responderunt Alii, calce ac cœmento cœmiterium esse obducendum; Alii, ut lapidibus sterneretur. *Forestus* autem *cum Cornelio Ericio* consuluit, ut terra obduceretur, semine graminis in ea conjecto, ut demum crescente gramine, spiracula clausa minimè erumperent, quo gramine admodum

densè excrescente terra solidior facta, minus hæc lues denuò suppullularet. Quod quidem consilium secuti, pestis nullo modo rediit. Cum apud nos in vicinis pagis eadem vespillonum negligentia animadverteretur, *Electorali Dn. Præfecto* id consilii dedi, ut sepulchra limo luteo obruerent superstatuminarentque, & semine Graminis (*Heu-Saamen,*) conspergerent.

§. 43.

Facilè autem corruent affirmativæ propugnacula & tubicines, ad nostros arietes. Non valet, benè monet *citatus Diemerbroeck. (l. 2. de Pest. c. 3. n. 19. p. 97.)*, multa cadavera innoxiè tractant, ergò non sunt contagiosa, quod etiam viva infecta tractantes sæpius sine noxa faciunt, quia non habent aptam dispositionem ad recipiendam pestem. Exemplis de coitu cum infectis innoxio, exemplum aliud *ex Isbrando à Diemerbroeck* (*l. 4. de Peste Noviam. hist. 7. p. 225.*) repono. Qui cum uxore infecta, *narrat*, inscius Veneri litabat, inficiebatur, ambo moriebantur. Alia pestifero bubone correpta à viro hujus rei ignaro se iniri passa est, & spongiæ instar venenum ab uxore contrahit & uxore evadente, humuminire cogitur, quod *Petrus Forestus (c. l. obs. 20. p. 179.)* commemorat. De coitu cum infecta (execrando & flammis expiando scelere) quid dicam? Quid *Francisc. Mercur. Helmont.* (*Alphabeth. Natur. Colloq. 5. p. 44.*) de duobus nebulonibus, qui in non maligno morbo extincta id scelus committere piaculum non duxerunt, recenseat, audi, & digitum DEI ultoris admirare & venerare. Cum Sueci in Bavaria essent, duo quidam Equites ex turma Magistri Equitum notissimi fortè fortuna domum aliquam ingressi, cùm inventa in stramine suo fœmina mortua concumbere non fuerunt veriti, (ô quam

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur!)

è quibus alter quidem non iterum comparuit; alter verò per mensem, & quod excedit, carro vectus turmam secutus est, ob fœdissimum nempè ex facto illo contractum morbum, qui eum quoque è vivis sustulit. Totum autem corpus ejus undiquaque magnis scatebat tuberibus, ex quibus apertis vivi prorepebant vermes, ejusdem speciei cum illis, qui è putrescentibus demortuis prorepere solent. Unde quilibet putabat morbum istum non aliunde traxisse originem, quam fœmina illa mortua, in qua cum citra abominationem vitaliter mors suum exercere potuit imperium, quodque, quamvis à corpore ejus separatum, naturalem tamen Sympathiam amittere eo ipso non potuerit. *Hæc Junior Helmont.*

§. 44.

Infantes quod concernit, *addit Phil. Salmuth.* (*c. l.*), in humoribus quos infans suxit, nulla forsan semina pestis fuere, (quod tamen vix credibile, cum & carni

carni & ſanguini inſint intimè nupta) Quemadmodum febres peſtilentes Diarias, *pergit*, quæ in ſpiritibus figuntur, dari vulgò putatur. (Rectè quidem vulgò, docti namque ſecus ſentiunt.) Et licet in humoribus inſint quoque ſpiritus, hi tamen in proportione multò ſunt pauciores. De lacte quidem minimè verum erit effatum, cum aſſumta purgantia à Nutrice lacti facultatem purgantem imprimant, & animi pathemata cum Aliis circumſtantiis contrarium evincant. Veneni peſtilentis rabiem & ſpicula forſan fregit, & involvit lactis pinguedo, prout aliàs pinguia & inter hæ butyrum venena aſſumta cicurant, aut lac peſtilenti charactere tinctum in ſuccum & ſanguinem, Natura abhorrens hoſtem inquilinum, non convertit, ſed illicò per inferiora, ut alias lac crudum coagulatum, rejecit. Nec divina providentia & tutela inter poſtrema præſidia collocanda veniet. Hujus præſidio *Juſtus Jonas, magnus ſui temporis Theologus*, puer adhuc cepam parentis buboni peſtilenti applicatam comedit, ſed ſine noxa, *teſtante Georg. Weinrich* (*Biſem-Knopff Conc. 1.*)

§. 45.

Quod ad *Guilielmi Rondeletii* narrationem, de innoxia cadaverum peſte ſublatorum anatome, ejusque rationes attinet, reſpondent *Dan. Sennertus* (*c. l. p. 743.*) & *Ludovic. ab Hornigk.* (*c. l. qu. 489. p. 903.*): In dubio adhuc eſt, reponunt, an cadavera illa peſte interfectorum fuerint. Nulla enim ſigna ex iis, quæ evidentia ſunt, peſtilentia in iis apparuerunt. Et ignotum ſibi inter ſectionem fuiſſe, an cadavera illa peſte interemtorum fuerint, ipſe refert, neque addit, unde potiſſimum illud reſciverit. Et fuerint ſanè interfectorum peſte illa cadavera. Fieri tamen potuit, ut in cadaveribus illis à frigore hyberno vehementiore contagioſa vis extincta fuerit; Sicut videmus eandem in aliis fomitibus frigore hyberno aboleri. (*Joh. Coytarus l. 1. de Febr. Purpur. c. 3.*). Quæ ab Aliis tentata, raro contingentibus annumeranda. Salubriter monebat *Paulus à Sorbait* (*c. l. qu. 13.*): Si ſigna peſtis adſint certa, Anatomiam cadaverum, ut periculoſiſſimam, eſſe vitandam. Et hæc tutius credi, quam videri, monebat Chirurgum *Isbr. à Diemerbroeck* (*l. 4. de Peſte Nov. Hiſt. 15. p. 234.*). Quare, licet *ille* contagium à diſſectione muſculorum parvi faciat, illud tamen ex apertione cavitatum abdominis & pectoris furioſius in aſtantes irruere poſſe, credidit (*c. l. Hiſt. 32. p. 252.*) Cæterum, ſi malignitate & halitibus fœtidis turgentia cadavera cultelli acie ſe nobis objiciant neceſſariò, in illis non immoramur; Sed cito pede nos expedimus ſuaveolentibus & alexiteriis præmuniti, ex conſilio *Guern. Rolfinckii* (*c. l. p. 49.*) & *Godofr. Welſchii* (*c. l.*) celeberrimorum Anatomicorum.

§. 46.

§. 46.

Afficiunt & inficiunt etiam aliis morbis, mali moris, extincta cadavera vivos. Ita ex fœtore cadaveris scorbuto extincti, scorbutum contractum tradidit (*tr. de Scorbuto c. 5. p. m. 112.*) *Dan. Sennert.* De Lue venerea sequens subjici meretur *Volhardi* (*de Lue Venerea Disp. th. 22.*) quod ita habet: Evenit viro cuidam celebri, & curioso rerum Anatomicarum investigatori, ut ejus manus, dum corpus alicujus Indica Lue extincti secaret, undique ulcusculis Gallicis obsideretur, quæ præsentaneo statim remedio coërcuit. Felicior hoc *Jacobus Carpus, auctore Gabriele Fallopio* (*l. de Morb. Gall. c. 76.*), qui quum infensus esset Hispanis, geminos ex eis laborantes morbo Gallico cepit, & vivos administrationibus Anatomicis absque sanitatis, non tamen non sine honoris & famæ jactura destinavit. Ob id namque factum patria profligatus, Ferrariæ obiit. Nec veneno correptorum & corruptorum cadavera sine præservatione secanda & inspicienda esse, *Exc. Godofr. Welsch.* (*Judic. Ration. Vuln. Lethal. c. 17. p. 199.*) prudenter monuit.

§. 47.

An verò majus à vivis, an mortuis contagii periculum immineat, multos deprehendi esse sollicitos? *Hieron. Fracastor.* (*l. 1. de Contag. c. 12. p. 279.*) & *Guilielm. Rodeletius modo citatus* (*c. l.*) ab omni contagione & veneni suspicione cadavera absolvit, & si contagium ab illis contrahatur, id linteis & pannis illorum infectis assignat. Cujus opinionis absurditatem modo dicta evincunt. *Th. Jordan.* (*tr. 1. de Peste Phænom. c. 18. p. 190.*) & *Matthias Tiling.* (*tr. curios. de Febr. Petech. c. 10. p. 159.*) in cadaverum venenum quidem concedunt, viventibus tamen halitus tribuunt contagio aptiores, cum plus sit similitudinis inter spiritus animatorum, qui de facili inficiuntur, quam inter vaporem aëreum & spiritus hominis viventis. Inter vivos, *pergunt*, major comparatio, quam inter hominem & cadaver: hoc enim æquivoce homo, sicut abscissa manus, manus dicitur. At contrarium in simili. Facilius itaque afficitur homo ab olido infecti spiritu, quam à cadavere, ob potiorem similitudinis rationem & infectionis de spiritu corporis vivi in spiritum alterius viventis comodiorem transitum. Succinit his *Paulus à Sorbait* (*Med. Pract. tr. 3. c. 14. qu. 3. p. 532.*), si peste infectos respicias viventes tum per os, tum per nares, plurimum exspirant, tum etiam per poros à calore febrili hiantes. Peste contra extinctorum cadavera non minus inspirationis, quam exspirationis facultate sint privata, poros etiam ob extinctionem caloris nativi omnes astrictos & conniventes habeant, nec non iisdem veneni intus latitantis actio penè torpida & languida sit reddita. *Matthæus*

thæus Unzer (*c.l.p.102.*) nullum vel exiguum ſaltem peſtiferæ infectionis periculum eſſe à mortuis metuendum, rationi conſonum pronunciat. Eadem mens eſt *Thomæ Groſſio* (*Lect. de Febr. p. 261.*).

§. 48.

His ſe opponit *Laur. Joubertus* (*l. de Peſt. c. 3.*), qui à corpore vivente veneni facultatem à calore nativo & vigore cordis, aut à cœlo humano, ut loqui amat *Iſaacius Roët.* (*l. 1. de Peſt. Aphor. 58. p. 24.*), retundi aſſerit, ne facilè aliud corpus invadere poſſit; in cadavere autem venenum ſibi relictum ferocire, & radios ſuos paſſim diffundere, comprimis nova putredine adjutum. Pollicem huic preſſit *citatus Roët.* & addit (*Aph. 56. p. 23.*): Venenum, igneum noſtrum cum agendi vim à ſeipſo non à corpore accipit, non perit homine vel mortuo, quod à cadavere non dependet. Veneficos ex cadaverum ejusmodi ſanie inquinamenta venenata & fomenta peſtifera in perniciem generis humani parare, teſtatur *Flamin. Gaſto* (*tr. de Peſt. ſ. 1. §. 14.*) exemplo illius, qui Guraviæ eo modo perniciem aliis ſtruxit, & poſtremò ſibi invenit. Veſpillones, ut domos & loculos expilare poſſint, ſpumam de primi agoniſantis (forſan & mortui) ore pendulam clanculum cibis immiſcent, quibus reliquos ejusdem familiæ omnes inficiunt, infectos verò & debiles pulvinaribus faciei impoſitis ſuffocant, *advertit Isbr. à Diemerbroeck* (*l. 2. de Peſt. Nov. c. 3. p. 98. n. 21.*). Ex cadaverum peſtilentium elixatorum jure oſtiorum peſſuli, repagula, manubria, poſtes, limina Patavii illita *Julii Alexandrini teſtimonio Th. Jordanus* (*c. l. p. 215.*) *firmat. Add. ſupra* (*l. 1. Tit. 3. §. 65.*). Medicina Diaſtatica igitur hoſtes illos generis humani abuti *Andr. Tenzelius* (*p. 1. Med. Diaſtat. c. 7. p. 83.*) *concludit.*

§. 49.

Ad oſſium conſumtionem in Sarcophago perdurare hoc veneni genus, notabili narratione declarat *Caſp. à Rejes* (*c. l. n, 11. p. 889.*). Tres adoleſcentes inter ſe colludentes Sarcophagum intrarunt, ubi à triginta transactis jam annis peſtis tempore plurima cadavera conjecta fuerant, & ſuper oſſa ambulantes plurima commoverunt; ſed quanto periculo, ipſi poſtmodum experti ſunt, quippe omnibus maligniſſimo morbo correptis, unus tantum evaſit, forſan quia pauciora oſſa à ſua ſede dimovit, aut quia ad contagium ſuſcipiendum minorem diſpoſitionem obtinuit, aut tandem, quia veneno magis reſiſtere potuit. Ergo cum tanta ſit veneni iſtius vis, ut diu etiam oſſibus illorum, qui Peſte extincti ſunt, ſopita reſervetur; quantò promtius in illis, qui paucis horis expirarunt, & in quibus putridi & infecti humores, & virulentæ aliæ

ſtagnationes adhuc calentem & peſtiferum vaporem emittunt, contagium exire putandum eſt.

§. 50.

Levin. Lemnius (*l. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 3. p. m. 151.*) litem hanc ut dirimeret, diſtinguit inter contagium, quod à morituris aut modo mortuis, & à cadaveribus, quæ jam rigent & frigent, aliquot à morte horis aſtantibus imprimitur. Minus, *inquit*, periculi imminet iis, qui vivis peſte correptis aſtant, infectisque obſequium præſtant, quam ubi morientibus aſſiſtunt, tunc enim ſe diffundit contagio, atque ad obvia quæque dimanat. Simile enim quiddam corporibus recens extinctis evenit, quod cereis, lychnisque atque funalibus, quæ accenſa nullam graveolentiam naribus offundunt: At extincta flammaque ſopita, tetro undique fumantique odore cœnaculum complent. Ita plus periculi imminet, ubi animam exhalantibus præſto ſunt, (quod non ſine periculo *Felix Platerus c. l. p. 306.* cui, dum pulſum morientis tangeret, & frigido mortalique ſudore manum madefaceret, juxta pollicem carbunculus erupit, ut inde cautè omni ſepoſita audacia infecti à Medicis tractandi, moniti præterea exemplo *Ambroſ. Parei l. 21. Op. Chirurg. qui eſt de Peſte c. 12.. Add. Laurent. Giſeler. de Peſt. Brunſuicenſ. obſ. 34. & 128.*) quam ubi aliquid vitæ ſuper eſt, aut ubi horas aliquot extincti frigent, & rigeſcunt. Peſtifero animam agenti duo filii cum ancilla ante lectum aſtabant, qui tres ſimul ac æger extremum ſpiritum efflaret, eodem momento ſimul contagio affecti ſunt, *notat* iterum *Isbrand. à Diemerbroeck* (*l. 4. de P. N. Hiſt. 45. p. 263.*). Hic eodem Lemniano utitur ſimili *cum Cornel. Gemma* (*l. 2. Coſmocrit. p. 253.*), qui non ſine ratione multo periculoſius putari aſſerit decem languentes inviſere, quam ſemel adeſſe mortuo, præſertim ubi recens cadaver exhalat, aut etiam illis adeſſe propius, qui primum è domo funebri prodierunt. Non potuit tamen ſibi temperare *Lemnius*, ne adderet: Quod, ſi paulò diutius ſupra legitimum tempus hujusmodi corpora reſerves inſepulta, olida efficiuntur ſenſimque mephitim exhalant, ac ſanie taboque diffluunt, peſtemque, *ut hoc è Ludov. ab Hornig.* (*c. l. qu. 54. p. 34.*) *addam*, propagant, augentque.

§. 51.

Aſſentior *Argentoratenſium quondam Hippocrati, Melchiori Sebizio* (*Diſſ. de Morb. Contag. th. 124.*) probanti, contagioſiora viventibus eſſe cadavera (*α.*) quia in defunctis ſal vitæ, calor vitalis extinctus, qui putredinem arcebat in viventibus. (*β.*) Venenum, quod in vivo corpore à calore naturali reddebatur hebetius, in extincto efferatur, cum non ſit, quod illi reluctetur. (*γ.*) Duæ cauſæ fortius

tius operantur quam una, nempè μίασμα virulentum, & putredo fœtida, quarum ultima in vivente non, aut non in tali gradu dominatur. Venenum siquidem diuturniore mora quasi fermentatur, indiesque vires acquirit novas, *ut Joseph. Quercetanus (Pest. Alexicac. c. 2. p. 30.) loquitur.* Adde quæ contra *Fracastorium & Rondeletium* disputavit *Zacutus Lusitanus (l. 2. Med. Princ. Hist. 39. qu. 49. p. 340. & l. 4. Hist. 46. qu. 42. p. 756. demumque l. 3. Prax. Med. admir. obs. 43. p. 105.)* ut & *Hieron. Mercurial. (l. 5. Prælect. Patavin. c. 23. p. 631.).*

§. 52.

Magnum illud quondam in Medicina nomen Dan. Sennert. (c. l. p. 737.) benè distinxit inter Peste contaminatos, quorum morbus in salutem & vitam terminatur, & inter eos, quorum morbus lethalis. Qui peste laborant, & de vita non periclitantur, minus sunt contagiosi, præ cadaveribus lurido tinctis contagio. Contra illi, quos nec ipsa Salus servare posset, dum vivunt, contagio cadavera antevertunt. Ita observavit *citatus Autor*, neminem ab iis, qui convaluerunt, infectum fuisse.

§. 53.

Quod ad ipsa cadavera, tempus eorum commodè in tres partes distinxit *Isbrand. à Diemerbroeck (l. 2. P. N. c. 3. n. 12. p. 93.) (α.)* cum cadaver peste extinctum primis horis adhuc calet, & tunc magis contagiosum est, quam corpus vivens peste infectum, (1.) quia venenum pestilens in illo cadavere adhuc ferociter dominatur, ut docent bubones & exanthemata, quæ nonnullis post mortem erumpunt. (2.) Quia veneni violentia à calore nativo amplius non coërcetur. (3.) Quia halitus, qui ex morboso adhuc vivente exeunt, cum tenues sint & magno calore comitati, facilè dispelluntur, atque exiguam malignitatem conjunctam; contra verò halitus, qui cadavere adhuc calente exeunt, ab exiguo calore comitati, non attenuantur nec discutiuntur, sed propè cadaver hærent, magnamque malignitatem in se continent, &, viscositate quadam prædìti, facillimè aliis corporibus adhærent, eaque inficiunt. (β.) Cum cadaver tamdiu mortuum fuit, ut planè refrigeratum sit, & tunc cadaver multò minus contagiosum est, quam corpus morbosum vivens, quia ob frigiditatem & extinctionem caloris nativi pori sunt astricti & conclusi. Humores & spiritus non amplius agitantur, nullæ aut paucissimæ fiunt expirationes, & veneni intus latitantis actio (quæ à calore & motu anteà excitabantur,) languida & torpida reddita est. *(γ.)* Cum cadaver diu extinctum fuit, ut putredinem jam contrahere incipiat, & tunc cadaver rursus multò magis contagiosum evadit, quam

 cor-

corpus morbosum vivens, quia tunc, quod anteà languidum latebat venenum, vi caloris externi solum modo in actum rursus promovetur, verum ab insequente putredine multum exasperatur.

§. 54.

Moti hac de causa prudentiores Medici *cum Anton. Santorello* (*Post-Prax. Med. c.21. p.88.*), saluti proximi ut prospicerent, pestifero enectos veneno, quantocyus humandos consuluerunt. *Lemnius* (*c. l.*) & *Roët.* (*l. 4. de Pest. Aphor. 45. p. 78.*) spatium viginti horarum eligunt. Ne tamen semivivos adhuc terræ mandent, vespillonum turmæ probè erit despiciendum & præcavendum. Corpora intereà in loco frigido serventur, & ventis exposito. Noctu esse sepelienda quidam suadent. Id quidem utile, non tamen Christianum judicat *Joh. Colerus* (*c. l. c. 6. p. 834.*). Id verò ad *Tobiæ* Exemplum interemtorum cadavera noctu sepelientis, & Christianorum in persecutionibus idem observantium quomodo quadret, non dispicio. Durum illud telum, necessitatem, tunc temporis id imperasse, *Colerus* cum subtilibus Theologastris reponet. Et hoc idem pestis tempore superciliosus à præjudicio liber factus non inficiabitur. Matutinum tempus eligit non sine causa *Barthol. Keckermann.* (*l. 1. Syst. Polit. c. 13. §. 9.*), eò quod tunc minus periculi ab halitibus, quos cadaver meridiano tempore tepefactum largiores & graviores emittit.

§. 55.

In Controversiam demum venit, an brutorum carnes, lue contagiosa aut pestilenti conspurcatorum in cibum adhibitæ, characterem malignum propagando corpora nostra lædant? Decertatum, *notat Joh. Theodor. Schenckius* (*Hist. Humor. General. c. 2. p. 38.*), Patavii & Venetiis viginti abhinc annis inter lanios & incolas gravissimè fuit, quod illi ex Ungaria boves advectos emtos & mactatos in macello venditassent, quos tamen cives lue quadam infectos fuisse noverant, siquidem fluxu alvi cruento tentati plurimi perierant, translato nimirum ab uno ad alterum contagio. In consilium vocati sunt Medici Patavini, ut sententiam dicerent, qui statuerunt, carnem hanc innoxiam esui esse, licet affectu quodam contagioso laborassent boves. Etenim non modo esse hoc contagium privatum & particulare, certo animalium generi proprium (mumiale vocant Alii,) ex pabuli vitio contractum, sed & omnem istam malitiam sanguinis contractam fuisse & emendatam à prævia agitatione consueta gymnastica boum mactandorum, quemadmodum etiam constaret, quod & esui iterum gratissima illorum caro, neminique inde morbus excitatus. Contrarium sustinuerunt Medici Veneti, cum, quia carnes istæ sunt contagiosæ & in

in cibum adhibitæ facilè possunt sanguinem fœdare, tum, quia licet non essent contagiosæ, putridæ tamen, nauseabundæ & cadaverosæ, succis venenatis & deleteria qualitate prædictis gignendis accommodatæ. Responsum recitat *Fab. Paulin. (Prælection. Marcian. p. 370. sq.)* Quod si tamen lue demortuorum carnes in cibum vocare urgeat necessitas, sale aut aceto prius carnes probe macerandæ, visceraque cum aliis interraneis abjicienda, cum in iis causæ morbificæ focus & nidus existat.

§. 56.

Et sane circumspectius in hoc negotio esse agendum ratio & experientia dictitat. Carnibus & piscibus in putredinem vergentibus ad morbos exitiales popularesque concitandos (si iis continuo utamur,) nil esse pernitiosius, *Athan. Kircher. (Scrut. Pest. s. 2. c. 2. p. 208.) demonstrat.* De ovibus scabiosis pronunciavit *Aug. Thonner. (l. 4. obs. 14. p. 212.)*: Cum ovis est scabiosa, facilis conjectura, sanguinem insimul in venis pravis humoribus inquinatum, qui ex venis capillaribus extillantes, se in carnem & cutim insinuantes, scabiem concitant. Id quod ipsa αὐτοψία ostendit, dum alutarii excoriantes oves scabiosas, carnem admodum tumidam & ichorosam serosis humoribus inquinatam deprehenderunt, corruptelam indicantem. Nec lanam ovium contagio mortuarum innoxie tractari, *P. Borell. (Cent. 2. obs. 12. p. 115.) prodidit*, & qui vestibus ex lana scabiosarum ovium, licet tincta & præparata utuntur, *teste Hieron. Hirnhain. (Typh. Gen. Human. c. 9. v. 40, p. 98.)* evadunt scabiosi. A tibialibus ex ejusmodi lana confectis ulcera mali moris & phagadænica imprimi *Anonymus (Bericht von Begräbnissen in denen Kirchen,)* declarat. Quam malè cesserit sordido pagano suis morbosæ, etiam sale condita & fumo indurata caro, *Magnif. Nostri Joh. Mich. Febrii (M. C. Dec. 1. A. 6. & 7. obs. 191. p. 269.)* declarat observatio. Peste demortuorum animalium pelles eandem in homines transferre non dubitat *(c. l.) Fabius Paulinus*, cum vapores inde exhalantes usu & tempore facile analogiam & proportionem ad humanam speciem acquirere possint. Ab esu vervecinæ carnis pestilitatis contagium in homines transiisse, febresque malignas epidemicas Anno 1648. concitasse, *Petr. Borell. (Cent. 2. obs. 32. p. 130.) autor est. Conf. Ludov. ab Hornig. (c. l. qu. 42. p. 82.)*. Observatio, quam habet *Joh. Wier. (l. 4. de Præstig. Dæmon. c. 30. col. 490.)* digna mihi visa, quæ hic inseratur. Anno 1552. medicinam faciente in Lucensium balneis collega meo, narrabat *Francisc. de Pergula*, ejus loci Lucensium nomine vicarius, ibi circa pagum Menabiam supra balnea in fine Maji morbum quendam invasisse pecora tàm pestilentem, ut statim correpta tumescentia conciderent mortua. Rusticos verò, cum id

animadvertissent, quædam, subito affecta, è vestigio mactasse, in quibus id erat observatum, ut si horum infectorum sanguis nudum contingeret hominis corpus, Anthraces procrearet, qui, (quod mirum erat) non patefacti erant innoxii: aperti autem & confestim cauterio non notati latissimè serpebant, & aliquibus mortis erant causa. Caro pecorum recens læsorum & mactatorum cocta comestaque nihil inferebat incommodi: at jus carnis lethale potanti deprehensum est. Comprimis autem à sanguine & visceribus talium brutorum cavendum, cum hæc veneni sint delubra. Narrat *P. Forestus* (*l. 6. obs. med. 11. p. 167.*) boves, vaccas & oves peste infectas, cum aperirentur, in pulmonibus, Epate & aliis internis visceribus vivos pisciculos, similitudinem habentes cum soleis aut passerculis (*die Schollen*), minimos habuisse. Idem observarunt *Amstelodamenses* (*in Annot. Anatom. p. 18.*). De Symptomatis raris ab aqua fontana à certa lue extinctorum jumentorum infecta, evolvatur *Joh. Nicol. Binninger.* (*Cent. 5. obs. 46. p. 542.*). Optimè igitur *D. Sebast. Wirdig.* (*l. 1. Med. Spir. Curios. c. 21. §. 6. p. 115.*): Nocentissimæ sunt carnes morticinæ, utpote quæ semina morborum, ideam mortis sibi & spiritibus impressam, imò ipsam mortem in se continent, & hinc quo minus tangantur in lege divina prohibitum est. Plura circc hanc Controversiam doctè ventilavit *Exc. Joh. Christian. Frommann.* (*M. C. Dec. 1. Ann. 6. & 7. obs. 189. p. 255.*).

§. 57.

Contagium illud, certis animalibus proprium & mumiale, tanti mihi non videtur, ut omnem labem & contagionem isti carni abstergat, nosque ex omni parte securos esse jubeat. Plurium namque seculorum experientia observavit, *scribit Th. Bartholin.* (*l. 3. de Luc. Animant. c. 9. p. 508.*) à brutis pestilentiam incipere. Inde *Ovidius* (*l. 7. Metamorph. v. 538*):

Strage canum primo, volucrumque aviumque boumque
Inde feris subiti deprensa potentia morbi est.

Claudian. (*l. in Ruffin. v. 301.*)

Infecto morbus crudescere cœlo
Incipiens, primo pecudum depascitur artus,
Mox populos urbesque rapit, ventisque perustis
Corruptas stygiam pestem desudat in amnes.

Seneca (*in Oedip. Act. 1. Chor. v. 132.*)

Prima vis tardas tetigit bidentes
Laniger pingues malè carpsit herbas.

Silius (*l. 14. v. 593.*)

Vim

Vim primi sensere canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente volucris
Inde feræ Sylvis sterni: tum serpere labes
Tartarea atque haustis populari castra maniplis.

Pecudes prius inficiuntur peste, quam homines, commentatur in allegatum Senecæ locum *Th. Farnabius (p. 78.)* quia dejectæ ad pastum, & in terram pronæ τοὺς νοσώδεις ἐχεῖθεν ἀτμοὺς trahant, & ex his primum quibus odorandi præstantia, ut canes & muli, οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς. Vel etiam quod iis cerebri major caliditas, quam homini. In ululatum proinde canes abripi credidit Antiquitas, ob instantis fati sensum cujus cruditatem senserant. (*Th. Bartholin. c. l. p. 509.* Plura *supra l. 1. Tit. 3.* §. *6.*).

§. 58.

Canes & feles & alia bruta carnivora ab ejusmodi cadaveribus arcenda esse, experientia declaravit, cum venenata è cadaveribus suscepta in alium transferant locum, quod *Marsilius Ficinus* (*Epidem. Antidot. c. 2. p. m. 341.*) memorat. Historias miras recensuit *Athan. Kircherus* (*s. 2. Scrutin. Pest. c. 4. p. 245.*). Canes pestiferorum cadaveribus devoratis pestem in alia loca transtulisse, memorabile exemplum *Joh. Hildebrand.* (*Pest-Regiment. c. 8.*) in literas retulit. A Muscis & Crabronibus, qui cadaverum virus suxere, idem nobis periculum. Observationem iterum communicat *Ath. Kircher.* (*c. l. p. 247.*). Nobilis quidam in nupera Neapolitana peste, cum nescio quid ad fenestram observaret, ecce crabro quidam advolans naso insedit, & promuscidis spiculo eidem infixo tumorem quendam effecit, quo sensim crescente & intra viscera serpente veneno, intra biduum (haud dubiè ex contagioso humore, quem crabro ex cadavere suxerat) contracto, peste extinctus fuit.

§. 59.

A Rabiosorum brutorum aspectu & anatome abstinendum, *Nobiliss. Nostri Christiani Franc. Paulini* observatio admonet. Hic namque cum socio Chirurgo in rabiei caninæ causam inquisiturus, cerebro canis aperto nullo præsente cadaveris fœtore animo titubare cœpit (*Vid. Cynogr. s. 4. c. 11. §. 6. p. 217.*). Rabies non tantum communicatur animalibus à cane rabido demorsis, sed etiam si stramine, in quo brutum rabiosum incubuit, quod *Jul. Palmarius* (*l. de Morb. Contag.*) observavit, vescantur. Sigillatur illa in carne eorundem adeò, ut in illorum Archeum aut Spiritus, qui easdem comedunt, transplantet Characterismum annotatum. Omnes, qui porci à cane rabido demorsi carnem degustarant, rabidi effecti, *teste Mart. Crusio* (*p. 3. Annal. Suev. l. 11. c. 10. p. 628.*)

628.) & *P. Borello* (*Cent. 1. obs. 75. p. 76.*) Simile retulit (*l. de Lue Rab.*) *Casp. Bauhinus* & *Hier. Hirnbain* (*c. l. c. 9. n. 2. p. 96.*). Idem contigit his, qui felem in rabiem actam consumserant, de quibus *Athan. Kircher.* (*c. l. p. 207.*). Venatores quosdam lupum sæviorem trucidatum in varia obsoniorum genera apparavisse & coxisse, & eos omnes, quicunque carnes esitarunt, non multo post tempore rabie correptos, alios periisse, alios sociorum morte prudenter sibi prospexisse, *Joh. Fernelius* (*l. 2. de Abd. Rer. Caus. c. 14. p. m. 111.*) *prodidit.* Ab esitata rabidi equi carne, canes in rabiem acti, prout historiam communicat *Joh. Ristius* (*in der ersten Unterredung vom alleredelsten Naß p. 53.*). Ex lacte vaccæ à cane rabido demorsæ rusticum quendam, ejusque uxorem & liberos rabie infectos *meminit Balth. Tim. à Güldenklee* (*l. 7. Cas. Med. 23. p. 327.*). Rectè proinde, cum Neapoli Anno 1644. diebus canicularibus à cane morsi boves viderent insaniæ quoque incurrisse speciem, vulgus Neapolitanus hoc tempore à carnis bubulæ esu abstinebat, *referente Th. Bartholino* (*Cent. 2. Hist. 89. p. 332.*), qui ut veneni sævitiam eò magis declaret, sequentem subjunxit (*p. 333.*) relationem: Mulier aqua Rheni sanata curru cum alia comite in civitatem reversura propè portam vomitu superveniente animam evomuit. Itineris Socia, quam vomitus venenosus asperserat, infeceratque tertio inde die quoque exspiravit. Plura in hanc rem congessit *Casp. à Rejes* (*c. l. qu. 63. n. 37. & sq. p. 834.*), qui ex hac ratione remedia ab Antiquis ad morsum canis rabidi tantopere commendata, Epar nempe canis assatum & carnes ejus salitas, quas imprimis laudat *Jacobus Caranta* (*l. 2. Decad. Med. Phys. c. 8.*), improbat.

§. 60.

Prospexisse idcircò videtur sapientissima mater, Natura, brutis carnivoris, quando aut peculiari quodam monito, quod divinitus factum edicit *Joseph. Quercetanus* (*Pest. Alexicac. c. 2. p. 30.*), aut singulari dono nobis incognito illis cadaverum pastum, tanquam noxium, tacitè interdixit, aut surgentium vaporum abominabili odore monuit, ne pestem, ut *Helmontius* (*tr. Tumulus pestis p. 864.*) loqui amat, deglutiant. Confirmat id *Thucidides* (*l. 2. de Bell. Pelopones. p. m. 197.*), qui observat: Volucres & quadrupeda, quæ hominum cadavera attingere solent, aut ad ea in peste Atheniensi non accedebant, aut, si gustassent, protinus moriebantur. Ita *Lucretius* (*l. 6. de Nat. Rer. v. 1213.*):

Multaque humi cum inhumata jacerent corpora supra
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul exsitiebat, ut acrem exiret odorem,
Aut ubi gustarat, languebat morte propinqua.

Et

Et Ovidius (*l. 7. Metamorph. v. 549.*)

Omnia languor habet, sylvis agrisque viisque
Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ.
Mira loquor non illa canes avidæque volucres,
Non cani tetigere lupi.

§. 61.

In fulmine tactis idem deprehendi, olim (*Epist. de Infus. Chir. 1. ad Exc. Dn. D. J. D. Majorem §. 13. p. 91.*) notavi. *Add. Wolffg. Meurer.* (*Meteorol. p. 240.*). Inde *Quintilian.* (*Declamat. 19.*): Horreo cadaver, & velut corpora, quæ cœlestis exanimavit ignis adire propius timeo. Id tamen, cum ante aliquot annos in pago Hilbersdorff è vaccino genere sex aut septem vaccæ fulmine necarentur, vidi excoriatorem rheda sua cadavera eorum (*das Luder*) in ædes suas transtulisse, canibus ut venaticis pro victu servirent, quorum carnibus etiam sine noxa, ut postmodum rescivi, nutriti fuerunt. Vulgatum est, fulmen venenatis venenum auferre, non secus ut ignis venenum fugat, aëremque purgat pestiferum, *Vid. Adalbert. Tylkowsky* (*p. 1. Meteorol. c. 10. §. 6. p. 32.*). Interim quod non venenatis venenum affricet, multis persuasum.

§. 62.

Veneno enectorum cadavera etiam Sarcophaga abhorrere, communiter ferunt. De *Nausidii* à Prestere Serpente interemti cadavere *Lucan.* (*l. 9. Pharsal. v. 805.*):

Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud impune feris non ausi tradere busto.

Rationes suggessit *Hieron. Mercurial.* (*l. de Venen. c. 16.*), quia (*α.*) venenum humorem carnivoris salivam moventem consumit. (*β.*) Nauseabundos vapores cadavera spirant. Hominem à venenato animali demorsum, quamvis curatus fuerit, crabrones, vespas & apes præsentire, tradit *Plin.* (*l. 28. c. 3.*) & *ex Eo Anton. Mizald.* (*Cent. 8. aph. 81. p. 150.*), adeoque eorum corpora non ferire, eo quod in illis remaneat virus, excepto semel malo, ut venefici fiant, venena passi. Rectè proinde *Joh. Phil. Hechsteter.* (*Decad. 3. obs. med. cas. 2. p. 211.*), venenis idem cum Dæmone commune, fœtorem ut recedentia post se relinquant. Cum veneficorum mentionem fecerim, addo, balneatorem veneficum rotæ impositum aves per multas septimanas non attigisse, *attestante* id *Sigism. Schnizzero* (*ap. Gregor. Horst. l. 2. Epist. Med. s. 17. p. 587.*). Suspicatur hunc Magum fuisse *Andr. Libav.* (*c. l. p. 589.*), qui idem de alio in furcam tracto commemorat. Caussam habet, cur in audaculos in Peste invehat, *Ludov. ab Hornig.* (*c. l. qu. 190. p. 270.*).

270.). Unvernünfftige Thiere (so sonsten nichts liebers als Fleisch essen,) rühren keine an der Pest Verstorbene an, oder, so sie solche anrühren, sterben sie, warum wollen wir denn unvernünfftig seyn?

§. 63.

Nihil præsidii contrariæ opinionis assertoribus, inter quos *Franc. Redi*, qui *(de Inf. Generat. p. 138.)*, quicquid à vipera, aut terribilissimo Peti veneno, aut ictu scorpii enectum, tuto edi docuit. Quin & serpentum, viperarum, imò & Bufonum carnes non tantum innoxiè in cibum adhiberi, de quo *Jul. Cæs. Claudinus (de Ingress. ad infirm. s. 6. p. 207.). Bald. Angel. Abbat. (tr. de Vipera c. 26. p. 113.)* qui & varia Veterum testimonia citat, *Petr. Borell. (Cent. 2. obs. 37. p. 134.)* & *Joh. Nic. Pechlin. (Exerc. de Purgant. s. 2. c. 23. p. 304.)*, sed & medicamentis admisceri commodè, *Excell. Mich. Etmüller. (Diss. de Mors. Vip. Punct. 3. §. 1. sq.) judice*, utut viperinam rejiciat *Alex. Benedict. (de Pest. c. 9. p. m. 1149.)*. Nec dentem viperæ inficere, etiamsi etiam viventi excussus carni viventi infigatur, aut etiam pulverisatus devoretur, *juxta Marc. Aurel. Severin. (p. 2. de Vip. Pyth. c. 8. p. 359. sq.) Magnif. Nostrum Joh. Mich. Febrium (tr. de Scorzoner. p. 110.)*. Regero his: Quorundam animalium venenum in toto latitare corpore, omnibusque corporis partibus, & hæc etiam mortua non sine noxa comedi, imo tangi. De Basilisco *Galenus (T. 6. Op. l. de Theriac. ad Pison. p. 1058.)*: Ex aliis animalibus, si quid illum jam extinctum jacentemque attigit, & ipsum subitò interit. Quare omnium aliarum ferarum genus propinquitatem ipsius devitat. Quorundam certæ tantum partes venenatæ. Non carnem viperarum & serpentum, neque caput, quod voluit *Galenus (c. l. p. 1069.), Abbat. (c. l. c. 15. p. 76.)* neque etiam caudam *Claudin. (c. l.)* esse venenum, neque dentes, quod etiam credidit *Abbatius (c. 8. p. 48.)*; sed liquorem in duabus circa dentes vaginis, non quidem intro sumtum, ut experimentis probavit *Franc. Redi (obs. de Viper. p. 8.)*; sed vulneri instillatum, uti demonstrat *(c. l. p. 10.)*. Nec Bufones nocere, modo eorum sudor, sputum, vel urina non deglutiatur, *Borello (c. l.)* relatum fuit.

§. 64.

Quid verò de brutis spiculis intoxicatis interemtis? Non tantum carnem horum innoxiè comedi, sed & sapidiorem esse circa vulnus, sunt qui tradiderunt. Prius ex Veterum relatione confirmat *Galen. (c. l. p. 1063.)* & *Joh. Crato (ap. Laur. Scholz. Epist. Med. 139. col. 243.)*, qui vulneratam tamen partem abjici juxtim addit. Galli olim, *recensente Agellio (l. 17. Noct. Attic. c. 15. p. 425.)*, in venatibus quidem tingebant Elleboro sagittas, quod his ictæ exanimatæ feræ

feræ teneriores ad Epulas fierent, propter Ellebori contagium, vulnera tamen ex sagittis facta latius circumcidebant. Multa venatoriis Gallorum & Ægyptiorum venenis problemata collegit *Joh. Lang. (l. 1. Epist. Med. 68. p. m. 394.)*, qui & se cervum vix quarto à Granato oppido amplissimo Hellebori toxico interemtum cum aliis comedisse profitetur (*c. l. p. 401.*). Placet decisum *P. Zacchiæ (l. 2. Quæst. Med. Leg. Tit. 2. qu. 4. n. 38. p. 213.)*. Ego vix adducor, ut credam, nil nocumenti afferre posse animalium eo modo enecatorum carnes. Pro impossibili ergo non duco, quod carnes hujusmodi recenter mactatæ, ac simul in copia comestæ pro veneno esse possint. Quare si quis data opera homini eas afferret, & ille interiret, aliis præsumtionibus currentibus, mortis reus procul dubio esset, & tanquam homicida puniendus. *Hæc ille.* Hellebori succo interfectus cervus Asinum, qui mortuum portavit, *narrante Cratone* (*c. l.*), infecit & interfecit. Qui verò Asinus cervum portare poterit? quærat non sine causa quispiam. Adde quæ circa hanc Controversiam consignarunt *Dan. Sennert.* (*l. 6. Med. Pract. c. 1. p. 322.*) & *Casp. à Rejes (c. l. n. 44. p. 842.)*. Et hac de Causa Animalia, quæ in usum Medicum veniunt, haud quaquam veneno necanda censuit, *Petr. Andr. Matthiol. (l. 4. Epist. Med. p. 302.)*.

§. 65.

An Animalium, quæ venenatis vesci consueverunt, carnes deleteriam asciscant qualitatem? paucis rutinandum. Gallina Araneas deglutit, Anas Bufones, Serpentes Ciconia, & tamen carne earum impunè vescimur.

Præterea nobis veratrum est acre venenum,
At capris adipes & coturnicibus auget.

(*Lucret. l. 4. d. Natur. Rer. v. 638.*). Sturnos cicuta nutrit, homines perimit (*Galen. l. 3. de Simpl. Med. Facult. c. 17. p. 666. & l. de Theriac. ad Pison. p. 1050.*). Distinctione hic opus erit, pro quæstionis hujus solutione. Animalia venenis, aut potius rebus venenatis (inter venenum namque & rem venenatam utique distinctionem admitto, cum illud neque nutrimento, neque medicamento homini esse possit, hæc autem utrumque aliqua sui parte præstare, *vid. Pneumatopægn. s. 2. Art. 3.* §. 1.) uti aut semper, aut raro. Illo modo si contingat, alimenti vicem; hoc autem, medicamenti titulum obtinebit. Quæ igitur ex animalibus venenatis herbis &c. nutriuntur, illorum carnes utique deleteriæ erunt æstimandæ, cum compertum sit, quosdam educatione venenatorum evasisse veneficos. Ita de puella veneno nutrita, & *ab Indorum Rege*

Alexandro Magno transmissa legitur, eam adeò fuisse venenatam, ut sputo appropinquantes, respirando coëuntes interimeret. *Anton. Mizald.* (*Cent. 1. Memor. aph. 59. p. 15.*). Idem *de Regis Cambajæ* filio *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 175. f. 1. p. 568.*). *Euseb. Nirenberg.* (*l. 2. Curios. & Occult. Philos. c. 12. add. Pneumatopægn. c. l. §. 4. & 5.*). Apros in Pamphilia venenosos esse in cibis, quod herbis talibus nutriantur, *Joh. Brugerin.* (*l. 1. de Re Cibar. c. 21. p. 55.*). Mulier, capra, elaterium aut cucumerem agrestem comedens pueris purgatio, *juxta Hippocr.* (*6. Epidem. f. 5. tr. 34.*). In Ægypto & Judæa animalia cassia fistularia purgatoria sæpè vescuntur, inde carnes eorum comestæ Lusitanis Dysenteriam intulerunt, *Amat. Lusitan. Cent. 2. Cur. 45. p.*) prodidit. Ubi veratri copia crescit, ibi Coturnices comestæ spasmum inducunt, ut in Podolia. *Vid. Elzevir.* (*Descript. Podol.*) quod & Athenis, *Galeni testimonio* (*l. 6. Epidem. f. 5. Comm. 35.*), scimus. Accidisse novimus, idque *ex Aloysio Bellacato, Patavino medico celeberrimo* audivimus, scripsit *Bruno Seidelius* (*l. de Morb. Incurab. p. 102.*), ut, qui in Symposio quodam fuissent convivæ, omnes convulsione corriperentur, quidam etiam morerentur. Posteà inquisitione facta compertum est, appositas in convivio coturnices captas fuisse in loco ubi magna Hellebori copia proveniret, unde suspicio concepta fuit, ex Hellebori violentia id malum emanasse. *Ipse Plinius* (*l. 10. c. 23.*) coturnices olim mensas damnasse retulit, quod comitiali tententur morbo. Cum in quadam urbe degerem, *refert Casp. Schott.* (*l. 3. Phys. Curios. c. 28. §. 1. p. 465.*), viri tres cum famulo uno egressi ad fluviolum piscandi gratia, injecta in aquam majori copia Taxi, quam par erat, pisces per imprudentiam intoxicarunt, ac largiter deinde modis variis præparatos devorarunt; sed mox domum reversi & ardentissima febri ad unum omnes correpti, intra triduum, famulo excepto, animam efflarunt.

§. 66.

Quæ verò aliquando venenatis & rarò vescuntur, ut Aves Araneis, & quidem, ut videtur, tanquam medicamine, (inde avibus ægrotantibus araneos contritos cibo mistos, offerunt earundem curatores,) ab iis neutiquam, tanquam intoxicatis, abstinendum. Non spernendæ interim *Nicolai Florentini è P. Zacchia* (*c. l. n. 41. 42.*) cautelæ, nempè Animalium carnes venenatis vescentium, aut viventium esse innoxias, (α.) si animalia ipsa ex illis venenis nullam læsionem percipiant. Consuetudine enim medicatas herbas sibi familiares quis reddere potest, quod Hellebori Gulo *ap. Theophrast. Eresium* (*l. 9. Plant. c. 18.*) evincit; aliquando etiam à peculiari fermento subiguntur, *ratiocinio J. N. Pechlini* (*c. l. f. 1. c. 4. p. 58.*). (β.) Carnes eorum non crudæ, sed coctæ aut elixæ come-

medantur. *Conf. Joh. Langius* (*l.1. Epist. Med. 69. p. 407. sq*). (3.) Si ad monitum *Joh. Baptistæ Sitoni* (*Iatrosoph. Miscell. tr. 8. p. 42.*) viva capta per aliquod temporis spatium domi detineantur, & nutriantur.

§. 67.

Cum caro, sanguis, & ossa humana non semel medicamentis adjiciantur, aut etiam sola & sæpius cruda non semel ut medicamenta internè adhibeantur, quædam huc spectantia breviter tangere, forsan non erit incongruum. Cum carne non vescamur ut Anthropophagi, rarius etiam eadem utamur in medicamentorum compositionibus, addo saltem *ex Hieronymo Benzone* (*l.1. Hist. Nov. Orb. c.23. p.75.*), Indos Anthropophagos ab occisorum Hispanorum carne abstinuisse, ne caro eorum, qui tot calamitatibus eos affecerant, damnum post mortem illis afferret, corpora eorum intoxicando. Addunt *Alii ap. Joh. Rud. Camerar.* (*Cent. 1. Horar. succis. c. 14. p. 86.*) à carne eorundem duriore, & exsucca, utpote, quæ nisi tres dies maceretur, (maceratio verò ista crudis vescentibus qui innotuit?) esu apta non sit, eos abhorruisse. Inhumanum ossa, sanguinem, & similia hominum præbere hominibus devoranda, *censuit Joachim. Camerarius* (*ap. Joh. Hornung. Cist. Med. p. 269.*). A mortuorum hominum carnibus ciborum penuria tàm obsessis, quam obsidentibus Neapoli comestis, originem Luis Gallicæ derivat *Leonhard. Fiorovantus* (*l.1. Artzney-Kron c. 24. p. 101.*). Idem retulere *Sandysio* (*l. 4. Itinerar. p. 512.*) *Alii*, quod quidem ad eluendam vel excusandam gentis ignominiam fictum credidit *Th. Bartholin.* (*de Morb. Biblic. c. 7. p. 40.*). Quæ si vera origo (*laudatus Autor addit*) non miramur, quod Indis Anthropophagis familiaris antea fuerit. Collimant huc experimenta, quæ *Fiorovantus* (*c. l.*) allegat, qui concludit: *Daß ein jedes Thier durch den Gebrauch des Fleisches von seinem gleichen solche Kranckheiten zu bekommen pflege.* Add. *Fr. Bacon. de Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 1. n. 26. col. 758.*). *Petr. Petitum* (*l. de Nat. & Mor. Anthropoph. c. 16. p. 248.*). Unus ex Arabiæ scriptoribus memoriæ prodidit, (*narrat Georg. Agricola l. 1. de Peste p. 37.*): hi qui fame urgente cadaverum ossa fregerunt, & earum medullam comederunt, subitò mortui sunt. Mumiam, quæ in Pharmacopœis prostat, venenum quavis peste pestilentius vocat *Petr. Amelungus* (*Apolog. contr. Guilielm. Pœchel. c. 1. p. 34.*), legitimamque ad nos deferri constanter negat.

§. 68.

Si sanguis humanus recens picas reddit garrulas, uti fertur, & asini ignavi sanguis exhibitus Maniacos refrænare valet, uti Practici tradunt, *Joh. Hartmann.* (*Pract. Chymiatr. p. m. 16.*) idque non semel se probatum invenisse *B. Dn. D. Joh.*

Michaëlis, Practicus & Professor Med. celeberrimus non semel me auditore è publica Cathedra fidem fecit, quod etiam *Frid. Hoffmann. (l. M. M. c. 19. p. 291.)* retulit, variaque Practicorum super hoc Experimento autoritates congessit (*Tr. de Asino s. 4. c. 1. §. 5. p. 219.*) *Noster Christ. Franc. Paulini*, sanguis animosi juvenis calens melancholicis, meticulosis propinatus animum quoque addere posset, Microcosmum Medicum *cum Joh. Hartmanno Chymico quondam Marpurgensi* si quis experiretur. Ita *Nobiliss. Dn. D. Mauritius Hoffmann.* (*Thes. Med. de Sangu. ejusque obs. Coroll. 8.*). *Conf. Henr. Kornmann.* (*p. 5. m. m. c. 21.*). Pari modo sanguis humanus à quibusdam contra Epilepsiam hauritur, quam commodè, judicant & observationibus illustrant *Celsus (l. 3. de R. M. c. 34.). Plinius (l. 28. c. 1.). Tertullian. (Apolog. contr. Gent. c.). Joh. Langius (l. 1. Epist. 71.). Nicol. Tulp. (l. 4. obs. Med. c. 4. p. 297.). Petr. Petit. (c. l. c. 5. p. 111.)* & quæ *supra* (*l. 1. Tit. 2. §. 37.*) in medium protuli. Proprium tamen sanguinem Epilepticum sorbere posse cum maximo juvamento, *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. Hist. Anat. 78. p. 308.*) modumque ibidem monstravit. Pavorem & mansuetudinem in sanguine leporis, comprimis venati, adhuc latitare, *J. B. Helmont.* (*tr. potest. Medicam. n. 29. p. 382.*) voluit, inde ad incandescentiam Archei in Erysipelate & Dysenteria eundem commendat. Proclamarunt igitur *Xenocrates* (*de Nutrim. ex Animal.*) & *Polemon.* (*l. de Vita secund. Nat.*) apertè, carnium nutrimentum inutile & assimilatum animis bestiarum, *teste Clemente Alexandrin.* (*l. 7. Stromat. p. m. 515.*). Add. *Sebast. Wirdig.* (*c. l. c. 24. §. 17. p. 136.*). Eam non transire in substantiam aliti, *Joh. Caramuel.* (*l. 5. Metalog.*) & *Paul. Voëtius* (*Philos. Prim. Reform. c. 10. s. 7. n. 8.*) putarunt.

§. 69.

Chymici Essentiam è sanguine humano parant, ut *Joh. Petr. Faber* (*l. 1. Myrothec. Spagyr. c. 8. p. 511.*). Spiritum etiam, quem in Epilepsia magni æstimat *Helmont.* (*tr. Aura vitalis p. 578.*) & *Joh. Hartmann.* (*c. l. p. 103.*) qui & oleum & balsamum Ejusdem ibi laudat. Sed omnia è sanguine humano facta medicamenta *Dn. D. Christiano Langio b. m.* erant suspectissima, quod his morum malitia transplantetur inevitabiliter (*Diss. de Morbill. additam. 8.*). Ita Passeris salacissimi, ut vulgo reputatur, volatilium, sanguis & cerebrum, cumprimis in ipso coitu transfossi, aut coitus saltem tempore, efficacissimum contra impotentiam celebratur remedium. (*Scalig. Exerc. 271. p. 818.*).

§. 70.

Observavit *J. B. Helmont.* (*tr. Infantis ad vitam longam nutritio p. 623.*). Nutricem salacem, furtivam, avaram, iracundamque suam fragilitatem transtulisse

lisse in pueros. Sic insolita in familias stupiditas, ira, dementia, multaque animi pathemata (præter defectus morales) dudum somniantia, ac tandem dierum sub maturitatem explicata prodeunt, & per lac propagata. Adde quæ alibi in hunc locum (*Discurs. Inaugur. de Nutrit. Inf. ad Vit. long. Helm. s. 1. c. 2. §. 7.*) commentatus sum. Singulare plane est, quod *à Joh. Prævotio* observatum, *refert Dan. Sennert.* (*l. 3. Med. Pract. p. 1. s. 2. c. 8. p. 124.*) & *laudatus Maur. Hoffmann.* (*c. l. thes. 20.*). Ruminandi desiderium in quodam Genuensi, ab ineunte ætate usque ad annum 50. viguit, eò quod infans matre mortua ex ubere vaccæ per biennium lac calidum hausisset. Id non tàm lacti, quam crebræ cum ruminante conversationi ascripsit *Joh. Conrad. Peyerus* (*l. 1. Merycolog. c. 6. p. 65.*) Ruminantis historiam propalat *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. Med. 100. p. 59.*). *Hieron. Fabrit. ab Aqua-pend.* (*l. de Ventricul. p. 135.*) & citatus *Peyerus* (*c. l. p. 66.*) Cranii etiam usum contra Epilepsiam sugillat *Petr. Amelung.* (*c. l. p. 33.*) idque absque conscientiæ gravi stimulo in usum trahi non posse credit, cum hoc modo bestia fiat necessariò, quod *ex Plinii* (*l. 28. c. 1.*) de sanguinis humani effato hausit. Eadem etiam mens olim erat (*Miscell. l.*) *Henrico Smetio.* Sed hos mitto. Audent namque & illi curiosoli censores album Græcum Hydropicis, nescio quam audacter, scio quam frequenter, præscribere, *scripsit Th. Mauffetus* (*ap. Laur. Schultz. Epist. Med. 279. col. 532*). Plura in utramque partem disputavit *Mich. Boudewyns* (*Ventilabr. Theol. Med. part. 1. qu. 7. p. 48.*). Hæc Medicorum inventa Anthropophagiæ affinia, *Petr. Petitus* (*c. l. l. 3. c. 5. p. 109.*), qui ejusmodi Medicos bustuarios (*p. 111.*) & remedia non remedia, sed veneficia declaravit (*p. 112. & c. 10. p. 129.*).

§. 71.

Multum de rure sapit, ut hoc Mantissæ loco è *Casp. Schotto* (*l. 2. Phys. curios. c. 3. p. 1524.*) annectam, quorundam Rusticorum cura, ne cum quis sibi ipsi laqueo gulam fregit, per eorum agros cadaver in Rhenum (Aquam) deportetur, putantium solum agri idcircò sterile reddi. Quomodo efficitur sterilitas? Nec DEUS puniens licitum transitum, nec cadaver inanime arvis nocet. Pirum, in qua Rusticus se suspenderat tempore quadragesimali æstate insequente fructuum copia ad prodigium luxuriasse recordor. A fructibus ejusmodi Arborum multi vulgò abstinent, ne idem mortis incurrant genus. Irrisit hos jam olim, *Diogenes*, (*teste Diog. Laërtio l. 6. de Vit. Philos. p. m. 305.*). Is namque ex Arbore quadam cum poma legeret, custode dicente, huic ante paucos dies homo suspensus est, ego, *inquit*, illam purgabo. Quid ergò *Plinium* movit è *Cremutio*, ut scriberet (*l. 16. c. 27.*): Nunquam vivere arborem, è qua Phyllis se suspen

penderit cum fructus ferat? Fabulam hanc fabula explicat *Jacob. Dalechampius* (*Not. in b. l. p. 719.*). Id est, quod fabulantur, Phyllidem post suspendium mutatam in Amygdalum nudam foliis, & cum Athenis reversus *Demopheon* ejus truncum amplecteretur quasi sponsum sentiret, frondem emisisse. Est & vulgi Belgici persuasio, qua putant è carnibus & caseis putrefactis in propinquo positis cerevisiam fermentantem corrumpi. *Vid. Isaac Schoock.* (*Cent. probl. mr. probl. 15. p. 15.*)

LIB. II. TIT. III.

De

Levitate & Gravitate Cadaverum.

Summarium.

1. P*Ondus aëris respectu locorum variat.* 2. *Aqua etiam.* 3. *Lacus Asphaltites & Agrigentinus.* 4. *Sal Polonicum & Armoniacum.* 5. *Vegetabilium pondus varium.* 6. *Animalium etiam imprimis hominum.* 7. *Aquatilia.* 8. *Medulla ossium.* 9. *Cerebrum.* 10. *Aliæ corporis partes.* 11. *Thibiorum & Sagarum corpora in aqua non mergi. Scribonii rationes.* 12. *Examinantur.* 13. *Sagarum per aquam probatio fallit.* 14. *H. H. Mejeri Scrutinium. Melancholicos non facilè mergi.* 15. *Aliorum Conjectura.* 16. *Sagarum per pondera & lances probatio.* 17. *Martyres appensis ponderibus in aquas præcipitati.* 18. *Caro carne gravior.* 19. *Causas dedit Hippocrates.* 20. *Causæ ex Galeno de pane.* 21. *Gravitas ægrotorum.* 22. *Mortuorum.* 23. *Non sunt sed videntur graves.* 24. *Ob renitentiam.* 25. *Levitatem viventi conciliat anima.* 26. *Molæ gravitate demonstratur.* 27. *Spiritus.* 28. *Quomodo levitatem concilient.* 29. *Illustratur morbis à defectu spirituum.* 30. *Unde juvenibus partium agilitas.* 31. *Senes plumbei.* 32. *A somno nocturno unde corpus levius.* 33.

33. Fœtus in utero mortui gravitas. 34. Spiritus non esse inanimates. 35. Malè cum vaporibus confundi. 36. Flatus in sanguine. 37. Cur Gravidæ in Thermis eleventur. 38. Ut & Hypochondriaci, Cachectici, Tympanitici & Hydropici. 39. Fumo Mercuriali tumidi. 40. Thermæ Petschinenses in Hungaria. 41. Magæ cur non ope Dæmonis mergantur, nec prolicidæ. 42. Cadavera ad tempus ad fundum delata cur emergant. 43. Seb. Bassonis philosophia. 44. Causa in cadavere quærenda, sed non in bilis ruptura. 45. Scaligeri & Aliorum ratiocinia. 46. Kozakii. 47. Kergeri. 48. Quando submersa emergant. 49. Plinii observatio examinata. 50. Conjecturæ Campanellæ. Bonaccioli. 51. Lemnii. 52. Exanimatæ. 53. Aër in pulmones tractus & impulsus. 54. Ex Aëre an alimentum. 55. Viæ aëris in pulmonem. 56. Sanguis timidorum brutorum aëreus. 57. Aër an verè ad Cerebrum pertingat. 58. Sanguinis circulatione id fieri, 59. Jovis omnia plena. 60. Aëris per poros cutis impulsus & expulsio. 61. Staticæ Sanctorianæ basis. 62. Aër an levis. 63. Quæ contra aëris levitatem afferuntur, refelluntur. 64. Æther quid, ejusque levitas. 65. Variæ gravitatis in mortuis causæ. 66. Objectio Sanctorii. 67. Pondus post obitum decrescere. 68. Fœtus pulmones intra & extra uterum, suffocatorum in aquis. 69. Fulmina corpori levitatem inducere posse. 70. Miracula in Sanctis. 71. Pisces mortui cur supernatent. 72. De ficu Ægyptia memorabile. 73. Ovis de die in diem aliquid de pondere decedere. 74. In Ovo pulvis repertus. 75. Sanitas à pondere corporis explorata.

§. 1.



Orporum naturalium pondus modo crescere, modo decrescere Statices subsidio facilè cuivis patescit. Aër in tota Athmosphæra æqualis gravitatis non reperitur (*Casp. Schottus l. 4. Technic. Curios. c. 6. §. 1. p. 259.*). In locis cœnosis & vallibus gravior illo, qui in montibus altissimis. (*Id. c. l. p. 260.*) Experimentum habet *Daniel. Lipstorpius* (*Specim. Philos. Cartes. part.*

part. 1. p. 113.), In Andium Peruviæ & Chilesmontibus, toto Terrarum orbe altissimis, aër adeò subtilis, ut nemo ferè illos impunè & sine Spiritus defectu transeat. Tantam namque Aër ibi ad inflammationem dispositionem habet, ut vel tenui motu & halitu inflammetur. Videas non infrequenter viatores in hisce montibus totos igneos, equos quoque & jumenta ore naribusque flammas spirare. Ita *Alphonsus Dualle, Procurator Provinciæ Chilensis Societatis JESU oculatus ap. Athan. Kircher. (l. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 5. p. 19.)* testis. Varia idcircò, occasione Machinæ Magdeburgicæ *à Prænobili Dn. Ottone Gericio* inventæ, Experimenta collegit *cit. C. Schottus (l. 1. Techn. Curios. passim, præprimis c. 21. p. 45.)*, quando statuam ligneam ab Eodem *Dn. Gericio* inventam, variam Aëris gravitatem & levitatem indicantem describit. Propinat & quædam *S. Sanctorius (Med. Static. s. 2. aph. 4.)*

§. 2.

In fonte unum pondus, aliud verò extra fontem Aquam habere, *à Cardinali Nicolao Cusano* edocti *(in Experim. Static.)* scimus. Pro sidereis frigoris & caloris effluviis carnibus & Aquæ mixtis, carnem & Aquam modo esse leviorem, modo graviorem *censuit J. C. Steebius (Cœl. Sephirot. c. 1. s. 2. n. 252. p. 37.)* Nil dicam de marina moleculis salinis saturata, (quam ideò crassam & gravem *Plutarchus quæst. nat. 1. p. m. 134. Hieron. Cardan. l. 1. de Subtil. p. 26. Rob. Boyle Relat. de Fund. Mar. s. 3. p. 15.)* dulcem contra, tenuem vocat *Barthol. Keckermann. (Comment. Nautic. probl. 2. p. 223.)*, quæ quamvis ubique ejusdem gravitatis non deprehendatur, circiter tamen & propè verum experimentis deprehensa fuit ea ratio, quæ versatur inter 46. & 45., ut 46. unciæ aquæ fluvialis æquiponderent 45. unciis marinæ. *Vid. J. A. Schaidlin. (Disp. Static. & Æstim. grav. Jenæ sub præsidio Ingenrosissimi Erh. Weigelii hab. s. 2. prop. 1. cons. 4. n. 25.)* Addam hic *ex acutissimi J. C. Scaligeri (in l. 2. de Plant. p. 367.)* observatione: Non propter partium tenuitatem crassitudinemve quicquam esse aptum vel ineptum ad sustinendum, sed ex earum cohæsione. Modum Muriæ conficiendæ docuit *Plinius (l. 31. c. 6.)* cujus maturitatis indicium *ex Galeno (l. 4. de Simpl. facult. c. 11. p. 716.)* discimus, si ovum innatet, quod etiam carnes Muria condientes hodienum observare deprehendimus. De Thermis & Aquis mineralibus forsan data occasione alibi. *(infra §. 37.)* De Instrumentis Hydrometricis *Joh. Tholdenus (p. 2. Haligraph. p. 76. sq.) August. Hauptmann. (Vom Wolckensteinischen Bad. c. 3. p. 26. sq.) Dn. D. Carol. August. Schæfferus (Salz-Probe) Athanas. Kircher. (T. 1. Mund. Subterr. l. 5. s. 2. c. 5. p. 275. & s. 4. c. 2. p. 298.)*

§. 3.

§ 3.

De lacu Asphaltite *Plinius (l.5.c.16.) Joseph. (l.4.de Bell. Judaic. c.28. p. 878.) Egesipp. (de Excid. Hierosol. c. 18. p. 154.)*: Nullum corpus animalium recipit, Tauri Camelique fluitant. Inde fama, nihil in eo mergi, coorta. Rationem dedit *Plinius (c. l.)* quod nihil gignat præter Bitumen, quo ita refertus, ut *teste Kirchero (c. l.)* bituminosum mare meritò dici possit. Cum itaque ponderosissimum sit juxta ac densissimum, & lenta densaque materia tenacissimum, illud utique omnia illa injecta, si molem bituminosam mole sua non superant, sustinebit. Docemur hoc, *monet Fr. Baco Verulam. (Cent. 8. Sylv. Sylv. n. 773. col. 915.)* depressionem sub aqua nihil esse, præter corporis pondus, quo excedit Aquæ pondus; adeò, ut illa tam ponderosa & valida reddi possit ex Mercurio fortè & similibus, ut sustinendo ferro sufficiat: cujus rei nullum video usum, sed dandam imposturæ occasionem. Memorat *Idem (c. l. n. 790. col. 918.)* à Medico usurpata fuisse balnea ex quodam minerali ad curationem podagræ &c. Corpus balneo impositum tàm facilè non descendebat, quam in vulgari Aqua. Patet etiam cur in Oceano facilior sit natatus, quam in fluviis. Item cur Naves, quæ in Oceano commodè vehuntur in fluviis vel profundius ferantur, vel planè submergantur. Salsa enim Aqua gravior est dulci, ut dictum. (*Add. Phil. Lohmejer. Exerc. Phys. de Artific. Navig. per Aërem th. 17.*) Mitigat hanc sententiam *Th. Browne. (l. 7. Pseudodox. Epidem. c. 15. §. 1. p. 976.)* asserendo, viva corpora non facilè in Asphaltite fundum petére, & præfatæ Causæ jungit (*§. 3. p. 977.*) illam *Strabonis* à Vorticibus bituminosis injecta in altum protrudi, ut non facilè mergantur, cum contra *Kircherus (c. l.)* Vorticibus corporum injectorum attractus assignet. De Lacu Agrigentino, in quo etiam nandi imperiti mergi non possunt (*l. 16. Geograph.*) *Strabo*. De similibus *Athan. Kircher. (l. 5. Mund. subterr. s. 4. c. 2. p. 297.)*

§. 4.

Ut ad solida provehar de Sale Polonico primas lineas ducet nostra oratio. Ille in sua fodina est mollis & levis, extra, in momento ita indurescit & ingravescit, ut unicum frustum, quod in fodina ab unico homine tractabatur, extra eam vix quatuor boves movere possint, ex observatione *D. Joh. Georg. Greiselii (M. C. D. 1. A. 2. obs. 78. p. 153.). Adalbert. Tylkowsky (p. 4. Meteorol. Curios. c. 4. p. 164.). Act. Erud. Lips. (A. 1700. M. Febr. p. 82.)* Idem de Sale Ammoniaco *Athan. Kircher. (l. 6. Mund. Subt. s. 4. App. qu. 9. p. 345.)*. Quamvis de Salis Polonici levitate, quid statuere debeat, hæreat *Bernh. Connor. (p. 1. Descript. Polon. Epist. 5. p. 294.)*

§. 5.

Eandem herbam pro locorum varietate varium pondus obtinere, *prædictus Cardinalis Nic. Cusan.* (*c. 1.*) advertit. Id verò an & quomodo contingere queat, alibi discussum. Temporis ratione variare potest, ut succulentiores distinguantur à lignosis, & mediæ ætatis à decrepitis & exsuccis, maturæque ab immaturis, quod imprimis in Radicibus comparet, & lignis. Inde ponderosiora, rejectis levibus, ut in medicamentorum compositione eligant Pharmacopoei, Medici solertiores imperant.

§. 6.

In Animalium, imprimis hominis vivi, corporibus diversum pondus, diverso tempore etiam deprehensum. Æstate temperata corpora sunt minoris ponderis, quam hyeme tribus libris circiter, tradidit *S. Sanctorius* (*c. l. s. 2. aph. 23.*). Corpora terra, cœlo, marique Lunæ Circulo completo incrementis consequenter augeri, & decrementis obsequenter imminui, olim *Apulejus* (*l. 11. Metam. p. m. 292.*) observavit, & Lunam fructus augere, & incrassare, animantia implere, *Galenus* (*l. 3. de Dieb. Critic. c. 2. p. 711.*) dictitavit. Cœpas forsan eximere licebit, quas Luna senescente gliscere & germinare prodidit *Plutarch.* (*l. de Isid. & Osirid. p. m. 49.*). Isiacis inde Sacerdotibus exosas. Ita & corporum sanorum pondus augeri atque minui *laudatus S. Sanctorius* (*s. 1. aph. 65.*) innuit: Corpora virorum sana & moderatissimo victu utentia singulis mensibus fiunt ponderosiora, unius sc. duarumve librarum pondere, & redeunt ad consuetum pondus circa finem Mensis, ad instar Mulierum, sed facta crisi per urinam paulò copiosiorem vel turbidiorem.

§. 7.

Aquatilia decrescente Luna exinanitate corporis laborantia; crescente verò pristinum pondus resumentia id præ modum illustrant. Verè *Manilius* (*l. 2. Astron. v. 94.*)

Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

& *Horat.* (*l. 2. Satyr. 4. v. 30.*)

Lubrica nascentes implet Conchylia Luna.

Id verò comprimis in illa concha fasciata, quam depictam dedit *Philipp. Bonnanus* (*p. 2. de Testac. A. 2. n. 99. p. 111.*), qui in plenilunio impinguatur, & ideò Tarentinis Camadia de Luna dicitur, clarum evadit. Physa piscis, si vera notat *Athanas. Kircher.* (*l. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 15. p. 42.*) & *Sylvester Ratray* (*adit. ad Symp. & Antipath. p. 31.*) decrescit & crescit, cum lumine Lunari. Aulicos inde Gammaris non ineptè composuit *Joach. Camerar.* (*Cent.*

4.

4. Emblem. 51. p. 52.) dum pro Emblemate Gammarum ponens sequens subjecit:

Crescente accresco Luna, decresco minuta,
Aulæ num melius pingitur effigies?

Magnam fœneratur lucem *Nobiliss. Noster Phosphorus (l. 1. Gammarol. c. 22. §. 8. p. 491.)*. Rationem dedit *Hieron. Fracastor. (T. 1. op. de Dieb. Critic. c. 4. p. 287.)* cuijunge *Fr. B. Verulam. (Sylv. Sylv. Cent. 9. Experim. 890. sq. col. 944.)*. Non tamen desunt, qui id non Lunæ, sed casui & alimenti abundantiæ aut defectui ascribunt, inter quos est *Anthon. le Grand. (p. 5. Instit. Philos. Artic. 2. n. 10. p. 833.)*

§. 8.

De Medulla ossium Luna plena crescente *Rod. à Castro (l. 2. Med. Polit. c. 2. p. 57.)* & *J. B. Helmont. (tr. Vita brevis p. 588.)*, quam quidem Lunæ vim nec forsan sine causa in dubium vocavit *Franc. Bayle (Probl. Phys. Med. 104. p. 160.)* Venatores, penes quos sit fides, ajunt, os de Corde Cervi in Lunæ adolescentia esse aliquando grandius. Dederim quidem, illud, ob sanguinem, qui incrementum tum temporis sumit, fieri ponderosius, & quoque facilius vitiari posse, *scribit Conr. Vict. Schneiderus (l. 4. de Catharr. c. 7. p. 255.)*. Cum experimenta de hac observationum biga sumere impossibile sit, nihil temerè pronunciandum & credendum.

§. 9.

De Cerebri pro diversitate Phasium Lunæ in & decremento multa congessit *cit. Schneiderus (c. l.)*, cui, si placet, junge *Adrian. Spigel. (l. 10. de Fabr. Corp. Hum. c. 4. p. 316.)*. *Anton. Deusing. (Exerc. de Respir. §. 182. p. 195.)*. *Petr. Laurenberg. Colleg. Anat. Exerc. 11. §. 30. p. 444.)*. *Laurent. Joubert. (l. de Paralys. T. 1. op. p. 329. & 339.)*. Opinionem hanc arenoso quidem fundamento superstratam vocat *Joh. Mays (Decad. 5. Prax. Chirurg. Rat. obs. 1. p. 25.)*; ita verò explicare nisus est *Godofr. Moebius (Fundam. Med. Physiol. c. 21. p. 591.)*: Sanguinem Luna plena vel nonnihil augeri vel spirituosiorem fieri, ut vasa Cerebri magis distendantur, cerebrumque intumescat. In & detumescentiam hanc motui cerevisiæ fermentationem subeuntis comparat *Nathan. Higmorus (l. 3. Disquisit. Anat. p. 1. c. 9. p. 224.)*. Facit huc illud *Hippocratis (cit. Th. Bartholin. l. 1. de Luc. Animal. c. 5. p. m. 45.)*. Luna plena sanguinem crescere ut mare. Movit id *Joh. Schrœderum (l. 1. Pharmacop. c. 9. p. m. 26. & 27.)* ut Lunæ imperio non cerebrum, quod fecerat *A. Theophr. Paracels. (Comment. in s. 1. aph. Hipp. 15. p. 704.)* qui tamen inconstantiam solennem prodidit *(l. 3. von Berg-Kranckheiten*

c. 3. p. 668.) & *Helmont. (tr. vita brevis p. 588.)*, sed Hepar, utpote primarium ex veterum hypothesi hæmatoseos organon subjiceret. Hepar quasi Lunam corporis nostri asseveravit (*tr. 4. de Microcos. p. 270.*) *Fr. Tidicæus.* Convenit ferè Hippocrates cum *Verulamio (c. l. p. 945.)* Cerebrum homini per plenilunium magis humoribus turgere *asserente*, de quo tamen dubitat *Cl. Salmas. (Diatr. de Ann. Climacter. p. 774.).* Experimentum de oculis Cattorum etiam habet (*c. l.*) *Kircher.* Crescitivam ideo vim Lunæ tribuunt Astrologi & accretionem partium derivat à Cerebro. *J. B. Helmont.* (*c. l.*)

§. 10.

Singularia quædam Exempla in hujus rei confirmationem addenda veniunt. Juveni Halæ in Tyroli Patre Judæo nato, nomine *Bonaquisto*, crescente Luna quoddam taurinum excrevit caput, non sine cornibus, decrescente autem detumuit, ut Zona prodiret auctiore. Recensuit *Georg. Stengel. (l. 1. de Monstr. c. 5. §. 6. p. 174.).* De quodam, cui callus â vulnere in vertice capitis circa suturam lambdoideam crescente Luna elevabatur altius, ita, ut dimidii transversi digiti spatio reliquam superficiem excederet, qui tamen decrescente Luna quoque desidebat *evolvendus Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. 72. p. 47.*). Vidimus cum admiratione, narrat *Laur. Forer.* (*virid. Philos. Disp. de Sympath. & Antip. th. 8. p. 177.*) Ingolstadii Germanum juvenem, cujus superius oris labrum aliquot mensibus magna cum deformitate vultus ad variam Lunam varie intumescebat, quamvis citra dolorem. In puero cui â primo Ortu Lingua portentosæ magnitudinis, increscente Luna crescebat, & continuò modicum cruorem fundebat, notat *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. hist. 44. p. 86.*)

§. 11.

Thibios, quos Fascinatorum naturæ esse *Plinius* (*l. 17. c. 2.*) asseruit, non posse mergi, ne veste quidem degravatos. Tybios hos vocat *Plutarchus* (*l. 5. sympos. qu. 7. p. m. 270.*) eorumque ut servorum emtitiorum meminit (*l. 1. M. M. p. m. 3.*) *Galen.* Evenit forsan inde, ut Sagarum corpora solito leviora reddi â Dæmone multi credant, quare cum aquæ injectæ non mergi asserantur earundem probatio per aquam frigidam emersit. Hanc in quibusdam locis adhuc observari, testantur *Göhausen* (*Decis. quæst. 1. p. 7. sq.*) & *Heinsius* (*Dissert. de Prob. Per aquam & Ignem p. 16.*). Contraria hæc proba plane est illi, de qua *Joh. â Chokier de Surlet.* (*Fac. Histor. Cent. 2. c. 61. p. 299.*) qua vi in vas ingens frigida plenum detrusus & fundum petens â crimine submersus reputabatur, non autem adeo profunde demersus criminis absolvebatur.

batur. Causam redditurus *Adolph. Scribon.* (*Physiol. de Nat. Sagar. f. 115.*), levitatem Dæmonis, utpote qui plus de aëre, quam aqua participat, iisdem communicari *autumat*. Deinde Dæmonem Sagas sustentare super aquis sese supponendo, *addit*. Antipathiam demum aquæ & sagarum, cum aqua Baptismi fuerint perversè abusæ, *allegat*.

§. 12.

Secundam rationem, ut non planè rejicio, cum id fieri posse nemo forsan inficiabitur; ita primam, quæ corpus aëreum, & ideò levitatem spiritui Sathanæ tribuit, ut ut ab hac opinione non alieni videantur *A. Th. Paracelsus* (*passim & imprimis in l. Meteoror.*) & *H. Nollius* (*l. 3. Phys. Hermet. c. 4. p. 167.*) cum *Aliis*. Spiritus enim isti neque leves, neque graves sunt, & quamvis leves essent, non obsidentur tamen à Dæmone, *regerit Joh. Georg. Gœdelmann.* (*l. 3. de Mag. & Venef. c. 5. §. 31. p. 102.*). Consortio saltem cum Dæmone fruuntur spontaneo. Nullam autem vidit rationem *Joh. Sophron. Kozack.* (*tr. de Sale c. 3. f. 13. p. 139.*) quomodo corpus hominis animale immutare Naturam, possit ob tale consortium. Esto, obsideat illas, *pergit Gœdelmann.* (*c. l.*), an propterea leviora reddentur illorum corpora? Annon sues Gergasenorum obsidens eos omnes in mare præcipitavit. Unde hæc demersio nisi à gravitate Diaboli. Hæc ut ut reponat *Gœdelmannus* aliæ causæ submersarum suum prostant. Aquarum congerie, profunditate gurgitum, motus velocitate abripi & in fundum pertrahi potuerunt, excluso etiam Dæmonum concursu, eorumque gravitate concurrente. Et cur Dæmoni gravitatem ascribit, forsan quia premere, quin & opprimere dicitur homines: *Er truckt die Leute*, sed de hoc videatur *Tob. Andreæ* (*Exerc. de mal. Angelor. potent. in Corp. c. 2. §. 2. p. 49.*). Corrigere se videtur *Gœdelmann.* dum *Scribonium Scribonio* opponit, ex quo colligas ipsum nec levitatem nec gravitatem Dæmoni ascribere. Ultima *Scribonii* ratio, quæ Antipathiam aquæ cum Sagis sinistrè, & minus Christianè fingit, Philosopho Christiano indigna habetur.

§. 13.

Sagas nonnullas aquis submergi jussit, quod *Rex Bohemiæ*, *Wratislaus*, historiis suis *Joh. Dubravius* (*l. 8. Hist. Bojem. p. 63.*) inseruit, & ex hoc *Martin. Del-Rio* (*l. 4. Disquisit. Mag. c. 4. f. 3. p. 659.*) *citat*, & dum nares & os claudunt in aquas injiciendis, facilius aquæ tyrannidem & submersionem effugient. Notus fuit *Petro Gasendo* è Melitensi equitatu nobilis vir (*Vid. T. 2. Op. p. 543.*), qui præligatis manibus & pedibus aqua superextabat, & demergi nequibat, ore scilicet & naribus præclusis. Probationem igitur istam fefellisse,

aute-

αὐτόπτης *Gœdelmannus (c. l.) testatur*, & (*n. 29. p. 101.*) detestatur & Dd. autoritate hanc suam munit assertionem. Adde *Heigium (p. 2. quæst. Jur. 39. p. 346.). Joh. Evich. (de Sagis f. 35. & 41.). Joh. Rudolph. Camerar. (Cent. 13. Memorab. n. 11. p. 1053.). Martin. Del-Rio (c. l. qu. 5. s. 2. p. 641.). Gisbert. Voët. (p. 3. Disp. Select. p. 573.). Jacobum R. A. (p. 3. Dæmonol. c. 6. f. 189.). Joh. Christian. Fromman. (l. 3. de Fascin. p. 9. c. 1. §. 7.). Casp. Schottus (l. 12. Phys. Curios. c. 11. §. 4. p. 1563.).*

§. 14.

H. H. Meier. (l. de Occult. DEI Judic. c. 6. §. 5. p. 89.) his subscripsit & aliam adhuc causam superaddidit, mœrorem in Sagis nempè aërem attenuantem, ut respirandi difficultas inde nascatur. Quid mirum igitur, *ratiocinatur*, si & inter hosce homines similes casus existant, ut dum minitantem judicem, carnificem torquentem, & ridentes lictores juxta se vident, concepto mœrore corpus eorum flatuosius reddatur. Cum, quæ in suspicionem Magiæ trahuntur, sint ut plurimum Melancholicæ, & ob imaginationes Melancholicas Sagæ tales esse perhibeantur, intestinis earum flatibus tumidis hanc levitatem *tribuit Joh. Heurnius. (ap. Th. Bartholin. Vol. 4. Act. Hafn. obs. 42. p. 140.)*. Singularis planè est *ap. Joh. Schenckium (l. 7. obs. Med. p. 843.) G. Wolphii* observatio de Melancholica à Dæmone diu vexata, cujus corpus paleæ instar levissimum fuit, quare cum suasu Dæmonis in piscinam cecidisset, ut resupinata jaceret, & manum utramque decussatim pectori impositam haberet, ea corporis positu aquæ per tres horas innatavit, ut nihil tamen aquæ intra corpus per os hauriret, illam tamen Divina, non Dæmonis ope, qui Eidem, ut fatum anteverteret, autor fuit, evasisse, ad casum namque præceps clamabat: *Das sey in Gottes Nahmen*, indubium. Nec silentio prætereundum casus *ab Oldecopio (Tit. 4. obs. Crimin. 13.)* notatus, quem in proba aquæ frigidæ se oculis suis usurpasse tradit. Suspectas aliquot Magiæ in Aquam projectas fuisse, & omnes ei innatasse; mox aliquem spectatorum crimineà ejusmodi immunem habitum pretio accepto à nonnullis personis illustribus eodem modo ligatum & in aquam abjectum fuisse, sed hunc æquè natasse ac illas, adeò ut etiam juvante Carnifice non potuerit submergi; Sicque dimisso illo omnes astantes judicii fallibilitatem admiratos fuisse.

§. 15.

Et cum tales Sagæ, utplurimum vetulæ, & corpora earum haud magno pondere ordinariè excedat pondus aquæ, non dubitat *ingeniosissimus Phil. Lohmejerus (c. l.)* fieri posse, ut arida senum vetularumque corpora eò usque exsic-

cen

centur, ut aqua fiant leviora, & per consequens ipsi innatent. Quod si non nudæ, sed vestibus indutæ in aquam præcipitentur, fieri poterit, ut aëre sub vestere tento, quæ madefacta poris occlusis, eum facilè retinere potuit, tela in aquæ superficie, vesicarum aërem continentium instar, fluctuante, ita corpus sustentat, atque elevat, quo minus in aquam demergatur, *concludit Felix Plater* (*l. 1. obs. Med. p. 170.*). Ligaturam Artuum transversim factam multum posse conferre *Heurnius* (*c. l.*) divinat, quem evolve.

§. 16.

Ejusdem ponderis est modus probandi Sagas per pondera & lancem. In ea namque opinione quidam versantur, quasi ultra certum pondus, nempè librarum quatuordecim vel quindecim deprimere non possint, quantumvis sint proceræ & obesæ. Contra naturam namque corpori terreo gravitas, & fluido & liquido divisibilitas (id verò frigus efficit) aufertur, *judicante Casp. Schotto* (*c. l. §. 5. p. 1564.*

§. 17.

Cæterum agere & hic Simiam DEI malum Dæmonem, fortè quis suspicetur, cum constet, DEUM sanctos Martyres servasse, ita, ut ne appensis iisdem variis ponderibus in aquis submergerentur. *De S. Quirino Prudentius* (*Peristephan. p. m. 290.*).

Summo pontis ab ardui
Sancta plebis Episcopus
In præceps fluvio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentem lapidem molæ.
Dejectum placidissimo
Amnis vertice suscipit,
Nec mergi patitur sibi
Miris vasta natatibus
Saxi pondera sustinens.

De Cadaveribus Martyrum idem contigit, ut etiam alligatis saxis à mari absorberi non potuerint. Ita corpus *S. Vincentii à Deciano* insutum corio, ad alligatoque saxo super undas innatans ad littus delatum perhibetur. De quo iterum (*c. l. p. 179.*)

Saxum molaris ponderis (cadaveri junctum)
Ut spuma candens innatat,

Tantique custos ponderis
Fiscella fertur fluctibus.

Plura ex Aliis collecta suppeditat *Simon Majol. (Dier. Canic. Colloqu. 10. p. 376.)*

§. 18.

Hippocrates, DEUS Medicorum tutelaris, ut vocatur *Zacuto Lusitano (l. 3. Hist. Med. Princip. qu. 9. p. 456.), passim, (comprimis l. 2. de Diæta)*, ubi de carnium natura & genio disputat, has carnes leviores, alias validiores, aut ut Alii vertunt, praviores, pronunciat. Ita *(c. l. p. m. 325.)* Agninæ ipsi ovillis sunt leviores, hædine caprinis, quia exangues magis & humidæ. Porcellorum carnes, *pergit paulò post, (p. 326.)* suillis sunt graviores.

§. 19.

An carnes ergò dicendæ sunt graves *ex Hippocrate?* quærit *D. J. Th. Schenckius (l. 1. Exerc. Anat. 2. s. 1. c. 27. p. 134.)* Respondent, *subdit, Commentatores*: De mactatis hoc verum esse. Levitate viventes variant, & fit una altera gravior. Causam gravitatis *Dictator* rejicit in sanguinis crassitiem & copiam, ut in bubula. *(c. l. p. 325.)* In humiditatem superabundantem, ut in porcellorum carne *(p. 326.)*. In alimenti assumti qualitatem & quantitatem, ætatem & sexum. Validissimæ, *pergit*, eorum animalium, quæ optimè laborant, & sanguine abundant, & supra quos recumbunt. Levissimæ verò, quæ minimè laborant, & in umbra latent, & in intimis animalis partibus sitæ sunt. Exanguium autem validissimæ Cerebrum & medulla. Levissimæ quæ in ventre inferiore musculi, pectines, pedes. *(p. 327.)*

§. 20.

Ut verò ob dictas & alias Causas carnem carne graviorem & leviorem esse non inficior, exemplo panis *à Galeno (l. 1. de Facult. Aliment. c. 5. p. 61. sq.)* allegato; ita & *Hippocratem* de eo sermonem habere juxtim hariolor, quod carnes aliæ concoctu sint difficiliores (validæ), aliæ facilores (leves), quod quædam validum suggerant alimentum, quædam leve, quædam siccitate & carnositate viscera concoctione dicata roborent, quædam levitate sua aut laxent alvum, & intestinorum levitatem procurent, aut facilè aut brevi concocta per alvum secedant, quod ipsius de pane fermentato & non fermentato discursus evincit *(c. l. p. 532. sq.)*. Ex panibus autem *inquit*, fermentatus quidem levis est, & per alvum secedit. Ac levis quidem est, quoniam fermenti acore humidum consumtum est, quod in alimentum transit; secedit autem, quia citò coquitur. At non fermentatus, minus quidem alvum dejicit,

cit, plus verò nutrit. Exſucco autem ſubactus levior eſt, abundè nutrit, & per alvum demittitur. Nutrit quidem, quia purus: Levis verò eſt, quod leviſſimo ſubactus ſit, & ab eodem fermentatus & toſtus. Per alvum autem ſecedit, quod dulci & alvum ſubducenti tritici parti commixtus ſit. Ut ita potius nutrimentum, ſeu carnium facultatem & qualitatem reſpicere videatur *Venerandus Senex*, quod & titulus commentarii de diæta ſeu victus ratione, aut potius alimentorum facultatibus innuit.

§. 21.

Miſſis his, ea potius aſſertio hic expendenda venit, qua prodiderunt, mortuis pondus accedere, quod viventibus non fuit. Inde vulgus de morituris: *Sie werden Erdſchwer.* Graviter Ægrotantium querela eſt: *Die Glieder werden ihnen wie Bley, ſie können ſich weder regen noch wenden.* Ut adeò non tantum Terram oleat (*Vid. l. h. Tit. 8. §. 39.*), ſed & pondere, ſi non ſuperet, ſaltem æquet, id quod Terræ mandandum, & in Terram commutandum corpuſculum. Ægrum facilè converti oportet, & dum ſurgit levem eſſe *Hippocrates* (*Coac. Prænot. n. 493. p. m. 185.*) *pronunciat.* At gravitas, quæ totum corpus, vel manus ac pedes premit, vitioſa eſt. Quod ſi cum gravitate digiti quoque ac ungues lividi fiant, in propinquo mors eſt.

§. 22.

Non autem de gravitate mortuorum hic ago, quæ ipſis à putrefactione obtingit, cum de illa nemo è ſanis dubitare poſſit, de quibus *infra* (*l. 3. Tit. 3. per totum*) verba facio. Sed de vulgi ſaltem §. *præcedenti* murmure & perſuaſione. De Veritate hujus aſſertionis ne dubii hæramus, præfata mortis Candidatorum teſtimonia ſufficere poſſent, imò & Libitinariorum quotidianæ experientiæ. Accedit *Plinii* (*l. 7. c. 17.*) autoritas, dum ſcribit: Mares præſtare (fœminis) pondere, & defuncta viventibus corpora omnium animalium, & dormientia vigilantibus. E Recentioribus eſt, *Hippolytus Obicius* (*in Statico Maſtyg. Dial. 1.*) *Petrus Mexias* (*part. 1. Sylv. var. lect. c. 14. p. 61.*) *Paulus Zacchias* (*l. 5. Quæſt. Med. Legal. T. 2. qu. 11. n. 10. p. 437.*) & *Alii.* Et ut omni ſcrupulo Lectorem exſolvam, Gravidæ teſtimonia dicant. His nempè fœtus onus usque ad ſeptimum menſem, quo *teſte Hippocr.* (*l. de Part. Septimeſtr. ſ. 3. op. p. 36.*) membranæ dum tenduntur, & umbilicus vellicatur, dolores matri pariunt fœtusque priſtino vinculo exſolutus gravior evadit. Hæ igitur ſi ſanitate fruantur integra, fœtus pondus vix ſentitur; ſtatim verò ubi fœtus emortuus, dilabitur in ultero, quocunque ſe vertat mulier, ὥσπερ λίθος, ſicut ſaxum, ut iterum *Dictator* (*l. de Superfœtat. p. 43.*) matrique eſt pondero-

 dero-

derosior, ut cum Aliis Practicis *Rod. à Castro (l. 2. de Nat. Mul. c. 2. p. 437.) Lazar. River. (l. 15. Prax. Med. c. 19. p. 482.) Franciscus Moræus (obs. de Febr. Malign. Paroxys. c. 16. p. 232.)* notarunt.

§. 23.

Sed nec hæc multis satisfaciunt, qui proinde negativæ suos adjiciunt calculos, quia per mortem nihil corpori additur, ut ita dicam, corporeum & ponderosum. Distinxit *S. Sanctorius (s. 8. Stat. Med. aph. 9.)* & *Thom. Browne (l. 4. Pseudodox. Epidem. c. 7. §. 3. p. 734.)* inter id, quod est reipsa ponderosius esse, sive ad stateram, & inter id, quod ponderosius esse videtur & creditur. Videntur secundum hos Cadavera majus acquisivisse pondus, cum si ad stateram rem examines in pristino adhuc deprehendantur pondere.

§. 24.

Quid in re, cujus experientiam per vitam facere, nunquam occasio tulit, adeoque dubia statuam, hæreo adhuc. Non dubium est, graviora corpora apparere emortua, & dum in altum tolli ea sustinemus, reniti. Viva contra leviora, cum absque renitentia proprio motu motum de loco in locum adjuvent, & sibi ipsis leviora æstimentur.

§. 25.

Causæ, quæ Levitatem vivo conciliant, comprimis sunt Anima, Spiritus, Æther, Aër. Anima nostra, quamvis incorporea, ut nemo dubitat, idque evincere sategit *Kenelm. Digby (tr. de Immortal. Anim. c. 5. 6. 7. & 8.)*, meraque spiritualis, adeoque neque gravis neque levis sit, tamen corpori levitatem inducere videtur, quatenus actus secundus est, & in eo operationibus se prodit suis. Inter operationes & proprietates ejus non minima est, *Judicio Digbæano (c. l. c. 9. p. 549.)*, qua movere potest & operari immota ipsa & intacta. Cum igitur omnis vita in motu sita, motusque omnis corporum ab alia extra se causa, licebit certò concludere, animam absque motu extrinsecus impresso moventem fontem quendam vitæ in se continere.

§. 26.

Quid anima ad levitatem corporis valeat, Molæ carneæ in utero moles, si ad fœtum referatur, approbè testari poterit. Fætus namque quamvis & magnitudine & pondere, cum secundinis & Aquis aliquoties molæ superet pondus & magnitudinem, non tamen ita onerosus matri videtur, seque dum movet, in eo quasi volitantis muscæ blanda excussio & levis titillatio percipitur, præsertim calente manu imposita cujus sensu subitò calcitrat, ut *scribit Fran-*

Franciscus Feyneus (*l.4. Med. Pract. c.50.*) quia animatus. Molæ contra cum Metaphorica vita gaudeant, & non nisi vegetali facultate instructæ ad sensum motumque omninò ineptæ sint, *ut loquitur Anton. Deusing.* (*in fœt. Mussipont. secundin. ſ.21. p.148.*), majori gravitate & pondere gravidas veluti pondera propè os pubis toto gestationis tempore afficiunt, & ad fœminarum decubitum dextrum vel sinistrum prolabuntur. (*Rod. à Castro l.3. de Nat. Mul. c.7. p.392.*) Nomen igitur à motus tum difficultate, tum gravitate Mola accepit *secundum Aëtium* (*l.16. c.80.*), quod instar molaris Lapidis fœminino generi sit molestissimæ, *prout censet Dan. Sennert.* (*l.4. Med. Pract. p.2. ſ.4. c.9. p.352.*). Inde omne, uterum quod gravat, sive tumor uteri sit induratus *Paulo Æginetæ* (*l.3. c.69.*), sive flatuosa & aquosa substantia, aut quicquid intra uterum conclusum, & ipsum gravidationis modo in tumorem attollit, Aliis, quamvis minus accuratè Molæ nomine venit. Sed & Molam Græco μύλην dici, suspicari quis posset à rotunditate, qua utplurimum gaudent non aliter, ut μύλην patellam seu rotulam genu impositam, dixit *Hippocrates* (*ſ.4. op. l. de Loc. in Hom. p.81.*) *Vid. Anut. Foesius* (*In Oeconom. Hippocr. p.420.*) Plura dabit *Joh. Bapt. de Lamzweerde* (*Natural. Molar. uter. histor. c.1. p.11. sq.*)

§. 27.

Spiritus fidissimos istos Animæ satellitas Animæ in hoc casu jungimus. Nihil in universo corpore levitate Spiritibus assimilari potest, quippe qui sua natura non deorsum, sed sursum feruntur, & corpus ex sua natura quasi in sublime sustentant. E contrario autem corpora, quorum spiritus vel inediis vel morborum injuriis imminuuntur & affliguntur, longè graviora, planè autem defuncta propter spirituum omnimodam dissipationem gravissima fieri, constat, *Joh. Matthæus* (*Quæst. Med. 21. p. 90.*) *ratiocinatur.* Objicis. Spirituum existentiam adhuc esse pomum Eridos. Non nego equidem, quod denegarint sanguini spiritus aut potius denegare videantur è Neotericis *Guilh. Harveus*, (*Exerc. Anat. 3. p. 266. & Exerc. de Generat. Animal. 71. p. 314.*) & *Jacob. Bakius* (*tr. de Corde c.2. p.65.*), quibus tamen satisfecit *Anton. Deusingius* (*Exerc. de Spirit. §.43. p.223. sq.*). Dixi, denegare videntur, nec sine causa. Non enim spirituosam partem sanguini inesse negant, sed spiritus à sanguine distinctos dari inficiantur, & sanguini spiritus nomen applicant. Spiritus, quos à sanguine distingunt, *inquit Harveus* (*c.l.*) nuspiam ab illo separati inveniuntur, quin etiam sanguis ipsemet sine spiritu aut calore non sanguis, sed cruor appellandus. Id nobis Medicis spiritus est (*pergit c.l.p.315.*), quod *Hippocrati* impetum faci-

ens. Sanguis autem virtutibus hisce omnibus dotatus, agendique potestate præ cæteris præditus est, adeoque κατ' ἐξοχὴν Spiritus nomen meretur. Clarius (*Exerc. Anat. 3. p. 228.*) se explicat: Spiritus per venas & arterias excurrentes à sanguine non separantur, ut nec flamma à nidore inflammabili; sed spiritus sanguis unum & idem significant, nec diversi sunt, ut vinum generosum & spiritus ejus. Igitur sanguis (*p. 229.*) plurimum spiritibus imbui dicitur, non quod illis turgeat, aut fermentetur, aut infletur, aut majorem locum desideret & requirat, sed quod hoc, sicut vinum majoribus viribus & impetu agendi & efficiendi quid polleat, secundum mentem *Hippocratis* intelligendum est. Collimat eò *Hermann. Conring.* (*l. de Cal. Innat. c. 8. p. 65.*) dum scribit: Corpora graviora si igniantur, non quidem ascendunt sursum, (ut ignis flamma & vapores,) solito tamen redduntur leviora & ponderis sui amittunt multum: quod liquet, si ferru aliquod nunc ignitum, nunc frigidum bilance expendas. Ipsa quoque corpora viva mortuis leviora sunt ob eandem causam.

§. 28.

Sanguis igitur & spiritus uniti, quanquam in vasis suis nec leves nec graves sunt, non aliter ut Elementa in proprio loco, prout demonstrare conatur *S. Sanctorius* (*p. 3. Comment. in Art. parv. Galen. c. 95.*), tamen corpori levitatem, *teste Joh. Sperlingio* (*l. 4. Instit. Phys. c. 3. qu. 10. p. 677.*) imprimunt, partim motu subitaneo & continuo circulari, quod secundum *Rich. Loweri* computum (*Tr. de Corde c. 3. p. 155.*) totus hominis sanguis per horam sexties, imò sæpius, prout experimentis evicit (*p. 158. 159. 160.*), per corpus transit & circulatur, tum in partes influxu, partim ut eas nutriat, quæ ipsa nutritio, si *Malachiæ Thrustoni* (*in Animadv. ad Diatr. de Respirat. p. 105.*) credimus, sub vaporis specie ἀτμοειδῶς contingit, qui proportionatis meatibus opponitur, partim, ut ad sensum & motum easdem reddat aptas. A motu demum ipso spirituum, qui est sursum levitatem accedere corpori *Hippol. Obicius* (*c. l.*) non incongruè forsan argumentatur, & hanc ob causam obesum macro leviorem esse posse, judicat *Martin. Rulandus Fil.* (*l. 2. Med. probl. 266.*) quamvis & obesitate saginosa inflati (*die keine natürliche Fettigkeit haben*), ob alias causas *infra* (§. 31.) allegandas leviores videantur.

§. 29.

Assertorum veritatem eximiè illustrant à motu sanguinis & spirituum correpto oriundi affectus morbosi. Sequuntur hos κόποι αὐτόματοι lassitudines spontaneæ, *teste Hippocrate* (*s. 2. aph. 5.*) & *Robert. Constantino* (*l. 1. Prognost. Med. c. 37. p. 86.*). Non tantum plumbeo colore corpus notat Scorbutus, sed & membris plumbeum addit pondus, seu portentosam lassitudinem, *juxta*

Hieron.

Hieron. Reusnerum (Exerc. 5. de Scorbut. p. 264.). Causa subest sanguinis motus justo tardior, & debitæ sanguinis πνευματώσεως defectus, difficilis respirationis & repentinæ mortis causa, *secundum Malach. Thruston. (Diatr. de Respir. §. 17. p. 71. & 72.)*. Idem in hypochondriaca passione evenire deprehendimus, quam non nisi gradu à Scorbuto distingui *Idem* concludit. In Incubo, seu nocturna illa cum difficili respiratione combinata oppressione cum primum remotiores, deinde cerebro viciniores partes rigore quodam & pondere gradatim affici videntur; nonnisi ob præposterum spirituum motum & defectum, uti pluribus *Joh. Mayow. (tr. de Respir. p. 16. & 17.)* demonstrare nititur. Et cur cubitus supinus in quibusdam semper hunc affectum excitat, prout exemplum recitat *Rich. Lowerus (c. l. c. 2. p. 148.)*, de viro aliàs robusto & sano, qui per duos annos nunquam in dorsum conversus dormivit, quin simul incubo corriperetur, adeò ut necesse haberet servum contubernalem in eodem lecto decumbentem admittere, qui statim ac gemitus & suspiria, quibus affectus iste incipere solebat exaudiret, ipsum in latus alterum converteret. Positus iste etiam infantes convulsivos efficit, quod Aqua in Cerebri Ventriculis stagnans, *ratiocinante Eodem (c. l.)*, in ventriculum quartum potius quam infundibulum defluit, & proinde Medullam oblongatam, ex qua nervi præcordiorum oriuntur, valdè aggravat, & comprimendo illam spirituum in Nervos transitum impedit. *Mar* vocatur Nostris incubus, quod etiam equum significat, non solum, quod equus eo laborare frequentissimè cernatur, sed & quoniam eo laborantes maximo pondere sibi premi videntur, non aliter ac si quis ita cecidisset, ut equus toto corpore sibi incumberet, *ut fabulatur Joh. Gorop. Becanus (l. 2. Orig. Antwerp. p. 152.)*. De Paralysi & Hemiplexia res in propatulo, in quibus membra plumbea tentari videntur gravitate, ut & in illo Symptomate cum molesta acicularum instar punctione, & torpore quodam pedes aut manus afficiuntur, & vulgo dormire dicuntur (*wenn Hände und Füsse einschlaffen,*) de quo *Anton. Deusing. (Exerc. de Spirit. §. 17. p. 241)* Aëris crassitudine succum & sanguinem vitalem glutinosum fieri in Avibus, ut earum advolatum rapiditas intercidat, decidit *Joh. Nicol. Pechlin. (de Aër. & Alim. Def. c. 3. p. 43.)*

§. 30.

Unde quæso in juvenibus sanis partium corporis agilitas, unde Natura vegeta, nulli cedens labori, & post exanthlatos labores, quamvis arduos, adhuc integra? Sanguis his integer, respondet *Plautus (in Mercator. a. 3. sc. 2. v. 7.)*. Quærit hic *Petr. Victor. (l. 25. Varior. Lect. c. 21.)* an integer sanguis copiam significet, an sincerum illum & purum? Utrumque admitto, comprimis tamen

Juve-

Juvenes ſanguinem attenuatum & defecatum obtinere, cum *Petro Poterio* (*Cent. 2. Obſ. & Curat. 1. p. 4.*) aſtruo.

§. 31.

Senes contra defloccati onuſta ſibi gerunt corpora, his ætas mala, merx mala, & debilitatum Synodus. Ne mireris, cur ob ſpirituum defectum, ad mentem *Hippocratis* (*ſ. 2. aph. 54.*) longa ſtatura

Sit minus apta ſeni?

Corpusque nutans & tremulum, membraque plumbea reddant gibboſum. Eleganter *Syra Anus ap. Plautum* (*c. l. Act. 4. ſc. 1. v. 6.*) quærenti *Dorippæ*

quin is ocyus

Nequeo Mecaſtor, tantum hoc oneris eſt quod fero,

D. Quid hoc oneris? S. annos octoginta quatuor.

Gerontes igitur dictos putat *ap. Plutarchum* (*l. 3. Sympoſ. probl. 3. p. m. 207.*) *Sylla*, non tanquam fluentes ad Terram, ſed quod Eorum conſtitutio corporis jam quodammodo facta eſt Terrea. Mortuis hinc gravitate vix cedunt, ut etiam mortem amplexari *apud Venuſtum Plautum* (*in Bacchid. Act. 5. ſc. 2. v. 33.*) nil aliud ſit, *Frider. Taubmanno Interprete* (*in h. l. p. 604.*), quam ſenem exanguem & AcheruntICUM ſemi-mortuo quam vivo ſimiliorem, cum tales minus præſumantur vivere, quam ægri, ut loquitur *Nevizzanus* (*t. 2. Sylv. Nuptial. n. 2.*). Illuſtrat hanc gravitatem capitis & Artuum tremor, qui fit, *docente Galeno* (*l. 1. de Cauſ. Symptom. c. 2. & 3. Epidem. Comm. 1.*), inter facultatem moventem & partis movendæ gravitatem. Junge his quæ commentatur *Gregor. Horſtius* (*l. 2. p. 2. obſ. Med. 14. p. 202.*). Eleganter *de Sophocle ſene Archippem* amante *Andr. Alciatus* (*Emblem. 82.*)

Noctua ut in tumulis, ſuper utque cadavera bubo,
Talis apud Sophoclem noſtra puella ſedet.

§. 32.

A ſomno nocturno corpus ſentitur minoris ponderis, ut advertit *S. Sanctorius* (*ſ. 4. Med. Static. aph. 4.*) cauſas ipſe ſuper addit; vires auctas & exhalationem librarum trium circiter excrementorum. Non nego noctu factam tranſpirationem, præ hac tamen virium robur *cum Obicio* (*c. l.*) magnifacio. Spirituum autem abundantia, aut ſaltem ſufficienti copia, nec aliter conſtat facultas, ac corporis virtus, adeoque primariò levius corpus redditur ſolum ob ſpirituum copiam auctam: Et hæc etiam cauſa eſt, cur cibati leviores famelicis. Viator, *inquit Joh. Matthæus* (*Quæſt. Med. 21. p. 89.*) jejuno & vacuo ſtomacho moleſtius & difficilius ponderoſum ſuſtinet corpus (quod tamen non omnibus probabi-

babitur) ob spirituum defectum, & ex hoc fundamento atomos malignas seu virulenti maleficii minima in corpus obvium jejunum facilius, quam in non-jejunum Magum traducere posse largitur *D. Joh. Christian. Frommann.* (*l. 3. de Fascinat. Mag. p. 4. s. 1. c. 11. §. 10. p. 638.*); cibo autem refectus levior apparet, & minori molestia corpus circumfert. Hoc ipsum bestiæ cognoscere videntur. Equus enim sessorem jejunum difficilius, pastum alacrius ferre solet. Ex appulsu namque atque admixtione Chylosæ materiæ sanguinis massa redintegratur, novusque calor in eadem (spiritus dixisset, nisi spirituum nomen consultò abhorreret) à pulmonibus primum subacta & quasi contrita producitur, *ut Malach. Thruston.* (*c. l. p. 50.*).

§. 33.

De fœtus in utero mortui gravitate sequior sexus consulendus. Quæ viventem sine mole & molestia gestat, non quia fœtus humori intra amiculum contento innatat, quod quidam crediderunt, non advertentes, ipsum humorem quoque à matre gestari, quod ipsos deridens *Galenus* (*l. 15. de U. P. p. m. 861.*) adduxit. Sed ob causas modo enumeratas, in mortuo, etiam prædictæ aquæ innatanti, pondus molestum, & tantum non funestum animadvertit. Signis igitur fœtus ante nativitatem denati certissimis annumeratur exquisita illa ponderositas. *Vid. Jodoc. Lommius* (*l. 2. obs. Med. p. 222.*). *J. N. Pfizzer.* (*l. 2. de Morb. Mul. p. 6. c. 3. p. 595.*). *Fr. Moræus* (*de Febr. Malign. Paroxys. c. 16. p. 232.*). Rationem dant *Ambros. Pareus* (*l. 23. Chirurg. c. 25. p. 513.*). *Rod. à Castro* (*l. 4. de Morb. Mul. c. 2. p. 437.*) quia fœtus facultatibus, quibus ante regebatur, non sustinetur, & spiritus, quibus orbatur, corpori addunt viventi levitatem.

§. 34.

Objicis *è S. Sanctorio* (*s. 8. aph. 6,* si modò illæ hujus sectionis Autor est) spiritus esse inanimatos, & magis aëre gravitare. Repono, absurdum videri, spiritum dicere inanimatum, & simul *cum Aristotele* (*l. 2. de Anim. c. 4. t. 37. 41. & 50.*) edicere spiritum esse instrumenti instar, quo in omnibus actionibus utitur anima. Si spiritus animæ domicilium, si animæ currus, *ut loquitur Marsilius Ficinus* (*Comment. in Conviv. Platon. c. 9.*), si basis & fundamentum omnium operationum (*secund. Joh. Sperling. tr. de Calid. Innat. in Thes. p. 10.*), quæ in viventibus perficiuntur, cum earum, quæ ad corporum formationem & elaborationem requiruntur, tum illarum, quæ in corporibus formatis & elaboratis conspiciuntur. Si spiritus erit τὸ ἐνόρμων *Hippocratis*, adeoque pars corporis (*Dan. Sennert. l. 1. Inst. Med. c. 6. p. 41.*), aut saltem pars partis, cui inhæret, ut subtiliter *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 280. s. 2. p. 847.*). Si sanguis est animatus, &

adeò res eodem redit, si sequamur *Guilb. Harveum* (*de Generat. Anim. Exerc. 71. p. 323.*). Si quis dicat animam & sanguinem, aut sanguinem cum anima, vel animam cum sanguine omnia in animali perficere, spiritus autem & sanguis vix separari queant & consistere, *ut supra* (*§. 28.*) adeoque unum constituant, cur spiritus inanimatos pronunciabimus? cur vitam partium ab inanimato derivandam censebimus? Consistit igitur vita in spiritibus, ut in calido nativo (non enim ab invicem discrepant formaliter, sed materialiter, seu præparativè & inclusivè, ut philosophatur *Joh. Sperling. c. l. Porism. 7. p. 77.*). Et quamvis daretur fides *edicto Sanctoriano*, parum sanè obtinebit. Qualis namque sequela, spiritus non sunt animati, E. non sunt leves, nec levitatem corporibus quibus insunt, inducunt & conciliant.

§. 35.

Quando spiritus aëre magis gravitare, respondet *Sanctorius*, vocula spiritus ludere mihi videtur *cum Joh. Argenterio* (*l. 2. de Somno & Vigil. c. 5.*), qui vaporosum quid & halituosum spiritus esse asseruit, & halitum illum, qui per exspirationem è corpore exit, pro spiritu assumit, quem & crassiorem esse asserit, quam aër, & ex materia gigni ex universis Elementis composita. Referri huc posset illa *Georg. Segeri* (*de Lymph. Bartholin. Artic. 2. §. 5. & 7. p. 16. sq.*) sententia, quando spiritus animales rectè vocari vapores sanguinis arteriosi, eosque demum ad partes delatos in Aquam s. Lympham condensari opinatur, quod ipsum nec ipse *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Epist. Med. 88. p. 379.*) improbat. Cui sententiæ forsan occasionem dedisse videtur *Hippocrates*, qui *l. de Nat. Puer. p. 15.*) vaporem è lignis & cespitibus viridibus erumpentem spiritus titulo dignatus est. Quo modo accepto vocabulo spiritus, concedo, spiritus aëre magis gravitare, cum nil aliud sint, quam aqua larvata igneæ seu spirituosæ substantiæ nonnihil continens. Nobis verò cum sit spiritus corpus subtilissimum, levissimum, corporis nostri partes undique pervadens, calore & vita perfundens, meritò *cum Antonio Deusingio* (*Exerc. citat. §. 18. p. 204. & §. 22. p. 208.*) *de Argenterio* dico, *Eundem* genuinam spiritus in animalibus vigentis essentiam ignorasse. *Segeri* autem hypothesis paucissimos hactenus invenit asseclas, & ferè nullos. Ipse *Hieron. Cardanus* vapulat *à Scaligero* (*c. l. s. 1. p. 846.*), dum miratur, cur *Galenus* spiritus vaporibus tenuiores asseruerit, cum liberè vapores extra corpus ferantur, intus manentibus spiritibus. At *Galeni* sectatores, *regerit Scaliger*, vicissim Tibi: Quomodo tàm ineptus sis, ut putes, vapores, qui spiritibus comparati, nihil aliud quam scoria sunt, esse spiritibus tenuiores? Quos tamen oportet esse quasi quædam corpora cœlestia: adeoque idoneos ad animæ corporisque conjunctionem, ut nil aliud esse calorem naturalem scriptum

ptum reliquerint sapientes. Adeò, *inquam*, tenues, ut solo qualitatis nomine dignos arbitrati sint. Non igitur exeunt spiritus, quia non expelluntur, sed retinentur in ipso sanguine, cujus pars sunt. Vapores autem sunt *Agar* cum *Ismaële*. Sufficiens igitur probatio & demonstratio Sanctorio incumbit, antequam Aphorismum hunc ipsius acceptemus & approbemus. Et quantumvis id probatum det *Sanctorius*, nihil tamen præsidii inde lucrabitur lata sententia, cum parum cohæreant; Spiritus aëre magis gravitant. E. corporibus levitatem non imprimunt. Non tàm spirituum pondus, quam pernix & continuus eorum motus, (cum impossibile sit spiritus stare *secundum Hipp. l. de Morb. Sacro s. 3. Op. p. 87.* quo circa *Casp. Hoffmanno l. 2. Instit. Med. c. 150. §. 10. p. 280.* spiritus insiti semper fuere *ein höltzern Schäreisen*) & actiones suspicimus & veneramur.

§. 36.

Interim non me latet ab-in corporis nostri cavitatibus fluctuantibus vaporibus corpus disponi, ut levius esse videatur. Flatus in cavitatibus thoracis & abdominis, intestinorum comprimis spiris & uteri utre continentur. Vapores etiam sanguini inesse, multis probare nititur *Joh. Sophron. Kozak.* (*passim tr. de Hæmorrhog. imprimis l. 2. c. 3.* ubi hæmoptoisin ab his *p. 408.* deduxit.). In venis esse flatus à Chylo flatuoso venas subeunte, *Th. Bartholin.* (*Diss. de Hep. defunct. p. m. 580.*) autor est. Flatus in venas subire molestos, qui nisi cum fuliginibus evacuentur per commune corporis ventilabrum, non tantum varia Symptomata inducunt doloris plena, sed vel venas rumpere, vel universum corpus in tumorem elevare possunt, si restagnent, *è Galeno & Hippocrate* demonstravit *Idem* (*Diatr. de Pulmon. s. 2. p. 47.*). Singularem promulgavit observationem *Dominic. Panerol.* (*Pentecost. 5. obs. 1. p. 142.*) de Vetula Romana, quæ quotidiè assumto cibo post duas aut tres horas ingentem fluctuationem in toto ventre passa est, nullam aliam ob causam, nisi ob maximam Arteriæ Cœliacæ à flatibus post cibum emergentibus diastolem, qua mediante totus venter elatus fuit.

§. 37.

Cur Gravidarum corpora Thermis immissa in altum ab iisdem propellantur, non ita aliarum fœminarum corpora? rationem ex prædictis elicere in proclivi est. Gravidarum corpora indies pondere ingravescere vel nomen earum, quod illas quasi fœtu gravatas astruit, intimat. Gravescere inde fœtu Cameli *Plinio* (*l. 11. c. 41.*) dicuntur. Cur igitur à Thermalibus aquis tanquam levia attolluntur? Non illa *Salomonis Reisselii* (*c. 4. vom Niederbronner Bad p. 31.*) militat: *Daß schwangern Weibern die Bäder gefährlich und schädlich, lehret uns ausser denen vielfältigen Ursachen auch die sorgfältige Natur selbst, indem wenig Schwangere dasselbe erleiden können, sondern wenn sie sich schon hinein setzen,*

mit Gewalt selbst vom Wasser auffgehoben werden. Thermas namque observatis circumstantiis pro Balneo applicatas Gravidis prodesse & profuisse *alibi* (*Hydriatr. Wisens. c. 6. §. 4. p. 115. sq*) indicavi. Præter moleculas illas minerales, quibus Thermales Aquæ largiter dotatæ gravia facilius attollunt & sustinent præ Aquis simplicibus (*Vid. Verulam. Cent. 8. Sylv. Sylv. Experim. 790. p. 918. & supra §. 2.*) flatulenta Gravidarum constitutio inter causas principem meretur locum. Flatus Gravidarum distendere uteros, communis evincit querela, quin & uterus flatu distentus mulierculis non rarò imposuit, ut verum se conceptum gestare crederent. Instante tamen partu idem illis evenit, quod *Acciellæ*, de qua *Poëta* (*ap Guerner. Rolfinck. p. 2. de Part. Generat. Dicat. c. 20. p. 157.*)

Venter cum tumuisset Acciellæ
Septem mensibus & novem diebus,
Cæpissetque Lien parum dolere,
Acciri jubet illicò obstetricem,
Quasi fasciolas & apparari,
Sperato puerum editura partu,
Mox inter medias manus ministræ
Laxo poplite, cruribus levatis
Lucinam geminans quater pepedit.

Exempla alia collecta subministrant *Marcell. Donatus* (*l. 4. hist. med. mirab. c. 25. p. 457.*) *Zacut. Lusitan.* (*l. 2. Prax. admirand. obs. 150. 151. p. 79. & 8.*) *Desideratissimus Noster Phosphorus* (*Ann. 1. Miscell. Curios. obs. 1. p. 11.*). Quomodo verò flatulentus ejusmodi conceptus à verò distinguatur, *Th. Bartholin.* (*de Insol. Part. Viis c. 20. p. 217.*) curiosos informat.

§. 38.

Idem etiam Hypochondriacis à Causa flatulenta, Cachecticis, Tympaniticis & Hydropicis in Thermis accidere, experientia rationem datam illustrante docemur, & hæc confraganeam *Reisselii* antipathiam throno dejicit & pessundat. De Hypochondriacis flatulentis Melancholica *supra* (§. 14.) adducta testimonium perhibet. Cachectici & Hydropici non solum lympha extravasata & Aqua intercute distenduntur, sed comprimis flatibus, adeò, ut nisi horum coërceas in cura ferociam, operam in Aquarum eductione perdas & oleum. Trutinet quis *Gregorii Horstii* (*l. 2. Epist. Med. s. 28. p. m. 603.*) observationem de puella Mundelsheimensi, quæ descendens in labrum fontis Bollensis protinus innatabat superficiei Aquæ, quam ob causam à Balneo penitus abstinere

ſtinere cogebatur. Cum autem obſtructione Menſium & Cachexia cum incipiente Tympanitide laboraret, Eidem *Horſtius* per 14. dies medicamenta convenientia pro digeſtione & purgatione cum uſu Acidularum præſcripſit, quorum beneficio Menſium apertio ſubſecuta, qua peracta Balneum optimè more Aliorum ſuſtinuit.

§. 39.

In cenſum Cachecticorum etiam veniunt, qui à tractato crebrius Mercurio malè habent, purpuraque genarum deflorata ovo magis pallidi comparent. Tales Chemici, & Aurifabri. De Aurifabro iſta *Leonh. Thurneiſſer. (l. 6. Piſon. c. 4. p. 210.) Eine wunderliche Natur der Dingen. Ich habe einen Goldſchmid kennt, der hieß Herr Hans Schletter, wohnhafft zu Lindau am Bodenſee, der hat ſein Tage groſſe ſchwere Arbeit gemacht, und derhalben gar viel vergölt, derhalben er gar viel Queckſilber an ſich gezogen hätt, als derſelbe nun mit dem Podagra beſchwert, dahin zog zu Pferes* (in Thermis Piperinis) *zu baden, konnt er nicht unter dem Waſſer bleiben, ſondern ſchwamm allzeit empor, unangeſehen, daß es ein ſchwerer Herr von Perſon war, muſt derohalben ungebadet wieder heim ziehen. Das Waſſer leid kein Queckſilber.*

§. 40.

Referenda huc etiam Thermarum Petſchinenſium in Hungaria Aqua, de qua quidam Baro Hungarus *ad Martin. Panſam. (Conſil. Antipod. ſpec. 3. Diſſ. 3. p. 89.)* iſta ſcripſit: *Es hat dieſes Bad die ſonderliche Art, daß, wenn Krancke oder Verwundete Leute ſich darein ſetzen wollen, und ihre Kranckheit zum Tode iſt, ſo läſt es denſelben Menſchen nicht auf die Erden kommen, ſondern hält ihn empor.*

§. 41.

Comminiſci hîc etiam ratio poteſt, ſecundum quam mediis naturalibus adjutus Dæmon Sagarum corpora, ne aquis mergantur, ſuſtentet, quamvis ut *ſupra* (§. 11. & 12.) divinavi, ſe iisdem non ſupponat. Qui namque mulierbres ſinus ingreſſus è tam fœda cortina muſſaturus, ceu in ventriloqvis (quamvis & Arte tales ſine Dæmonio id præſtare viſi fuerint *à Lud. Cœlio Rhodigino l. 5. lect. var. c. 10. col. 251. Rogerio Bacone Epiſt. de Secret. Art. & Nat. c. 1. p.m. 22. Joh. Wiero l. 2. de Præſtig. Dæmon. c. 14. col. 203. Joh. Brodæus l. 20. Miſcell. c. 19. Edmund. Dikkinſon. de Delph. Phœniciz. c. 9. p. 86. & morboſi, v. g. Melancholici teſte Gerh. Joh. Voſſio l. 1. de Idol. c. 6. p.m. 43.* præſtent, eque flatibus intra Omentum incluſis artificioſo ventris motu colliſis *Joh. Riolan. teſte Joh. Theod. Schenckio l. 1. Exerc. Anat. 5. ſ. 2. c. 16. p. 301. derivet*) pate

ſcit, ille utique Abdomini & utero flatulentias ciebit & tumores, neve ſubmergantur hoc modo Autor erit. Mulieris in Flandria utrerum ſpiritu expandit Dæmon, quaſi impraegnata eſſet, poſtea onere ſe levatum ſenſit, quod è *Wiero. Henric. Nicolai* (*de Magic. Action. Exerc. 5. th. 6. p. 103.*) *recenſuit.* Mulieres interim prolicidas apud Helvetios pedibus manibusque arcte vinctas è ponte Rheni à Carnifice dejectas haud facile ab aqua mergi & ſuffocari, *Felix Plater.* (*l. 1. obſ. Med. p. 169. ſq.*) animadvertit, quod & in aliis compertum. *Ita Nic. Nancelius* (*l. 8. Analog. Microcoſm. ad Macrocoſ. c. 8. & ex hoc Auguſtin de S. Laurentio Dec. 1. Diſſert. Med. 5. p. 10.*) mulieres fluminibus aut mari demerſas diutius ſupernatare & tardius ſuffocari *aſſeruit*, qui & novit Domiſellam quæ ſecundo Liguri per binas aut ternas Leucas geſtans in ulnis infantem ſupervecta ſoſpes enatavit.

§. 42.

Majorem Lucem aſſertioni huic fœnerantur Aquis ſubmerſorum cadavera, quæ, ad fundum delata, poſt aliquot â ſubmerſione dies aquis ſupernatare & priſtinum pondus depoſuiſſe cernuntur. Innuit id *Nonnus Panolopolita* (*l. 6. Dionyſ. p. m. 195.*)

καὶ διερῷ τότε φῶτες ἀνοιδαίνοντες ὀλέθρῳ
Ὕδατι τυμβεύοντο.
Humida tunc morte homines tumefacti
Aquis ſepeliebantur.

Id verò aquarum, cumprimis Marinæ Antipathiæ cum cadaveribus humanis minimè aſcribendum veniet, ut vulgus quidem opinatur, dum inquit: *Das Meer leide keine Toden (Menſchen) nicht. Vid. Joh. Sperling* (*c. l. p. 678. & quæ l. 3. Tit. 2. §. 175. protuli.*) Videas namque & aquæ marinæ bruta demortua innatare, imo ipſas belluas marinas, v. g. Cete &c. Nec illud *Joh. Bodini* (*l. 2. Theatr. Nat. p. 202.*) veritatis luce radiat: Nihil impurum aquam puram ferre poſſe.

§. 43.

Sebaſtian Baſſo (*l. de Motu Intent. 2. Artic. 5. p. 328.*) cauſam hujus Phænomeni rejecit in certamen, quod inter humidum & calidum eſt in animali continuum. Adverſus enim hoſtem inteſtinum, *ratiocinatur*, dum aqueum animantis in aqua extima quærit ſubſidium in eam animal trahit, ibique ipſum continet, donec abſumto extinctoque omni calore, nexuque humidi ſoluto, ac proinde ejus attractione ceſſante vis fluminis evomit ipſum, pellitque quo aër tendit, quem continet. Quod autem non propria gravitate deprimatur, argumen-

gumento est ipsius descensus non in imam quidem, sed mediam aquam ubi velut collectum (cadaver) neque facile imum neque valeat emergere. Sed hæc *Bassonis* Philosophia, ut in multis aliis, ita & in hoc passu vix admittetur. Non enim aqua per se, nisi ex accidenti ipsa attracta attrahit cadavera & explodit illa iterum, quod etiam ἀφιλόσοφον latere non potest.

§. 44.

In ipso potius cadavere, quam in aqua causa quærenda erit. Nunquam vulgo id dabo, putanti, ut *Francisc. Boyle* (*probl. Phys. Med. 48. p. 78.*) *notat*, in cadaveribus cystidem felleam post aliquot à morte dies putrescere & disrumpi, bileque effusa levitatem cadaveri accedere. Unde à bile cadaveri ponderositas ne Oedipus quidem divinabit. Risu igitur id confutat *Georg. Entius* (*Digress. 2. Demonstrat. Circul. Sangu. c. 1. p. 47.*). Aliter illud vulgi dicterium explicuit *J. B. Helmont.* (*tr. de Flatibus. n. 74. p. 344.*), solet dici cadaver emersurum dum cistis fellis rumpitur. Nec enim hoc caret suo veritatis vigore. Non quidem, quod literaliter verum sit, quod rupta fellis vesica, ejus eruptio levitatem cadaveri attulisset; sed fel est balsamus cohibens in vivis corruptiones ex acido oriundas. Quocirca dum adest corruptio, conjicitur fellis defectus. Alvus recens sidit: dum verò succus in ea contentus corrumpitur, emergit arbor è fundo. De Bilis vi balsamica, quousque extendenda *infra* (*l. 3. Tit. §. 11.*). Nec valet illud *Petri Gassendi* (*T. 1. Op. s. 1. l. 6. c. 5. p. 392.*) resolutione salis in cadavere facta corpus levius reddi. Pulmonum porositati & levitati cur id quidam ascribant *ap. Th. Bartholin.* (*Diatr. de Pulmon. s. 2. p. 26.*) non capio, cum pulmonum cavitates in cadaveribus concidant, & aërem excludant, adeoque non leviores, sed ponderosiores, non porosiores, sed densiores evadant. Interim dum cadavera pulmonibus privant piratæ, ne fundum linquant & emergant, rem suam agunt *Th. Bartholin.* (*c. l. & Vol. 4. Act. Haffniens. obs. 42. p. 191. Add. Anton. Lodovic. l. 2. probl. s. 1. §. 20.*). Aqua namque in cavitatem Thoracis per vulnera penetrans in aqua gravitat, & ita cadaveris emersionem sufflaminat. An verò hi nunquam emergant, subdubitare videtur *Andr. Libav.* (*p. 2. Singular. p. 192.*).

§. 45.

Audiamus & *J. C. Scaligeri* (*Exerc. 23. p. 114.*) acumen: In aqua frigida quæ putrescunt, amittunt primum calorem suum. Quare humidum quoque proprium corrumpitur: tum reliquiæ caloris elementaris grassantur intus per ἀντιπερίστασιν ac dissolvunt humorem, qui attenuatus diffunditur. Quo fit, ut cadavera intumescant & fluitent. Ab humore attenuato contingere nemo

non

non videt, reliqua modernis ſordent. *Arnold. Senguard.* (*Exerc. Phyſ. 76.*) iſta retulit: Cum corpus putreſcit aperiuntur venæ ſanguinem continentes, quibus apertis ſanguis effluit. Cujus pondere cum privatur cadaver, gravitas illius minuitur, & levitas augetur. Fit ergo ipſum cadaver levius aqua, vel levitatem acquirit, quæ à gravitate & levitate aquæ non multum diſtat, eo modo, quo illi innatat lignum. Verum enim vero antequam totalis ingruat diſſolutio venæ vix rumpuntur, eæque ſaltem in cute & artubus, iisque depleſis vix aliqualis levitas ſperanda. Si majora vaſa interna rumpantur cruor cavitates ſubibit internas cadaveris, nihilque de pondere illud amittet: Hoc non diffitendum frigidam & congelatam aquam & carnem (de qua in macello querelas audias) leviorem eſſe, quam æſtivo tempore tepida aqua, itidem & caro viva longe levior, quam mortua. Et hoc ex *Joh. Chriſtoph. Steeb.* (*Cœl. Sephirot. c. 1. ſ. 2. n. 252. p. 27.*) *ſententia*, quod in utrisque ſidera interim frigoris & caloris effluviis ſint, quæ aquam aut carnem ſublevent, ſicut pueri cum veſicis inflatis natare diſcentes, & in naufragio miſeri vitam aſſeribus & tabulis ex undis eripiunt.

§. 46.

Non poſthabenda *Joh. Sophron. Kozakii* (*tr. de Hæmorrh. Præf. ad Lect. 2. p. 55. & in hoc tr. pasſim.*) decreta, dum ſtatuit, in vivo corpore omnia eſſe vaporum plena, humoreſq; è vaporibus, vaporeſq; ex humoribus oriri, totque vaporum, quot humorum differentias exiſtere. Ita & cadavera vaporum plena pronunciavit, inde eorum intumeſcentia, & quia tunc præponderare cadaveri incœpit æqualis aquæ moles, illud ad ſublimia aquæ neceſſario vergit, & exſurgit. In eandem ferè ſententiam olim *Hieron. Cardan.* (*l. 8. de Var. Rer. c. 44. p. 573*) Cauſa, *inquit*, eſt flatus, qui inter Peritoneum & Omentum gignitur: quod etiam ita ſit, oſtendit tumor ille immenſus ventris præ cæteris. Videtur autem & tota non ſolum cutis inflari, ſed & pectus (adeoque & pulmo multum aëris, *autore Levino Lemnio l. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 6. p. m. 159.* concipit, quod equidem ſecundum Neotericorum hypotheſes inter abſurdiſſima numerabitur), at hoc non ſufficit. Neque enim mergerentur contento ſpiritu. Cauſa verò quærenda eſt, cur adeò venter in tantam molem excreſcat: Flatum enim conſtat eſſe (Vid. *Auguſtin. de Laurentio Dec. 1. Diſcept. Med. 5. p. 111.*): Flatus autem ex humido generari, cum à calido diſſolvitur: calidum autem ex putredine, putredo verò, quoniam pingue multum aquæ immixtum eſt. Aërem novum in cadaverum ſinibus genitum vocat flatus *Thom. Cornel. Conſentin.* (*Progymn.*

de

de Cogn. Aëris & Aqu. p. 423.). Ob eandem rationem ova recentia aquis merguntur; requieta natant. (Vid. *Eryc. Putean. in Ov. Encom.*)

§. 47.

Accuratè *Martin. Kerger.* (*s. 1. de Ferment. c. 10. p. 93.*) Ex aëris expansione causa petenda, quod corpora submersorum post aliquot dies Aquæ supernatent: Aër enim anteà, vivente animali, compactus, jam, postquam formæ specificæ dominium cessavit, quo omnes partes obnoxias sibi tenebat, naturam suiam amplius spatium repetens facit, ut cadaver intumescat, membranis (intestinorum comprimis) tanquam utriculo inflatis, leviusque evadat. Idem enim aër tantundem de levitate sua remittit, quantum de sua expansione (Elaterem recentiores appellitant); & è contra, quo magis aër expanditur, eò quoque levior redditur, non sine Naturæ miraculo, quod ex Hydrotechnia nova *Athan. Kircheri* (*l. 2. de Art. Magnet. p. 1. Progymn. 3. p. 127.*) ad oculum probatur. Adde *Thom. Williss.* (*p. 1. de Anim. Brutor. c. 3. p. 43.*). Spectant huc quæ habent *Ambros. Pareus* (*l. 23. Chirurg. c. 25. p. 513.*). *J. C. Scaliger.* (*in l. 2. de Plant. p. 366.*). *Georg. Entius* (*Demonstr. Circul. Sangu. Digress. p. p. 45. sq.*), qui fermentationem hic rectè in scenam introducit. Hinc omnia corpora inflata aut turgida supernatare dixit, & duas bovillas vesicas inflatas secureque constrictas, quas artis natatoriæ Tyro sibi supponat *Nicol. Wynmann.* (*in Colymbete A. 7. a.*) commendat.

§. 48.

Quo autem post submersionem die emergere & auras lambere soleat cadaver, non ita certo constat. Duorum aut trium dierum spatium huic destinavit (*c. l.*) *Cardanus*, septimum aut nonum (*c. l.*) *Lemnius*, idque post fellei sacculi rupturam, quod *jam* (*§. 44.*) explosum: Et cum cadavera pro textura diversa carnis & viscerum, etiam pro varia aquæ, in qua fluctuant, constitutione & natura, modò citius, modò tardius putredini succumbant, certum tempus, quo emergere soleant determinare accuratè impossibile erit. Nec hic tumor, *judicante Augustino de Laurentio* (*c. l.*), apparet in omnibus ab aqua hausta, nec in iis, qui in aquam mortui præcipites sunt dati, sed in iis tantum, qui situ & humiditate aquæ corrupti longo tandem post præcipitium tempore apparent, & in littus ejiciuntur. Ut sciant, quorum interest, in quo loco submersi morentur, experimentum de pane aquis injiciendo, qui supra submersum fluctuare dicitur, *recitat Gabr. Fallopius* (*l. 3. Secret. c. 119. p. 249.*) cujus certitudinem, cum in Natura nullum fundamentum habere videatur, nemini recommendare possum.

§. 49.

De Cadaveribus aquis innatantibus iſta *Plinius (l. 7. c. 17.)*: Virorum cadavera ſupina fluitare; fœminarum prona. Rationem ſubjicit: velut pudori defunctarum parcente Natura. Has ideò verecundiæ honeſtatem mortuas retinere, *Henric. Cornel. Agrippa (de Nobilit. & Præcell. Fœmin. ſex. T. Op. Poſter. p. 524.)* declamabat. Sed qui fieri poteſt, ut cadaveri vita functo pudor inſit? meritò quidem quærit *Stephan. Rod. Caſtrenſ. (de Nat. Mulier. Diſſ. 3. p. 54.)*. Et hæc ratio, ſi ſemper evenit, de quo utique dubito, ut etiam inter fortuita repoſuerit *Georg. Entius (c. l. p. 48.)* morali, quam naturali, Philoſopho dignior. Nec morali quidem ſatisfaciet. Cur enim pudori fœminarum, non æquè virorum proſpicit Natura? An illa virorum genitalia inter pudendas non reputabit partes? Cur Faſcinum Deum, ſeu Priapum turpiculi virilis imagunculam Faſcinum amoliturae collis infantum applicabant mulierculæ, niſi ut obſcœno phallo corriperent faſcinantium intuitum. Cur in veſtibulis hortorum Priapum locabant? non tantum, ut fœcunditatis ſignum, ut è *Jamblicho (l. 1. de Myſt. Ægypt. c. 2.) Joh. Benedict. Sinibald. (l. 2. Geneanthrop. p. 2. c. 2. p. 129.)*, aut ut puero prædoni falce minaretur, ſed etiam, ut florum faſcinatores, qualis ille *ap. Hieron. Videm. (l. 2. Bombyc. v. 43. p. m. 507.)* ſenex:

cui dira rigebant
Ora, gravesque oculi ſuffecti ſanguine circum
Fronsque obſcœna ſitu, hirtique in vertice cani.

Qui

Quocunque aciem horribilem intendiſſet, ibi omnes
Cernere erat ſubito afflatos langueſcere flores,

arcerent, & re turpi turpem expiarent. (Vid. iterum *J. B. Sinibaldus l. tr. 3. c. p. 251.)* Præterea omne cadaver, ſive maſculinum ſive fœmininum ſit, aquis innatans perpetuò in cœlum faciem ſpectantem tenere, & à tali poſitu deturbatum ad eandem mox redire, eò quod occulto ad principium ſuum regatur ſenſu, ſe pluries expertum eſſe *ſcribit Th. Campanella (l. 1. de Senſu Rer. c. 8. p. 34.)*. Id verò & apud Belgas ſe expertum aſſeruit *Levin. Lemnius (l. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 6. p. 158.)*.

§. 50.

Quod ſi ſemper contingit *Campanellæ* principium occultum (ſenſus forſan) arcano iſti Naturæ eruderando non ſufficiet. Audiamus *Ludov. Bonaciol. (l. de Format. Fœt. c. 1. p. m. 153.)*: Muliebribus, *inquit*, ventris alveum inter-

tercapedinemque amplam atque vastiorem admodum cum ob viscera, tum etiam ob grandiorem fœtum continendum provida concessit Natura, qui cum aqua per muliebre potissimum genitale ingrediente; tum quod aqua in aqua gravitet, & corpus ingressa id in fundo potius detineat, quam elevet, expletur, turget, extuberat, ac deinde ad summum fastigiatur. Et ob eam rem supinam partem prona impendio graviorem effectam suopte ingenio suoque nutu, perinde ac si in lancibus æquato examine penderet, deorsum trahi, præsertimque præponderantibus subinde mammis eodem decumbentibus, jure observatum est. Contra, viris ampliore spatiositate caveaque neutiquam indigis, angustus perexiguusque venter est, qui etiamnum aqua supra modum oppletus, & in certiorem fastum erigat, & spinæ coxendicumque ossibus (iis quidem validissimis) minus procul dubio liberet: quandoquidem nec prominens extat, neque mammillæ, quæ iis tantillæ sunt, ponderis quicquam penitus afferant. Ex quo evenit, uti eorum cadavera supina (utpote quæ resupina parte insigni tantisper pondere præstent) præpote Naturæ vi urgente, fluitent. Jungenda his, quæ in eandem sententiam recitat *Ambros. Leo Nolanus (Op. Quæstion. de Rebus in Phil. & Med. probl. 328.) citatus ab Hieron. Fabr. ab Aquap. (p. 2. de Format. Fœt. c. 9. p. 141.). Rod. à Castro (l. 1. de Nat. Mul. c. 3. p. 11.)* & *Joh. Heurnium (de Morb. Ventric.)* quem allegavit *Th. Bartholin. (Volum. 4. Act. Haffniens. obs. 42. p. 140.).*

§. 51.

Illustrare hoc effatum contendit *Levin. Lemnius (c. l.)* utriculis ac vasculis obduratis, quorum pars, quæ aërem continet, (adeoque levior) sublimis existit; quæ humorem, subsidit in aquis ac deorsim volvitur. Id ipsum & in ovo animadvertere licet, quod salsugini injectum fluitat quidem, sed pars cui pondus inest premitur ac subsidit: pars Aëre oppleta, illa sc. quæ rupto putamine lacunam exhibet, ubi pervetusta sunt ac subolida eminet, sursumque nititur.

§. 52.

Utut verò speciosè hæc proferantur, multa tamen mixta exhibent, quæ obelo & lima indigent. In Maribus uteri loco pudenda sunt, reponit *Caspar. Baubinus (l. 1. Theatr. Anat. c. 40. p. 137.)* foris exposita & propendentia, quæ si spectemus gravitatem corporis æquè augent, ac uterus in fœminis. Id etiam, quæ de uteri capacitate, & ab ingestæ aquæ mole hausta in medium proferre non erubescunt, à vero maximè declinat. A vivente quidem fœmina aquæ quidem portio, quamvis difficulter, in uterum trahi poterit, ob quam cau-

 sam

ſam etiam Equæ & vaccæ, & alia quædam bruta longè minus ſubſiſtere valent, ut citius à poſteriore parte à Ruſticis ſubmergi dicantur, quam Tauri & Caballi, quod *Regnerus de Graaf. (tr. de Mul. Organ. c. 24. p. 232.)* annotavit. Inde Ruſtici: *Die Stuten erſauffen von hinden zu.* Scilicet, ſecundum *Eundem*, aqua per uterum ejusque tubas in abdominis capicitatem delabitur in eaque viſcera refrigerando mortem accelerat. Idque in hominibus æquè ac in brutis illis locum habere poſſe ex partium illarum conformatione (*p. 233.*) concludit. In muliere verò tantæ capacitatis uterus non eſt, ut, aqua repletus, corpus ad fundum trahat, & ſubmergat. Exigua admodum hæc eſt cavitas *Adrian. Spiegel.* (*l. 8. de Human. Corp. Fabr. c. 19. p. 282.*) ut vix vulgaris fabæ magnitudine tota repleatur in coitu. Ego in diſſectionibus in fœminis pyri aliquando majoris, aliquando mediocris amplitudine offendi, & magnitudo ejus non æqualis exiſtit in omnibus, ſcribit *Rod. à Caſtro* (*l. 1. de Nat. Mul. c. 2. p. 4.*); multo minor illius quæ peperit, quam prægnantis, ejus verò quæ nunquam peperit multo minor, quemadmodum & adhuc minor, quæ Veneri nondum indulſere. In recens natis deprehendit *Laudatus Regner.* (*c. l. p. 101.*) uterum aliquando drachmam, aliquando drachmam unam & ſemis pependiſſe. In vetulis verò & virginibus jam pubeſcentibus ejusdem ferè magnitudinis eſt, & utplurimum ab uncia una ad ſeſcunciam ponderat. Denique in validioribus, & iis quæ ſæpius pepererunt, aut frequentius Veneri indulgent major evadit, rarius tamen duas uncias excedit. Detur igitur viventi Aquæ immerſo uterum Aqua repleri, quale dabit pondus? Nullum ferè, in mortua autem ſpasmodica contractione absque dubio reperietur uterus, & licet apertus adhuc ſit, ut aquæ irruenti porta pateat, parum ponderis addet & momenti. De Equabus & Vaccis quæ proferuntur, ruſticam olent ſimplicitatem. Interim an per inteſtinum rectum Aquæ in Inteſtinorum ſpiras pateat in his, cogitent Curioſi?

§. 53.

Aër attractus aut impulſus etiam vivorum levitati velificatur. Attrahi Aërem à Pulmonibus concurrentibus reliquis reſpirationi dicatis partibus, omnibus ferè ex antiquitate placuit. A Recentioribus tamen aliter decretum, nempè aërem potius impelli in Pulmones, inter quos eſt *Seculi noſtri Plato*, ut Eum vocat *Th. Bartholin.* (*Diatr. de Pulmon. ſ. 5. p. 84.*) *Renatus des Cartes*, cum Aſſeclis *Henrico Regio*, *Abrahamo Pratæo*, *Cornelio ab Hogelande*, & qui id fusè probare conatur, *Joh. Schwammerdamm.* (*tr. de Reſpirat. c. 3. & 6.*), cui controverſiæ decidendæ jam non immorabor, evolvat, cui id placet, (*c. l.*) *Th. Bartholinum.* Nec de fine Reſpirationis litem pertexam, an Cordi & ſangui-

ni

ni refrigerando conducat aër? Sanguinem hunc potius accendere *Joh. Mayow.* (*tr. de Respir. p. 19.*) concludit. Ignis contra vitalis effervescentiæ fervorique inspirationem Aëris obviam ire *Marquard. Slegelius* (*l. de Sangv. Mot. c. 7. p. 56.*) cum *Franc. de le Boe Sylvio* (*part 1. Disp. Med. 7. §. 57. p. 120.*) contendit. Quod propter fugam vacui olim in Scholas Physicas introductam exerceatur, abominatur *Joh. Pecquetus* (*Exerc. Anat. c. 8. p. 91.*) & imaginarium quid vocat *Joh. Magow* (*c. l. p. 2.*); An ut sanguinis circulationem adjuvet, ut *Alex. Maurocordato* (*in Pneumat. Circul. sangv. instrum. c. 17. p. 176.*) & *Paulo Ammanno* (*Parænes. ad l. 1. Inst. Med. c. 12. §. 8. p. 85.*) placuit, an ut sanguinem faciat fluxilem, quod *Jacob. Backius* (*tr. de Corde c. 7. p. 146. & 150.*) & colore eundem donet rutilo, ut *Richard. Lower* (*de Cord. c. 3. p. 169.*) & *Malach. Thruston.* (*de Respirat. p. 128.*) suspicantur, *citatus* tamen *Magow* (*c. l. p. 20.*) rejicit; An quia in aëre occultus vitæ cibus, ut cum Chymicis *P. Joh. Faber.* (*l. 3. Panchym. s. 2. c. 1. p. 310.*) *Robert. Fludd. à Fluctibus* (*l. 1. Uromant. c. 5. p. 274. sq.*) *Joh. Tackius* (*Phas. Philos. 3. p. 14. & sq.*), ut inde aëre Spiritus nutriri jam olim astruxerit *Galenus* (*l. 7. de U. P. c. 8. & l. 8. c. 1. l. 12. M. M. c. 5. l. adv. Lycum c. 7. & 5. de Simpl. facult. c. 9.*), quem explicat *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Hist. Med. Princ. qu. 9. p. 18.*) & inter alimenta πνεύματα recensuit *Dictator.* (*l. de Flatib. s. 3. Op. p. 79.*)

§. 54.

Alimentum hoc non ipsum aërem, sed salem volatilem virgineum in aëre latentem esse dictitant *Fluddus & Tackius* (*c. l.*), nitrosum *Sylvius* (*c. l. §. 77. p. 126.*) *Georg Entius* (*Apolog. Circulat. Sangu. p. 69. sq.*). *Malach. Thruston.* (*c. l. p. 33.*). *Joh. Magow* (*c. l. p. 23.*), quo exhausto aër respirationi ineptus redditur. Lumen solare aëri communicatum in scenam produxit *J. B. Helmont Pater* (*tr. Formarum ortus n. 94 p. 120.*), quem sequitur *Francisc. Mercur. Helmont Filius* (*p. 1. Paradoxal Discourse qu. 12. p. 5.*) dum asseruit. *Weil die Menschen und alle Creaturen, durch der Sonnen Wärme genehret und erhalten werden, kan ein Mensch nicht so viel im Sommer essen als im Winter.*

§. 55.

Hæc verò libasse sufficiat. Quam viam eligat in pulmones delatus aër, quorsumve tendat, potius inquirendum. Non attendendus *Andr. Cæsalpinus, l. 5. quæst. Peripat. 4. f. 121. sq.* multis demonstrare contendens, respiratione non intromitti aliquem spiritum externum in Cor, cui à latere stant *Casp. Hoffmann.* (*in 6. de U. P. n. 385, 386.*). *Hermann. Conring.* (*de Calid. Innat. c. 10. p. 99.*). *Marquard. Slegel.* (*de Sangu. Mot. c. 7. p. 64.*). *Anthon. Lindan.* (*Disp. Phys. 42.*

§.34. & Disp.57. §.7.). Nathanaël Highmor. (l. 2. Disquisit. Anat. p. 2. c. 9. p. 171.). Galeni etiam his favet autoritas (*l. an Sanguis in Arteriis contineatur c. 5*) & Ejusdem experimentum (*l. de Util. Respirat. c. 2.*), quod examinat *Guilb. Harveus in Proœm. Exerc. de Mot. Sangu. & Cord*). Probabilior est illa, aërem in pulmonibus combinari sanguini, & hinc cum sanguine cordis subire palatium, quod etiam credidit *Aristoteles* (*l. 1. Hist. Anim. c. 16. & 17. & l. 3. c. 3. L. etiam de Respirat. c. 15.*) & *Avicenna* pulmonem cordi aërem præparare (*l. 1. Canon. Fen. 1. Doct. 5. c. 1. f. 9. b.*) asseruit, & *Galenum*, qui cor aërem per Arteriam attrahere dixerat (*l. 6. de Placit. Hipp. & Platon. p. m. 1092.*) ut per radices arbor alimentum, quare & his eundem aggregat *Anton. Deusing.* (*Exerc. de Respir. §. 144. p. 168.*). Experimento id firmat *Joh. Riolanus* (*l. de Circul. Sangu. c. 3.*), quod tamen parvi pendit *Slegelius* (*c. l. p. 96.*), pluribus autem vias, per quas aër ad cor pertingit, explorat & explicat *Entius* (*c. l. p. 96.*) Aër igitur (purus putus, *secundum Joh. Sophron. Kazack. l. 2. de Hæmorrhag. c. 5. p. 467.*) in Corde (sed per breve tempus, cum in Cordis inquiete sit

Nec mora nec requies,

quod non obstat, cum aëri aër assiduo succedat,) per obscuros etiam cœcosque meatus quosdam per membranam pulmonis in thoracis cavitatem penetrat, quod demonstravit *Joh. Schwammerdamm.* (*c. l. c. 4. p. 31.*) & *Mal. Thruston.* (*c. l. in Animadv. p. 130.*), tenuiores etiam ejusdem particulæ magisque penetrabiles sanguini miscentur. (*id. c. l. p. 44.*) Add. *Joh. Fried. Ortlob.* (*Dissert. Anat. Physiol. 10. §. 10. p. 76.*) & *Joh. Alphons. Borell.* (*p. 2. de Mot. Anim. c. 8. prop. 116.*)

§. 56.

Sanguinem inde aëreum timidis Animalibus aptè dedit *Natalis Comes* (*l. 2. de Venat. v. 311. p. 1086.*) dum de Leporibus cecinit:

Murmure parvo
Terrentur, facilem capiunt per membra timorem,
Interdum rapidis tolerare sonantia ventis
In Sylvis folia haud possunt, ob murmura frondis
Corripuere fugam, defesso corpore tandem
Quæ fugere diu patiuntur murmura tuto,
Sanguinis aëre tulit hoc natura; videmus
Quæ cursu leviora timent magis omnia: motus
Corripit aërius faciles in pectore sanguis.

In Avium interioribus aut vesiculæ latissimæ, aut ventris immane cavum solo

lo aëre infertum penduli corporis juvare æquilibríum, & si rarefiat, sustentare aviculam, *J. N. Pechlin. (de Aër. & Alim. def. c. 3. p. 42.)* concludit.

§. 57.

An etiam ad Cerebrum pertingat Aër, dissentiunt Medici & Physici. Affirmarunt id olim *Hippocrat. (l. de Morb. Sacr. Sect. 3. Op. p. 89.) Galenus (8. de U. P. c. 6. & l. de Util. Respirat. c. 5.) Andr. Vesalius (l. 6. de Fabr. hum. corp. c. 1. p. m. 548.) Mich. Gavassetius (Prælud. Anatom. c. 26. f. 50. b.)*. E Recentioribus hanc sententiam, si ad rationes Anatomicas examinetur, falsi arguit *Mal. Thruston. (de Us. Respir. s. 12. p. 48.). Joh. Riolanus (l. 4. Enchirid. Anat. & Patholog. c. 2.)* Respirationem Cerebri quidem rejicit, aëris tamen ad Cerebrum motum pro refrigerio concedit, in cujus castra etiam transiit *Guerner. Rolfinck (l. 2. Diss. Anat. c. 19. p. 301.)* & *Jac. Backius (de Cord. c. 2. p. 66.)*, qui ad motum facere asseruit, *(c. 7. p. 148.)* viasque indagavit *(ib.)* cum *Conr. Vict. Schneidero (l. de Oss. Cribrif. p. 72.)* & *Nicolao Tulpio (l. 1. obs. Med. c. 35. p. 72.)*. Omnium autem operosissimè *Hadrian. Falckenburgius (in Epist. ad. Joh. Neandr. Tabacol. p. 229.)* demonstrare has annisus est, ut fumum Tabaci ad Cerebrum pertingere, & eidem nigram crustam inducere persuaderet, quod tamen non credit *Guilh. de Mera (ap. Eund. Neandr. p. 219.)*. Eundemque refutat *J. D. Horst. (Manuduct. ad Medic. p. 1. c. 1. s. 1. p. m. 22.) & J. Chrys. Magnen. (de Tabac. Exerc. 6. §. 14. p. 131.)*.

§. 58.

Ego quidem per os, Aures & Nares aliquid aëris communicari cerebri mennyngibus & Cranii cavitatibus nullus dubito, cum aër cuncta meabilis Ætheri junctus ubique per inconspicuos corporum poros se diffundat, v. g. in utero per fœtus membranas, ovorum incubatorum putamina, quod voluit *(c. l. §. 183. p. 196.)*. *Anton. Deusing.* qui apertè infert, aërem posse cum sanguine ad Cerebrum circulari, & in Ejus substantiam se insinuare, cujus cum spiritibus animalibus concursui motum musculorum quidam, *teste Rich. Lowero (tr. de Cord. c. 2. p. 77.)*, inter quos meritò numeres Hippocratem, si libri genuinus Autor est, adscripserunt. Aërem esse Cerebro connatum & ipsa ossa penetrare (per suturas forsan,) laudatus *C. V. Schneider. (l. de Oss. Cribrif. p. 135.)* demonstrat. Spuma inter utramque Mennyngem apparens in inspirando mortua aliquid Aëris in Cerebrum penetrasse, conjecturam movit *Sylvio, referente id (ap. Th. Bartholin. Vol. 2. Act. Hafn. p. 1. obs. 14. p. 33.) Joh. Henr. Brechtfeldio.*

§. 59.

Et cum nihil in rerum natura sit, etiam *secundum J. P. Fabrum (l. 1. Panchym.*

chym. c. 13. p. 26.) ne minima Elementorum pars aëre carens, in alimentis etiam reperitur, & absorbetur. Forsan etiam hoc in causa est, *autumat. Martin. Kerger. (c. l.)*, quod corpora pasta facilius aquæ innatent, quam jejuna, aëre sc. è cibis resoluto, & innata levitate corpora pastorum sublevante, quorsum etiam supra de flatibus memorata (*§. 36.*) spectant. Quamvis Alii, & quidem rectius in Spiritus partim ab assumtis restauratos, partim ex iisdem emergentes & generatos causam devolvant. Vid. *Exc. Joh. Christ. Frommann. (l. 3. de Fascinat. p. 4. s. 1. c. 11. §. 10. p. 637.)*

§. 60.

Si Medicis auscultes homo etiam per cutem aërem in corpus impellit, & quidem, dum Arteriæ distenduntur per capita, quibus cutem adeunt, idque tribus de Causis, ut refrigeret, ut ventilet, & Spiritum animalem gignat. Eadem mens *Hippocrati* (*s. 3. Op. l. de Nat. Hum. p. 7. sq.*) & eo etiam inclinavit *Aristoteles* (*l. de Respir. c. 9.*), de qua perspiratione vide, si lubet, judicium *Simon. Simonii (Disp. de Putred. contr. Th. Erast. Comm. 163.)p. 326.)* & *Anton. Deusingii* (*c. l. §. 31. p. 89.*), qui eam commenticiam vocare (§. *28. p. 88.*) non verebatur. Nec solum attrahi aërem, sed & per poros fuligines corporis expelli iterum insensibiliter hac freti hypothesi concludunt, imò sub ultima digestione totum sanguinem perire & exhalare, & aëris auxilio in Gas abire *J. B. Helmont.* (*tr. Blas human. n. 34. p. 149. & n. 35. p. 150.*) *decernit.* Plura *alibi* (*Exerc. Proœmial. s. 1. §. 64. sq.*).

§. 61.

Et hæc hypothesis, (de qua tamen dubitabundus loquitur *Paul. Ammann. Paræneſ. p. 305.*) est basis & fundamentum totius Staticæ Sanctorianæ, quæ per spirationem insensibilem solam longè pleniorem omnibus sensibilibus simul unitis præsupponit (*s. 1. aph. 4. & 60.*) & ex hujus absentia corpus pondere plus solito augeri (*ibi. aph. 9.*) & naturæ defectus augeri (*aph. 40.*). Contra, facta transpiratio corpus secundum eandem reddit Levius, solito à somno ante excretionem excrementorum sensibilium tribus libris circiter (*s. 1. Aph. 58. & s. 4. Aph. 4.*), ut si cibus & potus unius diei sit ponderis octo librarum, transpiratio insensibilis ascendere soleat ad quinque circiter libras (*ib. Aph. 6.*) ab assumto cibo quinque horis libra circiter exhalare, à quinta ad duodecimam tres libræ, à duodecimad decimam sextam (quo tempore est occasio alendi vel medicandi) vix selibra (*c. l. Aph. 56.*). Et spatio unius noctis sexdecim unciæ lotii plus minusve, quatuor cunctorum excrementorum per alvum, quadraginta & ultra per occultam perspirationem evacuari utplurimum solent

lent (*aph. 59.*). De quantitate insensibilis transpirationis testari potuerunt indumenta & lintea in momento ferè incalescentia, & *Francisc. Glissonii* (*Anat. Hepat. c. 39. p. 342.*) experimentum, si nempè calidioris pollicis interiorem partem propè argentum aut stannum expolitum admoveris, halitus inde emigrans metallum illicò inficiet. Ἀδηλὸν διαπνοὴν non minori proventu fortassis è pulmonibus, quam è toto corpore prodire se primum observasse *Mal. Thruston.* (*in animadv. p. 128.*) gloriatur, & miratur, quod *Sanctorius* hujus rei computum subtiliter instituens id non animadverterit. Sed ante *Thrustonem* id (*c. l.*) deprehendit *Fr. Glissonius*, & memoriæ lapsum incurrit *non contemnendus Naturæ scrutator.* In principio namque Staticæ (*s. 1. Aph. 5.*) *Sanctorius* etiam fieri per os, & unica die ad selibram circiter ascendere, hoc enim indicant guttæ, *subjicit*, si ori speculum apponatur. Eorum, quæ haurimus & comedimus plus quam dimidium per insensiles halitus absumi, imò tantum alimenti per latentes cutis meatus in unica die evacuari, quantum per alvum in quindecim Sanctorio accedere videtur *Anton. le Grandis* (*Disc. de Carent. Sens. & Cognit. in Brut. n. 49. p. 60.*) quod quidem multis paradoxum declarabitur. Commodè huic Experimento inserviet Pneumatolabium, quo halitus humanus destillatur (rectius coagulatur,) & Crystallisatur *à Serenissimo Ferdinando Gonzoga Duce Mantuæ & Montisferati Fabricio Bartholetto* communicatum & *ab eodem* (*l. 5. Method. in Dispnœam p. 391.*) delineatum. *Adde Epist. 1. de Chirurg. inf.* (*ap. Celeb. J. D. Majorem* §. *20. p. 94.*) & *Pnevmatopægn.* (*s 1. Artic. 2.* §. *9.*) Expirationis & transpirationis hujus copiam hyberno tempore etiam oculis usurpabis in brutis, Equis comprimis, quibus calor innatus magis igneus, dum exspirant fumum ore & per poros cutaneos etiam stabula ignis instar calefacientem.

§. 62.

Sed de Aëris levitate dubitabis. Aërem indifferenter se habere, adeoque neque levitate neque gravitate affici *Joh. Chrysost. Magnenus* (*Democr. revivisc. Disp. 1. propos. 13. p. 145.*) existimat, expertus sæpius diversæ gravitatis, figuræ, molis pondera æquè velociter ab editioribus locis ad terram pervenire. Quod si autem Aër haberet gravitatem aut levitatem, faveret quibusdam corporibus in descensu, alia verò præpediret. (*p. 146.*) De gravitate Aëris non dubitant Mathematum Professores, propositione nota moti: Omnes globi terraquei partes esse graves. Et Elementa gravitare in propriis Sphæris saltem quoad illas partes, quarum nos notitiam reliquam habere possumus. Rationes ab ipso Aëre desumtas promunt, quod feratur versus Centrum, quod moleculis aqueis, & terreis turgeat, quod demum corpora multum Aëris conti-

tinentia leviora non reddat quod tamen fieret, si positivè levis esset. Experimenta tandem pro Aëris gravitate *à Casp. Schotto (l. 4. Techn. Curios. c. 4. prælud. 4. §. 1. & part. 3. Mag. univ. Nat. & Art. l. 4. pragmat. 10. p. 341.)* allata concludunt. Pilam inflatam & refertam Aëre vacuâ graviorem evadere *Kenelm. Digby (tr. 1. de Nat. Corp. c. 11. §. 8. p. 117.)* annotat. Vesica bovina flaccida erat scrupulorum quatuor; inflata scrupulorum quatuor & granorum sex. (*Vid. J. B. Ricciol. Almagest. nov. T. 1. l. 2. c. 5. n. 14.*) Alium modum aërem ponderandi *à Cartesio* inventum, propalat *P. Borell. (in vit. Cartes. p. 38.)* stateram, qua ventorum vim & impetum ponderat *Sanct. Sanctorius (Comment. in 1. Fen. Avic.)* proposuit. Add. *Davidem Gorlæum (Epit. Phys. c. 7. Dist. 6.) Casp. Ent. (Taumaturg. Mathem. probl. 93. c. 15.) Georg. Phil. Harsdoerff. (T. 1. Delic. Mathem. p. 9. prop. 16.) Rob. Boyle (journal. de Savans. T. 2. Ephemer. 17. p. 197.) Joh. Christoph. Sturm. (Colleg. Curios. p. 1. Tentam. 3. n. 13. sq. p. 17.)*. Hac Aëris gravitate ductus *Francisc. de Mendoza (in Viridar. Philos.)* confirmat problema: In Aëre ob gravitatem ejus posse navigari. Quod nec ipse diffitetur *Casp. Scohttus (p. 3. Mag. Univ. Nat. & Art. l. 5. Syntagm. 3. Erotem 1. p. 420.)* & ex eo *J. A. Schaislin. (c. l. propos. 1. Erotem 1. n. 29.)*, si nempè Cymbæ sufficientis concavitatis materia ætherea Aëre subtiliori & leviori repletæ, in ea regione ubi aër desinit, & materiæ subtilis regio incipit Aëri concredantur. Quod autem in Sphæra nostra id institui nequeat defectui materiæ illius æthereæ imputandum. Add. *Philipp. Lohmejer. (Exerc. Phys. de Artif. Navig. per Aër.) & Joh. Christoph. Sturm. (c. l. Tentam. 10. p. 56.)*. De volatu hominis per aërem nil addo, ne videar ceràtis ope Dedalea niti pennis

vitreo daturus
Nomina ponto.

(Horat. l. 4. Carmin. od. 2.)

§. 63.

Objectiones contrà Aëris levitatem non ferire Aërem Elementarem & Aristotelicum, sed Cartesianum, quam congeriem tertii Elementi particularum terrestrium definivit *Ren. Cartesius (p. 3. Princ. Philos. n. 52. p. 54.)* & ex Eo *Chr. Lipstorp. (p. 3. Specim. Phil. Cartes. c. 2.)*. Detur, gravem illum esse, excessivè tamen non erit, cum suos gradus etiam admittat gravitas, sed respectu terræ & Aquæ (de puro loquor Aëre) levis, aut non ita gravis erit. Exemplo res clarior evadet. Cur nubes in aëre suspenduntur, quia aëri vicino sunt leviores, aër autem gravior. Cur condensatæ in pluvias decidunt? quia aërem gravitate superant; adeoque sic aër illis erit levior.

§. 64.

§. 64.

Levitatem humani corporis etiam ex mente quorundam Ætherea portio, ſeu æther in aëre adauget. Fuere qui purum aërem, (non athmo ſphæricum) Ætherem quosdam vocaſſe prodiderunt *Caſp. Schottus* (*l. 4. Technic. Curioſ. c. 2. præl. 2. p. 223.*) & cœli continuationem *Th. Bartholin.* (*de Comet. Conſil. p. 15.*), Calidum, quod in ſupremum ambitum ſeceſſit, Veteres (*ſecund. Hipp. l. de Carn. ſ. 3. Op. p. 29.*) in quem locum, quod è *Cicerone* (*l. 1. & 2. de Nat. Deor.*) commentatur *Anutius Fœſius* (*p. 205.*), evolvi meretur. Aëris & ignis miſcelam, *teſte Anton. Deuſingio* (*Exerc. de Spir.* §. *25. p. 210.*), Alii. Eſt in nobis cœleſtis quædam portio, ſublunaris altera, & eſt in utriusque confinio poſita, velut Æther quiſpiam vires utrinque conjungat, *ſcripſit* (*l. 1. Coſmocrit. c. 3. p. 36.*) *Cornel. Gemma.* Vocavit materiam ſubtilem (*paſſim*) *Renat. Carteſius*, materiam cœleſtem *Jul. Placentin.* (*Pecul. Diſſert.*), qui & calorem & motum membrorum adeoque etiam vitam ab eadem deduxit. Poſtquam in lucem editus infans (*ſcribit c. l.* §. *20.*), continuo per pulmones aëris particulas ſubtiliſſimis hujus materiæ cœleſtis refertis perfuſas atque circumdatas attrahit & expellit. Ariſtotelis naturam Elemento Aſtrorum analogam *J. C. Sturmius* (*Diſſ. de Circul. Corp.* §. *45. p. 41.*) interpretabatur. Cur aqua, terra, aër & reliqua ſimilia corpora, quibus cingimur, conſtent multis exiguis partibus figura & magnitudine differentibus: quæ nunquam tàm accuratè nexæ & continuatæ ſunt, quin plurima ſpatia inter illas pateant, non quidem vacua, ſed referta materia ſubtiliſſima, dictitat *Renatus des Cartes* (*Meteor. c. 1. n. 3. p. 126.*). Junge huic *Caſp. Schottum* (*c. l. p. 250.*). Prætereà cogitandum eſt, *pergit Carteſius* (*c. l. n. 4.*) materiam ſubtilem omnia intervalla, quæ ſunt inter partes horum corporum replentem, nunquam à motu velociſſimo ceſſare, ſed aſſiduè huc atque illuc ferri, non autem eadem velocitate ubivis & omni tempore. (*Add. Princip. Phil. part. 3. n. 51. p. 54.*) Materia hæc omnia penetrare dicitur, quamvis duriſſima, *Placentino* (*c. l.* §. *22.*). Inde, ſi è vitro pro demonſtrando vacuo, extrahatur in locum aëris extracti oppidò ſuccedit, operatorumque de demonſtrando vacuo vacua & inania eludit promiſſa. Quocirca quo ſanguis & alia humida, quæque diſſimilibus & quoad motum, & quoad figuram particulis conſtant, motum ſuarum particularum inteſtinum variumque tueatur, oportet, ut ſpatiola quædam inter ipſas (non quidem omninò vacua), ſed mobili aliqua, atque perpetim agitata materia relinquantur, ſive illa materia Ætheris nomine cenſeri debeat, ſive Aëris, ſeu quod mihi magis arridet, utriusque, Conf. *Malach. Thruſton.* (*c. l. ſ. 5. p. 14.*).

§. 65.

Cum verò præfatæ levitatis causæ in mortuis desint, non mirum est, quod pondere augeantur, aut saltem augeri videantur. Animalia graviora fiunt, *ait Hieron. Cardan. (l. 5. de Rer. Subtil. p. 270.)* quoniam exhalante Anima secum calor etiam (cœlestis), & quicquid ab illo elaboratum est, evanescit. Id Exemplo plumbi, aut potius plumbi calcinati crescens pondus pondere cadaveris illustrare conatur, quod, dum in Cerussam vertitur ac uritur, tertia decima parte sui ponderis augetur. *Conf. Hieron. Mercurial. (ap. Laurent. Scholz. Epist. Med. 80. & 90. col. 135. sq.). Thom. Mauffet. (ap. Eund. Epist. 280. col. 533.). Petr. Borell. (Cent. 4. obs. 97. p. 352.).* Hoc fit quia calor ille cœlestis evanescit. Nam certum est adjici nihil, & tamen (pondere) crescit, quæ tamen thesis modernis bilem movebit, quibus satis superq; cognitum, calcinata Atomos in Aëre volitantes attrahere sibique appropriare, quod & alia capita mortua (Chymicis dicta) Aëri exposita satis evincunt. *Athanas. Kircherus (l. 10. M. S. s. 4. c. 9. p. p. 237.)* rationem, cur plumbum calcinatum gravius sit propalaturus, cadaverum gravitate rem illustrat, quæ depulsis spiritibus occlusivè meatibus compactiora metalla reddi judicat. Absentia Animæ & Spirituum, pondere cadaver illico crescere *Hippol. Obicius (c. l. Dialog. 1.)* sentit, & amissis spiritibus, quilibet cruor gravitatem sensibilem, *judice Paulo Ammanno (c. l. p. 324)* acquirit, quæ gravitas Aquæ gravitate *ex Wolferdi Senguerdi (Ex. Phys. 76.) computo* superior. Videmus proinde vasa vivente corpore tumentia nonnihil flaccida, ob sanguinis in iisdem æstum & aëris motum impeditum, *juxta Joh. Theod. Schenck. (Hist. Hum. General. c. 4. p. 68.)* unde eo exhausto, quod non ita mirandum; *refert Th. Bartholin. (Disquis. Med. de Sangu. Vetit. p. 63.)* levius fit cadaver & Aquæ innatat. Et si in vivente ob factam adiapneustiam corporis pondus plus solito augeri incipit, ut habet *S. Sanctor. (s. 1. aph. 9.)* quanto magis in cadavere, in quo primis comprimis à fato diebus penitus cessat. *Athanas. Kircherus (l. c.)* Cadavera multò graviora, quam dum vita ipsis inerat, existere dixit, eò quod vivens corpus aëre spiritibusque plenum quadantenus allevietur mortuum verò omnibus depulsis spiritibus canalibusque occlusis compactius reddatur, aut corpus, *ut Wolffg. Gabelchover. (Schol. ad Andr. Bacc. de Gemmis c. 2. p. 31.) loquitur,* exhalato calore ad gravitatem naturalem & sibi insitam redit. Add. *Levin. Lemnium (l. 1. de Complex. c. 1. p. 6.)*

§. 66.

Obicium ut refutaret *Sanctorius* hanc format (*s. 8. aph. 8.*) objectionem: Fatuus (*Obicius*) putat, corpora viva mortuis esse leviora. Nec vidit unquam lani-

lanios, cetarios, & porcarios dum vendunt viva demere decem à libris centum. Responderi posset *Sanctorio ex Aristotele* (*l. 8. Hist. Animal. c. 6.*) & *Hieron. Cardano* (*l.12. de Rer. Varietat. c.73. p. 848.*) sextam partem ponderis, quantum ponderarit porcus vivus, absumi occiso in pilos seu setas, sanguinem & reliqua id genus. Monet etiam *Obicius* animalia irrationalia, si ponderentur viventia, sibi pondus addere dum valida & forti (spiritus) attractione (& renitentia *Vid.* §. *24.*) hoc namque erat addendum fortis namque spiritus attractio ad levitatem facere videtur *Th. Willisio de Anim. Brutor. c.3. p. 42.* ubi plura) vinculis se liberare nituntur. Non animadvertit, regerit *Sanctorio Herm. Conring.* (*l. de Cal. Innat. c. 8. p. 65.*) gravitatem illam esse ex motu animalium, quæ imposita libræ motum bilancis refugiunt, quantum in se est, atque ita illam gravant. Diversitas etiam ponderis in homine apparet, dum, *notante Cardinali Cusano* (*c. l.*), aliud est pondus hominis attrahentis & tenentis anhelitum, aliud expirantis. Interim non capio *Obicii* rationem, qui bruta & præcipuè sues, (licet differentia sit exigua) morte accedente pondere decrescere non dissimulat, quia constant natura magis terrestri. Contrarium enim hæc ratio potius videtur evincere.

§. 67.

Experimentum *Th. Browne* (*l. 4. Pseudodox. Epid. c. 7. p. 739.*) non prætermittendum, quod in pullo gallinaceo fecit. Vivum accuratè ponderavit, & post enectum, & ratione ponderis nullum deprehendit discrimen. Idem tentavit in Mure. Post decem autem horas pullus & mus manifesto leviores ad justam stateram examinati deprehendebantur. Concludit igitur tanto temporis intervallo pondus hominis ad aliquot uncias decrescere posse. Si calida adhuc corpora, quamvis mortua ponderentur, levitatem satis demonstrare *Theod. Craan.* (*tr. de Hom. c.37. p. 295.*) prodidit.

§. 68.

Dixi *supra* (*47.*) Aqua submersorum pulmones multum aëris concipere, & corpus ut supernatet, aptius reddere. Nec sine ratione forsan. Embryonis quidem pulmones rubent, & ob densitatem in Aquam conjecti merguntur. In lucem contra editorum ab aëre inspirato rariores atque leviores statim etiam albidiores ratione aëris inflati evadunt. Raritatem hanc & levitatem etiam post obitum non deponunt ob repletas adhuc admisso aëre vesiculas, adeoque aquis concrediti summa tenent (quo de phænomeno discurrit *Malach. Thruston* (*c. l. f. 22. p. 85. 86. 87.*). An verò Aqua suffocatis, ut emergant, suam operam hic collocare valent, hæret animus edicere. Notum namque est, prout etiam notat *Th. Bartholin.* (*Diatr. de Pulmon. f. 2. p. 27.*) in subitò ex-

tinctis ex irruente in pulmones sanguine, ibique restitante excuti aërem, & cum eodem levitatem è pulmonum vesiculis. Comprimis strangulati, ut iterum *Thruston.* (*c.l.p. 88.*), quibus aqua suffocati jungendi, quam ob rem naufragos uti laqueo suffocatos revocat *Aëtius* (*l.3.c.49.*).

§. 69.

A fulminis tactu levitatem corpori induci *Fortunat. Fidel.* (*l. 4. Relat. Med. s. 6. c. 2. p. 600.*). & ex hoc *P. Zacch.* (*l. 5. Quæst. Med. Legal. Tit. 2. qu. 11. n. 10. p. 337.*) suspicari licet, dum signis fulminatorum humorum consumtionem à fulmine factam annumerant. Poterit id contingere ad eundem fere modum, quo dolia fulmine exhauriuntur intactis operimentis, nullo alio vestigio in vasis relicto, ut *Plin.* (*l. 2. c. 57.*) habet, fulmenque, secundum *Lucret.* (*l.6. de Nat. Rer. v. 227.*) procurat.

Ut vasis integris vina repente
Diffugiantur.

Add. Dionem (*l. 57. p. m. 374.*) *ibidem Zacchias.* Quod si tale fuerit, cujus meminit, idque se oculatis habere testibus tradidit, quod omnia viscera illæsis exterioribus absumit, dubio locus non amplius concederetur.

§. 70.

Qui miraculis Sanctorum compilandis operam locarunt suam, corpora sanctorum aliquando divina virtute ponderosiora, aliquando solito leviora comparuisse scribunt. *De S. Wigbrechto Confessore Lupus Servatus, & ex eo Henr. Kornmann.* (*p. 4. d. m. m. c. 22.*) cum in translatione corporis Ejusdem in valle sacros Ejus cineres paulum quieturi deposuissent, ac mox quo cœperant contendere præpararent, mirabile dictu, gravatæ sunt, quas hactenus detulerunt reliquiæ, nec eas fuit loco movere facultas, donec instantissimis precibus id à Domino obtinerent. De Cadavere *S. Galli* simile ferè *Wolafrid. Strabo* (*l. de Vit. S. Galli c. 30. ap. Goldast. T. 1. Rer. Alemannic. p. 2. p. 254.*) de *S. Corbiniani Andreas Brunner.* (*l. 5. Virt. & fort. Bojor. p. 719.*) Contra de S. Adalberti Cadavere *Cromerus* (*l. 3. de Reb. Polon. p. m. 52.*). Hujus corpus *Boleslaus Dux* à Prussis redemit & minimo quidem, propterea quod appenso in statera per exiguum ipsius pondus divina, ut creditum est, virtute efficiente inesset. Tantum enim argenti, sive Auri, ut alii volunt, barbari pacti erant, quantum corporis ponderi responderet.

§. 71.

Cur pisces mortui utplurimum supernatent Aquæ, ventris amplitudini detulit *Aristoteles.* Causam igitur redditurus cur Anguillæ non superfluitent mor-

mortuæ, nec ſurſum, ut cæteri piſces maxima parte efferantur? *(l. 8. hiſtor. Animal. c. 2.)* inſit: ἔχουσι τὴν κοιλίαν μικρὰν. Sunt enim ventre exiguo. Rectius id imputavit aëri, qui in illorum vacuis continetur *J. C. Scaliger* (*in l. 2. de Plant. p. 366.*). Alias præterea rationes lege *apud Johann. Rudolph. Camerar.* (*Cent. 9. Syllog. Memor. n. 17. & 18. p. 655.*). Paucis, uti motus Avium contra naturam eſt alarum ſuccuſſu & aëris diverberatu ſurſum, idque animæ & ſpirituum præſentia ſic dirigente, Vid. *Franciſc. Valleriola* (*l. 6. Enarrat. Med. fol. 420. & ſq.*); Ita Piſcium motus eſt deorſum in profundum Aquæ pinnarum remigio. In morte igitur anima & ſpiritu excuſſo avis è levis aëris regione profundum ſive terram petit; piſcis autem aquæ gravioris ſubſtantia ſublimis fertur. Si anguillæ mortuæ fundum petunt, & carnis gravitas, & figura externa id facit, nec facilè anguillam, niſi prædæ forſan inhiet, ſuperiora aquæ petere videas. Quod ex limoſa ſit ſubſtantia, aut ex limo vel ex anguillarum cadavere procreata *Joh. Bodinus* (*l. 3. Theatr. Nat. p. 402.*) arbitratur.

§. 72.

Claudat hunc Titulum ſingularis *Solini* (*Polyhiſt. c. 45. p. m. 150.*) narratio. Materia, *inquit*, ficus Ægyptiæ in aquam miſſa ſubſidit. Deinde cum diu ſederit, in liquore levior facta, ſuſtollitur, & verſa vice, quod natura in alio ligni genere non recepit, fit humore ſicca. Cujus phænomeni rationem dum explicare aggreditur *Martin. Schockius* (*tr. de Tunſis c. 19. p. 162.*) ita diſſerit: Ut illud, quod natat, levius eſſe debet liquore ſubſtrato, cui innatat, (manifeſtum hoc eſt vel hinc, quod clavus ferreus innatet plumbo liquefacto,) ita exiſtimandum eſt, quoddam lignum usque adeò ponderoſum eſſe, ut ſi conſideretur ratione ſuæ ſuperficiei, aqua ſecundum quantitatem reſpondens, deprehendatur levior; quo in caſu illud, quod alias innatare deberet, non poteſt non ſubmergi atque fundum petere. Quod verò lignum, quod ob cauſam jam dictam, aquæ fundum petens, poſteà deprehendatur eidem innatare, hoc exiſtimandum eſt propterea accidere, quod materia reſinoſa lenta viſcidaque quæ ejusmodi ligno pondus potiſſimum procurat, ab aqua eliciatur, ſimulque lignum illud levius (aqua autem viſcidior & gravior) reddatur, locum talis ponderoſæ materiæ in ligni poris ſubeunte aëre aut aqua minus ponderis habente, præ ejusmodi materia.

§. 73.

Ova recentia demum aquæ injecta fundum petere, progreſſu verò temporis iterum emergere, obſervationes memorant. Libravi quoddam à Gallina jam partum, *narrat Petr. Petitus Tom. 3. Ephem. Erud. 5. p. 67.*), quod unciam unam

uram, sex solidos, 22. grana s. 1030. grana habebat in pondere. Hoc ipsum duobus diebus præterlapsis trium granorum pondere erat imminutum, & quinto die granis septem eadem tempestate, eodemque loco temperato. Æstate enim ulterius adhuc imminuuntur, quarè ut servari queant, certum est remedium illud quo in aqua servantur, probatum esse. *Rob. Boyle* etiam (*de Athmosphær. Corp. Consist. p. 5.*) hyeme valdè rigida non obstante aëris, in qua asservantur, frigiditate, in exacta bilance horarum non multarum spatio reddita sensibiliter leviora, comperit. Causam in flatus rejecere *Cæl. Rhodigin. (c. l.)* & *Eryc. Putean.* (*in Encom. Ovi.*) sed tunc pellicularum & testarum ruptura rem decideret. Rectius (*c. l. p. 60.*) *Petitus* recentia adhuc sua substantia esse adimpleta, ad testam usque, neque quicquam aeris ipsis inesse. Verum quando requiescunt, particulæ nonnullæ albuminis exhalant, vacuumque relinquunt spatium versus extremitatem obtusam, in quam per poros ipsius testæ intrat aër. Reperies etiam hanc sententiam (*in l. 2. de Plant. p. 353,*) *ap. J. C. Scaligerum*. Paucis, ut in omnibus etiam in lapidibus & metallis continuò innatus est partium interiorum motus intestinus, ita etiam in ovis, inde Atomorum exhalatio.

§. 74.

Cum celeberrimus *Erasmius Bartholin.* Anno 1669. ovum Gallinaceum incautius fortè tractaret, putamine fracto interius ferè inane, nihilque præter exiguum pulveris flavescentis deprehendit, hinc orta mox suspicio de materiæ ovi continuo decremento *Vid. Th. Bartholin.* (*Vol. 1. Act. Hafn. p. 1. obs. 52. p. 104.*). Addendum censeo prætereà testas recens expositorum ovorum, aliquando multum humiditatis obtinere, ut vix testæ esse videantur, aliquando parum, quæ ipsa humiditas, dum progressu temporis exhalat, leviora ova constituit, inde testæ exclusis pullis omnium levissimæ, quia siccissimæ.

§ 75.

Nec hoc prætereundum pondere à quibusdam de corporis constitutione sana aut morbosa aliquando desumi. Perhibent id Medicis Magni Mohol, qui singulis annis Calendis Septembris Ejus corpus exactè ponderant, & inde de sanitatis constitutione argumentum & judicium formant. *Ex Aliis* allegat *Erasmus Francisci* (*l. 4. Ausländischer Kunst- und Sitten-Spiegel p. 1724.*)



LIB.

LIB. II. TIT. IV.

De
Cadaverum Frigiditate, Rigiditate, Caliditate & Mollitie.

Summarium.

1. *Frigus, mortis satelles.* 2. *Cadaver unde friget. Spiritus vitalis non calidus Helmontio.* 3. *Frigidissimum cadaver à pavore Archei.* 4. *An ideo cadaver tangentes impuri & semi mortui.* 5. *Archei pavorem frigus augere.* 6. *Morbi.* 7. *Frigore mortui.* 8. *Post frigus rigor.* 9. *Exempla varia.* 10. *Rigor ex aliis causis.* 11. *Tetanus ante mortem.* 12. *Decollati stantes.* 13. *Causæ aliæ.* 14. *Callimachus interemtus in prælio stans.* 15. *Heinsiana Patris Callimachi declamatio, & Balbini Epigramma.* 16. *De Rege Salomone fabula.* 17. *De Francisco & Dominico.* 18. *An stare secundum naturam? Zacchias.* 19. *Rationes Ejus refelluntur.* 20. 21. *Cartaleptici.* 22. *Fulguriti.* 23. *Conjectura.* 24. *Stantes rari.* 25. *Peste extincti.* 26. *Corpora in peste astricta.* 27. *Tetanus. Litera longa quid.* 28. *Cadav. rigiditas & frigiditas an novaculam hebetet? De Cute quædam.* 29. *Mercurialis à peponibus rationem desumit.* 30. *Ab acore carnis & cutis Helmontiani.* 31. *Μελασμοὶ à frigore unde?* 32. *Lumbrici & pediculi ante & post mortem cur corpora derelinquant?* 33. 34. *Causæ.* 35. *Rigiditatem immutare potest Dæmon, non frigus.* 36. *Cadaverum Calor.* 37. *Historiæ.* 38. *Hydrops cum febre. Febricitantes alii & pestiferi.* 39. *Assumta ante mortem.* 40. *Recalescentia unde.* 41. *Partium cadaveris flexibilitas, vulgi Prognosticon.* 42. *In Magis quare naturalis secundum Santorellum.* 43. *Rigida primum post flexibilia.* 44. *Problematis resolutio.* 45. *Cadaverum in sepulchris situs varius.* 46. *Sedentes sepulti.* 47. *Stantes.* 48. *Erecti extra sepulchra.* 49. *Tyli Saxonici (Eulenspiegels) sepultura.*

§. 1.


Alor vitæ, frigus mortis indicium, quia individuus satelles, *Loquitur J. B. Helmont* (*tr. de Flatibus n. 24. p. 338.*). B Spirituum præsentiæ, hoc violentæ eorum dispersioni imputandum. Mortem pronunciabant quidam *Attalensis Athenæi* sectatores corpora ad frigidum siccumque perducere, & mortuos græcè alibantas vocari, quasi nihil humecti in se habentes, utpote tum caloris abitione exhaustos, tum frigore rigentes, quod retulit (*l. 1. de Temper. c. 3. p. 223.*) *Galenus*. Ante mortem igitur frigidam advertimus spirationem. De frigida inspiratione, *inserit Anton. Santorell.* (*l. 6. Anteprax c. 2. p. 140.*), ante mortem putant multi id fieri, quia Cor propè mortem frigida temperie laborat, quod, quanquam videatur *Galeno*, mihi tamen non omninò satisfacit, nam alibi docuit, si quis in sinistrum Cordis Ventriculum mortuo animali immitat digitum, adhuc calidissimum observari. Rectè id quidem, sed rationem frigidæ spirationis non addit, quæ absentiæ Spirituum, & dissolutioni virium ascribenda, quod spiratione sensim sensimque debiliore facta aër pulmones & cor non subeat, & atomis eorum calidis parum imprægnatus, iterum exspiretur. Ideò Mors *Plutarcho* (*l. Aqua an ignis sit utilior f. m. 131.*) nil aliud, quam extrema caloris defectio, & mortem definit frigus, animam à corpore seducentem *Casp. Barthius* (*in Stat. l. 8. Thebaid. v. 934.*), ubi extremum frigus pro mortifero positum, respiciens ad illud *Didonis* morituræ *ap. Virgil.* (*l. 4. Æneid. v. 392.*)

Et cum frigida mors anima seduxerit artus.

Argutè *ap. Petronium Arbitrum* (*in Satyr. p. m. 177.*) *Encolpius ad Gnithonem*, cujus funerata erat illa pars corporis, qua quondam Achilles erat: Si idem frigus genua manusque tentaverit, tuas licet ad tibicines mittas. Qua de causa cum frigus proprium sit mortuorum, secundum *Servii* (*in l. 11. Æneid. Virgil. v. 39. p. 834.*) effatum, frigens pro mortuo positum invenias *ap. Maronem* (*l. 6. Æn. v. 209.*) in illis

Corpusque lavat frigentis & ungit.

Si frigidum nomen est anima Græcorum, quare corpus ea absente friget? quærit *Tertullian.* (*l. de Anim. c. p. 661.*)

§. 2.

Nullus igitur mirabitur, si cadaver frigere, tactu explorante sentiat experiaturque. Ridet hic Scholas *J. B. Helmont.* (*tr. in Sole tabernaculum p. 621.*), Spi-

Spiritibus cordis & totius calorem aſcribentes, cum Spiritus ex ſe ſint frigidi, pereatque in inſtanti illorum calor, ſimul atque à Cordis radio & ſubſidio dirimantur, adeoque nec Cor, quod repetit, nec ejusdem Spiritus vitalis ex ſui natura & ſubſtantia caleant originaliter, ſed ex ſanguine arteriali partim ſalſo, partim pingui & ſulphureo pulſuum concuſſione ſicut ex lacte fit butyrum, per concuſſionem eliciatur ſulphur vitale. (*Add. tr. Blas humanum n. 23. p. 147.*) Quod deinde dum per ejusdem operæ concuſſionem in Spiritu volatili lumen concipit, propagatur formale ſeu vitale lumen: tanquam lumen de lumine ſumtum. Spiritum vitalem *alibi* (*tr. Spiritus vitæ p. 157. & tr. Aura vitalis, ubi eadem* repetuntur, *p. 576.*) ſanguinem reſolutum in auram ſalſam & illuminatam à vita, adeoque lucem eſſe aſſerit, æthercam ſobolem, luminis vitalis immediatum hoſpitium, (*tr. Blas human. n. 23. p. 147.*) caloremque vitæ noſtræ duntaxat adjacens & comitans indicium, non autem fundamentum primarium. Vita igitur illi (*c. l.*) lux formalis, & ipſa anima ſenſitiva lucida adeoque hujus exſufflationem mors è veſtigio ſequitur, quod & nuper de venenis (*Tit. 1. h. l. §. 21.*) Blas igitur cordis vitalis Spiritus & conſequenter ſui caloris fomes: Spiritus verò ſic animatus ſui caloris fomes, ut iterum (*c. l. n. 24. p. 147.*). Nec ſine pulſu accenditur nimium calor, ſed confeſtim vita etiam perſtite, calor interit. Interim à pavore Archei, ſ. Spiritus inſiti, & retroceſſione influi corpori induci frigiditatem, *alibi Helmont.* aſtruere nititur, ut mox patebit.

§. 3.

Ut enim (*tr. Ortus imaginis morboſæ n. 14. p. 443.*) ideas ab Archeo formari, non minus quam à vi Phantaſtica Tironibus perſuadeat, hoc utitur argumento. Cadaver, *ſcribit*, ſpontaneo fluxu mortuum friget ſuper omnem glaciem, (aut, ut alibi loquitur *tr. Poteſt. medicam. n. 4. p. 378.* Cadaver humanum, languida morte extinctum, etſi juxta ignem violenter intepeſceret, tamen tactui videtur eſſe frigidiſſimum, adeò ut manus vix queat inde dudum etiam igni admota, ut habet *tr. Tumulus Peſtis p. 870.* poſt recaleſcere.), non verò quod frigidius ſit cadaver vaccæ, ſpontè demortuæ, (id namque per organum qualitatum ac gradus ambientis diſtinguens clarè demonſtratur), quanquam tamen id noſtro attactui ſic cenſeatur. Contingit id enim Archei ſolius pavore, qui contactu mortis in cadavere pavet. (1.) Sentit mortem, quam fortaſſis Phantaſia adhuc ignorat. (2.) Pavet. (3.) Retrocedit Spiritus influus. (4.) Inſitus autem manui pavore turbatur & concidit, adeoque initium mortis ſibi è pavore concipit. Non inconcinnè ideò ſacra, ut qui

mortuos tangeret impurus & semi-mortuus censeatur. Quam mortis imaginem Archeus velit, nolit, concipit, eamque sic mordicus aliquandiu retinet, quam diu superstes illa pavoris idea: quod intra horam vix ad focum recalescat. Ergò pavoris Idea realiter ibidem est: Siquidem operatur affectum, estque formata ab Archeo, & non ab imaginativa hominis. Igitur, si Archeus pavore fugiat tremens: pari quoque ratione tristabitur, irascetur, furore aliisque passionibus concitabitur; Et caloris & frigoris excessivi causam in Archeum ipsus rejicit, (*tr. Potestas medic. n. 8. 9. 10. p. 379.*), & si lumen quorundam animalium tanquam Solare Calidum. Finge enim (*discurrit. tr. Formarum Ortus n. 86. p. 119.*) bovem 800. ℔. pendentem, qui extincto vitæ lumine mox friget. Ergò lumen istud calidum necesse est, si tanti, ut totidem libras in frigus ruentes continuo sui fomento à frigore præservet. Archeus autem in quadrupede apertè fluctuat & splendet, & lux est, utique in partes nostras inclinare videtur, solaque verborum diversitate à nobis declinare. Add. *Anonym.* (*in der Betrachtung der Begräbniß in Kirchen. p. 16.*)

§. 4.

Cur verò in sacris mortuum tangentes impuri reputentur ex Helmontiana non profluit hypothesi. Nec mortuum tangentes pro semimortuis in sacris haberi ullibi reperiet *Helmont.* Nec pollutio per mortuos attactos Ethnicis incognita, ut alibi quædam (*h. l. Tit. 2. §. 5.*) sparsi. Cæterum mysticam in sacris subesse rationem Theologi docent, ut acu minimè sensum S. S. tetigerit, quæ ejus ubiquè ferè est infelicitas, novus sacrorum interpres. Hoc tamen *Philosopha per ignem* largior, ad corporum mortuorum tactum, insperatum comprimis, facilè plurimos pavore concuti & pallere, ut inde inter abominabilia cadaver locum meritò invenerit.

§. 5.

An autem ob hunc Archei pavorem cadaver nobis frigidius, atque revera existit, appareat, non ita facilè assentirer, cum sensus non fallat. Frigiditatem parit caloris aut vitalis luminis absentia, *ut dictum*, ambiens aër, cum in frigidioribus locis asserventur cadavera humana, adauget. Exasperare eandem in homine videtur cutis, pars exsanguis & sua natura frigida, adeoque aptissimus frigoris fomes, qua in ovibus & bovibus detracta, caro, pars sanguinea & calidior frigoris ejusmodi gradus excellentiores non recipit. Hujus asserti veritatem carnis suillæ frigiditas pariter illustrare poterit. Tantam demum esse frigiditatem, ut parti viventi tactus beneficio communicata ægrè expellatur. *Helmontio* non credo, quia experientiæ sigillo destituitur.

§. 6.

§. 6.

Morbos, quibus periit æger esse attendendos, itidem *Helmont.* (*Tr. Tumulus Pestis p. 870.*) notavit. Plus cadaver, *ait*, sensim extinctum friget nobis, quam cadaver Podagrici aut acuta febre mortui. Syncope affecti cum etiam viventes adhuc frigidi sint, frigidi, *Galeno teste* (*l. 1. de Præsag. expulf. c. 4. p. 545.*), obeunt. Eadem frigiditatis intensio in fulminatis observatur, inde evenit, ut etiam pars vulnerata fulmine reliquis frigidior, *ut Plinius* (*l. 2. c. 56.*) cujus phænomeni *secundum Simon. Majolum* (*Dier. Canic. Colloqu. 1 p. 21.*) forsan ratio, quod ignita omnia cum refrigerantur frigidiora solito fiant. *Proth. Casulanus* (*l. 1. Æthiol. n. 152.*). Spiritus in ea parte, quæ icitur, absumi docet, indeque frigus deducit. *Adalbertus Tylkowsky* (*Meteorol. Curiof. p. 1. c. 10. §. 6. p. 32.*) *cit. Sachsio nostro* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 36. p. 68.*) id metui & veneno ascripsit. Valet prima ratio in Gangrænosis partibus, quas nullo igne s. actuali, s. spiritibus calidis adhibitis calefacias. In fulminatis autem partibus nullum frigus unquam, quas conspexi, offendere potui. Qui igitur hæc consignarunt, potius traditione, quam experientia edocti, in literas retulerunt. Seniora & obesiora his annumerat corpora *Paul. Zacchias* (*l. 5. Quæst. Med. Legal. Tit. 2. qu. 12. 34. p. & n. 36. p.*).

§. 7.

Quod si frigore perierit mortuus, aut in loco frigido repositum cadaver, frigus augebitur, quod vel lippis non ignotum. De illis sequentia *Hieron. Cardanus* (*l. 7. de Var. Rer. p. 574.*): Qui frigore pereunt, mortis quidem initium à genitalibus suscipiunt. Indicio est, quod mortuis genitalia involuta inveniuntur, atque corrupta: neque enim videntur interiora membra per se adeò à frigore affici, ut corrumpantur, quoniam septis fulcita sunt. Gemella habet *Georg. Hornius* (*in Arca Noæ p. 174.*) *è Cardano* forsan exscripta. Consensu autem exterioris & principalis sic afficiuntur, unde mulieres minus, genitale enim his intus est: Unde juvat ea fovere. Viatores proinde, *ut scribit cit. Hornius* (*in Arca Mosis p. 147.*) hyeme membrum virile charta multiplici contra penetrabile frigus muniunt. *Cardano* autem assurgendum esse exemplum juvenis olim frigore enecti & à me dissecti monet, cujus priapus cum scroto colore plumbeo & cœruleo in putrilaginem vergere videbatur.

§. 8.

Rigor excipit frigus. Idque ferè in instanti. Cum conducat os claudere, caput directè statuere, pedes reducere, levare bracchia ad pectus deducere isthæc omnia fieri suadet *Anton. Santorellus* (*Post-Prax. c. 7. p. 19.*) statim ac animam effla-

efflavit, nam ubi obriguerit, aut flecti nullatenus poterit, aut non poterit commodè componi, causa *juxta Eundem (c. l. c. 8. p. 21. sq.)*, aut est frigiditas congelans, aut replens substantia in musculorum & artuum cavitate conclusa, aut quod plerumque accidere observamus, est utrumque. Et quidem rigescere mortuos, *pergit*, à frigiditate. Inde aptè, secundum Eundem deduci posse videtur, quia suspensi, & in universum omnes, qui pereunt suffocati, quo usque se flectunt & flectuntur, & quoquo versus vertuntur, qui extincto calore refrixerint, ita rigent, ut amplius flecti nequeant. Frigus autem hoc facit replendo, nam cum astringat frigiditas, eamque ob causam cohibeat cuncta, possunt, detenta, quæ anteà perspirabant, sic artuum cavitatem repleri, ut flecti nequeant. Facit hoc secundo condensando aquosam serosamque substantiam, quæ in partibus continetur. Unde quidem concreta in articulis pituita, & in tophum conversa tollet omninò flexibilitatem; sicuti à multa frigiditate aquosa materia in artubus contenta gelascit, reddit illam partem inflexibilem. *Et hactenus Santorellus.*

§. 9.

Frigore enectos quis non rigere vidit? Quosdam *ex Alexandri Macedonis* militibus applicatos arborum truncis obriguisse frigore, eos tamen non viventibus solum, sed etiam inter se colloquentibus similes esse conspectos, durante adhuc habitu, in quo mors quemque deprehenderat. *Q. Curtius (l. 8. de Gest. Alex. M. c. 9.) autor est.* Adde *Anton. Sabellic. (l. 6. Ennead. 4.)* & *Conrad. Lycosthen. (Chron. Prodig. & Ostent. p. 95.).*

Multi ceu Gorgone viso
Obriguere gelu,

Claudianus (de Bell. Getic. v. 342.) dudum cecinit. Constantiæ memorat *Poggius (l. 1. de Miser. Hum.)* hominem intemperie frigoris mortuum equo insidentem in publicum hospitium delatum conspeximus, ita stantem, ut vivus videretur. Obriguerant membra singula, adeò, ut corpus equo in hospitium deveheretur. Gemellum in milite excubitore, qui manè stans quidem, sed non vigilans repertus est, jam & noctis & totius vitæ vigiliam finierat, idem Viennæ observavit. *Didacus Almagrus* per gelidissima Alpium juga primus è Peruvio in Chili Regnum cum copiis suis penetrare ausus, frigoris immanitate, & pestifera aura non paucos suorum amisit, & cum reliquias exercitus per easdem reduceret, rem comperit inauditam. Stabant adhuc Equites peditesque, ut *Joh. Bisselii verbis (l. 4. Argonaut. Americ. c. 2.)* hæc efferam, qui quinto ante mense obriguerant immoti, inconsumti, situ, forma, habitu, quo repentina pestis

ſtis quenquam illigaverat. Alius pronus humi ſtratus, alius rectus: non nemo tanquam aſturconem urgens, videbatur inſerta manibus fræna quaſſare. In ſumma, invenit eos tales, quales reliquerat: odore nullo tetro, colore non ſolito funeribus, ac, niſi quod anima dudum intercidiſſet, cætera ſpirantibus, quam extinctis, ſimiliores. Pedites prope Metim congelati haſtas in manibus adhuc tenentes, mortui deprehenſi ſunt, *annotat P. Foreſtus (l. 10. obſ 41. p. 367.).* Notandum, (*inquit Th. Bartholin. de Uſ. Niv. Med. c. 12. p. 83.*), Corpora occiſorum hyeme eodem poſitu, eademque figura permanere rigida, qua ante cædem deprehenſa ſunt. Viſum id eſt extra urbem noſtram (Hafniam), cum 11. Febr. 1659. oppugnantes repellerentur hoſtes, magnaque ſtrage occumberent: Alii enim rigidi iratum vultum oſtendebant, alii oculos iratos, alii ore diducto ringentes, alii brachiis extenſis gladium minari, alii alio ſitu proſtrati jacebant. Imo ex mari gelato primo Vere reſoluto eques equo ſuo inſidens integer emerſit, neſcio quid manibus tenens. Add. *Theoneſt.* (*de Veterin. Med.* quem citat *Joh. Rud. Camerarius Cent. 6. Memorab. n. 60. p. 393.*).

§. 10.

Ex aliis etiam cauſis & morbis ſublatos rigere ſenſu diſcimus, ut à brutis incipiam, cauda teſtudinis, quæ in ſui extremo cornea poſt mortem ſic incurvata, ut nulla vi flecti potuerit. Eadem inflexibilitas in maxillarum muſculis reperta, quarum *ex Ariſtot.* vis eſt maxima. *Vid Joh. Baptiſta du Hamel (l. 1. Reg. Gall. Scient. Acad. Hiſt. ſ. 11. c. 6. n. 1. p. 144).* In homine exempla quotidie ante oculos verſantur, ut nullus ſenſui obliqui audeat. Singularis plane eſt *Alexandri Taſſoni (l. 9. quæſt. 2. cit. P. Zacchia l 4. Qu. Med. Legal. T. 1. qu. 10. n. 4. p. 361.)* obſervatio, de Veneta muliere, quæ ex venenato pomo cum mortua eſſet, ſic riguit, ut in petram converſa videretur, nec potuerit ullo modo gladio aut cultro venter ejus incidi. Servant, ut gelati non rarò certum, quem circa mortis articulum habuere, membrorum poſitum. Ita ajunt, *teſte Galeno (l. de Theriac. ad Piſon. p. 1059.)* Cleopatram ab aſpidis morſu extinctam manu dextra capiti admota, & diadema, ſicut eſt conſentaneum, tenente fuiſſe inventam, ut vel eò usq; ſpectatoribus Regina eſſe videretur.

§. 11.

De ejusmodi caſibus *J. B. Helmontii (tr. Tumul. Peſt. p. 887. & tr. de Flatibus n. 14. p. 337.)* Philoſophia hæc eſt: Homo cum totali virium extinctione moriens, relinquit ſuum cadaver generali Tetano, utrinque tenſum; aſt, ubi violenta abripitur morte, eſt ejus cadaver flaccidum. Unde didici, *pergit*, vitam quandam ſenſationem & motum ſ. Blas eſſe in carne, præter voluntarium. Vita illa

nimi-

nimirum venena & mortem cum extinctione apprehendens, utrinque tendit tendines. Unde falsum est, cor esse ultimum moriens. Superstes namque manet vita musculorum. Historia rem illustrat, *T. Bartholin.* (*Hypomnem. de Cruce 1. §. 13. p. 98.*), furem quendam patibulo depositum lictores cruci affixerunt, trajectis per volas manuum & pedum plantas clavis, ut accurato penicillo *Caroli van Mander Regii Apellis* cruciarius vivis coloribus delinearetur. Ubi nullo quodam hypopodio aut ventriculo medio substrato tam rigido sensu pendebat cadaver, ut nec deprimentibus lictoribus cederet. Ut non nego generali Tetano ante mortem corpus tentatum rigere, idque potissimam sæpius existere rigoris causam, ita inter commenta Helmontiana vitam musculorum dudum (*Disc. de Gemell. & & Part. Numer. c. 4. §. 4.*) reputavi.

§. 12.

Nec veritati litat *Helmont*, dum morte purpurea sublata cadavera flaccida pronunciat. Reclamant historiæ & experientia. *Leodegarius Martyr* capite plexus se erexit & ultra horam immotus stetit. *Petrus* etiam *Martyr* decusso jam capite submissis genibus corpore reliquo mansit erectus, quod etiam de aliis (*evolv. Hieron. Drexel. Prodr. Æternitat. c. 3.*) quam plurimis legimus. Quod si hoc divinum quid spirare suspiceris *Th. Bartholin.* (*l. 3. de Luc. c. 4. p. 353.*) quendam truncato capite Amstelodami per horulæ spatium erectum stetisse.

§. 13.

Spectat huc, quod *Ammian. Marcellin.* (*l. 18. Rer. Gest. p. m. 140.*) recensuit, scilicet ob alias circumstantias ex vulnere mortuos stetisse. Mixti, *inquit*, cum Persis, eodem ictu procurrentibus ad superiora nobiscum ad usque ortum Solis alterius stetimus, ita conferti, ut cæsorum cadavera, multitudine fulta, reperire ruendi spatium nusquam possent: utque miles ante me quidam discriminato capite, quod in æquas partes ictus Gladii fiderat validissimus, in stipitis modum undique coarctatus hæreret.

§. 14.

Callimachum præstantissimum Athenienſium ducem ad Marathonem dimicantem, *Herodot.* (*l. 6. p. 584.*) egregia in ipso prælio navata opera, interfectum asseruit. *Plutarchus* autem strenue dimicantem plurimis hastilibus confossum, & in ipso eorum pondere libratum mortuum inter Cadavera stetisse, (*in Parallel. f. m. 173. a.*) fidem fecit, adeoque *Vespasiani* scitum (*ap. Sueton. in Vespas. c. 24. p. m. 266.*), quod etiam *Sixtus V. Papa* nunquam decumbens, licet

licet ægritudine debilitatus (*teste Piasecio Chron. Gest. in Europ. Singul. p. 87.*) in ore frequenter habuisse fertur: Impetatorem non decere, nisi stantem mori, adimplesse scribitur. *Vide Gregor. Ladi* (*l. 4. de Vit. Sixti V. edit. Germ. p. 686.*) Idem febre detentus, ut posthabitis negotiis publicis respiraret paululum à Cardinali Nepote monitus respondisse fertur, *Ejusdem testimonio* (*l. 11. p. 408.*). *Ihr sollet wissen, Vetter, daß gleichwie die Nachtigal mitten im Singen stirbt, also ein Fürst mitten im Befehlen seinen Geist auffgeben muß.* Sapientem in actu mori debere, Stoicorum erat sententia, quod *in Sueton. Vesp. c. l. p. 558.*) *notat Isaac. Casaubon.*

§. 15.

Elementi sub persona *Callimachi Patris* declamatione *Dan. Heinsius* (*Orat. 34. p. 588.*) hanc historiam illustravit; quam, quia brevis & nervosa, inserere allubescit. Ita autem ad Athenienses Pater: Hoc, quem videtis hic, Athenienses, sanguine victoriam hanc Vobis peperi. Nemo vulnera filii mei quærat. Sic stetit cum pugnavit. Dubito an moriendo vicerit, an vincendo sit mortuus. Mors certè victoriam non interrupit, sed continuavit. Bis vicit: Semel *Xerxem*, iterum Naturam. Mille vulnera pertullit, plura optavit. Totam Asiam sustinuit, nec cecidit, mortuus est & stetit. Quod potuit mori, culpa Naturæ; quod non cecidit, laus illius est. Natura rerum tecum mihi res est. Quare aut cœlestem filio meo animum dedisti, aut mortale corpus? Moriantur, qui timere mortem possunt. Ille nec cadere potuit, nec vinci & coactus est mori. Ille corpus non reliquit, sed à corpore relictus est: Primus ille est, qui Naturæ cessit, sed qua triumphavit: Primus qui sic vicit, mortuus non jacuit: Primus idem, qui virtutis post mortem documentum dedit: Primus, qui ipsa morte vitæ spatium extendit. Quo honore dignus vobis, quo videtur præmio Athenienses? Nam si fortiter in bella cecidisse laus est: Ille & fortis fuit & non cecidit. Quæritis an mortem timuerit? ne sensit quidem, ut videtis. Sepulchrum debam ambire, nescio an recusare. Utinam loqui post mortem, sic ut vincere potuisti, *Callimache*, potuisses: responderes hoc modo: Pro sepulchro memoriam mei vobis Athenienses mando. Pudet jacere inter reliquos, quorum multi ante mortem ceciderunt, nemo in acie post mortem stetit. Repetunt ignava corpora terram, & in matrem suam toto impetu feruntur. Abstine manum quisquis es, ne crudelior sis ipso hoste; qui occidere potuit, nec potuit movere. Nemo mihi statuam erigat, sufficit hoc Cadaver. Nemo de Persis erigat Trophæum, sufficit hoc corpus. Vos virtute barbaros vicistis: ego socios exemplo. Cur torpetis manus, cur non amplius pugnatis? An time-

timetis ne quis sit crediturus? Ego vos hoc metu libero. Mortuum non minus credent posteri pugnasse, quam stetisse. Festivum & ingeniosum etiam est illud *Bohuslai Aloysii Balbini* (*l.3. Exam. Meliss. Epigr.70.p.89.*)

Pro patria stat Callimachus jam mortuus; at jam
Stat pia pro charo patria Callimacho.
Non cadit in mortem vir stare asuetus in armis,
Imò mori asuetus, nescit ab ense mori.
Hic jacet; erravi stat adhuc vitæque superstat,
Mors sub Callimacho stante necata jacet.

§. 16.

De Salomone Rege in Alcorano (*Surrat.38. cit. Dn. D. August. Pfeiffero Dissertat. 4. th. 26. p. 77. & 78. & Gregor. Michaël. Not. in Jacob. Gaffarell. Curios. Inaudit. n. 27. p. 147.*) subsequens legitur commentum: Cum *Salomoni* in Sacello Angelus mortis ultimum diem significasset, *Salomon* rogavit DEUM, ut Diabolos, quos ad templi ædificationem conduxerat, mortem suam celaret. DEI ergò providentia factum, ut moreretur scipioni innixus. Dixerunt autem Dæmones, non est mortuus, sed vivit, & noluerunt eum relinquere, sed permanserunt in labore suo donec elapso anno baculus à tinea corroderetur, & sic *Salomon* declinans instar graminis aridi concideret.

§. 17.

Assisi ist der Ort, alda S. Franciscus gebohren worden, alwo auch, der gemeinen Sage nach, sein Leichnam in dem grossen Franciscaner Kloster, in einer Capell unter der Erden, und zwar unter dem hohen oder Fron-Altar ruhet. Man hält dafür, daß sein, und des H. Dominici Leichnam beyde alda noch unverwesen liegen, und aus eigner Krafft ganz auffrecht auf den Füssen da stehen, und einander die Hand biethen sollen. Also habe es Gott geschicket, daß diese zwey heilige Männer, die so gute Freunde Zeit ihres Lebens mit einander gewesen, auch im Tode ungeschieden bleiben möchten, scribit Gabriel d' Emiliane. (*Itinerar. Epist.3.p.287. sq.*)

§. 18.

Hoc ipsum an secundum naturam accidat? *E Paulo Zacchia* si quæras (*l. 4. quæst. med. legal. Tit.1. qu.20. n.35. p.365.*) respondebit: Cadavera per se stare supra naturam est: Nam neque ab ipso Dæmone id fieri poterit, ut per se realiter stent, sed benè ut appareant per se stare: non modo enim cadaver per se stare non potest, sed neque in alterutrum latus reclinatum permanere: Cadavere enim in latus converso, *inquit Galenus* (*l. 2. de Mot. Muscul. c. 4.*)

&

& post eum *Rhases (l.31. Contin. tr. 1. c.1.)* ne minimo quidem tempore super latus manet, sed illicò vel pronum vel supinum fit, quod etiam annotavit *Henric. Kornmann. (è Brunon. Seidelio de Ebrietat. part.3. de m. m. c.17.)*. Cum enim ut corpus stet valida musculorum actione sit opus, quippe qui maximoperè in ea actione operentur, ut docet *Fabricius ab Aquapend. (de Gress. Animal p. 6. & 76.)*. In hac autem tam valida actione plurimi Spiritus requirantur, impossibile omninò est, ut hoc naturaliter succedat deficientibus omninò Spiritibus. *Hactenus Zacchias.* Cadaver inde à cadendo secundum *Isidor. (l. 11. Etymol. c.3.)* quod *Exercitatio prælim. (de Cadav. & Mirac. s. 1. §. 1.)* pluribus exposuit.

§. 19.

Labefactant hanc *Zacchiæ* assertionem, *supra (§.9.)* de frigore extinctis adducta, & ille decollatus, de quo *Th. Bartholin. (c.l.)* spatio horulæ nullum ante casuri signum monstrabat, quam à Carnificis manu deturbaretur. Cataleptici etiam contrarium suadere videatur. Hi etenim non tantum rigidi extensi, oculis apertis jacent, ut condiscipulus ille *Galeni (de quo in 2. prorhet. Hipp. comm.56. p.392.)* aut sedentes morbo correpti sedent, ut *M. Offilius Hylarus histrio ap. Plin. (l.7. c.53.)* quædam *apud Joh. Wier. (l.3. de Præstig. Dæm. c.26. p.474.)* & ille apud *Nicol. Tulpium* repulsam passus amator *(l.1. obs. med. c. 2. p. 46.)* De seipso attonita *L. Apulejus Mandaurensis (l.2. Metam. p.m. 60.)* Fixus in lapide steti gelidus, nihil secus quam una de cæteris Theatri statuis & columnis. *Curtius fide dignus Medicus Petro Foresto (c.l.)* retulit de sacerdote, qui cum in sacrificio consueto manus in altum elevasset in tali habitu permansit. Vulgares ac plebeji spectantes divinum quid esse putarunt, ac sacerdotem cum DEO colloqui, & in ecstasin raptum existimarunt, Medici tamen periti, congelatum seu catalepticum animadverterunt. Rarum est, quod habet *Georg. Buchananus (l.6. de Reb. Scotic.)*, in mediis scalis unus ascendentium subito stupore correptus, ita gradibus adhæsit, ut nec ulla ratione diverti posset, & sequentibus viam præcluderet. Aliud recitat *Joh. Francus (addit. ad Castorolog. Joh. Maji §.26. p.128.)*: Quædam febricitans per biduum in habitum statuæ mercurialis diriguit, motu omni, præterquam oris, privata, *retulit O. Borrich. (Th. Bartholin. Vol. 3. Act. Hafn. p.1. obs. 52. p.85.)*. Nostra ætate *scribit Hieron. Jordanus (tr. de Eo quod est in morbis divinum c.23. p.88.)* à philtro totum aliquando corpus velut in truncum aut stipitem diriguit, causa densissima undique obtectum, ita ut sex integris septimanis perdius pernoxque steterit commiseratione dignissimus ju-

venis. Adde quæ recensuit *Magnif. Noster Joh. Mich. Febrius* (*Hier. pior. p.* 59. *& Decur.* 2. *Miscell. C. Ann.* 1. *obs.* 1. *p.* 2.)

§. 20.

Post Catalepsin, si diutius duret, corpus induratur sæpius,

Sic lethalis hyems paulatim in pectora venit
Vitalesque vias, & respiramina clausit.

(*Ut Ovidius l.* 2. *Metamorph. v.* 827.) & stant, aut alio situ corporis permanent, instar frigore enectorum, in quo fata concesserunt. Fuit Francobergæ in Hassia, *narrat Adam. Lonicerus* (*in explic. morb. capit. p.* 5.) qui dum in templo sacra aqua se conspergere vellet, statim cum aquam sumsisset, congelatus est, & rigidus & arrectus cum flabello in manu contento in templo constitit, & mortuus est stans, magno hominum miraculo. Et *P. Forestus* (*c. l.*) concludit, verisimile videri, frigore correptos Catalepsi prius tentari.

§. 21.

De Philemone Comico iterum *Apulejus* (*l.* 2. *Florid. p. m.* 348.): Ille anima edita obriguerat, jacebatque incubans toro similis cogitanti. Adhuc manus volumini implexa, adhuc os recto libro impressum, sed enim jam animæ vacuus, libri oblitus & auditorii securus. Stetere paulisper, qui introierant perculsi tâm inopinatæ rei, tàm formoso mortis miraculo. Deinde regressi ad populum renunciavere, *Philemonen Poëtam*, qui expectaretur, qui in Theatro fictum argumentum finiret, jam domi veram fabulam consummasse. Dum *apud Maronem* (*l.* 1. *Æneid. v.* 478.) legi:

Parte alia fugiens amissis Troilus armis
Infelix puer, atque impar congressus Achilli
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani
Lora tenens tamen

In Servii Commentarium (*in h. l. p.* 209.) incido, qui *Troilum* mortuum lora adhuc tenuisse putavit. De Gigante Drepani in antro ad radices montis reperto ista *Joh. Bocacius* (*l.* 4. *Geneal. Deor. c.* 68. *p.* 114.) viderunt sedentem Gigantem in sede & sinistra manu innixiam baculo tantæ altitudinis atque grossitiei, ut excederet quemcunque prægrandis navigii malum. Sic & hominem invisæ atq; inauditæ amplitudinis nulla ex parte corrosum aut diminutum. Et cum ex eis (astantibus) unus porrecta manu tetigisset stantem malum, è vestigio malus solutus in cinerem corruit, remansitque veste nudatus baculus alter plumbeus ad manum usque tenentis ascendens, & ut satis adverterunt plumbum erat ad augendum gravedinem malo infusum, quod posteà ponderantes asserunt, qui viderunt,

derunt, ponderis quindecim Cantariorum (Centenariorum nota marginalis habet), quorum unusquisque ponderis eſt librarum communium centum. Demum hominis ſtatura tacta æque eorruit, & in pulverem omnis ferè verſa eſt.

§. 22.

Fulguritos aut fulminatos aliquando toto corpore, aliquando certis partibus artubus, vid. ad miraculum usque rigidos & conſtrictos reperiri obſervationes docent. Referunt, *narrat Hieron. Cardanus* (*l. 3. de Var. Rer. c. 43. p. 550.*) in Inſula Lemno, ubi Inſulæ cornu dividitur octo meſſores ſub quercu cœnantes à fulmine percuſſos & exanimatos manſiſſe ſub ea ſpecie (mavult *Exc. Noſter Georg. Caſpar. Kirchmaier Diſſ. de Fulmin. ſ. 3. Dub. 1.* §. dixiſſet, figura) qua diſcubuerant, ut unus comedere videretur alter poculum ori admovere, alius bibere. Cumque omnes nigri eſſent, imaginem ſtatuarum totidem repræſentabant. Monachi duo ſedentes fulmine tacti altero die adhuc ſedentes ac ſi dormirent ſedentes inventi, *è M. de Beaulie* (*tr. de Tonitru & Fulgure*). *Eraſmus Franciſci Lufft-Kreiß Diſc. 26. p. 1249.*). Singularis eſt etiam planè illa *Caſp. Barthii* (*Animadv. in Stat. ad l. 9. Thebaid. v. 540. p. 1020. & l. 11. v. 4. p. 1289.*): Miles ferocior unus ex præſidiariis Fortalitii Cüſtrinenſis ingenti oborta tempeſtate, totoque æthere coruſcante & pertonante, malis dictis vim fulminis provocabat. Ictus repentè concidit, & obmutuit, uno momento tàm rigidè mortuus, ut ingens ſera penſilis, quam manu vix ſuſtinebat ob pondus, ſerræ ope digitis conciſis fuerit eximenda. Leisnicii quidam è furum cohorte in carcere à fulmineis telis d. 9. Auguſt. 1687. tactus & enectus manibus complicatis inventus (*Vid. Pl. Rev. Dn. D. Joh. Nicolai Jacobi des donnernden Gottes verderbende Donner-und Wetter-Pfeile p. 12. & 86.*). Lipſienſes (*Relat. Hiſt. Autumn. 1687. c. 10. p. 120.*) hiſtoriam his referunt: *Den andern zu Leiſnig vom Donner erſchlagenen Dieb hat man mit zuſammen gefaltenen Händen gefunden, ſo alles Bemühens ungeacht nicht wieder auffzulöſen geweſen.* In inopina illa multorum ex incendio pulveris pyrii Anno 1564. d. 7. Auguſt. Mechliniæ coorta devaſtatione *è Heutero Delphio* (*l. 2. in Vit. Carol. V.*) *Joh. Philipp. Camerarius* (*p. 3. Horar. ſubciſ. c. 86. p. 324.*) tradidit: Congerrones aliquot potatum ad tabernam Cereviſiariam ierant, temporisque terendi, Symbolique conficiendi cauſa chartis luſoriis certabant. Hoſpita ad promendam cereviſiam (interea dum incendebatur à fulmine pulvis) in ſubterranea erat cella, rediens hoſpites ad menſam, ut eos reliquerat, ludentes omnes, ſed mortuos reperit, manibus chartas luſorios tenentes.

§. 23.

Coagulavit forsan in his fulmen sanguinem & lympham, ejusque spiritus, non aliter ut vinum solet, prout olim *in Epist. ad Excell. Dn. D. Joh. Dan. Majorem* (*Vid. Dub. de Chirurg. Infis. p. 1. s. 2. Epist. 14. §. 11. p. 90.*) id declaravi. Confer, quæ *supra* (*l. h. Tit. 1. §. 27.*) de halitibus Metallicis pronunciavi. Causam hujus phænomeni ex hypothesi sua dedit *Joh. Mayow* (*tr. de Mot. Muscul. c. 6. p. 360.*). Particulæ nitro-aëreæ, *ratiocinatur*, non tantum in Cerebro, sed etiam in partibus motricibus existentes fulminis ictu nonnunquam veluti accensæ sunt: Particulæ autem nitro-aëreæ in motum penè igneum concitæ fibrillas adeò vehementer contorquent & convellunt, ut eædem denuò protrahi nequeant, sed usque obrigescentes mansuræ sint, haud secus ac chordæ contingeret (Experimentum habet *c. l. p. 358.*) si eadem propius ad flammam lucernæ admota fuerit.

§. 24.

Ut verò rarissimus est affectus catalepsis, ita & rarissimè mortuos stantes deprehendimus. Et cum in aliis affectibus subitaneis sensim spirituum fiat dissipatio, aut cerebri & vitalium obstructio, & ita luminis vitæ continuitas impediatur, ut in Syncope, Apoplexia & Catharro suffocativo

Tales ante oculos nostros, ut fulminis ictu

concidunt. (*Lucret. l. 3. v. 489.*). In Chronicis autem cum grabbatis affixi hæreant ægri, sensimque tabescant, eò quo morituros positu advertisti, mortuos deprehendis. Hic igitur aliud est corpus stans, quod antequam cecidit, adhuc stat, & resurgens quod postquam cecidit, iterum resurgit, aut erectum in pedes stat. De priori ut dubitemus, experientia id confirmante, causa nulla subest, de posteriori verò ratio contrarium dictitat, cui merito fasces defero. Quod semel cecidit cadaver, quo tandem modo ceciderit nunquam se erigere, aut erigi poterit, ut stet, cum centrum dependentiæ ut servet, & spiritus & consequenter vires ipsi desint. Quod si tamen rigidi in pedes erigantur, & inclinante ad parietem corpore sustineantur, fieri potest ut rigidus iste mortuus stare opinetur. Ita, *teste Emanuele Meterano* (*l. 6. Bell. Belgic. p. 170.*) in obsidione Lugduni Batavorum Anno 1574. mortuus rigidus adhuc in platea repertus, erectus ad ædes cujusdam consulis locabatur.

§. 25.

Nec solum prædicto modo rigent cadavera, sed & quæ peste morborum principe orco damnantur. Occurrit, quod habet *disertius ille Pater, ut quidem suis videtur, Abraham à S. Clara Tr. Mercks Wien s. de Peste Viennensi 1679. p. 47.*)

Die-

Dieses hat man mich für eine Warheit aus dem Lazareth bericht, als im Anfang des Septembris dieses Jahrs die Siech- Knechte unterschiedliche Toden auff denen Gassen und Strassen haben angetroffen, sey unter andern ein Priester, kein Ordens-Mann, todt gefunden worden, bey der Blancken des Spanischen Klosters in der Vorstadt, welcher den halben Theil kniete, mit der rechten Hand die Blancken haltend, in der andern Hand ein kleines Büchlein, welches insgemein das Diurnum genennet wird, die Siech-Knechte aber, als welche ohne daß auff allen Raub begierig, wolten Ihm solches Büchlein aus der Hand reiben, konten aber mit aller möglichen Gewalt solches nicht zu Wege bringen, sondern waren gezwungen Ihn samt dem Büchlein zu begraben.

§. 26.

Sed non hoc solum cum aliis morbis id habet commune pestis, sed & ut cum rigore isto simul astricta evadant cadavera. Observavit id in Peste Parmensi Anno 1468. *Rolandus Capellutus.* Aliqui peste moriebantur, (*insit tr. de Peste p. 7*), qui in extremis quasi ad os genua applicabant, & ita eorum corpora attracta s. astricta remanebant, & hoc magis fortibus corporibus adveniebat, quam debilibus & prostratis. *Hæc ex illo.* Sine dubio spasmus ἐμπροσθότονος, ob musculos, qui corpus in anteriora flectunt à malignitate lacessitos, tales morti dedit, quod si ὀπισθότονος mortem acceleret, partes posteriora versus flexa manebunt.

§. 27.

Εμπροσθότονος, & ὀπισθότονος ut longitudinem justam cadaveri detrahunt, ita τέτανος incrementum eidem largi, creditur. Fluxit inde illud : *Der Tod hat ihn gestreckt. Streckebein ist über ihn gekommen.* Hinc ille ad suam uxorem joco-serio (*notante Joh. Heidfeldio Sphyng. Theol. Philos. c. 39. p. 1241.*) dicere fuit solitus : O mea Tu, quam libenter Te longiorem viderem ! Mortuam optabat. Præposterè qui commoriuntur, ut loqui amat *Cæl. Ludov. Rhodigin. (l. 10. Antiqu. Lect. c. 8. col. 514.)* præcluso spiritu, cui quæreretur exitus, id confirmare videntur. Quocirca literam longam forsan (alii vel alii & quidem forsan rectius I. intelligunt, *Vid. Mart. Martin. in Lex. Philolog. Tit. I. Litera & Fried. Taubmann. (in Aulul. Plaut. a. 1. sc. 1. p. 173.)* ex se facere dicuntur, qui se suspendunt, ut *Staphila anus ap. Plaut. (in Aulular. act. 1. sc. 1.)*

Neque quicquam melius est mihi,
Ut opinor, quam ut ex me unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstruxero.

Id verò qui credunt falluntur. Sola cadaveris rigiditas, & ex longo morbo con-

ratcta

tracta macies & tabes imponunt sensui, inde quibus ab aqua intercute tumet aqualiculus non rarò post mortem breviores esse putantur. Puerorum dèmum in morbis excrescere interdum corpora *Levino Lemnio* (*l. 2. de Mirac. Natur. Occult. c. 24. p. 212.*) ultrò largior.

§. 28.

Rigiditas & frigiditas asserta cadaverum aciem novacularum hebetare dicitur *Plutarcho* (*l. Aqua an Ignis sit utilior f. 131. a.*). Experimur namque, *ut ait Paul. Zacchias* (*l. 5. Quæst. Med. Legal. Tit. 2. qu. 12. n. 37. p. 403.*), quod earum acies potius hebetetur, quam ultro in cutem adigi possit, sic, etiamsi membra aliqua ratione flectere velimus, potius ob eandem rigiditatem cadaveris disrumpemus. Hujus rei rationem eruderasse *virum doctissimum Anton. Santorellum l. de Med. Def.* (*Post praxin inscripsit*) *c. 8. allegat.* Ut igitur mentem meam circa hoc problema aperiam, novaculæ hebetudinem imputari debere ejusdem aciei tenuitati, inde evenit, ut cultris Anatomicis minor noxa impendat, feliciusque his anatomica celebretur sectio. Deinde sectoris inexercitati hebetudini. Ars namque est Anatome, ut eandem definit *Franc. Glissonius* (*Polegom. Anat. Hepat. c. 1. p. 5.*) adeoque & artificiales inculcat dissectiones. Ferri igitur, *inquit. Joh. Theodor. Schenckius* (*l. 1. Exerc. Anat. 3. s. 2. c. 3. p. 214.*) aciem non respuit, maximè si obliquè secetur. Accedit ipsa cutis constitutio naturalis, quippe ad quam componendam etiam tendines, *ut oculatissimus Nicol. Steno* (*Myolog. Specim. p. 98.*) concurrunt, & inde si glandulosas partes addas, emergens crassities, quæ & pro ratione ætatis, sexus, cœli & aliarum circumstantiarum variat. Crassissimam eam, *quod Schenckius citatus* (*c. l.*) *allegat*, si cum brutorum coriis componatur *Herodotus* dixit. Id tamen non esse κατὰ παντὸς rectè iterum *Schenckius* regerit, & forsan de cute in corium apparata (modum elegantem vide sis *ap. Th. Bartholin. Cent. 3. hist. 87. p. 178. 179.*) verba fecit. Rectè *Petr. Laurenbergius* (*Exerc. Anat. 2. §. 24. p. 58.*) in qualitatibus secundis mediocriter se habere cutem concludit. Cutis illa durities subtilitati spirituum officere dicitur, & stupiditatis arguitur argumentum. Quo spectant *Plautini Sales*, quando *Palæstrio* (*in Mil. Gloriof. Act. 2. sc. 2. v. 80.*)

Herus meus Elephanti corio circumtentus est, non suo,
Neque plus habet sapientiæ, quam lapis.

Hoc verò de cute, non pinguedine substrata esse intelligendum exemplum *Catharinæ Questiers ap. Th. Barthol.* (*c. l. Epist. 99. p.*) *ab Olao Borrichio* adductum evincit. Frigoris demum est condensare, dum cutem ipsam & humores in glandulis, & fuligines in poris condensat & coagulat. Hinc crassior cutis est ver-

versus Polos habitantibus, *teste Laurenbergio* (*c. l. p. 59.*) & hyeme brutorum pelles crassiores. Benè *Dictator* (*s. 5. aph. 20.*) τὸ μὲν ψυχρὸν δέρμα περισκληρύνει, frigus (aqua frigida) cutem obdurat. Subjungit *Leonhard. Fuchsius* (*Comment. in h. l. p. 392.*), Exemplo nobis erit lutum, cujus substantiam à frigore constringi videmus manifestissimè. Non tamen lutum, qua lutum, sed quia humiditatibus mixtum condensatur, quod & cuti ex eadem causa accidit. Siccitas namque ad frigoris truculentiam summum præsidium. Frigidissimi mortui atque adeò insigniter tales sunt, ut aciem novaculæ, si quis tentet admovere, propter incomparabilem frigiditatem (*Vid. supra* §. *3.*) obtundant, *Plutarchus* (*c. l.*) colligit.

§. 29.

Frigus id equidem aliquando præstare, non diffitetur *Hieron. Mercurial.* (*l. 5. Var. Lect. c. 12. p. 264.*), aliam tamen etiam rationem subesse arbitratur. Experientia, *inquit*, comprobatum est, pepones aliosque plurimos fructus, qui vel calidi vel humidi sunt, vel saltem non multum frigidi, cum cultris inciduntur, eorum acumen obtundere, quem effectum potius corpusculis viscidis quibusdam ascribendum putat, quæ adhærendo acutiem ferri remittant. Idque eo comprobari, quoniam hujusmodi corpuscula paulatim dissipantur & evanescunt: Sic cultris pristina vis restituitur. Habet id etiam *ex Mercuriali* (*in Guidon. Panciroll. l. 2. de nov. repert. Tit. 1. p. m. 63.*) *Henric. Salmuth.*

§. 30.

Addo & hoc, acorem hebetare cultrorum aciem, quod poma austera & & immatura dissecantibus patebit. Corruptio autem semper est in acido, *juxta J. B. Helmont.* (*tr. de Flatibus n. 72. p. 344.*). Ita carnes *Eodem* (*tr. à sede animæ ad morbos n. 5. p. 234.*) & experientia *teste*, statim atque corruptionis initæ limen subintrarunt, juscula acida dant, & colore insueto tincta.

§. 31.

A frigore μελασμοὶ *Hipp.* (*s. 5. Aph. 17. & 20.*) denigrationes πελιώματα Græcis vocatæ, livores etiam à calidi nativi extinctione. Ab externo proinde frigore omnes partes corporis, secundum *Leonh. Fuchsium* (*Comment. in s. 7. Aph. Hipp. aph. 2. p. 521.*), livescunt. Cur rigentes lividi (aut potius nigricantes)? rationem daturus *Aristoteles* (*s. 8. probl. 1.*) *respondet*: An quoniam sanguis appulsu frigores gelascit, gelatus autem nigrescit, propter caloris inopiam; Albedo namque igni tribuitur. *Add. Th. Bartholin.* (*de Luc. Hom. c. 6. p. 52.*) Ridiculus propè est *Anton. Santorellus* (*Post. Prax. Med. c. 21.*

 p. 59.

p. 59.) qui nigrescere Cadavera voluit, quod nigri vapores ad Cutim propria levitate illam inficiant.

§. 32.

Notum est lumbricos, pediculos, id genus corporis nostri incolas aut fato instante, aut post fatum suas mutare sedes & corpus linqvere. *Christianus Dux Brunsuicensis (teste Everindo Wassenbergio parte 2. Flor. German. p. 101.)* ante mortem quatuor ulnarum longitudine & duorum digitorum latitudine vermem excrevit. Ex ore defuncti Phtisici inmuneri prodierunt vermiculi rubro capite. Ferali arcæ concreditum cadaver iisdem vermicellis scatebat, cunctis stupentibus. (*Th. Bartholin. Cent. 1. hist. 40. p. 73.*) De Lumbricis per os mortui egredientibus historiam promit *Phil. Salmuth. (Cent. 1. obs. 26. p. 18.) Paul. à Sorbait (de Pest. Viennens. qv. 49.)* observavit, *daß im Anfang der Kranckheit offt viel Würme von denen Leuten abgangen seyn, welches Zeichen der höchsten Fäulung.* De Pediculis *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 246. s. 5. p. 757.)*

§. 33.

Causas varii propalarunt varias. Tantam esse aliquando in talismodi corporibus contagionem, eamque humorum inflammationem, ut exitialem vim morbi perferre nequeant, *Levin. Lemnius* (*l. 1. de Occult. Nat. Mirac. c. 22. p 131.*) & *cum Eo Dan. Senertus* (*l. 3. Med. Pract. p. 2. s. 1. c. 5. p. 211.)* conjecturatur. Junge, si placet, his *citat. Bartholin.* (*c. l. hist. 90. p. 145.*) subodorantur, *pergit Lemnius*, Naturæ quadam sagacitate corpus defecturum, seseque destitutum iri alimento, eoque stationem suam deserunt. Sic observatum est, Sorices & Glires ædes ruinosas deserere, trimestri etiam spatio, antequam sunt collapsuræ. Persentiscunt enim Naturæ instinctu sensim dissolvi contignationem & ædium compagem, illasque brevi ruituras. Pediculis idcirco inter Ariolos locus *à Dan. Heinsio.* (*Orat. 35.*) assignatus. Horrorem quem habet omne vivens erga cadaver, allegat *Paul. de Sorbait (Med. Pract. Tr. 1. c. 6. qv. 2. p. 410.)*. Adde elegantem *J. H. Ursini discursum (l. 6. Miscell. c. 11. n. 2. p. 346.)*. Humoris demum calidi, quo nutriuntur, defectum *Sam. Hafenreffer. (l. 1. de Cutan. affect. c. 10. p. 79.)*

§. 34.

Tantum abest, ut has rejiciam, ut potius ambabus amplectar, sed præter datas aliam adhuc Causam in morbis in quibus nulla malignitas, nullumque incendium subesse puto, frigoris nempe, quæ vermium & insectorum mors est ingruentis aut præsentis acerbitas. Experimento Libitinariorum hanc nostram

ſtram (*c. l. p. 132.*) firmat *Lev. Lemnius*. Compertum fuit, *ſcribit*, ab illis pediculos in morituris ſe in ea lacuna recondere circa ſtomachi orificium, in qua deſinit cartilago enſiformis, vel in ea, quæ mento ſubeſt, ac vocali arteriæ incumbit. Si quidem illæ partes, utpote cordi vicinæ ad extremum usque halitum incaleſcunt; quod cum à nonnullis, qui ægrotis aſiſterent, mihi eſſet relatum, incunctanter pronunciavi, id eſſe imminentis mortis argumentum, jam jamque emigrantis animæ, comprimis ſi alia ſigna concurrant, ut benè *Vitus Rietlin*. (*A. 2. Lin. Med. Menſ. oct. obſ. 21. p. 508. ſq.*) indicium. *Conf. Alex. Aphrodiſ.* (*l. 2. probl. 30.* &, qui ſe huic aggregat, *Ambroſ. Leon. Nolanum* (*probl. 225.*), cujus verba *Ulyſ. Aldrovandus* (*l. 5. de Inſect. c. 4. p. 217.*) recenſuit.

§. 35.

Rigorem in Cadaveribus aſſumtis, quamvis corrigat tæmon ita, ut ambulare & alios motus corporis & artuum exercere videantur. Frigus tamen eorum & horrorem aut non vult in teporem mutare, aut à DEO prohibetur. Sentiunt hanc corporis aſſumti frigiditatem ingratam & abominabilem Magi & Sagæ, qui Eo incubo aut Succubo utuntur. Cuidam autem *apud Cajetanum* (*in 2. qu. 95. n. 3.*) de hoc frigore & corporis querenti Dæmon reſpondet, ſe non poſſe melius facere, videlicet, quod addit *Martin. Delrio* (*l. 2. Diſquiſ. Mag. qu. 27. ſ. 2. p. 717.*) DEO obſiſtere, vel ſaltem non concedente.

§. 36.

Non rigent tantum & frigent Cadavera, ſed & calent, idque duplici modo, aut enim calorem poſt mortem ad tempus ſervant, aut fato infrigidata poſt aliquot à morte dies recaleſcunt.

§. 37.

Poſt mortem naturaliter adhuc calere experientia ſuggerit. Integrum diem annotavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Epiſt. 72. p. 297.*), & in illa aqua intercute mortua calor, *teſte Hippocrate* (*ſ. 7. Op. l. 4. Epidem. p. 233.*) multo tempore perſeverabat. Spectanda hic eſt ætas, corporum & morbi conſtitutio & aſſumta. Ætatem quod concernit, diutius calida ſervantur juvenilia, quam ſenilia, promtius enim evaneſcere neceſſe eſt calorem imbecilliorem, quam fortiorem, ut concluſit *Paul. Zacchias* (*l. 5. Tit. 2. qu. 12. n. 34. p. 443.*). Corporum conſtitutionem ſi attendas, graciliora quam obeſiora (*Id. c. l. n. 36. p. 444.*); Si morbos, qui ex convulſionibus moriuntur (*Galen. l. 1. de Præſag. ex pulſ. c. 4. p. 545. P. Foreſt. l. 10. obſ. med. 105. p. 448.*), diutiſſimè calidi per-

manent; quia suffocati moriuntur, *subjicit Dan. Sennert. (l. 1. Med. Pr. p. 2. c. 28. p. 577.)*, musculis respirationi dicatis. Idem de morbo historico sublata notavit *D. Sam. Ledelius (M. C. D. 2. A. 4. obs. 18. p. 50.)*

§. 38.

Quod ad febres, non obstat aliquando, etiamsi morbis frigidis complicatæ fuerint. Puer Hydropicus acutissima febre cum convulsione expirans, calidus permansit, *testimonio Hippocratis (l. 4. Epidem. t. 81.)*. In quem locum vide *Franc. Valesii commentarium (col. 376.)*, ubi id non naturali, sed putredinali calori à maligna putrescentia succorum, quamvis etiam Hydropicos aliquando ad tertium usque post obitum diem caluisse retulerit *Fran. de le Boë Sylvius*, idque una atque altera vice se deprehendisse asserat *Illustr. Dn. D. Lucas Schrœkius, (M. C. c. l. in Schol. p. 50.)* de febre causode extincto *laudatus Ledelius Noster (c. l. p. 49.)*. Idem contingit, si ex putrida & maligna febre decesserit æger. De Peste extinctis *Ovidius (l. 7. Metamorph. v. 461.)*

Dura sed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet.

Calorem remansisse in Cadaveribus è papulis in à febre pestilenti mortuis erumpentibus, conclusit *Laur. Joubert. (l. de Peste c. 4. p. m. 308.)*. Talia aliquando calidiora fuisse, quam fuerint in vita, observarunt *Petr. Sal. Divers. (de Febr. Pestil. c. 19. p. 119.) & Joq. Hucher. (l. 4. de Febr. c. 10.)*.

§. 39.

Quod ad assumta, ipse deprehendi, febre petechiali sublatum post viginti quatuor horas non tantum calidum, sed & sudore diffluentem. Assumserat autem duas ante mortem dies multas doses Tincturæ, ut vulgo audit, Bezoarticæ, cum aliis medicamentis camphoratis. Ab assumto Philtro mortuus, sinistrum latus calidum, reliquis corporis partibus frigidis, ad tres dies habuit, ut *Valentin. Andr. Mollenbrocc. ap. Casp. Th. Bierling. (Cent. 1. Adv. Curios. obs. 1. p. 29.)* annotavit.

§. 40.

Recalescunt cadavera, dum, *philosophante Petr. Salio Divers. (c. l. p. 119.)* extincto calore innato, omnis internus calor, quicunque fuerit, seu naturalis, seu præter naturam à partibus intimis ad extimas & exteras evaporat, aut à calore, ut quidam, inter quos *Fortunat. Fidel. (l. 4. de Rel. Med. c. 4. p. 520.) & P. Zacchias (c. l. n. 36. p. 444.)*, loqui amant, putredinali. Cuncta per se à putredine reddi calidiora, vulgo credunt; aliter tamen contingere aliquando per accidens, quia mixto ebulliente, cum putrescere incipit, calidiores quædam particulæ perspirant

rant, *Anton. Santorell. Post. Prax. Med. c. 37. p. 119:)*. Rectius moderni fermentationi id ascribunt, ita *Guilhelm. Maxvell.(l. 2. de Med. Magnet. c. 3. p. 75.)*. Spiritus enim in sanguine & cavitatibus corporis conclusi, cum reliquis particulis salinis, sulphureis & Mercurialibus inordinatè fermentescunt, & corporis totius ac viscerum intumescentias faciunt, prout philosophatur *Th. Willis. (l. de Ferment. c. 8. p. 50.)*. Posteà vero partium solidarum compages saltim laxari, & particulæ sulphureæ una cum salinis fluorem adeptis, evaporare incipiunt. Hinc calor ille, fœtor & tandem totius solutio. Plura infra *(Tit. 9. §. 77.)*. Ex vegetabilibus fœnum sole accendi & conflagrare, olim asseruit *Plin. (l. 18. c. 28.)* & fœnum contra, non rite arefactum, in tabulato putrescit: ac sæpe concaluit, & ignem creat, & incendium nonnunquam etiam, cum fœnum cecidimus, imber oppressit, *Columella (l. 2. de R. R. c. 19.)* scripsit. *Add. Joseph. de Tertiis (Curios. Phys. §. 4. p. 108.)*. Calorem autem à putredine excitari *Jacob. Zabarell. (l. 2. de Gen. & Interit. Mistor. c. 9. p. m. 572.)*. *Franc. Valles. (l. 4. contr. c. 3. p. 194.)*. *Zacut. Lusit. (l. 1. Hist. Med. 84. Dub. 56. p. 155.)* docuerunt, quod de Rustica non Aristotelica putredine explicat *Simon. Simonius (Disp. de Putred. comm. 226. p. 431.)*. Id vero contingere ex perversa quodam fermentatione, qua non commiscentur particulæ, sed dissolvuntur rectius, rationabatur *(Diss. 7. de Igne p. 211.) Paul. Casat.* De Stercore Columbino accenso *Galen. (l. 2. de Morb. & Sympt. Caus. c. 2.)*, à quo projecto in ea *Mysia*, quæ est Asiæ pars, domus hac aliquando ratione, eodem teste, conflagravit *(l. 3. de Temper. c. 2.)*. Cur autem vegetabilia putrescentia præ animalibus citius & vehementius incalescant, causam in acidum potentius, quo animalia destituuntur, rejecit *Exc. Joh. Bohn. (Diss. Chym. 10. §. 19.)*

§. 41.

Qui diuturnis vexati morbis, vivum, dum vixerunt, & post mortem putridum repræsentarunt Sceleton, ob enervatum musculorum tendinum, fibrarum & nervorum robur flaccidos, & artus minimè rigidosq; spectatoribus exhibent. Vulgum sapit vulgi prognosticon, dum prædicunt fore, ut consanguineorum aliquis propediem defunctum sequatur. In Peste extinctis casum pollicis annotavit *Ludov. Septal. (tr. de Peste) & Flamin. Gaston.* experientia vespillonum motus *(tr. de Peste f. 1. §. 42.)* tradidit, mollitie corripi cadavera, si pestis adhuc ferveat & grassetur; rigere, si remittere incipiat. In nimiis hæmorrhagiis id etiam contingere credo. Illud imprimis *Conradus* Filius cujusdam militis in Weissenseha palam fecit. Hic namque sensim evacuato sanguine, & sectis omnibus nervis à Judæis Anno 1303. trucidatus, *(Vid. Sigfrid. l. 2. Epist. Histor. p. 336.*

336. & Georg. Fabric. l. 2. Annal. Misn. Urb. p. m. 122.) omnia corporis membra, tam majora, quam minora, adeò flexibilia, ac si viveret, exhibuit.

§. 42.

Post octo mensium in sepulchro moram partes cadaveris adhuc incorruptæ & flexibiles *in Sutore Strigoniensi & Consule Curtio Martin. Weinrichio memorante (De Spectr. Strigon. & Pentschin.)* repertæ. Hi vero fuere Magi, illaque incorruptibilitas & flexibilitas superiori causæ forsan imputanda. Naturaliter eam posse contingere, jam dixi & dum in *Anton. Santorell. (Post. Prax. Med. c. 8. p. 24.)* incido, hujus mentem præthereà, cum non sit in omnium manibus, huc transcribam. Non est necessarium, (*dixerat ante c. 8. p. 22. 23.*), ut mortui quique summe frigidi cadant. Deinde possunt quidem & omnes reddi frigidi, nihilominus quidam naturaliter flecti, obrigescere alii. Probatur. Nam ad effectus, hujusque productionem, plus valet dispositio passi, quam robur agentis. Potest facilè accidere, ut quidam humidiori substantia scateant per carnes, artus nervosque dispersa, terrestriori alii abundent: Unde crescere non poterit illa. Quare hi flecti naturaliter; obrigescere illi. Potest tertio contingere, ut nulla in articulis contineatur humida substantia, vel quia ab immodicè evacuantibus est educta, vel quoniam à valida causa exsiccante est exhausta. At nulla existente in artuum cavitate substantia, quæ à frigiditate superveniente concrescere possit, expediti illi sunt, & à quavis causa impediente liberi. Quære ut statuæ ex ligno efformatæ flecti (non) possunt: haud aliter illi. *Hæc Santorellus.*

§. 43.

Rigidi non raro multum à rigore deflectunt & mollescere incipiunt. Singulare est sequens: *Frater Thadæus à Tacco ordinis Seraphici, in quo* exactis summa austeritate, Angelica castitate & vitæ Sanctitate integris nonaginta annis diem extremum clausit, natus annos centum & sex. Corpus ejus exhaustum jejunio & senio, statim ab obitu reflorescere visum & in teneritudinem & flexibilitatem infantilis ætatis, seu teneræ plantæ, conversum est; & die sexto post sepulturam de mandato *Urbani VIII*, exhumatum fuit, eique aperta vena, & (o prodigium insolens & hactenus inauditum!) ex secta vena haud aliter quam ex vivo, vegetoque corpore sanguis effluxit; ut ex Authenticis testimoniis, Romæ perscriptis, manifestum est, *Heinric. Engelgrav. (p. 1. Cœl. Empyr. p. 552.) è Ferrando (l. 2. Disquis. Reliquiar. c. 2. Art. 2.) excerpsit.* Addam & hoc, ex *Anton. Santorellus (c. l. c. 9. p. 73.)*: Periit Anno 1629. M. Majo *Andreas Castaldius Theatinus vir certè pietate & omni genere virtutum clarissimus*; Obriguit primum, ut mortuorum mos est, & flecti à morte non potuit: post aliquot deinde horas sic manus

manus, brachia, digitique cum manuum, tum pedum evasere sequaces, ut qua parte liberet facillimè flecterentur. Vivere dixisses, nam formæ decorem non amiserat, non pallor faciem, non livor ungues aut labia deturparat: & quod vix fidem inveniet apud aliquos, frigus corpus nequaquam occuparat: dicam verbo, dormienti similis quiescebat. Ita verò philosophatur *Santorellus*: Natura indidit particulis omnibus nostri corporis, imò & particulæ cuique destinatæ motui aquosam quandam substantiam in gratiam motus. Illa materia aut est pinguis, aut humida & aquosa. (*c. l. p. 24.*) Nulla causa poterit unquam facere, ut qui semel obriguerit, rigiditatem deponat, & flectatur. Super naturalem ergò causam à rigiditate flexibilitas. Obriguit, *pergit, Castaldus*, ut mortis imperio pareret: ut pareret amori, flecti posteà cœpit & distendi. Scilicet nondum est extinctus ille ardor charitatis, qua vivens flagrabat: viget, gliscit, adhuc æstuat. Ita verò rationatur *Santorellus*, ut monasticæ sanctitati palpum obtrudat, miraculumque fingit, ubi miraculum non est. Tetanus sanè ille musculorum, tendinum & nervorum, adveniente calore putredinali, aut alio quovis externo, à quo humores coagulati funduntur cessabit, & membris sua restituetur flexibilitas.

§. 44.

Fluit ex hac διασκέψει problematis resolutio, aut saltem dilucidatio, dum quæritur, quinam ex iis, qui eodem casu perierunt, qui prius, qui posterius animam exhalaverint. Hoc ipsum, ut solvant & explicent Doctores, etiam à qualitate cadaverum sensibili conjecturas sumunt, prout magis calida vel frigida, magis aut minus rigida, & mollia s. flexibilia. Concludit ex hoc *P. Zacchias* (*l. 5. Tit. 2. qu. 12. n. 34. p. 444.*). Certum esse videtur, quod, ubi cadaver unius personæ, quæ simul cum aliis ex eadem causa occubuit, fuerit repertum adhuc calore omni non destitutum, cæteris aliarum personarum penitus calore orbatis ac mortali frigiditate rigentibus persona illa cæteris supervixerit. Hic autem requiritur, (*α.*) ut defuncti non magnopere inter se differant natura, temperamento, ætate, habitu corporis, quod & supra monitum. (*β.*) Aliæ circumstantiæ, quas casus inculcat, non negligantur, v. g. si duo illi simul in bello aut duello occumbant, unus ex vulnere lethali, quæ cum minori sanguinis effusione, alter è lethali per accidens, ob effusam nempè sanguinis copiam, hic quamvis horas aliquot supervixerit, illico refrigerari poterit, ob secutam ex nimia hæmorrhagia Syncopem, adeoque frigidior apparere eo, qui multo ante anima fuit destitutus. (*γ.*) Distinguendus erit calor naturalis à putredinali. Recalescere potest hujus beneficio post aliquot à morte dies cadaver, ut modò (*§. 40.*) anno-

notavi. In hoc ne decipiamur, morbi genius, quo decessere, explorandus veniet. Si igitur è duobus morbo putrido fato functis, unus post aliquot dies calidus, alter frigidus deprehendatur, cæteris rectè se habentibus, caliditas illa putredinali imputabitur calori, & contra prædictam normam erit pronunciandum, quod calidus obitu prævenerit frigidum.

§. 45.

Coronidis loco inserendum censui, quod cum apud Gentes tum Christianos situs cadaverum pro varia sepeliendi ratione varius fuit. Communissima ea componendi ratio, ut jacentes magnæ matri terræ committantur, & componantur. Unde & sepulchris ut plurimum inscriptum leges: Hic jacet ille vel ille. Jacentia autem in dorso seu supina condunt, cum prona, ut vulgi fert opinio, familiæ exitium inferat, quin & pestem ipsam, quod in peste aliquoties præstitisse vespillonum audaciam & avaritiam non sine effectu non semel narratum audivi. Jacentes terra obruuntur, & cum sensum cadaveri quendam adhuc superesse sibi persuaderet gentilis superstitio, votum addebat: Sit tibi terra levis.

§. 46.

Sedentes *Nasamones* sepeliunt, observantes, ut dum quis cœpit agere animam, eum sedentem constituant, nec supinus expiret, testatur & irridet *Cæl. Lud. Rhodigin.* (*l. 18. Antiqu. Lect. c. 38. col. 1038.*). *Alex. ab Alex.* (*l. 3. Genial. Dier. c. 2. f. m. 115, b.*). *Johann. Boëm.* (*l. 1. de Mor. Leg. & Rit. Gent. c. 6. p. 55.*). Ap. *Russos* rusticos ante funera defunctorum cadavera vestibus & calceis induebantur, & erecta locabantur super sellam, cui assidentes illorum propinqui perpotabant & helluabantur. Ita *Job. Meletius* (*Epist. ad Georg. Sabin. de Relig. Vet. Boruss. quæ legitur apud Mich. Neandr. Descript. Orb. Part. in fine.*). *Otto tertius Imperator* vano desiderio *Carolum M.* videre captus, aperto Aquisgrani Ejus sepulchro, eundem in Sella Imperatoria sedentem invenit, quod narrat *Mart. Crusius* (*p. 2. Annal. Suev. l. 6. f. 169.*) Add. *Jacob. Gretser.* (*l. 1. de Fun. Christian. c. 3. p. 12.*). *Zu Bolonien im Kloster von S. Clara sitzet der Cörper der H. Matronæ Catharinæ von Bolonien in ihren Nonnen Kleidern in einem Stuhl, und hält in ihrer rechten Hand die Ordens-Regeln: Ihr Angesicht Hände und Füsse sind bloß, aber auch sehr hart und schwartz* (*Anonym. Descript. Ital. Modern. part. 1. p. 72.*) *Henr. Engelgrav. p. 1. Cæl. Empyr. p. 552.*). Scythæ circa Regis sepulchrum equos præstantissimos eductis intestinis expurgatos paleis implent, equos sub fornicibus locatos ut stent, infrænant, eorumque habenas ad palos extentas alligant. Dehinc super eorum singulos statuunt singulos quinquaginta juvenum strangu-

gulatorum (Regis famulorum) hunc in modum: unicuique eorum rectum stipitem per spinam ad cervicem usque transfigunt, quod inferius stipitis extat ultimum infigunt tigno illi, quo equus transjectus est. His equitibus sepulchro circum positis abeunt. Ita (*l. 4. f. Melpom. p. 108.*) *Herodotus.* Salse *Lacon* quidam *ap. Henric. Kornmann.* (*p. 7. m. m. c. 18.*) cum defunctos in sellis sedentes videret: Absit, *inquit*, ut hic sedeam, unde Seniori surgere fas non est. Quod quidem aliter (*in Apophtegm. Lacon. f. m. 111. a.*) recensuit *Plutarchus.*

§. 47.

Stantia etiam Cadavera sepulchris illata proditum est. Ægyptii recto in pedes positu cadavera intulerunt. Situs omnium (de Mumiis loquitur αὐτόπτης *Joh. Vesling. obs. 39. p. 152. sq.*) in monumentis rectus est inclinante ad parietem corpore, nisi exteriorum impulsu concidant, ventorum præcipuè cryptas Mumiarum violenter subeuntium & vim arenarum, ne dicam montes inspirantium, quæ cadaverum investigandorum præcipuam difficultatem parit. Positum illum pariter expressit, *Herodotus* (*in Euterpe. l. 2. p. m. 54.*) *subdit*, cum refert τὸν νεκρὸν ἵστασθαι ὀρθὸν πρὸς τοὺς τοίχους. Spectat huc illud *Silii Italici* (*l. 13. Bell. Punic. v. 468.*)

Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora.

Causam *Th. Bartholin.* (*de Lat. Christ. c. 9. p. 119. quod etiam repetit obs. de Unic. c. 23. p. 186.*), eruere conatus est dum scribit: In Oriente erecta corporis figura ad majorem cultum spectabat, ut servato etiamnum more sacra ferè stantes sua peragant Hebræi & Christianorum nonnulli. Unde ortum puto Ægyptiorum institutum in cadaveribus sepeliendis, quæ ad majorem religionem in pedes recto positu adhuc in Pyramidibus visuntur.

§. 48.


In Phrygia mortuos Sacerdotes non defodiunt, sed super lapidibus decem cubitos erectos sublimes constituunt, quod iterum *Alex. ab Alex.* (*l. 3. Genial. dier. c. 2. f. m. 115. b.*) Apud Brasilianos Tuppam, Imbæ dictos excavata fossa non oblonga, ut solemus, sed in orbem dolii instar cadaver erectum sepelitur, *notante Joh. Lerio* (*Hist. navigat. in Brasil. p. 267.*) & *ex hoc & aliis Erasmo Francisci* (*l. 6. Spec. Art. & mor. ext. p. 1489.*) In Creta Insula Terræ motu rupto monte inventum corpus stans XVI. cubitorum, quod *Plinius* (*l. 7. c. 16.*) narrat. Stant & Kebberorum incolarum Persiæ mortui in cœmiteriis furcis innixi aut palis alligati, ut de animarum felicitate & infe-

licitate certiores reddant posteros. (*Vid. Adam. Olear. l.5. Itin. Muscov. Persic. c. 6. p. 562. Sanson. Izziger Stat des Königreichs in Persien p. 269. Joh. Jacob. Strauss. Reisebeschreib. c. 32. p. 183. J. B. Tavernier l. 4. Itin. Persic. c. 8. p. 184.*) De Gauris Persiæ incolis in Gauristan propè Hispahan, quæ forsan hodiè Kebberi idem *P. de la valle* (*p. 2. Itinerar. Epist. 3. p. 42.*)

§. 49.

A seriis ad jocosa & ludicra. Stat & in antro ferali *nequitiarum Pater Tylus Saxonicus*, nostris *der Eulenspiegel.* Lepidis hujus vitam descripsit versibus *Ægidius Periander Bruxellensis Brabantinus*, sub titulo *Speculum Noctuæ*, qui sequentibus Ejus Sepulturam (*l. 2. Hist. 102. f. 204.*) delineavit:

Restibus imponunt corpus, demittere pergunt,
Franguntur restes, corpus inerme cadit.
Franguntur restes, qui mortua crura ferebant,
Arbor & in foveam risibus apta cadit.
Accidit ut staret turpi sub tegmine Tylus,
Tum magnis cuncti risibus ora movent.
Cum mirus fuerit, dum ferret stamina vitæ,
Respondit vitæ vita suprema Tyli.
Obruit ergò solo cistam, quæ proxima stabat
Turba, nec huic alium linquit honore locum.
Imponunt lapidem tumulo, bubone tenetur
Pars lapidis Speculum, qui tenet usque pede.
Scripta tulit lapis hæc, quæ nostra Camena propinat,
Sub tenero quamvis claudicet illa gradu:
Ne Lapidem quis dimoveat, nam viscera Tyli
Huic data sunt, dubio stat tamen ille pede.



Lib. II. Tit. V.
De
Motu Cadaverum.

Summarium.

1. S*Tare motus Galeno.* 2. *Pythagoræ quid Terræ motus. Mortui an agant, an hi an mali Genii.* 3. *Animæ impuræ.* 4. *Revolutio mortuorum apud Judæos in terram Canaan.* 5. *Motus mortuorum sub & supra terram.* 6. *Physa s. Orbus piscis.* 7. *Motus cadaverum secundum partes fluidas. Sanguis. Lympha.* 8. *Sanguis Martyrum ap. Papicolas miracula.* 9. 10. *Urina. Fonticuli: Semen.* 11. *Crepitus ventris. Excrementorum egestio.* 12. *Solidarum partium motus.* 13. *Capite abscisso ambulantes.* 14. *Miranda alia.* 15. *Exempla in brutis.* 16. *Capitis abscissi motus.* 17. *Loquela.* 18. *Insectorum, reptilium piscium abscissa capita se movere.* 19. *Viperarum imprimis.* 20. *Post cor extractum capitis & corporis motus.* 21. *In brutis.* 22. *Cordis extracti motus.* 23. *Cerebri.* 24. *Corde in Sacrificiis extracto fugientes victimæ.* 25. *Cor piscium exemtum palpitans, ut & viperæ.* 26. *Grandiorum animalium.* 27. *De Torpedine fabula.* 28. *Vulnera cordis in homine.* 29. *In brutis.* 30. *Motus Epatis capræ.* 31. *Ventriculi intestinorum. Uteri &c.* 32. *Divisos homines vivere perhibent.* 33. *Insecta. Reptilia.* 34. *Pisces exemtos & discissos.* 35. *Discissas partes iterum coire.* 36. *Miracula.* 37. *Motus Galeno duplex.* 38. *Gradus motus & subjecta distinguenda.* 39. *Motus à spiritibus.* 40. *Marci conjectura rejicitur* 41. 42. *Historiæ expenduntur.* 43. *De manu rigida.* 44. *Capitis abscissio & cordis excisio an statim mortem inferant.* 45. *Ridicula Medicorum & Chirurgorum Hagensium curiositas,* 46. *Cordis an Cerebri vulnera citius mortem inferant.* 47. *Clamores & mugitus capite resecto aut*

corde extracto. 48. Motus est vel naturalis vel convulsivus. 49. Sunt motus utplurimum convulsivi. 50. Spiritus, facultas motrix in fibris, Musculis. 51. 52. Piscium & insectorum motus causæ. 53. Clamores & soni. 54. Cicadarum capite abscisso cantus. 55. Insecta divisa non conjungi. 56. Cordis & sanguinis motus. Cor an ultimum moriens. 57. An auriculæ, an sanguis in vena cava? 58. Cor explodit Helmont substituit vitam musculorum & uteri. 59. Motus partium in moriente ut desinat. 60. Motus cessans ut redintegretur. 61. Sanguinis S. Januarii motus. 62. Poëtarum fabulæ. 63. Sathanæ, Magorum, Extispicum fallaciæ. 64. Dæmon cadavera prodigiosè movet, 65. Motus ossium è tumulis Cairi. 66. Visio Ezechielis Prophetæ. 67. De motu ossium Cairi conjecturæ. 68. Impiorum membra è tumulis prominentia. 69. Prognostica. 70. Emortua corpora posse casu vel arte ad motum concitari. 71. Aëre cordi inflato. 72. Santorelli conjecturæ. 73. Partium irritatio. 74. De Tarantula figmentum. 75. Viscerum in mortuis positus. 76. Sarcophagus Muhametis in aëre suspensus.

§. 1.



Idimus hactenus rigere cadavera, sudare, &, ne quid miraculo desit, etiam stare. Plura vis, *Lector Amice*, & majora? Dabo, motum eorundem (quamvis non sine causa, etiam stare motum dixerit *l. de Tremore c. 4. p. 29[illegible]*. Galenus, cujus mentem pluribus illustravit *l. 6. Enarrat. Medicin. 3. p. 422. sq. Francisc. Valleriola*) subjungendo, & in eo calamum exercebo & industriam.

§. 2.

Pythagoras famosissimæ sectæ, quæ Italica dicitur, nobilis Autor causam tremoris in & sub Terra traditurus, dixit, *Autore Æliano* (*l. 4. Var. Hist. c. 17.*), illam σύνοδον τῶν τεθνεώτων mortuorum sub terra congregationem. *Add. Pl. Rev. Dn. D. Thom. Ittig. (de Mont. Incend. s. 4. c. 1. §. 6. p. 282.)*. Sub Æthna, Liparensibus Insulis, Puteolano, Neapolitano, Bajano agro & Pithecusæ *Typhonem aut Typhoeum*, monstrosum illum Gigantem, quem Dii metuentes, variorum animantium figuris se celaverunt, prout fabulam habet *Ovid. (5. Metam. fab. 5.)*

5.), sepultum, cum hic latus vertat, finxerunt *cum Aliis Pindarus*, evaporare flammas & aquas effervescentes, *ut narrat (l.5. Geogr. p. 166.) Strabo. Casp. Barth. (l.23. Adv. c. 15. col. 1141.)* dum fortè evolvo, hæc offert: Quod impia terribilisque gens hominum, in vita vi injustitiæ oppressione potentium, post obitum Gigantes atque immania corpora apud inferos collocantur & inibi torquentur, cumque immane quid contra DEUM in terra vivorum capessitur, eos movere carceres suos perhibetur, in libris nationum ea res originem *ex sacris literis* ducit. *Jesaias (c.14. v. 9.)* infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi Gigantes. An eò respexerit *Virgilius (l.3. Æneid. v. 578.)*, qui de *Encelado*

Fama est Enceladi semustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam expirare Caminis,
Et fessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & Cœlum subtexere fumo.

Meum non est decernere, tollere tamen illa assertio transanimationis Pythagoricæ (ita vertit *B. J. Conr. Danhauer. Colleg. Psychol. Disp. 1. Controv. 5. p. 27.*) commentatum videtur, quod μετεμψύχωσιν vocant, animæ recividatum interpretatur *Tertullian. (l. de Resurrect. Carn. c. 1.)*. Sollicitum id dudum habuit *Excell. Dn. Christ. Fried. Franckenstein. (Exerc. Phys. de Terr. Mot. ad l. 2. Noct. Att. c. 28. Agellii c. 1.)*, qui pronunciatorum Pythagoricorum obscuritate animatus per mortuos intelligit malos Genios, quibus & *Joh. Bodin. (l. 2. Theatr. Nat. p. 179.)* & è modernis *J. B. Helmont*, qui tamen bonos Angelos non excludit (*Tr. Tremor Terræ n. 30. p. 82.*), terræ ascribit Tremorem. Ita Dæmones Stoicis ὅσιαι ψυχικαί Pythagoras: εἶναι πάντα τόν ἀέρα ψυχῶν ἔμπλεον. Vid. *Just. Lips. (l. 1. Physiol. Stoic. c. 19.)*

§. 3.

Forsan de impuris animabus verba fecit Pythagoras. Hæ prius ad longum tempus improbitatum pœnas daturæ, infernali subjiciuntur equleo, & purgantur, antequam in alia transeant corpora: Videtur id illo *Virgil. (l. 6. Æneid. v. 748.)* expressisse:

Has omnes ubi mille rotam, volvere per annos,
Lethæum ad fluvium DEUS evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Fuit hæc *Platonis, Studiosi Pythagoræ*, si *Marsilio Ficino (in vit. Platonis) Sectato-*

ris ſententia. Diſtinxit namque (*in Phædon. Add. Æn. Gazæum de Immortal. Anim. & Iſidorum Peluſiotam l. 2. Epiſt. 135.*) inter animas puras & impuras. Illæ ad ſimile ſibi divinum abeunt, divinum immortale ac ſapiens, quo ubi pervenerunt, contingit ipſis, ut ſint felices ab errore & ignorantia, & timoribus & agreſtibus amoribus, & aliis humanis liberæ. Impuræ autem apud inferos & circa ſepulchra verſantur, pœnam dantes prioris malæ educationis, & tamdiu oberrant, donec rurſus in corpus illigatæ fuerint. Illigantur autem, velut conſentaneum eſt in ejusmodi mores, quales etiam in vita exercuerunt. Audire juvabit in hanc rem *Claudianum* (*l. 2. in Ruffin. v. 482.*)

Multa ferarum
Cogit vincla pati: truculentos ingerit urſis
Prædonesque Lupis: Fallaces vulpibus addit.

Huic Interpretis vice adjunge *Boëtium* (*l. de Conſol. Philoſ. c. 3.*). De impurorum itaque corporibus & animabus ſermo forſan erit *Pythagoræ*, ſiquidem rectè rem metior, nec *Plato* Platonizat, i. e. aliter loquitur, aliter ſentit.

§. 4.

De Revolutione mortuorum in Terram Canaan quid parturiant Judæorum Magiſtri, ſomnio præfato jungimus eo, quod in eodem hæreant transmutationis luto, prout è *Joh. Hornbeckio* (*l. 8. contr. Judæos c. 3. p. 541. & ſq.*) diſcimus. Docent nempè, Judæos extra Terram Canaan in polluta Gentium Terra ſepultos, in die judicii non reſurrecturos, niſi per abditos Terræ meatus & cavernas revolutionem usque Canaan oſſa & cadavera eorum moliantur, qua de re *Joh. Buxtorf.* (*in Lex. Chaldaicis & Synagog. Judaic. c. 3. p. 35. ſq.*) & *Joh. Hornbeck.* (*c. l. p. 542.*). Cum reviviſcent mortui diſrumpendus eſt mons Oliveti, atque omnes mortui Iſraëlis inde exituri, etiam juſti illi, qui mortui ſunt in captivitate convolventur ſub terra & exituri ſunt ſub monte Oliveti. *E Targum* (*in Cantic. 8. v. 1.*) *Joh. Lightfoot* (*Centur. Chorograph. in Matth. p. 78.*), credunt inſuper ſepultos in Palæſtina jure & privilegio loci primos omnium reſurrecturos, cum & ſtudio Patriarcharum ſepeliendi in Terra Canaan inducti, ut è *Manaſſe ben Iſraël.* (*l. 2. de Reſurrect. c. 3.*) iterum *Hornbeck.* (*c. l. c. 5. p. 557.*) allegat. Singulare exemplum recitat è *Hilar. Prachio* (*in not. ad Wilbelm. Schikkardi Miſpalh. Hammelech. c. 3. Theorem. 10. p. 203.*) *B. Joh. Bened. Carpzov.* de *R. Juda Selcket Archiſinagogo Viennenſi*, qui ad excitandam anguſtiam volutationis ſubterraneæ jam grandævus iter in Palæſtinam ſuſcepit, ſed ubi iter vix ingreſſus Budam Pannoniæ, Muhammedicæ me-

metropolim devenerat, ad plures se penetravit, adeoque nunc longo adhuc anfractu subterraneas cavernas permeare tenetur, ad vitam æternam scilicet resurrecturus. Addo *ex Erasmo Schmidio* (*not. in Pindar. Pyth. δ. p. 199.*) Ethnici in peregrinis terris mortuos ter inclamabant. Credebant enim hoc quasi ψυχαγωγίᾳ se Animas interfectorum ad patriam terram reducere.

§. 5.

Linquo fabularum Architectis fabulas, de vero & reali Cadaverum motu sollicitus. Moventur autem, si moventur vel secundum totum, vel secundum partes. Secundum totum Motum Sarcophagi *Eudoxiæ Imperatricis Nicephor.* (*l. 13. Hist. Eccles. c. 36. p. m. 702.*) delineavit. Est relatio apud nostros, retulit *Tertullian.* (*l. de Ani. p. m. 682.*): In Cæmiterio corpus corpori juxta collocando spatium recessu communicasse. Fabulam dicerem quod de Gregorii Pontificis VI. Cadavere *è J. B. Fulgoso* (*l. 3.*) retulit *Caspar Rejes* (*qu. 31. Camp. Elyss. n. 15. p 337.*), illud nempe ad templi valvas feretrô impositum, templum intrasse inventum, nisi id divino Numine adjutum adderet. *Florentiæ Gualtherio Bustaccii filio* dissecto publicè à Carnifice capite atque cadavere arcæ imposito, dum ad Ecclesiam S. Crucis humandum gestaretur, adeo repente concussione valida spontè exagitatum, ut arcæ tabulata invicem disjungerentur, ac benè ex gestantium humeris decideret, quod ad jactum Balistariæ sagittæ, dum funus progrederetur, perseveravit, non sine omnium astantium ingenti admiratione. (*Joh. Schenck. l. 1. obs. med. p. 122. è Matt. Villan. l. 3. Histor. sui tempor. c 46.*). Mortuos quosdam in Marchia ambulasse & pœnitentiam prædicasse &c. *Jacob. Horst.* (*de Aureo Puer. Siles. dente p. 38. & 154.*), & vita functos quandoque veluti si viverent motus obire, aut etiam in pedes erigi & ambulare *Joh. Marcus Marci* (*p. 4. Vet. Philos. restit. subs. 3. p. 403.*) scripsit, & rationibus firmare allaborat. *Chrysanthum & Musonium* sub terra in sepulchris scripsisse iterum *Nicepho.* (*l. 8. Hist. Eccl. c. 23. p. 337.*) Μετέωροι seu sublimes facti (ut eleganti joco in crucem actos descripsit *Isaac Casaubon. ap. Th. Bartholin. de Lat. Christ. c. 7. p. 68.*). Ad solem converti dicuntur, quod notat *Hieron. Cardan.* (*8. de Var. Rer. c. 40. p. 516.*). Cæterum Atheniensibus mos erat ad orientem solem cadavera apertis eorum sepulchris locare, quod deprehensum *Diog. Laërt.* (*l. 1. de Vit. Phil. in Solon. p. m. 32.*) annotavit, cui cum *Plutarcho* (*in Vit. Sol.*) minime convenit, qui *Athenienses* mortuos ad occidentem congerere consuevisse, ad orientem Megaricos: veretur ne aut corruptus locus, aut erraverit *Laërtius Th. Aldobrand.* (*in h. Laërt.*

ërt. locum p. 29.). Exemplorum huc ſpectantium Syllogen collegit *Theod. Zwinger.* (*Vol. 2. Theatr. Vit. hum. ſ. 7. p. 565.*)

§. 6.

Phyſa ſ. orbis piſcis Ægyptiacus, ut de brutis etiam quædam ſubjiciam, exſiccatus & tomento ſeu alga oppletus & ſuspenſus eam cœli partem, à qua ventus flat, roſtro ad eam converſo indicare ſolet, ut *Guilielm. Rondel.* (*l. 10. de Piſcib. c. 11.*) tradit. Quocirca eleganter Eundem Magnetem Æolium appellavit *Athanaſ. Kircher.* (*l. 3. Art. Magnet. p. 6. c. 2. §. 6. p. 529. & Regn. Magn. ſ. 4. c. 1. p. 165.*), qui idem de Hirundine marina, piſce volatili, propria edoctus experientia commentatur, quamvis etiam hic dubitet *Th. Brown.* (*l. 3. Pſeud. Epidem. c. 10. §. 5. p. 599.*). Lacertus Dub Arabibus vocatus, occiſus etiam poſt triduum igni applicatus perinde movetur, ac ſi viveret, ut *è Joh. Leone Simon Majol.* (*Dier. canicul. Colloqu. 8. p. 311.*).

§. 7.

Secundum partes moventur vel fluidas, vel ſolidas. Inter fluidas ſanguis eminet. Sanguinem venæ ſectione emiſſum in lebete, contremiſcere interdum videas, ſcripſit *Salomon Alberti* (*Hiſt. Corp. Part. Human. p. 68.*). *Joh. Lang.* (*l. 1. Epiſt. Med. 8. p. 36.*) & *Andr. Libav.* (*p. 2. Singular. p. 157.*). Hunc vulgus Chirurgorum prius adhuc, quam intepuerit ingurgitare cogit eos, quibus detractus eſt, ratum ſubeſſe animam, quæ tali potatione poſtliminio reſtituatur. *Wenn man durch ein Microſcopium ein friſches Blut, das man von einem Thiere läſſet, anſchauet, da ſiehet man das Leben, wie es ſich leibet, bekleidet, reget, beweget und wieget, Anonymus* (*Schrifft-und Natur-mäßiges Bedencken über die Begräbniſſ in der Kirchen p. 35.*). Fumare etiam dicitur ſanguis & recentia vulnera. En Poëtarum teſtimonia. *Virgil.* (*l. 8. Æneid v. 106.*)

Thura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.

Et Valer. Flacc. (*l. 2. Argonaut. v. 233.*)

His Cruor in thalamis & anhelo in pectore fumant
Vulnera.

Sanguinem incluſum in Cadavere facillime rotari, *Malach. Thruſton.* (*de Reſpir. p. 109.*) aſſeruit. Undulationem in vena cava poſt emortuam auriculam vaſorum à ſpiritibus per nervos ubique diſtractis corrugatione contemplatus eſt *Richard. Lower.* (*Tr. de Corde c. 2. p. 70.*). Advertit in ſanguine obſcuram palpitationem *Guilh. Harveus* (*Exerc. Anat. 1. c. 4. p. 44.*). De ſanguinis ſeroſi putridi & fœtidi inſigni efferveſcentia & agitatione in mortuo *Eman. Urſtiſ.* (*ap. Guilhelm. Fabric. Hildan.* (*Cent. 2. obſ. Chirurg. 25. p. 103.*). Addendum

cen-

censeo & hoc: Cucurbitula morsui Tarantulæ applicata, & scarificata, in quodam fragor seu tinnitus auditus fuit. At quia poterat id fortasse per accidens, aut ab aëre, aut à Cucurbitula provenire, cucurbitula abstricta fuit & alia applicata, idemque sonus observatus: atque hoc pluries facto semper tum ab ipso, tum ab astantibus similis stridor perceptus fuit, ex qua luce meridiana clarius extitit, fragorem auditum, non ab aëre, non à Cucurbitula (ex quibus deceptio fortasse pervenire poterat), sed absolutè à qualitate, veneni ortum habuisse. *Dom. Panarol. (Pentecost. 5. obs. 44. p. 172.)* memorat. Add. *Th. Bartholin. (cent. 6. Hist. Anat. 38. p. 259.).* Solet lympha suum cursum continuare per aliquod tempus post Obitum *Phil. Verheyer. (tr. 1. Corp. human. Anat. c. 5. p. 25.)* annotavit.

§. 8.

Inspergere liceat quædam Papicolarum circa sanguinem miracula. Ficta an vera sint contextus ipse prudentem edocebit. Sola Neapolis in Italia multa quotannis in Martyrum sanguine miracula conspicit *Jacob. Masen. (util. curios. de Vit. Human. Felicitate c. 25. p. 527.)* perhibet. *S. Johannis Baptistæ* sanguis, qui lapidis instar in ampulla concretus est, Festo Præcursoris die, dum sacra peraguntur officia; illa, qua caput censetur amputatum, hora colliquescit, effervescitque. Idem spectaculum sanguis *D. Stephani* per *Orosium Hispaniensem* allati, ibidem solennis tempore sacrificii tertia Augusti die exhibet, mirumque est, quod restituto *à Gregorio Papa XIII. Calendario* (arrigite aures Fastorum conditores!) decendium, cum eodem, ceu correctione hac divinitus approbata, anticipet: quod in *D. Johannis.* ampulla, pariter observatum est. *De Januarii Martyris Beneventani Episcopi* virtute quid dicam? Sanguis illius phialæ inclusus, qui in pilæ formam collectus induruit, quo die solenni processione Neapoli circumfertur, ubi in Capitis ejusdem Divi conspectum venit, repente solutus liquescit, &, velut modo ex vulnere defluens solvitur, capite verò remoto in prioris figuræ sphæram indurescit. *Hæc Masenius.* Idem de *Genarii Martyris Beneventani Episcopi* capite & sanguine, ex *Bapt. Fulgoso (l. 1. c. 6.) Theodor. Zwinger. (l. 18. Theatr. vit. hum. col. 850.)*, ut ovum ovo non sit tam simile ut hæ duæ Relationes. Suspicor idcircò in nomine Martyris erratum, ubi pro *Januario Genarius* & v. v. substitutus. Fuere è curiosioribus Neapolitanis, qui alia loca Neapoli sanguinem sudantia nostro seculo *attestantibus id Novellis Lipsiensibus* non profusi Januarii sanguini, sed montis Vesuvii exhalationibus subterraneis ascriberent.

§. 9.

Singulare quid de Urina habet *Andr. Cnœfelius* (*M. C. D. 1. A. 4. obs. 56. p. 43.*). Urina recens è corpore Muliebri excreta statim ebullire, & per sex ferè horas semper moveri conspiciebatur, cum gravi fœtore successu temporis etiam per integrum diem talis motus continuabat in existentis contrarii salis (cum aëre ambiente combinati) sufficiens index. Bilis vomitu in terram rejecta bulliebat instar aquæ fortis, testimonio *P. Borelli* (*Cent. 2. obs. 1. p. 104.*) Ipse materiam serosam sale podagrico saturatam à podagrico vomitu rejectam in pelvi per longum temporis spatium ebullire & circulum rotari, conspexi.

§. 10.

Fonticuli post obitum utplurimum instar aquæ hydrope mortuis copiosissimè fluere solent, quod multoties se vidisse testatur *Casp. Theoph. Bierling.* (*Thes. Practic. n. 20. §. 8. p. 260.*), ut ut in morituris ulcera siccari, vulgo asserant. Ex S. Nicolai Cadavere magnam humoris copiam continuo manare, testis est *Anton. Santorell.* (*Post-Prax. Med. c. 24. p. 57.*). Cur in suspensis urina mox effluat, quod in aliis demortuis non accidit, *Jacob. Müller.* (*ap. Gregor. Horst. Epist. Med. l. 20. p. 238.*) rationem suggerit, quod propter suffocationem abdomen à Diaphragmate comprimatur, unde consequente urgente copia urinæ vi compressionis Sphincter musculus aperiatur. Ex hac Urina, si innocenter suspensus fuerit homo, Mandrogoram nasci, fabulosa asseruerunt secula, inde Belgis ab urina furis Radix *Pis diven* audit. Audiamus *Jacob. Thomas.* (*disp. Philolog. de Mandrag. c. 3. §. 72. & 73.*): Quod è suspensi hominis innocentis urina sub patibulo eam crescere finxerunt, ὁμόφωνον est aliis artis necessariæ instrumentis, quæ ab ipsis suspensorum corporibus, è ligno ter patibuli decerpere sua jubet Satanas. Urinæ autem vocabulo suspicere hujus fabulæ autores ejusmodi urinam innuere voluisse, è qua Orioni nomen indidit mendax Græcia. Etsi enim quocunque sensu eam vocem interpretere, mendacium pellucet, est tamen alterum ad fidem à simplicioribus aucupandam magis idoneum: Quod si cuipiam obscurus videatur *Phornasius* in reddenda orionis nomenclationè, en è *C. Junio Hygino* (*Fab. 195. p. m. 210.*) ipsam fabulam: *Jovis*, *Neptunus*, *Mercurius* in Thraciam *ad Byrseum Regem* in hospitium venerunt: qui ab eo cum liberaliter essent excepti, optionem ei dederunt, si quid peteret. Ille liberos optavit, Mercurius de Tauro, quem Hercules Ypseo ei immolarat, corium protulit. Illi in eum urinam fecerunt, & in terram obruerunt, unde natus est Orion. Post multos à morte dies

dies urinam effundi (*c. l. c. 29. p. 54.*) iterum *Santorellus* annotavit, gemellamque docto orbi communicavit *Dn. D. Joh. Ludov. Hannemann. Collega & Fautor. honorandus (M. C. D. 2. A. 8. obs. 160. p. 354.)*: Lotium à Vesicæ collo, ut Anatome docuit, suppressum omnibus frustra tentatis post obitum, *teste Joh. Rhodio (cent. 3. obs. med. 26. p. 123.)* effluxit. De seminis in suspensis effluxione iterum *Santorell. (c. l. c. 21. p. 60.)*

§. 11.

Viro cuidam mortuo in hypochondrio cum elevatione & depressione ipsius, murmur & rugitus sentiebatur, tanquam vivus esset homo, *Dominic. Panarol. (Pentec. 1. obs. 47. p. 28.)* observat. Quod ipsum & evenisse illustr. *D. Duci Cesativo à D. Petro Servio* audivit, qui cum mortuus esset similem rugitum & habebat motum, quo audito & viso aliqui ipsum ab inferis revocatum appellabant, cum tamen revera mortuus esset. In Hydrope defunctis id etiam manifestum. Inde hypochondriis punctim inflictis una cum aqua flatus cum sibilo & sonitu auras petunt. Ab illo flatuum impetu, & humorum fermentatione Crepitum ventris mortuis contingere posse, *è Phil. Salmuth. (cent. 2. obs. 36. p. 25.)* constat. Feces alvi aliquando post mortem effusas, memorat etiam *Santorell. (c. l. c. 29. p. 54.)* Vidit A. 1686. M. Martio *Dn. D. Josephus Lanzon. (M. C. D. 2. A. 9. obs. 210. p. 350.)* civem quendam Jerrariensem 45. annorum sæva Peripneumonia extinctum, altero post mortem die non tantum urinam verum etiam stercus excrevisse. Idem quoque observavit in puero variolis extincto. In furti inculpato Augustoburgi in carcere detento, in dextro pede à glande tormentaria vulnerato, & à vulnere mortuo altero post mortem die cum ad inspectionem & examen vulneris nos accingeremus mortuum steroutio litasse conspeximus. In Alio materia putida per nares & posteriora egesta, quod *Joh. Petr. Lotich. (l. 6. obs. med. c. 6. obs. 2. p. 584.)* commemorat. *Ein Agyrtha gab einem jungen Schwedischen Herren eine Purgation ein, der Patient fängt an zu purgiren biß ihm die Seele ausfähret, nachdem er nun erblasset, hat er noch biß 6. Sedes gehabt, unterdessen hat der Quacksalber das Weite gesucht, und sich unsichtbar gemacht. (des Getreuen Eckarts ungewissenhaffter Apotecker c. 7. p. 373.)*. Mercurium vitæ easdem turbas in Intestinis defuncti contasse *supra*, (*l. 1. Tit. 8. §. 20.*) notatum.

§. 12.

Solidas partes moveri, historiæ loquuntur. Ita mortui videntur oculos aperire (*Vid. l. 1. Tit. 5. §. 4.*) ridere, (*ib. §. 24. 28.*) loqui (*ibid. §. 19.*), spumare (*§. 35.*), ructus edere (*§. 37.*), vomere (*§. 38.*). Quando intumescunt

& crepant *(Tit. 8.)*, pariunt *(Tit. 9.)*, penem demum erigunt *(Tit. 11.)*. Scio fœminam quandam vernaculam Ecclesiæ, forma & ætate integram factam: post unicum & breve matrimonium, cum in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim Oratione Presbyteri componeretur ad primum habitum orationis manus à lateribus inhabitum supplicem conformasse, rursumque condita pace situi suo reddidisse, *narrat. (c.l.) Tertullian.* Accedente occisore, occisus dextra vulneribus admota, digitis occisorem, *teste J. J. Schottelio (l. de Singular. German. Jur. c. 3. §. 23. p. 99.)* monstravit. De puellæ à Judæis occisæ manu in cœlum erecta, *Sanctus ille Nugator Th. Cantipratan. (l. 2. hist. memor. c. 29. n. 22. p. 34.)* Monialis quædam in Cœnobio *D. Vincentio* sacro cum per sex menses phtisi laborasset, Apoplexia repente correpta, quæ in dextræ partis Paraplegiam terminavit, triduo post exanimata feretro imponitur. Monacha altera affinis ingemiscens ac lacrymabunda demortuæ manum deosculatum accipiens, ter valdè constringi sentit, tanquam miraculo perculsa reliquas astentes Moniales advocat, accurrunt, manum à mortuâ validè comprehendi intuitæ, mirantur. Historiam habet *Marcell. Donat. (l. 2. Histor. mir. c. 3. p. 138.) & ex Eo Joh. Schenck. (l. c, p. 122.) Fortunat. Fidel. (l. 4. Relat. Med. c. 1. p. 514.) Casp. à Rejes (qu. 33. n. 24. p. 400.) De Sancta Wiborada* crus & brachium in finali angore attractum & rigidum indirectum extendente, *Hepidanus, Cœnobita (l. 1. Vit. Ejusd. c. 38.) ap. Melch. Goldast. (T. 1. Rer. Allemann. p. 2. p. 345.)* In Nobilissima quadam mortua hora una cum dimidium post ejus mortem convulsiones pollicis & digiti annularis manus sinistræ observavit *M. Zach. Mitlacher (Disp. inaugural. de Partu Diff. Caroll.*) Celebrem nostri temporis Anatomicum Marquard. Slegelium Hamburgi à Cadavere se moventе, dum novaculum adhiberet exterritum, & paulo post mortuum fuisse, rumor, sed inanis, *(Vid. l. h. Tit. 2. §. 13.)*, sparsit.

τὸν κλεισθένα δ' ἀκούω
Ἐν ταῖς ταφαῖς πρωκτὸν
Τίλλειν ἑαυτοῦ καὶ σπαράττειν τὰς γνάθους

Scomma est *Aristophanis (in Ranis Act. 1. sc. 7. in Semichor. v. 70.)* quod è regione metricè hunc in modum *Nicol. Frischlin. transtulit*:

Et fama Clisthenem fert
Anum sibi in sepulchris
Convellere & genas depiles reddere.

§. 13.

Spectant huc Exempla, cum corpus nobiliori & principali parte orbatum, aut

aut dissectum, non obscura motus ad tempus exhibet indicia. Capite ablato an quis progredi possit? quæsivit *Aristoteles* (*l.3. Hist. Animal. c.10.*) & id non temere credendum asseruit. *D.Proculus* tamen, miles Bononiensis sacro martyrio coronatus, caput abscissum in locum, ubi nunc ejus Templum Bononiæ visitur, propriis manibus tulit, referente *L. Surio* (*Tom.3. & ex hoc.*) *Heinr. Kornmanno* (*p.4. m.m. c.11.*), qui gemellum de *S. Dionysio Areopagita* (*c. 12.*) & *S.Albano* (*c. 15.*) subjicit. S. namque *Dionysio Areopagita* decollato, erexit se truncus, & acceptum suum caput sustulit, & manibus detulit ad duo milliaria, ubi nunc Regum Francorum sepulchra sunt, quod etiam ex Aliis narrat *Christ. Adrichom.* (*in Act. Apostol. Theatr. Terræ Sanct. Annex. p.283.*). Spatium illud minuit, nec incongruè forsan, *Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l.4. Lect. Antiqu. c.23. col.143.*) & id SALVATORIS infinitæ potentiæ ascriptum voluit sincerissimè. Fecisse idem scribitur *Simphorianus, Felix, Regula &c.* Vid. *Cornel. Agripp.* (*T.2. Op. Declam. B. Anton. Eremit. p.575.*). Factum id *juxta Eund.* (*p.576.*) Anima eorum non Angelo, ut multi opinantur, eos ducente, ducente autem per assistentiam, non per naturalis informationis actum. Plura recitat *Hieron. Drex.* (*T. 1. Oper. in Prodr. Æternit. c.3. §.6. p.98.*).

§. 14.

Præteritis annis accidisse in quodam conflictu inter Imperiales & Palatinatus rebelles, *memorat Euseb. Nirenberg.* (*l.3. Philos. Curios. c. 21.*), Hungarum & Polacum obviam factos, Hungaro irrito conatu hostem petente, curvo & lato ense unico ictu Polacus caput illi dejecit, & tamen sit decapitatus currente equo, antequam caderet, mediocre spatium confecit. Hispanus quidam (commemorat *Ludov. Septal. in Aristot. s. 20. probl. 6. vulgò 67. p. 144.*), cui cum dormiret caput à quodam Rustico abscissum fuit, statim ferè surrexit, & ensem enudavit, bis aut ter ea circumvoluta in terram decidit, nec amplius surrexit. Vidimus, *scribit Isbr. à Diemerbroeck* (*l. 1. Anat. c. 1. p. 760.*) Leidæ homicidam, virum fortem, qui à judicibus morte condemnatus & decollatus fuit, sed capite amputato ac detruncato mox erectus surrexit, & in pedes nonnihil substitit.

§. 15.

Veritas hujus asserti etiam in brutis lucet. Vervecem capite abscisso progressum, *Averrhoës* (*in 2. Phys. auscult.*) descripsit. Aviculæ capite abscisso leviter subsultant (*Gerh. Joh. Voss. l.3. Idol. c. 1. p. 627.*). Dum Commodi Imperatoris in jaculando mirabilem peritiam depinxit *Hier. Cardan.* (*l. 12. de Rer. Var. c. 62. p. 795.*) reliquis addidit: Idem aliquando sagittas lunatæ cuspidis in Ma-

Maurusias Struthos intorquebat, qui & pedum celeritate & alarum quasi velis ocyssimè ferebantur, sicut summum contingeret collum atque ita capita amputaret, ut exsectis cervicibus (qui teli impetus fuerint aliquandiu tamen viventibus, similem cursum continuarent. Add. *Francisc. Bacon. Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 4. Hist. Nat. Exper. 100. col. 840.*). Quis non vidit ablato capite, Crabrones, & alia ejusmodi insecta volare, quod etiam allegat *J. B. Helmont* (*tr. ignota actio regim. n. 35. p. 269.*) Vin' majora adhuc? Muscæ Bombycinæ majores non modò post ablatum caput vivunt ac volant, sed & generant. Mas quidem post truncatum caput fœminam comprimere non potest, fœmina tamen decollata alacriter marem admittit, & aliquot post horis ova confestim parit, quod ex observatione *Rob. Boylei* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 92. p. 521.*) recitat *Ol. Borrichius*. Canit cicada capite abscisso, quod experti *Albertus Magnus* (*l. 26. de Anim. f. 204. a.*) & *Hieron. Cardan.* (*l. 7. de Var. Rer. c. 28. p. 296.*) & diu supervivit. Non volant tantum vespæ & fuci, Apes adempto capite, sed & aculeis feriunt, & se se defendere conantur. Idem in detruncatis vesparum aculeis licet cernere & experiri. Ipsis terrestrium testudinem capitibus amputatis, ii tamen liberè ac validè per hortum ambulabant ad sex menses. *E Caldesi Martin. Lister.* (*Exerc. Anat. altera de Buccin. fluviat. & marin. p. 45.*)

§. 16.

Movetur & caput amputatum.

Oscitat in campis caput à cervice revulsum,
Semi animesque micant oculi, lucemque requirunt.

E Varrone Attaceno citat *Fulvius Ursinus* (*Virgil. cum Græc. collat. l. 4. Georg. & l. 10. Æneid.*). Viri fortes in bello morituri, solent terram mordicus appetere. Id quod signum est ingenitæ ferocitatis, commentatur (*in Saxon. Grammat. l. 8. Histor. Danic. p. 178.*) *Stephanus Joh. Stephanius*, ubi egregia cum è Græcis, tum Latinis Poëtis collecta dat, aliàs non ubivis obvia, & à paucis animadversa. Add. *Servium* (*in Virgil. l. 11. Æneid. v. 418. p. 873.*). Hinc originem sumsisse videtur *Eidem* (*p. 179.*) Germanis hodieque usitatissima de iis loquendi formula, qui in præliis occumbunt: *Sie haben ins Graß beissen müssen.* Cecinit in hanc sententiam *Pindarus Thebanus* (*Iliad. Epit.*)

Ictis in inguine Leucon
Concidit infelix, prostratus vulnere forti
Et carpit virides moribundus dentibus herbas.

Et *Servius* (*in l. 1. Æneid. v. 100. p. 61.*) appetere, ore terram petere, i. e. mori, interpretatur. Etiam *Starchatori Gigantis* caput ab *Hathero* decussum terræ glebas

glebas petiit, quod *Saxo Grammat.* (*c.l.p.m.153.*). *Olaus Magnus* (*l.5. Epit. Hist. Septentrional. p.182.*) & *Alb. Kranz.* (*l.2. Suec. c. 22. p.448.*) relationibus suis inseruerunt. Sed cum *Starchateri* & *Hatheri à Saxone Grammatico* consignatas historias pro monstrosis fabulis habeat *Joh. Gorop. Becanus* (*l. 7. Orig. Antwerp. p.764.*), en alium *è Th. Bartholino* (*Cent. 2. Hist. Anat. 98. p.384.*) casum. Hafniæ, *scribit*, puellæ sedecim annorum caput manu carnificis decollatum terque quaterque se movit & subsultavit. Musculi faciei, bucconis &c. post mortem se convellunt, indeque spumæ generationem deduxit ingeniosus. *J. N. Pechlin.* (*de aër. & Alim. def. c. 8. p. 89.*). Legas & quædam huc spectantia *ap. Leonhard. Thurneusser.* (*de Probat. Urinar. c. 8. p. 49.*)

§. 17.

Quod ad linguæ motum, *Hieron. Cardan.* (*l. 20. de Subtilit. p. 608.*) fecit linguam Bovis exemtam tota die palpitare, & addit, quosdam affirmare, vitulinam in aquam injectam moveri, quod tamen ipse non expertus fuerit (*p. 609.*). Mirabilius est, quando abscissa capita locuta legimus. Abscissum *S. Pauli* caput ter nomen JESU inclamasse historiæ produnt. Evolve, si lubet, quos *citat Th. Bartholin.* (*de Lact. Thorac. c. 13. p. 39.*). Hoc miraculosum cum sit & sacrum, ad profana descendo. Sunt qui *Homerum* testem adhibeant, differit *Aristoteles* (*l. 3. de Part. Animal. c. 20. p. 468.*) quasi ob eam rem illud dixerit:

Ipseque dum loquitur miscetur pulvere vertex.

Non enim dum ipse homo, sed dum ipse vertex, intelligi volunt. In terra Caria cum *Cercydas* quidam occidisset *Jovis Hoplosmii* sacerdotem, caput interemti resectum protulit hunc senarium:

Ἐπ' ἀνδρὸς ἄνδρα Κερκυδᾶς ἀπέκτανε

Virum necavit Cercydas super viro.

Ex Hierone sive Ephesio, sive Alexandrino narrat *Phlegon. Trallian.* (*de Reb. Mirab. c. 2.*) de capite infantis *à Polycrito Ætolorum* præfecto geniti, quod post corpus à spectro devoratum multa prædixerit. Idem ex *Antistene Peripatetico* (*c. l. 3.*) refert, de capite *Publii, militaris apud Romanos Præfecti*, quod, comesto, à lupo corpore, longum carmen pronunciavit, quo futura continebantur. De *Orphei* Capite Lesbo appulso vaticinante: τὰ ἐμὰ ὦ Κῦρε σά. Mea, ô Cyre, tua, evolvatur *Gerhard. Johann. Voss.* (*l.3. Idolol. c. 44. p. 966.*). De capite juvenis abscisso peccata confitente *Thom. Cantiprat.* (*l. 2. Hist. & Exempl. c. 29. n. 24. p. 306.*). Libavi & quædam (*l. 1. Tit. 5. § . 20.*) supra.

§. 18.

§. 18.

Eodem modo & insectorum, reptilium & aquatilium rescissa capita se movere, imò & mordere conspiciuntur. Caput Crabronis (quem cervum volantem indigitant) cornuti abscissum sextiduo post vivere & mori vidit *J. B. Helmont.* (*tr. Ignota actio regiminis n. 36. p. 269.*). Idem in piscibus & serpentibus nemo non animadvertere poterit. Coquam quandam mordebat jam in sex partes sectus Lucius, quod ab ipsa coqua percepi.

§. 19.

Caput parvæ testudinis amputatum sic maxillas per semihoram collidebat, ut strepitum quendam ederet *Joh. Bapt. de Hamel.* (*l. 1. Reg. Scient. Acad. Hist. s. 11. c. 7. n. 1. p. 144.*) memoriæ mandavit. Testudinis marinæ caput abscissum non continuo moritur, sed & videt, & si ante oculos ei manus obversetur, eos claudit, & paulo si propius manum admoveas mordet, & diu oculos habet fulgentes, quorum pupillæ candidissimæ & splendidissimæ cum existant eruuntur, ut vel auro vel monilibus imponantur. Ita *Ælian.* (*4. Hist. Anim. c. 28. p. 214.*). Viperæ colletenus jam pridem exsectæ caput posse demorsum à se animal perdere veneno, experimentum dedit *M. Aurel. Severin.* (*p. 2. Viper. Pyth. p. 365.*) in Gallo Gallinaceo, quem hora semisse vidit mortuum. Ego testari possum, me vidisse (asserit *Fr. Redi obs. de Viper. p. 61.*), quod caput Viperæ media hora post detruncationem, dum adhuc quidam motus superest, & ita loquendo quædam scintilla vitæ, si morderet accidit non aliter, ac si corpori adhæreret. Detracta cute post aliquot horas mordet adhuc caput, & cor serpentum aliquot horas palpitat, observavit *Moses Charas* (*Descript. Vip. Edit. German. c. 1. p. 5*) *Add. Petr. Borell. Cent. 1. obs. 43. p. 47.*). Romæ Pharmacopæi cujusdam famulus à capite Viperæ jam post tertium diem abscisso, & inter sordium quisquilias jacente, cum is hoc pede protrusisset, deinde manibus quoque projicere tentasset, lethaliter in digito morsus, & efficacissimis vix tandem Theriacalibus medicamentis sanatus fuit, teste *Joh. Fabro Bambergensi Academico Lynceo* (*in not. in Animal. nov. Hisp. Nard. Anton. Recchi p. 782.*). Majori cum periculo id expertus *Pharmacopœus Macope junior* in solenni Theriacæ præparatione, cujus mentionem fecit *Magnif. noster Argonauta Dn. D. Joh. Mich. Fehr.* (*tr. de Scorzoner. c. 9. p. 108.*), aut circa dentium viperarum motum articulatum occupatus, ut vult *Joh. Theod. Schenckius* (*Epist. 7. Gammarol. D. Sachsii annex. p. 934.*) qui à tali capite morsus Theriacalibus nil juvantibus sensim extabuit. De genero & successore *Macopii Joh. Knipsio* Idem in historias retulit *Joh. Rhodius* (*cent. 3. obs. 89. p. 169.*) *Ita & ille, ap. Petr. Andr. Ma-*

thiol.

thiol. Fœniseca (*cit. Febr. c. l. p. 109.* Locum non addidit, nec facilè illum reperies,) qui cum inter demetendum falce sua viperam fortè dissecaret, & eam partem, cui caput annatum erat, pro mortua manu apprehenderet intrepidus, fera irritata capite vibrato digitum ejus momordit acriter, quam, ut fieri solet, dum ori admovet, sanguinem saniemque expressurus, repente mortuus est.

§. 20.

Corde extracto supervivunt ad tempus homines & moventur. Quidam corde extracto caput expeditè movebat, astantes torvo vultu intuebatur, & cor suum accuratius contemplabatur, donec caput ambutaretur, quod suis inseruit (*Cent. 3. hist. anat. 15. p. 37.*) *Th. Bartholin.* Ego ipse vidi delinquentem, *infit. Ferdinand. Kiehn.* (*Diss. inaug. de Syncop. c. 4.* §. *11. p. 20.*), qui sententia Magistratus ad hoc genus supplicii damnatus fuit, ut ei vivo adhuc, & antequam in quatuor corporis sui partes dissecaretur, cor eximatur, corde exemto, cum admiratione aliquot centum hominum spectantium, ultra quadrantis horæ spatium vixit, atque suum, quod propè jacuit, Cor, elevatis subinde oculis, miserè intuitus est, usque dum durissimo mortis genere periit. Alius, cui cor avulsum & in carnificis manu, auditus tria aut quatuor precum verba proferre. Ita *Fr. Baco Verulam.* (*Hist. vit. & mort. Artic. 15. t. 322. p. 404.*) retulit, captus juvenis Hispanus, cui cum Mexicani Cor exrraxerant, illud Diis suis immolaturi exclamabat: *Cavalleros muerto mebam*, viri Nobiles me occiderunt. Ex Aliis *Erasmus Francisci (Im Sinesischen Lust- und Staats- Garten p. 3. p. 1744.)*, aut ut illud expressit *è Josepho à Costa Caspar. Rejes* (*qv. 32. n. 1. p. 376.*): O Nobiles, quare me occiditis? Ita retulit olim Civis noster ex Hungaria, ubi aliquot annos literis operam dederat, rediens Hungarum quendam, qui ad partes Turcarum desciverat; seque circumcidi passus fuerat, captum, & sectioni destinatum, corde à Carnifice evulso, aliquoties Turcis consuetum Allah, Allah intonasse, aut potius ingeminasse.

§. 21.

Id verò & in brutis deprehensum. Crocodilos maximè esse vivaces, si iis cor eximatur *à Calcidio (in Platon. Tim.)* notatum. Corde simul cum aliis visceribus privatum uranoscopum piscem, valdè multum vivere, magnam facit admirationem, prodit *J. C. Scaliger. (Exer. 227. s. 15. p. 714.)*. Idem in Rana conspicuum, resecto corde diu natante Experimento *Johann. Schwammerdammi ap. Nicol. Stenonem.* (*Myolog. Specim. p. 78.*). Add. *Colleg. Amstelodam. Anat.* (*p. 30.*) *Oligerum Jacobæum.* (*obs. de Ran. & Lacert. c. 3. p. 58.*) &

in terra ſaltus robuſtos in geminante *ap. Joh. Jacob. Harderum (Api obſ. 3. p. 9.)* Cerebro contra extracto in momento exſpirante. Teſtudines exemto corde moveri ac vivere, *Ariſt. (l. d. juvent. & ſenect. c. 2. & l. de Reſpir. c. 17.)* voluit, & ex hoc ſuis abſque dubio *Lud. Cœl. Rhodigin. (l. 21. antiq. lect. c. 1. col.)* inſeruit. In limace majori rubicunda terreſtri; ſi ipſi Cor eximatur, non illico vita ſimul adimitur, *Nobiliſſ. Joh. de Muralto (M. C. D. 2. A. 1. obſ. 59. p. 148.)* expertus. De piſcibus ne multa faciam verba, auriculam vellit quotidiana Experientia. De motu corporis Torpedinis trihorii ſpatio, poſtquam cor exemtum, *(Experiment.* Natur. *p. 66.) Franciſc. Redi* obſervavit & *(c. l.) Harderus* in viperarum excoriatione, capite præſciſſo, omnibusque interraneis exemtis manifeſtum circumgyrationis motum per pluſculum tempus ſubſiſtentem, ſpiritum idonea adhuc copia reſiduorum certiſſimo indicio.

§. 22.

Cor humanum in decollatis ad horam imò ad 80. minuta ſe adhuc moviſſe, *Leonhard. Thurneuſer. (de Probat. Urinar. c. 8. p. 49.)*, qui *(p. 50.)* addidit: *Es iſt auch gewiß, ſo iemand ein Virtel einer Stund nach dem Streich (in decollato) durch die eröffnete Gurgel mit einen eiſern Trod oder Rüthlein das Herz berühret, wird ſich der gantze Cörper bewegen, oder ſo man das Haupt bey dem Bart oder Haare hart zeucht, oder ein Ohr ümdreht. Wird ſich der Mund bewegen, und die Stirn rümpffen, als obs ihm wehe thät.* Habet id cum aliquibus Paracelſicis, imò ipſo *Paracelſo*, *Thurneuſerus* familiare, ut Anatomicæ penè rudis fuerit. Teſtatur id vel hoc, quod ignarus fuerit ejus, quod lixæ, laniones, excoriatores, & id genus hominum non ignorat, viam per aſperam arteriam ad pulmones, non ad Cor à natura eſſe deſtinatam. Id verò non minimum in viro, qui ex Artifice (Aurifabro), ex quo cum propter adulteratum Aurum Argentumque ex illuſtri urbe diſceſſiſſet, repente factus eſt Medicus, quem etiam Principes in oculis tulerunt. (Vid. *Th. Eraſt. de Auro poculento p. 2.*). Movit autem poſt mortem aliquantiſper durans cordis motus, *Aur. Theophraſt. Paracelſ. ut (T. 1. op. Schol. ad. l. de Pulſ. p. 756.)* ſcriberet: Pulſum manere poſſe poſt mortem. Aſtipulabatur huic *Joh. Rhenan. (Antidot. peſtilent.)* caſtigatus *à Flaminio Gaſtone (tr. de Peſte Sic. §. 43.)*. In pullis gallinaceis jam in plumas indutis atque ita ovo exemtis poſt caput forfice præciſum, Cor integram horam palpitare, manifeſto ſenſu *illuſtris Rob. Boyle (referente Ol. Borrichio ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epiſt. 92. p. 521.)* expertus eſt.

§. 23.

De motu Cerebri è cranio exemti ſequentia tradidit *Verulam. (cent. 4.*

Sylv.

Sylv. Sylv. Exp. 400. col. 839.): Capite porcelli aperto, Cerebrum exemtum & palmæ alicujus impositum palpitavit, nulla Cerebri parte læsa & absque separatione à Medulla spinæ. Paulo post reposito in locum Cerebro clausoque porcelli cranio ille paululum obambulavit. Mira quidem narratio, cur cerebrum non amplius suspensum motum, & non potius collapsum in se desedit? Siccine medullæ spinalis tensio & elongatio, dum eximebatur, nervorum processus tenellos non rupit aut saltem afflixit, Cerebro cum primis in illa tenella ætate adhuc perquam molli fluido, ut alia absurda historiæ dubiæ non opponam.

§. 24.

Notabilis est illa *Galeni (l. 2. de Placit. Hipp. & Platon. c. 4.)*, quam etiam *Rabbi Moyses* (*s. 3. Aphor. 43. p. 489.*) citat & ad quam etiam respexit *Fr. Bacon. Verulamii* (*Sylv. Cent. 4. Experim. 400. col. 839.*) relatio: Conspicitur, *inquit*, in sacrificiis, quæ de more peragi consverunt, in quibus interdum victima erepto corde arisve imposito cum respirare, & intensè clamare, tum etiam fugere tantisper visa est, usque dum profluvio sanguinis commoriatur. Junge (*l. 6. c. 6.*). De bove sub evisceratione mugiente vera est traditio & fides, inculcat *Th. Bartholin.* (*Hypomnem. 1. de Cruce* §. *11. p. 79.*) De cane exemto corde per horæ ferè octavam partem currente *Joh. Jessenius à Jessen.* (*Anat. Pragens. p. 91.*). Thoracem canis cultro ocyus aperi, corque apprehendito: minister verò tuus diligens atque expertus mira celeritate acu crassa & contorta, in qua contortum filum immissum est, quatuor cordis vasa antè colliget: deinde cor abscindat, eodemque tempore vincula abscindantur, quibus crura quatuor juncta erant, & in pedes projiciatur, canem absque corde vociferari audies, progredi videbis: qua re nihil magis admirabile conspicari poteris. Ita Anatomicum instruxit *Reald. Columbus* (*l. 14. de Re Anatom. p. 481.*). Idem vidit, *Petro Pawio demonstrante*, *Gerh. Joh. Voss.* (*l. 3. de Idolol. c. 44. p. 965.*). Propriam allegant experientiam *Joh. Dan. Horst.* (*p. 1. Manuduct. ad Med. c. 1. s. 2. p. 75.*) & *Excell. Joh. Dan. Major.* (*M. C. D. 1. Ann. 8. obs. 10. p. 15.*) add. *Joh. Schenck.* (*l. 2. obs. med. 269.*) *Tilemannum Coum* (*p. 120.*). De catellis *D. Simonis Schulzii* observatio *à M. Schelgwigio* communicata (*M. C. D. 1. Ann. 3. obs. 263. p. 436.*) legitur.

§. 25.

Cor ipsum vivo animali exemtum diutissimè naturalem retinet functionem ceu initium motus, tum sibi, tum aliis, ut habet (*c. l.*) *Galenus*, quo deficiente auriculæ aliquot pulsibus toti actioni colophonem imponunt. De

corde Salmonis, piſcis, hæc (forſan *ex Alberto Magno l. 1. de Animal. tr. 3. c. 4. f. 26. b. & l. 24. f. 199. a.* aut *Ol. Magno l. 10. Hiſt. Gent. Septentr. p. 506.*) *Hieron. Cardan.* (*l. 7. de Variet. Rer. c. 38. p. 485.*) annotavit: Cor Salmonis exſectum omnium animalium cordibus diutius vivit, atque adeo diu, ut id improbi piſcatores inſerant cadaveribus Salmonum jam putreſcentium, ut adhuc vivere videantur. Atque ita plures ſub uno venduntur. Simplicibus forſan Salmo namque extra aquam vix vitam protrahit, & odor ingratus calliditatem piſcatorum eludet. Cor piſcium aliorum v. g. Anguillarum ſuper planam tabulam expoſitum pulſus æmulari, *Renat. Carteſ.* (*Vid. Fortunat. Vop. Plemp. l. 2. Fund. Med. p. 179.*) *vidit*, cujus mentem habet & examinat *Guilh. Harveus* (*Exerc. Anat. 2. p. 134.*). Cor viperæ per quinquaginta horas extractum & reſciſſum licet vivum & ſuo more palpitans, ſervavit, *Honorat. Fabri* (*l. 1. de Hom. Propoſ. 8. p. 221.*). Exemto ex vipera viva corde horis poſt viginti quinque motus adhuc manebat ſuperſtes commemorat *Joh. Franc.* (*M. C. D. 3. A. 3. obſ. 72. p. 92.*)

§. 26.

Hæc de minoribus, ad grandiora quadrupeda progredior. Animadverſum ſæpe eſt, *perorat Cicero* (*l. 2. de Nat. Deor. f. m. 30. b.*), cum cor animantis alicujus evulſum, ita mobiliter palpitaret: ut imitaretur igneam celeritatem. In infernali tecates ſacro ſacrificus manus inſerebat viſceribus & extracto corde aliiſque vitalibus ex palpitatione ejus futura pronunciabat. Cecinit in hunc ſenſum *Prudentius* (*Apotheoſ. v. 465.*)

Manibusque cruentis
Tractabat tepidas lethali frigore fibras
Poſtremosque animæ pulſus in corde tepenti
Callidus interpres numeris & fine notabat.

Plura (*in 4. Thebaid. Statii v. 466. p. 1101.*). *Caſp. Barth.* Cor in victimis minimè palpitans, ſilens vocabatur, *Baſſian.* (*Land. l. 2. Hiſt. Hum. Corp. c. 4. p. 160.*) auſpicibus, ut Luna ſilens, dum non lucet, & otio indulgere videtur. Ita

Silentia Lunæ

Dixit Virgil. (*l. 2. Æneid. v. 255.*). Galli, quibus θυπολεῖν βρότειον ἀρχῆθεγενος immolare humanum genus piaculum non fuit, ut *Sophoclis* verba (*in Andromed.*) adoptem, hominis libamine perfuſi, tergum gladio ferientes ἐκ τῦ σφαϑασμῦ ἐμαντεύοντο, ex palpitatione membrorum divinabant, quod ex *Strabone* (*l. 4. Geograph.*) his addere placuit. Cor evulſum adhuc pulſare, *Galenus* (*l. 6.*

6. de U. P. c. 8. p. 443.) conſpexit, & cor exemtum vervecis horam amplius unam totam fluctuare *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 246. ſ. p. 754.*).

§. 27.

Ferunt eſſe exploratum, animadvertit *Caſp. Barth.* (*animadv. in Claud. Epigr. 4. p. 1008. forſan ex Nicol. Godigno de Reb. Abyſſin. 7.*), ſi inter mortuos piſces Torpedo viva ponatur, & inibidem ſe moveat, eos quos tetigerit interno quodam & arcano motu ita cieri, ut vivere videantur. Tremorem mortuis piſcibus inducere, *Hier. Hirnhaim* (*de Typh. Gen. Human. c. 8. n. 3. p. 82.*) docuit. Add. *Joh. Marc. Marci* è quo forſan, ut alia plurima, hauſit (*Philoſ. Vet. Reſtit. p. 5. ſubſect. 2. p. 580.*). Quod rerum cauſas indagantibus ſanè portentum obvenit miraculoſum, *ſubjungit Barth.* Et quidem meritò, ſi vera eſſet Relatio. *Secundum Plin.* (*l. 9. c. 42.*) Torpedo merſa in limo ſe occultet, & piſces, qui ſecuri ſupernatantes obtorpuere corripiat. Præterea relationis hujus certitudini maximè adverſatur experimentum *D. Stephani Lorenzini* (quod habetur *M. C. D. 1. Ann. 10. obſ. 173. p. 399.*), miſi, *memorat*, Torpedines vivas & vegetas in vas quodpiam, in quo alii piſces mortui erant, nullum autem iſtorum piſcium ullo interno motu ferri vidi, nec hujus indicium quodpiam aut ego, aut alius eorum, qui præſentes aderant obſervare potui, præterquam quod mortui piſces in aqua eo ibant, quos eos vivæ Torpedines natando propellebant. Extra aquam autem immenſa nec interno nec externo motu piſces iſti movebantur.

§. 28.

Spectant huc vulnera cordi illata, quæ ſalva vita ex motu totius ad tempus mors in momento non eſt inſecuta. Quidam *Nobilis à Spies* è militibus præſidiariis Chemnicenſibus ſtatim è vulnere cordis Anno 1669. dextro cordis ventriculo illato, expirabat; alter genere & functione militari ejusdem conditionis *à Rabe* Anno 1668. punctura ejusdem ventriculi cordis ſauciatus occubuit Alius *Ambroſio Pareo* (*l. 9. Chirurg. c. 30. p. 230.*) teſte, adverſarium fugitantem ad 200. paſſus, priusquam concideret mortuus, perſecutus eſt. Ingolſtadii quidam Studioſus à Typographo punctim læſus in ſiniſtra parte thoracis vulnus ipſam cordis ſubſtantiam, utrumque ipſius ventriculum transverſim penetrans accepit, plateæ tamen bene longæ ſpatium vulneratus curſu confecit, mente porrò & ſenſibus integerrimis fermè per horam integram ita conſiſtit, ut loqui, & DEO ſe commendare potuerit, ut *apud Joh. Schenckium* (*l. 2. obſ. Med. p. 275.*) *Cyriac. Lucius.* Gemellum *Excell. Joh. Dolæus* (*M. C. D. 2. Ann. 2. obſ. 188. p. 419*). Portenta ferè quæ ſequuntur: Quidam Amſtelodami in profunditatem dextri cordis ventriculi vulneratus vixit biduum, *referente Nicolao Tulpio* (*l. 2. obſ.*

Med. c. 18. p. 132.). Quatriduum quidam, *teste D. Zach. Fürst* (*M. C. D. 2. A. 3. obs. 113. p. 226.*), à vulnerato corde supervixit. Ad quintum diem pervenit alius *ap. Thom. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. Anat. 77. p. 127.*) & *ap. Heinric. ab Heer* (*obs. rar. 11. p. 155.*). Sexto obiit Judæus quotidiè adhuc obambulans, de quo *Joh. Muis* (*ad Barbett. Chirurg. p. 223.* Vid. *Act. Erud. Lips. Ann. 93. p. 512.*) & *Joh. Rhodius* (*Cent. 2. obs. 39. p. 74.*). Septimo alius *ap. Heinric. ab Heer* (*c. l.*), octiduum quidam Rusticus post vulnus acceptum inter vivos extitit, quod exemplum mihi Anno 1684. occurrit. *Conf. M. C.* (*c. l. obs. 114. p. 228.*). Nonum quidam diem supervixit, iterum *ap. Joh. Rhodium* (*c. l.*), novem dies & horas octo *Isbr. à Diemerbræck* (*l. 2. Anat. c. 6. p. 382.*). Mendacium diceres transparere in ea, quæ has excipit, historia, nisi fide dignissimos ea invenisset Autores *Andreas Hæsenvager* miles, vulnus in pectore sinum dextrum cordis penetrans à commilitone accepit sub vesperam, d. 22. Augusti 1607. obiit d. 8. Septembr. hora una post exortum solis, qui erat decimus sextus è vulnere inflicto, in cujus rei memoriam Tabulam Grœningæ appendit publicè *Nicol. Müllerius*, quam *Godofred. Hegenit.* (*in Itinerar. Frisio-Holland. p. 16.*) & *Dan. Sennert.* (*l. 5. Med. Pract. p. 4. c. 3. p. 362.*) publicarunt.

§. 29.

Pergo ad Bruta. Cervus cujus cor è Serenissimo Daniæ Rege Sclopeto trajectum, prius quinquaginta passus confecit, quam concideret, *meminit Th. Barh.* (*c. l. p. 128.*). De alio majori admiratione digno à Serenissima Regina Prussiæ & Electrice Brandeburgica sclopeto per dextrum cordis ventriculum trajecto trucidato, legatur relatio *illustris Nostri Præsidis Dn. D. Lucæ Schraeckii* (*M. C. D. 2. A. 5. obs. 4. p. 8. sq.*). Lepus glande medium cordis perfossus ad teli jactum adhuc cucurrit. (*Jul. Alexandrin. ap. Joh. Schenck. c. l.*); Canis corde vulneratus latravit & aufugit (*Heer c. l. p. 156.*); Suem in cordis mucrone vulneratum vidit *Anton. Musa Brassavola* (*comment. in s. 6. Aph. Hippocr. 18.*) qui per horam ferè supervixit & comedit, & non nisi ex iterato vulnere obiit. Vidit. *Hermann. ab. Heer* (*c. l. p. 157.*) *Felicem Platerum* cor porci domi sua mactati in Anatomicum Theatrum afferentem ostendisse, bacillum acutum, digitum minorem puerilem longitudine æquantem, in cor dicti porci adactum Examinatus Scrofi pascus quando tereti bacillo, quo porcos agebat ictum hunc inflixisset, plus quam semestre esse respondit.

§. 30.

Silentio hic prætereundum minimè puto, quod de motu Epatis Capræ extracti ex antiquioribus *Flavius Josephus* (*l. 6. Antiquit. Judaic. c. 14.*) in medium

dium affert: *Melcha* parato lecto tanquam ægrotanti *Davidi* (historia *extat 1. Samuel c. 19. v. 13.*) stragulis jecur capræ recens exemtum subjecit, diluculoque venientibus, quos pater *ad Davidem* miserat, ostendit lectum opertum, & quod palpitatione jecoris stragulam moveri viderent, maritum ægrum anhelare persuasit, addens totam noctem inquietam Eum exigisse: *Josephi* assertum arripit *Theodoretus* (*in 1. Reg. qv. 39.*) & è Recentioribus *Jacob. Tirin.* (*in l. 1. Samuel. c. 19. v. 13.*): Epar Capræ recens extractum palpitare posse credit. Ut non afferam è Theologis injuriam textui Hebræo inferre hanc interpretationem, quod *Matth. Polus* (*Synops. Critic. in h. l. col. 1325.*) & *Gregor. Michaëlis* (*Not. in Jacob. Gaffrell. Curios. 44. p. 209.*) demonstrant, id etiam experientiæ Medico-Anatomicæ, imò ipsius Epatis Parenchymatis structuræ repugnare Tyro in Medicina advertet.

§. 31.

Moventur & aliæ brutorum partes. Siluri piscis ventriculus eductus ultra diei spatium vitam traxit, diversos motus edendo, *observante id curiosissimo & exercitatissimo Anatomico Collega nostro venerando Dn. D. Philippo Jacobo Hartmanno* (*M. C. Dec. 2. A. 7. obs. 40. p. 81.*). In lupo ab intruso Napello demortuo cum Diaphragma non amplius moveretur, ventriculus nunc in antro pylori, nunc in medio se contra habebat, ibique gracilior, imò quandoque angustissimus evasit, versus stomachum verò intumuit, mox constrictus iterum laxabatur, atque crebris vicibus istæ ventriculi constrictiones & dilatationes alternabant. Intestina motu peristaltico se movebant, nec tamen posse constrictiones ventriculi dilatari videbantur, imo post iteratos suos motus peristalticos angustiora manebant, quamvis nihil per alvum quoque excreverit. Hæc ut observavit, literis mandavit *Joh. Jacob. Wepfer.* (*Hist. & Nox. Cicut. Aquat. c. 11. hist. 2. p. 179.*) A vomitorio cani dato post aliquot horas vomentem canem dissecabat *Anton. de Heide* (*centur. obs. Med. 92. p. 191.*) & neque motum præter naturalem in intestino neque in stomacho vidit. Carneæ verò œsophagi fibræ, mortuo etiam cane convellebantur. Recenter occiso animali, apertoque confestim abdomine intestina, se se undoso motu contorquentia oculis usurpavit *Guilh. Harveus* (*de Generat. Anim. Exerc. 65. p. 285.*). Intestina sturionum vivere dissecta & moveri reptione *J. C. Scaliger.* (*c. l.*) commemorat. Uterus exsectus vitæ motusque indicia non semel exhibuit, profitetur *Joh. Marcus Marc.* (*p. 4. Philos. Vet. restit. subs. 3. p. 404.*). Undosum & destudineum motum quasi uterus esset animal in animali, motumque proprium exerceret, percepit *Laudatus Harveus* (*c. l. Exerc. 68. p. m. 293.*) Cornum uteri instar

lum-

lumbricorum se moventia sæpius conspexit *idem (c. l. Exerc. 65. p. 285.)*. Plura de uteri vita & motu *supra (Diss. de Cadav. §. 103. & l. 1. Tit. 9. §. 12.)*. In pedibus araneæ avulsis motum per bene longum tempus superesse videmus. *(Vid. Dan. Georg. Morhof. Stentor yaloclast. c. 16. p. 222.)* De caudis animalium abscissis se moventibus *Alex. Aphrodis. (l. 2. probl. 33.)*. De cauda Torpedinis *Fr. Redi (Experiment. Natur. p. 66.)* Caudæ aut aculei Vesparum, Apum, Fucorum abscissi pungunt adhuc vulnerantque cutem. In exuviis Viperæ manifestum circumgyrationis motum per plusculum tempus *Joh. Jacob. Harder. (Apiar. obs. 3. p. 9.)* descripsit. Majus est viperam suspensam post detractam pellem, omniaque exemta viscera post biduum & etiam ulterius ex observatione *Dn. D. Michaëlis Ettmülleri, amici quondam conjunctissimi (instit. Med. c. 1. §. 10. p. 2.)* vixisse. Resectum cum cartilaginosa costarum parte sternum per intervalla subsultasse, quibusdam casu observatum tradidit *Nicol. Steno (Myolog. Specim. p. 78.)*. Musculos animalium occisorum & detruncatorum diu se movere observavi, *ait Nathan. Highmor. (l. 2. Disquis. Anat. p. 2. c. 3. p. 137.)* innuit id *divinus Poëta (l. 1. Æneid. v. 210.)*: Cervarum

Tergora diripiunt costis, & viscera nudant,
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt.

Pilos Phocæ seu vituli marini pelle detracta mari inquieto se erigere, pacifico in planum sterni. Sicque maris status in re insensata & mortua deprehenditur, Botnici Nautæ prognosticum suscipiunt ex vestitu proprio de pellibus hujusmodi composito. *Hæc Olaus Magnus (l. 20. Hist. Gent. Septentr. p. 510.)*

§. 32.

Dividuntur in Ægypto malefici, quod è *Joh. Leone Africano (l. 9. de Subtil. p. 499.) Hier. Cardan.* inseruit, supplicii causa à Carnifice, superpositaque superiore parte foco, ubi calx viva sparsa, supervivunt per quandam horæ partem, agnoscunt, & responsa dant. Pluribus hoc supplicii genus etiam Turcis usitatum, delineavit *Sandys (l. 1. Itinerar. p. 146. sq.)*, cui relationi quis fidem dabit? Ego quidem pro ea non sponderem, Tyronibus insectionibus Anatomicis ignotum esse non potest læsa & divisa vasorum magnorum biga, ut hujus solum mentionem faciam, arteria magna & vena porta, ob Hæmorrhagiam insignem oppido insequi Epiritum dispersionem, profusionem vivifici Nectaris concomitantem, & in momento quasi ipsam mortem. Quid in ista discissione non contiget? Quid non in Medullæ spinalis violenta divisione? Sensus & motus facta divisione in momento deficient. Interim notabilis illa *Guiberti Abbatis (l. 7. c. 11.)* historia. *Gothofridus narrat*, cum membris exilibus esset, & mini-

minimum proceritatis idoneæ, eloquio quidem lepidus, ſerenitatis immodicæ, armorum in illa expeditione (recuperandæ Palæſtinæ) Dominicæ ſe præbuit ſtrenuitate expectabilem, ita ut teſtimonio verace probabile id de ipſo præclari facinoris cantitetur: Turcum eum illoricatum, equo tamen vectum apud Antiochiam ſuper pontem Pharpharis obvium habuiſſe, huicque ilia tàm validè gladio trajeciſſe, ut corporis truncus decidens terræ procumberet, & crura ſedentia pertranſiens equus efferret.

§. 33.

In inſectis v. g. Muſcis, veſpis, crabronibus, apibus, formicis, papilionibus &c. diſſectis, comprimis ſi in ipſis inciſuris dividantur, in partibus diviſis etiam per diem & ultra vita ſupereſt & motus. De Serpentibus Lumbricis ſimilibusque vermibus, item Centipedis idem in trivio notum, de quibus *Andr. Libavius (l. 16. Hexaëm. ſ. 16. p. 578.) Auguſtin. (l. de Quantit. Anim. c. 31.)* teſtatur ſtupefactum ſe vidiſſe in agro Ligurino vermiculum multipedem, quem ſtylo percuſſum unus ex diſcipulis Ejus in duas partes ſecuit, quarum utraque in diverſa fugiebat loca, De Salamandra *Nobiliſſ. & Excell. Dn. D. Joh. Paul. Wurfbain, (Salamandrol. c. 9. §. 31. p. 77.)*: Si viva gladio in duas partes diſſecetur, pars anterior progreditur, poſterior retrocedit. Ay, Americanum ignaviſſimum Animalium diſſectum, contumaciter tuetur fibrarum motus, quod *ex Guilielm. Piſone* recitat *J. N. Pechlin. (c. l. p. 154.)*

§. 34.

De piſcibus exenteratis (*in Moſell. v. 170.) Auſon,*

Vidi egomet quosdam leti ſub fine trementes
Collegiſſe animas: mox in ſublime citatos
Ferrum ſubjectum præceps dare corpora in amnem,

Sed & ſi in aliquot partes diſſecentur vitæ & motus indicia præſtant: Orphus piſcis diſſectus non ſtatim immoritur, ſed motum, *autore Æliano* (*l. 5. Hiſt. Animal. c. 18. p. m. 275.*), retinet. In libro magni nominis (cui titulus *beneficium Animorum*, cujus auctor *Abuhamed* Hiſpanus) legitur, in mari Græco piſcem eſſe cubitalem, Thalb nomine, qui in minimas partes diſſectus moveri non deſinit. Et ſi torreatur ſuper carbones ex igne in coqui faciem inſilit. Et caput ejus conjectum in ollam, lapide aut ferro obſtructam ne exeat, non coquitur, neque moritur. Hæc ex illo *Samuel Bochartus* (*p. 2. Hierozoic. l. 6. c. 15. n. 7. p. 863.*). Marinus pulmo in fruſtula diſſectus nihilominus vivit. Polypus in tomos ſectus omnibus ſuis partibus diu vitam retinet, ut *J. C. Scaliger. (c. l.)*, nec in noſtris piſcibus culinariis teſtimonia deſunt, dummodo quis cyprinos & lucios diſciſ-

ſos oculis uſurpet. Hoc etiam apparet in carne anguillarum, quæ poſt excoriationem, exenterationem, & in fruſta diſſectionem motum retinet, ut habet *Guilh. Harveus* (*Exerc. Anat. 1. p. 42.*), quod & de cordis particulis (*c. l. p. 41.*) notavit. Fruſtillatim conciſa limax, longo vixit tempore, *ap. Joh. de Muralto* (*M. C. D. 2. Ann. 1. obſ. 159. p. 148.*). Vituli recens mactati carnes tremunt, videt quivis, teſtatur ſcriptis *Fortun. Licet.* (*l. 1. de Spont. Viv. Ort. c. 149.*). Cor è corpore exemtum, nullo ventriculorum ſervato ordine, ſi ſecundum longitudinem, vel transverſim, utcumque libitum fuerit, in plura fruſtula diſſecetur, nullis ſervatis ventriculis (qui occludi debent, antequam latera elevari poſſint, in auram alias abiret elevantis ictus) unumquodque fruſtulum aliquandiu ſalit, imò ſeſe contrahendo & erigendo ambientis aëris moleſtiam conatur excutere, poſtque ſingulos inſultus (quibus fruſtula minora fieri facilè cernitur, præcipuè ſi majora inſpiciantur) laxatum concidit, ab opere deſiſtit, & poſt quietem exilem primo ſatis brevem, tandem longiorem erectionem repetit, diſcurrit *Jacob. Back.* (*tr. de Corde ſ. 3. c. 3. c. 2. p. 203. ſq.*). Idem ante hunc *Joh. Walæus* (*Epiſt. de Morb. Chyl. ad Th. Bartholin. Annex Anat. Reform. p. m. 557.*) conformavit. *Confer. Richard. Lower.* (*tr. de Corde c. 2. p. 66.*)

§ 35.

Miro miraculum quaſi ſubjungo. Coëunt iterum in ſe, ſeque unire geſtiunt viperarum, lacertarum, ſerpentumque partes diſciſſæ, *juxta Ælian.* (*l. 2. Hiſt. Animal. c. 23. p. 102.*). Credidit id etiam *Aur. Theophr. Paracelſ.* (*Chirurg. Magn. tr. 1. c. 7. p. 30.*) & nomen pulverum glutinantium (*κολλητικῶν*, *der Hefft Pulver*) inde deduxit. Vid. de Lacertis & Lumbricis *J. B. Porta* (*l. 5. Phyſiognom. c. 12. p. 324.*). De Echino piſce iterum *Ælianus* (*l. 9. c. l. c. 47. p. 554.*) & ex eo forſan *Cornel. Agrippa* (*l. 1. Occult. Philoſ. c. 38. p. 45.*) Echinos adhuc viventes obductos teſta, atque aculeis communitos, ſi quis contriverit, & alia ſeparatim ab aliis fruſta in mare abjecerit: Hæc tamen cohærentiam inter ſe faciunt, & affinem partem recognoſcunt, & applicata cohæreſcunt & velut conſeruntur, ſimul & naturali rurſus quadam conciliatione integrantur.

§. 36.

Simile de *S. Stanislao Cracovienſi Epiſcopo* recitant aut potius fabulantur *Joh. Longin.* (*in Vita Stanislai ap. Laurent. Surium Tom. 3.*) & ex hoc *Simon. Majol.* (*Dier. Canic. Colloqu. 4. p. 151.*) & *Heinr. Kornmann.* (*p. 4. m. m. c. 42.*) quod à Rege fuerit tanta ſævitate peremtus, ut corpus Ejus in ſexcentas diviſum partes. Queis collectis, & ſuo ordine compoſitis Divina Clementia adeò affulſit, ut omnes ſimul agglutinarentur, conſolidarenturque, ut nulla cicatricum

vestigia apparerent. Et cum digitus unus in lacum fuerat abjectus atque à pisce devoratus, pisce illo forte fortuna capto, inventus est digitus, admotusque suo loco, & ipse consolidatus. Post quadraginta dies *immani* (ita Sancti apud Persas vocantur) *Hussein* caput iterum coadunatum corpori fuisse è Persarum traditione narrat *Thevenot.* (*l. 2. Itinerar. Orient. c. 15. p. 160.*). De Johannis Baptistæ capite tradidit *Nicephor.* (*l. 1. Hist. Eccles. c. 19. p. m. 69.*), *Herodiadem Johannis* reprehensionem esse veritam, conjungereque illud reliquo corpori timuisse. Trunco igitur aliud contigit sepulchrum, aliud, idque abstrusius, capiti. Non opus fuit his sanctis illud vulgi remedium, de quo *Burchard.* (*l. 19. p. 272.*): Homini occiso unguentum dant in manus, & cum eo sepeliunt, ut illo unguento vulnus sanari posset.

§. 37.

Verum satis Exemplorum. Ad rationis & veritatis Cynosuram hæc tandem examinanda. Fiet id commodissimè, si motus naturam paucis repetam & præmittam. Duos actionum naturalium fontes proposuit *Galenus* (*de Simpl. Morb. caus. c. 1.*) φύσιν καὶ ψυχὴν Naturam & Animam, inde suam illa motus in naturalem & animalem originem traxit distinctio. Illum dicunt fieri Natura urgente, eumque potestatis nostræ recusare imperium, & hoc motu viscera moveri, cor & arterias pulsare, hunc appetitu movente de consilio & voluntate animalis suscipi & perfici, & competere musculis & nervis. Hanc ipsam verò divisionem admittere, ratio non admittit. Utrique mortui præsidet Natura, utrique Anima. In utroque instinctus Naturæ & Animæ facultas elucet. Imperat aliquando Natura, Anima auscultat; auscultat contra imperanti Animæ vicissim Natura. Inde sæpius Anima Naturam, Natura animam denotat, aut saltem Animæ instrumentum calidum innatum, quod declaravit *Anton. Deusing.* (*Exerc. de Natura §. 9. & 10. p. 253.*), adeò quod concurrant invicem, ut motus & actiones earum non ita facile discerni possint.

§. 38.

Sed hæc obiter. Haud difficulter fortasse nodus solvitur, si gradus motus distinguas ejusdemque subjecta. Externum movens objectum est sensus externus sensibili specie afficiens, quæ inde ad internum sensum transmissa apprehenditur, cognoscitur, æstimatur, sive bona, sive mala sit. Ad dictamen æstimativæ facultatis exurgit appetitus in brutis sensitivus, in homine rationalis motricem facultatem animalem impellens ad persequendum bonum, aut fugiendum malum, sive revera sive apparenter tale sit. Movens internum est motrix facultas animalis, seu anima sensitiva. Instrumentale commune spiritus, immediatum

ſeu proximum muſculus, aut rectius (cum muſculus nil aliud ſit, quam fibrarum collectio, aut faſciculus, aut è febris conſtituta textura) fibræ muſculi motrices, ut accuratè *accuratus Anatomicus Nicol. Steno (Myolog. Specim. p. 11. & 12.)* ſecundum ſuas differentias (*p. 28.*) conſideratæ. Plura qui deſiderat, adeat comprimis *Guerner. Rolfinck. (l. 3. Diſſ. Anat. c. 8. p. 285.). Anton. Deuſing. (Exercit. de Mot. Muſc. §. 7. ſq. p.). Joh. Theodor. Schenck. (Synopſ. Inſtit. Med. l. 1. ſ. 3. Art. §. 56. p. 45.)*

§. 39.

Cum igitur motus ſit à ſpiritibus, ſpiritus autem inſeparabilem ac dirigentem Comitem obtineant animam, ut *Nathan. Highmorus (de Paſſ. Hyſter. c. 11. p. 105.)* loquitur, in proclivi erit, de motu cadaverum judicium ferre, ſcilicet Anima à corpore ſeparata, Ejusque cum corpore vinculo putato ſpiritibus, nec moveri poterit cadaver, ſive ſecundum totum, ſive ſecundum certas partes.

§. 40.

Nil obtinet *Joh. Marc. Marci*, quando motiones in corporibus mortuis non organicas, ſed naturales vocat, qualis motus Cucumeris ad Aquam & hujus ad Lunam. *(p. 4. Phil. vet. reſtit. ſubſect. 2. p. 400.)*. Non enim ſtans, & ſi ita loqui liceat, mortua & putrida ad Lunam movetur, ſed Aqua marina & fluminis ob ſenſum, quem eidem tribuit *Thomas Campanella (l. 3. de Senſ. Rer. c. 12. p. 242.)*, ut credendum ſit, lunæ mariſque motum vel ab alterno alterum, vel à communi quopiam principio gubernari, ut *ſubtilis ingenii & judicii Philoſophus & Medicus Georgi. Baglivi. (tr. de Fibr. Matr. & Morboſ. p. 266.)* philoſophatur. Neque Cucumis putrida aut à Caule reſciſſa & marcida, ſed è ſarmento ſuo pendes ſubditum oleum refugit, ita, ut reflectendo ſe curvetur in ſinus, Aquam contra appetit propterea quod ejus conſtitutio aqua permulta confecta ſit, ut *J. C. Scaliger (Exerc. 101. ſ. 10. p. 356.)* loqui amat, & aqua congelata videatur. Idem de Cucurbita *(c. l. c. 14. p. 255.)* promit *Th. Campanella*, quæ, ſi eidem olei vas ſupponas, aliorſum ramos expandit revolvitque, eo quod odoratum habet, per poros exhalationes admittendo. Nec accurate Philoſophari videtur *Paul. Zacchias (l. 4. quæſt. med. leg. 10. n. 57. p. 365. & Conſil. 67. n. 14. p. 130.)*, aſſerendo, hujusmodi motus ex convulſione à putredine excitari, vel à flatu, vel aëre externo.

§. 41.

Supra (*§. 5.*) *è Tertulliano* allegata fidem vix merentur. Motus Sarcophagi Eudoxiæ non ritè expreſſit *Nicephorus*, in quo conſtiterit, nec aperta *Gualterii* ferali arca curioſè in corporis ſitum inquiſitu, ſed ſolo auditu ſo-

nus

nus feralis haustus est. Dicendum igitur, hunc non à corporis concussione, & violento motu, sed potius ab asseribus arcæ dislocatis provenire, succurrit *P. Borelli* (*cent.3. obs.97. p.274.*) observatio, cui quotidiana favet Experientia. Ingentes & quasi tormenti pellici, ictus sæpe supra caput in lacunari audivit tota nostra familia, ascendimus, supraque nil percepimus, cum autem ego rem ad Magos (ad spectra sæpissimè transfertur, Cobaltos quos vocant, vulgi sententia) detorquendam non esse concederem, diu cogitans, unde hæc procedere possent, tandem inveni, hæc venisse è clavis quibusdam asserum, qui ob earum tumefactionem à tempore nimirum humido conatum facientes eos extra sedem expulerant. *Hæc Borellus*, quibus addenda censeo, in asserum & trabium constitutione etiam multum situm esse. Quodsi trunci à ventorum diritate sæpius Arbores contortæ fibrarum rectitudine deperdita obliquitatem assumserunt, & tandem vi ventorum in terram prostratæ & eradicatæ fuerint, (*Windbrüchig worden, Windbrüche abgegeben*) asseres ex illis sectæ, si iis solum compingatur, fibris rectitudinem aspirantibus magnos fragores, sonusque horribiles non rarò concitant. Ita in Trabibus medullæ elater rimas & fissuras efficit, validaque fibrarum discissione & explosione metum audientibus incutit.

§. 42.

Quis vero ausit dicere, mortuos ambulare? In vitam revocatos forsan debuisset scribere *Horstius*, aut Evestra vultus eorum repræsentasse. Quæ *Marcus Marci* prodidit, conjecturæ sunt; quæ *Nicephorus*, fabulæ. De suspensis res incerta, non etenim quod convertantur ad solem, *Cardanus* prodidit, sed converti dicantur. Et si more apud nos usitato suspendantur, minimè converti poterunt. Et de Physa pisce & Hirundine marina forsan non ita curiose inquisitum. Multa namque non satis comperta suis inseruit, ut quidem primo aspectu opinabatur *Kircherus*, ut Browne dubitatio non innanis sit. Serpentem submoveri ad ignes, nescit an admittere debeat *P. Zacchias* (*l. 4. Quæst. Med. legal. Tit. 1. qv. 10. n.36. p.365.*), an dicere potius, ex calore ignis contrahi in semetipsum, non autem verè vivere?

§. 43.

Manus rigida, talis namque esse debuerat, *Vid. Joh. Theod. Schenck.* (*l. 1. Exerc. Anat. 2. s. 1. c.30. p.179.*) & incurvata à Moniali extensa in pristinam figuram recurrens eam comprehendere visa est.

Et quid non fœmina credit?

Contractionem hanc convulsionis speciem prodidit *Anton. Santorell.* (*Post-Prax. Med. c.21. p. 60.*) *Wiborada* vero membra rigida tandem post aliquot

dierum ſpatium elapſum flaccida, quod tota die in cadaveribus viſitur, extenſionis factæ opinionem ſuggeſſerunt credulis. Acus, Eſſentia Tabaci imprægnata, trajecta vipera ante quadrantem horæ inſtar æris riget, poſt iterum molleſcit, & ita per aliquot dies manet, *Moſ. Charas (Experim. de Viper. ſ. 7. p. 91.)* obſervavit. Rumor de morte *Marqv. Slegelii* inanis fuit, ſuſtulit namque Eundem è vivis febris maligna, quod ad *Georg. Segerum* Hamburgo ſcripſit *Mich. Kirſten. (Epiſt. de Lymph. Bartholin. 7. p. 59.)* & ad *Th. Bartholin. Heinric. à Mœnichen (Cent. 2. Epiſt. 50. p. 569.)* Adde (*l. h. Tit. 2. §. 13.*). Quæ de *Cliſthene feſtivus Ariſtophanes*, ſcomma eſt, ut dixi, & quidem in illum, qui ſe cum *Cliſthene* cultu indecoro velut in mulierem transfigurat. *Cliſtheni* namque mos fuit ſemper de raſa barba eſſe, ut juvenis videretur, ut de illo *Eraſmus (in Adag. edit. noviſſ. p. 410.)*

§. 44.

An amputato capite, aut evulſo corde homo oppido pro mortuo ſit reputandus? Si quæras, talem morti potius vicinum quam mortuum dixerim. Interim mentem & rationem huic conſtare iterum iterumque dubito. Remanet in corpore diviſo Anima ad breve tempus (*Conf. Marcum Marci Phil. Vet. Reſtitut. p. 3. ſubſ. c. 336.*), aut in brutis rectius & verius ſpiritus, ideoque *Hier. Cardan. (l. 7. de Var. Rer. c. 27. p. 276.)* animalia avulſo corde non verè vivere, quia abeſt anima, ſed conſuetudine ſpiritus imbuta agitari. Non vivere Anima principio, ſed inſtrumento Ejus proximo, (ſpiritibus) adhuc in membris reſiduo *Andr. Libav. (l. 6. Hexaëm. ſ. 35. p. 575.)* opinabatur. Spiritus hos eſſe vel ramoſos vel cellulatos *Franc. Baco de Verulamio (Hiſt. Vit. & Mort. col. 564.)* philoſophatur. Ramoſi ipſi ſunt, permeantes per parvos ductus, tanquam lineas, ut ſibi continuentur; Cellulati, qui cellam obtinent, ut non tantum ſibi continuentur, ſed etiam congregentur in ſpatio aliquo cavo in bene magna quantitate, pro analogia corporis, atque in illa Cella eſt fons Rivulorum, qui inde diducantur. Ea Cella præcipuè in ventriculis Cerebri, qui in animalibus ignobilibus magis anguſti ſunt, adeò ut videantur ſpiritus per univerſum corpus potius fuſi, quam cellulati: ut cernere eſt in ſerpentibus, Anguillis, Muſcis, quorum ſingulæ portiones abſciſſæ moventur diu. Etiam Aves diutius capitibus abſciſſis ſubſultant, quoniam habent parva capita & parvas cellas. *Hæc Verulamius.* Et in his vitales ſpiritus laxè per omnes partes diffuſe exeunt, minusque organis affixi, quam in perfectis animantibus, *juxta Eundem (Sylv. Sylv. Cent. 7. Experim. 697.) col. 895.)*

§. 45.

Impetrarunt à Rege (Bohemiæ) & Ordinibus Medici: Liceret probatione

ne experiri & periri & periculum facere in Adolescente decollando, utrumnè vita in ictu illo fatali (seu Messi Cervicis, ut *Tertullianus l. de Anim.* loqui amat) tam graviter læsa aliquo tempore sustentari possit. Ubi igitur Adolescenti illi Hradczam in Arcis Regiæ conspectu Pragæ, ubi primum à carnifice demessum caput, alii Chirurgorum (diviserant enim officia) truncum corpus in momento elevavere & venas nescio quo unguento subito perunxere, alii mox caput jacens in collum reposuere & venarum oscula venis aliis claudere conabantur, quo tandem utcunque feliciter perfecto aliis immotè corpus & caput tenentibus alii Emplastro quodam linteolis calidissimis colligavere, tum Medici ad confortandos vires versi odoratissima quæque naribus opposuere, sic ut jam revera recreari, atque etiam nictare (id vero non vitæ, sed capitis non ritè firmati potius fuit indicium) cum totius populi secundissima vociferatione inciperet. Elevatus deinde lentissimè & tractus magis quam ductus in vicinam domum postquam parva vitæ indicia dedisset inter Medicorum & Chirurgorum manus sine dubio vulnere illo debilitatus, & sanguine forsitan, qui semel efferbuerat, & contineri jam non poterat, expiravit. Hanc narrationem *D. Joh. Marci Marci (Decad. 1. l. 3. Misc. Hist. Bohem. c. 18. §. 4. p. 215.)* inseruit *Bohusl. Balbin.* Hoc verò tritum confirmat, frustraneum esse τὸν νεκρὸν ἰατρύειν, mortuo medicinam facere, cui γέροντα νουθετεῖν, senem admonere aut docere ταὔτον εἶναι proclamavit *Diogenes* (Vid. *Erasm. in Adag. edit. noviss. p. 319.*)

§. 46.

An capitis aut Cerebri, an cordis defectus citius mortem inferat, definire haud facilè est. Cerebri vulnera mortem non ita occelerant, nisi sint magna & profundiora, atque cordis, si ventriculos penetrent. In his namque subsequens Hæmorrhagia oppidò syncopen, & paulò post mortem inducit. In brutis non sanguineis, quibus succus vitalis lentus, viscidus & mucilaginosus, illi spiritus vitales inviscat difficulter difflatur, corporis dissectione, decollatione facta vita non ita in præcipiti est; In sanguineis verò ob instantem Hæmorrhagiam, & capitis detruncatio, & cordis evulsio præsentaneum lethum accelerat. Hæc Hæmorrhagia, si in evulsione cordis præcavetur, de quo è *Columbo* Experimentum in cane factum *supra* (§. 21.) recensui. In decollatis motu cerebri cessante, cordis motus & pulsus non oppido feriantur, & Rana extracto corde subsultat & natat, Cerebro læso in momento expirat. Vid. etiam *supra* (*§. 20.*) inseruit ex alio Autore *(Sylv. Sylv. Cent. 4. Experim. 100. col. 839.) Franc. Baco Verulam.* cui quidem fidem deferre nequeo, & inter ficta & fabulosa habeo: Capi-

pite porcelli aperto Cerebrum exemtum palmæ alicujus impositum palpitasse, nulla cerebri parte læsa & absque separatione à medulla spinæ. Toto hoc intervallo temporis porcellus ad visum mortuus fuit, omnique motu destitutus. Paulo post reposito in locum cerebro, clausoque porcelli cranio, ille paululum obambulavit.

§. 47.

Capite resecto, aut corde humano aut brutorum extracto, quædam verba, aut clamores & mugitus audiri impossibile non est. In extrema calamitate & periculo mortis constitutum subjectum vires colligit, mortis ut evadat & evitet præsentaneæ terminum. Nunquam clarioribus radiis sol splendet, *inquit Th. Bartholin. (Hypomn. 1. de Cruc. Christ. §. 11. p. 78.)*, quam jamjam occiduis aquarum mergendus. Momentanea tamen illa est possessio, quia lumen vitale, ut *Helmont. (tr. Blass Human. n. 24. p. 147.)* loquitur & judicat, discontinuitatem diu non patitur, & una cum sanguine spiritus extravasantur, cum spiritibus autem lumen vitale (spiritus enim huic immediatum hospitium) extinguitur.

§. 48.

Distinguendum etiam inter motum sensitivum s. naturalem, & convulsivum s. præternaturalem. Aliud namque est, secundum *H. Guilh. Harveum (de Generat. Animal. Exerc. 57. p. 247.)*, musculum moveri aut contrahi; aliud verò eundem variis contractionibus & relaxationibus regulatis actionem aliquam perficere, utpote progressionem vel apprehensionem. Certè musculi vel organa motoria in spasmo & convulsionibus à causa aliqua irritante non aliter movetur, quam Gallus aut Gallina, quæ detruncato protinus capite multis quidem pedum, alarumque convulsivis motibus agitatur, sed confusis omnino & irritis, quoniam potestas cerebri ablata est, & sensus communis evanuit, cujus antea moderamine cum rythmo & harmonia motus illi ad progressum aut volatum regulabatur. Eò etiam *P. Zacchias (c. l.) & Nathanaël Highmor. (l. 2. Disquisit. Anat. p. 2. c. 3. p. 137.)* inclinant.

§. 49.

Quocirca si caput abscissum oscitet, subsultet, truncus tremat, artus moveantur & oculi cum ore & lingua, si ablato capite volet avis, ambulet brutum, (parum abest quin inter figmenta illud referat *Gisbert. Voët. p. 2. Disp. Select. p. 932.*), caudam moveat piscis, convulsivus reputetur motus, non sensitivus & naturalis, à spirituum motu confuso, & aëre ambiente frigido, quod addunt *Fortun. Licet. (l. 1. de Spontan. Viv. Ort. c. 14.) & Jacob. Backius (Tr. de Corde s. 3. 6.*

3.c.2.p.203.). Quin in cerebro ortus nervorum ac proinde principium motus, quid mirum, si rescisso capite potentia motrix à reductione nervorum in motus momentaneos erumpat? judicat *(l.4.de Hom.propos.13.p.362.)Honoratus Fabri.* In particulis vivi cordis dissectis & corpore exemtis, *refert* (*c.l.*) *Joh. Walæus*, ubi in illis conflictio desiit, relinquitur quædam palpitatio, sed ea alterius generis motus est (à naturali nempè cordis motu distinctus) à spiritu in carne detento, & quærente exitum, aut particulis quibusdam sanguinis activis (quid autem sanguis absque spirituum concursu agit, aut agere poterit ?) fibris motricibus impactis. *Conf. Richard. Lower. (de Corde c. 7. p. 70.). Martin. Schoock. (Phys. General. Disp.3. th.22.p.99.).* In fibris partium sensus alicujus & motus instrumentum inhærere, nec tàm citò, ut alibi, evanescere, suspicatur *Joh. Jacob. Wepfer. (Hist. Cicut. Aquat. c.8. p.91.).*

§. 50.

Rejectis spiritibus, quid enim cum nihil moveat seipsum, moveret illas? Cum sint *secundum Mart.Kerger. (l.1. de Ferment. c.14.p.24.)* tantum instrumenta Animæ, adeò, ut neque malleus sine Fabro aliquid cudere, neque spiritus sine anima aliquid movere *(Vid. Diss. de Cadaver. s. 1. §. 150.)*, ad potentiam motricem, quæ fibris illis inest, confugit *Honorat. Fabri (l.4. de Hom. & Brut. prop. 13.p.362. & l.6.prop.12. §.6.p. 460.).* In fibris partium sensus alicujus & motus instrumentum inhærere, nec tàm cito, ut alibi evanescere, suspicatur *(Hist. Cicut. Aquat. c. 8.p.91.) Joh. Jacob. Wepfer.* Sui ipsius oblitus est *H. Fabri*, unde namque potentia motrix, nonne Animæ est facultas, & spirituum, quibus tanquam instrumento Anima utitur sensitiva? Quod si ad levioris calidi misturam dissecti pisces moveantur, effœtis intra fibras spiritibus vi elastica auctis id ascribit *J. N. Pechlin. (de Aër. & Alim. def.c. 4.p.53.).* Dum denique musculus contrahitur, singulæ in eo fibræ motrices fiunt breviores, ut *Nicol. Steno (c.l. p. 75.)* tumorque musculi contingit, *juxta Eundem (c.l.p. 37.)* fit, ut si musculum mortuum, *observante Galeno (l.1. de Mot. Muscul. c.8.)*, incidamus, totum per transversum sectum ad suos fines eundem contrahi videamus.

§. 51.

Cur vero pisces & insecta dissecta diu moveantur, antequam emoriantur, Causæ apud Physicos & Medicos præstant variæ. E potioribus sunt caloris in humore & Parenchymate lento ac viscido, *juxta Joh. Jacob. Wepfer. (de Loc. Affect. in Apopl. p. 25.)*, imbecillitas, quam vel carentia œconomiæ partium vitalium demonstrat. Plurimis Pulmonum loco vesiculæ, cor autem uno saltem instructum ventriculo, reliqua à quadrupedum visceribus planè diversa. Lu-

men illud vitale frigidum non incongruè vocat, & Lunare in piscibus (amphibiis & aliis, quibus sanguis est frigidus,) ut quadrupedum calidum & solare, *J. B. Helmont.* (*Tr. Formar. Ortus n. 87. p. 119.*) & *Seb. Wirdig.* (*l. 1. Med. Spirit. c. 10. §. 12. p. 32.*). Indigentque idcirco minori cerebri & Cordis influxu. Fecit igitur illorum vitam à plantarum non multum dissimilem *Aristoteles* (*l. 4. de Part. Animal. c. 6. p. m. 1181. & l. de Juvent. & Senect. c. 2.*). Nihil tam morosè vitam tuetur, quam quod lento & frigido præditum temperamento, iterum benè judicat (*c. l. p. 50.*) *Pechlin.*

§. 52.

Accedit succi nutritii viscíditas & paucitas, quem radicale humidum glutinosum pingue & lentum vocabat *Guilh. Harveus* (*Exerc. 1. Anat. c. 4. p. 41.*), cui spiritus irretiti non ita facilè dissipabiles, ut *Th. Willis.* (*de Anim. Brutor. D. 3. p. 41.*) opinatur. Vasorum demum angustia, quæ faciunt, ne humidum vitale mucilaginosum subitò, ut per Hæmorrhagiam in sanguineis animalibus elabatur, spiritus dissipet, vires infringat, mortem acceleret. Audi, si lubet *Steph. Roderici Castrensis* (*l. 2. de Meteor. Microc. c. 14. p. 83.*) ἐπίχειρον. Sonum, *inquit*, considera per aliquod breve spatium, postquam lyra quievit, in aëre relictum. Sic discendente vita aliquod momentaneum vitæ vestigium remanere agnosces, diutius in insectis, quia crassiores eorum spiritus, non ita facilè ignem deperdunt. Sic etiam in Aëre diutius remanet sonus, quam in tenui. Assentitur huic *sæpius citatus Pechlin.* (*c. l. c. 11. p. 154.*), quando ad spiritus ægrè dissipabilis viscositatem provocat. Huc spectant, quæ de formarum materialium divisibilitate, dum ad materiæ extensionem extenduntur, *juxta Henric. Kipping.* (*l. 1. Inst. Phys. c. 4. §. 23. p. 31.*), allegant *Joh. Sperling.* (*l. 1. Inst. Phys. c. 3. qu. 5. p. 145.*) *Honorat. Fabri* (*c. l.*) *Ludov. Oviedo* (*Comment. de Anim. Controv. 1. p. 6. p. 18. sq.*) *Joh. Poncius* (*Curs. Philos. Disp. 1. de Anima. qu. 8. conclus. 2. n. 110. p. 741.*) *Joh. Christ. Hundeshagen* (*de Plural. Anim. in Hom. §. 33.*) *Sebastian. Basso* (*l. 3. de Forma Intent. 2. art. 6. p. 263.*) Non inanis forsan, *acutissimi Verulamii* (*hist. vit. & mort. col. 564.*) doctrina: Spiritus vitalis duplex est, alter ramosus, tantum permeans per parvos ductus & tanquam lineas: Alter habet etiam cellam, ut non tantum sibi continuetur, sed etiam congregetur in spatio aliquo cavo, in benè magna quantitate pro analogia corporis, atque in illa cella est fons rivulorum, qui inde diducantur. Ea cella præcipuè est in ventriculis Cerebri, qui in animalibus magis ignobilibus angusti sunt, adeò, ut videantur Spiritus per universum corpus fusi, potius quam cellulati: ut cernere est in serpentibus, anguillis, muscis, quorum singulæ portiones ab-

abſciſſæ moventur diu: Etiam Aves diutius Capitibus avulſis ſubſaltant, quæ parva habent capita & parvas cellas: At Animalia nobiliora eos habent ampliores: Et maximè omnium homo.

§. 53.

Mortuorum loquela dudum *(l. 1. Tit. 5. §. 18.)* exploſa. Proſtat *Ariſtotelis* decretum *(l. 3. de Part. Animal. c. 10. p. 116.)*: Fieri non poteſt, ut caput præciſa arteria & ſine motu pulmonis loquatur. Nec apud Barbaros, qui capita ſumma celeritate abſcindunt, tale quid unquam eveniſſe accepimus. Qui execto corde lingua uſi in mortis jam ambularunt confinio, clamant aliquando ante mortem, ut aliàs agonizantium ſuſpiria crebra & altiora percipimus. Id à virium defectu, non muſculorum Laryngisve vigore. Vocem magnam oriri, profitetur *Ariſtoteles* (*ſ. 11. probl. 3.*), ex magna frequentique aëris motione. Et in extremo agone, commentatur *Th. Bartholin.* (*Hypomn. 1. de Cruc. Chriſt. §. 11. p. 78.*), fuligines cum ultimo aëre copioſius è pulmonibus ferè jam emortuis excluſæ vocis conatum adjuvant, facileque recurrens ſiniſter nervus, vocis organum, laryngi implantatus; quia exilis ſextiparis ramus ab exili ſpiritu repletus, præſertim quando relictis exterioribus ad interiora Cordis reſiduus calor recurrit. Is enim recurrens circa truncum Arteriæ deſcendentem quo ad ſpinam transverſus procedit, ante reſolvitur, quam ad Laryngem aſcendat, ut in tranſitu à vicinis Cordis Vaſis ſpiritu infletur. Diſputat ibidem etiam *contra Barthol. Nibuſinum*; qui virium robori clamorem CHRISTI in cruce aſcribit. Capite verò truncatus Paulus, ſi locutus, id Naturæ ſupergreditur limites.

§. 54.

Parum ad rem facit *Cicadas* abciſſo capite canere. Nemo enim ſonum huc ore fieri cenſuit, niſi qui è vulgo. Concuſſione alarum reddi ſonum (τετ]ίγειν Græcis, Latinis fritinnire dicuntur), cum Aliis voluit *Heſiodus* (*l. 2. op. & dier. v. 580.*). Alii contra à ſpiritu intus allidente ad membranam præcinctura obtentam, quibus etiam *Gerhard. Joh. Voſſ.* (*l. 2. Idolol. c. 27. & l. 4. c. 78. p. 1572.*) aſtipulatur. Plura ex antiquis *Joh. Joſton.* (*l. 1. de Inſat. c. 5. p. 38.*). E Recentioribus *Joh. Schwammerdam.* (*Hiſt. Inſect. General. p. 83.*) ita diſſerit: Noſtra experientia conſtat non fœmellas, ſed ſolos cantillare maſculos, quorum alis ſolum excitant ſonitum; quidam verò alis pediculisque junctim.

§. 55.

De vulneribus Cordis allegata noſtram non feriunt. Inſectorum autem

tem partes divisas iterum conjungi & coalescere, tum credam, ubi videro. In Lumbricis id non procedere, quamvis ita discindantur, ut certis quibusdam fibris adhuc cohæreant, propria edoctus experientia dico. Quodsi penitus discindas, potius à se invicem recedunt, quam coëunt discissæ partes, quod etiam in serpentibus animadvertere licet.

§. 56.

Verificatur ex ante dictis *Aristotelicum* : Cor esse ultimum moriens, ut primum vivens. *(l. 2. de Generat. Anim. c. 6.)* Limitat hoc assertum *Guilh. Harveus (Exerc. de Generat. Anim. 51. p. 192.)*, eique sanguinem substituit, eò quod Cordis auricularum motu planè extincto in ipso sanguine undulationem quandam & obscuram trepidationem (extremum vitæ indicium) reperias. Et cuilibet cernere est, *addit*, sanguinem ultimo calorem (pulsus vitæque autorem), quo semel prorsus extincto, ut jam non amplius sangvis est, sed cruor; ita nulla postliminiò ad vitam revertendi spes reliqua. Respondet *Edmund de Meara (in Exam. Diatr. Willis. de Febr. c. 4. p. 44.)*, sanguinem, ut aquam moveri ad motum vasculi, adeoque motus quoddam quasi simulacrum à motu Cordis in sanguine ad hoc vel illud momentum remanere, quæ sanè ratio non omninò nulla est. Ut verò minima non curat Prætor; ita & hic Anatomicus. Hic motus cum vix sensibilis & momentaneus, eundem non attendit *Nathan. Highmor. (l. 2. Disquis. Anat. p. 2. c. 6. p. 158.)*, sed quiescente corde oppidò motum sanguinis cessare docuit.

§. 57.

Auriculis Cordis detulere Alii, ipsius cordis Perenchymati *Aristotelici*, ut ex mox dicendis *(§. 57.)* patebit. Venæ cavæ partem, in qua undulatio illa advertitur, Cordi substituit *Nic. Steno (ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 25. p. 109.)*. Quin cor cum Auriculis, cum istud enunciaret, intellexerit Philosophus, nullus ambigo. De undulatione sanguinis in vena cava, ita se explicat *Rich. Lower. (l. de Corde c. 2. p. 70.)* : Arbitror illam nullo sanguinis intestino motu, sed vasorum à spiritibus per nervos ubique distractis corrugatione contingere: Non aliter quam spiritus in musculis ubique oberrantes motum illum tremulum diu protrahunt.

§. 58.

Antiquum hic suum obtinet *juratus Peripateticorum hostis J. B. Helmont. (tr. de Flatibus n. 16. p. 337.)* : Falsum *inquit*, cor esse ultimum moriens. Superstes namque adhuc vita musculorum, quæ insectis est potissima, adeoque & avulso capite muscæ adhuc avolant. Et muliere dudum mortua non raro

rò uterus ſuum profligavit fœtum. Omnis itaque muſculorum Convulſio ſive ex Colica, ſive ſumto laxante veneno (etiam nec guſtu perceptibili, neque deglutitione aut rejectione moleſto, quod epota infuſione Antimonii doctè declarat *Guilh. Harveus de Generat. Anim. (Exerc. 57. p. 245.)*, vel alio, non ex motu voluntario, ſed ex naturali ſenſatione, (Reſpondent hæc Harveanis *modo (§. 46.)*, allegatis. Vita illa *J. B. Helmontio (c. l. n. 14.)* eſt quædam ſenſatio & motus Blas in carne præter voluntarium) motuque muſculorum, non autem quod flatus tendens inteſtina etiam muſculos, efficienter tendat. Sed fumum vendit *Helmont*, aſſertique vanitas ex ante dictis ſatis ſuperque emicat.

§. 59.

Poſtquam igitur fato ſubjacet Corpus primò ſecundum *Tob. Knobloch (Diſput. Anat. 10. c. 3. p. 315.)* moveri deſinit Cordis mucro, deinde ventriculi conquieſcunt, poſteà baſis ſolis auriculis ſeſe diſtendentibus, & contrahentibus, quarum ultima diſſolutio eſt naturæ & vitæ extinctio. Accuratior eſt *Guilh. Harvei (Exerc. Anat. 2. p. 124.)* obſervatio, quæ ita habet: Prius, *inquit*, in moribundis à motu & pulſu ſiniſter deſiſtit ventriculus, poſteà ſiniſtra auricula, deinde dexter, ultimò auricula dextra, ita à quo incipit vitalis facultas & pulſus primò, deficit ultimo, qui & memoratam in vena cava undulationem (*Exerc. de Gen. Animal. 51. p. 192.*) addidit.

§. 60.

Motus iſte Cadaverum, aut partium emortuarum, ad aliquod tempus ſufflaminatus à variis Cauſis, perque varia media non raro aliquantiſper redintegratur. Θεῖόν τι aliquando concurrere, aliquando Magicum quid & præſtigioſum multi reputarunt. Cadavera Sanctorum divina virtute moveri poſſe, nemo controvertet, cum Dæmoni id non impoſſibile quidam pronuncient. Vid. *(§. 6. & 62.)*, mota vero aliquando miraculoſe fuiſſe, Papiſmum olet. *Agnetem de Monte Politiano Divæ Catharinæ Senenſi* pedem ori propius admoviſſe, ut facilius ſuperſtes virgo illum deoſcularetur, *P. Zacchias (c. l.)* credat, qui talibus delectatur. Forſan & *(juxta* §. *12.)* digiti in occiſorem directi, directionem divinam intimant. De manu erecta puellæ à Judæis trucidatæ, & in fluvium abjectæ, quæ extra aquam à piſcatoribus ducta, adveniente Marchione Badenſi corpore erecto reſidente tetendit manus ad Principem quaſi vindictam ſanguinis, vel forte miſericordiam imploraret, poſt horam verò dimidiam iterum ſe depoſuit defuncti more ſupinam, *Th. Cantipratanus (l. 2. mirac. memor. Exempl. c. 29. n. 22. p. 504.)* prodidit. Hujus

tumba lapidem Pforzenii adhuc in æde S. Michaëli Archangelo sacra, visitur, ipsaque puella Martyribus adjuncta ibidem colitur. *Vid. Joh. Heinric. Majus* (*in annotat. ad. Vit. Reuchlin p. 111.*). De *S. Augusti* corde Altari in Crystallo imposito ad S. S. Trinitatis hymnum, dum sanctus, sanctus intonatur se quasi piscis in Aqua movente, è Variis varia collegit *Heinric. Engelgrave* (*p. 1. cœlest. Panth. in Festo SS. Trinitat. §. 3. p. 237.*). De qua narratione quid judicet devotus *Christian. Scriverius* (*p. 3. des Seelen-Schatzes Conc. 13. §. 44. p. 1372.*) evolvi poterit.

§. 61.

Sanguis S. Januarii annis abhinc 1398. interempti Neapoli Vitro in sacro loco expositus ebullire monstratur, si capiti jungatur. *Vid. Heinric. Kornmann.* (*p. m. m. c. 14.*) *Jacob. Masen.* (*in util. Curiosit. c. 25. p. 527.*) *Laurent. Strauß.* (*Epist. ad Kenel. Digb. de Pulv. Sympath. p. m. 141.*). Id addo è *Joh. Bapt. Ricciolo* (*p. 1. Almagest. nov.*): Cruor ille nobilis, qui Neapoli quotannis coram venerando *S. Januarii Martyris* capite liquescens ebullit, non 19. Septembris, sed illa, quæ in Calendario Gregoriano est 19. per decem dies miraculo, perinde acsi sanguis in Romanæ fidei testimonium semel profusum iterum ac sæpius pro Romani Pontificis autoritate fundatur. Non posse naturalem illius eliquationis causam effingi, sed necessario ad supernaturalem recurrere oportere, *Anton. Santorell.* (*Post. Prax. Med. c. 22. p. 67.*) autumat. Posse vero, *Gabriel d' Emilliane* (*Itinerar. Epist. 4. p. 389.*) non impossibile tradidit. Ita verò *ille*: *Es ist mir diß schon genung, denselben desto eher keinen Glauben zu geben, weil ich weiß, daß dieser Liquor, oder Blutfeuchtigkeit wohl stokken und gerinnen und klumpigt werden mag, wie man dergleichen Saffte, z. e. Rosen-Zucker zubereitet, nachgehends aber wiederum resolviren und zerfliessen kan, theils wegen Wärme des Orts, da man solch Heiligthum dem Volcke fürzeiget, theils durch die warme Hände darinn sie es herum tragen.*

§. 62.

Adeamus & Poëtas. De Solis Bobus, ab *Ulyssis* sociis cæsis, *Homerus* (*Odyss. p. 1. v. 358.*)

Serpebant pelles, carnes ab Verubus imugiebant,
Assatæque & crudæ boum qualis fiebat vox.

DEUM in extis spirare, olim *Papin. Statius* (*l. 5. Thebaidos v. 76.*) cecinit:

Niger omnibus aris
Ignis, & in nullis spirat DEUS integer extis.

Exposuit id *Vetus interpres Lutatius*: Est quoddam in extis signum, quod DEUS ap-

appellatur, quod si integrum apparuit propitium Numen ostendit; Sin verò dimidium iratum significat Numen, aut certè non præsens. Fides sit penes Scriptorem, addidit *Casp. Barth.* (*in h. l. Stat. p. 112.*). Nihil tale nostri Scholiastæ, nec memini, quin tale quid nunc legatur. Cæterum Deos in extis salire, iterum *Statius* (*l. 8. Thebaid. v. 177.*) cecinit:

Quis mihi sidereos lapsus, mentemque sinistri
Fulguris, aut cæsis saliat quod Numen in extis.

Hoc ad vaticinationem Numinis, quæ in salientibus extis deprehenditur *laudatus Barth.* (*in h. l. p. 823.*) retulit. Hæc si non fabulosa, aut præstigiosè prodita, divini quid in recessu habere videntur. Paucis, fictiones sunt Poëticæ.

§. 63.

Ad Sathanæ, Magorum & Extispicum fallacias etiam quædam pertinent. Cuntii cadaveris lotura occupatæ mulieris, dum complicatas manus Cadaveris in latus reponunt, manus altera reducitur sponte sua in eam corporis partem, à qua rejectæ erant. Hujus post aliquod temporis spatium refossi, explorandi gratia indebatur dextræ baculus, quem cadaver compressis digitis arctissimè tenuit: oculi modo aperti, modo clausi, cumque erigeretur Cadaver, faciem primum versus septentrionem convertit, altero die versus meridiem. Et hic Cacodæmonis mancipium erat, dum erat. *Martin Weinrich.* (*de Spectris posthum. Ærigoniensi & Penschensi.*)

§. 64.

Citato etiam *Zacchiæ* assurgo, dum Cadavera alio modo à Dæmone præstigiosè moveri astruxit. Assumit nempè aliquando detestandus Animarum Auceps bestiarum & hominum corpora homines, ut deludat carnalium impuritatum sectatores. Ita deluit militem, qui, cùm putaret formosa se potitum virgine, invenit se in amplexu cadaveris beluini tabe soluti fœtidissimè jacentem quod è *Guilhelmo Parisiensi continuator Majoli* (*T. 2. Dier. Canicul. Colloqu. 3. p. 250.*) inseruit, qui & aliud huic superaddit, qui ideò, si volupe est, evolvatur. Assumere Eundem Cadavera, iisque in detestando cum Sagis coitu, tanquam instrumentis uti, inde corpus incubum & succubum frigidissimum, parumque titillationis aut voluptatis, non raro multum molestiæ sentiunt, comprimis cum & semen actu frigidum emittere eundem experiantur. Audiendus hic *Gisbert. Voët.* (*p. 3. Disput. Select. p. 585.*): Dæmon potest Cadaver aliquod hominis recenter mortui verè & realiter movere & circumducere, & hominem illum, tanquam viventem actionesque actionibus viventis similes mini-

nimè tamen vitales propriè dictos ad tempus edere, indubium est, tum experientia, tum etiam, quod nulla repugnantia aut impossibilitas assignari possit. Historia Psaltriæ seu Citharisticæ Bononiensis, *apud Casp. Peucer.* (*de Præcipit. Divinat. Gener. p. 14.*) in hanc rem extat. De Cadavere jamdiu ante mortuo, & forma Cadaveris amissa in Elementa resoluto, imò materia sub aliis atque aliis formis specifice distinctis existente nolim concedere, sed quicquid moliatur hic Magus ad præstigias & sensuum delusiones referre. Mortuos homines revera suscitare, & in vitam reducere nequeunt, quicquid hic mimicæ & Dæmoniacæ simulationis intervenerit.

§. 65.

De motu ossium & Cadaverum è terræ tumulis in Ægypto in monte propè Cairum duobus milliaribus à Nilo, quorsum die 25. Martii multi ex Christianis se conferunt in reditu à Cairo propè pagum quendam, collem vidimus, *scribit Christoph. Führer ab Heimensdorff* (*Itinerar. Ægypt. p. 23.*), de quo affirmant incolæ, singulis diebus Parasceves, mortuos ibi sepultos, manus pedesque è monumentis porrigere id quod verum esse, & oculis suis usurpatum nonnulli ex Comitibus nostris confirmabant. Pluribus iisque sequentibus hoc singulare delineavit *Phil. Camerar.* (*Cent. 1. op. Subseciv. c. 83. p. 340.*). Vident Cadavera ibi humata, velut emergentia de sepulchris. Hoc incipit vesperi die Saturni, durat usque ad diem Sabbathi, tunc omnia rursus evanescunt. Eo autem tempore videre poteris quædam Cadavera fasciis involuta, sicut olim humabantur defuncti. Non autem conspiciuntur erigentia, multo minus ambulantia. Sic modò videbis unum atque alterum, & attrectabis ejus brachium, vel crus aliamve partem corporis: post ibis in remotiorem locum, sique mox reversus fueris invenies illud brachium, crus, aliudve membrum magis extans è sabulo, quam anteà, quod si eo modo hinc inde ambulaveris manifesto apparebit discrimen, quod ea, quæ modo sub terra fuerunt magis eruta & conspicua appareant. Eodem tempore multa videbis tentoria circa montem. Nam persuasum est & sanis & ægrotis, qui agminatim eò properant, qui ex palude quodam vicino nocte illa, quæ præcedit diem Veneris se laverit, ei mirificè prosit ad conservandam & recuperandam valetudinem. Habet hæc ex itinerario, cui Titulus *Viaggio di Messer Alvigi di Giovanni di Alessandria nelle Indie*, ubi quidem Autor addit: Verum hoc miraculum non vidi. Nec miraculum hoc se vidisse Alii fide digni Peregrinatores asseruerunt. Si testes sunt, auriti sunt, non oculati. Aut igititur fabula est, pro qua etiam proclamat *Thevenot.*

(*p. 1.*

(*p. 1. Itinerar. Orient. l. 2. c. 12. p. 197.*), aut præstigiæ Diabolicæ. Add. *Sandys.* (*l. 2. Itiner. p. 276.*)

§. 66.

Ut enim visionem illam *Ezechielis* (*c. 37. v. 9. & 10.*) quando Propheta conspexerat

Ossa patentes
Per campos instrata, supraque infraque referri
Cum sonitu, & jungi solida compagine in unum
Trunca modis miris, tepefactaque sanguine, & aura
Exuviis florere novis extendere fibras,
Luxuriare thoris pectus, cor fervere motu
Cruraque humo erigere & spirantia corpora ferri
Densa virum segis & campis exercitus

(*Joh. Major de Reb. Divin. Tit. Visio Ezechielis v. 101.*) imitaretur, veramque summi JEHOVÆ simiam se propalaret, id præstigiose effectum dat Cacodæmon. Ita quidam *laudato Camerario* affirmavit (*c. l. p. 339.*) esse, peculiarem locum in quodam Promontorio, inter horrendos maritimos scopulos, ubi sæpè, priusquam in eodem tempore, quo prælium aliquod diversa in parte orbis terrarum committitur, aliæve insignes clades, in quibus multum humani sanguinis effunditur, accipiuntur undæ marinæ sanguineæ, & in iis veluti ebullientia cadavera humana, pleraque trunca tamen & mutilata, utpote absque capite, sine manibus pedibusque conspiciantur. Ita Anno 1638. Neobrandicæ urbis portæ, nullo aperiente, cœlo sereno patuerunt, cumque à Gubernatore ad rem insolitam stupefacto claudi juberentur, emortuorum capita & ossa circumvolitare conspecta sunt, in tantum terrorem Militum, ut unus in loco exanimis statim corruerit, aliis ob injectum spectaculi tremorem lethali morbo correptis, quod *Everhard. Wassenberg.* (*Flor. Germ. p. 396.*) retulit.

§. 67.

Sunt, qui hujus phænomeni causas è natura eruere tentant. Motiones in corporibus mortuis non organicæ, sed naturales dici debent, commentatur *Joh. Marcus Marci* (*p. 4. Philos. Vet. Restitut. subs. 2. p. 400.*), qualis nim. motus cucumeris ad aquam, & hujus ad Lunam. (Vid. *supra* §. 39.). Qua forte ratione, si vera est fama, circa pyramides Ægypti annis singulis certo die corpora defunctorum ex illis arenis, in quibus sepulta jacent, dicuntur prominere, alia quidem ex toto; alia nonnisi pedem aut manum proferendo, & post ali-

quot horas, ubi eminuerunt, rursum interius abdi. Quidni enim à vi cœlesti annis singulis recurrente, idem fieri in ejusmodi corporibus, quod ab eadem Luna mensibus singulis fit in Selonite, & quovis die in aqua maris. Ridiculus hic est & dormire videtur alias *acutus & ingeniosus Petr. Gassendus* quando (*Animadv. in Physiolog. Epicur. p. 635.*) ita philosphari, an fabulari? incipit; Ista quidem habere (si vera tamen sint) similitudinem aliquam, aut externam potissimum cum partibus humanis possunt, at re ipsa tamen sunt plantarum species, uti sunt & Mandragoræ, seu illæ Bryoniæ bifidæ radices, ex quibus solent impostores scitas illas suas Mandrogoras compingere. Profectò & non veram manum, sed fungi potius speciem fuisse, quam enatam scribunt e suggesto quodam circa seculi superioris finem (*Mercur. Gallobelg. ad Ann. 1594.*), cum utcunque expressa fuisset in aversa illius parte humani vultus effigies, id quod de motu digitorum, deque sudoris emissione additur, videatur ad credulitatem, imposturamque referendum. Ita quoque tametsi *Plinius ex Theophrasto* (*l. 3. c. 18.*) scribat, ossa interdum è terra nasci, & (*Georg.*) *Agricola medullam* (*l. 2. Fossil. c. 9.*), addatque (*Andr. Libavius part. 1. singular. p. 252.*) & carnem, censendum tamen non esse ista id ipsum, quod esse dicuntur, nisi ex similitudine quadam, &, ut loquuntur, æquivocè; ut neque sanguinem, aut lac quod & pluisse, ut ex Terra emanasse historiæ narrant. Quod dico, ne quis inferat, posse ista omnia conjunctim oriri, posseque exinde conformari hominem, quod ipsum fuerit longè fabulosius, utcunque hujusmodi fuisse *Hippocratis* (*l. de Carnib.*) opinio videatur. Cum describit, uti ex Terra humefacta, resiccata, exusta, conformata ossa, cæteraque fuerint. *Hæc Gassendus.*

§. 68.

Quorundam hominum maleferiatorum partes tumulatas è sepulchris aliquando emersisse, & prominuisse apud historicos legitur. An permittente DEO Diabolus hic suam locarit operam, Aliis ponderandum relinquo. Memorat *M. Heinricus. Roth.* (*instit. Catechet. f. 107. cit. Michaële Babst* (*Wunder-Buch Tt ij*) *& Heinrico Kornmanno* (*p. 4. de m. m. c. 47.*) Fœminam Ingolstadii in Bavaria petulantem & perditum filium habuisse, qui tum verbis, tum opere matrem malè affecerat. Quum verò Mater ipsum haud corrigeret, tandem DEUS ipsum punivit, ut in flore juventutis moreretur. Hic cum per aliquot dies in sepulchro jacuisset, manum per sepulchrum extendit. De motu digitorum & brachiorum perjurorum militum extra sepulchra *Joh. Philipp. Abolin.* (*T. 2. Theatr. Europ. p. 793.*)

§. 69.

§. 69.

E motu corporum aut partium demortuarum, etiam signa de futuris imminentibus malis quidam desumserunt. E motu sanguinis *S. Januarii* in Crystallo asservati, si capiti jungatur, varia præsumere & prædicere Neapolitanos *Novellæ* sæpius testatum fecerunt. Sic, ubi *Sylvestri II. Pontificis* ossa in arca ferali crepitant, pro certo propediem morituri Papæ præsagio id habent, quod etiam *supra* (*l. 1. Tit. 3. §. 4.*) allegavi. Conf. *Philipp. Camerar.* (*cent. 1. Hor. Succisiv. c. 73. p. 336.*). De *Beatricis Athestinæ* corpore narrat *Georg. Richter* (*Axiom. œconom. 2. p. 8.*), quod quoties aliquid novi Estensi familiæ imminebat, toties in sepulchro de more supinum jacens in alterum revolutum latus reperiatur. Idem *Continuator Sim. Majol.* (*T. 2. Dier. Canic. c. 3. p. 234.*)

§. 70.

Casu vel arte emortua corpora, aut partes eorum aliquando in motum concitata scimus. Parum abest, *scribit. Zacchar. Neucranz* (*Abstrus. Resp. Hum. negot. c. 10. §. 14.*), quin credam animalium corpora (hominemne excipiam?) eò usque adhuc ad reviviscendum apta esse, quousque saltem succi in ipsorum vasis putrefactura alteratione non cœperint destrui. Imo & hi putrefientes licet, si solerti propulsu è vasis abigi, horumque loco vividiora, idoneaque liquamina surrogari tententur, forsitan tum spes reviviscendi, tum Chirurgiæ infusoriæ & transfusoriæ laus major fieret. Naturalis calor cum ingruente morte deperdatur, ab externo calore motum ad breve tempus suscitari, notum est. Ut ab ovo incipiam, si puncto salienti alias, jam silenti, fomitem admoveris, videbis illico motum redintegrari, *scripsit Guilh. Harveus* (*Ex. de Generat. Animal. 51. p. 192.*). Corculum in ovo tres dies à Gallina foto saliens, & paulò post ab omni actione quietum, nullum vitæ specimen exhibens iterum halitu oris in vitam revocatum, quod expertus *Dn. D. Joh. Francus* (*M. C. D. 3. A. 3. obs. 72. p. 93.*) ita & Cor pulli septima die ab incubationis initio extracti ab omnibus vasis liberatum diu in manu pulsabat, inde mortui instar quiescens oris anhelitu in vitam revocabatur, quod *Nicol. Steno* (*ap. Th. Bartholin. Act. Hafn. Vol. 2. obs. 46. p. 146.*) vidit. In pullo, *pergit*, cum post diuturniorem in reliquis partibus moram ad cor tardius redirem, totum corpus calida manu fovendo, & simul cordi tepidum digitum admovendo pristinum modum restitui. Inde iterum mortuum, dum ex Hepate novum sanguinem eò propellerem, secundo in vitam revocavi. Similiter alterius mortuo jam cordi vitalem ignem restitui. Sed & junioris cuniculi emortuum Cor digiti calore ad se reversum, ultra centies spontè micare observavi. In Corde Co-

lumbæ idem expertus, imposito digito madefacto, *laudatus Harveus* (*Exerc. 1. Anat. c. 4. p. 42.*). Idem fomite cordis auriculæ adhibito (*ap. Eund. de Gen. Anim. Ex. 51. p. 193.*) contigit.

§. 71.

Eundem effectum producit Aër, Cordi aut pulmonibus inflatus, Corde omni ferè pulsu destituto & sanguine in ejus thalamis coagulato, si secta arteria aspera per folles aut fistulam infletur, ita, ut pulmones attollantur, & hæc inflatio aliquantisper continuetur, cor vires suas denuò assumit, & pulsuum differentias pulchrè evariat, & magnos ructus & veloces edit, *Nicolao Highmoro* (*l. 2. disquisit. Anat. p. 3. c. 3. p. 190.*) *teste*. Si postquam cordis motus ob suppressam respirationem cessaverit, aër per tubulum venæ cavæ adoptatum insuffletur, motum cordis postlimino restitutum videbimus, experimentum est *Joh. Mayow.* (*de Respirat. p. 265.*). In Lupi cadavere inflata cava, ambæ auriculæ Cordis se movere cœperunt, & aliquandiu rythmos continuarunt, *testimonio Joh. Jacob. Wepferi* (*Hist. & nox. Cicut. Aquatic. c. 20. hist. 6. p. 115.*), qui & in alio lupo (*c. l. c. 11. hist. 2. p. 181.*) ductum thoracicum inflavit, inde vena cava prope auriculam dextram primum micare, inde systolen & Diastolen edere cœpit, mox auricula dextera ex parte non tota aliquot Systoles & Diastoles motus pergit.

§. 72.

Possunt inanima à substantia flatulenta concuti, ratiocinatur *Anton. Santorell.* (*Post. Prax. Medic. c. 21. p. 60.*). Poterit & corpus detruncato jam capite à crasso flatu concuti, non secus ac virgam flante vento concuti videmus. Ab eodem flatu cum possit pes extendi, aut alia pars pelli, quod contrahi paulò ante diximus, non est motus hic in causam supernaturalem referendus, præsertim, si eo articulo temporis contingat hoc fieri, cum quis ad osculandum illam partem apprehendit, aut quovis modo movet: Cum enim agitatum corpus multo facilius impellatur, quam quiescens, poterit tunc temporis flatus facilius partem in motu positam impellere, aut quovis alio motu agitare. Et quidem, quod ab hac causa frequenter si motus fiant citra alicujus facultatis superstitis concursum aut causæ superioris docent frequentes motus, qui in musculis vituli dilaniati odservantur.

§. 73.

Quod si irritentur Cor & aliæ partes motum iterum renovant. Evenire ut carnes vituli recenter mactati (& aliorum etiam animalium) tremant per aliquot horas, contrahantque sese ab externis aëris injuriis lacessitæ *Fortun. Li-*

Licet. (*l. 1. de Spontè vivent. ortu. c. 49.*) tradidit. Idem aciculæ aut cultelli punctura contingere *Viri in arte nostra insignes Jacob. Back.* (*tr. de Corde s. 3. c. 2. p. 208.*) *Richard. Lower.* (*l. de Corde c. 2. p. 66.*) *Joh. Bohn.* (*Exerc. Physiol. 9. §. 10.*) & *Alii* mecum annotarunt. Trucidati Ceti si puncturis circa genitalia tententur, toto corpore tremere incipiunt, oculatus annotat *Friedrich Martens* (*Spitzbergische Reisebeschreibung p. 4. c. 8. p. 112.*) *Leonh. Thurneiseri* rudem & inconditum, modum *supra* (*§. 22.*) relatum, iterum huc referre piget. Afferam potius singulare & nobile *Excell. Joh. Bohnii* (*Circul. Anat. Physiol. Progymn. 4. p. 74.*) Experimentum: Injiciatur, *docet*, mediante siphone in animalis quocunque mortis genere modò extincti arteriam aqua frigida, & statim, si non à primo, sane secundo hujus impulsu musculi ramulos ab illa recipientes, & hactenus rigidi in motus & agitationes sensibiles abripientur, tales etiam quæ articulos ac membra, quibus destinantur, notabiliter flectant & distendant, prout in canis cruribus posterioribus & cauda, item in arterioribus & flexoribus capitis, item massetere & temporali musculo mecum non sine stupore aliquoties viderunt phænomenorum ejusmodi naturalium solertiores admiratores. Musculum ex humano femore excisum levissimo attactu liquoris cujusdam peracris momento se contraxisse *Anonymus* (*tr. de Mot. Muscul. p. 29.*) in literas retulit. Videas & Carpiones, & alios pisces sectos affuso aceto convelli. (*Andr. Libav. l. 6. Hexaëm. s. 36. p. 575.*) Meminimus ipsi vidisse hominis Cor, qui evisceratus erat, supplicii genere apud nos adversus proditores recepto, *prodit Francisc. Baco de Verulam.* (*Hist. Vit. & Mort. p. 561.*), quod in ignem de more dejectum salsabat in altum primo ad sesqui pedem, & deinde gradatim ad minus durante spatio, ut meminimus septem aut octo minutarum. Et hoc fibris Cordis vivacibus sanguini & sevo in vasis coronariis, lymphaticis, & in ipsis Cordis thalamis rarefacto jure imputandum. Eadem ratio in historia de Regulo in veru Corylaceo sese movente, quæ magnos & judiciosos philosophos in stuporem & admirationem, absque sontica quadam causa, egit. Prolixus in hac Controversia non sum, cum id operis in *Coryleto* expediverim *Curioso*.

§. 74.

Sunt, qui ajunt, Tarantulam mortuam, imò in duas partes scissam ad datum cytharæ cantum reviviscere. Quod si ita est (quod quidem vix credo, cum Philosophis de Tarantatis Musica curatis stupor mentem distraxerit, ut quod ipsis solenne, in novum fabellæ partum propenderent). *Honorat. Fabri* (*Phys. tr. 3. l. 2. prop. 273.*) inde provenire existimavit, quod insectum illud instar muscæ &

aliorum animalculorum nondum omnem vitam posuerit. *Vid. Dan. Georg. Morhof. (Stentor. Jaloclaust. c. 16. p. 221.)*. Pudendus sane error, cum Musica Tarantulæ excitæ non saltent, sed Natura. Tarantatis autem adversus saltum Musica ut Medicamentum adhibeatur.

§. 75.

Tantum de Cadaverum motu. Ἐπιμετρον expectas L. B.? Præstò est; sed problematicum. Cum in agone Viscerum contingat anomalus, quæritur, annon alium positum in Cadavere sortiantur viscera, quam vivente adhuc corpore? Id vero negandum minimè erit. De Cordis situ *Alexander Benedictus* (*l. 3. Hist. Part. Corp. Human. c. 10. p. 1219.*): Vidimus quendam pugionis ictu interemtum, dissecto corpore rursusque per vulnus pugione adacto mucronem neque Cordis neque pulmonis vulneri respondisse, tanta in Cadaveribus cum viventibus posituræ differentia. In Pulmonum vulneribus, eorumque cura multum interest, quo membrorum positu vulneratus steterit, sederit, aut jacuerit cum vulneraretur æger Chirurgos scire, cum hujus ignorantia sanguinis in cavitatem Thoracis extravasati, evacuationem minus felicem spondeat. Advertant & Barbitonsores solennem ipsis errorem, quando in hujusmodi à vulnere demortuis, neglecta cadaveris artificiosa Anatome, cum sint Anatomes ignari, vulnerum profunditatem & lethalitatem fastuosè quidem, sed ineptè, stylo exploratorio, & aliis instrumentis investigare, & judicium de lethalitate huic superstruere satagunt. Quod ad Ventriculum Studiosus Melancholia correptus, Diaphragma & Thoracem gladio sibi perforaverat, ob quod ventriculi situs ita mutatus, ut per Diaphragma in sinistram Thoracis partem ascenderit, & cor cum capsula è sede sua in dextrum latus depulerit, quod è *Dan. Sennert.* (*l. 2. Prax. Med. p. 2. c. 15. p. 220. & ap. Guil. Fabric. Hildan. Cent. 3. obs. Chirurg. 33. p. 108.*). Ventriculum per ingentes sui exolutiones posse ad umbilicum usque juxta vesicam delabi se in nonnullis post obitum dissectis observasse *Ambros. Par.* (*l. 2. Chirurg. c. 4. p. 61.*) meminit, id verò quis credet? agantur, quam ut Diaphragma ei motui resistendo sit, partesque istas (quantum vincula & connexiones sinunt) superiora versus repellunt. Ista *Francisc. Glisson.* (*Anat. Hepat. c. 2. c. 50.*). Cur septum transversum post mortem inveniatur concavum, è dictis patet. Vid. & *Jacob. Müller* (*Exerc. de Mot. & Us. Muscul. qua viam Nic. Stenonio & aliis ad Myologiam pandit ap. Gregor. Horst. Epist. Med. s. 20. Coroll. 4. p. 537.*). Merentur insuper legi, quæ (*c. l. p. 51.*) de affectione Hysterica his subjunxit *Glisson.* (*c. l. p. 51.*), quæ tamen cum prolixiora sint, ad ipsum Autorem L. B. remitto.

§. 76.

§. 76.

In memoriam tandem nobis revoco, quæ de *Muhammetis* Cadavere circumferuntur vulgò & etiam apud doctos itinerariorum scriptores commemorantur. Mecca oppidum (*narrat Joh. Hugo à Linschotten itiner. c. 4.*) quod in Arabia situm, notum est ex Cadavere Muhammedis. Id ibi ferreæ Cistæ inclusum subductum à Terra pendet sub cœlo ex Magnete fabrefacto magnaque visitantium Turcarum & Maurorum religione celebratur. Plura non conscribillo testimonia. Magnete autem ferroque alia hujus generis olim prodigia facta celebrantur. De simulacris ferreis in aëre pendentibus *August.* (*de Civit. DEI. l. 21. c. 6.*) *Ruffinus* (*l. 2. Hist. Ecclesiast. c. 33.*). De statua *Serapidis* in Alexandriæ templo à Mangete pendente, *Niceph.* (*l. 15. Hist. Eccles. c. 8. p. m. 794.*). *Isidor.* (*l. 16. origin. c. 20.*) *Nicol. Nancel.* (*l. 8. Analog. Macrocosm. c. 6. p. 1300.*). Talis etiam fuit in Arsinoës Templo *Architecto Dinochare* incepta, sed non absoluta, secundum *Plin.* (*l. 34. c. 14.*), quamvis *Ausonius* (*Idyll. 9.*) de eodem opere, ut confecto, loqui videatur. Historiam gemellam suspensi *Mercurii* ex Annalibus Trevirensibus recitat Marquard. *Freherus* (*comment. in l. c. Auson.*). De quadriga ferrea *Serapidis* (*Prosper. Aquitan.* (*l. 3. de Promiss. DEI c. 38.*). De vitulis aureis *Jeroboami* & *Bellerophontis* paria adduxit *Athanas. Kircher.* (*l. 1. Art. Magnet. p. 1. c. 5. p. 13. & l. 2. p. 4. probl. 9. p. 262.*), qui & an ejusmodi simulacrorum confectio sit possibilis, ibidem disputat. De *Muhamedis* autem arca suspensa plurimi dubitant, & eandem inter Nænias vulgares reputant: Confer *Joh. B. Portam.* (*l. 7. Mag. nat. c. 27. p. 313.*) *Guilh. Gilbert.* (*l. 1. de Magnet. c. 1.*) *Athan. Kircher.* (*c. l.*), *Th. Brown.* (*l. 2. Pseudodox. Epidem. c. 3. §. 20. p. 482.*) *Sandys.* (*l. 2. Itinerar. p. 273.*) *Anton. le Grand.* (*Histor. Natural. p. 6. Artic. 10. n. 6. p. 254.*) Et quid clarius hoc *Ludovic. Vartomanni* (*l. 1. Itinerar. c. 11. & 12.*) testimonio? Sed tempus jam oppetit, ut refellam opinionem eorum, qui autumant *Mahomedis viri impurissimi* arcam apud Mecham in aëre absque adminiculo pensilem consistere. Ego longè aliter sentio, affirmoque ea nec vera, nec verosimilia esse, utpote qui coram hæc perpendi vidique locum ubi humatus est *Mahometes* in memorata urbe Medina Talnabi: Moram enim ibi tridui fecimus, ut in horum omnium certissimam deveniremus notitiam. *Man lieset in etlichen Geschicht-Büchern, daß die Mahometaner solches einsmals fürgehabt, und versuchen wollen: und mag dieses die Gelegenheit seyn, davon diese Fabel entstanden: aus welcher durch viel lange nach einander ergangenes Nachsagen, und die Abgelegenheit des Orts, endlich eine Historie erwachsen, als ob solches würcklich geschehen*, concludit *Th. Browne* (*c. l.*). *Aliam* causam *Ferdinand.*

à Troilo (itiner. orient. p. 516.) è relatione Gemizzarorum his expressit: *Weil Mahomets Moschea zu Meccha kein Licht hat, und nur blos und allein von den stets brennenden Lampen erleuchtet wird, so scheinets, als wenn sein Sarck in den Lüfften schwebet.* Gemina ante hunc literis mandavit *Illustr. Princeps Nicol Christoph. Radzivil. (itiner. Epist. 2. p.m. 153.)*

LIB. II. TIT. VI.

De

Sudore Cadaverum Aquoso & Cruento.

Summarium.

1. *Lacrymæ statuarum & simulacrorum Deorum.* 2. *Causæ.* 3. *Sudor statuarum, simulacrorum Deorum & Lapidum.* 4. *Apud Papicolas.* 5. *Lignorum constitutio favet.* 6. *Sepulchrorum Sudor* 7. *Situs.* 8. *Moriturorum Sudor unde.* 9. *Sudoris portæ.* 10. *Constitutio Cutis.* 11. *Mortuos proprie non sudare.* 12. *Mortuos sudasse.* 13. *Causæ.* 14. *Obesitas.* 15. *Balænarum exemplo firmatur.* 16. *Morbi genus.* 17. *Athmosphæræ constitutio.* 18. *Aër ambiens.* 19. *Vultus post mortem facta irrigatio.* 20. *Sanguis plantis ascriptus* 21. 22. *Lacrymæ statuarum sanguineæ rarissimæ. Lacrymæ lacteæ.* 23. *Simulacra sanguine fluxisse.* 24. *Apud Paganos cruentantia.* 25. *Apud Reformatos.* 26. *Naturaliter aquas cruentare.* 27. *Statuas.* 28. *Guttularum sanguinearum in plantis & lapidibus singularis causa.* 29. *Ad pluvias sanguineas non spectabit.* 30. *Ligna incisa cur cruentent juxta Paracelsum.* 31. *Hausit id è Poëtarum fabulis.* 32. 33. *Ossa & cornua cur sudent sanguinem?* 34. *Sudor cruentus.* 35. *Talis non est sudor rubicundus.* 36. *An naturalis?* 37. *Historiæ. Causæ.* 38. *Sanguinis effervescentia.* 39. *Motus*

tus animi & corporis. 40. Terror. Angor animi. Verecundia. Amor. 41. Morbi. 42. Serpentis Hæmorrhoi venenum. 43. Serpentes in Brasiliensi Regno & Quintensi Provincia. Vermes. 44. Sanguinis consistentia tenuior. 45. Sudores hi sanguinei non sanguinis. 46. 47. Cutis constitutio rara. 48. Causæ concurrunt. 49. Infantum sudores sanguinei. 50. 51. Particulares cruentationes. 52. Motus sanguinis varius. 53. Vacua menstruorum evacuatio. 54. Lacrymæ sanguineæ. 55. Herba Hæmagoga. 56. Fabulosa quibusdam. 57. Galenicæ & Borellianæ differentia. 58. Ab externis applicatis. 59. Sudor CHRISTI Sanguineus negatus. 60. Non verus creditus. 61. Naturalis assertus. 62. Non mali habitus, sed purus. 63. Amor CHRISTI. 64. Supernaturalis fuit. 65. Mortuos sanguinem non sudare. 66. Exempla contraria. 67. Omen triste. 68. Curiosa de sudore. 69. Sudores varii quoad colores. 70. Quoad odores, sapores tantum. 71. Sudor aridus. 72. E sudore pediculi, mures, bufones. 73. Sudoris morientium vires.

§ I.



UT non semel statuas & Deorum simulacra apud Ethnicos sudasse annotatum est (*Vide Infr. l. 2. Tit. §.*); ita & lacrimis eadem miraculosa & prodigiosa evasisse constat. *E Prodigiorum & Ostentorum compilatore solertissimo, Conrado Lycosthene* quædam excerpere & huc transferre non pigrabor. Lanuvii simulacrum *Junonis Sospitæ* lacrymavit. (*Chronic. Prodig. & ostent. p. 157. è Livio l. 40. c. 19.*) Triduum & tres noctes *Apollo* (*p. 159. iterum è Livio l. 43. c. 13.*); *Apollo Cumanus* quatriduum (*p. 169. quod Jul. obsequens l. de Prodig. c. 87. p. 47. & Augustin. l 3. de Civitat. DEI c. 2. retulerunt*); *Apollonis* simulacrum Terracinæ (*p. 176.*); *Apis* in Ægypto (*p. 234.*). *Antonto Pio* imperante visæ sunt apud Bremam cruces sudasse lacrymis. De Prodigiis mortem *Cæsaris* insecutis *Maro* (*l. 1. Georg. v. 479.*)

sistunt amnes terræque dehiscunt
Et mæstum illacrymat Templis ebur, æraque sudant.

Silius vero *Italicus* omen in prodigiis ante bella Civilia expressit (*l. 1. v. 556.*) his:

Indigites flevisse DEOS, urbisque laborem
Testatos sudore Lares.

§. 2.

Hic vero Catachresin vel Idiota subodorabit & fictionem poëticam; in prioribus autem vel Dæmonis vel Aruspicum & sacerdotum paganorum astutiam, fallaciamque quibus prodigia & ostenta cudere solenne erat, ut cultum Idolorum confirment, credulos fallant, pecuniaque eorum emungant loculos. Et hoc etiam à paganis ad papatum paganizantem devenit, in quo ferè quotidie ejusmodi terriculamenta audias & videas, quæ hominum & sacerdotum deceptiones *Petrus Pomponatius (l. de. Incantat. c. 10. p. 158.)* dudum proclamavit; quamquis & id Spiritibus tribuat, & paulo post ab ipsis Intelligentiis mediantibus spiritibus cœlestibus fieri opinetur. Quis vero intelligentias prodigia & miracula edere posse *Pomponatio* concedet? Unde illa probabit? Externum Aërem concurrere aliquando, ut in sudore statuarum non levi conjectura cogor verbis *Polydori Virgilii (l. 3. de Prodig. p. 252.)* hæc obsignans: Sudor & lacrymæ ex vivis corporibus sunt, sed humor (in Statuis & Simulacris &c.) extrinsecus allatus, velut in parietibus videmus, utrumque imitari potest. De effigie sudante *Gabr. Clauder. noster (M. C. D. 2. A. 7. obs. 173. p. 331.)*

§. 3.

Ad eundem fere modum statuas, Simulacra Deorum, Lapidesque sudasse observatum. Quod vero in laxiori significatu Sudoris vox iterum accipiatur, vate non eget. *(Vid. Th. Bartholin. obs. de Unicorn. c. 29. p. 297.)* In Syriæ templis statuæ sudant Deorum, moventur & oracula edunt, *Lucian. (de Dea Syria T. 2. op. p. 659.)* notat. Ante Leuctricam calamitatem Herculis simulacrum multo sudore manavit *ad Quint. Fratrem (l. 17. Epist. ad familiar.*) scripsit *Cicero.* Add. *Eundem (l. 1. de Divinat.)* De statua *Antonini* tale consignavit *Joh. Xiphilin. (In vit. Antonin.) Appollinis, Augustin. (l. 3. de Civit. Dei c. 11.) Calipsi, Sandys (l. 4. Itinerar. p. 589.).* Postquam Andromitæ portis apertis *Timoleonti* se dedissent, cum horrore & admiratione nunciabant: commisso primum prælio, sacras Templi januas suâ sponte apertas fuisse, visamque DEI hastam summa cuspide concuti faciemque sudore fluere, quod *(T. 1. vit. in Timoleont. p. 442.)* in literas retulit *Plutarchus.* De Antonini Statua *Lycosthen. (c. l. p. 232.).* Ad locum Libitinæ in statua equestri ærea ex ore & pede aqua manavit diu, *idem (c. l. p. 162.).* Quadrigas aureas sudasse, *idem (p. 193.).* In expeditione *M. Alexandri* adversus *Darium* apud Leibethra

thra Simulacrum *Orphei* cupressinum per ipsos istos dies multo sudore fluxit. Eo signo omnibus territis *Aristander* bono animo esse jussit. Celebria enim & nobilia facinora editurum *Alexandrum*, quibus cantandis multum sudoris ac laboris essent Poëtæ Musicique impensuri, quod *idem (T. 2. in Vit. Alex. p. 455.)* memorat, qui & inter Saxeas *Antonii* Statuas quædam sudore fluxisse, qui nonnullis abstergentibus per aliquot dies non cessavit (*T. 3. in Anton. p. 152.*) prodidit. Sudarunt simulacra Bernburgi, quod oppidum in Ascaniensi situm est principatu, *narrat Casp. Peucer. (l. de Divinat. Gener. p. 737.).* Simulacrum super Avernum lacum sudore tanquam humanum quoddam corpus repletum est, *scripsit Dio. (l. 48. p. 229.)* Si vates audire libeat, en *Maronis* de *Palladii* sudore versus *(L. 2. Æneid. v. 172.)*

Vix positum castris simulacrum arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis: salsusque per artes
Sudor iit:

Et de *Elisæ* imagine *Silius (l. 1. v. 99.)*

Tum magico volitant cantu per inania manes,
Exciti vultusque in marmore sudat Elisæ.

§. 4.

Qui à Papicolis simulacrorum sudores recensentur, quis hic enumerabit? diem vel annum perdet, qui harum recensione insudabit, quin & DEUM & operam. Sudarunt simul in Hispania, dum Mauri sacro baptismatis lavacro intingebantur, Virginis Mariæ puerili JESU & duorum Angelorum simulacra, duod mirabili narratione primum vulgavit *Hieron. Baptista de la Naza (T. 3. Homil. 35. p. 545.)* & post *ex illo Steph. Clozius (de Sud. Christ. Sangv. Exerc. 13. §. 4. p. 120.).* Plura non addo, cum ubique apud Papæos tanto numero prostent, ut non absque nausea crambe ista toties recocta degustetur.

§. 5.

Qualitas & textura Lignorum, è quibus constant Staturæ & simulacra, cum aliis circumstantiis hic attendendæ, quibus etiam Ventorum & Aëris constitutio accensenda. Discimus id *è Theophrasto Eresio (l. 5. de Caus. Plant. c. 4. p. 215.)*, ita vero philosophatur: Statuæ, quæ exsudant cœlo austrino humectaque ita afficiuntur, nec omnis, sed in quibus aliquid pinguedinis inest, ut Cedrus, Cupressus, Olea, quæ quidem prodigia & ostenta esse creduntur. Secutus hunc *Hieron. Cardan. (l. 8. de Subtil. p. 473.)* ista pronunciat: Minore admiratione dignum est, quod Statuæ sudent; Nam ratio in promptu est, quum humidum pingue vi caloris expressum sudoris imaginem præstet. Ob id maximè sudant, quæ ligno constant Cedri, Oli-

væ, Vitis ac Cupressi. Contigit hoc magis austris flantibus, quod humor sit copiosior ac tenuior. Scilicet ligna ista maximè porosa sunt & effluviis humidis recipiendis idonea, quæ, si athmosphæra sic constituta, eorum superficiei adhærent, & in guttas abeunt; Vidi, *Th. Bartholin. (Cent. 4. Epist. 52. p. 338.) scribit*, vasa lignea variæ magnitudinis oblonga, quæ pro jusculis vel potu hauriendo percommoda, in omnem partem, aqua madida flecti poterant, & iterum in aptam formam extendi. Quantum expiscari potui, ex radice Cedri variegata tornantur hæc flexilia vasa. Et hanc ob causam Deorum statuas è Cedro fabrefactas *è Plinio J. B. Porta* asseruit. Vid. *Joh. Heinric. Ursin. (Arboret. Bibl. c. 20. §. 6. p. 296.)*

§. 6.

Sudorem etiam aliquando sepulchra profundere in Annalibus est. Habetur id familiis illustribus mortis instantis præsagium. Equites notissimi & pervetusti apud nos Wanczuræ in Ecclesiæ (sub Horka castro & pago sitæ) sacrario habent tumulum lapideum, (ac nisi me fallit memoria) marmoreum, *scribit Bohusl. Balbin. (Dec. 1. Miscell. Bohem. l. 3. c. 19. §. 3. p. 221.)*, clari ex sua gente *Herois Georgii Wanczuræ*, quod imminente morte alicujus ex ea stirpe per totum saxum & marmor largissimè sudat, cum tamen ad lapidem ob fornicem sacrarii nullus imber, nulla pluvia pervenire possit. Geminum prorsus sepulchri miraculum illustrissimis proceribus de Kolowrat concessit DEus in Roccoviensi Ecclesia, *addit*, nunc deserti Cœnobii ordinis Eremitarum S. Augustini, quoties enim Kolowratæo cuipiam moriendum est, humorem copiosissimum profundit lapis sepulchri *D. Alberti Senioris de Kolowrat*, Fundatoris Cœnobii illius, qui plenus bonis meritis in DEUM & *Cæsarem Carolum IV.* quem Pisis suo corpore adversus hostes protexerat. Succinctius ista leges *ap. Eundem (Decad. 2. l. 1. c. 13. p. 71.)*. Sepulchrum & ossa *Papæ Sylvestri II.* sudore madentia inter morituri Pontificis signa recenseri, *Bonif. Simonetta (l. 5. Epist. 49. f. 116. a.)* tradidit.

§. 7.

Sudoris istius, si putrescat aut etiam insensibilis evaporationis progenies est situs *(der Schimmel)* aut illuvies illa, quæ in corporibus collecta & non mota, ipsa corrumpit & lanugine quadam humida investit, aut sudor in illum transit, Microscopio examinata ista lanugo conglomerata aliqua florum apparuit, *Rob. Hockio (Vid. Ejus Microscophiam T. 2. Ephemer. Erud. p. 1. Ephem. 42. n. 7. p. 486.)*. Poëtica libertate usus illum tribuit armis *Tibullus (l. 1. Eleg. 10.)*:

Militis in tenebris occupat arma situs.

No-

Notari etiam poteſt in partibus animalium emortuis & in Cadaveribus, de quo *Joh. Joach. Beccher.* (*l.1. Phyſ. Subterr. ſ.5. c.1. n.55. p.331.*). Hæc namque poſt aliquot à morte dies ſitu craſſo mucidoque obducuntur, qui tandem in ſaniem & putrilaginem tranſit.

§. 8.

Si morituros conſideres, decedunt quidam cum, quidam, ſed rarius, ſine ſudore. In extremo Naturæ conatu & anxietate

Gelidus cadit imber anhelo
Pectore. (*Statius l.2. Thebaid. v. 672.*)
Tum vero & pallor & amens
Cum piceo ſudore rigor: ceu pectora Nautis
Congelat hiberni vultus Jovis.

(*Valer. Flaccus l. 3. Argonaut. v.*). Vulgi impia vox eſt: In extremo languore conſtitutos aquam Baptiſmi ſudare. *Sie ſchwitzen die Tauffe aus.* Si quid ſub deliquiis & morte ſudoris exhalat, id cruoris eſt liquamen, non ſanguinis arterialis, *judicat Helmont.* (*tr. Complex. atque Miſtion. Element. Figment. n.42. p.90.*) & alibi (*tr. latex humor. negl. n.17. p.303.*). Morientium ſudor non eſt tam latex in ſui natura, quam ros alimentarius reſolutus, cui mors imperat. Quod patet, nam ſtatim corporis habitus ſidit, prout & in Syncope. Sudor h. l. eſt Syncopticus, qui perinde ac Diaphoreticus ex eodem fonte promanat. Ille tamen è peſſimorum familia cenſetur, quia frigidus ob debilitatem caloris nativi & corpus refrigeratum, ut *Galen.* (*l.2. T.5. c.12.*) & *Zacut. Luſitan. l.2. hiſt. med. 50. p. 269.*) judicant.

§. 9.

Fit ſudor, dum per arterias, quæ ad habitum poris perfuſum (aut glandulas cuti ſubſtratas & perfibrillas eidem connexas, quod obſervavit *Nicol. Steno ap. Thom. Bartholin. Cent. 3. Epiſt. 65. p. 262. & 263.* aut ipſas cutis glandulas, quæ noſtra eſt conjectura) terminatur, quicquid tenue & aquoſum ad poros cutis in modum vaporis propellitur & evacuatur, uti *Joh. Theodor. Schenckius* (*l.5. Synopſ. Med. General. p. 2. cl.3. Artic. 4. §. 1. p. 182.*) loquitur. In agone autem Natura deficiens in extremo contra morbum victorem enixa in modum favillæ antequam extinguatur ſcintillantis ſudorem exprimit, quo ſimili utitur *Anton. Merindolus* (*p.1. Arti. Med. p.301.*)

§. 10.

Quod ſi perconteris, qui ſint illi, qui frigido ſudore perfuſi ad plures abeant, en *Hippocratis Oraculum* (*ſ.5. aph.71. & 6. Epid. ſ. 6. t. 15.*), quibus cutis obten-

tenditur arida & dura, sine sudore moriuntur, quibus vero laxa & rara, cum sudore moriuntur. Uxori *Dealcis* in Thaso phreneticæ cutem aridam & distentam tribuit *Dictator* (*l. 8. Epid. s. 3. Agrot. 15.*), aut cutis aridæ distensionem, vertit *Fr. Valles.* (*com. in h. l. col. 311.*), qualis etiam in *Melitea* adolescente (*Hipp. c. l. Agrot. 16.*). Addenda ariditati cutis etiam erit callositas universalis, qualis in Patribus Cappucinis, quos Stoicos Christianos censuit *J. B. Helmont.* (*tr. Stud. Author, n. 7. p. 25.*), in qua pori, callo quasi quodam clausi, qui sudoris egressum prohibent. In his mortuis cutis aciem cultrorum obtundit, & cum febribus corripiuntur vix inter centum ipsorum unus sudorem emittit, nec scabie tentantur, quod de illis *Dominic. Panarol.* (*Pentec. 3. obs. 35. p. 92.*) consignavit. Pro cutis igitur constitutione in agone sudor aderit, aut aberit.

§. 11.

Mortuos non sudare, si proprie sudoris vocem accipias, rectè asseruit *Th. Barthol.* (*de Morb. Bibl. Misc. 21. p. 98.*), cum ille solum sentientibus competat, ut habet *Steph. Clozius* (*de Sud. CHRIST. Sangu. Exerc. 5. §. 2. p. 44.*) & causæ ad sudoris excretionem necessariæ deficiant. Tres autem requisivit (*ap. Laur. Scholz. Consil. Collect. 382. col.*) ad sudorem conditiones *Joh. Crato*, colorem mediocrem, materiam tenuem s. attenuatam & vaporosam & cutis meatus apertos. Non inficior serum s. laticem adesse, sed non attenuatum coagulationi aut congelationi proximum. Ubi calor quem spiritus retentioni, exercitationi, agitationi &c. tribuit (*l. 8. de Var. Rer. p. 508.*) *Hieron. Cardan.* Caloris hujus subsidio latex in materiam vaporosam attenuari & expelli, aut glandulæ sub cute irritari debeant, ut sudorem exprimerent, quæ mens est *D. Borrichii* (*ap. Th. Bartholin. Vol. 1. Act. Hafn. Med. p. 1. obs. 98. p. 191.*). Viæ quidem adsunt, & portæ glandularum cutis pori, sed frigore obsessæ & constrictæ. Conf. *Exc. Noster Joh. Christian. Fromman.* (*M. C. D. 1. Ann. 6. & 7. obs. 185. p. 244.*)

§. 12.

Mortuos tamen sudasse, παχυλῶς accepta sudoris vocula, variis historiis & observationibus convincimur: *Der unversehrte Cörper Catharinæ von Bologna sitzet zu Ferrara in einem Sessel, und schwitzet stetig* (*Autor des Cardinal-Huts p. 3. p. 450.*). Concursum hic miraculorum videas, incorruptibilitatem corporis, sessionem in sedili, & perennem sudorem. Sed hæc sudorem Monachalem olent. De Melancholico Scorbutico continuo in morbo sudore circumfuso *Dn. D. Salom. Ledel.* (*Dec. 1. M. C. A. 3. obs. 83. p. 141.*), qui vix

vix animam efflaverat & sudore copiosissimo faciem & totum corpus diffluebat. Guttulas linteo abstersas aliæ statim excipiebant ad quartum usque diem, quo urna claudebatur. Maligna febre extinctum, dum in Patria Praxin exercerem, vidi, ejus cadaver copiosas sudoris stillabat guttulas. Adolescentulus febri maligna defunctus tertia ab obitu hora ex omnibus cutis spiraculis sudorem frigidum satis liberaliter, *ex observatione Nobiliss. Dn. Joh. Lanzovii* (*M. C. D. 3. A. 3. obs. 37. p. 38.*), profundebat. Rusticus Hemiplexia sublatus statim post obitum emisit per triduum sudorem, usque dum loculo inditus terræ mandabatur. Guttulæ tam copiosæ stillarunt, ut nisi linteo abstergerentur, sponte profluxerint absque intermissione. Nobili filiolæ idem contigisse simul, annotat *laudatus D. Sam. Ledel.* (*M. C. D. 2. A. 9. obs. 36. p. 71.*). De infante terræ mandando, cujus facies sudoris guttulis post obitum madida cernebatur, *Dn. D. Frommanni relatio* (*M. C. D. 1. A. 6. obs. 185. p. 243.*) evolvenda. In corpore infantili Dysenteria sublato, altero post mortem die sudore diffluente, qui sudor toto die continuavit, casum annotavit *D. Christian. Helwig.* (*M. C. D. 3. An. 5. & 6. obs. 191. p. 441.*)

§. 13.

Qui in causis reddendis iterum ad caloris nativi reliquias confugiunt, eos ad *Diss. de Cadav. in gen.* (*s. 1. §. 162.*) remitto, ubi has aut nullas esse, aut nullarum in hoc negotio virium probatum dedi. Hoc certum est, quando vita animalium periit, ut verbis *Thom. Willisii* (*tr. de Fermentat. c. 8. p. 50.*) id dilucidem, statim spiritus cum sale & sulphure confluunt, nec non cujusq; partis insiti à motu suo regulari cessant, & in confusionem aguntur: deinde partim è poris cum calore evanescente exhalant, partim intus in cavitatibus conclusi cum reliquis particulis inordinate fermentescunt, & corporis totius ac viscerum intumescentias faciunt. Posteà vero partium solidarum compages sensim laxari, & particulæ sulphureæ una cum salinis fluorem adeptis evaporare incipiunt. In hoc igitur irregulari principiorum motu intestino in locum calidi nativi succedit calor putredinalis seu humorum ebullitio, inde serosi laticis attenuatio & evaporatio, quæ etiam fœtore insuavi, à particulis sulphureis oriundo, longius dissidentium ferit nares. Si igitur multum humidi & salini contineant, quidni sudor, concurrente comprimis ambientis frigiditate, tandem emergere poterit?

§. 14.

Favet huic negotio cadaveris obesitas. Quamvis namque, advertente *Guilh. Ballonio* (*Definit. Med. p. 52.*), obesorum quidam, dum inter vivos

agunt

agunt, difficulter ſudent, attamen quibus pinguedine ſaginoſa diſtenditur aqualiculus (*die keine rechte Fettigkeit haben*, ut vulgò pronunciant) non ſolum ob impuri & copioſi laticis & ſanguinis mixtionem crebris ſudoribus diffluunt, ſed & ejusmodi obeſum corpus vidit *J. B. Helmont. (Tr. Jus Duumvimt. n. 59. p. 249. & tr. latex humor neglectus n. 44. p. 306.)*, cujus tota pinguedo reſoluta in laticem per lotium excreta fuit.

§. 15.

De Balænis ab Harpunariis vulneratis viventibus adhuc *Friedrich Martens (p. 4. Spitzbergiſche Reiſe-Beſchreibung c. 8. p. 117.) Die Fiſche ſo hart verwundet ſind, entzünden ſich ſelbſt, daß ſie lebendig rauchen.* De *Enectis: (c. l. c. 7. p. 103.) Es ſtinckt heßlich von ihren Thran und Fett, ſo durch die Schweis-Löcher der Haut giebret, wie ein ſtarck Bier.* Et *(c. 8. p. 114.). Er (der Walfiſch) wird von Stund an ſtinckend und rauchet, das Fleiſch kochet und gebret als ein Bier, und fallen ihm Löcher in Leib, daß ihm das Gedärm daraus hänget.* De pinguedine vero ſeparata *(c. 10. p. 124.). In Fäſſern gebret es gleichſam wie Bier.*

§. 16.

Morbi genus, quo mortuus defunctus, huc referendum. Si malignitas ebullitionem & fermentationem humorum excitavit, quæ, cum macularum poſt mortem eruptioni velificetur, cur non & ſudoris? Si ſudor ante mortem copioſè profluxit, quod in Hydronoſo ſ. Sudore Anglico fieri conſuevit, cur non patulis poris comprimis cadavere exiſtente flaccido non tamen arido & nimium macilento, ad tempus adhuc durabit? Neſcio quis penetrans calor ſudorque in phtiſicis obſervatur, memorat *Joh. Chriſt. Wolf. (l. 1. obſ. Chirurg. Med. 23. p. 80.)*. Hoc autem in & ſtatim poſt mortem manus udæ ſunt. Aſſumta medicamenta calida multam hic facere paginam in illo, quem Martisburgi *(Vid. §. 12.)* poſt obitum ſudare animadverti, experientia docuit. Maligna namque febre defunctus Tincturam Bezoarticam & alia Medicamenta Camphorata absque Medici conſilio crebrius & in magna doſi aſſumſerat.

§. 17.

Athmoſphæræ præterea conſtitutio, tùm per ſe, tùm per accidens Symbolum huc ſuum confert. In genere namque menſtruali virtute gaudet *ex ſententia Dav. Beckii (Experiment. circ. Rer. Nat. Princip. p. 156.)*, atque penetrativis & ſciſſilibus qualitatibus, quæ propria ſunt diſſolventis, ut *Guilh. Clarke (Hiſt. Nitr. c. 2. p. 28.)* philoſophatur. Præterea, ut fluidum quid continuò agitatur, ſive ab æthere ſ. materia ſubtili, aut propria ſpira & quælibet corpora ipſius excurſui expoſita commovet & exagitat ratione juxtim Atomorum ſuarum

rum diſparis figuræ & ſoliditatis, illorum, quibus conſtant moleculas continuò diſſolvit & deprædatur. Vid. *Excell. Joh. Bohn. olim in caſtris Medicis commilito, nunc fautor colendisſimus (Med. Phyſ. Chir. de Aër. in Sublim. influxu c. 5. p. 104.)*. Accedit motus particularum in corpore exanimato inteſtinus, confuſus & anomalus, à quo partim è poris ſpiritus inſiti, lymphæ adhuc immerſi, aut particulæ ſulphureæ, cum ſalinis fluorem adeptæ, ſub ſpecie vaporoſa continuo, ipſo nauſeabundo cadaverum odore id atteſtante, exſpirant, quod ſi prætereà Aër ambiens frigiditatis gradu excedat, vapor ille in tenuem faceſſit aquam, & reſolutus cuti adhærens ſudorem mentitur.

§. 18.

Per accidens Aër ambiens ſudoris iſtius generationi favet. In ſtatu caliditatis mediocri conſtitutus, ſi particulis aqueis, intra ſuos poros admiſſis, gravidus agitetur, & illa agitatione ad rigidum & frigidum cadaver ſæpius illidat, exceſſiva illa cadaveris frigiditate calor, motus, & rarefactionis Autor primarius obtunditur & particulæ rarefactæ iterum condenſantur & ſudorem hujusmodi conſtituunt. Quod ſi Aër præterea ſit pluvioſus aut nebuloſus, aut fracidus & rancidus, qualis in cellis, hypogæis, & aliis locis ſubterraneis & concluſis, facilius phænomenon illud conſpectui ſe offeret. Unde & his locis concredita corpora & corporum partes ſitu deturpantur, corrumpunturque. Spectat huc *elegantisſimi Philoſophi & Medici Joh. Matthæi Fabri (M. C. Dec. 2. A. 9. in App. p. 462.)* non inelegans obſervatio, quæ ita habet: Apoplectica defuncta, die ſequenti guttis ſudoris prægrandibus facie manibusque, quæ ſcilicet denutatæ erant, manabat. Deterſæ illæ, die altera, qua Sandapilæ inferebatur, repullulabant, eadem quantitate, rurſusque abſterſæ, cum in Cœmiterio pro more retegeretur, ſudor apparebat largiſſimus, dum in aëri expoſitis ſaltem partibus facie & manibus, non ita in reliquo corpore ſudor comparebat, non alia ſane, quam qua dixi, ratione. Cadavera igitur iſta partesque non aliter ſudant, quam ut ſpecula, feneſtræ, & aliquando imagines & ſtatuæ.

§. 19.

Quod ſi poſt mortem liquore quodam vultus conſervandi & conciliandi coloris gratia, v. g. vino, Spiritu Vini, Aqua Roſarum lavetur, aut linteolis hujusmodi liquoribus imprægnatis tegatur, & ita cutis & ejus pori laxentur, aut potius cutis pori iisdem repleantur, eosque imbibant, nemo mirabitur, ſi iis remotis & vultu abſterſo aliquando roſcidus humor in eodem deprehendatur, quod etiam *Frommann. Noſter (c. l. p. 245.)* aperuit. De Bilſianis Mu-

miis *ad Th. Bartholinum* (*Cent. 3. Epist. 47. p. 195.*) ſequentia *Paul. Barbette*: Nunc valde madent, nunc juſto ſicciores pulveraſcunt; Hoc vero nemini mirum videbitur, ſi conditura ſalina ſint, prout *citatus Barbette, & Collega honorandus Gabriel. Clauder.* (*Tr. de Balſamat. Cadav. c. 5. p. 137.*) divinant.

§. 20.

Jungo his *à Paulo Zacchia* (*l. 4. Quæſt. Med. Legal. T. 1. n. 38. p. 366.*) proditum monitum, quando dicit: Si ſudor talis longo abitu prodeat ſuaviter redolens, in certa copia, ſtatisque temporibus, eundem nihil in ſe naturale habere, & vel à Dæmone, vel alia cauſa ſuperiore inſtar prodigii & miraculi concitari. Id verò non ita abſolute accipiendum, ſed cum grano ſalis, ſi nempe in vivis dum extitit illud corpus, non fragranti ſudore maduerit.

§. 21.

Ut lacrymas & ſudorem tribuunt inanimatis imaginibus, ſtatuis &c. ita & ſanguinem, adeoque & hæ ſanguineo madere ſudore non ſemel conſpectæ. Probè igitur his diſpiciendum, ne cum vulgò ſolum ad colorem fluidorum oculos vertamus, ſed & ad conſiſtentiam, odorem, & reliqua requiſita. Id ſi conſideres & expendas, impropriè vinum αἷμα ςαφυλῆς ſanguinem uvæ appellavit *Æſchylus*, quod nomen ipſi in ſacris tributum legimus (*Gen. 49. v. 12.*) & ſanguinem terræ *Androcydes, ſapientia clarus*, literis ad *Alexandrum M.* vocavit, ejusque intemperantiam cohibens (*Plinio l. 14. c. 5. teſte*) ſcripſit: Vinum potaturus, Rex! memento Te bibere ſanguinem Terræ. An quod vinum è cruore Gigantum, Terræ filiorum, ortum, quod *è Cœlio Calcagnino immortalis Noſter Phoſphorus* (*l. 2. Ampelogr. ſ. 6. membr. 2. c. 1. p. 293.*) memorat. De Sanguine Draconis alibi. In Hiſpania, juxta *Gerionis* ſepulchrum, duæ ſunt Arbores ſpecie ex pinu piceaque commixtæ, nec eſſe alibi dicuntur, ex illis ſanguis deſtillat, ut ex populo Iliaca (*Bruſſo T. 2. Rer. Memorab. c. 9.*). Polygonum Cocciferum in granis coccineis ad radices ejus circa ſolſtitium æſtivum inveniri ſolitis, ita dictum, eodem ſenſu, ſanguinem *S. Johannis* vulgus appellitat, cujus meminit *Joh. Sigism. Elsholtz* (*l. 6. Horti cult. c. 4.*), deſcribit *D. Barthol. Zorn.* (*in Addit. ad Herbar. Panov. p. 318.*), granaque illa vermiculorum eſſe ova, Microſcopio exploravit, quos accuratè deſcripſit *Celebr. Joh. Chriſtoph. Becmann. de Prodig. Sangu. c. 3. p. 25.*). Mentionem Coccarum harum fecit *Laurentius Eichſtad.* (*Tr. de Conf. Alkerm.*) & *Bodæus à Stapelen* (*Comment. in Theophr. Hiſt. Plant l. 7. c. 10. p. 846.*), & qui hoc ſe primum demonſtraſſe annotat *Sim. Pauli* (*Cl. 2. Qu. B. p. 114.*), ub in Piloſella has ſe offendiſſe ſimul docuit.

§. 22.

§. 22.

In lacrymas ſanguineas ſolutas Statuas & ſimulacra vix lectione offendes, ſi illum *Iſidori à Stephano Clozio (Exerc. 13. de Sud. Chriſt. Sanguin. §. 2. p. 114.)*. excipias relationem, qua retulit ſe præſente decem ante diebus, quam *Raudagniſius Gothorum, & Attila, Hunnorum Rex* acerrimo prælio contendiſſent ſtatuam *Raudagniſii* oleum, *Attilam* vero ſanguinem oculis exſudaſſe anno Chriſti 1283. Apud Papæos vero ſtatuæ & Icones lacrymantes magis obviæ. Ita ſtatuam JESU *Benedictus à Goes*, lacteas lacrymas deſtillantem vidit, cujus etiam *Johann. Euſeb. Nirnberg. (l. 1. de Mirac. Natur. c. 59. p. 447.)* mentionem fecit S. Nicolai Toleatinatis facies imaginis guttas ſudare viſa. *Joh. à Chokier de Surlet. (Cent. 2. Tac. Hiſt. c. 92. p. 351.)*

§. 23.

Simulacra ſanguine fluxiſſe, *Appiani teſtimonio (l. 24. hiſt. civil.)*, ſcimus. Simulacrum *Minervæ*, quod Mutinæ colebatur, primo ſanguinem, poſteà lac, *memorante Dione Caſſio (l. 46. Hiſt. Rom.)* ſudavit. Statua *Antonii* in Albano, juxta Jovem lapidem poſita, multum ſanguinis effudit, quo *Antonii* interitus portendebatur, *idem (l. 50. p. m. 260.)* Autor eſt. Simulacra Deorum ſanguine Romæ maduiſſe, ex *Aliis Conr. Lycoſthenes (Chronic. oſtent. & prodig. p. 228.)* narrat. Qui & ex humo à pollice Jovis cruorem manaſſe, fidem fecit *(p. 230.) M. Valerio Levino Str. M. Claudio Marcello IV. Coſſ.* in agro Capinate, ad lucum Feroniæ, quatuor ſigna ſanguine multo diem & noctem madida apparuiſſe, *idem (ſupplem. ad Jul. Obſeqv. c. 37.)* tradidit. *Idem de ſignis Lanuvii Junonis Soſpitæ*, idem *(oſtent. & Prodig. Chron. p. 117.)*. In Sicilia ſcuta duo ſanguinem ſudaſſe, *è Livio (l. 21.) Val. Maximus (l. 1. Memor. c. 6. n. 5)* commemorat. Addit *Lycoſthenes* jacula & pectora equis cruenta viſa. In poſtremis non eſt, dummodo fictum non eſt *illa Dionis Caſſii (l. 54. p. 322.)* narratio: Majus portentum Athenienſibus viſum, quod ſtatua *Minervæ*, quæ ad ſolem ſpectans in arce poſita, obverſa ad occaſum, ſanguinem expuit.

§. 24.

Sed ſatis hactenus in recenſione oſtentorum de Sudore ſimulacrorum & ſtatuarum ſanguineo apud Ethnicos deſudavi, jam ad ea, quæ noſtra & præterlapſa tempora in Simulacris & aliis Simulacris & Statuis tuliſſe dicuntur, paucis tranſeo. Nubem horum apud Papicolas invenias ſimulacrorum, hujusmodi imprimis Marianorum, nullum fere eſt, quod non de hiſce prodigiis participet. Pleni ſunt talium prodigiorum libri, pleni annales, plena anti-

tiquitatis monumenta, ut in hac parte paganorum oſtentis minime cedant concluſorum turbæ. Sufficiat *Mariam Sichenenſem ſeu Apricollem* adduxiſſe, de qua *inconſtans ille Conſtantiæ Scriptor, Juſtus Lipſius* (*tr. de h. c. 5. p. 12.*), evolvatur. *Mortuo Franciſco Xepherio*, per illius anni ſex Hebdomarum ferias, ſanguinem ſudavit imago Crucifixi, promulgante *infidæ fidei hiſtorico, Joh. Euſebio Nirenbergero* (*l. c. c. 75. p. 419.*). De cruce Chriſti cruentante egit (*l. 2. de Cruc. Triumphante c. 6. p. 160.*) *Boſius*. Bernoburgi in Saxonia id etiam accidiſſe Anno 1551. *Joh. Wolff.* (*Centen. 16. Lect. memorab. & recondit. p. 624.*) De oſſibus Martyrum quædam collegit *Simon. Majolus* (*Dier. Canic. Colloqv. p. 34.*) & *Stephan. Clotz.* (*c. l. p. 121.*)

§. 25.

Cruentavit etiam apud Reformatos Crux Chriſti, prout *Kircher.* (*Prodrom. Evang. p. 110.*) & *Joh. Læſelius* (*de Podagr. p. 47.*) atteſtantur. Sed & in aliis ſanguinis profluvia conſpicua obſervata. In Electoris Saxoniæ imagine (*Theatr. Europ. Tom. 5. p. 818.*), in vexillo Cæſareo (*c. l. T. 4. p. 94.*), In Bombarda (*Andr. Libav. ap. Joh. Hornung. Ciſt. Med. Epiſt. 59. p. 175.*), De Cornu Cervino, quod domus Wirtenbergica pro inſignibus habet, *Martin. Cruſ.* (*p. 3. Annal. Suev. l. 12. c. 37.*) advertit, quod anno 1588. cum jam ante viginti annos â Cervi capite reſectum fuiſſet parieti affixum, ſanguinem ſudavit, magnæ cujusdam ex illuſtriſſima illa Domo perſonæ obitum præſagiens. Ipſe, ſi recte memini anno 1666. in pago Battaune prope Ileburgum ê cornibus cervinis ultra annos viginti clavo parieti affixis, è foramine clavi, tale ſtillicidium prodire vidi, quod humorem forſan è cornibus & Aëre, colorem vero â rubigine ferri obtinebat. Odore enim & ſapore Spiritui Cornuum Cervi non abſimilis erat. Plura ſuggerent *Joh. Agricol.* (*in Cerv. excoriat. c. 1.*) & *Martin. Zeiler.* (*Cent. 1. Epiſt. 13. p. 133.*) Add. *And. Libav.* (*de Cruent. Cadav. p. 375.*). E ligno arido, ſanguineo humore calente, manante, dum â Sutore ſecabatur, *Theatr. Europ.* (*c. l. p. 719.*) in foſſa oppidi Beihelſtaini infra ex ſalice erupit fluxus ſanguinis diu profluens & fœtens, iterum memorat *Andr. Libav.* (*p. 1. ſingul. p. 261.*). De falcicula *Idem* (*p. 2. Sing. p. 172.*)

§. 26.

Naturaliter Aquas cruentare poſſe, aut ſaltem cruoris colorem referre à *Luciano* (*T. 2. op. 1. de Dea Syria p. 659.*) pateſcit. Fluvius apud Byblios Adonis quotannis cruore inficitur, amiſſoque colore in mare delabitur: magnamque pelagi partem cruentat, tempusque lugendi (*Adonidem*) Bybliis indicat. Fabulantur autem, hiſce diebus in Libano ſauciari, unde in Aquam

dela

delatus ſanguis fluvii colorem mutet, eidemque nomen det. Atque hæc quidem vulgo dictitant. Sed vir quidam Byblius mihi vera dicere viſus, aliam hujus rei cauſam narravit his verbis: Fluvius hic Adonis, ô hoſpes, per Libanum defertur, cujus terra eſt admodum flava, quam minio ſimillimam venti vehementes diebus illis exorientes in fluvium deferunt: eaque facit, ut cruentus videatur. Ita non ſanguis, *ajunt*, ſed terra hujus cauſa eſt. Ac Byblius quidem hæc mihi narravit. Quæ ſi vera ſunt, divinus admodum hic venti ortus mihi videbatur. *Hæc Lucianus.*

§. 27.

De Statuarum autem ſudore & cruentatione ita philoſophatur (*T. I. vit. parallel. in Coriolan. p. 470.*) *Plutarchus*, Sudare, *infit*, ſimulacra, lacrymari, guttasque ſanguinolentas emittere, non id quidem omninò fieri non poteſt. Ligna enim lapidesque ſæpe rubiginem contrahunt, quæ in liquorem diſſolvi poſſit: colores excedunt varios, aut inficiuntur ab eo, quod eſt circumpoſitum: quo minus etiam Dii aliquid illis nonnunquam portendant, nihil videtur obſtare. Edere etiam ſonitum, gemitûs, ſuſpiriiq; adſimilem poſſunt, cum exteriores fortè eorum partes uſurpantur, aut violentius â ſeſe diducuntur. Articulatam vero vocem, ita expreſſam atque integram, & quæ intelligi omnino poſſit, ab inanimato corpore edi, creditu eſt perquam durum: quando neque DEUS, neque Anima, ſine corpore, inſtrumentis & partibus animi capacibus apto, loqui posſit. Quod ſicubi hiſtoria nos, ut ita factum credamus, multis & fide alioquin dignis urget teſtibus, ita ſtatuendum eſt, eſſe innatum quendam ſenſus diſſimilem effectum ei animæ parti, quam ab imaginando & iis, quæ concipit viſa, phantaſiam Græci vocant, qui deinde affectus id, quod opinatur, ſe percepiſſe, perceptum nobis eſſe perſuadeat: quomodo in ſomnis, cum nihil audiamus, aut videamus, audire tamen nos & videre opinamur. Verum enim vero iis, qui nimio ſtudio amant ac colunt Numina, nihilque ejusmodi rerum ſibi oblatarum negare audent, his, ut ea credant, multum confert admiratio DEI, idque quod vires ejus longè ſunt aliæ, quam noſtræ. Nihil enim naturæ humanæ DEUS ſimile habet, non motu, non arte, non robore nobiſcum convenit: neque abſurdum eſt, ſi quid iis faciat machineturve, quod nos efficere nequeamus, quin imo per omnia noſtrum diſſimilis maxime eam in ſuis operibus differentiam oſtendit. Sed (quod ait *Heracletus*), ut pleraque rerum divinarum noſtram cognitionem effugiant, efficit incredulitas. *Hactenus Plutarchus.* Admirabile plane & ſingulare, quod *Dio Caſſius* (*l. 54.*) prodidit, antequam Erithream & Æginam, unde fructum

perciperent Athenienses ademit Atheniensibus, *Octavianus Antonium* recepissent, statuam *Minervæ* in arce positam ad solem orientem spectantem obversam ad occasum sanguinem expuisse.

§. 28.

Guttulas sanguineas muris, parietibus adhærentes, quales olim conspectæ & Lanuviæ in æde *Junonis Sospitæ (Vid. Conr. Lycosthen c. l. p. 141. & 194.)* item, quas in foliis Arborum conspicimus non pluviæ sanguineæ; sed excrementis Papilionum esse adscribendas, docuit & demonstravit *Nicol. Claudius Fabritius de Peiresc. (P. Gassend. l. 2. de Vit. Ejus p. 154.)*, cui assurgit *Gottofrid. Vendelin. (de Caus. Pluv. Bruxellens. p. m. 104.)*. Ante hoc vero tandem conceperant sententiam *Joh. Schleidanus* & *Jacob. August. Thuan. Nobilissimum historicorum par.* Ille quidem *(l. 25. Comment. p. 801.)* cum *Joach. Camerarii orationem de obitu Mauritii Electoris Saxoniæ* recenset, ubi inter prodigia mortem ejus antegressa sanguineas guttas in foliis Arborum hærentes numerat, ita commentatur; Et sane quantum ad guttas illas cruentas pertinet, multis in locis vulgo conspectæ sunt, & Argentinæ quidem sub initium Junii cum super herbas, frondes, tegulas atque saxa decidissent. Volitabat tunc ingens turba papilionum, neque deerant, qui cruorem hunc ab iis emanare dicerent. Alii contra portendi aliquid atque significari judicabant *(l, 12.) Thuan.*

§. 29.

Imaginarias has pluvias, ut concedo, ita & alias portentosas sane ab hac causa deducere insanum esset. Anno. 1571. in festo Sanctorum omnium in ditione Ebdensi, quæ Deudam vocatur Frisis orientalibus, nocte sanguine pluit tanta copia, ut ad quinque vel sex milliarium spatium herbæ & vestes expositæ in apricum ex albo colore penitus in purpureum sint mutatæ plerisque ad rem postea repræsentandam plenos sanguinis cyathos adservantibus, quod *Cornel. Gemma (l. 2. Cosmocrit. c. 2. p. 105.)* recensuit. Plures, quibus sanguis largiter fluxit pluvias, attulit *Vendelin. (c. l. p. 139.)*, ubi judiciosam *Dn. D. J. C. Dannhaueri (Theol. Conscient. p. 2. Dial. 4. p. 65.)* ἐπίκρισιν amplector. De hac quamvis multi multa protulerint *ap. Gott. Vendelin. (l. c. Joh. Jacob. Chiffletius p. 209. Casp. Gevalt. p. 113. Petr. Gassend. p. 115. Robertus Fervas. p. 129. Amand. Frobius p. 133. Vopisc. Fortun. Plemp. p. 139.)* & *Joh. Marc. Marci (Phil. Vet. restit. p. 2. s. 7. p. 262.)* Vulgari vulgi Philosophia fuit, cædes boum æque, ut quando lacteæ ortæ, profluere asserit, quod radii solares è vaccarum uberibus in campis lac absorbuerint & in nubes trans-

transformarint, quod ad pluvias cruentas à cæde citat *Gerh. Joh. Voss.* (*l. 3. de Orig. & Prog. Idol. c. 12.*) *Plutarchum* (*in Vita Marii*). Quod ideo post prælium Cimbricum id contigerit, memoriæ lapsum incurrit, cum tantum in eo loco post magna prælia immodicas pluvias decidere asserat, hujusque phænomeni causas reddere satagat. Maculas interim in linteis licet in arca reconditis sanguineis muscilionibus & culicibus sanguisugis *P. Borell.* (*Cent. 1. obs. 46. p. 49.*) potiori jure tribuit. Tela quidem, licet falso, putant sudare in hopliatria, cum de morte vulnerati judicium facere volunt, inquit *Andr. Libav.* (*de Cruent. Posit. 157. p. 116.*)

§. 30.

Cur ligna incisa sanguinei quid prodant, non ita patet. Inter homines spirituales (*Geist Menschen*) etiam numerat Nymphas *A. Theophr. Paracels.* (*fragm. l. de Sanguin. ultra mortem p. 270.*), his carnem & sanguinem tribuit. Et quomodo hominem cacodæmon obsidet, & Nymphas eidem obsidere dicitur. *So er sie besessen hat, so fähret er mit ihr in die Bäum, und beugt dieselben, gleich als wolt er sie umwerffen, so doch kein Wind ist, und stille darzu. Darbey auch läst er die Æst und Lauber-Blätter, so herab rislen, nicht unter dem Baum liegen, sicht gleich, als wär es für und für mit einem Besen sauber gekehret. Nun auff das folget, dieweil die Nymphen besessen ist, und aus ihrer Region (den Wasser) (Vid. lib. 1. Philosoph. Sagac. p. 417.) genommen und geführet also in einen Baum: Alsdann was darin gehauen wird, dasselbige blutet, und ist nicht anders, als wenn ein Hexen-Katz, Meer-Wolff gehauen wird, da läufft Blut heraus, und ist aber kein Mensch, sondern ein Katz oder Meer-Wolff: Wiewohl der Meer-Wolff, die Katz ein Mensch ist: Es siehet aber nicht einen Menschen gleich. Hæc ille fabulatur.* Sed ita illa se habeant, quomodo in ligno arido id procedat?

§. 31.

Non sine causa *A. Theoph. Paracels.* hic fabulari censui. Antiqua est fabula, Hamadryades, id quidem ipsa vocis compositione innuente, cum arboribus, quercubus comprimis, nasci, eas in habitare & iis occidentibus simul occidere. Ita *Servius* (*ad Virgil. Eclog. 10. v. 62. p. 42. & l. 3. Æneid. v. 27. p. 315.*). Ante hunc vero *Callimachus* (*Hymn. in Delum. 4. v. 79.*) ut vertit *Nicol. Frischl.* (*p. 112.*)

At Meliefestas Nympha aversata Choreas,
Horruit infelix totoque expalluit ore
Proque sibi æquæva gemitum dedit ilice: quassas
Ut vidit Helicone comas: Mihi dicite Musæ

Sintne

Sintne una Nymphæ verè cum quercubus ortæ?
Nymphæ equidem gaudent, quum quercus imbre rigantur
Nymphæ iterum lugent, ubi quercus frondibus orbæ.

Ita de Eryſichtone Naſo (l. 8. Metam. v. 741.)

Sic etiam Cereale nemus violaſſe ſecuri
Dicitur, & lucos ferro temeraſſe vetuſtos
Stabat in his ingens annoſo robore quercus;
Una nemus vittæ mediam, memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant voti argumenta potentis,
Sæpè ſub hac Dryades feſtas duxere choreas,
Sæpè etiam manibus nexis ex ordine trunci
Circumiere modum: menſuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat, nec non & cætera tanto
Sylva ſub hac, ſylva quanto jacet herba ſub omni.
Non tamen idcircò ferrum Dryopeius illa
Abſtinuit; famulosque jubet ſuccidere ſacrum
Robur: & ut juſſos contari vidit: ab uno
Edidit hæc rapta ſceleratus verba ſecuri,
Non dilecta Deæ ſolum, ſed & ipſa licebit
Sit Dea, jam tanget frondente cacumine terram
Dixit, & obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit gemitusque dedit Decidua quercus,
Et pariter frondes, pariter palleſcere glandes
Cœpere, ac longi ſudore madeſcere rami:
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit diſciſſa cortice ſanguis
Quam ſolet ante aras, ingens ubi victima Taurus
Concidit abrupta cruor è cervice profuſus.
Obſtupuere omnes: aliquisque ex omnibus audet
Deterrere nefas ſævamque inhibere bipennem.
Aſpicit hunc, mentisque piæ cape præmia dixit
Theſſalus, inque virum convertit ab arbore ferrum
Detruncatque caput repetitaque robora cædit.
Editus è medio ſonus eſt cum robore talis:
Nympha ſub hoc ego ſum Cereri gratisſima ligno.

Has igitur Poëtarum nænias Paracelſum interpolaſſe vel qui obeſæ naris eſt, odorabit.

§. 32.

§. 32.

In demonstratione quomodo ossa, addo & cornua, sanguinent, dum ingeniosus videri cupit, ridiculus fit *Joh. Marcus Marci* (*Phil. Vet. Restit. p. 4. s. 1. subs. 3. p. 407.*). Magica arte id contingere posse, iterum *Paracels.* (*l. de Sangu. ultra mortem p. 269.*) nugatur: *Ein Hex kan aus einem dürren harten Stecken, aus einem Nagel, frische gute Milch melcken, und ist kein betrügliche Milch. Darauff nun folgt, kan die Unhold das, so kan sie auch ein Todten-Bein melcken, daß Blut giebt.*

§. 33.

Qui causam Cornu Cervini in Hortulo Vinariensi cruentantis sat longe è Natura petunt, volunt cruoris quiddam in porositate cornuum resedisse & sic ortum esse. Hoc si immergatur aqua, cornu facile separatur, tingitque eam simili colore, ut sanguinem esse affirmes. Idem evenire potest Vaporibus admissis, ibique in Aquam resolutis, quæ exitum quærens seu forte invenit, seu eradendo sibi viam paravit. Unde cumulatim effusa pro sanguine se gessit. Ita *Andr. Libav.* (*tr. de Cruent. Cadav. th. 279. p. 375.*). Interim minimè pensi-habendum *Sal. Albert.* (*Orat. de Cruent. sud. p. 44.*) monitum, DEI jussu sæpenumero res inanimes & exsangues, ut terra, simulacra, Cervorum cornua multo sudore manare, quamvis neque sanguis neque sudor nisi è corpore fit.

§. 34.

Ad sudorem demum cruentum viventium & mortuorum transeo. Sudasse autem vivos cruorem, historiæ & observationes variæ confirmant. Duplex ille est, vel universalis seu totius corporis, vel particularis, seu partis aut partium quarundam.

§. 35.

Probe autem hic non tantum ad colorem humoris, qui sudore evacuatur, sed & consistentiam, odorem, & cætera sanguinis requisita dispiciendum. Poterit sudor esse rubicundus & colore sanguineo, minime tamen sanguineus & cruentus. In antecedentia, assumta cum primis mentis acies dirigenda. *Nobilis Roth*, *scribit Phil. Salmuth.* (*Cent. 2. obs. Med. 28. p. 72.*), dum indulget genio & potui Cerevisiæ atque saltationibus, corpus nimis commovet, potus omnino crudus per sudorem rursus evacuabatur, ita quidem, ut & Cerevisiam saperet & vestes tingeret, & vestigia relinqueret. Sic & vinum Alacantinum evacuari & sanguineum sudorem mentiri vulgatum est, *addit*, quod & in equite Melitensi deprehendit *B. Noster Phil. Jacob. Sachsius* (*l. 2. Ampe-*

logr. s. 6. m. 2. c. 8. Artic. 1. §. 2. p. 395.) idque dispositioni peculiari acceptum tulit *Joh. Theodor. Schenk.* (*l. 1. Exerc. Anat. 7. s. 2. c. 32. p. 562.*). *Franc'isc. Zypæus* (*p. 2. Fundam. Med. Phys. anat. c. 3. Artic. 17. §. 11. p. 81.*) memorat: Observatum est, aliquem â largo potu vini Hispanici sudorem illi similem reddidisse, sed hoc ob nimiam copiam, qua calor cordis ferè suffocatus, vix illud mutavit factum putat. In studioso etiam Hafniensi, post usum talismodi vini, rubrum sudorem notavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 4. obs. 62. p. 362.*). A vino rubro sudores cruentos apparere, *ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 4. hist. 45. p. 328.*) legitur. Similiter *Nobiliss. Dn. D. Joseph. Lanzon.* (*M. C. D. 3. A. 1. obs. 40. p. 58.*) se observasse tradidit, militem â vini generosi potu sudorem vino nigro similem effudisse. Ita *Crassum*, dicebat *Apulejus* (*Apolog. 1. p. m. 417.*), secundo lavacro ad repotia Cœnæ obeunda, vinolentum sudorem in balneo sudasse. Et tales forsan causas alii obtinuere sudores rubicundi â Medicis non exquisitas & animadversas, quod mecum suspicatur *Excell. Collega. Rosin. Lentil.* (*M. C. D. 3. Ann. 1. in Append. p. 125.*), cujus verba huc referri merentur: Nil prohibet, *infit*, quo minus â certo quodam fermento, qualecunque demum sit. Illud ita vitiari glandularis lympha possit, ut in perspirabili corporis parte, quales axillæ sunt, linteaminibus, comprimis illis, quæ sunt ex aqua, calcis vivæ multum continente, rubellum colorem affricare queat. Hoc in acidiore lympha perquam facilè contingit, veluti per Chymica experimenta constat, Spiritus acidos tingere cum claritate, (*Conf. Joh. Sigmund. Elsholtz. distill. curios. c. 2. p. 7.*). Salia sylvestria ut in scorbuticis sanguineam tincturam urinoso rejectamento imprimunt, ita & sero Glandulari id posse, non vana est *Guerneur. Rolfinck.* (*l. 6. Dissert. Anatom. c. 62. p. 1284.*) & *Illustris Dn. Præsidis* (*M. C. D. 2. obs. 34. in Schol. p. 64.*) conjectura.

§. 36.

Uterque sudor, imprimis universalis, an naturaliter contingere possit, apud Authores disceptatur. *Joh. Bapt. Selvatic.* (*Centur. 5. p. 39.*) negativam amplexus, cujus rationes *Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. jucund. qu. 86. n. 7. & sq. p. 1112.*) expendit & refutat, tandemque (*p. 115.*) concludit: ipse *Sylvaticus* ex eo tantum sanguinis sudorem impossibilem judicat, quod rarissime accidere possit, sed possibilem esse omnino non negat, quæ ipsa conclusio mira sano Cerebro videbitur. Ipsum *Hippocratem* (*l. de Morb. Vulg. s. 2. p. 96.*) in historia *Lyciæ* sanguineum sudorem notasse, *Jan. Cornar.* teste *Anutio Fœsio* (*in not. ad h. l.*) voluit, quo etiam *Matth. Ping.* (*in Ind. op. Hippocr. f. 149. col. 1.*) inclinat. Sudor simpliciter in textu habetur, nec aliter explicuit *Franc. Vales.* (*in*

(*in cit. Hipp. locum col. 125.*). Quemadmodum dantur Hæmorrhagiæ criticæ & salutares, quæ ſanguinem vitioſum & abundantem evacuant, ita nec impoſſibile eſt dari ejusmodi ſudores ſanguineos, concludit *Caſpar. Bravo de Sobremonte* (*de Sudor. ſ. 2. Reſol. 3.*), & iis, quibus ſanguinis ſudor ludibrium eſt, *J. C. Baricell.* (*l. 2. de Hydronoſ. Nat. c. 11. p. 154.*) hoc repoſuit: Si Natura poteſt ſanguinis reſudationem habere ex illis mammis, oculis, auribus, gingivis, temporibus, digitis pedibus & aliis partibus, profecto ex toto etiam ſuſcitare poterit & vero ſanguine. Si præterea Ars, addo & venena, ſanguineum ſudorem provocare poteſt, quanto magis Natura, quæ ſuperfluum & redundantem ſanguinem per omnem corporis regionem eliminat, maximo cum Animalium commodo, decidit *Zacut.* (*l. 3. Prax. admin. obſ. 75. p. 113.*). Et his plurimi Medicorum & Phyſicorum mecum aſtipulantur.

§. 37.

Hiſtoriæ ubique ap. Authores proſtant, quas coacervare hoc loco meum non eſt inſtitutum, inſerenturque ſequenti diſcurſui hujus generis variæ: Sudoris cruenti frequentioris & ſæpe recurrentis in fœmina, hiſtoriam narravit *Dn. D. Joh. Jacob. Franciſcus Vicarius* (*M. C. D. 3. Ann. 1. obſ. 109. p. 183.*). In cauſas potius inquiram, quæ cum in ſanguine quærendæ, tum in viis, per quas ſanguis tranſudat. Addidit his facultatum nutritioni inſervientium debilitatem *Joh. Jonſton.* (*l. 10. Thaumatogr. Nat. c. 3. Art. 5. p. 453.*), ſi nempè retentrix non retineat, expultrix contra fortiter expellat. *Ariſtoteles* (*l. 3. Hiſt. Animal. cap. 19. & l. 3. part. anim. c. 5.*) unam in corporis habitu poſuit, alteram in ſanguine præ cruditate colorisque imbecillitate nimium humeſcente ac ſereſcente. Quæ in unam fortè, *judicio Salom. Alberti* (*Orat. de Sud. Sangu. p. 23.*) non inſcitè conjiciuntur. E poſteriori enim ptior quaſi ex ſtirpe oriri videtur. Hanc de ſudore ſanguineo ſententiam, judicium ſuum exponit, *Idem* (*p. 21.*) *Ariſtoteles* more Lacedæmoniorum ejaculatus potius eſt, quam expreſſit verbis brevibus ac contortis, quorum incitationem melius, quam veſtigia videre eſt.

§. 38.

Notum eſt, ſanguinem in corporibus Plethoricis facilè efferveſcere, & in motus anomalos concitari, cum primis, ſi Chylus particulis amaris aut ſalſis turgidus (quas bilem vulgò vocant), eidem miſceatur. A motu iſto ſanguinis inordinato in vaſis majoribus etiam in capillaribus minoribus, & ipſis fibris turbæ & diſtenſiones, ut ita diſtenta glandularum cutis vaſa una cum ſero aut lympha ſanguinis purpuram effundant, emittantque.

§. 39.

Multum huic effervescentiæ favent motus cum animi, tum corporis. *Alexander M.* (si rectè notavit *P. Boistuau de l' Excellenc. de l' homme p. 225.*) cum ardenti animo in pugna adversus Indos decertaret, militesque suos deficere animadverteret, usque adeo ira succensus est, ut sanguinem è toto corpore sudaverit. Biliosi autem & sanguinei temperamenti fuisse Alexandrum, infra (*l. h. Tit. 8. §. 37.*) dicetur. Firmat hanc assertionem particularis illa in *Georgio Castrioto* (*Isenderbeg. s. Dn. Alexander Turcis vocato*) sanguinis per labia eruptio, quoties invicto animo prælium contra Turcas sustinebat. Quid corporis exercitatio & motus possit, *eis Actuarii* (*l. 1. c. 10.*) narratione, quam citat *Th. Bartholin.* (*de Lat. Christ. apert. c. 13. p. 127.*) dispalescit, de juvene, cui globuli sanguinis in cutem per sudorem ab æstu solis, & laborioso itinere distribuebantur, de Adolescentulo ab itinere vino hausto calefacto & febrili ardore correpto, qui primum è gingivis effluentem cruorem rejecit, postmodum è totius corporis poris sanguinem sudavit, *Georg. Sporlin.* (*ap. Georg. Fabr. Hildan. Cent. 6. obs. 76. p. 601.*). A motu nimio in sphæristerico (*l. de Cons. Sanitat. c. 9. p. 95.*) *Joh. Jacob. Scharand.* De alio Scorbutico *Sam. Ledel.* (*M. C. D. 2. A. 2. obs. 34. p. 63.*). A saltatione, *Christ. Francisc. Paulini* (*M. C. D. 2. A. 6. Append. obs. 1. p. 4.*), qui & coitûs, cum sudore cruento (*c. l. obs. 47. p. 55.*), mentionem fecit. De ave Erodio in coitu sanguinem sudante, ex Aliis *Sigism. Schnizer.* (*ap. Joh. Hornung. Cist. Med. Epist. 57. p. 166.*). Pellæ, quæ ex Aucolarum genere, coitus difficilis est: *scribit Aristot.* (*l. 9. Hist. Animal. c. 1.*); Vociferatur enim & sanguinem ex oculis, ut ajunt emittit, cum coit. Adolescens quidam nobilis assidebat nobili & honestæ cuidam fœminæ, cujus nuptias ambiebat & progressu temporis consecutus est. Hic in prandio ad mensam cum colloqueretur: Ecce vena in temporibus prope aures illi sponte aperta est, & profluxit copiosus sanguis, quem strophiolo compescere conatus est. Hæc ipse vidi, ut utrique in mensa assidebam, narrat, è *Matth. Cornace* (*l. 1. Cons. Med. c. 3.*) *Joh. Schenck.* (*l. 1. obs. p. 141.*). Vulnera ob amasiæ præsentiam perpetuo sanguine stillasse ægrumque inde obiisse *P. Borell.* (*Cent. 1. obs. 93. p. 192.*) & in vulneribus capitis & nervorum coitum perniciosissimis hæc exemplis demonstravit *Guilh. Fabr. Hildan.* (*Cent. 1. obs. 19 & 22. p. 25.*).

§. 40.

Terrore sanguinem moveri præter rationem videtur, *vide Melch. Sebiz.* (*Exerc. Med. 12. probl. 5.*). Terrore tamen militum Monialis ex omnibus meatibus fudit sanguinem, ut *ap. Florit. Leudat.* (*in Martyrolog.*). *Andr. Libav.* (*p. 2.*

(*p. 2. singul. probl. p. 275.*). *Joh. Schenckium* (*l. 3. obs. Med. 417.*) & *Th. Bartholin.* (*Disp. de Sangu. Vetit. §. 8. p. 145.*) legitur. Conf. *Exc. Dn. D. Georg. Ernest. Stahl.* (*Disp. de Passion. Anim. th. 26. p. 42.*). In magnis interim consternationibus & Terrore, v. g. affusione aquæ frigidæ Hæmorrhagiæ sistuntur & incisa vena sanguinis evacuatio minimè ad votum procedit. Angore animi *Joh. Brustamant.* (*l. 2. de Animal. S. S. c. 16. p. 128.*) libere pronunciare ausus est, ex animi angore, anxietate & angustia neminem unquam sanguinem sudasse. Potest quidem, decidit *Stephan. Roderic. Castrensis* (*l. 1. tr.* quæ ex quibus *c. 23. p. 56.*) anxietudine sanguinem ad interna revocari, revocatum incalescere, caliditate attenuari, & ad externa detrudi; Inde contrarium historicorum monumenta declarant, *Jac. Aug. Thuan.* (*l. 11. Histor. p. 209.*) hanc sistit: Præfectus montis marini cum in obsidione ejus ab *Augusto*, Solusionis Principis filio notho, quasi ad colloquium fuisset vocatus, & captivus detentus, morsq; interminata, nisi locum traderet, tantoperè indignæ mortis metu affectus est, ut sanguineum sudorem toto corpore funderet. Gemellam recitat *Joh. Maldonat.* (*in Matth. c. 26. n. 38.*). Add. *Hier. Cardan.* (*l. de Nat. Hom.*). De verecundia aut potius amore spirituum in sanguine vinolento motore sequentem suggerit *laudatus Alberti* (*c. l. p. 34.*): Nobili cuidam, qui viduam deperibat cum ad colloquium ejus admissus esset, ex nimia verecundia secundum aurem vena rupta sanguinem profudit. Eadem forsan cum ea, quæ (*§. præced.*) adducta.

§. 41.

Si insuper alia morbosa miasmata effervescentiam sanguinis procurantia in sanguine hospitentur, quid mirum, si istiusmodi phænomenon oculis occurrat. Ad totum cutis ambitum sanguinem cum Sero præter naturam cursitare & effervescere, variolæ, morbili & alia cutis anthemata, imo Phlegmone, Erysipelas, Phlegmonides, aliaque hujus generis testantur, *inquit*, *Th. Bartholin.* (*de Cruc. Hypom. 4. p. 16.*). Sudorem ideò in pessimis Variolis annotavit *Rhases* (*l. 30. Contin. tr. 13. c. 1.*). Spectat huc *Hildani* (*c. l. obs. 77. p. 603.*) observatio de variolis, quando ex pustulis, loco ichoris & puris sanguis veluti sincerus extillavit. In Peste *Georg. Agricola.* (*l. 3. de Pest. p. 95.*) & *Joh. Kentmann.* (*de Pest. cit. Salomon. Alberto Orat. de Sud. Cruent. p. 22.*), Fuit autem mulier *Agatha Altermenna* in Peste Misnensi 1552. quæ per quatriduum sudabat sanguinem, & quoties de fronte detergeretur, aliæ guttulæ erumpebant, moriebatur 13. Octobr. Calend. *teste Georgio Fabricio* (*l. 3. Annal. Misn. p. 207.*). Alios pestiferos toto corpore talem sudorem emisisse, *Zacut Lusitan.* (*l. 3. Prax. Med.*

admir. obs. 41. p. 205.) autor est. De petechiali febre *Guilh. Fabr. Hildan. (c. l. obs. 76. p. 601.)*; Profluit ex eodem scaturigine in febribus sudor cruentus Criticus, cujus historiam iterum *Zacut. (c. l. obs. 75. p. 173.)* texuit. Singulare proinde, quod de pueri Tertiana duplici laborantis immoderata Hæmorrhagia consignavit *Thaddæus Dunus (Miscell. Med. cap. 11.)*, quæ sub Paroxysmi accessum suppressa fuit, cum potius sanguine inordinatè moto copiosius effluere debuisset, cujus suppressionis causam sanguinis motui ad cor assignavit.

§. 42.

Referendum huc serpentis Hæmorrhoi venenum, quamvis eo potius sanguinem corrumpi & corruptis fibris nimium attenuari tradat *Rejes (c. l. n. 15. p. 1115.)* & à veneno calido ac effervescente succos animantis distendi & (vasa) acrimonia & malitia erodi *Joh. Bustamant. (l. c. c. 12. p. 482.)*, quin & cor abrumpi asseruit (*c. 11 p. 480.*). Idcirco per vulnus, alvum, tussim & cicatrices, si quæ sint in corpore, cruorem expellere docuerunt. *Dioscorides (l. de Theriac. c. 12. p. 429. secund. edit. Joh. Anton. Saraceni aut l. 6. c. 50. p. 772. juxta Petr. Andr. Mathioli edit.)*. *Nicander (in Theriac. p. m. 1058.)*. *Galen. (l. de Theriac. ad Pison. p. 1058.)*. *Ælian. (l. 15. Hist. Animal. c. 13. p. 884.)*. *Diodor. Sicul. (l. 17. Biblioth. c. 9. p. m. 884.)*. *Conr. Gesner. (l 5. de Animal. p. 58.)*. Add. *Samuel. Hafenreff. (l. 3. de Cut. Affect. c. 8. p. 425.)* & quæ collegit *Joh. Jonston. (l. de Serpent. Artic. c. 4. p. 15. sq.)*. Sanguineum sudorem addidit *(l. 9. Phorsal. v. 812.) Lucan.*

Sic omnia membra
Emisere simul rutilum, pro sanguine, virus.
Sanguis erant lacrymæ quæcunque foramina novit.
Humor ab his largus manat cruor, ora redundant
Et patulæ nares, sudor rubet, omnia plenis
Membra fluunt venis totum est pro vulnere corpus.

Venenum calidum accusat *Bustamant. (de Reptil. S. S. l. 2. c. 11. p. 482.)*, quod facit, ut effervescant succi animantis & vasa omnia distendantur. Addo venenatam acrimoniam & malitiam vasa erodentem.

§ 43.

De Serpente Ibyara *Georg. Marggrav. (l. 6. Rer. Natur. Brasil. c. 13.)* ad quem ista Joh. de Laët notat: Ambigo an idem serpens, quem sub nomine Ibiracua *(l. 15. c. 6. Americæ nostræ)* descripsimus, cujus virus tam vehemens censetur, ut homini, quem momorderit, quantocyus sanguinem ex oculis, auribus, nari-

naribus, gutture & inferioribus corporis partibus expellat tanta copia, ut nisi statim subventum fuerit, emoriatur. Ferunt, in Quitensi Provincia (*memorat Athan. Kircher. s. 3. Scrutin. Pest. c. 3. p. 307.*) cœlo sereno, nonnunquam in ipso Aëre vermes quosdam excludi, qui in terram lapsi in Angues vertuntur bicaudatos, ea qualitate imbutos, ut quemcunque non viderint eum statim resolutis sanguinis ostiis non tantum ex omnibus Naturæ orificiis, sed & per ipsos poros, sanguinem protrudere usque ad ultimum hominis exitium cogant, nullo adhuc contra tam immanè malum invento remedio.

§. 44.

Quod ad sanguinis consistentiam tenuior aliquando est & humidior. Naturalis quibusdam sanguinis illa constitutio, v. g. Belgis, Gallis, & Anglis ob ciborum humiditatem & copiam, ut vult *Levin. Lemn.* (*l. 2. de Complex. c. 2. p. 123.*). Quare & Angli, sudore illo Anglico dicto (*juxta Eund. c. l.*), tentantur. A sanguine acidulorum usu attenuato hæmorrhagiam advertit *Heinric. ab Heer* (*obs. 23. p. 270.*). Præternaturalis est Aliis, ut in Cachecticis, Scorbuticis &c. quale Exemplum recitat *D. Joël Langelott.* (*M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 10. p. 20.*). Cognovit id jam olim *Aristoteles* (*Vid. §. 37.*). Secutus Præceptorem *Theophrastus Eresius* (*l. de Sudor. p. m. 134.*) & Averrhoës (*Comment. in l. 3. de Part. Anim. Aristol. c. 19.*). Conf. *Zacut. Lusit.* (*l. 2. Hist. Med. Princip. 10. p. 183.*). *Casp. Hoffmann.* (*Collect. de Ichor. §. 63. p. m. 269.*). Sudorem talem fumasse *Alcmæonem è Plutarcho* citat *J. Brustamant.* (*l. c. c. 16. n. 128.*). Talis Studiosus ille Medicinæ apud *Guilh. Rondelet.* (*l. de Cogn. Morb. c. 11. p. 684. & c. 18. p. 702.*). Adolescens *ap. Hildan.* (*c. l.*). Adde si libet, *Alsharavium* (*in Pr. f. 2. tr. 31. c. 19.*). *Cæl. Ludov. Rhodigin.* (*l. 5. Lect. Antiqu. c. 2. col. 271.*). *Joh. Langium* (*l. 2. Epist. Med. 26. p. 666.*). *Marcell. Donat. l. 1. Hist. Med. Mir. c. 2. p. 17.*) *Gregor. Horst.* (*p. 2. obs. Med. l. 1. obs. 15. p. 35.*). *Andr. Libav.* (*p. 2. singul. l. probl. p. 172.*). *Heorg. Hieron. Volsch* (*obs. Med. Episagm. 94. p. 62.*). Observatum est, *scribit Guilielm. Ballon.* (*l. 2. Epidem. & Ephemerid. p. 269.*) in filio clarissimi illius *Guilielmi Budæi*, qui seculi sui lumen extitit, illud horrendum Symptoma, ubi lintea sudante maculis cruentis persperfa fuerint. *Jul. Marcin.* (*ap. Paul. Zacch. l. 3. Tit. 1. Quæst. Med. Legal. 2. n. 12. p. 290.*). A nimio usu spirituosiorum & volatilium medicamentorum Matrona, *teste Florent. Schuyl.* (*ap. Frideric. Deck. Exerc. Med. Pract. c. 7. p. 590.*). *Th. Bartholin.* (*Hypomn. 4. de Cruc. CHRIST. p. 161. & 163.*) *Joh. Jacob Francisc. Vicar.* (*M. C. D. 3. A. 1. obs. 109. p. 183.*)

§. 45.

Et horum sudores non revera esse puros putos sanguineos, sed ad sanguineum colorem vergere, multi non sine causa autumant. *Aristoteli* αἱματῶδες περίττωμα (*l.3. de Part. Animal. c.5.*), Cruentum quoddam excrementum audit. Sanguis hic est dilutior, repræsentat ferè saturam loturam carnium aut rubram alvi proluviem in dyssenteria epatica, *judicat. Salom. Alberti* (*c.l. p.26.*). Et hic ἀλλοίωσιν εἰς θρόμβον non admittit, neque concrescit, aut incomptè saltem particulatim grumatimque spissatur. Sanguinis ichorem (aut ichorem potius sanguineum, cui sanguis per minima mixtus) fuisse saltim *Hier. Mercurialis* (*l.4. Var. Lection. c.12. p.121.*) edixit. Rectissime vero *J. C. Baricellus* (*l.2. de Hydronos. nat. c.11. p.154.*): Sudor cruentus universalis â sanguine procedit ichoroso, tenui & aquoso, qui vel per cruditatem, vel per corruptionem oritur. Et acutè *Steph. Roderic. Castrensis* (*c.l.*) inter sudorem sanguineum & sanguinis distinxit, & sanguine Serum coloris rubei, jam *Galenus* (*l.4. de U. P. c.4. & comment. 2. in l.6. Epid. tr.38.*) tradidit.

§. 46.

Sanguis iste, aut potius serum in sanguine, sæpissime moleculis salsacidis imprægnatus deprehenditur, quod scorbutus propalat, quando ægris totius corporis pruritus quietem & somnum increpat, & oscula vasorum aut titillando, aut erodendo aperit. (*Th. Bartholin. c.l. p.168.*) Ita excitatur & stimulatur expultrix debilitatur retentrix. Exempla propinant *Magn. Dn. D. Georg. Wolffgang. Wedel.* (*s.3. Physiol. Med. c.27. p.188.*) & *D. Sam. Ledel. Noster* (*M. C. D. 2. Ann. 2. obs. 34. p.63.*). Quodsi concurrat sanguinis orgasmus & calor efferus, potest fieri, ut cutis glandulæ & vasa capillaria sanguinem torrentis instar effundant, ut egregio Exemplo declarat *Edm. de Meara* (*Diatrib. Williss. de Febr. c.3. p.18.*) Et inde promanavit *ap. Zacutum* (*l.3. Prax. adm. obs. 70. p.113.*) Sudor cruentus Criticus, & in pestifero ab eodem (*c.l. obs. 41. p.105.*) notatus, qualem etiam in peste deprehendit (*l.4. de Pest. Noviomag. obs. 46. p.260.*) *Isbr. â Diemerbroeck.*

§. 47.

Cutis constitutio rara pororum & vasorum in cutis miliaribus glandulis (per hæc namque sudor Cruentus, *optimè Philosophante Casp. Hoffmanno l. de Part. Simil. Corp. Human. c.19. p.114.* emanat,) laxitas maxime huc symbolum conferunt suum. Posse autem poros cutis laxari, & dilatari, sive â calore interno motuque sanguinis, tum ab Athmosphæra calidiore ab Ignis, aquarum calidarum, Thermarum, aut Balneorum accedente præterea Solis radio-

rudiorum energia, motu corporis, aut frictionibus, Emplastris, unguentis, aut aliis adhibitis fomentis, nemo tam bardus erit, ut ambigat. In malo autem corporis habitu (*eloquente* id *c. l. p. 26. Salom. Alberto*) corpus ipsum mole ampliore turgescit, unde textura universi rarescere, & hiscere spiracula intercutanea, & quadantenus fieri potentiora necesse est, per quæ dein sanguis dilutior simulac incitatus fuerit, emanat. De poris Cutis *Oribas.* (*Comm. in Aphor. Hipp. allegante Th. Barthol. l. 1. Anat. Reform. c. 2. p. m. 15.*) retulit, ex illa Regem Persiæ fenestras parasse. Cum Oribasius non sit ad manus, *ex Amato Lusitan.* (*Cent. 6. Curat. 100. p. 644.*), quæ *ex Oribasio* citat, inserere cogor. Erat pellis humana (præparata) extra porosam, sed cum sicca absque confectura aliqua exiccatur lotis spiramentis & foraminibus amplis redditur, ut ad tectoria inutilis omnino sit, id quod *Oribasius* ex historia dixit enarratione Aphorismorum, inquiens; Jussit quidem Persidis Imperator Corium à quodam tolli, atque inde aliquas umbras tegumenti fieri. Unde probatur, potentiores texturæ cavernas hominem habere, quam cætera animalia. *Hæc Amatus.* Cutis poros super strumam ab imposito Emplastro ita vidit dilatatos *Anton. Lindem.* (*Physiol. c. 16.*), ut alicubi hordei granum, alicubi pisum, alicubi digiti sui extremitatem imposuerit.

§. 48.

Concurrunt non raro, imo concurrant, necesse est, causarum quædam, quo circa & easdem conjunxit *Daniel. Futlanus* (*Comment. in l. Theophrast. de Sudor. p. 246.*) dum scripsit; ut sudor sanguineus erumpat, necesse est, & corpus rarum esse & nimio labore agitatum, æstivo tempore, cœlo calido præterea sanguinem habere ichorosum & tenuem, qui ad meatus corporis attrahatur, & cum hæc raro simul sint, esse causam cur rarius contingat talismodi sudor, arbitratur. Consentientem habet *Steph. Clotzium* (*c. l. Exerc. 12. §. 3. sq.*). Notabilem in hanc rem consignavit *Matth. de Gradi* (*p. 1. Pract. c. 35.*) de Moniali, in qua ob sangunis cruditatem, aquositatem & laxum corporis habitum emanabat undique sanguis per sputum, per nares, per urinam & per omnia fere evacuatoria in quantitate, ita, ut ad 18. libras ascenderet, & quod magis est, *addit*, applicatis cuti siccis cucurbitulis statim sanguine per poros exeunte repletæ sunt. Ita aliam matronam honestam & pulchram novit *Th. Bartholin.* (*c. l. p. 166. & Cent. 1. hist. 13. p. 25.*), cui si leviter tempore Menstruorum cutem sive faciei, sive manus frice, quis, cum saltu guttulæ sanguineæ proliciebantur.

§. 49.

Et cum causæ potiores in Infantum tenello corpore præsto sint, sanguinis cumprimis serositas, cutisque & cuticulæ teneritudo, pororumque laxitas cruentationes cutis in illius sæpius observatæ sunt. Infantem in utero vagiisse & exclusum oppidò largiter sudorem cruentum profudisse, ex Aliis observationes communicavit *Polyhistor. Christ. Franc. Paulini (c. l. obs. 37. p. 45.).* De sudore hujusmodi infantis recens nati quædam consignavit *Alardus Maurit. Eggerdes (M. C. D. 2. A. 20. obs. 65. p. 121.).* De sudore sanguineo infantum evolvatur *Joh. Nicol. Binninger. (Cent. 4. obs. 52. p. 430.)* Et hic semper malus reputatur.

§. 50.

Particulares partium certarum cruentationes ad has causas etiam facile poterunt reduci, cujus historias aliquot singulares planè huc transferam. De guttis sanguineis in facie, narrationem instituit *Ehrenfried. Hagedorn. Noster (Cent. 3. hist. 45. p. 352.)*: Fœminæ cuidam, cum primum esset gravida, sæpius in occipite vena aperiebatur & sanguis cum maximo interdum impetu ad libram unam effluebat, *Dan. Sennerto (l. 3. Med. Pract. p. 6. s. 1. c. 2, p. 672.) teste.* Hæmorrhagiæ è poro alæ sinistræ narium mentionem fecit *Philip. Salmuth (Cent. 3. observ. 20. p. 68.).* De venis sublingualibus *Sigism. Grassius (M. C. D. 1. A. 3. obs. 54. p. 91.)* De Usserio *Arnold. Boot. (obs. c. 7. p. 25.)* quod à plurimis annis passus fuerit bis terve anno periodicum sanguinis postfluvium ex ore, nunc linguæ latere, nunc gingivis, nunc labii & buccæ parte interiore. De Nobili Flandro prodidit *Henric. ab Heer. (obs. 23. p. 270.)*, quod sub utroque brachio sudavit sanguinem solidiusculum, in quo pediculi rubri ab esu caricarum. Quæ de fluxu ex papilla manus sinistræ in fœmina annotavit *Marcellus Donat. (l. 1. Hist. Med. mir. c. 2. p. 30.)* aperuit. Illustris Domina è minimo dextræ manus digito sæpius uno die plusquam 12. libras medicas sanguinis emisit, quem nemo sistere, nec locum unde defluxerat, deprehendere poterat (*Heinric. ab Heer. c. l. p. 269.*). Hiberno etiam periodicè sanguis per extremitatem digiti indicis copiosè ad quatuor libras evacuabatur, *attestantibus (Ann. 1686. M. August. p. 387.) Eruditorum Actis.* De sanguinis stillicidio è manuum & pedum in juvencula tempore menstrui fluentis, singularem casum *Dn. D. Joh. Paul. Wurffbain (M. C. D. 3. A. 3. obs. 194. p. 327.)* proposuit. De Vera in Carpo sinistro *Dn. D. Joh. Maurit. Hoffmann. (M. C. D. 2. A. 6. obs. 166. p. 337.)* Basilicæ in dextro brachio apertionem spontaneam in viduo Hydropico observavit *Philipp. Hechsteter. (Decad. 2. obs. med. c. 7. p. 167.)*

167.). In uno anno iteratam in Ancilla *Magnif. Dn. D. Joh. Paul. Wurffbain (M. C. c. l. obs. 236. p. 549.)* E medio maculæ atro rubescentis in manus sinistræ pollicis extremi parte externa singulis annis ter quaterve sanguis cum saltu aliquot cubitorum altitudine ad Lipothymiam fere sua sponte nobili Matronæ erumpebat, & post nullo rimulæ vestigio comparente citra opem medicam coalescebat, memorat *Johann. Jacob. Wepfer. (obs. de Apoplex. p. 230.)*

§. 51.

De cruentatione lateris (dextri an sinistri non addit) *Joh. Phil. Abelin. (T. 2. Theatr. Europ. p. 115.)* singulare hoc recitat: *Zu Eingang des Januarii 1630. lagen zween Tillische Soldaten in einem Quartier, darunter der eine des Nachts zu seinem Schlaffgesellen sagte, er schwitzte so hefftig, er solte in seine Seite fühlen wie er so naß wäre. Als nun der andere solches thäte, und befunde, daß seine Hände gantz naß waren und klebeten, bedauchte ihm, es wäre keine rechte Sache, hielte demnach die Hand gegen den Mondenschein, und sahe daß sie gantz blutig war, darüber ihm bange ward, und ruffte den Wirth im Hause, daß er ein Licht brächte, da selber kömmt, befinden sie angeregten Soldaten gantz matt, auch die Leintücher voller Blut, deßgleichen seine Seiten gantz blutig, und ob sie wohl das Blut abwischeten, schwitzte er doch immer mehr, bis etwa nach einer Stunde, da hörte es auff. Des andern Tags war er frisch und gesund, sagte auff Befragen, er wüste nicht wie ihm gewesen, als daß ihm angst gewesen wär.* Alium vidit *Gabr. Fallop. (l. de Vulner. c. 37.)*, qui singulis annis, mense Majo, integra existente cute per ipsam è jecoris regione libram circiter sanguinis effundebat. Puella duodecim annorum ab incunabilis per umbilicum sanguinem leviter sudabat, ut iterum *Hechsteter. (c. l. c. 8. p. 169.)* De viro è cujus umbilico una vice libra una & semis sanguinis effluxit *Guilh. Fabr. Hildan. (Cent. 3. obs. 37. p. 219.)*. *Henrici Smetii* filiæ *(ipso id attestante l. 10. Miscell. Med. p. 549.)* aliquoties ex nævo genitivo Verrucæ latiusculæ formam habente, qui in superiori femoris parte consistebat sanguis copiosus in modum sectæ & salientis venæ sponte sua erupit. Scorbutico in crure vena per intervalla aperiebatur & satis largiter effluebat sanguis nullo postea apparente vastigio, *Daniel Sennert. (c. l.)* memorat. Cementarius quidam satis temporibus fluxum sanguinis periodicum habuit in Tibia, vena enim quædam externa sponte rumpebatur, & sponte etiam nullo adhibito auxilio recludebatur, ut habet *Dominic. Panarol. (Pentecost. 2. obs. 4. p. 35.)*. Fabri ferrarii cujusdam crus noctu undique per mille poros sanguinem sponte emittebat in altum, tanquam per innumeros siphunculos, *teste Petr. Borello (Cent. 4. obs. Epilog. p. 354.)*. De vena in Sura aper-

aperta *Illustris Joh. Georg. Volckamer.* (*M. C. c. l. p. 550.*). Equis Hungaricis & Tartaricis idem evenire Veterinarii norunt, unde tritum: *Du lässest dir selber zur Ader wie die Ungarischen Pferde.* Ex usu cum vino infusi Rad. Ellebori albi varia & enormia Symptomata, inter quæ etiam sanguinis per rimas unguium sudor annotatus *à Nostro Rosino Lentilio* (*M. C. D. 3. Ann. 1. in App. p. 130.*)

§. 52.

Varias in obstructionibus evacuationum naturalium & præternaturalium Natura molitur metastases, ut ὕστερον πρότερον committam, memorabile obvenit *Salomon Alberti* (*c. l. p. 17.*) annotamentum: Vexabatur, *inquit*, Lithurgus quidam variolis, quæ Græcis sunt ἐκθύματα. In his serosior sanguis alleviare naturæ sese gestientis robore, non ut ferè assolet è naribus, sed è gingivis laxioribus affatim prorupit. Is retro actus teneri non potuit, quin iter sibi ad penetissimè reconditos meatus urinæ strueret: argumento fuit cruentum lotium; Cum autem hic fluxus ægro molestus esset, in gratiam ejus auxilio astringentium mox est inhibitus. Tum ergo sanguis pristinis vestigiis insistens ad gingivas remigravit, neque ante emanare inde desiit, quam papulæ deflorescerent. Scit ergo circulum facere Natura.

§. 53.

Motus hujus in Menstruo evacuando admirabilis, ubi sæpè tritam viam negligit, metamque turbat consuetam. Miratur igitur hunc Naturæ ingenium non absque causa *Ludov. Mercat. l. 1. de Commun. Mul. affect. c. 7. p. 469.*). Evacuatum illud aliquando legas *ap. Paulinum nostrum* per sudorem cruentum (*M. C. D. 2. A. 6. in Append. obs. 46. p. 54.*). Aliquando per πόρους δακρυοφόρους s. per oculos (*Vid. Rembert. Dodon. Exempl. c. 15. p. 38. Dn. D. Christian Warliz, Scrutin. Lacrym. Med. Sacr. c. 5. p. 87.*), per minorem oculi sinistri angulum, (*L. Mercat. c. l.*) *Salom. Albert.* (*c. l. p. 19.*), per oculos & aures, *Anton. M. Brasavol.* (*Comment. ad l. 4. Hipp. Aph. 25.*), per dentis evulsi vulnusculum, *Bald. Ronsæus* (*ap. Joh. Schenck. l. 4. obs. p. 633.*) à dentis alveo, (*Joh. Rhodius Cent. 3. obs. 51. p.*), per gingivas, per ventricem *Zacut. Lusitan.* (*l. 2. pr. adm. obs. 100. p. 63.*). *Theod. Kerckring.* (*spicileg. obs. annat. 85. p. 165.*) *Andr. Laur.* audivit, mulieres quasdam suppressis menstruis sanguinem satis periodis certisque circuitibus per mammarum papillas profudisse. (*lib. 1. Anat. qu. 20. p.*). Exempla suggerunt *Brasavolus* (*c. l.*). *Ambros. Pareus* (*l. 23. Chirurg. c. 52.*). *Marcell. Donat.* (*c. l. p. 30.*). *Dominic. Panarol.* (*Pentec. 4. obs. 13. p. 118.*). *Amat. Lusitan.* (*Cent. 2. cur. 21. p. 242.*) *Ido & Joh. Christ. Wolfii* (*l. 1. obs. Chirurg. Med.*

20. p. 66.). Per minimum manus digitum, *Ludov. Mercat.* (*c. l.*), per manum dextram, *Kerckring.* (*c. l. obs. p. 166.*), per umbilicum *Nicolus* (*Serm. 2. c. 8.*) *Zacut.* (*l. c. obs. 10. p. 67.*). *Carol. Joseph. Müller.* (*M. C. D. 2. A. 7. obs. 228. p. 431.*), per inguina, *Zacut. Lus.* (*c. l. obs. 102. p. 67.*). Vidit cuidam vulneratæ sanguinem non per consueta loca, sed per vulneris sinum effluxisse, *Aur. Theophr. Paracelf.* (*p. 1. Chir. Mag. tr. 1. c. 11.*); per pedes, *Thom. Bartholin. Cent. 1. hist. 26. p. 31.*). *J. N. Binninger* (*Cent. 5. obs. 58. p. 558.*). Ex ulcere maligno pedis, *Esaias Meischner* (*ap. Joh. Schenck. c. l.*). De menstruorum per vomitum sputum, per narium Hæmorrhagiam, urinam & anum, seu Hæmorrhoides, ubivis historiæ & Exempla prostant.

§. 54.

Spectant huc lachrymæ, quæ ob non obsequentia menstrua virginibus & mulieribus aliquando, ut (*§. præcedent.*) dictum, sed & ob alias causas oculi cruorem manare possunt, meminit *Nicol. Steno* (*obs. Anat. de glandul. ocul. p. 98.*). Sanguinem (comprimis ichorosum & salsum) impedito in venas reflexu quosdam sero excernendo accommodatos meatus vel dilatasse vel rupisse, atque sic viam invenisse, quam tenuit usque dum cessante spirituum animalium in prædictas partes determinatione per solitam viam remeare licuerit. Ob assiduos ejulatus pueris aperiri circa palpebras vasa, *Aëtius* (*tetrabibl. 2. Sermon. 3. c. 63.*) voluit. Septimum Inganum, Peruanorum Regem, *Vatruar Huacacrescens*, natum flevisse guttas sanguineas, *ex Euseb. Nirenbergio* (*l. 5. Hist. Nat. c. 6.*) constat. Gemellam historiam *Exc. Joh. Christoph. Beckmann.* (*Disc. de Prodig. Sangu. c. 3. §. 5. p. 32.*) communicat. De Puella undecimestri Idem *Phil. Hechsteter.* (*Decad. 1. obs. 1. p. 1.*), & de infante Schreibicii in Misnia, Ann. 1670. mense Decembri rumor non vanus sparsit. Add. *D. Carol. Rayger.* (*M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 200. p. 295.*). De quodam ira percito *P. Borell. Cent. 2. obs. 56. p. 152.*). In Hæmorrhagia Narium idem notarunt *Guilh. Fabric. Hildan.* (*Cent. 1. obs. Chirurg. 16. p. 92.*) & *Joh. von Meckern* (*obs. Chirurg. c. 4. p. 58.*). Philtrato cuidam cum sanguinem è naribus copiose profluentem ligaturis fortioribus compescere Chirurgi cum tentarent, non solum sanguinis per nares impetum non cohibuerunt, sed & cum æger præ dolore lacrumaretur, ut sanguinem lacrymis mixtum egereret, & aures Ceruminis loco sanguinem sudarent, effecerunt, *attestante id* (*obs. 13. p. 170.*) *Henrico ab Heer.* Vetulæ Octuagenariæ per tres ferè septimanas, *autore Petr. Foresto* (*l. 11. obs. Med. 13. p. 21.*) ex oculis sanguis copiose emanabat. *Conf. Lamprid.* (*in Vit. Alex. Sever. c. 13.*). *Georg. Fabric.* (*l. 6. Orig. Saxon. p. 641.*). *Zacut. Lusit.* (*l. 1. Prax. admirand. obs. 54. p. 13.*)

& *Th. Bartholin. (Hist. Anat. 2. p.). Franc. Wœrger. (obs. c. 4. p. 42.). D. Christ. Warliz (c. l. p. 85.).* De Hæmorrhoidis, serpentis morsis *Lucanus (l. 9. Pharsal. v. 814.).*

Sanguis erant lacrymæ.

In lacerti orbicularis Tapayaxin novæ Hispaniæ dicto illud memorabile, & nonnulli commune summo jure dixit *Nard. Anton. Recchus (l. 9. Rer. Med. Nov. Hispan. c. 16. p. 328.)* compressis vexatisve oculis aut capite; aut parum indulgenter tractatis, sanguinis guttas per eos effundere, ac longius jaculari, qualis detrahi solet ab homine temperatissimo & sana frumenti valetudine tanto interdum impetu, ut ad trium passuum distantiam contingat rejectari.

§. 55.

Sudores tales cum universales, tum particulares cient medicamenta, tam interna, quam externa seu cuti applicata. Herbæ, Hæmagogæ (Hæmanthen vocavit *Athan. Kircher. s. 3. Srutin. Pest. c. 3. p. 306.*) meminit *P. Borell. (Cent. 4. obs. 91. p. 340.)* cujus folia instar Salviæ & reperitur inter Pyræneos montes, & ab illis usque ad Alpes. De hac ita *Curtaudus (in Apolog. adv. Paris. p. 212.)*: Duos novi, qui Galenicæ herbæ Hæmagogæ (*l. de Purg. Med. Galen. s. 6. Citat. Borellus. c. l. p. 349.*) notitiam habuerunt, nempe *Laugarium Delphinatem & Franciscum Damasium*, Vallis viridis vel loci de la Crousette optimum Empiricum, qui ambo cum arcanis suis, mortui sunt. Ultimus eam femori ægri sanguinei admovit & undique sanguis manavit & ad Magnetem recurrendum fuit, ut sisteretur. Vidi, *pergit*, actionem & herbam, sed nomen non didici, locum vero me docuit. Succum cujusdam herbæ Indos juncturis applicare, & per sudorem purum sanguinem educere, *Petr. de Osma (ap. Nicol. Manard. l. 2. de Arom. cit. Casp. à Rejes c. l. n. 7. p. 1112.)* & *Carol. Clus.* (*T. 2. Op. p. 352.*) tradidit.

§. 56.

Quod si ita se habet, immerito *Henric. Petræus. (Nosolog. Differt. 12. q. 5. p. 235.)* cum *Andr. Dudithio (ap. Laurent. Scholz. Epist. med. 36. col. 48.)* & *Bodæo à Stapelen. (com. in l. 9. Theophar. c. 15. p. 1119.)* herbam illam *Galeni* inter fabulosæ antiquitatis particulas reposuit. Ipse tamen *Petræus (c. l.)* de Moscho Hyssopo & Inde florentina notavit, quod extra applicata sanguinem moveant & alliciant. *Joh. Baptist. Sylvaticus* etiam in hac Historia fabulæ loco habenda illam tanto autori indignam pronunciavit, contra quem disputat *Zacut Lusitan. (l. 2. Hist. 11. p. 185.)*

§. 57.

Annotatione præterea dignum videtur, *Galenum (l. de Purg. Med. Facult.)* evolventi apparebit herbas, Galenicam, & quam vidit *Borellus* à ſe invicem multum diſcrepare. Cum enim *Galenus (c. l.)* quæſiiſſet, an aliquod ſit medicamentum, quod (aſſumtum) ſtatim ab initio ſanguinem ducat? Reſpondet id inter deleteria numerari, ſi ſanguinis vacuationem per venas ventris & inteſtinorum moliatur. Tale autem ſeipſum puerum vidiſſe, cum apud Thraces Bithynos eſſet, his indicat: Invenit aliquis herbam ejusmodi, ut qui eam aſſumeret, excerneret ſanguinem & periret. Agnoſcit id etiam *Borellus (c. l. p. 349.)* quando concludit: Non easdem herbas fuiſſe ego crediderim, cum hæc interius aſſumeretur, alias externè. Et talismodi plantæ ſuccum ſine dubio baſin agnovit, illud *à Zacuto (l. 3. Prax. adm. obſ. 75. p. 113.)* memoratum. Quin *Galeni* hæmagoga huc non ſpectat, cum cruentas alvi dejectiones, & non ſudorem moveat ſanguineum, quod non ſolum omne Draſticum purgans in nimia doſi aſſumtum præſtabit, ſed & Decocto foliorum Buxi id operari, adeoque pro ſanguinem depurante *à Thom. Pancovio (in Herbar. Part.)* declarari, quod ſatius mirari nequeo, cum potius ſanguiduca, quam ſanguinem depurans, nominanda veniat. Huc ergo non ſpectat, ubi de ſudore ſanguineo arte procurando mihi ſermo eſt.

§. 58.

Majori veritate lucet illa *Nicol. Tulpii, Conſulis & Medici Amſtelodamenſis* obſervatio (*l. 2, obſ. Med. c. 31. p. 153.*). Virgini annoſæ, ſed ſumme melancholicæ ob induratum Lienem emolliens Ceratum impoſitum elicuit tantum ſanguinis per exilia cutis foramina: ut neceſſe fuerit, *cum Viro erudito, Arnoldo Tholingio*, impetum ipſius ſerio compeſcere: cum per ea, quæ extinguunt fervorem atræ bilis: tum per inſpiſſantia cutem. Quibus certe ſubſidiis, niſi maturè obviam itum fuiſſet currenti ſanguini: miſere certe peſſum iviſſet, quam jam fermè conſumſerat carcinoma mammas exulcerans. Sed nec Ceratum hæmagogum fuit, niſi ex accidenti, quatenus emolliendo cutis poros dilatavit, & ſanguini egreſſuro portam aperuit, & feneſtras. Haud igitur è re aut herba incognita & ab illo, qui non Arti Medicæ, ſed militiæ addictus. *(Petr. de Oſma*, namque miles fuiſſe legitur) & à caſu, qui caſus non per ſe accidit, ſanguineum ſudorem arte procurari poſſe *J. C. Baricello (l. 1. Hydronoſ. c. 11.)* concludenti temerè credendum, & cum *Paulo Zacchia (c. l. n. 12. p. 290.)* his plura ſuperaddere ſupervacaneum puto.

§. 59.

§. 59.

In SALVATORE NOSTRO θεανθρώπῳ in monte Oliveti

Guttæ indicium fecerunt triste doloris,

Sanguineæ guttæ, monumenta ingentia luctæ

Ingentis luctæ (*Job. Major Carm. de Rebus Divin. Tit. Agon. CHRISTI v. 258.*)

Sanguineusque fluit toto de corpore sudor.

(*ibid. v. 61.*)

Varia apud Theologos & Philosophos videas super hoc sententiarum divortia. Negarunt hunc quidam, in quorum Bibliis non legatur, inter quos eminet *Hilarius* (*l. 10. de Trinitat. T. 1. op. p. 206.*) & *Anton. Bynæus* (*de morte CHRISTI Vid. Act. Erudit. Lips. A. 97. p. 70.*), sed vindicias paravit *Steph. Clotzius* (*Exerc. 2. & 3. de Sangu. CHRIST. inprimis Exerc. 4. p. 24.*)

§. 60.

Crusius (*de Sud. CHRIST. c. 2.*) grumos sanguinis saltem guttas explicat. *Hugo Grotius* (*in Not. ad Luc. c. 22. v. 44.*) ex vocula ὡσεὶ non verum sanguinem, sed similitudinem cum sanguine colligit, quem secutus *Joh. Pricæus* (*Comment. in l. N. T. p. 463.*) & *Henric. Kipping.* (*de Cruce Exerc. 31. n. 2. p. 288.*). Sed & has ineptias doctè ventilavit & castigavit *laudatus Clotzius* (*c. l. Exerc. 5. §. 8. p. 47. & Exerc. 9. p. 74.*), ubi decidit Particula ὡσεὶ non similitudinis, sed veritatis est, & habet vim ὁριστικήν. Quin imò (*c. l. §. 70. p. 99.*) quamvis possit significare similitudinem, tamen illa non ad sanguinem, sed ad guttas sive grumos referatur hoc sensu: Fuit sudor ejus sanguineus similis guttis, quia guttatim decurrebat, guttis inquam non quibuscunque sed θρόμβοις h. e. crassissimis aut concretis. In eandem arenam descendit *B. Abrah. Calovius* & *Grotium* ejusque complices confodit, (*T. 1. Bibl. N. T. illustr. in Luc. p. 647.*) Add. *Casp. Sagittar. Harmon. Pass. Dom. p. 2. c. 3. n. 26. p. 356. sq.*). Non fuisse verum illum sanguinem statuere, hæresin vocabat *B. Job. Mich. Dilherr.* (*T. 1. Disp. Philol. Academ. p. 489.*) & voculam ὡσεὶ non comparationem, sed confirmationem aliquam denotare asserebat.

§. 61.

Fuerunt qui sudorem hunc naturalem fuisse probare sategerunt, (1.) quod CHRISTUS fuerit habitus rarioris & delicatissimæ naturæ, (2.) subtiliorem habuerit sanguinem, imò juxta *Th. Bartholin.* (*Tr. de Lat. CHRIST. apert. c. 13. p. 26. & de Cruc. Hypomnem. 4. p. 131.*) serosum melancholicumque. (3.) Metu mor-

mortis in summis angustiis constitutus. (*Joh. Maldonat. in c. 26. Matth. col. 590. & Steph. Roderic. Castrens. l. 4. de Met. Microc. c. 13. p. 203.*) Qua de causa sanguis non potuit non vehementissime commoveri. Is ergò (*id eloquente Salom. Alberto c. l. p. 42.*) Euripi in modum identidem reciprocando nunc foràs ambitum versus prosiliit, modo rapidissima conversione atque ἐπανακλήσει ad Centrum corporis velut tergum vertens refugit; Ex qua agitatione & metu reciproco subinde pro internæ luctationis intentione remissioneve varie commutato, retentrix vasorum virtus plus nimio labefactata est, deque crebriore allisu tandem reserata cutis spiramina, per quæ supra modum extenuatus ab æstuante intus calore, tanquam ergastulo exsolutus suo volucri vehente spiritu ubertim scaturiit, humique fusus mox diruit & in grumos coivit. Audiamus & *Th. Bartholin.* (*c. l.*), in emaciato, *inquit*, corpore & varie divexato vigiliis, itineribus, jejuniis, angoribus, metu rerum futurarum & mille malis, non mirum si serosi melancholicique sanguinis (qui tamen alios crassus Tartareusque ap. Medicos audit) congesserit proventum, qui natura dibilior repugnante per sudorem fuit expressus. Et *Hieronym. Jordanus* (*de eo, quod in morb. divin. c. 37. p. 183.*) sanguinem primum præ maximo animi moerore liquefactum, & in serum seu aquam cruentam conversum mox in mirifico illo agone seu vehementissimo studio & contentione circa salutem nostram instar copiosi sudoris è corpore protrusum esse affirmat. Et hoc posset firmari exemplis supra (*§. 44.*) adductis. Habet & huc spectantia *Gisbert. Voët.* (*p. 2. Disp. Theol. p. 170. seqv.*)

§. 62.

Sed rectius calculum posuisse mihi videntur, & ad sacram veritatem proxime accedunt, qui sanguinem in CHRISTO serosum fuisse & Cachecticum & corpus summe rarum constanter negant. Prodeat in scenam è Medicis *Melchior Sebizius* (*Exerc. Med. 12. probl. 5.*), Christi SERVATORIS corpus (utpote ab omni causa morbifica prorsus alienum, cum fuerit sine labe & separatus à peccatoribus nec morti, nec morbis, ad mortem viam sternentibus obnoxius fuit, ut bene *Martin. Schookius l. de Butyro c. 25.*) Cachexia illa, de qua *Aristoteles* loquitur, minimè laboravit, neque sanguinem habuit crudum, tenuem aut serosum, qui per patefactos cutis meatus ob debilitatem retentricis stillarit. Affectus enim præternaturales Christi afflixisse corpus, quod idea fuit corporis optimè & in temperie partium similarium & in compositione dissimilarium & in utrorumque unione constituti, nusquam legitur. Sanguinem purum putum naturalem fuisse, non seroso sudore mixtum *sæpius*

citatus Clotzius (*c. l. Exerc. 10. p. 80.*) dedit probatum. Et si serosus, aut serum sanguinolentum, qui in grumos coagulari potuisset. Qui igitur sudor cruentus in aliis fuit sanguineus, in solo CHRISTO fuit sanguis, nec puto quemquam hominum ante aut post CHRISTUM sanguinem purum naturalemque, qui in grumos coagulatus fuerit emisisse.

§. 63.

Addam & hoc è *Franc. Zypæo* (*p. 2. Med. Fundam. Phys. Anat. c. 3. Artic. 17. n. 12. p. 81.*): CHRISTUS Dominus in horto sanguinem sudavit, partim quia amore nostri ac sanctissimi Patris sui ita sanguis Ejus effervescebat, ut arteriis non posset coërceri, partim per tristitiam usque ad mortem, quam tunc habuit, quam tantus omnium partium horror & collisio exceperunt, ut sanguis ex illarum poris violente expressus sit. Adjunxit Timorem *Amori Bernardin. Senensis* (*T. 1. Op. Serm. 51. de Pass. Domin. c. 2. p. 310.*) dum scripsit: Licet plena ratio naturalis non possit reddi de tam stupendo doloris signo ostenso in sudore sanguineo; nihilominus dici potest, quod aliqualiter dispositive timor & amor bellantes in corde JESU, quoad suum sensitivum in causa extiterunt: dum enim attenderet tam grave bellum super se verissime imminere, timore concussit sensitivum suum, ex quo sanguineus humor ad interiora fuit reductus. Super hunc autem timorem rejiciendum fortissimus amor, tanquam miræ magnitudinis malleus repercutiens, & ipsum excludens (forsan recludens) omnes poros Corporis JESU CHRISTI & venam largiter revelavit, ut sic de toto corpore flueret sanguineus sudor decurrens in terram.

§. 64.

Concludunt igitur nostri Theologi & Physici Christiani, multa hic occurrere, quæ Naturæ sphæram transcendunt. Vidit id & declaravit è Medicis (*c. l. p. 43. seq.*) *Salom. Albertus*, dum peroravit: Hic non sunt θαύματα ἐν θαύμασιν à communi Naturæ lege, à sensu omni captuque mentis humanæ prorsus recedentia. Nimirum sudor ipse similis guttis non humescentis sed spisi & fibrosi sanguinis, insolenti ac prorsus inusitato humorum ordine effusus è CHRRISTI corpore. Ad hæc, copia ejusdem tanta, ut in terram destillavit, cujusmodi ἔχυσιν τοῦ αἵματος λάβρον nullum corpus potuisset sustinere. Quod demum corpus ad illam usque virium cum sanguine profusarum jacturam solutionemque potuit durare, quo minus fatisceret, quod ipsum certe fuit ὑπὲρ ἄνθρωπον. Sudorem hunc contra naturam ejusque intentionem fuisse, probat iterum *Steph. Clotzius* (*c. l. Exerc. 11. §. 9. p. 92.*) ejusque differentiam à naturali expresit (1.) quoad materiam, quæ sanguis nutrimentalis

(2.)

(2.) quoad locum, seu vasa per quæ facta excretio. (3.) quoad quantitatem, (4.) quoad qualitatem, (5.) quoad modum, non enim excretione, sed expressione factus. Plura collegit *Idem (Exerc. 12.)*, qui poterit cum Aliis Theologis, imprimis *B. Calovio (c. l. p. 648.)* evolvi. Theologos Romanos, qui sudorem hunc præternaturalem naturalem judicarunt, citavit *(l. a. p. 165.) J. C. Baricell.* Theologis namque & Ecclesiæ Patribus potius, quam Medicis explicare convenit, ut bene *Casp. à Rejes (c. l. n. 25. p. 1120.)* E JCtis *Waltherum (Postill. Harmon. Theolog. Jurid. Polit. Philol. §. 126.) & Dan. Clasen. (l. de Pass. J. C.)* E Medicis vero his adjungo *Anton. Santorell. (l. 23. de Nat. Sanit. c. 12.) Thom. Mirandoum (Disp. 1. de Sud. Sanguin.) Valent. Henric. Vogler (Physiol. hist. pass. Christ. c. 3. p. 9. sq.) Dav. de Græbner, (in Theod. Craan. Diss. de Hom. c. 58. p. 278.)*

§. 65.

Hæc de vivis. Mortuorum corpora hunc sanguineum stillasse aut stillare potuisse, inter ἀδύνατα *Andr. Libav. (Tr. de Cruent. Vuln. in Exeges. ad. th. 108. p. 244.)* reposuit. De sudore sanguineo, *inquit*, si quis rem accipere velit; dicimus, sanguinem quidem potentiam talem habere, at exudare non posse, viis interceptis frigore extremorum. Non autem tenuissimæ venulæ, quæ in carnem desinunt, tunc possunt reserari, neque sanguis adeò serescere, neque internum principium tantopere perturbari, ut in quibusdam sit viventibus. Corrigit tamen se in sequentibus: Aut, *ait*, ex vulnere effluit; aut naribus oreque aut auribus, qua scilicet via patet, desinentibus in apertum venis, quæ vel apertæ quodammodo sunt, vel vi ruptæ vel etiam impetu sanguinis facile possunt reserari. Et qui innocens (cur non & reus?) suspendio periit, cruentavitque post fatis diu, consentaneum est ex impetu laquei elidentis sursumque coarctantis sanguinem ruptas venas fuisse: quanquam judicabatur sanguis ille innocentiæ testis esse. Idem meminimus, *addit*, multis apoplexia & peste sublatis accidisse, ut & quibusdam convulsis,

§. 66.

Quamvis verò plurimis difficultatibus affirmativa urgeatur, tamen hanc cruentationem possibilem annotata apud Historicos & Medicos exempla evincunt. Anno 1554. Hermanstadii in Dacia Virgo tumulo inferenda sanguineo sudore astantes reddidit attonitos, & paulò post revixit. *Vid. Fincel. (p. 1. de Prodig. cit. M. Zeilero p. 1. Epist. 85. p. 248.)*, sed hæc inter verè mortuas neutiquam fuit referenda. Addam alia, *Georg. Donnerwald, Rusticus Albacensis* ad nonam ferè horam post mortem sudavit, referente id celeberrimo *nostro*

Paulino (*M. C. D. 2. A. 6. App. obs. 1. p. 4.*) qui (*è Breviar. Roman.*) de *Francisco Xaverio addit*, cadaver illius viva calce per multos menses bis obrutum, sed penitus incorruptum odore (oleo forsan) & sanguine manasse. *Friderici I. Dan. & Norweg. Regis* Corpus post obitum balsamo conditum & Sarcophago inclusum adeò cœpit sanguinare, ut defluentem inde cruorem subjectis vasis necessum fuerit excipere. *Justin. Gobler.* (*l. 2. de Gest. Frideric.*), factum id Anno 1533. (*Joh. Regmann. l. 3. Chronic. Lubec. f. 17. add. H. Kornmann. p. 4. p. 63.*). Superioribus annis & hoc observavi, memorat *Henr. Kornmann.* (*p. 5. m. m. c. 8.*): Myrtilleti in Palatinatu in suspenso quodam vegeto juvene, qui quatuordecim dies continuos in furca sanguinem sudabat & emittebat, ut retulit *Eidem Joh. Henric. Camerar.* (*V. c. l. c. 9.*) & *Justin. Bertram ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 2. Epist. 11. p. 44.*). De Saletio Haganæo, est ea Urbs Imperialis, ante aliquot annos quidam suspensus fuit, qui ad accessum matris post octo dies incepit sanguinem stillare per longum tempus. Novit locum *Andr. Libav.* (*p. 2. Singul. p. 172.*), ubi vir cum uxore suspensus plurimum sanguinis sat diu effuderunt, etiam ex pedibus surisque & ligna patibuli crasso cruore obduxerunt. Sanguinationis suspensi, qua manibus, qua pedibus mentionem fecit (*ap. Joh. Hornung. Cist. Med. Epist. 224.*) *Joh. Ingolsteter*, qui forsan est, de quo *ad Sigismund. Schnizer.* (*ap. Georg. Horst. l. 2. s. 17. p. 597.*) scripsit *Andr. Libav.* Ita & Stolbergæ olim in furcam tractus post unum atque alterum mensem ejusmodi stillicidium spectatoribus exhibuit. Memini, habet *ap. Joh. Besold.* (*Thes. Pract. p. 85.*) *Joachim. Camerar. Archiat. Altorphin.* in Saxonia aliquando accidisse, quod quidam, qui hero suo non poterat rationes de omnibus reddere in quadam ἀπιστεργῇ domestica, ideò fuerat suspensus, & cum Dominus post biennium, etiam, ut puto, longius tempus locum supplicii præteriisset, cadaver semiconsumtum cœpisse sanguinem per os & nares effundere. In Apoplectica vena ante mortem secta triduo post sepulchra proxima sanguinem floridum effudit cum omnium astantium admiratione & stupore maximo, quod (*M. C. D. 3. An. 1. obs. 50. p. 65.*) inseruit *D. Joh. Georg. Grübel.* Cum similem casum de muliere nobili olim ad me perscriberet *Dn. D. Joh. Gabr. Clauder.* Fœminam adhuc vixisse cruentatione ista facta, judicavi. In peste 1680. Chemnitii defuncta virgine tertia post mortem copiosa Hæmorrhagia Narium deprehensa usque ad Cadaveris sepulturam perdurans. De stillatione Narium in philtrato *ap. Casp. Theoph. Bierling.* (*Adv. Cent. 1. obs. 11. p. 29.*), de alio *J. N. Binning.* (*Cent. 4. obs. 100. p. 400.*). Quidam, ut *refert Durandus* (*l. 1. de Rit. Eccles. c. 5.*) mulierem in partu extinctam, non esse sepeliendam in Ecclesia eam ob causam autu-

autumarunt, ne pavimentum Ecclesiæ sanguine pollueretur, quæ ratio omninò esset ridicula, *infert Anton. Santorell.* (*Post. Prax. Med. c. 19. p. 55.*) ni sanguis posset è mortuo manare. Fluxum mensium post mortem notavit Slagelosæ in Dania sæpius *cit. Paulin.* (*c. l.*). De menstruo quarto post mortem die effuso *D. Christian. Helwich.* (*M. C. D. 3. Ann. 4. obs. 31. p. 85.*)

§. 67.

In causis allegandis prolixus esse supersedeo, cum quæ in sequenti Titulo de Cruentatione dicenda restant defectum hunc commode supplere valeant. Id non superhabendum, sanguineum hunc sudorem & fluorem tum in inanimatis, tum animatis, tum in vivis, tum mortuis cadaveribus, ut plurimum tristis ominis eventum tulisse. Pluviam sanguineam dictitat (*l. 27. Dionys. v. 14.*) *Nonnus*:

Φόνȣ πρωτάγγελον Ινδιῶν,

Cædis prænuncium Indarum.

Infusum pateræ in sanguinem nec semel, sed iterum ac tertio conversum, antequam Athenas invaderet, cladis inauditæ præsagium. *Vid. Valer. Max.* (*l. memor. c. 6.*) in regione Brionum sanguis de nubibus fluxit & fluvii quasi rivuli cruoris emanarunt, cum Italiæ imminerent Longobardi (*Paul. Warnefrid l. 4. de Gest. Longobard. c. 4.*). Fons in Hungaria, quoties infortunium aut mors Regi instant, sanguine fluit, (*Joh. Cuspinian. cit. Phil. Camerar l. 3. hor. succis. c. 15.*). De fonte Glomatz apud oppidum Lommitsch sanguineo colore aut cinere aquæ mixto bella præsagiente, *Georg. Fabric.* (*l. 2. Orig. Saxon. p. 100.*). *Add. cit. Camerar.* (*l. 1. c. 73. p. 353.*) In Italiæ urbe Teridone appellata, ubi aliquis civium vel laborator mori debet, eo anno, quando laborat suam terram, apparet clarè magna effusio sanguinis, & significat sanguis mortem proximam possessoris istius hæreditatis *Henr. Kornmann. p. 6. m. m. c. 7.*). Ante cladem Rusticorum Anno 1515 & 1546. quatuordecim dies ante bellum Germanicum Cornua Cervorum suspensa sanguinem sudarunt *Martin. Reiler.* (*p. 1. Cent. 1. Epist. 13. p. 23.*) Manus Christierni Regis Danorum nascentis sanguine plena portendit Regi Regnoque infausta quævis (*Joh. Suaning.* (*l. 1. Hist. Vit. Christiern. II. c. 1. §. 6. p. 11. Thom. Bartholin. Disquisit. de Sanguin. Vetit. p. 30.*). Ita *Tamerlanes* natus, manus cruore plenas habuit (*Christ. Matthias Theatr. Historic. p. 995.*). *Friderici I.* in Sarcophago inusitata sanguinatio bella & calamitates gravissimas portendit, (*Georg. Stengel. de Monstr. c. 6. §. 14. p. 220. Steph. Clotz. Exerc. de Sangu. CHRISTI Sudor. 13. §. 6. p. 129.*). Ante Panolethriam Magdeburgensem copiosum in Hassia sanguinem miles sudavit (*Everhard. Wasenberg. l. 2. Flor.*

German. p. 221.) sudorem Cornu Cervini illustrissimæ Personæ mortem prænunciasse, jam *supra* (*§. 25.*) proditum. Cum carnis coctæ calore rubro sudentis historiam texuisset (*Cent. 2. Hist. 40. p. 236.*) *Th. Bartholin.* hæc subjunxit Si superstitiosum esse liceret, sequentis Dysenteriæ omen crederem, quæ statim subsecuta & urbem populosissimam multis funeribus & domum nostram infecit. In infantibus sudorem hujusmodi jure semper malum pronunciavit *J. N. Binninger* (*C. 4. obs. 52. p. 430.*), & vires humorum copia obrutas denotare; unde tales infantes facile Epilepsia tentantur, huicque commoriuntur. De sudore adultorum *Th. Bartholin.* (*de Lat. CHRIST. apert. c. 13. p. 126.*) ista: Omnem sanguinis sudorem certissimo judicio vitium corporis denotare veterum sapientum autoritas & experientia cunctorum fidem facit. Recte tamen sanguineum CHRISTI sudorem *Val. Henric. Vogler.* (*c. l. p. 11.*) ab hac Regula excipit.

§. 68.

Sudori principium dicamus hujus commentationis obsignet & finem sudor, ejusque singularia. Quosdam concretis ossibus absque medullis natos non sudare, *Plin.* (*l. 7. c. 18.*) & *Solin.* (*Polyhist. c. 4.*) prodiderunt. Recensetur inter hos *insignis Pancratiastes Lygdanus.* Ob cutis callositatem Patres Capucinos sudorem non emittere *supra* (*§. 10.*) è Panarolo dictum. Vidit hominem sudare, cum vellet, *Augustin.* (*l. 14. de Civ. DEI c. 23.*); Cujus causas dare nititur *Th. Fienus* (*tr. de Virib. Imaginat. Conclus. 19. p. 44.*), inter quas imaginatio principem locum obtinet. Ita *Olig. Pauli*, Summi Medici Simonis Pauli filius, ætate grandior, fanaticus insignis, pro lubitu sudare manibus potuit, quando vel ab amicis rogabatur, vel ipsum se juberet, teste oculato *Th. Bartholino* (*Vol. 4. Act. Hafn. obs. 82. p. 192.*). Sudoris unius lateris (dextri) historiam recitat *illustris Noster Georg. Franc. à Franckenau* (*D. 1. A. 4. & 5. obs. 100. p. 103.*). Aliam (*D. 2. A. 2. obs. 126. p. 287.*) notavit *D. Joh. Schmid. Maximinus Imperator* uno die sudore explevit tres sextarios *juxta Sabellicum* (*l. 6. Ennead. 7.*) de sudore sex mensium *P. Borell.* (*Cent. 4. obs. 36. p. 305.*). Sed & sudoris sonori mentio injicienda. Miraberis nomen, sed res ipsa Te magis suspensum detinebit. *Petrus Paulus Simoletta* in eruptione sudoris in quadam ægrotante sudorem eo impetu erumpere animadvertit, ut perciperetur quidam sonus, veluti obtusus, quique sibilium præferebat ad similitudinem undarum, quarum collisione emergit spuma, quod ex *Ejus Compend. Medic.* (*c. de Sudore*) *recitavit J. C. Baricell.* (*l. 2. de Hydroposf. Nat. c. 13. p. 182.*), ubi & sudores in sonoros & silentes distinxit.

§. 69.

Quod ad colores, sudorem Chyli delineat *Th. Bartholin.* (*de Hep. defunct.* p.

p. 52.) lacteum *C. F. Paulini* (*M. C. D. 2. A. 6. App. obs. Med. Phys. 18. p. 15.*). Melleum translato simul melle, quod æger assumserat, ob laxiorem fervidi corporis habitum *Joh. Rhod.* (*Cent. 3. obs. 68. p. 457.*), Croceum *Guilh. Fabric. Hildan.* (*Cent. 6. obs. 77. p. 602.*) & ex hoc *Rhod.* (*c. l. obs. 21. p. 120.*). Ab usu Hepatum Ranarum contra Epilepsiam frustraneo *Magnus Georg. Hier. Velsch.* (*Hecatost. 2. obs. 35. p. 20.*). Ab assumto Rhabarbaro *Nobiliss. Christian. Menzel.* (*D. 1. M. C. A. 6. & 7. obs. 78. p. 113.*). Porraceum *Paulini* (*c. l. obs. 17. p. 14.*), viridem *Petr. Borell.* (*Cent. 2. obs. 56. p. 152.*), Viridisculum, iterum *Paulini* (*c. l. obs. 23. p. 29.*), viridem & fœtidum, qui tali colore etiam indusium tingebat. *Mich. Krügner* (*de Mat. Perlat. Epist. 1. p. 6.*), violaceum & Saphirinum, quem Angli Blew appellant, in infante, ut etiam lintea tingeret. *Edmund. de Meara* (*in Exam. Diatr. Willis. de Febr. c. 6. p. 75.*), cœruleum *Joh. Dolæus & Salom. Reissel.* (*M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 67. p. 93.*), miniatum *Exc. Joh. Mauric. Hofmann.*) *M. C. D. 2. A. 3. obs. 27. p. 83.*). *Phil. Hechsteter.* (*Dec. 2. Cas. 5. p.*), nigerrimum *Zacut.* (*l. 3. Prax. admir. obs. 76. p. 113.*). *Nath. Hodges* (*de Pest. Londinens.*), rubro colore tinctum è potu liberaliori Vini Hispanici, *Th. Bartholin.* (*Cent. 4. Hist. Anat. 62. p. 361.*), Atramenti, *O. Borrich.* (*ap. Th. Bartholin. V. 1. Act. Hafn. p. 1. obs. 70. p. 155.*)

§. 70.

Ratione odoris, dulcem & suavem obtinuisse *Alexander M.* scribitur, de quo infra (*Tit. 8. §. 24.*) pluribus. Pinguem & oleosum descripserunt *V. Andreas Mollenbrocc.* (*M. C. D. 1. An. 2. obs. 19. p. 34.*) *Simon. Schultz.* (*c. l. A. 5. & 6. obs. 170. p. 234.*) *Paulini* (*c. l. obs. 112. p. 70.*), de sudore capitis pingui, *Fel. Plater.* (*l. 1. observ. med. p. 88.*), A nimio usu olei olivarum oleum redolentem *Joh. Schrœder.* (*l. 4. Pharmacop. cl. 1. c. 233. p. 115.*), urinaceum in calculoso, *Phil. Salmuth.* (*Cent. 2. obs. 82. p. 97.*) *Paulini* (*c. l. obs. 15. p. 20.*), Teterrimum Alliatum in Judæa febre maligna correpta *Paulini* (*c. l.*), Saporem sitentes, prout sudorem olim Medicos gustasse retulit *Anton. Mizaldus* (*Cent. 2. memor. 71. p. 39.*). De sudore, qui corrosivus erat, ut instar aquæ fortis lintea ni statim abluerentur, citò exederet & corrumperet, *Th. Williss.* (*de Morb. Convuls. c. 9. p. 129.*) Sensilem pedum sudationem salsam esse adeò, ut orichalci linaturam calceis impositam, in viridem Crocum dissolvere valeret, observavit *Mich. Ettmüll.* (*Med. Hipp. Chym. c. 12. §. 2.*). Quod & mihi videre contingit, ita & annuli orichalcei ab Impostoribus ex Electro, ut perhibent, præparati, viridis æris præsentiam arguunt, fucique impostores convincunt, quamvis nugivenduli hoc pro signo male dispositi corporis proclament. Quod ad tactum sudoris diuturni

ni frigidi Ebrietate curati hiſtoriam vide ſis apud *Zacut.* (*l.3. Prax. adm. obſ. 125. p.134.*)

§. 71.

Quid ſit ſudor aridus, quem ξηρὸν ὑδρῶτα appellavit *Euſtathius*, *Cælius Rhodiginus quærit* (*l.5. Lect. antiqv. c.2. col.232.*) & illum interpretatur, qui non balnei proveniat vi, ſed exercitatione, & labore, ſicuti Xeroloephiam intelligimus citra lavacrum ob unctionem factam. Potiori jure ita dixiſſes illum illuſtris cujusdam Viri & Præfecti in Selandia calculo & Arthritide obnoxii, *ap. Th. Bartholin.* (*Cent.1. obſ.34. p.54.*), qui ſubinde in largisſimum ſolvebatur ſudorem, quo non ſerum exſudabat, aut ſuetos per poros liquores, ſed manipulos arenarum quas inducta manu abſtergebat. Add. *Mollenbrocc.* (*tr. de Arthritid. vag. Scorbut. c.13. n.100. p.251.*). *Paulinum* (*c. l. obſ.85. p.54.*). Vitrarius ſudabat guttas vitreas ſeu Chryſtalli ſplendorem & duritiem æmulantes cultello deſecandas, *notante Salom. Reiſel.* (*M. C. D. 1. A. 6. & 7. obſ. 67. p. 93.*)

§. 72.

E ſudoris ſordibus pediculos provenire Patres Mendicorum conſcripti *ap. Dan. Heinſium* (*Orat. de Laud. Pedic.*) non ignorant. Sudoris ſanguinei cum rubris pediculis meminit *Henric. ab Heer*, (*obſ. 23. p. 270.*), Verminoſi, *Paulini* (*M. C. D. 1. A. 6. obſ.3. p. 8.*). Mirum ex illo derivat proventum *J. B. ab Helmont.* dum (*tr. Imago Ferment. Prægnat. maſſam ſanguin. n. 9. p. 92.*) infit: Si induſium ſordidum intra os vaſis, in quo ſit triticum comprimatur, intra paucos vix (21. puta) dies fermentum induſio hauſtum & odore granorum mutatum ipſum Triticum ſua pelle incruſtatum in mures tranſmutat. Hoc mirabile eſt, *pergit*, è frumento & induſio mures, non quidem parvuli aut lactentes, aut minutuli aut abortivi, ſed prorſus formati exſiliunt. In Dariena Inſula ex Indorum ſudore Bufones naſci *Euſeb. Niremberg.* (*l. 6. Hiſt. Nat. Exact. c. 14. f. 99.*) retulit. Muſcas etiam habet *P. Borell.* (*Cent.3. obſ.50. p.236.*), ſed hæ relationes mihi, & illis quibus æquivoca generatio eſt, non ens, maxime à vero delirare nullum eſt dubium.

§. 73.

Sudori morientium variæ à ſuperſtitioſis aſcribuntur operationes, quas omnes recenſere piget. *Helmont.* qui Eundem non tàm laticem in ſua natura, quam rorem alimentarium reſolutum, cui mors imperat eſſe, aſſerit mirificas ejus vires mortificandi Hæmorrhoides & excreſcentias prædicat. (*tr. neglectus humor latex n. 17. p.303.*) Colligitur autem (*monente Franc. Oswald. Gremſio l. 2. Arb. integr. & ruinoſ. hom. c. 1. §.5. n.74. p. 107.*) intra linteolum & hæmorrhoidibus applicatur. Reddit nempè Archeum timidum, qui ex natura ſua mortem timet, ut propterea à furore remittat.

Lib.

LIB. II. TIT. VII.

De

Cruentatione Cadaverum.

Summarium.

1. TRansitio. 2. Causæ stillicidii sanguinis externæ. 3. Aër ambiens. 4. Vulnerum inconsideratus motus, lotura, cadaveris situs. 5. Dæmoniacis & Magicis artibus suppressa hæmorrhagia. 6. Appensa naturalia. Lapides. 7. Vegetabilia. 8. Ex animalibus. 9. Ossa Sirenum. 10. Dens equi marini. Lapis & Cinis bufonius. 11. Illius vires elusit Redi. 12. Magica. 13. Causæ internæ. 14. Sanguinis necessitas. 15. In venis post obitum non oppidò ob teporem & spiritus concrescit. 16. Fernelii & Aliorum contradictio. 17. Sanguis extravenatus cur concrescat? Fibræ sanguinis unde? 18. An sanguis pars. 19. Negativa Bohnii. 20. Receditur ab illa. 21. Fibras sanguini inesse. 22. Caro è sanguine venoso fictitia. 23. Fibrarum ortus. 24. Altera M.S. pars Lympha. 25. Sanguinem in vivis concrescere. 26. Causæ. 27. Flatus & vapores movent sanguinem. 28. Morbi antegressi. 29 Hæmorrhagiæ ante mortem. 30. Morbi maligni, pestilentes, Melancholia. 31. Cucurbitulæ & VS. 32. Aqua suffocati. 33. Assumta. 34. Sanguis in venis putrescens. 35. Hæmorrhagia sanctitatem non arguit. 36. Innocentiæ documentum. 37. Sepulchra etiam sanguine maduisse. 38, Sanguis CHRISTI. Capitis Joh. Baptistæ. Aliorum. 39. Signum cruentatio in ædibus occultatorum occisorum. 40. Locus è Virgilio. 41. An præsentiam homicidæ signet? 42. Status Controversiæ. 43. Affirmantium fundamenta. 44. Confirmatio è Sacris. 45. E profanis. 46. Phylacterium ne mortuus cruentet. 47. Testimonia varia. 48. Testes ocu-

oculati. 49. *Partes abscissæ & sepositæ cruentant.* 50. *Latentibus homicidis in Germania servantur.* 51. *Vestes etiam cum aliis.* 52. *In alium finem particulæ abscissæ & reservatæ.* 53. *Das Baarrecht.* 54. *Cruentationis Cadaveris Causæ supranaturales.* DEUS. 55. *Cur id permittat.* 56. *Notabile Exemplum.* 57. *An Dæmon.* 58. *Ejus fraus.* 59. *Incantatores.* 60. *Naturales causæ.* *Astra.* *Spiritus Mundi.* *Æther.* 61. *Causæ aliæ.* 62. *Animæ.* 63. *Interfectorum.* 64. *Instant occisoribus.* 65. *Poëtarum testimonia.* 66. *Historiæ.* 67. *In vindictam stimulabant viventes.* 68. *Applicatur.* *Spectra circa sepulchra.* 69. *Sanguine interfectoris fuso placari animas.* 70. *Absurdè allegant animæ reliquias.* 71. *Spiritus.* 72. *Sanguis.* 73. *An sentiat.* 74. *Sanguinem & spiritum vivere* 75. *Corpus interemti.* 76. *Character vitæ in mortuis.* 77. 78. *Experimenta.* 79. *Affectus ante mortem in mortuo permanere.* 80. *Homicida.* *Variorum sententiæ.* 81. *Majoli.* 82. *Denstonii.* 83. *Phantasia.* 84. *Spirituum concursus.* 85. *Vestitus rei.* 86. *Antipathia inter occisorem & occisum.* 87. *Sympathia.* 88. *Indicium homicidæ cruentatio habita.* 89. *Ratio infirma.* 90. *Præsentibus inimicis visa sunt cadavera cruentare.* 91. *Etiam amicis.* 92. *Idiosyncrasia.* 93. *Non omni tempore cruentant.* 94. *Magi & periapta magica.* 95. *Loci è veteribus adducta examinantur & exanimantur.* 96. 97. 98. 99. *Diversæ Autorum, ratione circumstantiarum, sententiæ.* 100. *Sanguinis Abelis clamor quid.* 101. *Sibilus effluentis sanguinis & ossis tumulati expenditur.* 102. *Locus Mosaicus lustratur.* 103. *Latere* CHRISTI *aperto unde fluxus sanguinis.* 104. *Ad historias responsio.* 105. *Jus Feretri terræ mandandum.* 106. *Non est opus providentiæ divinæ.* 107. *Miraculum non est.* 108. *Neque finem miraculi exhaurit.* 109. *Exercendæ justitiæ non inservit.* 110. *Angeli boni, mali, astra, spiritus mundi excesse jubentur.* 111. *Nec animæ id ascribendum.* 112. *Quæ non est forma assistens.* 113. *Theologiæ adversatur.* 114. *Animarum exilium nullum.* 115. *Nihil animæ & spirituum in cadavere reliquiæ.* 116.

Cur

Cur sanguinem præ reliquis humoribus elegerint. 117. Et spiritus in sanguine. 118. Cur sudores simplices id non præstent. 119. Sanguis quid denotet 120. Spirituum vis extra sanguinem nulla. 121. In sanguine anima & vita. 122. Quibusdam sanguis ipsa anima. 123. Sanguine animas delectari putabant Gentiles. 124. Inde ad sepulchra, & rogum bruta, quin & homines, mactabantur. 125. Sanguis intra venas non extra venas sentit. 126. Phantasia sanguinis Helmontiana examinatur. 127. Problema. 128. Ideæ removentur. 129. Deodato, Davissonio & Helmontio respondetur. 130. Affectus cadaveri nulli. 131 Occisor id non præstet. 132. Nec Aëris & spiritus infectio. 133. Imaginatio excluditur. 134. Spirituum occisi & occisoris conflictus nullus. 135. Ad Gassendi & Grandii Experimentum. 136. Antipathiæ & Sympathiæ exsibilatio. 137. Sympathia ridetur. 138. Multi ad τὸ ἐπέχειν confugiunt. 139. Varia prius dilucidanda proponuntur. 140. ICtorum sententia expenditur. 141. Incerta reperitur. 142. Cur in judiciis observata fuerit ista consuetudo, conjecturæ. 143. Superstitiosa occisoris, ne elabatur, detentio. 144. In obtruncatis loco sanguinis Lac effluxit. 145. Sanguinis albedo unde. 146. De occisoris indusio singularis observatio.

§. 1.

Evoluta præcedenti Titulo, quæ in viventibus & mortuis per poros cum insensibiles tum sensibiles illæsa cute & carne contingere solet Hæmorrhagia, ad illam devolvor, quæ in mortuis, in vulneratis, aut alio modo pessimè contusis & violentia affectis consequitur. Deprehenditur illa aliquando statim post mortem, aliquando aliquot à morte dies, quin & menses annosque Cadavere aliquando incorrupto aut exsiccato, aliquando saniè diffluente & putrido, aliquando in partibus abscissis, iisque exsiccatis, partibus etiam à putrido Cadavere relictis, quales sunt dentes & ossa.

§. 2.

Exempla hic compilare non necessarium judico, cum ea passim in causarum recensu inspergenda veniant. Causæ istæ sunt vel externæ vel internæ,

Externæ ſunt aër ambiens, vulnerum contactus violentus, lotura, motus cadaveris, ſitus, ejusdem appenſorum ſ. periaptorum remotio.

§. 3.

Aër ambiens huc Symbolum conferet ſuum, ſi è loco frigidiore in calidiorem transferatur Cadaver. Athmoſphæra namque calida vulnera ambiente grumi fibras vulneratas obſtruentes reſolvuntur, & attenuantur, ut ſanguis adhuc fluidus tranſudare & erumpere poſſit. Probavit hoc experientia, *ſcribit Gregor. Horſt. (probl. de Cruent. Mort. Concluſ. 3. p. 46.* quod etiam *Epiſt. Med. ſ. 9. p. 433.* repetiit.) In infante à ſcelerata matre ſtatim poſt ortum occiſo, & ex arce generoſi cujusdam Baronis ſuperioris Auſtriæ in foſſam aqua repletam, injecto, qui poſt quinque ſéptimanas fortè fortuna repertus, atque exemtus, non præſente matre tunc temporis adhuc incerta ſtatim ubi vim externi aëris percepit admodum ſanguine recenti ſtillare cœpit, quod ſcilicet ob frigus aquæ meatus ad ſanguinis fluxum accomodati penitus obſtructi jam calore ambientis aëris reſerati atque aperti fuerint. Addidit his idem & *Gothofred. Voigt. (Delit. Phyſ. c. 1. ſ. 3 memb. 2. §. 1. p. 47. aut de Stillicid. ex interemti hom. Cadav. præſ. occiſ. Diſp. Phyſ. 2. memb. 2. §. 1.)* maximam hominum in ejusmodi ſpectaculis concurrentium frequentiam, â qua calidæ aporrheæ profectæ ſanguini parant viam, aperiuntque feneſtram. Quæ tamen ratio ſola vix militabit, niſi cum præmiſſorum una conjungatur. Circumſtantes monet *Andr. Libav. (de Cruent. Cadaver. th. 284. & 285. p. 135.)* etiam vaporibus aut odoramentis validis careant. Nam quanta vis ſit in odoribus ad movendum ſanguinem, apparet in plurimis, præſertim in eo, quem malorum odor cruentantem faciebat, *concludit Idem (c. l. p. 383.)*. Exempla de malis, de Cydoniis & Liliis communicat *J. C. Scaliger. (Exerc. 142. ſ. 2. p. 486.)* id autem in mortuis non poſthabendum, ipſe *Libavius* iterum inculcat. Ut ut confiteatur quod in Cadavere minus posſint, niſi cum vapore tenui acri exſiccante, atque ita fortè occludente meatus, aut etiam alterante halitus præſentis percuſſoris, quo minus habeant virium ad dandum principium motus *(c. l. p. 284.)*. Sed & aliæ Aëris intemperies non negligendæ. Nebuloſæ ſanè, pluvioſæ & auſtrinæ in hunc cenſum veniunt, cum ſua humiditate vulnera lambentes, à Cadaveris frigiditate condenſatæ aqueæ iſtæ moleculæ à vulnere tingi, & ſudorem ſaltim mentiri queant, in vivis ſanè aëris conſtitutioni pluvioſæ magnum in corpus imperium. Videmus, *inquit Caſp. Hoffmann. (Collectan. de Ichor. §. 68. p. m. 271.)*. In continentibus pluviis quibusdam contingere hæmorrhagias humectata & fluidiore reddita tota ſanguinis maſſa. Et cur homo præ cæteris animalibus Hæmorrhagiis nati-

narium laboret, rationem redditurus *Aristoteles* (*s. 10. probl. 2.*), Cerebri humani humiditatem incusat, & pueros inde in cruentationes narium maximè proclives indicat. *Lud. Septal.* (*com. in h. l. p. 42.*)

§. 4.

Quod si vulnera inconsideratè & tumultuariè tractentur, Emplastra violenter detrahantur, etiam eluantur, aqua imprimis calida, & linteo duriore abstergantur, quis mirabitur, si sanguinem etiam in copia stillent? Qua ratione forsan moti, ubi de homicidio suspectus jure jurando se purgare in vulnus digitis impositis adigitur lanam albam vulneri imponere jusserunt judices, ut hujus ceremoniæ meminit *Martin. Crus.* (*l. 9. Annal. Suecic. c. 16. p. 536.*). Qua re & hanc digitorum in vulnus imponendi consuetudinem non immeritò rejecit *Andr. Libav.* (*c. l. p. 150. & p. 271.*). Ita & vena à percussione & solutione continui rupta, si moveatur, & de loco in locum transferatur cadaver, sanguis, simul commotus, ex vulnere prorumpit. Levem etiam motum id præstare, *Joh. Sperling.* (*Instit. Phys. l. 2. c. 3. qu. 1. p. 342.*) credidit. An unquam viderunt, siquidem exequiis interfuerunt corpora etiam non læsa aut perfossa, imò sæpè non agitata copioso effluxu sanguinis loculos pavimenta replevisse; nedum ut corpora perfossa sanguinem non emitterent, pronunciat *Gisbert. Voët.* (*p. 2. Disp. select. 12. p. 214.*). Add. *Andr. Libav.* (*c. l. p. 149.*) & *Thomam.* (*p. 3. qu. 73. art. 7.*). Comprimis si vulnus in parte sanguinea fuerit inflictum, ut iterum *Libav.* (*c. l. p. 133.*). Fieri potest, ut sanguis qui in venis delituit agitato motoque corpore erumpat, *rationatur Levin. Lemn.* (*l. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 7. p. m. 161.*). Videmus tales (mortuos) à bajulis ac vectoribus in terram subduci ac modo pronos, modo supinos constitui, sursumque ac deorsum devolvi. Quo fit, ut venarum ora reserantur ac dehiscant, tum sanguis, qui nondum genuinam naturam aut calorem exuit, è corpore profluat, in his autem, qui jam pridem exanimati sunt ac serius reperti, non sanguis rubicundus, sed cruenta quædam sanies, ex vulnere defossi destillat. Si verò casu vel ruina, vel denique alio modo oppressi sunt, parte qua meatus corporis patescunt sanguinolentus liquor emanat, nempè, aut per os, nares, oculos, aures, infernasque sedes. *Hæc Lemnius.* Et hanc ob caussam sine dubio illi igne suffocati *ap. Job. Fincel.* (*l. 2. de Prodig.*) ad tumulum delati cruentabant. Quod verò è *Polycarpi* in igne confossi cadavere profluxerit sanguis, nemini mirum videbitur, id verò, quod in tanta copia, ut ignem restingveret miraculo simile reputandum. Vid. *Euseb.* (*l. 4. Hist. Eccles. c. 15.*). Positus etiam Cadaveris attendendus, ne sanguinis effluxus intercipiatur. Si non rectè sita sunt Cadavera, *docet Libav.* (*c. l. th. 282. p. 134.*)

hoc quoque aliquid impedimenti afferet, fluxu libero impedito, unde initio statim æqualiter locari interemtus debet, videndumque, ne in vulnus cadat. Obtruncato cadaveris capite, & cadavere in terram prono dimisso, facile est, quod ex ipso declivi situ atque transmissione vel attractione aliqua, qui viventis naturæ motus sunt, simplex fiat sanguinis in venis non concreti eo solum pacto, quo aqua & liquidum unum quodque aliud ex simplici continentis inclinatione fluere solet, *Joh. Bapt. Siton.* (*Iatros. Miscell. tr. 48. p. 330.*) auguratur.

§. 5.

An sanguinis fluxus præcaveri queat, à Diabolo aut Magis, ut pars sauciata sanguinis stillam ne quidem emittat, si perconteris, stigmata Magorum à Cacodæmone inflicta longissima acu transfixa neque ullum dolorem, aut ullum sensum movere, neque sanguinem effundere longa experientia comprobatum, *teste Paulo Zacchia* (*l. 7. Tit. 4. qu. 1. n. 15. p. 655.*) asserunt. Sed & inhiberi ita insauciato potest, ut ne stillam emittat, id quidem pariter arte Dæmonica & Magicis incantamentis fieri nullum est dubium, ut sanguinis fluxum Ulyssis ab Apro super genu vulnerati carmine apud Homerum (*l. 19. Odyss. v. 457.*) reprimebant, *Autolyci filii*, de quibus, ille

Ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν

Ἔσχεθον

In incantatione sanguinem nigrum

Tenuerunt.

Add. Plin. (*l. 28. c. 2.*) & *Cornel. Agripp.* (*de Van. Scient. c. 44.*) Verbum OIPULU patientis sanguine fronti inscriptum, aut Chartæ & fronti applicatum sine dubio huc spectat, de cujus experimentis certis *Joh. Agricol.* (*Chirurg. parv. tr. 2. p. 192. sq.*) & *Joh. Sophron. Kozak* (*l. 2. de Hæmorrhag. c. 3. p. 419.*) In Variolis frustulo panis c. sanguine inscribebatur: Consummatum est, & oppido cessabat, observante *Joh. Dan. Horstio* (*obs. Anat. 9. p. 25.*). De carmine & verbis incognitis chartulæ inscripta, in uva recondita & deglutita, *P. Borellus* (*Cent. 1. obs. 94. p. 93.*). Vidit proprietatem cujusdam rei *Hieron. Cardan.* (*Com. in Hipp. l. de Alim. t. 25. Lect. 23. p. 236.*) quæ appensa collo statim sistebat omnem sanguinem undiquaque fluentem. Res ista Magica an naturalis fuerit, non addidit, nec forsan quispiam divinabit. Plura Vid. *ap. Joh. Conrad. Danhauer.* (*p. 1. Homiliar. p. 464.*)

§. 6.

Hujusmodi etiam facultates in rebus naturalibus comperias. Jaspidem collo

collo suspensum in sanguinis effluxu sedando efficacem *Galenus (l. 9. de Simpl. Med. p. 929.)* deprædicavit. Præclara sunt, quæ de eodem *Anshelmus Bootius à Boot. (l. 2. de Lap. & Gemm. c. 102. p. 127.)* annotavit Experimenta. Cum Ancilla, memorat, menstruorum fluxu ita laborasset, per aliquot dies, ut nullo modo sisti posset, Jaspidem rubram impolitam femori alligari jussi, quo facto subido mensium fluor substitit, nec rediit. Alius cum in pede vulneratus esset, nec sanguinis fluxus cohiberi posset, admoto Lapide extemplo impeditus fuit, licet vulnus non tegeretur. Memini, *addit*, me virginem Pragæ curasse, quæ sex annis Hæmorrhagia laboraverat, ita vehementer, ut vix unquam hebdomada præteriret, quin aliquoties illi sanguis efflueret. Hæc cum nullis remediis juvari posset, à me consilium petiit, qui prætermissis aliis omnibus, quæ à Medicis aliàs præscribi solent, utpote, quibus ad nauseam jam diu usa fuerat, Jaspidem illi commodato do, ut collo appensam gerat. Paret illa, sanguinisque fluxus illicò sistitur. Gestat per aliquot hebdomades, nec redit fluxus. Cum itaque se prorsus curatam opinaretur, deponit gemmam, post paucos dies redit fluxus, iterum appendit Jaspidem, cujus beneficio mox liberatur. Armillas ex Jaspide efficaces etiam expertus est *Daniel. Beckher. (Von Preusisch. Messerschlucker qu. 4.)*. Cur autem Jaspis tacto vulnere, unde sanguis prorumpit, eum sistat, nondum novi, *fatetur Galenus (l. 3. M. M. c. 7.)*. Atque si particulatim cujusque naturam explorare ad unguem scirem, *superaddit*, utique, qualem fuisse *Æsculapium* mente concipio, talem me esse putarem. Hunc verò nescivisse, quod Jaspes astringat *Hieron. Cardan. (c. l. p. 237.) asseruit.* Vidi lapidem penes Academicum quendam notum, quem si oculis fuisset habenda fides, Achatem judicassem, non Hæmatitem, dictitat *Rob. Boyle (de Athmosphær. Corp. Consist. p. 42.)*. Ideoque non credidissem aptum ad Medica effluvia, vehementi Hæmorrhagiæ sistendæ accommodata, communicandum, nisi, qui eum gestabat morbo illi fuisset obnoxius, seque ipsum & alios hoc Lapide cervice appenso, pluries curasset; quem si deponeret (ut quandoque experimenti gratia factitabat), temperamentum ejus perquam sanguineum (cui geminum rarò vidi,) ipsum paucorum dierum spatio in recidivas conjecit. De Gemma, habente colorem quasi Rubini, cujus virtute & tactu restinguebatur Sanguis *Bohusl. Balbin. (Decad. 1. Miscell. Bohem. l. 6. p. 1. n. 40. p. 56.)*. De Lapide sanguinali ex nova Hispania adverto *Nicol. Monand. (Hist. Simpl. c. 36.)* & ex hoc *Bened. Cerutus (s. 3. Mus. Calceolar. p. 403.)* evolvatur de Hæmatitis viribus & quomodo agat *Fr. B. Verulam. (Cent. 10. Sylv. Experim. 967. n. 959.) Rob. Boyle s. 2. de Gemm. p. 198.)*

§. 7.

§ 7.

E penu vegetabili commendatur urtica communis. Hæc Herba tantæ virtutis est, (ut contusa plantis pedum & volis manuum, etiam fronti applicata) miros produxerit effectus, imo in vulnere Equi magni pretii hæmorrhagia pereuntis *P. Borellus* (*c. l. obs. 95. p. 94.*), qui & idem de bursa pastoris & Hyoscyamo recensuit. Succus Menthæ cum acedo potus, sanguinem sistit, *juxta Diosc. l. 3. mat. med. c. 31. p. 189.*) *Fried. Loss.* (*l. 4. obs. med. 11. p. 349.*) Ipsus observavi, *tradit Simon. Pauli* (*cl. 3. Quadrip. Botan. p. 396.*) Simplex decoctum Menthæ crispæ, ita sanguinis motum Circularum stitisse, ut ne gutta quidem illius ex pede stillaret; quamvis scalpellum myrtiforme tertium vel quartum satis profundè in pede maximè conspicuos Saphænæ ramulos honestissimæ Matronæ adegisset Chirurgus solertissimus, ut proritarentur menses, cui famula nihil minus, quam mala in honorem Dominæ loco Simplicis aquæ pediluvium parasset, id quod aliquod fasciculos Menthæ conjecerat. Jubebebatur autem Heræ parare aliud ex simplici aqua, paravit. Hera in id pedes ultra malleolos immersit, iterare quoque laborem Chirurgus, qui tunc temporis magna sui laude partibus defunctus est suis, cum large satis ex vena ad malleolum incisa sanguis prosiluit. Non negligendum hic *Excell. August. Quirin. Rivin.* (*Disp. Med. de Acido Ferment. Ventric. Lips. 1677. habit.*) *corollare.* Quod in Quadripartito Botanico *Pauli* annotavit, post Menthæ usum venæ sectionem incruentam fuisse, idem & mihi observare licuit in muliere, quæ tabe laborabat stomachica. Cum enim propter menses suppressos sanguinis missionem postularet, factum est, ut venæ sectione tribus vicibus repetita vix una gutta sanguinis erumperet, postquam per tres ferè septimanas usa esset Essentia Mentæ, cui associata erat tertia pars Elixiris Vitrioli Mynsichti. An autem hoc ex usu Menthæ contigerit, aliis judicandum, atque ulterius experiundum relinquo. Addam & hoc *è Schwimmero* (*Curios. Phys. Diss. 4. Theorem. 4. p. 246.*). Perhibent Chirurgi quidam non sanari vulneratum, si secum gestet Mentham. De opio *ex Chræo* (qui, quis sit, equidem nescio, nec hactenus ex aliis mihi percontari licuit, forsan mendum subest typographicum) *M. J. Schreiter.* (*Nov. Dec. Metall. c. 1. Conc. 5. p. 144.*). Concionatur, in abassumtione Opio mortuis & sectis sanguinem adeò refrigeratum, *daß es wie ein gefrornes Eiß anzuschauen gewesen.* Plura *infra* (§. 93.)

§. 8.

E Regno Animali, brachiale illud Indi cujusdam prostat, cujus historiam descripsit *Joh. de Barrios*, *in Latinum vertit Maphæus.* Fuit ex osse cujusdam Ani-

Animalis, quo ſublato ſanguis erupit. Periit navi ſubmerſa illud Brachiale, quod Pro-Rex ad Regem miſerat, recitat *Stephan. Rod. Caſtrenſ.* (*l. 4. de Met. Microc. c. 4. p. 194.*). An fuerit illa Armilla, de qua *ex Hieron.* |*Oroſio* (*l. 7. de Reb. Ind. & Afric.*) *Matthias Berreggerus* (*Quæſt. in Tacit. 39.*) *Philipp. Camerar.* (*Cent. 2. oper. ſubceſiv. c. 76. p. 300.*) *B. Joh. Conr. Dannhauer. c. l.*) *Nabodabeguca* Princeps regionis Malaccæ in conflictu cum Malaccenſibus multis vulneribus conſciſſus, ita cecidit, ut nullum ſanguinem emitteret: Cum vero illum nudaſſent & armillam ex Auro factam, in qua lapis quidam erat incluſus, detraxiſſent: magna repentè vis ſanguinis ex illis vulneribus emanavit: qui Lapis, *teſte Eodem Oroſio*, ex beſtiis quibusdam eruitur, quas Siamenſes Cabriſias appellant, os Animalis Cabal vocati in Regno Jatnua ſupra carnem ligatum idem præſtitiſſe *Joh. Barrus* (*Decad. 2. Hiſt. Or. l. 6. c. 2. fol. 82.*) memoravit, quod forſan idem cum prædicto Lapide cenſendum.

§. 9.

Eadem energia oſſibus Sirenum, ex communicatione *Patris Didaci Boladillæ*, Inſularum Philippinarum, ubi dictæ belluæ capiuntur Procuratoris, & oculati teſtis, tribuit *Athanaſ. Kircher.* (*l. 2. Mund. Magnet. p. 6. c. 2. §. 6. p. 532.*): Hujus piſcis oſſa, *inquit*, habent mirabilem quandam vim atque potentiam ſiſtendi & attrahendi ſanguinem, ut ipſe citatus Pater dixit, vidiſſe ſe oſſa hujusmodi, quæ ſciſſa vena fluenteque ſanguine, cum vulneri applicarentur, ſanguinis curſum ita ſtringerent, quaſi vena ligaretur, etſi non omnia oſſa tam ſint efficacia; Fœminarum marium oſſibus multo efficaciora ad hunc effectum reperiuntur. Unde in Hæmorrhagia pertinaci pulvis inſperſus omnia alia reſtrictiva ſuperat. Diſtinguitur autem virtutis efficacia ex maculis quibusdam accedentibus ad nigrorem, quæ enim habent hujusmodi maculas, melioris notæ ſunt. Habeo ego dono ſanè ſingulariſſimo dicti Patris ex hujus rariſſimi Piſcis oſſibus confectam coronam precariam, experimentum tamen virtutis nec dum ſumſi. *Hactenus Kircherus*. Idem *Pater Philippus de Trinitate, Carmelitanus diſcalcetus* (*l. 7. Itiner. orient.*), allegatus *à Franc. Redi*, (*Experim. natural. p. 95.*) teſtatum reliquit. Oſſa autem præter modum frigida & ſicca renunciat, ita, ut ſiquis dum ſanguinem mittit, unum ex his oſſibus capiat, non ſanguis modo, ob frigus, quo brachium afficitur, ſubſiſtit, ſed in ipſa etiam vena concreſcit. Pro-Regi Indiarum, cum aliquando Chirurgus arteriam ei ſecuiſſet, nec ullum ſalutis remedium ſupereſſet, datus eſt in manum dens hujus piſcis, & ſanguis arteriæ ſtatim ſubſtitit. Variæ coronæ ex his oſ-

 ſibus

sibus factæ, diversis temporibus serenissimo Magno Duci (Hetruriæ), *pergit Redi*, (*c. l. p. 96.*) donatæ sunt, quæ à me in usum deductæ, ne minimum quidem signum mihi dederunt memoratæ hujus virtutis, in sistendo sanguinem. Sed ossa ista forsan marium fuerunt, nec maculas istas ad nigrorem vergentes ostenderunt.

§. 10.

Extat & Patris Michaëlis Boim scriptum, *ab Eodem Redi* (*c. l. p. 98.*) citatum, in quo easdem dotes Equi marini dentibus celebrat. Novi Goæ, *testatur*, in regio Nosocomio, unum ex maximis dentibus Equi marini, cujus admirandæ facultatis si Experimentum sumere volunt, dentem venæ sectæ adhibere solent, & ecce, mirum dictu, statim sanguinis prosilientis impetus sanguine intra venam recepto sistitur. Nota est historia Cadaveris cujusdam Malabarici Principis à Lusitanis occisi, quod, cum juxta navem occupatam pluribus glandulis transfossum, sine ullo tamen ex hiantibus vulneribus sanguinis effusi vestigio reperissent, in vestibus jam spoliati collo frustum ossium appensum cum detraxissent; quod uti unum ex ossibus Hippopotami erat, ita quoque sanguinis veluti aggere perrupto è mortui corpore copiosissimè ad stuporem omnium profluxit. Cujus quidem, *subjungit*, aliam caussam esse non puto, quam frigidissimam qualitatem, qua sanguis protinus congelatur & à fluxu prohibetur. Inquirere jubet *Verulam* (*c. l.*), num Lapis ex Bufonum capite non probet se virtute pari, cum Bufo umbra delectetur & frigore. De Cinere Bufonis *Hieron. Cardan.* (*l. 7. de Var. Rer. p. 471.*)

§. 11.

Habet hic iterum, quæ opponat (*c. l. p. 99.*) *Redi*. An verò, *regerit*, homo vel quodcunque aliud animal congelato sanguine in ventriculis cordis & intricatis recessibus & mæandris canalium sanguineorum vivere possit, id verò illis ponderandum relinquo, qui ratione pollent. Porrò, quod attinet aperturam venæ & cohibitionem sanguinis dente vel ossibus Hippopotami ita factam, ne quicquam exeat, id istiusmodi negotium est, ut Indis, ceu hominibus bonæ constitutionis & exhiberi & persuaderi facilè possit, non vero Europæis, nisi sit simplex quædam muliercula, quæ decipi posset, aperiendo venam, & posteà duorum aut trium digitorum latitudine sub apertura, strictè ligando frustulum aliquod dentis vel ossium, actutum enim sanguis redundare desinet: atverò æque desinet, si loco dentis marini digitum unum applices, aut qualecunque frustum ligni vel Metalli adhibeas, tantum ut corpus venæ eum in modum stringatur, ne sanguis transcurrere & penetrare in

vulnus

vulnus possit. Ut verò de impostura jam dicta litem *Redi Nobilissimo* non moveo, sed potius curiositati Ejus assurgo. Ita veniam ab Excellentissimo Ejus nomine mihi polliceor, si dicam, non totius Massæ sanguineæ coagulationem astrictoria ista medicamenta inferre, sed partialem sanè in partibus in peripheria s. Circumferentia corporis vulneratis. Sufficit, si circulo sanguinis salvo, in regione partium vulneratarum ob coagulum factum vasa obdurentur, sanguinisque coërceatur effluxus. Etsi experientia falsum hoc assertum demonstrarit *(p. 96.)*, cogitare debuisset *Patris Boimi* monitum, quando, *allegante* id *Friderico Hoffmanno Patre (l. 5. Clav. Schrœd. §. 64. p. 700.)* monuit: Certum est non cujuslibet promiscuè Hippopotami dentes hac virtute pollere, verum illorum solummodo, qui certo anni tempore capiuntur.

§. 12.

Quod si igitur à fato extinctis, cum Magica, tum naturalia ista periapta & appensa semoveantur, nullus dubitabit Cadaverum Cruentationem istis amotis subsequi. De Magicis quidem sequens *ap. Heinr. Kornmann. (p. 5. de M. M. c. 13.)* prostat. In conspiratione illa *à Comite Gouriæ* contra *Jacobum ejus nominis sextum* Scotorum Regem Perthi die Martis, qui erat 5. Augusti, Anno 1608. intentata Rex victor evasit, *Alexander Thutuenus* per gradus cochleæ præceps datus, extrema passus est, *Comes Gouriæ, Alexandri frater* etiam occubuit. Verum cum ædes & Cadavera proditorum, donec quippiam de iis statueretur custodiæ commendarentur scripta & literas diligenter Rex est scrutatus, si quid fortè posset reperiri, quod ad detegendam Conjurationem faceret, sed præter marsupium magicis Charecteribus & vocabulis incantatoriis plenum, nihil est inventum. In hoc, verisimile est, non parum fiduciæ Comitem collocasse, nam sine eo nunquam tutum se arbitrabatur, ideoque perpetuò secum gestabat. Quin & illud observandum est, quam diu de collo suspensi illi manebant, vulnera quibus periit, ne guttulam unam sanguinis distillasse, ut primum demti fuere totum corpus abundanti sanguine manasse. *Joh. Sophro. Kozack, (tr. de Sale c. 11. s. 16. p. 516.)* infans adhuc sex annorum, vidit militem unum è Passaviensibus, à Praga repudiatis exanimatum quidem ictibus gladiorum & malleorum, sed sine omni cruore, sine dubio tali schedula munitum, quæ tamen ictibus mallei prævalere non potuit. Adde & *Phil. Camerar. (c. l. p. 302.)*. De naturalibus Exempla *supra* (§. *6. 8. & 10.*) allata, curiosi desiderium explebunt. Id verò considerandum reputarem, cur amoto è Mentha facto pediluvio, & in locum ejus simplici aqua

substituta (§. 7.) vena ter vel quater scalpello profundè tacta cruorem non evomuerit, ut de novo ista ad sanguinis evacuationem obtinendam, in illam scapellum adigere necessum habuerit Chirurgus. Sanè, si rectè calculum pono, bonus ille vir seacpello saphenæ canalem feriendo aberravit, & errore suo creduli Medici animum fascinavit. Nullam venam sectam in caduco uteri sanguinem extravasare, *Paracelso* (*tr. de Caduc. Matric.* §. 6. *p.* 631.) placuit, quod vix credo.

§. 13.

Inter causas internas militant (α.) sanguinis & venarum constitutio, (β.) Flatus & vapores, (γ.) motus ante mortem vehementiores. (δ.) Morbi antegressi, (ε.) aut alii casus violentæ mortis causæ. (η.) Assumta (ϛ.) Putredo, quæ sanguinis texturam solvendo, & venas corrumpendo & oscula eorundem corrodendo concurrit.

§. 14.

Sanguinis in laudes debacchari animus non est, licet optimo jure id calamus præstare possit. ἀναγκαιότατος namque & κοινότατος corporis nostri est humor dilectissimusque naturæ filius maxime proprius succus & domesticus *Galeno* (*l.* 2. *de Temperam. c.* 3.), quia & thesaurus & suppetiæ in levamen futuræ, juxta *Joh. Fernel.* (*l.* 2. *M. M. c.* 12. *p.* 375.) & ex mente *Critiæ* (*ap. Arist. l.* 1. *de Anim. c.* 2. *tr.* 32.) & Aliorum. Add. *Guilh. Harv.* (*de Gen. Animal. Exerc.* 52. *p. m.* 197.), qui si sub fabulæ involucro sanguinem depingere voluisset, ipsum Lapidis Philosophici titulo insignire religionem minimè duxisset, (*Exerc.* 71. *p.* 324.). Sanguinis ergò tenax in animalibus Natura semper est, *Inculcat Joh. Baptista Siton.* (*Iatrosoph. Miscell. tr.* 48. *p.* 319.), & cum sanguinem profert, de præcipuo animalis negotio agi ostendit, hocque didicit ab ipsius naturæ Rectore, qui cum genus humanum admonere vult, ut sibi quam maximè caveat à sanguineis, uti solet, prodigiis, ad quorum aspectum de summa rerum humanarum agi debere præferat. Hinc optima naturæ possessio (*l.* 3. *M. M.*) *Galeno* nuncupatus, & hunc ultimò post humores evacuari, quamvis non ita bene, dicitur *Eidem* (*l.* 2. *de Elem. c.* 9. & *l.* 3. *de Simpl. Med. Facult. c.* 26.). Et hic sanguis à morte non actutum concrescit, sed ad tempus aliquando longum fluxilis manet, quamdiu in venis & arteriis adhuc hospitatur. Verè namque *Aristoteles* (*l. de Part. Anim. c.* 5.): Venas αἵματος χώραν εἶναι, sanguinemque in veneis, corpore adhuc vivo & sano, tanquam in propria custodia fluctuare, quod

quod (*ad ſ. 6. Aph. Hippocr. 20.*) *commentatur iterum Galenus* & ab illis conſervari, ne ſcilicet coaguletur, & coagulatus putreſcat.

§. 15.

Hanc in venis à coagulatione ſanguinis conſervationem non ipſis venis, ſed caloris tepori (*c. l.*) *Ariſtoteles* aſcripſit. Pollicem huic premere videtur *Franc. Gliſſon.* (*Anat. Hepat. c. 35. p. 300.*), qui conſervationem illam ſolum eſſe organicam, qua ſanguinem venæ ſervant unitum, ab alienarum rerum miſtura protegunt, motuique ipſius in orbem famulantur, primariam autem conſervationis cauſam ſpiritum agnoſcit vitalem (*p. 301.*) *Nathan. Highmor.* (*l. 2. Diſquiſ. Anat. p. 2. c. 6. p. 158.*). Sanguinis motum in morituris ſenſim ceſſantem accuſat. Quamvis namque motus Cordis in his ſenſim langueat, ſemper tamen concutitur ſanguis, donec motus ille planè nullus ſit. Atque hoc modo fibræ diſſipantur & diſuniuntur non aliter ac ſanguinis ſuilli concuſſione à concretione conſervantur.

§. 16.

Ariſtoteli verò & Highmoro non ſine Cauſa contradicit *Joh. Fernel.* (*l. 6. Phyſiol. c. 7. p. 150.*) dum ſcribit: Maxima & admirabilis in ſanguine facultas, ſed & magna vis venarum, quæ conceptum ſanguinem coire nunquam ſinunt. Et paulo poſt. Non igitur, quemadmodum *Ariſtoteles* affirmat, conſervandi ſanguinis facultas in venis, & ex caloris tepore, quum & reliquum corpus omne tepeſcat, ſed ex ingenita quadam vi & familiaritate, quæ profectò efficit, ut hæ naturalis & legitimus locus ſint ſanguinis. Hujus apertum id eſto indicium, *pergit,* quod in mortuorum venis refrigeratus etiam ſanguis non concreſcat, quem tamen in viventium inteſtina, aut in ventriculum aut veſicam irruentem tepor à concretione non præſervat. Ita dum Cadavera frigore congelata diſſecandi occaſio tulit, nihilominus in venis ſanguinem, fluidum adhuc videre contigit. Nec ſemel in Cordis thalamis viſcerumque plexibus ſanguinis grumas offendi, quod & *Highmorus* (*c. l.*) obſervavit, in venis comprimis majoribus autem fluidum. In memoriam mihi revoco olim, dum Anatomica tyrocinia exercerem, commilitones mecum cenſuram & mulctam inciдiſſe ob vaſa parva diſſecta, eò quod ſanguis extillans cultrum Anatomicum moraretur, laboremque abſtergendi & mundandi ſimul injungeret. Sanguine igitur non moto, fluxibilitas perdurat, quod *Highmorum*, & ſpiritu vitali jam diſſipato, & in Chaos ſuum revoluto, quod *Gliſſonium* confutat. In eandem *Fernelii* ſententiam propendent *Laurent. Joubert.* (*Decad. 2. Paradox. 2. p. 93.*). *Joh. Jacob. Crafft* (*ap. Guilb. Fabric. Hildan.* (*Cent. 3. obſ. Chirurg. 12. p. 194.*).

J. B. Helmont. (*tr. Aqua n.10.p.47. tr. sextupl. Digest. Alim. human. n.38.p.172. tr. Pleura furens n.15.p.319. Schol. Humonist passiv. Decept. c.3.n.2.p.810. tr. de Febr. c.2.n.22.p.743.*). Ad hanc etiam Anatomicorum experientiam provocat *Gisbert. Voët.* (*part.2. Disp. Select. p.214.*). Dum igitur in Cadaveris venis sanguis manet ad tempus fluidus, supervenientibus causis sanguinem moventibus aliquot à morte dies cruorem stillare secundum naturam poterit. Neq quidem repugnarem *Andr. Libavio* (*de Cruent. Cadav. th.145.p.229.*). Sanguini, cum in venis adhuc conclusus est, spiritus naturaliter, venasque è Corde egredi lentes cordis naturam retinere (*th.151.p.233.*).

§. 17.

Cur verò sanguis extravasatus concrescat, causas afferunt duas imprimis Antiquioris seculi Philosophi; fibras nempe & pinguedinem sanguinis, quæ refrigerata gelascit, quam etiam pituitam vocitant. Fibras duplices fecit *Philosophus* (*l.3. Hist. Anim. c.6.*). Primum genus carnis est, *ut loquitur Casp. Hoffmann.* (*l.2. Instit. Med. c.11.p.52.*) & inter nervum & venam suam habet naturam, & nonnullæ humorem, saniem appellatum, (ὑγρότητα ἔχουσαι) continent, tendunt à nervis ad venas, ac inde ad nervos. Secundum genus fibrarum est sanguinis, quod consistere in sanguine solet. Fila dixit *Cæl. Lud. Rhodigin.* (*l.14. Lect. Antiqu. c.12. col.753.*), quanquam non cujusque animatis. Has terræ opificium dixit, (*l.2. de Part. Animal. c.4.*) Philosophus. Terra autem id significat, quod non evaporat adhibito igne, sed crassescit, inde sanguinem ex aqua & terra constare *Idem* (*l.3. l. c. c.5.*) affirmavit. Quorum animalium sanguis admodum multis & crassis fibris refertus, hæc terrena constant natura & animosa, iracunda proindeque furibunda sunt, ira enim calorifica est: Fibræ verò solidæ terrenæque sunt: itaque quasi fomenta in sanguine efficiuntur, fervoremque per iram accendunt. Ex quo fit, ut tauri & apri animati, iracundi furibundique sint. Sanguis enim eorum fibris refertior est. Et quidem taurorum sanguis omnium celerrime coit & durescit (*id. l.2. de Part. Anim. c.4.*). Quin & asino crassissimum & nigerrimum tribuit (*l.3. Hist. Anim. c.19.*). Cervi, damæ, bubali & aliorum quorundam denegat, quo circa eorundem sanguis non similiter atque cæterorum concrescit. (*Add. l. c. & l.4. Meteorol. c.7.*) Sed cervorum perinde, ut leporum, solet spissari, videlicet non coitu firmiore, ut cæterorum, sed fluido, quale lac est, quod sine coagulo sponte coiverit. Bubali sanguis, *pergit*, aliquantulo amplius spissatur, quippe qui proximè ovillo aut paulo minus consistat. Locum modo allegatur (*ex l.2. de p. a. c.4.*) etiam *Galen.* (*l. quod Animi mores sequuntur temperamentum c.7.*) inseruit. Cervorum san-

ſanguini etiam fibras tribuit *Salom. Alberti* (*Orat. de Sud. Cruent. p. 27.*). *Joh. Fernel.* (*l. 6. Phyſiol. c. 7. p. 129.*). *Nathan. Highmor.* (*l. 2. Diſſ. Anat. p. 2.*) & quod horum ſanguinem non coire idcirco putat Philoſophus, quod fibris è ſanguine detractis non grumeſcat, (*l. 3. Hiſt. Anim. c. 19. & l. 2. de p. a. c. 4.*) id non ἁπλῶς, ſed κατά τι limitate ſ. ſecundum quid accipiendum, rectè *Joh. Pancrat. Bruno* (*in Not. ad Joh. Jeſſen. de V. S. judic. p. 111.*) reputavit, & quod Cervorum & Damarum ſanguis coaguletur, Venatores docebunt, quos etiam è Cordis Cervini thalamis cruorem coagulatum eximiſſe vidi. Fibras habet, ſed non ita robuſtas, & in viſum facilè incurrentes, neque omnes fibras denegaſſe videtur iſti cruori, omnemque coagulationem, *Ariſtoteles* adimit, ſed ſpiſſari dixit, coitu infirmiore idque vocabulum (ὁμοίως) ſimiliter, ſatis evincit. (*l. 3. Hiſt. Anim. c. 6.*)

§. 18.

Fibras has inter partes ſanguinem conſtituentes numeravit *Adrian. Spigel.* (*l. 4. de Corp. Hum. Fabr. c. 12. p. m. 182.*) ubi è tribus partibus ſanguinem conſtitui aſſeruit: Sero ſcilicet aqueo, rubro colore & fibris ſanguineis. *Guilielm. Harv.* (*Exerc. de Generat. Anim. 52. p. 203.*) ſanguinem ex anima & corpore conſtare *ſtatuit*, evaneſcente illa ſanguinis anima, (calore nativo) ſanguinem illicò corrumpi & diſſolvi in ea, ex quibus olim conſtituebatur: primo ſcilicet in Cruorem poſtea in partes rubras & albas, parteſque rubræ ſuperiores ſunt fluidiores, inferius autem ſitæ nigricant. Partes porrò alias allegat fibroſas & denſiores, alias ichoroſas & ſeroſas, quibus coagulatus rhombus innatare ſolet. Ab his autem, quaſi ſtamine, robur & conſiſtentiam ſanguinis deduxit *Laur. Gisler. de Peſt. Brunſuic. obſ. 65.*) parteſque fibroſas (*c. l.*) reliquarum partium vinculum ebuccinavit *Harveus*, ſui oblitus quando poſt unam vel alternam lineam partes has non in eſſe vivo ſanguini, ſed à morte ſolum corrupto, & jam diſſoluto, dictitavit.

§. 19.

Eadem ferè mens ſedet *Excellentiſſimo noſtro Joh. Bohnio* (*Circul. Anat. Progymn. p. 187.*) qui nullas dari ſanguinis fibras aſtruxit: Quamvis ſanguis, *inquit*, aut ex vulnere, aut alias, aquæ calenti immittatur, & cum hac refrigeſcat, inſtar lanæ carptæ, aut fibrarum membranearum veſiculatim ſibi implexarum lateribus ac fundo adhæreſcat. Fictæ tamen hæ ſanguinis fibræ ſunt, quas in hoc nulla oculorum & inſtrumentorum acies deprehendere poterat, ſed aqua calida ſanguinis glutinoſam portionem diſſolvit, quæ cum illa poſtmodum refrigeſcens in tenuiora filamenta congelaſcit. Et *paulo poſt*: Nec fibras

has

has ſolidiores ſanguini viventi præ inextitiſſe exinde concluditur, quod ſub quacunque exilitate concipiantur, id eſt, ſub qua etiam non niſi Microſcopio inſtructo oculo, comparent, ſemper tamen vaſorum capillarium meatibus crasſiores ſint, adeoque frequentiores horum obſtructiones inde metuendæ forent.

§. 20.

Ignoſcet *Vir famigeratisſimus*, quod ſalva ipſius Autoritate contrarium ſuſtineo. Fibræ idcirco mihi ſanguini conceſſæ videntur, ne in capillaribus vaſis obſtructiones oboriantur. Scilicet, ne craſſus ſanguis in illa irruat, ſed ſaltem ſubtilis & ſeroſus ſubcerniculi vices gerat, ſi Microſcopio armato oculo compareat, in ſanguine eorum præſentia utique concludenda. Ego nullus dubito, quin villi iſti impoſuerint *Petro Borello, ut ſcriberet* (*Cent. 3. obſ. Med. 4. p. 198.*) baleniformia animalia in ſanguine, tanquam Oceano, natare, & *Theodor. Kerckringio, qui* (*Spicileg. obſ. Anat. 93. p. 178,*) Vermiculos in omnibus viſceribus, Microſcopii ſubſidio, ſe offendiſſe narrat. De vermiculis in ſemine, quorum numerum innumerum ſe reperiiſſe gloriatur *Anton. à Leuwenhoeck* (*Experiment. & Contempl. p. 33.*) ut multa millia in una guttula computator iſte felicisſimus Microſcopio adjuvante deprehenderit, nil impræſentiarum, quia an ſemen virile hujusmodi villis ſcateat compertum non habeo. Id vero non ſemel admiratus, Chilo fibras has etiam ineſſe, & exinde ſanguini etiam communicari.

§. 21.

Fibras præterea ſanguini ineſſe his Experimentis probavit *Fernel. (c. l.)* ita accuratè diligenterque ſanguini confuſæ ſunt fibræ, ita perturbatæ, *ſcribit*, nihil ut ſenſus, in calido etiam, nunc ſanguine posſit percipere, nihil ut in eo qui jam frigore coivit & conglaciavit, veruntamen ſejungi hæ ſepararique hac ratione conſveverunt, ſi vel calens tepidusque ſanguis per linteum transfundatur, vel crebra agitatione bacillo manuve concutiatur, dum refrixerit, quomodo ſolent mulierculæ ſuillum præparare. Quin etiam, *pergit*, quum incisa in malleolo ſaphena, ſanguis, ut mos eſt, in pelvim tepentis aquæ profunditur, mox ut hæc refrixerit, & ad exiguum tempus conſtiterit, tota tenuioris ſanguinis portione tingetur, ad fundum autem delabuntur fibræ illæ prorſus cohærentes & albæ, quæ quamplurimos ſpecie quadam asſimilatæ pituitæ in errorem induxerunt. Hæ quotiescunque exemtæ detractæque fuerint, reliquus ſanguis & à concreſcendi ratione, in quam ſua ſponte ferretur, & à nutriendi præſtantia longisſime diſtabit. *Hæc Fernel.*

§. 22.

§. 22.

Teſtabitur & harum præſentiam Caro illa è ſanguine venoſo factitia, de qua ex *Andrea Knœfelio in Method. Med. febr. Epidem. & peſtilent.*) ſequentia *Johann. Tackius* (*in Chryſogon. Animal. & Minerali ſ. Phaſid. Philoſ. 2. p. 35.*) recitat: Quod in ſanguine poſt venæ ſectionem, *inquit*, aquis mixto album & viſcoſum cernitur, in carneam maſſam facilè compingitur. Fidem liberaturus, *pergit*, ſimpliciter affero: Aquam illam innatantem partem ſanguinis eſſe individuam in vita, ὄχημα τῆς τροφῆς balſamicum; Album verò illud glutinoſum eſſe jam ſanguinem fibroſum incarnationi proximum, & agglutinandum; Inferiorem verò rubro nigricantem expectare adhuc ſui perfectionem in tales fibras incarnationis, quas etiam è ſanguine circa malleolos emiſſo, & aquæ calenti immiſſo, aqua illa è luto illo ſanguinis rubro ſeparatas virgultis adhærere deprehendimus. Eædem fibræ in factitiam & artificialem carnem compinguntur hac oculari demonſtratione: Quotiescunque cucurbitis in balneo calente ſanguis exſugitur, toties collecti grumi aliquot hujus extravaſati ſanguinis inter manus conglomerantur, inſtar nivalis pilæ, & ſemper recenti affuſa aqua eluendo ſanguinis rubrum, arctius manibus compinguntur eousque quo tandem illa omnis fibrarum compactura in maſſam condidæ vel incarnatæ & ſic factitiæ carnis portiunculam coaleſcat jucundo & curioſo ſpectaculo. Hoc certum inſimul notat *Mart. Kerger.* (*tr. de Ferment. ſ. 11. c. 6. p. 59.*) è ſanguine quocunque etiam humano, eluendo eum aqua tepida, & comprimendo poſſe maſſas carneas generari. Sanguinem igitur poteſtate carnem appellandum autumavit *Galen.* (*l. 3. de Temper. c. 1.*)

§. 23.

Unde autem prima ſtamina ducunt prædicti villi Anatomici, variè diſceptant. *Ariſtotelis* mentem vide *ſupra* (§. 17.) de harum origine. Ita *Joh. Fernel.* (*c. l. p. 130.*): Fibras quidem Chylus prima concoctione contrahit è ventriculo, qui ferè totus cum nervoſus ſit, ſuam illi ſubſtantiam quadantenus impertit, qualem obtinere videmus eorum plurima, quæ vomitione redduntur, tum propria ventriculi inteſtinorumque excrementa, ſumme nimirum pituitoſe ac lenta, illapſus dein Chylus in jecur, veram ſanguinis ſubſtantiam ac colorem adipiſcitur. Itaque concreſcendi vim ſanguinis habet è ventriculo, cujus errore corpus omne quaſi Atrophia extabeſcit, ſanguine fibris deſtituto. Hinc non paucos cernimus macie confectos, quibus tamen ſanguis copioſus ineſt, isque benè temperatus, alios opimum corporis habi-

tum & Carnis molem consequi, licet sanguine constent calidiore. Quæ ipsa tamen *Fernelij* sententia *Mauritio Hoffmanno* (*Disp. de Sanguine th. 74.*) non probatur, cum virtute fermenti assumtorum compages solvatur, adeoque fibrosa hujusmodi communicatio locum vix inveniat. Examinat & refellit hoc veterum decretum *Melch. Sebiz.* (*Exerc. Med. 11. qu. 5.*). Addit *Joh. Teod. Schenck.* (*Hist. hum. general. c. 13. p. 97.*): Chylum, etiamsi extrahatur & aliquandiu vasculo excipiatur, nullatenus coire. Quod quis igitur non habet, alteri dare non potest. *Mauritio* igitur *Hoffmanno* (*c. l.*) videntur nil aliud esse, quam portiones quædam Spirituum Chylosorum viscidorumque ex Cerebro per nervos & vasa lymphatica sanguini in confluxu ad cor redditorum; nam & locum in disgregatione sanguinis extravasati supremum petunt, & glutinis instar reliquas sanguinis partes ad concretionem invitant. *Joh. Theod. Schenkii* (*c. l.*) *judicium* tale est: Sunt pars sanguinis glutinosior crassiorque, quæ in aliquibus animalibus fibrarum in modum compacto deprehenditur, in quibusdam verò minus, sed saltim crassitiem ei dilargiens atque dilutiore & aqueo distinguens. Ipse *laudatorum Profectorum Bohnii & Schenkii* decreta conjungo, & fibras illas sanguinis partes glutinosiores aut à partibus sanguineis glutinosioribus dependere divino, nec ullum absque his dari sanguinem, nec soli frigore deberi easdem, cum in aquam ferventem sanguis immissus easdem visui accuratius objiciat. Interim non ego ab aëre glutinosam Lympham condensari, & ejusmodi fibris ob teneritudinem visum effugientibus adhærere, ut crassiores evadant, conspectioresque.

§. 24.

Et Lympha ista etiam est pars altera sanguinis, quam ob viscositatem pinguedinem sanguinis dicere veteribus placuit (*Vid. supra §. 17.*). Pituitæ nomine aliquando, aliquando Ichoris, phlegmatis, aut saniei expresserunt, Moderni sevum, Lympham & laticem, de cujus glutinositate jam *supra* (*l. 1. Tit. 7. §. 70.*) multa protuli, huc referenda. Et hujus Gelatinam & viscíditatem sanguini adhuc intimè mistam & confusam ad grumorum sanguinis productionem multum conferre, indubium est, cum & ipsa quando propriæ sanguinis partes secesserunt in pellucidum concrementum, nobilemque Praxagoræ pituitam vitream facessat. Acidum, hujus concretionis causam, allegat *Fr. Bayle* (*de Apopl. tr. 7. p. 97.*)

§. 25.

Singulare est, si sanguis vita adhuc superstitite à moleculis morbosis densis & sanguinem in grumos constringentibus congeletur, ut tradidit *J. Joach.*

Joh. Beccher. (l. 1. Physf. Subt. s. 5. c. 1. n. 13. p. 304.), qui non raro in Peste & Febribus malignis & petechialibus, etiam in malignis variolis & morbillis magno labore, & multis corporis partibus tentatis sanguinem hauriri potuisse testis est. Ipse in variolis & morbillis malignis anni 1672. observavi sanguinem rubicundum, & quasi minio tinctum è naribus stillantem omni caruisse sevo, statim concrevisse & paulo post durum, ut Gummi redditum. Plura *Joh. Dan. Major Noster (Prodrom. Chirurg. Infus. §. 2. p. 20.)*. Junge si lubet (*de Chirurg. Infus.*) *Epistolam (ap. laud. Major. §. 10. p. 90. sq.)*. In Lethargo correpti venis lancetta apertis cruorem congrumatum inveni & expressi, sanguinis fluidi ne gutta quidem exstillante moriebatur. A Melancholico humore, ita fuit, ex observatione *Th. Bartholini (Cent. 3. Hist. Anat. 94. p. 188.)* exsiccatus, ut omnes venæ & ipsum Cor à perito Chirurgo dissecari non potuerint. Religionem ferè duxissem hanc historiam inserere, nisi *Magni Bartholini Testimonio* fulciretur, cum sevo abundent Melancholici, & sputatores idcircò sint (*Vid. Casp. Hoffmann. tr. de Lien. c. 10. p. 7. & c. 17. p. 115.*) *Valentiniano Imperatori* ex ira decumbenti quidam Medicorum venam sæpius iterumque pungendo, ne guttam quidem cruoris elicere valuit, internis nimietate calorum ambustis, vel (ut quidam existimabant,) arefactis, ideò membris, quod meatus aliqui, quos hæmorrhoides nunc appellamus, obserati, sunt gelidis frigoribus concrustati, *memorante Ammiano Marcellino (l. 30. c. 9. p. m. 515.)*. Forsan Medici imperitiæ id dandum, reliquos namque Medicos (Chirurgos) per varia sparserat curaturos militem pestilentia laborantem *Imperator*. Ita nostri Tonsores imperita manu venas laxare non potentes, spissitudine sanguinis imperitiam suam palliare student: Dicunt: *weil das Geblüthe allzu dicke und verbrant, gehe die getroffne Ader nicht.* Carbones viri quasi impacti in jugularibus. (*Guilh. Ballon. l. 2. Ephem. & Epid. p. 142.*) Vidimus quempiam, habet *Joh. Fernel. (c. l. p. 130.)* post diuturnum languorem de vita exiisse, cui sanguis universus in venis concreverat, adeo ut demum Coralli modo fruticans illinc eximeretur. Adde si placet *P. Borellum (Cent. 2. obs. 28. p. 128.)* & *Felic. Plater. (l. 2. obs. Med. p. 505.)* *D. Puylon* observavit in juvencula mortua febre ardente sanguinem concretum intra venas à claviculis usque ad ingvina, & intra arterias instar sebaceæ substantiæ seu medullæ sambuccinæ porosæ simillimum, *teste Joh. Riolano obs. rarar. Anthropol. annex. p. 871.* Adde *l. 2. Enchirid. Anat. c. 27.*). Plura huc spectantia *Venerandus noster Phosphor. Dn. D. J. P. Sachsius (Ocean. Macro - Microcos. §. 136. p. 126.)* collegit.

§. 26.

Facere ad hanc coagulationem Acrimoniam acidam, quando est intensior, testis est *Fr. Bayle* (*tr. de Apoplex. c. 8. p. 104.*). Adde pituitosam albam materiam, cujus copiam, in venis Lue Gallica demortuorum, invenit *Nicol. Massa* (*T. 1. Epist. Med. 30. f. 143. a.*). Ipse credidit opium assumtum huc spectare, de quo *Joh. Schreiber.* (*Nov. Decad. Metall. Conc. 5. p. 144.*). Viperæ venenum, de quo *à Mays* (*Podalir. Rediv. p. 133.*) quod viperæ morsus sanguinem coagulet. Ab externorum quorundam sanguini communicatorum miscela id facile contingere Infusoria Chirurgia declaravit. Aqua forti communi in venam cruralem canis infusa salis coagulatio oppidò successit, quod *Carol. Fracassat.* (*Diss. Epist. de Cerebro p. 411.*) testatur, & ex eo *Ephemerid. Erud.* (*T. 3. Ephem. 12. p. 181.*). *Joh. Sigism. Elzholz* (*Clysmat. Nov. c. 5. p. 24.*). *J. D. Major* (*part. 1. Dubior. circ. infus. 13. §. 6. p. 256.*). Ab infuso lacte idem provenisse *Richard. Lower.* (*tr. de Corde c. 2. p. 119.*) autor est.

§. 27.

Movent sanguinem Flatus & Vapores (β.) cum animi, tum corporis adhuc venis inclusi, cruorique mixti. Idcircò cur vena læsa non saliat in vivis *A. Th. Paracelsus* (*T. 1. op. von Aderlassen tr. 1. p. 714.*) philosophatur: *So sie ein Ader geschlagen haben, und das Blut wil nicht gehen, so wissends nicht aus was Ursache, denn daß das Blut zu dicke sey, oder das Löchlein zu klein, welches hie in kein weg mag ein Ursach seyn. Sondern die ists, daß dem Blut nicht alle Stund gelegen ist hinaus zugehn. Ein Ursach des es nicht würdig ist, und so es nicht ein Wind in ihm hat, so ists nicht geschickt zum ausgehen.* Ita *Joh. Sophron. Kozack.* (*l. de Hæmorrh. c. 9. p. 266. & tr. de Sale. c. 5. f. 10. p. 214.*). Mortuis strangulatis & suffocatis solet quoque è naribus vel faucibus manare sanguis, interdum purus, interdum aliis humoribus mistus, non quod in ipsis aliqua vena rupta sit; sed quod sanguis interrupto in & exspirationis motu adhuc à vaporibus intus agitetur & intumescat, atque foras propellatur per ordinarios vaporum meatus. Vaporis isti post mortem sæpius majori vi agunt, si nempè sanguis à miasmate aliquo venenato aut maligno imprægnatus adhuc effervescat, ebulliat, calorque putredinalis huic simul suam locet operam. Talem cruentationem in malignorum & pestilentium morborum impetu extinctis notarunt varii, ut mox elucet. Flatus dum ampliorem locum, quærit, poterit etiam, *divinante Anton. Santorello* (*Postpr. Med. c. 21. p. 63.*), disrumpere venam, & foras erumpens una effundere sanguinem, corporisve excrementa. Ita in Senz cuidam 75. annorum ex Catharro suffocativo, intra bihorium defuncto, non sine stupore (*Dn. D.*

D. Ebrenfried Hagedorn. (Cent. 3. Hist. 45. p. 342.) venæ temporalis sinistræ rupturam notavit, quæ per biduum sanguine stillabat, licet strophiolis absterge retur. Quod si prætereà sanguinis motus ante mortem vehementissimo in affectu fuit in corpore, ejus vim & potentiam tàm citò extinctam non esse, sed adhuc in actum proclivem, data occasione, moveri, similiter *Andr. Libav. (c. l. th. 130. p. 113.)* placuit.

§. 28.

Morbi antegressi (γ.) vel fuerunt benigni vel maligni. Inter benignos ante omnia loco Apoplexiam. Hanc quidem, cum Aliis, à sanguinis concretione deduxit *ingeniosus Franc. Bayle (c. l. p. 93.)*. Evidentius nihil est, ratiocinatur, quam repentinam sanguinis concretionem, inducere ejusdem stationem, ac repentinam spirituum minutionem, aut etiam extinctionem: ex quibus, si in cerebro & pulmonibus fiant, necessario Symptomata veræ Apoplexiæ excitantur. Fluxilem contra in Apoplexia sanguinem *Joh. Jac. Wepfer. (obs. Anat. ex Cadav. Apopl. Hist. 1. p. 4. & 5.)* sectione cadaverum docuit, fluidumque ob seri in sanguine abundantiam, permansisse, *Excell. Dn. D. Joh. Conrad. Brunner. (M. C. D. 3. A. 1. obs. 153. p. 265. sq.)* etiam tradidit. Ita & venæ sectione in Apoplectica facta, triduo post mortem sanguis è vena secta effusus satis fluidus, ut habet *Clariss. Dn. D. Joh. Grubel. (M. C. c. l, obs. 50. p. 65.)*, qui in Apoplexia sanguinem in pulmonibus stagnare in reliquis partibus moveri *(p. 66.)* superaddidit. *Felix ille Helvetiorum Archiater Plater. (tr. 1. Prax. l. 1. c. 2. p. 27.)* fatetur se in plethoricis Apoplecticis ob ruptam venam toties observasse & viventibus adhuc & post mortem magnam sanguinis copiam per os, nares, erupuisse. *Add. Andr. Libav. (de Cruent. Cad. p. 149.)* Novit *idem* quosdam, qui morbo Epidemiali quodam & sideratione aut Epilepsia interemti à morte demum per os, nares, aures & alias vias sat copiosum profuderunt sanguinem. In Hydropicis sanguinem propria rarefactione prorumpere *Joh. Conrad. Wechtler. (l. 2. de Hom. Cruent. & Occid. Disp. 15. Diff. 9. p. 269.)* inculcat.

§. 29.

Quod si in corporibus Plethoricis Hæmorrhagia Narium, uteri Hæmorrhoidum fatum acceleravit, nec admiratio te subeat, nec de causis quærere satagas, si per eadem loca, qua in vita manavit sanguis, post mortem adhuc manat cruor, apertis semel vasorum osculis ad consuetam properat scaturiginem, quamdiu à vaporum flatu & incubatu purpurea illa urgetur moles. Inde Lochia puerperis defluunt demortuis, menses mulieribus, viris Hæmorrhoides. In vulneratis vasis majoribus, si ad ignis asylum confugiendum fuerit, post

mortem Eſchara detracta aut decidens novam vulnerum cruentationem ſiſtet.

§. 30.

Hujusmodi cruentationem in malignorum & peſtilentium morborum impetu extinctis etiam à variis optimæ notæ Medicis notatam curioſum Lectorem non fugit. Nobis etiam licet, ſi libet, animadvertere, in his, qui ſimili aliquo morbo vel febre pereunt, oportere plerumque nares bambace vel alia quapiam re occludere, ex eo quod per eas cruorem, ac tabidos humores ex naribus & ore profundunt, annotat *Paul. Zacchias* (*T. 3. Quæſt. Med. Legal. Conſil. 19. n. 5. p. 34.*). Scilicet fibras in ſanguine abſorptas in peſte credidit *Laurent. Giſeler.* (*c. l.*) & impetuoſam cum vita fractam humorum comprimis ſanguinis effervescentiam nemo facilè admittet. Hiſtorias ſuggerunt *Laurent. Joubert.* (*l. de Peſte c. 8.*). *Hieron. Capivaccius* (*ap. Laurent. Scholz. Conſil. 196. p. 572.*). In Peſte Parmenſi *prodidit Roland. Capellutus* (*l. de Peſt. Parm. p. 7.*) alii ſuffocabantur, ab ore quorum non parva ſanguinis quantitas emanabat. In Peſte Chemnicenſi virgo præclara ſtirpe nata poſt mortem tantum ſanguinis è Naribus profudit, ut veſtes ferales pollueret fluxusque ille usque ad ſepulturam nullo conatu inhiberi poterat. Eſt & in his & aliis morbis, v. g. Melancholia, ſanguis cauſticus, quod obſervavit *Dn. D. Ambr. Stegmann.* (*M. C. D. 3. A. 1. obſ. 15. p. 35.*) in Melancholico, inque Scorbuticis ipſe ſæpiſſimè, qui ingruente poſt mortem putredine vaſorum oſcula exedit, eroditque.

§. 31.

Spectant huc cucurbitulæ, & venæ ſectæ poſt obitum adhuc ſanguine madidæ. Ne pueris morbillis & variolis detentis profundiores fiant ſcarificationes prohibuit *Laz. River.* (*l. 7. Prax. Med. c. 2. p. 551.*). Contingit enim, *ſubjicit*, ut penitius adacto ſcalpello ab imprudenti Chirurgo ſanguis fervidus & ebulliens venulis diviſis eo impetu per vulnuſcula effluat, ut difficili negotio cohiberi poſſit. Apud noſtros cautela hæc non eſt neceſſaria, qui in hoc caſu Chirurgiam hujusmodi non admittimus neque propter morbillorum copiam confluentium imprimis admittere poſſumus. Illuſtrat rem illam *Joh. Langii* (*l. 1. Epiſt. Med. 40. p. 194.*), quam etiam citat *Caſp. à Rejes* (*qu. 33. n. 23. p. 400.*) & *primus Collegii noſtri Fundator & Præſes Dn. D. Leonh. Bauſch.* (*Schediasm. Curioſ. de Hæmatit. Proœm. p. 15.*) relatio; Uxori nobilis Viri *Bertholdi à Flerſcheym.* de nobili Helmſtettorum ſanguine notæ, graviter ægrotanti cum

dias-

in ſcapulis cutem adhibitis cucurbitulis inciderent ſcalpello, nemo ſanguinis fluxum ulla arte vel carmine ſiſtere potuit. Altera die mortua etiam cruentavit, donec ad ſepulchrum efferretur. An Chirurgus ea fuerit uſus arte, quam quidam Balneator in Monachio, Ducum Bavariæ metropoli, noſſe fertur, qui cucurbitulis tantum ſanguinis, quantum voles, vel ad Syncopem usque elicuit. At illius Hæmorrhagiam quando libuerit, ſiſtere potuit. Hunc verò, *ajebat*, ſuum ſcarificationis ſcalprum, pulvere quodam quibusdam ſpeciebus ſalis mixto expolire, qui ſanguinem concreſcere non ſinit. Nam & ideò in Cancrenæ ſcarificatione, inciſiones aqua ſalſa calente, ne ſanguis ingroſſetur, irrigamus, quem ſi ſpongia recenti marina, aqua ſalis aut maris humectata abſterſeris & fomentaveris, etiam liquidior fluet. *Hæc Langius*. Salis vulgaris aut Ammoniaci meminit *Andr. Libav.* (*de Cruent. Cadav. p. 262.*). Multis in peſte ſanguis è Cucurbitulis emanans, nec validis auxiliis, nec cauterio ipſo potuit compeſci. Omnes obiere, nam facultas retentrix à venefica qualitate prorſus erat extincta, *memorat Zacut.* (*l. 3. Prax. adm. obſ. 42. p. 105.*). Sanguis in febribus mali moris, ex annonæ caritate prognatis, ſatis venis emiſſus, erat vel igneus magis, vel atrior, vel ſevoſior, vel acer, & eam ipſam diſſectam venam, dum flueret, pungens, ut ægrè inde ad cicatricem coiret, *tradidit Galen.* (*l. de Cib. Bon. & Mal. Succ. c. 1.*). De venæ ſectione ante mortem adminiſtrata, *Vid.* (§. *28.*) ſimilemque caſum in nobili fœmina contigiſſe, olim ad me perſcripſit *B. Dn. D. Gabriel Clauderus.*

§. 32.

In Aqua ſuffocatis, ut ad alias (*δ.*) violentæ mortis cauſas progrediar, ſi aquæ extrahantur, ſtillicidium illud evenit. Baſileæ quidam adoleſcens aqua ſuffocatus periit, ſcripſit *Joh. Jacob Crafft.* (*ad Guilh. Fabric. Hildan. c. l. obſ. 12. p. 194.*), & poſt 16. diem repertus merum, & non loturæ carnis ſimilem, ſanguinem, per os & nares omnium cum admiratione ejecit. Meminit & hujus phænomeni *Anton. Mizald.* (*Cent. 1. Memor. n. 4. p. m. 2.*). Quod etiam in Balneatore juvene olim Ileburgi in Muldæ flumine ſuffocato me obſervaſſe recordor. Sanguini fluidiori & liquidiori reddito, dum ſuffocationis tempore multa aquæ quantitas per patentes meatus eidem miſta fuit, tribuit *Caſp. à Rejes* (*c. l. n. 20. p. 598.*) aëris verò ambientis Narium vaſa cruore turgida penetrantis & oſcula eorum aperientis vis non excludenda. Vidi olim in Patria Commilitonem, cui aquæ ſe committere & natare in deliciis erat à gurgite abſorptum, & ſemimortuum extractum in enormem incurriſſe Narium hæmor-

rha-

rhagiam, quod impedita aëris attractione aut illapsu in pulmones, vasa Cerebri intumuerunt, & libera recepta respiratione sanguinis pondere se liberarunt. Plura *Andr. Libav.* (*c. l. p. 297.*). Ab alliis rebus suffocatio illata stillationem hanc parturit. Infans mortuus in fasciculo stramineo repertus apud *Theophil. Bonet.* (*Anat. Pract. l. 2. s. 2. obs. 43. p. 474.*) id manifestat. Idem de ruina oppressis tradidit *Andr. Libav.* (*c. l. p. 149.*) & hæc ratio etiam insuspensorum cruentatione militat.

§. 33.

Quod ad assumta (*s.*) vidimus à nimio vinorum calidorum & dulcium potu imaginarios sudores sanguineos procedere (*Tit. praced. §. 29.*) & horum impetus & fermentatio in sanguine post mortem adhuc impetuosa Hæmorrhagias concitare posse indubium est. Ita in cruentatione suspensi corpulenti, qui ante mortem plusculum vini bibit & æstivis horis pependit, respondit *Andr. Libav.* (*ap. Greg. Horst. l. 2. s. 17. Epist. p. 589.*) Videndum etiam num quod acre medicamentum sumserit sauciatus (*c. l. th. 365. p. 138. add. p. 389.*) *Idem* præcipit. In Philtrato Narium stillicidium post mortem deprehensum, historiam *à Dn. D. Andrea Mollenbroccio* annotatam *ap. Casp. Theophil. Bierlingium* (*Advers. Cur. Cent. 1. n. 11. p. 29.*) legi. Ab obitu Hæmorrhagiam successive cuidam in quo veneni assumti suspicio erat *B. Nicol. Binninger. Cent. 4. obs. 100. p. 481.*) memorat. Sæpè accidit, ut medicamenti vi subtilis acrisque effectus sanguis, exesis erosisque venis, aut meatibus erumpat; idque cum suo fiat tempore, sæpe post obitum completo, fieri potest, ut erosione completa profluat humor, *infert Andr. Libav.* (*c. l. ad th. 306. p. 389.*)

§. 34.

Quod si aliquot à morte dies, septimanas, aut etiam mensem oculos incurrat hoc phænomenon, sanguini in venis putrescenti venarumque putredini & rupturæ id erit deferendum. A putredine cruor stagnans fibris absumtis & corruptis, & cum sanguis sit aqueæ & terreæ naturæ immodicæ humiditate unione partium componentium dissolvitur, fit fluxilis & liquescit (*ut Anton. Santorell. Postprax. Med. c. 22. p. 66. autumat,*) oscula præterea vasorum laxantur, quin & eroduntur & disrumpuntur. Quocirca *Joh. Rioland.* (*l. Anthropol. c. 18. p. 61.*) monuit. Inter dissecandum non te terreat, & ab incepto opere revocet stillicidium sanguinis è naribus vel ore, quod sæpius contigisse vidi primo vel altero, tertio & quarto sectionis die, quandoque meticulosi ducerent pro sinistro omine, ac si nefas esset corpus illud attrectare, cujus umbra nondum à

san-

ſanguine ſeparata, ſui adhuc corporis curam haberet, qua de re *apud Poëtam Polydorus Æneam* hortatur: *(l. 3. Æneid. v. 42.)*

Parce pias ſcelerare manus.

Nam Cadavera exactis duabus vel tribus diebus in malis, ſeu genis, carnoſioribusque locis, rubere viſa ſunt ex ſanguine ſeroſo putreſcente, & quoquo verſum diffluente ex Cadaveris commotione & revolutione, dum ſecatur, inde ſanguis ex ore, naribus, oculis exſtillat. Infantem partu difficili ſuffocatum, aliàs tamen perfectum, ſanguinis ſtillicidium pati poſſe, ſi aliquandiu exponatur, donec per incipientem putredinem ebullitio nova ſanguinis oriatur, non dubiat *Gregor. Horſt. (l. 1. Epiſt. Med. ſ. 9. p. 433.)* Add. *Joh. Jac. Crafftium (ap. Guil. Fabric. Hildan. Cent. 3. obſ. Chirurg. 12. p. 193.).* Spectat huc Exemplum à *Joh. Manlio (Locor. Commun. Collect. Præc. V. p. 313.)*: Interfectus eſt quidam ſtudioſus inter Dieben & Lipſiam, cujus Cadaver projectum eſt in aquam, ubi totas quatuor ſeptimanas congelatum jacuit. Poſteà verò in eodem loco inventum & erutum ex glacie in proximum oppidum deportatum eſt. Quod, ubi Judex cum multis civibus circumſtantibus inſpexiſſet, cœpit recentem ſanguinem ſtillare cadaver.

§. 35.

Cruentationes iſtæ quid indicent, curioſè quæras. Sanctitatem cadaveris, in vita dum fuit, indicare multis, papicolis præprimis, eſt perſuaſum. De corpore in Baſilicam Cæſarauguſtam translato, quod Cruor inde effluxerit, id *S. Vincentii* extitiſſe, concluſit *B. Eugenius (Carm. VIII.)*, dum cecinit:

Hic jacet ille cruor, quem das pro corpore pignus,
Nare fluente tuus hic jacet ille cruor.

In quem locum iſta commentatus eſt *D. And. Revin.* Cruor hic diu poſt emanans argumento eſt, verum hoc eſſe corpus *Vincentii*, quod Cæſarauguſtam translatum eſt, cum inuſitatè & miraculoſè naribus Ejus profuſe ſtillaret ſanguis. Cum in Francia, *Sigeberto (Chronic. f. 62. a.) teſte*, apud Cenobium Elnonenſe *Sanctus Amandus à Lanthario* elevaretur: à depoſitione Ejus anno circiter 152. cujus corpore adhuc integro invento, cum Ejus capilli & ungues, qui excreviſſe videbantur, præciderentur & de ore Ejus dentes adhibita forcipe extraherentur: Sanguis inde profluxit, qui ad memoriam poſterorum adhuc ſervatur. Plura *Joh. Bapt. Siton. (Iatroſoph. Miſcell. tr. 48. p. 329.).* De reliquiis ſanctorum ſanguinem ſtillantibus, vide quæ collegit *Stephan. Clozius (de Sud. Chriſt. ſangv. Exerc. c. 13. §. 4. p. 122.).* Bellus vero argumentandi modus: Hoc

vel illud Cadaver sanguine stillat, ergò hujus vel illius sancti est. *Es wird einer ermordt, und es begiebt sich darnach, so der Mörder bey diesem Cörper stünd, und er bluthet, so folget hieraus nicht, daß dieser Cörper soll heilig seyn.* *Judicat. Theophr. Paracels. (T. I. Op. l. 4. de Morb. Invis. Orig. p. 108.)*

§. 36.

Cruentationem istam innocentiæ documentum (interfectum nempè innocenter interemtum,) prodiderunt quidam. De sanguine *Abelis* mox (§. 43.) plura. Observatum fuit & pro divino habitum, *commentatur Andr. Libav. (c. l. ad Thes. 187. p. 274.)*, innocenter occisi, etiam à Magistratu, hominis cruorem manantem copia admiranda sat diu perstitisse. Episcopus quidam, *pergit narrare*, suspectum habebat Consiliarium quendam suum, hominem divitem, furtique accusabat. Itaque repentè domo suo evocatum, tanquam ad consilium, in crucem sustulit immerentem. Hujus sanguis non cessavit fluere, quamdiu ibi suspensus mansit; miraculo admodum ut videbatur; Etsi forte apud nostros in crucem acti cruore stillant, vulgus mortis, citra meritum illatæ, testimonium reputat. *Am Jüngsten Tage wird es fliessen und rinnen aus den unschuldigen Menschen, die also ertödtet und erschlagen sind worden*, pronunciavit (*T. 2. op. tr. de Sangv. Ultra Mortem p. 268.*) *Paracels.*

§. 37.

Sepulchra Sarcophagos & alia innocenter interfectorum sanguine maduisse & adhuc madere, observationes suggerunt testimonia. *Zacchariæ filii Jojadæ*, aut *Barachiæ* (*patrem Joh. Baptistæ* substituit immeritò *Joh. Manlius c. l. calend. p. 698.*) quod *ex Talmude Hierosolymitano* recensuit iterum *Kloziu*s (*c. l. Exerc. 13. §. 7. p. 129.*), sanguis in Templo effusus & in lapidis duritiem concretus, ut retulit *Libav.* (*c. l. Th. 246. p. 128.*), cum intemplum ascenderet *Nebusaradan.* (non *Titus*, ut hunc errorem *c. l. errat Libav.* & cum eo *Heinr. Kornmann de M. M. p. 4. c. 174.*) mirum in modum ebulliit. Idem ideò sacerdotibus dixit, quid hoc sibi vult? Sanguis est, *inquiunt*, vitulorum Agnorum & Arietum, quos obtulimus in Altari. Afferte ergò, *inquit*, vitulos, Agnos & Arietes, ut experiar, an hic de eorum sit sanguine. Adduxerunt & mactarunt, & sanguis iste adhuc bulliit. Rem mihi pandite, *ait*, aut ego carnem vestram carminabo pectinibus ferreis. Dixerunt ergò Ei, sacerdos & Propheta & judex hic fuit, qui prædixit hæc omnia, quæ à Te passi sumus, & nos in Eum insurreximus, & occidimus. Et ego Eum, *inquit*, placabo, Rabbinos adduxit, atque Eos super istum sanguinem occidit, & tamen non quievit. Adduxit juvenes Sacerdotes atque eos super eum occidit, & tamen

non

non quievit. Appropinquabat Ipse & dixit ò *Zacharia*, *Zacharia*, optimos inter tuos perdidisti, num vis ut omnes perdam? tunc quievit & non bullivit amplius. Add. *Sam. Sturmium* (*Calendar. Sanctor. p. 39.*)

§. 38.

De sanguine Christi in Terris superstite singulis annis post decantatam in die Parasceves ebulliente, vidi, quæ recitat *Stephan. Cloz.* (*c. l. Exerc. 16. §. 6. p. 171.*). De S. Iohannis Baptistæ Capite, *è Kessæo, Joh. Heinr. Hottinger*, (*l. 1. Hist. Orient. c. 3. p. 147.*) commemorat, quod sanguinem semper stillavit, sanguinemqne à Rege sepultum ita ebuliisse, ut ædes regiæ, & loca vicina eo redundarint. E Sarcophago saxeo, qui *S. Johannis Baptistæ* capitis putatur, certo tempore aliquot guttas sanguinis destillare, *Thevenot.* (*p. 1. Itin. Orient. l. 2. c. 6. p. 307.*) *testus est.* De ramis Cupressi rubeo calore, ut & sepulchro sancti violenta morte ob religionem mactati, *Petr. della Valle.* (*p. 3. Itin. Orient. Epist. 17. p. 205.*). De sanguine *Conradini* & *Alberti* ista *Heinr. Kornmann.* (*p. 4. de Mir. Mort. c. 176.*): Neapoli in Templo *D. Johannis* majoris in medio sacello locus, qui cruorem hausit *Conradini* & *Alberti* ad hodiernum usque diem madet. Novi locum, meminit *Andr. Libav.* (*p. 2. Singul. p. 172.*), ubi vir cum uxore suspensus plurimum sanguinis sat diu effuderunt, etiam ex pedibus fusisque & ligna patibuli crasso rubore obduxerunt. Halæ quidam iniquè suspensus cruentavit triduo. Iniquè suspensi cruentant, marginale habet. De rustico à milite innocenter trucidato *Georg. Hannæus apud Th. Bartholin.* (*Vol. 3. Act. Hafn. obs. 92. p. 70.*), ut constaret omnibus, DEO ita & natura patrocinante, rusticum spiritum innocentem effudisse, antequam fata poscerent, protulit respersum & quasi madentem sanguine Acinacem siler huic proximum loco, quem jugulati occupaverat Cadaver. De bombardis cruentantibus tale tulit olim *Andreas Libav.* (*ap. Joh. Hornung. Cist. Med. Epist. 59. p. 175.*) Mihi videtur privati cujusdam homicidæ vindicta exigi.

§. 39.

Etiam in ædibus cruentatio injuste interfectorum & occultatorum cadaverum aliquando extitit signum. Audiamus *Joh. Arndium* (*Conc. in V. Præcept. 1. p. 37.*): *So ist ein grosses Wunder mit den Blutzeichen, daß das Blut offt nach dem Tode erscheinet, derer so erwürget seyn, wie zu meiner Zeit in einer benachbarten Stadt geschehen, daß das Blut auswendig in einem Hause gesehen an der Wand herablauffen, daß davon ein ziemlich Grüblein auff der Erden gefüllet, und als wir alle Stunden und mit Verwunderung dasselbige ansahen, denn eben ein Proceß einer Leichbegängniß fürüberging, hat sich hernach befunden, daß eine*

Magd ein Kind im Hause gebohren, und erwürgt, und in Keller begraben, welche bald darauff in einen Sack gestecket, und im Wasser ersäuffet. Darum ist es ein groß Wunder, daß das Blut nach dem Tod erscheinet, und den Mörder offenbahret, und Rach schreyet von der Erden. Dis kan man mit keiner Vernunfft begreiffen, noch die Ursache natürlicher Weise ergründen, wie wir die Angst der Creaturen und ihr Sehnen nicht verstehen. Ideò Ægyptiis DEUS aquam in sanguinem convertisse videtur, qua Ægyptii aquis infantes masculos merserant, & sanguine ipsorum aquas infecerant, *è Theodoreto annotat Celeberrimus Abrah. Calov.* (*T. 1. Bibl. V. T. illustr. in Exod. c. 7. v. 29. p. 531.*) ubi, & locum *è l. Sapient.* (*c. 11. v. 7. & 8.*) *allegat.*

§. 40.

Apud Maronem (*l. 3. Æneid. v. 19.*). Æneas sequentia memorat:

Sacra Dionææ Matri, divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum, superoque nitentem
Cœlicolûm Regi mactabam in litore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi, viridemque ab humo convellere sylvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum, & dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbor
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant, mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis
Rursus & alterius lentum convellere vimen
Insequor, & causas penitus tentare latentes:
Alter & alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo Nymphas venerabar agrestes.
Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis:
Ritè secundarent visus, omenque levarent.
Tertia sed postquam majore hastilia nixu
Aggredior, Genubusque adversæ obluctor arenæ:
(Eloquar? an sileam?) gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures.
Quid miserum Ænea laceras? jam parce sepulto,
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troja

Æter-

Æternum tulit: haud cruor hic de stipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.
Nam Polydorus ego, hic confixum ferrea texit
Telorum seges, & jaculis increvit acutis.

Obtruncarat autem hunc *Polydorum Priamus*, ut auro ipsius potiretur.

§. 41.

In trivio notum est, ejusmodi cruentationes in violenta morte sublatis cadaveribus præsentiam homicidæ signare, circa quod problema Theologos, JCtos, Medicos, Physicos & quos non occupatos deprehendas. Distinguendum autem censeo cum *Godofred. Voigtio* (*c. l. s. 2. Artic. 2. §. 1. sq. p. 38. sq.*). (1.) Inter Cadaver morte naturali extinctum, & inter id, quod violenta morte. De hoc, non de illo impræsentiarum agitatur quæstio. (2.) Inter Cadaver recens interfectum & inter corpus jamdiu exanimatum atque corruptioni proximum, quin & corruptum. De utroque quæritur. (3.) Distinguunt inter occisorem per se, & per accidens talem. Sive de homicida, qui præmeditatò ex odio vindictæ cupiditate (iracundia) & similibus causis hominem interemit, & de eo qui fortuito, citra propositum & voluntatem id sceleris præstitit. Non de hoc, sed de illo disceptatur. (4.) Inter Cadaver hominis publica Magistratus autoritate à carnifice aut aliis occisi, & privata vindicta à privatis personis sublati. Non illud, sed hoc in considerationem venit. (5.) Inter hominem à Magistratu interfectum justè & injustè. De hoc, non de illo vertitur quæstionis cardo. (6.) Inter cadavera omni omninò calore destituta, & aliquibus caloris reliquiis adhuc dotata. (7.) Inter calorem nativum & elementarem. (8.) Inter calorem influentem & insitum. (9.) Inter calorem ipsum & caloris sensum. Add. *Joh. Christoph. Hundeshagen* (*Disc. Phys. de Stillicid. in homin. Violenter occisi cadavere §. 62.*)

§. 42.

Quod ad ipsum stillicidium, distinguit *cit. Voigt.* (*p. 40.*) illud (α.) in continuum & interruptum. (β.) Inter continuum absolutè, quod perpetuò durat; & respectivè, in respectu ad interruptum. Non illo, sed hoc modo quoddam stillicidium appellat continuum. (γ.) Inter stillicidium actuale & potentiale: sive inter stillare actu, & stillare posse. Ut ut cadaver non semper actu emittat sanguinem, potest tamen nonnunquam eundem effundere. Sed hoc nihil ad rem (δ.) Inter fluxum, qui mortem sequitur immediatè, & qui mediatè. Non illum, sed hunc attendit ergo utrumque.

§. 43.

Qui affirmativæ suæ addunt Symbola, è sacris petita afferunt fundamenta, è profanis Exempla & rationes, quæ pluribus examinare & ponderare instituti jubet ratio. *Abelis* à fratre *Caino* interemti sanguinem clamasse, ipsa divina vox ad *Cainum*, fratricidam, prodidit. Cum occisum fratrem abdiderat, *refert Joseph.* (*l.1. Archeol.c.*), vox profusi sanguinis & abditi cadaveris ex ipsis terræ visceribus erupit, & prædicavit homicidium, atque homicidam prodidit, neque invenit locum latendi in terra, cum de terra clamaret, quæ enim aperuit os suum, ut exciperet sanguinem, eadem ipsa aperto ore causam profusi sanguinis, atque profusorem, locum & tempus, & reliqua omnia, quæ coram illa gesta sunt ingenuè & sincere contestata est, quod repetit *Joh. Pineda* (*in c. 19. Job. v.19, c. 2. p. 668.*). Alii asserunt, DEUM, interfecto *Abele*, *Cainum* homicidarum & fratricidarum antesignanum, cum fratricidium præfractè negaret, ad *Abelis* cadaver deduxisse, præfataque cruentatione fratricidam convicisse, addita voce: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (*Genes. 4. v. 10.*). Hoc si testibus idoneis probari posset, *judicat Stephan. Clotzius* (*c. l. Exerc. 14. §. 11. p. 154.*), id tamen ne quidem cogitare fas, *subjicit*, quod sanguis iste effusus certis quibusdam indiciis, quasi sonora quadam voce vindictam clamavit, non vox fratris, non vox animæ fratris, sed vox sanguinum clamabat. Non frater, sed sanguines fratris, quem occiderat accusabant, vindictamque rogabant. Terra testis erat, quæ sanguinem imbiberat. Ita prorsus illam sanguinis è vulneribus, aut occisi, ebullitionem, de qua hactenus disseruimus in cruentatione, clamorem esse arbitramur sanguinis apud DEUM contra occisorem pro vindicta supplicantis, concludit. Sic *in Jacobi ab Aqueria Patricii Arelatensis* cadavere, vulnere mortuo, cum qui vulnerarat à Magistratu comprehensus in cadaveris conspectum delatus fuisset, ut occisum recognosceret, & scelus fateretur: mox ebulliens sanguis multo cum fervore & bullis prodire è vulnere & naribus cœpit, spectantibus cunctis, annotante id *Francisco Valleriola* (*l. 2. obs. Med. 7. p. 203. & obs. 9. p. 227.*). *Henrico Abbate Blesensi* nequiter à suis occiso, ubi sequenti die ad sepulturam occisi, de locis ubi extra manebant rei criminis, Ecclesiam intraverunt, ecce vox sanguinis fratris sui Abel de terra quasi vindictam clamans per vulnera, quæ à loco occisionis sicca remanserant abundantissimo sanguinis impetu in eorum præsentia manaverunt. Et tale quid aliàs frequenter audivimus factum esse *prodidit Th. Cantipratan.* (*l. 1. Exempl. & Mirac. sui temp. c. 16. §. 2. p. 56.*). Habet & quædam *Paracelsus* (*T. 1. op. l. 4. de Morb. invis. p. 104. & T. 2. Fragm. l. Philos. de Sangu. ultra mortem p. 268. & l. de Homunc. & Monstr. p. 281.*). Quidam

Fratricida se audiisse in sylva occisi fratris sanguinis vocem, *teste Joh. Manlio (Loc. Com. Collect. de 5. Præcept. p. 292.)*, confessus est. Confer. *Jac. Welleri (Klappermühle Conc. 3. p. 132.)*. Addunt & locum *ex Apocalypsi (c. 6. v. 10.)*

§. 44.

In hujus sententiæ confirmationem processum illum, quem DEUS ipse præscripsit *(Deut. c. 21. v. 1. sq.)* ubi occisus in campo invenitur, homicida nec præsente, nec noto, allegant, Evolvatur *Paul Zacchias (l. 5. Quæst. Med. Leg. Tit. 2. qu. 8. n. 11. p. 429.)*. Imprimis probant id ex manuum super vitulum ablutione, *secund. B. Joh. Gerhardi (comm. ad h. l. p. 1238.)* testimonium. Factam istam Ceremoniam, ut autor cædis cruoris ex occiso effluxu proderetur, *autumat Cornel. à Lapide (Com. in in h. l. p. 990.)*. *Vincent. Mosles Regiæ Majestatis Philippi IV. Medicus (in Philosoph. Natur. Sacrosancti corporis CHRISTI c. 14. dub. 3. cit. Heinric. Engelgravio T. 2. Luc. Evang. p. 161.)*, disquisivit, an à morte SALVATORIS naturaliter sanguis ex aperto latere profluxerit? Ubi sic ille sensit: Alicui videri poterit, quod sanguis naturaliter fluxit, quia erat præsens homicida, naturaliter enim præsente homicida fluit sanguis è corpore mortuo. Add. *Franc. Coll. (l. 4. de Sangu. CHRIST. c. 4.)*. Uni tuo, ô JESU mellitissime! sanguini contigit diviniori virtute, quod Natura frustra imitetur: Erat, ut occupavi dicere, sacrilega cædes, ac Deicidium clarissimis argumentis soli exhibendum, sanguis igitur promanavit, ut creatura universa funesto spectaculo perculsa abhorreret, piè peroravit *(p. 1. Homil. Sacr. 14. p. 462.) B. J. C. Dannhauerus*. Allusit ad id *Bohusl. Aloys. Balbin. (l. 3. Exam. Meliss. Epigr. 24. p. 76.)*, dum ad CHRISTUM cruci affixum, sanguine manantem, hæc suspiria ejaculantem peccatorem introducit.

Quando occisor adest occisus sanguine manat,
Posthumus, & renovat vulneris ora dolor.
Heu mihi! Cum præsens video tua vulnera CHRISTE!
Rursus hiat lateris vena, madetque Tui.

§. 45.

Ne hoc Ethnicos antiquos latuisse perhibent. Locum adducunt ex *Homero (iliad 17. v. 82.)* de *Euphorbii* Cadavere:

Hectorem autem gravis dolor cœpit præcordia circa nigra
Circumspexit autem deinde per turmas: statim autem cognovit
Hunc quidem (Menelaum occisorem) auferentem inclyta arma illum autem (Euphorbium) in terra
Jacentem: fluebat vero sanguis per inflictum vulnus.

Hhhh 4

Ἔῤῥει δ᾽ αἷμα κατ᾽ ἐσταμένειν ὠτειλήν.

Jungunt huic Lucretii *l. 4. de Nat. Rer. v. 1039.* assertum, quo id lepidissime explicatum *Franc. Valleriola (l. c. p. 202.)* edixit:

Irritata tument loca semine, fitque voluntas.
Ejicere id, quo se contentit dira libido:
Idque petit corpus, mens, unde est saucia amore,
Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis unde icimur ictu,
Etsi comminus est hostem ruber occupat humor.

An huc colliment illa tria Cadaverum mendacia, quæ jussu magistratus & instantissimo Lictorum impulsu *ab Apulejo* utricida propria manu erant retegenda *(l. 2. Metamorph. p. m. 60.)*, divinare non audeo, ne forsan in meam curiositatem Lectorum exardeat risus.

§. 46.

Antiquitatem hujus ritus evincit Phylacterium. Antiquitus receptum fuit, scripserunt *Hesichii & Sophoclis Electræ Glossatores*, quod homicidæ, si quam cædem patraverint, talem effluxum præcaveri didicerint, si vel aures, vel nares interfecto abscinderent, aut partem corporis aliam, eamque sub axilla ferrent. Existimabant enim mortuum ita lacerum omnino invalidum reddi ad se ulciscendum. Ex *Apollonio Rhodio (l. 4. Argonaut. n. 41. p. 184.)* scimus, antiquitus receptum fuisse, ut qui fluxu sanguinis occisi corpore prodi nollent, lingerent interfecti sanguinem, statim expuendum, aut extrema corporis, nares, digitos pedum, manuumve ad collum vel maxillas suspenderent, aut gladium cædis instrumentum, capillis interfecti abstergerent, Conf. *Petr. Gregor. Tholosan. l. 36. Syntagm. Jur. Univ. c. 20. n. 8.)* & *Heinric.* Kipping. *(l. 2. Instit. Phys. c. 6. §. 11. p. 92.)*, qui & *Appollon. (l. 4. Argonaut.) citat.*

§. 47.

Firmant id prætereà Autorum & Relationum nube, quam ex Aliis collectam dabunt *Vincentius Mosles (c. l.). Zacchias (c. l.). Casp. à Rejes (Camp. Jucund. qu. Elys. qu. 33. p. 383.). Heinric. Kornmann. (p. 9. de m. m. c. 23. 24. 25.) Andr. Libav. (de Cruent. p. 152.)* probant, quibus addo *Francisc. Rosset. (Theatr. Trag. hist. 10. edit. Germ. à Mart. Zeiler. interpolat. p. 321.).* Quidam Nucerinus occidit hominem, & obruit humo, positusque est in carcerem aliam ob causam, post 20. dies pluviæ illuvio cadaver detexit, detulitque usque in plateam civitatis, ubi erant carceres. Cumque cadaver inspectaret proximus de fenestra interfector, cœpit ebullire cadaver & sanguinem emittere ex vulneribus non

fine

fine terrore illius conſcii ſceleris. Quo abeunte ebullitio ceſſavit & redeunte rediit. Ac ille homo ſeorſum confeſſus eſt hoc mihi poſt 29. annos narrat *Thom. Campanella* (*l. 4. de Senſ. Rer. c. 9. p. 296. ſq.*). Confer. & *Georg. Philipp. Harsdörffer.* (*Mord-Geſchichten. 129. p. 444.*). *J. W. Valvaſor* (*l. 11. Carinth. p. 297. & 319.*)

§. 48.

Sunt in his qui ad oculorum propriorum fidem provocant. Hoc in facto Venetiis vidi, *Petrus de Apono* (*in nota marginali Comment. ad partic. 7. Ariſt. probl. 6. f. m. 82. b.*) annotavit. Vivit adhuc Jenæ, *ſcripſit Andr. Libav.* (*de Cruent. Cad. p. 152.*) *D. Joh. Stronerus, JCtus Synedrii Juridici ordinarius Conſul. Principum Saxon. & Profeſſor*, qui Lipſiæ ſe vidiſſe nobis commemoravit, & ex aliis fide dignis cognoviſſe. Stupenda eſt hiſtoria *Hippolyti de Marſiliis* (*in Practic. §. diligenter n. 181.*), quam his recitat. Memini, ait, tempore juventutis meæ vidiſſe rem mirabilem, & ſtupendam, dum eram Gubernator civitatis Albinlinganæ, ultra Savonam per 30. milliaria. Nam fuerat mortuus quidam homo nocturno tempore, & neſciebatur à quo, attamen multi erant ſuſpecti, quidam ſenex dixit mihi, Domine Gubernator, vultis ſcire veritatem hujus homicidii? Faciatis coram vobis portari Cadaver, poſtea faciatis vocari illos, qui ſunt ſuſpecti, unus poſt alium ad cadaver accedat, & cum ſupervenerit verus homicida, vulnera illius fluent ſanguinem de novo, & ſic habebitis certitudinem. Quo audito feci portari cadaver coram me, & ſuſpectos feci vocari, & cum ſupervenit verus homicida vulnera illius inceperunt mittere ſanguinem, de quo ſummè fui admiratus. Addit ſe nil tunc, eò quod dubitaret feciſſe: ſed poſt plures dies creſcentibus indiciis ad torturam ſufficientibus hominem comprehendi fecit, & abſque tortura crimen confitentem ſecundum juris formam damnavit. Vidiſſe etiam ſe id ipſum, plena teſtatur fide *Fr. Valleriola* (*c. l. p. 203.*). Suo tempore etiam contigiſſe *Nicol. Florentin.* (*Serm. 5. pract. c. 6.*). Conf. *Roſin. Lentil.* (*Miſc. Med. Pr. p. 2. p. 480.*) Et huic relationi hoc Symbolum, prodita hoſtis præſentia, addidit (*l. 1. Specul. imag. c. 10. n. 5. p. 115.*) *Jacob. Maſen.* Quod *Hieron. Magius* (*l. 5. Miſcellan. c. 5.*) ſe obſervaſſe memorat, ſingulare plane eſt. Taurorum interfectorum nempe cadavera ſanguinem ad præſentiam interfectorum in publica arena & ſpectaculis fudiſſe. Acceſſit aliquando, ut occiſus dextra vulneribus admota poſteà digitis occiſorem monſtraret, quod *ex aliis J. J. Schottel.* (*l. de Sing. Jur. German. c. 3. §. 23. p. 99.*) notavit. Vid. (*l. h. T. 5. §. 12. & 58.*)

§. 49.

Nec tantum vulnera inflicta aut corpus per nares, os, aures aut etiam poros imbrem sanguineum stillarunt, sed & partes abscissæ, & longum tempus in hunc finem asservatæ, quin & ipsa ossa sicca & exsucca. Cui ignota est manus illa arefacta, & per decennium in Carcere Izehoæ asservata & suspensa, quæ homicidam, ob aliam causam in illum Carcerem conjectum, sanguinis stillatione prodidit? Ita *Illustris Henric. Ranzov.* (*in Resp. ad David. Chytr. Epist. Respons. p. 195. sq.*), quod etiam è *Simone Gaulartio Laurent. Strauss.* (*Epist. ad Com. Digb. in Theatr. Symp. & Antip. p. 141.*) narravit. De arefacta manu jam constans fama est, ut ferè persuadeat, memorat (*c. l. ad §. 270. p. 374.*) *Andr. Libav.* Fuit autem Clibano tosta post abscissionem diu servandi gratia: Et suspensa in Oenopolio publico supra mensam convivis & hospitibus frequentem. Post multos annos accedens percusor dicitur signatus esse, destillantibus versus ipsum guttis cruentis. Huc respexisse putat *H. G. Thulemarius* (*in not. ad. Paul. Zacch. c. l. p. 429.*), Conditores municipalium Legum Clivensium (*tit. 132.*): Cadaver enim, quia diu servari nequit, manus ei olim amputabatur, & in olla recenti per tres vel quatuor horas aqua & sale coquebatur, huic septem judiciis Assessores cera coopertæ signacula imponebant, eaque recognoscebant si manus in judicio deinde exhibenda erat. Add. *Gerhard. Feldmann.* (*tr. de Cadav. Insp. c. 59. §. 12. p. 156.*) *Dan. Huet.* (*l. 2. Alnet. qu. c. 12. §. 11. p. 196.*) Ex arefactis ossibus multoties cruorem effluxisse visum, testatur *ex Abulensi* (*c. l.*) *Cornel. à Lapide Joh. Marc. Marc. à Kronland.* (*p. 4. Phil. Vet. rest. s. 1. subs. 3. p.*) Aliquando non homicida sed inimico præsente contigisse, *Simon. Majol.* (*Colleq. 1. Dier. Canic. p. 34.*) tradidit.

§. 50.

Enata hinc illa in judiciis consvetudo, ut judices, homicida transfugo, aut adhuc latente, membrum ab interemto separent, & in homicidii testimonium asservent. In Germania ferunt id moris esse, retulit *Paul. Zacchias* (*c. l. n. 8. p. 428.*), ut cum judices ea ipsa die, qua aliquis interemtus reperitur, experientiam de occisore sumere eo modo, quo jam dictum est, non possent, occisi pollicem una cum musculosa ipsius propinqua parte manus abscindum, & servandum curant ad decem, duodecim, quindecim, aut plures dies. Interim, si quis de homicidio suspectus in carcerem conjiciatur, vel quomodocunque in justitiæ manus veniat, pollicem observant, quem in eodem Cubiculo ubi suspectus custoditur, asservandum curant: Tunc si cruentaverit, salvam rem habent, inquisitumque tormentis subjiciunt, & ad ulteriora, prout visum

ſam de jure fuerit, procedunt. Obſervatum id etiam olim in judicio Chemnicenſi, Acta judicialia declarant. Ita Acta in puncto trucidati *Carl Hergotts 1. Auguſt. 1579. Weil man nach fleißiger Nachſuchung in etzlichen Häuſern die Flüchtigen nicht getroffen, iſt von dem Entleibten durch die Gerichte heut dato der Daumen von ſeiner rechten Hand genommen zum Wahrzeichen ſeiner Ermordung, verwahrlich auffgehoben, und ſein Leib alſo bald darauf zur Erden beſtattet worden.* Idem factum in Cadavere *Bartholomæi Blümichenroths d. 12. Decembr. A. 1581. & Caſpari Funckens A. 1618.* vocatur *das Leibzeichen in Actis enecti Chriſtophori Keiſers A. 1610.*

§. 51.

Nec ſolum partem corporis abſciſſæ in judiciis depoſitæ, ſed & loco harum veſtes cruentatæ. Ita olim apud noſtros *de 4. April. 1604. Iſt anſtatt des Leibzeichens des Entleibten Nicol Roſchers ledern Wammes, ſo inwendig ganz blutig, gerichtlich hinterlegt und verwahret worden.* De parte veſtitus cruenta, quæ poſtea homicidæ oblata eſt, non conſtat nobis exemplum *Andr. Libav. (c. l. p. 376.)* fatetur. Mirabilis caſus eſt, qui ex Eodem *(p. 2. Singular. p. 172.)* ſequitur: Fuiſſe Tiguri quendam Cauponem Ann. SALVAT. 1505. cui nomen *Burgelino*, memorant, apud quem, cum pauper quidam Mercenarius peculium depoſuiſſet, eum ille interfecit in Sylva, ibique ſepeliit. Sed cum is forte repertus eſſet, ſuſpicio homicidii in cauponem cecidit. Habuerat autem ille Mercenarius faſciculam quandam ſub Cingulo, quam arreptam obtulerunt cauponi, quærentes num agnoſceret. Ecce verò, ut primum manibus ejus accepta eſt, ſanguinem ſudaſſe dicitur, quo facto territus homicida, cædemque faſſus, ſupplicio eſt affectus. Recitat eandem *Euſeb. Nirenberg. (p. 2. l. 1. Philoſ. curioſ. c. 49.)*

§. 52.

A Romanis hunc ritum translatum, ſuſpicatur *Heinric. Kornmann. (p. 9. de Mir. Mort. c. 23.)*, quod antiquitus digitus mortuo abſcindebatur, idque, ut ſubjicit *ex Cicerone (l. 2. de Legib.)*, augendo luctui. Erat nempe, qui ante ἐκφορὰν mortuo digitum præcideret, ad quem ſervatum juſta fierent, poſtmodum quoties luctum vellent reſtaurare. *Feſtus.* Membrum abſcindi mortuo dicebatur, cum digitus ei decideretur, ad quem ſervatum juſta fierent, reliquo compore combuſto. *Hæc Kornmann.* Ne autem cum luctu & luxus augeatur, in legibus XII. Tabularum (VI.) ita habetur: Homini mortuo ne oſſa legito, quo poſt funus fiat: extra quam ſi militia aut peregre mortuus ſit. Vid. *(in h. l.) Joh. Roſin. Roman. c. 6. p. m. 564.) Joh. Mich. Dilherr.*

(*T. 1. Differt. Phil. p. 467.*). Dextræ etiam, *teste Philippo Beroaldo* (*in l. 8. Apul. Metam. p. 686.*) Autochiria mortuis, quæ in ipsos armatæ, quoniam ut corpus ab anima, ita manum à corpore alienam esse existimarent. Hæ vero inter se quam distent, vel obesæ Naris homuncio subodorabit.

§. 53.

Promanavit ex hoc cruentationis fonte jus illud, quod apud Germanos *das Bahr Recht*, aut, ut id exprimunt, jus Sandapilæ & Feretri, aut Cruentationis, ubi *Joh. Just. Schottel.* (*de Singul. & Antiq. in German. Juribus c. 3. n. 4.*) citat *Jacob. Dopl.* (*p. 1. Theatr. Pœnar. supplicior. & Execut. Criminal. c. 1. §. 155. p. 42.*) & de jure Feretri Dissertationem instituit *Christian. Conrad. Oelsner.* civis meus. *Weil nehmlich die übel betraute Leute für die Bahr, worauff der Umgebrachte liegt, gestellet, und benebenst ihres starcken Verdachts der warhafften Bekäntnüß erstlich erinnert werden*, ut habet *Erasmus Francisci* (*2. B. des Neupolirten Geschicht-Kunst- und Sitten-Spiegels Tit. 3. p. 336.*). Singularem casum de isto jure in literas conjicit *Christ. Besoldus* (*Thes. Pract. Tit. Bahrrecht p. 69.*), quem toties ab aliis descriptum & exhibitum denuo exhibere nolo. Vid. *Jac. Döpler.* (*c. l. §. 158. p. 45.*). Invento occiso convocabantur vicini, scribit *Martin. Crus.* (*p. 3. Annal. Suev. l. 9. c. 16.*), ut occisum tangerent, si ferro aut globo vulneratus masculus, aliquando & fœminæ; si infans, virgines & viduæ; si incantatus, personæ suspectæ. Quod si de homicidio suspecti præfractè illud negarent, ad Cadaver adducebantur. Formula jurandi proponebatur, manu aut digito tangere jubebantur, vulnus aut vulnera, & umbilicum, additis terna vice repetitis verbis: *hab ich Schuld an deinem Tode, so gib ein Zeichen von dir.* Fecerat id venefica, non sine effectu & astantium stupore *ap. Joh. Christoph. Hundeshagen* (*c. l. §. 49.*). Alii ita enunciant: *So fern ich an diesem Tode schuldig bin, so thue GOtt ein Zeichen an mir.* (*Andr. Hildebrand. c. l. p. 432.*) In quo actu simul alta voce factam occisi Nomen intimant, & exprimunt. (Vid. *Libav. de Cruent. ad Th. 381. p. 376.*). Paucis multa, *Idem* (*c. l. th. 281. p. 134.*): Debebat fixis oculis intueri cadaver homicida putatus, aut aliud quid, (quid sibi hic velit *Libavius*, non decerno,) cum frequenti appellatione nominis interfecti, & criminis exprobratione, tactu quoque arteriam. Vestituque eodem quo crimen perpetravit, nec odoribus alterato accedat (*th. 283. p. 135.*). Nec incantatus sit amictus, cujus rei cum suspicio est, nudus statuatur reus (*ib. ad th. 283. p. 302.*). Sed ceremoniis & aliis adhibitis solennibus adjurationibus non opus esse, *Idem* (*c. l. ad th. 184. p. 267.*) dijudicat, & sufficere præsentiam, aut etiam transitum saltem occisoris intra spatium justum. Ita *ap. J. W. Valvasor.* (*c. l. p. 297.*

p. 297.) hat der Tode Cörper so offt gebluthet, als offt die mörderische Ehebrecherin vorüber gegangen. Contactus vulnerum imprimis, si inter hiatum digiti imponantur, aut violenter intrudantur signatum turbare, (*supra* §. 4.) monitum, nec approbat *Libavius* (*c. l. 150. & p. 271.*). Nec levanda esse ante explorationem Cadavera (*ad th. 283. p. 382.*).

§. 54.

Et hoc ne sine ratione censuisse videantur, causas afferunt supra naturales, afferunt & naturales. Qui causis secundis neglectis ad primum, ipsumque DEUM confugiunt è Theologis, inter miracula divina cruentationem istam reputant. Vid. è Nostris *Joh. Gerhard.* (*Comment. in Passion. CHRISTI ad Johann. c. 19. v. 34.*). Ex adversariis *Cornel. à Lapid.* (*in c. l. Joh. Evang. p. 526.*). *Mallon.* (*de Stigmat. CHRISTI p. 289. & 306.*). Et hanc opinionem tenere omnes Theologos, (forsan Romano-Catholicos) *Casp. à Rejes* (*c. l. n. 14. p. 394.*) insinuat, cui junge *Matth. Tympium* (*part. 1. Mens. philos. c. 23. qu. 31. p. 143.*). *Gisb. Voët.* (*p. 3. Disput. Select. p. 1210.*). Pro confirmanda divina providentia eandem allegat *Philipp. Melanchthon.* (*l. 1. Phys. f. 44.*). His assurgunt è Politicis *Jacob. Angliæ Rex potentissimus* (*l. 3. Dæmonol. c. 6.*). In homicidio occulto, *scribit*, sanguis è cadavere tangente homicida erumpit, quasi cœlitus poscens ultionem, quod Deus præter Naturæ ordinem voluit esse secretæ immanitatis indicium. Majestatico doctorum Aquilæ ad latus stat *magnæ famæ & existimationis vereque doctus Cancellarius Francisc. Bacon. L. B. de Verulamio* (*Sylv. Sylv. Cent. 10. n. 958. col. 958.*) inquiens: Posset hoc justo DEI judicio, tanquam miraculum ascribi, qui plerumque homicidia latere non patitur. Junge his *Math. Berlich.* (*l. 4. Conclus. 11. n. 4.*). *Chr. Besold.* (*l. 2. Polit. c. 2. n. 28. v. 4.*). E Medicis *Aurel. Theophrast. Parac.* (*l. l. c. c.*). Luculas (*Lichte Ampeln* in locis secretis & fœtidis ob infantes à meretricibus in illa præcipitatis apparere, eò quod sanguis in stercorum illa colluvie deprehendi nequit. *Salomon Albert.* (*Orat. de Sudor. Cruent. p. 45.*). *Gregor. Horst.* (*Diasceps. p. 44.*). Ad arcanum DEI judicium *Fr. Valleriola* (*c. l. p. 203.*) confugit, maleficum hominem tali signo notaque peculiari ac propria designare volentis. Tota illa probatio cædis per αἱματοδειξιν videtur esse singularis καὶ θεῖόν τι *Joachimo Camerario Norinbergensi Archiatro*, quod è Consil. Altorphin. 32. recensuit *Besold.* (*Thes. Pract. p. 84.*). Amplexus est eandem (*c. l.*) *Rejes. Th. Fienus* (*de Vir. Imag. c. 24. p. 198.*). *Joh. Lazar. Gutierr.* (*de Fascin. Dub. 7. n. 28. p. 169.*). Plura etiam *ap. Libav.* (*c. l. p. 163.*). *Steph. Clotz.* (*c. l. Exerc. 14. n. 12. p. 155.*).

§. 55.

Facit autem DEUS hoc ob tres causas, *juxta Anton. Santorell. Post-prax. Med. c. 21. p. 62.)*, una est detectus Autor criminis debitus, non pro eo alius; Alia est, ut declaret, quam sit facinus illud detestandum, quod & Theologis sui temporis ascripsit *Lud. Cœl. Rhodigin. (l. 3. Lect. Antiqu. c. 12. col. 130.)*. Tertio curare (DEUM) humana, non despicere ut multi impiè senserunt. Add. *Joh. Marc. Marci (p. 4. Philos. Vet. Restitut. Subsect. 3. p. 407.)*. Quod si ex *Gregor. Nymmanno* quæras, cur non semper id contingat (*Orat. de Imaginat. qu. 7. p. 77.*) respondet: Cum DEUS sit liberrimum agens, libere quoque omnia administrat, neque semper hoc modo autorem cædis prodit, vel quia Autor satis notus, & peremtus ipse causam præbuit, aut talem pœnam anteà suis facinoribus meritus est, vel quia Autorem ad aliam majorem reservat pœnam, vel quia improvisa & involuntaria planè fuit cædes, venia aliqua digna.

§. 56.

Dubius olim hærebat *Heinricus de Asia* (*Comment. in Genes. c. 4.*), An DEO, an Angelis ascribere id debeat, percussoris iniquitatem detegentibus aut ulciscentibus? Nec DEUM, nec Angelos bonos, nec malos seu ipsos Diabolos excludit *Joh. Conrad. Wechtler. (l. 2. Hom. Occid. Disp. 15. Difficult. 9. p. 269.)*. Ratisbonæ Anno 1630. præsente Cæsare & statibus Imperii Judæus Juvenem, Mercatoris Francofurtensis filium, occidit, qui ex causa probabili, tanquam reus ad occisum deductus, cum prius additis minis fateri nollet, ad fusionem sanguinis & eruptionem consternatus culpam & factum libere edixit. Quod autem hujus fusi sanguinis Autor DEUS vel Angelus bonus esse potuerit absurdi nihil est, *ratiocinatur*, quia in defectu causæ secundæ licitum est ad DEUM confugere, ut, cui æquè facile est, effectum se solo, atque unà cum causa secunda producere.

§. 57.

In Aëre Dæmones & Heroës volitare, à quibus somnia, signa, & morbi, *Pythagoræ*, *Ejusque sequacium* assertum fuit, ut è *Diogene Laërtio* (*l. 8. de Vit. Philos. p. m. 857.*) constat. An igitur & in hac scena Davum se sistet Cacodæmon cum sociennis Magis? Ita videtur. Potest hic *secundum Wechtleri* (*c. l.*) *assertum* in corpore tam vivo, quam mortuo sanguinem & humores commovere, & vasa dilatare & aperire. Potuit & DEI permissione per incantatores Ægyptiacos aquam in sanguinem mutare (*Exod. 7. v. 19. Add. Paul. Stockmann. Hodoget. Pestilent. Sacr. qu. 14. p. 127.*), aut rectius *monente Magno Abrah. Calovio* (*Bibl. V. T. illustr. in h. l. p. 351.*), aquam præsentem subtrahere, & sanguinem sub-

substituere. Mortuorum autem Cadavera à Dæmonibus frequentari, tradidit *Francisc. Venetus T. 2. probl. sacr. script. s. 2. probl. 79. & 40.*), atque hanc causam esse, cur terrorem incutiant, ideoque lumina incendi solere, quod mali Genii lucem oderint veluti vespertiliones. Quocirca *B. Joh. Gerhard.* (*Centur. Quæst. Politic. Dec. 6. qu. 9.*) astruxit: fieri potest, ut Diabolico astu Cadaver inducatur ad sanguinis profluvium, aut noceat innocenti, aut nocentes etiam ad desperationem perducere conetur, ut tradit (*de Virib. Imag. qu. 24. Conclus. 57. p. 198.*) *Thomas Fienus.* Quidam *Primarius Theologus* (*Georg. Mylius. Prof. Jenensis.*), sæpè mihi dixit, se ferè adduci ejusmodi Exemplis, (ubi homicida præsente signum non comparuit & v. v.), ut credat Diabolum illudere judicibus, & hoc operam dare, ut innocentes objiciant supplicio, quod eò facilius obtinere possit, si efficiat, ut semel atque iterum vera sit signatura, quæ posteà in plurimis fallat, meminit (*c. l. p. 150.*) *Andr. Libav.* Innocentium autem sanguine delectari homicidas Dæmones *Petr. Thyræus* (*l. de Loc. Infest. p. 3. c. 61. p. 199. sq.*) probare satagit.

§. 58.

Egregium præstigiosi miraculi, sanguine canino patrati, habet *Anton. Deusing.* (*Dissert. Select. 3. §. 27.*). Cum præstigiator Satanas, *inquit*, ante aliquot annos in Cœnobio quodam Coloniensi (historia recens ac verissima est, infinitos habens oculatos testes, qui nondum consenuere,) omnes Cœnobii virgines impura sua Magia infecisset atq; obsedisset, (quarum maxima pars ibi igne cremata est ex simulacro quodam SALVATORIS cruci affixo stillare aliquando faciebat sanguinem, eumq; verum. Res summæ admirationis fuit & superstitioni deditis hominibus ingentem cernebatur religionis suæ zelum excitare: sed cum fraus Satænæ præstigiosa pelluceret & detegeretur, misellorum ac superstitiosorum hominum dementiam ridebat ipsemet ex Monialibus obsessis, quod Caninum sanguinem pro sanguine SALVATORIS penè adorassent: Recitat etiam *Joh. Christ. Frommann.* (*l. 3. de Fascinat. p. 6. c. 6. §. 4. p. 784.*).

§ 59.

An id etiam incantatores & Sagæ possint, si *Paracelsum* consulas, ille (*T. 2. Op. Fragm. l. Philos. de Sanguine ultra mortem p. 269.*) his respondit: *Eine Hexe kan aus einem dürren harten Stecken, aus einem dürren Nagel frische gute Milch melcken, und ist kein betrügliche Milch, sondern eine gute Milch: darauff nun folgt, kan die Unhold das, so kan sie auch hie ein Todten-Bein melcken, daß Blut giebt, oder eine Zauberey dergleichen auffrichten, daß Blut für den Leuthen erscheint, und doch nicht das Blut ist, das der Mensch vergossen hat: So dieses wird*

auff-

auffgelöst, so sind alle Gegen-Streit gelediget, und da ist ein kurtzer Bericht, also der ein, daß ein Mord kein Zauberey geduld, das ist, in Blutvergiessen hat Hexerey keine Macht, allein im Stehlen, als Milch, Schmaltz und dergleichen, das geht für sich. Aber was dem Menschen sein Leben und Todt rührt, das mag nicht seyn. Dabey auch, so schreyt das Blut Rach, als GOTT sagt selbst: Sein Blut schreit Rach über dich zu mir im Himmel. Darum ein jeglich Bluth, das Rach schreit, das öffnet sich für dem Gericht und Gewalt, so beyd Theil der Mörder, und der (da) todt liegt, und leugnen beschehe: Hiemit so mag kein Betrug einfallen in kein weg, dann da hand die Teuffel, die Geister, die Zauberer kein Macht. Wiewohl sie viel können, iedoch so ist ihr Bluth, und das Blut zweyerley: Das ist menschlich, und menschlich zu erkennen: Das ander ist eine Farben und Gestalt, aber nicht menschlich zu erkennen, denn was von Menschen kömmt, das kennen die Menschen, das andere kennen die Ihrigen auch. Sanguinem, qui ex carne hominis, jam ferè putrefacta ad horrorem spectantium errant, sanguis recens de sanguine, quem Sicarius profudit, nullis educi præstigiis, sed genuinum existere, qui Magicis artibus, sicut lac è trunco non potest elici, censuit *Joan. Ernest. Burggrav.* (*in Biolychn. p. 96. & sq.*). Nec Dæmonem sanguinem verum producere posse, rectè *Magnif. noster Abrah. Calov.* (*c. l.*) innuit.

§. 60.

Qui Naturæ id tribuunt, sophos nimis naturales & crassos vocavit *B. Joh. Conrad. Danhauer.* (*Theol. Symbol. s. Casual. Dial. 4. p. 66.*). *Joh. Heurn.* (*l. 3. Method. ad Prax. c. 9.*) cœlum suspicit, & sidera in hunc censum vocat. Est & Magia, quæ fabulatur astra moveri verbis enunciatis: inde genios & consequenter alia Numina, quibus procuratoribus, accidat cruentatio, quod commemorat *Andr. Libav.* (*c. l. ad th. 191. p. 283.*). E Theologis *Wolffgang Franzium* (*Disp. 11. in Deuteron.*) & *Salomon Gesner. Hist. Pass. CHRIST. c. 25. p. 467.*) allegant. Spiritum Mundi etiam negotiorum in hoc actu se gerere, forsan fuerunt qui statuunt, quod *è Joh. Sperlingio* (*Meditat. in Scalig. 10. p. 258.*) patere videtur. In toto universo latet Spiritus quidam (*tradit J. B. Helmont. tr. magn. vuln. curat. n. 151. p. 616.*), quem magnale magnum dicimus, qui Sympathiæ & Dispathiæ Leno, consabulator, & actionum promotor existit, & ratione cujus magnetismus tanquam per vehiculum ad distans objectum extenditur. Similis huic ætherea illa substantia per universum mundum diffusa, quam & primigeniam nuncupat substantiam eamque corporibus morte violenta interfectis inesse, (*Diss. de Pulv. Sympath. p. 2. in Theatr. Symp. & Antip. p. 154.*) *Nicol. Papin.* dictitat.

§. 61.

Animalibus id deferunt, alii Spiritibus id imputant, humoribus imprimis ſanguini quidam corpori ſ. Cadaveri ipſi demum, ejusque qualitatibus Sympatheticis aut Antipatheticis, id negotii dant & aſſignant. Eveſtra id etiam præſtare *Paracelſ.* (*l.9. de Nat. Rer. p. 921.*)

§. 62.

Animarum & corporum vinculum mortem quidem ſolvere, non item impedire, ut animæ circa corpora non vagentur, & aliquando aſſiſtant, Gentium pervaſio fuit. (*Vid. h. l. Tit. 10. §. 5.*) Amore in corpus id contingere, quam diu corpus duret, tam diu id officium corpori id præſtare Stoicis placuit. Abſumto corpore locum ſuum recipiunt. Ita *Servius* (*ad l. 6. Æneid. p. 526.*), cum anima Aër ipſis putetur in ventos recedere. Juxta illud Maronis (*l. 4. Æneid. v. 669.*)

omnis & una

Dilapſus calor atque in ventos vita receſſit.

Contra animæ eorum, qui violentas manus ſibi injecerunt, *Platone teſte*, corpore non ſolvuntur, ſed corpori magis alligantur, unde circa ipſum, ejusdem ſepulturam vel locum, in quo rejecta manus eſt, pervagantur. Oportebat namque Animam poſt hominem corporeis affectionibus liberari: Liberari autem non patitur, qui vi eam extrudit è corpore, (*ita è Plotino l. 11. Somn. Scipion. c. 13. p. 53. Macrobius*). Nam qui ſponte manum, ſibi injicit, aut metu hoc facit, aut odio, aut alia prava affectione incitatus. His autem ſordeſcit Anima, nulla ut Arte queant cœlo aut ſideribus inſeri, quia nihil impurum pura illa corpora admittunt, quæ *Anton. Santorell.* (*Poſtpr. Med. c. 17. p. 50.*) addidit.

§. 63.

Eadem de Animabus interfectorum aſſerunt. Vocantur autem illæ *Paracelſo* (*juxta Libav. c. l. p. 137.*) Cabales aut Caballi, & definuntur alio ſenſu quamvis *Martino Rulando* (*Lexic. Alchem. p. m. 109.*) Lemures & Aſtralia corpora hominum, qui immatura morte ante prædeſtinatum vitæ curriculum interierunt. Illi poſt oberrare putantur ſuper terram, donec terminus vitæ completus ſit, ut quod ei vere debebant corporaliter, ſpiritualiter adimpleant, rectè verò, *hic addit*, ſi credere fas eſt, veræque Religioni Chriſtianæ non diſſonum eſſe comperiatur è S. Scriptura. Alibi Lemures vocat Spiritus Elementi Aëris & Æthnicos his deſignaſſe manes defunctorum (*c. l. p. 302.*) aſſeruit. De his Animabus in Terris vagantibus etiam *ap. Lucian.* (*in Philopſeude T. 2. op. p. m. 346.*) *Eucrates. Et Arnobius* teſtatur (*l. 2. adv. gentes*), Ethnicos

nicos solitos adjurare certa nomina, ne animæ detinerentur his in terris vagantes circa sua corpora. Ipsa igitur anima, tametsi vita animali exuta, *ratiocinatur Joh. Marcus Marci (c. l. p. 406.)*, retinet tamen phantasiam, quæ illi morienti (homini) extrema fuit: & quæ hanc sequuntur ex morte imminente passiones, ut metus, iræ, cupiditatis vindictæ: non minus sane, quam in dente Apri.

§. 64.

Instant igitur occisoribus, ut vindictam de iis summant, *Hieron. Mag. (l. 3. Miscell. c. 5.)* & *Joh. Brodæum (l. 5. c. 11.)* allegat *Jac. Dalechamp. (in Plin. l. 7. c. 52. p. 324.)*. Ultricis Umbræ vanis exagitari quosdam terroribus dixit *Quintilian. (Declamat. 10.)* Ita *Soleus Ecstaticus (ap. Plutarch. l. de Ser. Num. Vind. f. m. 202. a.)* se Animas vidisse narrat, quæ sese amplexantes pariterque binæ, ternæ ac plures cohærentes velut echidnæ ob inimicitiarum & injuriarum animique pravitatem, ac eorum, quæ in vita malè egerant, seu perpessæ fuerant invicem devorare. Premere Ethnicorum vestigia quosdam Hebræos, *Cornelii à Lapide (c. l. p. 991.)* assertum est: Ita verò *ille*: Quidam Hebræi censent Animam occisi in terra vagari, & vindictam clamare in Cœlum, donec Magistatus in homicidam animadvertat, eumque de Terra tollat, tunc autem animam illam à terra discedere, & ampliorem ultionem non expetere. Trucidato homine, decidit *Victorin. Strigel. (in Genes. c. 4. p. 25.)* contra legem DEI, superest Anima desiderans sociam massam & vindictam ordine justitiæ poscens. Crederem, *profitetur Heinric. Kornmann. (p. 9. de M. M. c. 23.)* Animam, si adsit autor necis, corpus iterum intrare & movere vi ad vitam, cum deficiant, & languida sint membra saltem ad vindictam occisoris. Etiam rationales defunctorum Animas posse in corpore aliquo esse per intervallum aliquod, tanquam in vase absque eo, quod corpus illud animent, aut vivificent *Fortun. Licet. (tr. quod Anima nihil impertiatur corpori c. 11. p. 4. sq. & l. 6. de Quæsit. per Epist. c. 5 p. 92.)* fatetur.

§. 65.

Priscum mysterium non contemnendum præcepit *Plato (Dial. 9. de Legib. f. 352. b.)*. Fertur enim, *scribit*, vi interfectum hominem, qui libere vixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci, ac propter violentam mortem terrore turbationeque plenum, maximè si viderit interfectorem inter suos more solito vivere, interfectorem ipsum, ejusque actiones, vim ad hoc suppeditante memoria, cunctis viribus terrere, atque turbare. Quare opus est, ut homicida interfecti hominis gratia anno integro exul à patria, omni-

que

que ea regione procul vitam ducat. Sin verò, qui interiit peregrinus fuerit, à patria quoque peregrini annuo tempore homicida pellatur. Hæc Animæ imago, *scripsit Cornel. Agrippa.* (*l.3. de Occult. Philos. c.41.p.m.146.*) quandoque aëreum corpus impeditur umbra, qua involuta, nunc consulit amicos, nunc exagitat hostes. De pollutis & impuris animabus prætereà (*in Phædone f.m.204.a.*) *Plato* docuit, eas infectas involutasque contagione corporea, quam consuetudo congressusque cum corpore propter continuam familiaritatem plurimumque ejus cultum inseruit, quasi jam naturalem. Et dum ponderosum grave, terrenumque visibile illud Anima secum trahit, ab eo gravatur & ad visibilem retrahitur locum, metu invisibilis atque occulti: & quemadmodum fertur circa monumenta sepulchraque revolvitur, circa quæ jam nonnulla apparuerunt animarum umbrosa phantasmata, qualia præferunt simulacra, tales Animæ: quæ videlicet non purè decesserunt à corpore, sed visibile aliquid trahentes, quo fit ut videri possint.

§. 66.

Trahit huc illud *Didonis apud Platonicum Maronem* (*l.4. Æneid. v.301.*) *Marsilius Ficinus, optimus Platonis interpres.* (*Argument. in Dial. 9. de Legib. f.m. 350.*)

sequar atris ignibus absens:
Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero: dabis improbe pœnas,

Ibim se ita impetiturum post mortem *Ovidius*, aut quisquis est *Dir. in Ibin. v.139.*)

Bella geram tecum, nec mors mihi finiat iras,
Sæva sed immanes manibus arma dabo.
Tunc quoque cum fuero vacuas dilapsus in auras
Exanimis mores oderit umbra tuos.
Tunc quoque factorum veniam memor umbra tuorum
Insequar, & vultus ossea forma tuos,
Quicquid ero stygiis erumpere nitar ab oris,
Et tendam gelidos ultor in ore manus.
Me vigilans cernes tacitis ego noctis in umbris
Excutiam somnos, visus adesse tuos.
Denique quicquid ages, ante os oculosque volabo,
Et querar, & nulla sede quietus eris.
Verbera sæva dabunt sonitum, nexæque colubres.
Conscia fumabunt semper ad ora faces.

His vivus Fueriis agitabere, mortuus idem
Et brevior pœna vita futura tua est.

Ita *Papinius Statius* (*l.3. Thebaid.v.75.*

Te diro horrore volantes
Quiquaginta Animæ circum noctesque diesque
Adsilient.

De *Ruffino* Claudian. (*l.2. in Rufin. v.457.*)

Tunc Animæ, quas ille fero sub jure peremit,
Circumstant, nigriquæ trahunt ad judicis urnam
Infesto fremitu. Veluti pastoris in ora
Commotæ glomerantur Apes, qui dulcia raptu
Mella trahit.

Et *Horat.* (*Epod.5.*) *in Canidiam:*

Nocturnus occurram furor
Petamque vultus umbra Curvis ungvibus
Quæ vis Deorum est Manium.

Noctu autem comprimis id fieri persuadebantur. *V. Martin. Delrio* (*in Senec. Octav.n.117.*)

§. 67.

Exemplo sit *Spartanorum Rex Pausanias* (*ap. Plutarch. T. 2. Vit. in Cimon. p.m.168. & de Sera Numinis vindicta p.m.321.*) à virgine ingenua Byzantia à se interfecta, ipsique postmodum irata in somniis apparente noctu subinde quiete privabatur. *Cassium* infestabat *Jul. Cæsar. (Valer. Maxim. l.1. Memor. c.8.n.8.p.m.44.*). Ita *Nero Cæsar* sæpe confessus, exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac tædis ardentibus, *ap. Sueton.* (*in Neron. c.34. p.210.*) Add. *Tacitum* (*l.14. Annal. c.10.*). Dicitur *Salvius Otho Galba* & *Pisone* trucidatis ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos edidisse: repertusque à coucursantibus humi ante lectum jacens per omnia piaculorum genera manes *Galbæ*, à quo deturbari expellique se videret propitiare tentasse, ut idem (*in M. Salv. Othon. c.7.p.239.*) meminit. De *Otonino Caracalla acerbis* quibusdam visis à patre fratreque gladios gestantibus sæpenumero agitato *Xiphil.* (*in Anton. Carac.p.607.*). De *Herode*, post Conjugis *Mariamnes* necem ad insaniam ferè redacto, *Joseph.* (*l. 15. Antiquit. Judaic. c.11. p. 530.*) *Ludovicus Severus* ex Bojorum sanguine Princeps *Mariæ* Conjugis, cui caput manu carnificis amputari jusserat, manibus adeò exagitatus fuit, ut cum barba

ba florente & juvenili, decoraque coma cubitum se contulisset, una nocte ita incanuerit, ut mane senem septuagenarium referret: In quem meritò quadret illud Poëtæ, (*Martial. l. 4. Epigr. 7.*)

O nox quam longa est, quæ facit una senem!

Quin spectrum hoc Principem domo excedere, & in exilium tendere jussit, *referente id Mart. Radero* (*T. 2. Bavar. in Vita Mariæ, cit. Henric. Engelgravio Luc. Evang. T. 2. Emblem. 9. p. 110.*). Parricidam conjux interemta noctu flagellabat, quod in literas ex ore Parricidæ misit (*l. 2. Dæmon. c. 2. p. 262.*) *Joh. Bodin. Ex vitis Patrum* retulit *Cornel. à Lapide* (*Comment. in Proverb. p. 317.*). Umbram Pueri ab homicida occisi jugiter homicidam etiam Monachum effectum fuisse persecutam, ac ejus imaginationi perpetim se stitisse, dixisseque; cur me occidisti? Ita ut Monachus angore & tædio victus Monasterio egressus ultro se judici plectendum tradiderit. Claudat agmen

Scelerum furiis agitatus Orestes.

(*Virgil. l. 3. Æneid. v. 331.*)

Armatam facibus matrem & Serpentibus atris
Cum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.

(*id. l. 4. Æn. v. 472.*). Inde *Apulejus* (*Apolog. 1. p. 137.*). Et tibi *Æmiliane*! Deus iste *Mercurius* superum & inferum commeator, utrorumque Deorum malam gratiam & semper obvias species mortuorum, quicquid umbrarum est unquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum oculis tuis ingerat, omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum terriculamenta. Add. *Petr. Thyræum* (*p. 3. de Loc. Infest. c. 15. n. 9. p. 60.*)

§. 68.

Nec solum Animæ putabantur vexare & stridore suo, (de quo *Casp. Gevart. ad l. 2. Sylv. Papin. Stat. Carm. 1.*) tenere & infestare homicidas, sed & viventes, ut iis sint infesti eorumque turbent actiones, mortemque ulciscantur, adigere. Insignis locus extat *ap. Lucan.* (*l. 9. Pharsal. v. 11.*) ubi *Pompeji* Anima:

Postquam se lumine vero
Implevit, stellasqae vagas miratur & Astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
Hinc super Æmathiæ campos & signa cruenti
Cæsaris, ac sparsas volitavit in æquore classes

Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, & invicti posuit se mente Catonis.

Nec ab hac Æthnicorum opinione abhorrent Judæorum Magistri, quocirca quidem è Rabbinis, *teste Cornelio Agrippa (c. l.)* & *Lud. Lavatero (p. 2. de Spectr. c. 1. p. 124.)*, non verentur dictitare: Animam *Nabothi* (qui propterea ab *Achabo* interfectus fuit, quod *Achabo* suam vineam tradere nollet,) fuisse spiritum illum, qui suam operam in decipienda *Achabo* promittebat, ut qui expeteret ejus interitum.

§. 69.

Hinc forte contingit, *hariolatur Ludov. Bonacciol. (Ennead. Mulieb. c. 3. Tom. 1. Gynæc. p. 261.)*, ut occisi hominis vulnus, jacente etiamnum Cadavere, in eum, qui vulnerarat, si modo ille cominus vulnus ipsum inspexerit, sanguinem rursus ejiciat, quod quidem judices in hodiernum diem observavere. Cur circa sepulchra, violenta morte interemtorum, spectra observentur, discurrit *Guilhelm. Maxvell. (l. 1. de Med. Magnet. c. 2. p. 9.)*, causa manifesta videtur. Nam spiritu vitali, humidoque radicali, nondum planè dissoluto, anima hæret, & exhalationibus hoc spiritu humidoque impraegnatis formam humanam tribuit. Eadem, cur nonnunquam in Cœmiteriis talia appareant, causa esse potest. Ex eodem fonte sanguis cadaverum præsentia seu tactu occisoris fluit. Sagax enim Anima adhuc præsens talia, providentia dispensante operatur. Quin & hanc, si autor adsit necis, corpus iterum intrare & movere, non vi ad vitam, cum deficiant & languida sint membra, saltem ad vindictam occisoris, credebat *Henric. Kornmann. (p. 9. d. m. m. c. 23.)*

§. 70.

Gentium præterea persuasio erat, teste *Casp. Barthio (Animadv. ad Stat. l. 12. Thebaid. v. 771. p. 1555. sq.)*, sanguine adversarii fuso oblivisci injuriarum mortuos. Ita *Ciceronis* filius Patris defuncti obtrectatorem flagris cecidit, *M. Seneca (Suasor. 7. p. m. 246.)*. Servus, interroganti Domino, quis ille esset, qui in imo recumberet? ait. Hic est *Cæstus*, qui patrem tuum negabat literas scisse: Afferri (*Cicero*) protinus flagra jussit, & *Ciceroni*, ut oportuit de Corio *Cæsti* satisfecit. Quod Exemplum an huc quadret, alii quidem edicant.

§. 71.

Animæ reliquias id præstare, putarunt Alii, ut *Gerb. Feldmann. (de Cadav. Inspic. c. 59. §. 6. p. 155.)*, quod tamen absurdum quid, tinnit. Potuisset tamen animæ sensitivæ, quæ in eo corpore una cum Ideis seminalibus superstes,

quo

quousque illud mixtum vino, vi fermenti incipiat dissolvi, nomen forsan sub hoc titulo latere; unde etiam vita functi, quandoque, veluti si viverent, ejusmodi motus obire, aut etiam in pedes erigi & ambulare cernuntur, prout hæc recitat (*c. l. p. 403.*) *Joh. Marc. Marci.* Vim etiam vegetantem mortuis inesse, qua crines & ungues succrescunt, *Levin. Lemn.* (*l. 2. de Occ. Nat. Mirac. c. 7. p. 303.*). Permanet in his animæ humanæ portio caduca, (sensitrix vegetalisque,) in actu saltem primo, ad breve spatium tridui, *juxta Fortun. Liceti* (*l. 6. de quæsit. per Epist. c. 5. p. 92.*) *ratiocinationem.*

§. 72.

Difficultates verò, quæ ex hac hypothesi propullulant subodorantes, in relictos potius in sanguine & per eum in succo inquilinos spiritus lapidem hunc devolvunt, eosque hujus scenæ actores constituunt. Spiritus namque primum vivens & ultimum moriens, verusque intus agendarum solus Rector est, ut *J. B. Helmont.* (*Tr. Tumul. Pest. p. 866.*). Cui pollicem premit *Steph. Clotzius* (*c. l. Exerc. 14. §. 7. p. 142.*). Spiritus igitur animalis, *ex Th. Campanellæ sententia* (*l. 2. de Sens. Rer. c. 13. p. 96.*), intermanet in corpore, sicut nauta in navi, aut Dominus in suo pallatio, & populus in civitate; non autem sicut forma informans æqualiter totum compositum. Occisi hominis spiritus retinere animum vindicandi, patet ex cruentatione cadaveris, quæ accidit in præsentia homicidæ, *Sebast. Wirdigii* (*l. 2. Med. Spirit. c. 28. §. 9. p. 208.*) Philosophia est: Spiritus in sanguine superstites sentiunt præsentiam spirituum homicidæ, cum quibus pridem instituebatur complicatio, & hostilis collisio in duello, vindictam meditantur, desiderant, parant, & iracundiæ motu insurgunt in hostem, qui motus sanguinem calefacit ac fluidum reddit, non secus ac si in vivo corpore post iracundiam ex spirituum excandescentia, effervescentia hæmorrhagia sequitur. Talem spirituum interimendi, vindicandi proclivitatem & indolem pestilentiæ caussam esse, docent. Evolv. & *J. B. Helmont.* (*tr. de Magn. Vuln. curat. n. 115. p. 612.*). Spiritus igitur hos vocavit occisores, *Wirdig.* (*§. 10. p. 209. & §. 16. p. 216.*). Verisimile omnino est, conjectat *Joh Amos. Comen.* (*Phys. Ref. in App. p. 169.*), spiritum hominis occidendi irritatum, quando cum sanguine jam funditur, in vindictam transilire in ipsum occisorem: eo nimirum modo, quo canem, feram, bovem, dum occiditur furenter in percussorem ruere videmus. Si enim id Spiritus corpori adhuc hærens facit, quidni ab eodem revulsus? Insilire igitur in homicidam, eumque occupare, credendus est. Unde fit, ut cum is cadaver accedit, (præsertim si tangere id aut intueri jubeatur,) quicquid spiritus in Cadavere sit reliquum, id cum vehiculo, suo sanguine, in occursum suo hosti

(per

(per Sympathiam nempe) se se proripiat. Eadem fere habet *Joh. Sophron. à Kozack.* (*l.5. Horolog. c.6.*) ubi & ideo hoc fieri existimabat, quia spiritus trucidatorum non cessant prius in lucem progredi, quam tota eorum corporeitas fuerit absumta in tenebras, tum & hos sopiri. Alibi (*Anat. Vit. Microcosm. c. 17. p. 128.*) ita discurrit: Spiritus hominis ab alio vim illatam naturaliter reprimere studet, quod si ipsi vires deficiant, aliunde auxilium implorando juvari desiderat. Quod si non assequatur atque succumbat nihilominus eundem affectum, quo prædictus exhalavit, tenaciter retinet, & propius accedente hoste, quia vociferari nequit ob instrumentorum læsionem, vi piorum sanguine astantium suppetias implorat. (Add. *Ejusd. tr. de Sale c. 5. f. 17. p. 223.*). Auram vitalem Abelis Cainum fugitivum fecisse, *J. C. Weber.* (*de Liquor. Stiptic. p. 22.*) statuit. Confer. *Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l. 3. Antiqu. Lect. c. 12. col. 129.*)

§. 73.

Cum vero spiritus extra aut absque sanguine consistere vix posse viderant, sanguinem addiderunt alii. Nec forsan immerito. Sangnis namque, & non alii humores, indicat, quas *infra* (*§. 114.*) recensitas reperies. Sanguinem primum vivens & ultimum moriens cur ediceret *Guilh. Harv.* (*de Generat. Anim. Exerc. 51. p. 193.*), causas sonticas habuisse mihi videtur. In sanguine videri naturæ aliquem Characterismum divinitus positum, *Libavio* (*c. l. th. 144. p. 216.*) assentior, cum in sanguine, effato divino, sit Anima & vita, quod colorem fovet, qui est proximum Animæ instrumentum & vinculum, quo cohæret pars utraque, prout *Libav.* (*c. l. p. 191.*) interpretatur. Sanguinei inde longævissimi *Zacuto* (*l. 2. Hist. Med. Princ. qu. 9. p. 186.*), sanguisque vitæ thesaurus, *Joh. Mesuæ* (*l. 1. de Re Med. Theor. 1. c. 2.*) audit. Hunc moveri post mortem in Cordis auricula, ea quiescente, *Joh. Walæus* (*Epist. de Chyl. & Sangu. mot. Th. Bartholin. Anat. Reform. annex. p. 551.*) observavit, & cruor viget spiritu post mortem influo, seque movet, *juxta Francisc. Oswald. Grembsium* (*l. 1. Arbor. integr. & ruinos. hom. c. 8. §. 8. n. 6. p. 92.*), adeoque in hoc etiam quandam actionem admisit *Dn. D. Ehrenfried Hagedorn.* (*Cent. 3. Hist. 45. p. 341.*)

§. 74.

Sanguinem sentire, *Critiam* docuisse, *Philosophus* (*l. de Anim. t. 32.*) affirmat, adeoque animam reputasse. Sensum & motum huic primariò inesse, plurimis indiciis *Guilh. Harv.* (*c. l. Exerc. 52. p. 197.*) comperit. *J. B. Helmont.* (*Tr. Schol. Humorist. passiv. decept. c. 3. n. 2. p. 820.*) ita sentit: In Cadavere dudum à mortis frigoribus, inconcretus tamen cruor manet in venis, vivitque tantisper. (*Tr. de Lithias. c. 9. n. 93.*). Nec cruor, nec ipse sanguis arteriarum sensu tactuq;

ani-

animali pollent licet ſympatheticè ſentiant etiam extravenàti. In ſanguine etiam extravenato anima ipſa habitat (*tr. de Magnet. Vuln. Curat. n. 15. p. 617.*). Hic & in ſanguine ſuam eſſe phantaſiam, quæ quia potentius ibidem viget, quam in rebus cæteris, ideò ſcripturam alto elogio ſanguinem adhuc coctum & edi promtum (fortaſſis & per fotum planè putridum *addit n. 156.*) animatum vocare dictitat (*tr. de Magn. Vuln. Curat. n. 163. p. 617.*). Et *alibi* (*Tr. Tumul. Peſtis p. 857.*) in carne & ſanguine eſſe quandam ſeminalem notionem, diſtinctionem, imaginationem, amoris, convenientiæ, ſimilitudinis; itemque timoris, terroris, triſtitiæ, repugnantiæ &c. cum intuitu lucri & damni, noxæ & complacentiæ. Ne de ſanguine mortuorum dubites *Idem* (*tr. de Magn. Vuln. curat. n. 88. p. 609.*) concludit: inſunt ſanguini vires quædam vitales, tanquam ſi animatæ eſſent, è cœlis vindictam, imò à judicibus terrenis, in homicidam animadverſionem poſtulantes. Modum inveniſſe ſibi viſus *Cornel. Gemma* (*l. 1. Coſmocrit. c. 6. p. 78.*). Videmus extincto cadavere usque ad tertium diem interfectoris imaginem velut in concreto ſanguine latuiſſe, quum eadem ſemel præſente reſiduus ille ſpiritus, propter Ideas inhærentes, in percuſſorem obvium concitetur, nec prius profluvium ſanguinis è vulnere ſupprimatur, quam qui occiderit longius à funere ſit ſemotus. In ſanguine, iterum *Helmont.* (*c. l. n. 114. p. 612.*) pronunciat, etiam poſt mortem ineſt ſuus præſentis homicidæ ſenſus, ſua vindicta, quia ſua quoque phantaſia: ideò non ipſus *Abel*, ſed innocens ſanguis ejus clamat tamen in cœlum vindictam.

§. 75.

In corpore vivente ſanguinem & ſpiritus vivere, mordicus his defendit *Caſp. Hoffmann.* (*l. 3. Inſt. Med. 3. §. 3. p. 295.*): Eſtne rationabile, eſſe in corpore vivo aliquid, quod non vivat? Ut cominus agam, ſpiritus cum ſint proximum Animæ inſtrumentum, humores cum tantum caleant, quantum Caloris à Corde habent: cur non vivant? Vim (vitam habet *Joh. Marc. Marci Philoſ. Vet. Reſtit. p. 5. ſubſ. 1. p. 842.*) mumialem equo mortuo tribuit *Helmont.* (*c. l. n. 110.*), & ſic vocat quandocunque carni (& ſanguini) adhuc confermentata eſt virtus liquoris vitalis, id eſt, ſpiritus inſitus, qualis in ſpontè præ ægritudine aliaque inferioris ordinis diſruptione morientibus non invenitur. E ſpiritu Mumiæ animalis autem hoc phænomenon deducendum, rebatur *Andr. Tenzel.* (*de Med. Diaſtat. c. 1. p. 27. & 29.*)

§. 76.

In corpus interemti etiam cauſam rejicere quibusdam placuit. Judaizare ſi cui Religio non foret, ſenſum cadaveris à Judæis creditum adoptare, & in ſu-

as partes trahere posset. Adducam in gratiam Lectoris, quam è *Molthero* (*Theol. Judaic. c. 20.*) *Henr. Kornmann.* (*p. 8. Mir. Mort. c. 45.*) citatam fabulam, aut verius insaniam. Quando Anima à corpore discedit, secundum Hebræorum doctrinam, semper memor est corporis, & tristatur de corpore, utpote in quo habitationem & sedem habuit suam. Et quamvis corpus post discessum trunci instar ibi jaceat, scias tamen, si verus vis esse Apella, corpus omnia adhuc audire & scire, quid in mundo fiat, & quando ipsum devorent vermes, væ illud sentit, ac si acu pungatur vivens, (mortuo gravior est vermis, quam acus carni viventi, dictitat *R. Lipmann. l. Nizzachon. n. 299.* quod tamen de impiis tantum plurimi interpretantur), ideò & vetitum ad cadaver & funus plura loqui, quam quæ ad ejus necessitatem & honorem vergunt, (de mortuis & absentibus nil nisi benè,) & cœmiteria adeunt, & defunctorum sepulchra, ut misereantur viventium, & DEUM pro iis orent. E Christianis, quidam in extincto superesse sensum aliquem, *teste Ant. Santorello* (*Post-Prax. Med. c. 21. p. 60.*) & illi scaturiginem hunc cruentam ascripsere. Corpus remanere cum sensu proprio obtuso, naturæ ipsius conveniente, *Th. Campanella* (*l. 4. de S. R. c. 9. p. 296.*), & in corpore mortuo aliquid vitæ superesse dixit *Joh. Marc. Marci* (*c. l. subs. 3. 405.*) cujus ratione Sympathia & Antipathia fiat.

§. 77.

Characterem naturalium corporum viventium in mortuis remanere, multis Exemplis edocemur. Ad formarum materialium â suo corpore inseparabilitatem provocat *Martin. Kerger.* (*de Ferment. s. 1. c. 4. p. 19.*), eamque probare omni nisu satagit. Afferam ex *Athanasio Kirchero* Physam s. orbem piscem Ægyptiacum, ut viventem in mari rubro, ità & mortuum exsiccatum ventos indicare, si suspendatur. Inde à Germanis *See-Hann*, quasi Gallus marinus dicatur, quod sicuti gallus templorum turriumque fastigiis impositus ventos demonstrat, ita & hic piscis. Ab accolis Nili lingua patria Arabica Allalrucho, DEUS ventorum, quod ipsis quasi imperare videatur, appellatur (*l. 3. Mund. Magnet. p. 4. c. 2. §. 6. p. 529. sq.*). Idem Hirundine marinâ pisce volatili per tredecim annos se observasse, fidem interponit. *Alibi* (*in Magnet Nat. Regn. tripl. s. 4. p. 165. sq.*) de ipso ipse sequentia: Hic jam à viginti annis (Viginti quinque si rectè computes ab anno 1640. quo primum Mundum Magneticum se edidisse fatetur, ad 1667. quo Regnum Magneticum publicæ luci consecravit), tholo Musæi intra Rosam nauticam suspensus, indicis ventorum officio fungitur, & omnibus advenis inter cætera rara ostendi solet. Habet enim hanc vim sibi inditam, ut intra Rosam nauticam Rhombis ventorum instructam, & juxta quatuor

tuor mundi partes situatam tenui filo suspensus, qualiscunque tandem ventus foras spiraverit, illum eundem intra rhombum hirundo, palea ori inserta demonstret. Experimentum certum est, & jam, uti dixi à viginti annorum curriculis diligenter observatum, unde & eundem Magnetem Æolium appellandum duximus. Nec minus admirandum, quod *Ganzalus Fernand. (l. 13. Hist. univers. Americ. c. 6.)* de Phoca seu Lupo marino consignavit. Est res notatu dignissima, quam de Lupo marino (quem & Phocam seu vitulum marinum *Plinius nominat*,) modo referam, & sic se habet: Pellis hujus animalis, uti & cingula, ligulæ & marsupia ex ea parata hanc insitam sibi virtutem habent, ut mari tranquillo & sine incremento & pili hujus animalis se surrigant: Estque res frequenti experimento à me cognita, & in dicta pelle singulis diebus spectatur, adeò, ut quas mutationes in suo fluxu & refluxu facit mare, has & subeat hujus animalis pilosum corium. Hinc Bothnici Nautæ prognosticon suscipiunt ex vestitu proprio, de pellibus hujusmodi composito, an mare tranquillum & prospera navigatio sit speranda, vel periculum in navi sit subeundum, tradidit (*l. 20. Hist. Gent. Septembr. p. m. 510.*) *O. Magnus*. Spectarent huc quæ de Aviculæ Martinettæ, & Alcedinis pelle & pennis supra (*l. 1. Tit. 1. §. 22.*) retuli, nisi in dubium traherentur istæ Relationes.

§. 78.

Sed ad rem propius. Characterem (s. Ideas) præteritarum rerum, anima excussa, in Cadavere remanere, *Claud. Deodat.* (*l. Panth. Hygiast. c. 11. p. 105. sq.*) commemorat, à qua sententia *Paracelsistæ* cum *Helmont.* non abhorrent. In Cadavere vulnerati, notat *Wilhelm. Davisson.* (*Prodrom. comment. in Med. Petr. Severin. p. 176.*), etsi recesserit forma princeps, manet tamen ad tempus rerum præteritarum & omnium, quæ fuerunt in anima, plenus Spiritus, qui sub ipsam cædem per characterem hostilis Spiritus, cum ejus figuram sibi fortiter expressisset, fit sanè, ut eodem denuò occurente, per illud impressum & adhuc recens vestigium moveatur, eoque impulsu concitetur & sanguis, donec per vulnus erumpat. Id ut firmet (*tr. de Magnet. Vuln. Curat. n. 120. p. 613.*) *Helmont.* experimenta in lucem profert. An scire fortè aves, *quærit*, cur sanguis taurinus toxicus sit, non autem fratris sui bovis? occidendo scil. obmurmurat taurus & suo sanguini vindictæ notam ac potens sigillum imprimit: Sin etiam contingat mactando bovem non uno ictu evasisse furiosum, & diutius in eodem perseverasse furore: carnes malè sanas relinquit, nisi prius sapida perturbatione deses & seclusus relinquatur, jejunio ad se redire. Taurus igitur moritur præ cæteris animantibus vindex excellentior. Pavoris & terroris i-

deam in sanguine Leporis geminatam, si venando per canum morsus intereat, alibi (*tr. Potest. medicam n. 29. p. 381.*) asseruit. Bufo (*secundum Eundem tr. Tumulus Postis p. 885.*) viso homine terrorem immensum concipit naturali dono. Qui terror ab homine naturalem energiam sibi acquirit & imprimit contra imagines territi Archei in homine. Siquidem terror Bufonis interimit ac annihilat ideas territi Archei (in Peste), eò quod terror in bufone est naturalis, & ideò radicaliter, ac per totum, etiam illi mortuo, incorporatur.

§. 79.

Affectus igitur remanere non modo in exhalante spiritu, sed etiam in corpulentia, in qua sanguis est, & tenuitas, *Th. Campanella* (*l. 4. de Sens. Rer. c. 9. p. 297.*) profitetur, & *Joh. Marc. Marci*, quosdam non parum referre volunt, in qua dispositione animalia moriantur, quorum partes ad usum Medicum quæruntur (*l. c. s. 2. p. 433.*) Hinc sanguine leporis, per canum morsum venando interemti, quin imò & carne fumo siccata, Dysenteria curatur, non fallaci eventu, juxta *Helmont. (tr. Potest. med. c. l. & n. 29. p. 382.)*. Linteo à sanguine tincto sicco Erysipelas. Pari modo pellis caudæ, lepori vivo detracta, ceu amuletum idem curat Erysipelas; admota vero omnes curat Ambustiones. Rasum cornu Tauri in coitus ardore abrasa mirè armat in Venerem, quod aliàs non facit. Cerebrum passeris, in actu Veneris transfossi, potentius longè stimulat eandem, quam si nudè interficiatur alio tempore. Filum, quo strangulata vipera, medetur anginæ, *Dn. D. Mich. Ettmüller* (*Diss. de Mors. Vip. p. 5. §. 2.*). Claudit igitur *Martin. Del-Rio* (*l. 1. Disquis. Mag. c. 3. qu. 4. p. m. 55.*), Neque adhuc dum video, quid solidius afferatur illa Antipathia, ex vehementi occisi in occisorem, quod qualitatem latentem & arcanam impresserit corpori cum Cadavere permanentem. (*Conf. Eund. comment. in Octav. Senec. v. 127.*)

§. 80.

Quod citati Autores peremto detulerunt, id Alii ipsi deferunt homicidæ. In genere sequentia leguntur *ap. Andr. Libav.* (*c. l p. 279.*): Cum sanguis interemti prorumpit, non autem vicissem interimentis; passionem ab hoc in illum illatam manifestum est. Pluribus id *idem (tr. 187. sq. p. 121.)* diduxit. Quomodo verò accidat, habet ista *Petr. de Apono Conciliator dictus (c. l.)*: Dicitur quod ex vulnere recenter interfecti, jam constricto sanguine, fluxus sanguinis demum fit ab interfectoris præsentia ex illis, quod accidit ex motu impresso ab interfectore ad interfectum virtutis suæ fortis imaginationis & furiæ. Dicunt

cunt enim, *pergit*, impressisse eum spiritus inimicitiæ succensos interfectum tempore interfectionis, qui ad præsentiam interfectoris moveantur ex interfecto suo ad interfectorem suum unde exiverunt, propter quod causatur motus in corpore interfecti, & vulnera sic sanguinem emittunt. Admiserit latro in via homicidium, cadaver autori intuendum sit propositum, sanguis è cadavere effluit. Unde hoc? nisi quod spiritus interfectoris fixè intuentis & considerantis à se inflictum vulnus cadaver, ejusque reliquos Spiritus commovent, sanguinemque eliciunt. Hæc aliorum potius, quam propria sententia *Martin. Weinrich.* (*p.1. de Monst. c.17. f.166. a.*). Cum occisum occisor intuetur, transmittit Spiritus quosdam ira & odio plenos idcircò enim occidit, quare calidos, acutos & igneos. Calefiet proinde sanguis occisi, *concludit Anton. Santorell.* (*c.l. c.21. p. 160. sq.*) exceptis ab occisore spiritibus, tum quia calidi, tum quia ob iram calidiores facti. Excalefactus autem sanguis, necesse est ut prodeat, cum nequeat angusto illo spatio contineri. Spiritus occisorum in occisum ingressi, ad eum (præsentem) redire per vulnera conantur, accedente corpore seu Magnete ex quo manaverant, à quo rursus alliciuntur. Ita *Petr. Borell.* (*cent. 2. obs. 47. p. 145.*) ob recursum spirituum versus nativam originem, qui tempore conflictus ex homicida in occidendum corpus confluxerant, sequi concreti sanguinis dissolutionem ad spirituum expeditionem & accidentariam effluxionem. *Nicol. Papin.* (*Diss. de Pulv. Sympath. qu. 4. part. 2. Theatr. Symp. & Antip. p. 164.*)

§. 81.

Aliter hoc phænomenon explanare aggressus *Simon. Majol.* (*Dier. Canic. Colloqu. p. m. 33.*) id ego, *ait*, ex aëris attractione simulatque spiritus infectione causari dijudico. Licet enim Cadaver illud sit omni spiritu destitutum, neq; sentiat quicquam, horrore tamen tunc concutitur, transeunte occisore, quia spiritus ibi in vulnere sunt quadantenus infecti à spiritibus interficientis, quo transeunte usque ad ipsum vulnus aër infectus trahitur, quo intercepto sanguis ebullit propter infectionis conformitatem, tàm in vulnere manentem, quam ab interfectore manantem. Aliis autem transeuntibus id fieri non potest, cum quibus nulla spirituum & infectionis communicatio est.

§. 82.

Ficti illius Arnoldi Bachimii Denstonii (*Pansoph. Enchiret. p. 7. §. 223. p. 186.*) philosophia circa hoc thema sequens est. Dum quis ex malitia alterum occidit, Archæus ipsius totus, quantus, est furibundus, Occisi Archæus è contrà totus, quantus, pavidus redditur, & ferè totum in sanguinem se recipit, aboli-

tionem sui ex gradu animalitatis horrens. Dum occisor appropinquat cadaveri à se occiso, Archeus occisi sentiens effluvia Archæi occisoris, ultimam destructionem metuens, fugam quasi molitur, quærens spatium in æthere amplius, unde secum sanguinem rapit extra venas. Et hoc ideò, quia dum Archæus occisor occidebat hominem, specialibus Characteris furiosi & effluviis in timorem & angustiam coëgit Archæum occisi, qui Character manet semper in Archæo occisoris, unde quam primum appropinquat occisor, Archæus similia effluvia spargit & in fugam concitat pavidum Archæum occisi.

§. 83.

Paracelsus more suo phantasticus, phantasiæ vehementiori omnia ascribit, *Athan. Kircher.* (*l.3. Mund. Magnet. p. 9. c. 2. qu. unic. p. 97.*). Magna miracula imaginatione cooperante fieri posse, *Paracelsum* credidisse constat, an ad cruentationem eandem traduxerit me non legisse sincerè fateor. Interim imaginationi eandem tribuit *Fr. Baco Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 10. n. 958. col. 958.*) *&* *Alii* quod ex modo dictis de sanguinis Phantasia (§. *73.*) & *infra* (§. *125.*) dicendis constare poterit.

§. 84.

Spiritus hos occisi & occisoris pugillatione quasi quadam concurrere, ut inde cruoris illa scaturigo propullulet, cum utriusque concursus agitet & in turbas sanguinem concitet, ut *Galeot. Martius* (*de Doctr. Promisc. c. 22.*) pronunciat. Referas, si libet, huc illud *Paracelsi* (*l. 4. Paramir. c. 3. p. 18.*): *Ich hab ein Geist, der ander hat auch einen: Die Geist kennen einander, als ich und der ander, sie üben ihre Sprache mit einander, wie wir, aber ungenöttet, unser Red, sondern was sie wollen. Auff das mercken, daß müglich ist, daß die zween Geist ein Zorn tragen auff einander, und einer den andern lezt, gleich wie ein Mensch den andern.* Et hæ etiam *Ath. Kircheri* (*l. 3. Mund. Magnet. part. 9. c. 2. qu. unic. p. 612.*) & qui Eundem κατὰ πόδα sequitur, *Casp. Schotti* (*p. 4. Mag. Nat. l. 5. Syntagm. 2. c. 4. p. 495.*) mens est. Ita a. Kircher.: Vehemens & violentus spiritus, quo occisor alium sibi inimicum impetit, maligna vi plenus per oculos, os, nares in inimici ingressus, intimas fibras, tum potissimum sanguinem, ac in sanguine latentem qualitatem vectore spiritu invadit, qui incitatus, vel vi rarefactiva sanguinis cadaveris, vel alio quodam occulto Naturæ dissidio loco cedens foràs erumpit, eò quod spiritus occisoris sanguini occisi dicta ratione communicatus non commodè in alieno subjecto subsistens proprium videlicet occisoris sanguinem naturali inclinatione appetat, hic verò illum ceu sibi proprium ac naturalem attrahat, repellente Cadavere spiritum tanquam sibi repugnantem

tem atque inimicum. Dum igitur occisoris sanguis, quod suum, appetit, occisi autem contrarius spiritus spiritum inimicum & hostilem repellit, fit, ut hac spirituum contrariorum lucta, sanguis, quorum vehiculum est, effervescens, violenter foràs erumpat. Add. *his Petr. Gassend.* (*in Physiol. Epicur. p. 354.*). Mirabile certe nobis olim fuit videre suum gregem in medio foro grunnientem torveque obtuentem, pertranseunte non procul lanio. Sed nempè vel ipsa vestigia interfectorum recens suum quæ in vestibus, manibus, cultrove immanebant, spirare adhuc videbantur, cædem similem ob emissa corpuscula, quæ vi seducta alienosque motus subeuntia horrorem creabant, & internecionem consimilem minitabantur. Add. *Anton. le Grand.* (*Hist. Natur. p. 8. Artic. 8. n. 5. p. 394.*). De Chirothecariis & qui canes interficiunt & pelles ipsis detrahunt *Kenelm. Digby* (*de Nat. Corp. c. 38. p. 427.* evolvendus & *Jacob. Lorhard.* (*Theatr. Philos. Diagr. Phys. p. 48.*). Eodem vel non absimili modo dici potest commoveri occisi recens hominis sanguis ad occisoris præsentiam, si verum est tamen, quod leges tanquam non incongruum supponunt.

§. 85.

In externis est vestitus rei, qui sæpè eo est odore, ut tum homines, tum bestiæ ex eo cognoscant personam, disserit *Libav.* (*c. l. th. 283. p. 134.*). Consentaneum est, aliquid spirituum inde quoque ad vulnus penetrare posse. Unde videtur esse consequens, ut eodem vestitu, sed non obterato fortibus odoribus accedat reus. Veteres vestes imbutæ magis sunt recentibus, iterum (*p. 382.*), à quibus sæpe etiam corporis mutatur odor: argumento, quod canes peregrino habitu recens sumto dominos suos non facilè agnoscant. Non lavanda prius sunt cadavera, *præcipit*, antequam signum sit exploratum. Neve etiam sit incantatus amictus.

§. 86.

Scaturiit ex hoc alveo Antipathia & Sympathia inter occisorem & occisum. Illam ejusmodi ebullitiones in aëre causari *Villalpand. Torreblanca* (*l. de Mag. c. 2. p. 10. p. 35.*). *Joh. Riolan.* (*in l. 2. de Abd. Caus. Fernel. c. 18.*). *J. B. Siton.* (*Iatrosoph. Miscell. tr. 16. p. 81.*). *Timoth. Brigth.* (*in Animadv. in Guilbelm. Adolph. Scribon. Phys. ad §. 82. p. 44.*). *Robert. Fluddus à Fluctibus* (*l. 1. 1. Amphiteatr. Anatom. s. 1. p. 3. c. 10. f. 239*). *Joh. Mayow* (*l. 3. Phys. c. 8. p. 224.*) Confer *modo* (*§. 71. & 77.*) allegata & prolata, occisores etiam abhorreri apud inferos Ethnici credebant. *Casp. Barth. Animadv. in Stat. l. 11. Thebaid. v. 623.*) in scenam produxit *Virgil.* (*l. 6. Æneid. v. 462.*) Dum apud inferos *Dido Æneam* aversabatur;

Tali-

Talibus Æneas ardentem & torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrymasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat.
Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes,
Tandem proripuit sese atque inimica refugit.

§. 87.

Sympathiam non exclusit *Guilielm. Adolph. Scribon. (in Physs. l. 1. §. 80. p. 42.)* nec alienum ab hoc esse *Petr. Aponensem è Petro Gregor. Tholosano & Prospero Farinaceo (c. c. l. l.)* declarat *Joh. Christoph. Hundeshagen (c. l. §. 81.)* quod ipsum ex verbis *Conciliatoris modo (§. 79.)* recensitis vix colligere licet.

§. 88.

Et ob præfatas causas in jure pro indicio homicidæ etiam sanguinatio ista proclamata, ut ex JCtis *Marc. Anton. Blanc. (tr. de Indic. Homic. n. 408. p. 153.)* & quidem pro violenta conjectura, ut habet *Joh. Bodin. (l. 2. Dæmonom. c. 2. p. m. 263.)*. Hoc in utroque jure video asservatum, ac si esset indicium, quod legali probationi conduceret, & à jure peritis mille etiam historiis fulcitur, *testatur Casp. Caldera de Hæredia Tribunal. Magico-Med. Stat. 12. Artic. 9. p. 79.)*. Hinc & sufficiens ad capturam, quin & torturam ipsam traditur incitamentum *Jacob. Menochio (l. 2. de Arbitr. Jud. qu. Cent. 3. Cas. 270. n. 16. & 17. & l. 1. de Præsumt. qu. 89. n. 128.)* & quæ allegant *Joh. Bodin. (c. l.). Paulus Zacchias (l. 5. T. 2. Quæst. Med. Leg. 8. n. 11.)* quæque ad hunc locum *(p. 429.)* ptæterea citavit *Joh. Dan. Horst. & Heinr. Kornmann. (p. 9. m. m. c. 27.)* & *Joh. Döpler. (Theatr. Palmar. Supplic. & Execut. Criminal. c. 1. n. 161. p. 47.)*. Hoc cum semel verum comperisset, *Rex Daniæ Christiernus II.* In Cursore cædis insimulato postmodum hunc modum explorandi cædium Autores in toto suo regno passus est observari, quod *Henric. Ranzov. Produx Cimbricus illustrissimus (in Epist. Respons. ad Dav. Chytræi Epist. Consolat. p. 195. sq.)* prodidit. Suo tempore id Romæ observatum quoque, *Jac. Menoch. (l. 1. de Præsumt. qu. 89. p. 128.)* & *Hermann. Conring. (Disquis. Polit. de Form. Judic. in Republ. rectè instit. §. 294.)*. In Bavariæ Ducatu *Georg. Everhard. (Volum. 1. Consil. 35. n. 35.)*

§. 89.

Quæ quidem rationes & fundamenta talia, non ita firma basi constare videntur, ut multi Excellentissimi Doctissimique Viri aliis rationibus moti non fuerint negativam amplexi, & contra affirmantium fortalitia suos producere

Arie-

Arietes & Catapultas. Quod ſanguis variis de cauſis è vulneribus, ore, auribus, oculis, quin & poris ſub forma roris aut ſudoris prodire poſſit è Cadavere ſecundum Naturam, Titulo *præcedente* (§.36.) & *præſente* (§.3. *ad* §. 34.) idque vel guttatim & ſtillando, tantum roris ad inſtar & ſudoris, vel copioſiori & tumultuante fluxu ebulliendo demum, qualis hiſtoria *alibi* (*l.1. Tit.5.* §.39.) legitur. Add. *Chriſtoph. Beſold.* (*c.l.*)

§. 90.

Nec ad homicidæ præſentiam, & tactum cadaveris interfecti ſemper cruentarunt. Narratum eſt nobis, *tradidit Andr. Libav.* (*c. l. p. 154.*), quendam à Cæde recente inductum confeſſumq; ſe autorem, nullo fuiſſe indicatum cruore. Retulit Gemellum (*2. B. Neupolirten Kunſt-Wunder-und Sitten-Spiegl. Diſc. 3. p. 329.*) *Eraſ. Franciſci.* Acta judiciaria Chemnicenſia hæc annotant: *Es iſt zu regiſteriren anbefohlen worden, daß alle Gefangene mehr als einſten über den entleibten Michel Kirchmeß geführet worden, welche, wie bräuchlich, die Hände auf ihn gelegt, iſt aber darauf keine Anzeigung oder Zeichen erfolget. d. 13. Febr. 1598.*). Præſente quidem inimico & refractario, non tamen homicida, *Henric. Engelgrav.* (*p.2. Luc. Evang. p. 161.*), id eveniſſe memorat: in morte *Henrici Regis Angliæ*, cujus cadaver dum ad tumulum deferretur, *Richardus* filius contumax & patri rebellis occurrit, & ecce, dum aperta facie parentem aſpicit, cadaver ſanguinis copioſo imbre ſudavit.

§. 91.

Quin & Amicis appropinquantibus in ſubmerſis id prodigii genus viſum, ut de ſubmerſis *Levin. Lemn.* (*l.2. de Occ. Nat. Mirac. c. 7. p. 161.*) & *Joh. Jonſton.* (*Cl. 10. Thaumat. Nat. Art. 3. p. 449.*), Menſe Julio Anni 1636. *Joſephus Petri Pauli Peregrini* ad *D. Auguſtinum* Barbitonſoris filius flumine abreptus octiduo latuit: hebdomade vero elapſa è Tiberi emerſus, ſecundoque flumine vectus ad Arcum Parmæ, (ſic enim Cloacam appellant è regione molis Hadriani;) ab iis qui in Tibere natabant, delatus fuit ſemi putridus ac penè informis, ſanguine ex hauſto, ſpiritu extincto, & corpore ferè putredine confecto. Adveniente verò fratre germano, ſanguinem ex ambabus naribus effundit, omnibus qui aderant miraculo ſtupeſcentibus, *prodidit Petr. Serv.* (*de Unguent. Armor. p.1. n.32. in Theatr. Symp. & Antip. 541.*). De ſuſpenſo, ad matris acceſſum, idem *Heinric. Kornmann.* (*p 5. m. m. c. 9.*) contingere poſſe, ſi intimus interfecti amicus, quem paulo ante motem conſpexerit commiſſerantem una fuit ingreſſus fidem interpoſuit *Andr. Libav.* (*c. l. th. 300. p. 137.*). Poſtquam ab obitu accedit amatus homo miſera lamentatio exoritur atque ita ex commotione

tione eruptio spirituum, in defunctis vero movetur sanguis eo modo, quo movebatur in vivo, paulo ante mortem. Non altius impressa commotionis causa, etiam à morte aliquantum superest. Apparet hinc, non necesse esse, ut in omnibus cadaveribus superveniente amico erumpat sudor. Nam nec in omnibus tantum est amici desiderium, nec in omnibus tàm fortè, *pergit* (*c. l. ad th. 199. p. 296.*) Add. *Petr. Borell.* (*Cent. 2. obs. 47. p. 145.*) *Petr. Heig.* (*p. 2. quæst. jurid. qv. 39. n. 104. p. 353.*)

§. 92.

Advertendum hic etiam monuit *Libav.* (*c. l. th. 305. p. 138.*), ne proprietate quadam aliquis sit, ad quem (cujus præsentiam) omnia cadavera talia sanguinem stillent. Cujus vero proprietatis an aliquis extiterit, sit, aut futurus, non facile dixerim, cum de tali omnium observationum libri, quod scio, taceant. Venefici cujusdam, qui cum ad cadavera accederet, sanguinem fundebat, *Idem* quidem mentionem fecit *alibi* (*part. 2. singul. p. 172.*), id verò naturaliter poterat accidere, cum Naturæ quodam instinctu sanguinem cum brutis adversemur, ut *Joh. Amos. Comen.* (*Phys. Reform. Append. p. 169.*) & *Th. Bartholin.* (*de Sangv. Vetit. p. 28.*), eveniatque inde, ut venæ sectionem administrare videntes, animo linquantur (*Secund. Eund. c. l. p. 31.*); sed & τῶν φοβερῶν φοβερώτατον ὁ θάνατος (juxta *Arist. l. 3. Ethicor. Nicom. c. 9.*) ideoque cadaver abominabile quid sit, quod tactum Archeum pavore concutiat, & in fugam vertat. (*Vid. l. 3. T. 2. §. 4.*)

§. 93.

Nec omni tempore viventes saucii cruorem plorant ob causas naturales, ut *supra* prolata (§. *6. & sq.*) declarant. Jejunis quibusdam vel non benè sanguinem ex vena secta prodire, *Andr. Libav.* (*de Cruent. Cadav. p. 373.*) professus est, quod tamen nunquam observare licuit. Jectigatio venarum est ex oppilatione Tartari in venis, & sic sæpe fit, quod vena incisa non fluat, *Paracels.* (*l. 1. de Tartar. tr. 1. c. 3. in annotat. p. 395.*) tradidit. In Caduco Matricis ob stupefactionem idem obtingere (*tr. de Caduc. Matric. §. 6. p. 621.*) dictitat. Idem si caseo & piscibus novem dies vescatur quis (*l. 7. Paragr. p. 189.*) quod si verum est, in monachis piscibus solis & leguminibus unicè vescentibus deprehendetur facillime. Possit &, *censenti Libavio* (*c. l. p. 281.*), nova alteratio priorem (ante mortem) elidere, aut partes alteratas a corruptione invadi, aut quid aliud id impedire. De Mentha rispa *supra* (§. *7.*) quædam sparsa.

§. 94.

§. 94.

A Magis & Magicis Periaptis contingere & impediri cruentationem posse, *è supra dictis* (§.5. 22. 88.) elucet. Suspecta hic est Magia, qua potest in alterum transmitti signum, *Eidem Libavio* (*c. l. th.304. p. 138.*). Quod an possibile sit Magis, probare ipsi incubuit. Exempla in observationibus vix, credo, reperias.

§. 95.

Quod ad antiquitatem provocant, non expendunt, hanc credulitate & exinde propullante superstitione in multis abreptam; ceream etiam prodigiorum fidem extitisse. Quid *Homeri* locus (*§. 45.*) ad rem? nihil sanè. Nil mirum, quod ex *Euphorbi* Cadavere

Fluebat sanguis per inflictum vulnus.

Recens erat, vulnusque magnum & profundum. *Menelaus* interfector præsens erat, regeris. Non id cruentationem causabatur, sed motus cadaveris à *Menelâo* inclita ejus arma auferente concitatus. Quid verò de *Lucretii* Oraculo censendum? *Lambinus* hos tres versus, tanquam spurios,

Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu
Et si comminus est, hostem ruber occupat humor,

exauctoravit. Sed hoc, *judicio Oberti Gifanii* (*in marginal. ad h. l. p. 140.*), pessimè. Pluribus rem exponere conatur *Joh. Nardius*, (*Animadv. 18. in h. l. f.330.*) dum, *infit:* Non tam hospes in humanioribus est *Lambinus*, ut nexum ignoraverit horum carminum cum superioribus. Verum, ni fallor, hominem deterruit duplex, eaque gravissima difficultas: Cur nempè saucii cadant in vulnus? Cur præterea profluat sanguis ex interfecti Cadavere, præsente interfectore? Has declinavit aut dissimulavit, abrasis malo consilio tribus recitatis versibus. Sensum expressit *Joh. Langius* (*l. 1. Epist. Med. 40. p. m. 194.*). Perinde ac salax mentis libido affectat semen effundere in amicam, cujus amore irritata & sauciata fuit mens: Sic quoque caro vulnerata rubro sanguine aspergere hostem præsentem desiderat. *Anton. Santorell.* (*Post. prax. Med. c. 21. p. 61.*) hæc addidit; *Lucretius*, moveri sanguinem homicida viso, non secus ac semen visa muliere amata. Hic, nisi ponat vim cognoscentem in occiso, non poterit homicidam cognoscere, unde nec adversus illum effundere sanguinem. Omnium optimè mihi sensum *Lucretii* acu tetigisse videtur *Paul. Zacchias*, *quando* (*l. c. n. 16. p. 430.*) ita pronunciat: Sensus horum carminum is est: Quemadmodum vulnerati super ipsum vulnus cadunt, & sanguis versus

illam partem fluit, unde ictum experimur, ita, ut hostis, si propè sit, fluentem sanguinem excipiat, & hic quidem est germanus sensus carminum *Lucretii*, ut testatur *Martin. Del-Rio.* (*in Senec. octav.*). Phylacterium in Antiquitatis confirmationem adductum (§. 46.), utpote superstitiosum, parum aut nihil ad rem.

§. 96.

Sed cum in Physicis rebus, ut optime monuit (*c. l. f. 340.*) *Nardius*, postrema omnium auctoritati debeatur fides, plurima rationi, maxima Experimento. In rationibus dandis, & cui processui sit insistendum, maxime in diversa abripi Autores deprehendas. Id verò malæ mercis non parvum indicium. Variant. (1.) Autores circa tempus à morte vulnerati computandum. Raro, aut nunquam cadaver cruentabit, *tradit Anton. Santorell.* (*c. l. p. 62.*). Ne tamen ad miraculum cogaris confugere, scias, plerumque vulneratos videri mortuos, nondum tamen extinctos, atque ex illis sanguinem prodire plerumque, rarissimè ex iis, qui verè sunt mortui. Et quamvis verè vita functi fuerint, prodigium illud caloris reliquiis deferunt, adeoque in recens mortuis id omnium optimè explorari, perhibent. Ideoque plerique non nisi post septem, (*Cæl. Lud. Rhodigin. c. l. Gaudent. Merula l. 4. Rer. Memorab. c. 8.*) aut octo, vel ad summum decem vel duodecim (*Galeot. Martius l. c.*) horas talem sanguinis ejaculationem obtingere contendunt. Quidam ad tertium diem, (ut *Cornel. Gemma l. c. vid.* §. 73.), ad quartum hyeme, *Hieron. Cardan.* (*l. 3. de Util. ex advers. capiend. p. 728.*) & *Luda Parma* (*ap. Casp. à Rejes c. l. hist. 14. p. 386.*) extendunt. Nullum tempus determinatum ponunt quidam, cum id contigerit post unam septimanam (*Nicol. ap. Boëm. c. l.*), post duas, (*ap. Gregor. Horst. part. 1. Epist. Med. s. 9. p. 433.*) post tres, (*Th. Campanell. c. l. p. 296.*), post quatuor, (*ap. Joh. Manlium c. l. Casp. Calderand. Hæred. Tribun. Mag. Med. Stat. 12. Art. 9. p. 79.*), post quinque demum hebdomadas, (*ap. citat. Horst. Diascept. de Cruent. p. 46.*), in eo, qui duos jam menses humatus erat, *teste Boëmo* (*c. l.*) sanguinatio apparuit. Imo quandocunque cadaveri occisor assistat, etiam semiputrido, quod *Andr. Hildebrand.* (*ap. Gregor. Horst. p. 1. Epist. Med. s. 9. p. m. 432.*) de infante commemorat, quod tamen miraculi suspicionem facere, *Pauli Zacchiæ* (*l. 4. Tit. 1. qu. 10. n. 33. p. 365.*) conjectatio est, qui idcircò notoria miraculi accidisse refert, aut potius fabulatur, quod è *B. Agnetis à Monte Politiano* corpore plurimus sanguis post Centum annos ab obitu proflueret.

§. 97.

Variant (2.) circa subjectum, ex quo sanguis emanare dicitur. Nam potior pars ex ipso cadavere occisi & ipso vulnere emanare perhibent; Nonnulli

ex naribus, oculis, ore, aliisque partibus cadaveris. Et hoc quidem, si tantummodo accedat occisor, (*Hippol. de Marsil. l. c.*). Alii verò, si se acclinet versus illud, & motu manuum & tactu vulneris (*Andr. Libav. de Cruent. Cad. p. 150.*). Alii, dum jurejurando se purgant, duobus digitis, inter quos alba lana, in vulnus impositis (*Martin. Cruſ. c. l. vid. §. 4.*). Alii, si juramento ter præstito, duos digitos (1.) trucidati labiis; (2.) vulneri; (3.) Umbilico applicet. Alii, si occisor saltem transeat cadaver. Alii, sanguinem fundere partes occisoris. Nonnulli, ex Cadavere occisi per vulnera, ex occisore simul per Nares (*P. Zacchias c. l. n. 3. p. 428.*). Quidam, ex illo tantum corpore, cui spiritus fortes, & difficulter difflabiles (*ut Galeot. Mart. l. c.*), non verò natura existente debili. De Cadavere aliquot dierum Alii id verum pronunciarunt; Alii etiam, de putrido & partibus abscissis, tostis & aridis. (*Vid.* §. 48.)

§. 98.

Variant (3.) circa emissionem s. potius modum emissionis sanguinis è cadavere. Aliqui cadaver occisorem versus ejaculari sanguinem dicunt, stillare tantum ajunt Alii (iisque plurimi) ab ipsis vulneribus. Quidam ebullire potius, unde extra venas prosiliat. (*P. Zacchias c. l. n. 4.*) Sanguinem ebullientem multo cum fervore & bullis prodiisse è vulnere & Naribus, notavit (*c. l.*) *Fr. Valleriola.* Cor cum arteriis subsultasse, ac si viveret adhuc, *Christoph. Besold.* (*c. l.*) deprehendit. Porro hanc sanguinis ejectionem quidam coram occisoribus tantum admittunt, præsentibus rixari Autoribus quidam, quidam coram propinquis & amicis, quin & coram iis quoque, qui occisi ipsius quoque misereantur, (Vid. §. *90. & Erasmi Francisci c. l. p. 345.*). Brachii extensione quidam juxta digito occisorem monstrabat interfectus ut, est *ap. Georg. Phil. Harsdörf.* (*c. l.*)

§. 99.

Variant demum (4.) circa mortis genus, & ejusdem circumstantias. Quidam ab ipsis tantum cadaveribus emanare cruorem volunt, quæ ferro aut plumbeis globulis s. sclopetis exanimata; Alii etiam, quacunque demum violentia sint sublata sive aquis submersa, sive laqueo: aut alio modo suffocata, sibi veneno, philtro aut Magica astutia letho data. Quod ad circumstantias multi indifferenter id evenire dicunt, sive occisor per errorem ac casu vulnerarit hominem, quod tamen negare videtur (*c. l.*) *Besold. è Joachimo Stephano* (*Demonstrat. Polit. c. 19. f. 470.*) sive data opera, sive cum impetu & ira; sive absque tumultu & iræ fervore. Alii aliter. Confer. *P. Zacchiam* (*c. l. n. 4. p. 428.*). *Joh. Nardium* (*c. l. f. 340.*)

§. 100.

Quæ de ſanguinis *Abelis* clamore afferuntur (*§. 43.*), contra Scripturæ ſacræ intentionem afferuntur. Peccata clamare dicuntur (*Jerem. 6. v. 7.*). Loquebatur autem ſanguis vindictam, *Nicol. Henning. Comment. in Epiſt. ad Hebr. c. 11. p. 905.*). Per Proſopopœjam atrocitas homicidii exprimitur, (*Salom. Geſner. in Explic. Geneſ. c. 4. qu. 6. p. 118.*) quod ſingulæ quaſi guttæ habeant linguas, & vindictam expoſcant. Anima *Abelis* poſt mortem coram DEO locuta (*Apocal. 6. v. 11.*). Clamor quem *Abel* edidit poſt mortem, adhuc ſonuit in auribus DEI, (*B. Joh. Gerhard. Comment. in Geneſ. c. 4. p. 148.*). A clamore vindictæ ad DEUM, ad clamorem vindictæ ad homines, & ſanguinis deſtillationem, (quam in medium produxit *A. Th. Paracelſ. l. 4. de Morb. Inviſ. p. 108.*) non valet conſequentia, concludit *Joh. Chriſtoph. Hundeshagen* (*c. l. §. 79.*). Junge huic *B. Joh. Conrad. Dannhauer. part. 1. Homil. 16. p. 535.*). Singularis planè eſt ſequens *Philonis Judæi* (*quod deterius potiori inſidiari ſoleat p. m. 164.*) in hunc locum commentatio: inſurrexit *Cain* in *Abelem* fratrem & interfecit ipſum, prima quidem ſpecie *Abelem* occiſum ſubindicat; ſin autem diligentius rem expendas ipſum *Cain* à ſe ipſo. Proinde ſic legendum; inſurrexit *Cain* & occidit ſe ipſum, non alterum & meritò quidem; Anima enim, quæ ex ſe ipſa tollit dogma pium & virtutis amicum, virtuti eſt mortua; itaque *Abel*, quod vix credas, interemtus vivit, exemtus enim ex inſipientis mente, vivit in DEO vitam feliciſſimam. Atteſtatur nobis divinum oraculum, quod vociferari eum ait disertè, & clamore prodere, quæ à malo ſocio paſſus eſt, alioquin, ſi non amplius erat, quomodo loqui poterat? *Hactenus Philo.* Clamori ſanguinis *Abelis* ad vindictam opponitur ſanguis Summi SALVATORIS clamans reconciliationem, (*Vid. Juſt. Chriſtoph. Schomer. Exegeſ. in Epiſt. ad Hebr. c. 12.*). De ſanguine CHRISTI clamante varia habet *Jac. Pinto* (*l. 2. de CHRISTO Crucif. Tit. 4. c. 6. n. 8. p. 281.*). Res emortuas & vita deſtitutas ap. Prophetam vindictam à DEO ſollicitare, (*Habacuc. c. 3. v. 11.*) legimus.

§. 101.

Quæ de Sibilo ſanguinis erumpentis addidit *Clotzius*, fœcundi ingenii, non judicii accurati partum præſagiunt. De ſtridore oſſis tumulati & ſpumantis hiſtoriam recitavi *alibi* (*l. 1. Tit. 3. §. 13.*), ſed nec ibi homicidæ præſentiam, nec ſuſpicionem quidem tumuli admiſit vetuſtas, incertumque erat, an vi, an naturali morte olim deceſſerat putredinis frater. Clamorem verò, quem ſe auribus hauſiſſe, interemtorum retulerunt vitæ prædones, in conſcientia ſonum magis illum parturiit, quam in auribus, haud ſecus ac ille, qui cum in Monomachia

chia virum occidisset & aufugeret, ante solis ortum vidit alterius equitis umbram illum comitantem, unde non parvum horrorem concipit. Sed hæc non ab ulla anima redeunte, *ratiocinante Petro Borello* (*Cent. 4. obs. 90. p. 347.*), veniebant, sed à propria umbra seu imagine in aëre crasso & rorido, rectius verò, mea suspicione, à conscientiæ vulnere.

§. 102.

In Deuteronomio (*c. 21. v. 2.*) autem fundamentum habere hoc productum, malè concludi *B. Joh. Gerhard* (*Com. in h. l. p. 1238.*) *dictitat*. Contrarium potius ex hoc evincere nititur *J. C. Hundeshagen* (*c. l.* §. *70.*), dum infit: Præscribit quidem modum aliquem ignotum inquirendi maleficum, *Deuteron. 21. v. 1. 2. 3. sq.*; Atverò, nullam prorsus mentionem facit hujus inquisitionis, quæ fit per cadaveris cruentationem. *Vid. Gisb. Voët.* (*p. 2. Disp. sal. p. 1212.*). Et quando summus hujus universi Monarcha & Judex præcepit, metirentur à loco cadaveris ad proximas urbes, id pertinere ad excitandam inquirendi diligentiam, collegit *Hugo Grotius* (*in h. l. ap. Abrah. Calov. Bibl. illustr. V. T. p. 592.*)

§. 103.

Quod verò de profusione sanguinis è lanceâ perforato latere SALVATORIS optimi in cruce quæsiverunt, in ob præsentiam homicidarum secuta fuerit? quæstio otiosa & Theologis indigna reputanda. Ad vaticinium à Propheta (*Zachar. c. 12. v. 20.*) factum implendum punctura ista tentata, ipso id sic *interpretante Evangelista* (*Joh. 19. v. 37. & Apocal. c. 1. v. 7.*). Contigit autem partim naturaliter, partim miraculosè. Naturaliter quidem, dum hasta musculos μεσοπλευρὺς, ubi Diaphragma spuriis costis annectitur sursum perforans & pericordium ipsosque cordis thalamos invasit, atque ita oceanum illum sanguineo-lymphaticum oculis objecit. Sensere ante me idem non infimi subsellii Medici & Anatomici, quos *citat Th. Bartholin.* (*de Lat. CHRIST. apert. c. 4. p. 24.*). Addendus hic forsan *Petr. Laurenberg*, qui (*Colleg. Anat. Exerc. 10. n. 1. p. 350.*) nullus dubitat, quin perfossum sit CHRISTO pericardium, juxtaque (non quidem cordis substantia, sed) vasa majora cordis; Ex isto aquam, ex his sanguinem prodiisse & deorsum profluxisse, pendulo CHRISTI corpore, qua data porta fuit. Id equidem *Casparo Bartholino* (*l. 2. Inst. Anat. c. 5. p. 176.*) displicuisse videtur, qui humorem alium in Thoracis cavitate contentum finxit & substituit, quem cum argueret *Petr. Laurenberg.* (*c. l.*) in partes parentis venit *Magnus Filius Th. Bartholin.* (*cit. Diss. à c. 5. usque ad finem*), hoc unice agens, ut *Parentis celeberrimi* autoritatem tueretur, *Laurenbergiumque* mendacii convinceret. Rectè verò objecit *Laurenbergius Casparo*, humorem istum in thorace

non

non reperiri in tanta copia, ut effluere posset & hunc humorem vocari permistum sanguini, cum qui affluxerint, distincti fuerint humores. Dixissem ferè, humorem istum esse fictum, cum oculos hactenus fugerit meos, nec ab alio humore pleuram & Diaphragma madefieri, quin & si opus est, ipsa cutis. Causas (*c. l. c. 12. p. 113. sq.*) quibus, si adesset talis Thoraci humor, augeri possit, non rejicio, interim non Entis augmentum nemo facilè admittet. Id vero cum pace Virorum istorum illustrium, qui in pace quiescunt, mihi modestè monuisse, ne vitio vertat posteritas, rogo. Cur autem distincti fuerint humores isti, sanguis & aqua, facilè potuit erui humoris in Pericardii tunica fluctuantis consistentia si consideretur. Non enim ita fluidus est, ut aqua, sed viscidus, & idcircò non ita facilè, ut lympha simplex, cum sanguine combinatur. Id equidem ab uno alterove Anatomico animadversum monitumque me non legisse memini, à veritate autem hanc meam sententiam non recedere, certus sum. Vidi in vulneribus Cordis seorsim sanguinem & etiam seorsim lympham hanc glutinosam profluere, & exinde pericardii vulnera facta me non frustra conjecisse αὐτόψια post mortem certior factus sum. Quando cultro Anatomico in vulnerum lethalitatem inquirere occasio tulit. Quod verò in tanta quantitate, & cum quodam quasi impetu & sanguinem & aquam profuderit lancea, *Johanne Calvino* (*Comment. in Joh. c. 19. v. 30. p. 229.*) licet repugnante, miraculo dandum. Agnoso, *scribit Anton. Santorell.* (*c. l. c. 23. p. 68.*), multa quæ vires Naturæ excessere, admiror (*1.*) exitum Aquæ cum sanguine, ut potuerit observari distinctio. (*2.*) Saltus sanguinis & Aquæ extra corpus, non poterat extra pectoris cavitatem effundi, sed ibidem colligi tantum tum aqua, tum sanguis. Quod rivi seu fontis ad instar duplicis seorsim & copiosè flueret sanguis, & elementaris aqua, ab unico vulnere, ut *sancti Patres* scribunt, & ex corpore, à quo, ob infinita penè vulnera ac plagas antecedentes, insignis sanguinis copia effluxerat, hoc veri miraculi essentiam præ se fert & sustinet, *Joh. Bapt. Siton.* (*Iatros. Miscellan. tr. 48. p. 330.*) *autumat.* Add. *Job*, *Lazar. Gutierr.* (*de Fascin. Dub. 7. n. 21. p. 162.*). Quocirca & rectè *Joh. Antonid. von der Linden* (*l. 2. Med. Physiolog. c. 6. §. 173.*) novissimum miraculum, quo SALVATORI Nostro Catastrophen passionis suæ claudere in cruce placuit, dicitur. *Johannes* etiam *Riolan.* (*l. 3. Antipogr. c. 7. p. 229.*) ad magnitudinem miraculi significandam, ter geminatam hanc assertionem, & ille scit, se vera dicere, ut & vos credatis (*c. 19. v. 35.*) appositam, nec in comprobando ullo, quantumvis maximo etiam miraculo, in tota Scriptura similiter scriptum inveniri animadvertit. Et *Linden.* (*c. l.*) frustra contradicentes esse quantumque inse est Scripturam extenuare asseruit.

§. 104.

§. 104.

Exemplorum seges prodigiosa (§. *47. 48.*) non neganda, ficta tamen multa esse, multa casu, multa ob alias causas evenisse, obstinatè negare insimul nequit. Astiti aliquando huic actioni in pago milliari ab urbe nostra distante, ubi noctu trucidatus Caupo ultra quadraginta obtinens in corpore vulnera, plagas & vibices à totius pagi incolis absque ulla Cadaveris vulnerum, aut plagarum alteratione tangebatur. Etiam ad præsentiam homicidæ indicium hoc non successisse, jam *supra* (§. *89.*) monitum. Et hujusmodi probatio, recte advertente *Hundeshagenio* (*c. l.* §. *69.*), procedit à particulari ad inferendum universale, quæ consequentia nulla est. Si vel maximè concederem, dari quædam Exempla, quæ probarent affirmativam, non tamen universaliter affirmativa vera est, quoniam non una instantia, ut supra adducta evincunt, ejus universalitas infringi potest. Præterea nullum habemus ad id DEI mandatum, seu revelationem nec mediatam, nec immediatam, nec extraordinariam, nec ordinariam, ut lex Zelotypiæ (*Num. c. 5. v. 11. sq.*) quod *Gisb. Voët.* (*p. 2. Disp. select. p. 1212.*) monuit. Si verò id concedatur de partium abscissarum, torrefactarum & suspensarum sanguinatione, res creditu dura, nisi superior superveniat potestas. De partibus vestium cruentatis non constare Exemplum, jam *supra* (§. *51.*) *è Libavio* dictum. Sæpe addit *idem* (*c. l. p. 376.*), è judicibus quæsivi, asserunt non hujus gratia exhiberi, neque cruentasse unquam quod ipsi viderint; Sed homicidam sæpe conspecto isto sanguine commotum, & confessum factum. Idem de instrumentis, quibus homicidium patratum, cogitandum, quod verò de falce afferunt, si fabula non est, miraculum erit.

§. 105.

Arundineo igitur Tibicine innititur jus illud Germanorum Sandapilæ & feretri. Ceremoniæ in hoc vel illo judicio variantes, successusque parum felices conscientiosis judicibus rem fecerunt maximè suspectam. Non hi consveverunt de vita hominis ludere, quemadmodum sacculari cum astragulis. Nec profundendus sanguis innocens, innocenter profusus ut experietur. Ita ex magni nominis JCtorum numero sunt, qui dicunt hoc indicium nullo jure vel causa, quæ juridicè concludit, nobis constare & ne ullum verbum quidem *in Nemesi Carolina* (*Artic. 33.*), ubi de homicidiis ex professo agitur, reperiri, *Daniel. Clasen.* (*in h. l. p. 178.*). Feretro igitur imponamus jus feretri, terræque mandemus, tanquam perpetuo Carceri.

§. 106.

Quod si dicant divinum esse signum, *(ad §. 43. 44. 45.)*, interpretatio tamen ejus & accommodatio ad signatum, valdè est incerta, cum *Andrea Libavio (c. l. p. 259. sq.)* reputo, nisi post effectum pateat indicium, aut etiam divinetur, aut conjiciatur, veluti somniorum interpretes. Nam in his connexio causæ cum effectu non apparet rationabili necessitate, Unde tantoperè variant censuræ. Judæi, *pergit*, gladium ardentem in æthere suæ defensionis signum divinum esse volebant, itaque valdè animabantur. Alii, ultionis scelerum eorum & extremæ interneciones rectius concludebant. Et licet ex voluntate DEI hoc possit facillime succedere, & speciali ipsius permissione, tamen ab eo non esse quandocunque dicendum, si modo unquam est, *decidit P. Zacchias (c. l. n. 18. p. 431.)*. Si contingit à DEO ut signum, ubi promissum in sacris habetur? Si ex aliis causis, iisque naturalibus contingit, unde divinum illud colligo? Nec DEUS vult extraordinariis remediis delictorum veritatem in homicidiis clandestinis proferre, nec absque necessitate producit miracula: Et judices hujus mundi debent judicare secundum prudentiam, quæ cadit in hominem, relinquendo cætera judicio DEI. (*Justus Oldecop. observ. Criminal. Tit. 4. obs. 16. n. 19.*). Si hoc in DEUM referendum, aliis causis naturalibus pessime ascriberetur.

§. 107.

Miraculum forsan dices? Dabo hac vice, aut potius repetam (*è Differt. de Cadav. s. 2. §. 3.*) accuratam miraculi difinitionem *à B. Joh. Conrad. Dannhaueri ἀκριβείᾳ* profectam. Miraculum *definit*, est actus verus ac solidus, arduus, supernaturalis, rarus, temerè haut provocabilis, paradoxus, summe evidens, à DEO liberrimo agente, vel immediate vel mediate profectus, ad effringendam hominum infidelitatem, & fidei veræ assertionem ordinatus. Quot verba, tot pondera, quorum enucleationem si expetis, præstat *Magnus Theolog.* (*Tit. 1. Theol. Conscient part. 2. spec. Theol. Symbol. Dial. 3. p. 461. seq.*) Si DEUS liberrimum agens (docet iterum *c. l. n. 21.*) *Zacchias*, & miracula ad proprium libitum operatur, idcirco non potest cogi ab eventuum frequentia ad miracula facienda, & interrumpendum Naturæ ordinem: Imò siquid clarissimè ostendit, in ea re miraculum non intervenire, hoc illud est, quia fit sanguinis emissio ad nostram voluntatem cum occisorem coram occisi cadavere sistimus. Præterea in his, quæ miraculo fiunt, nulla requiritur conditio à parte rei circa quam fieri debet miraculum (*n. 22.*), cum miraculum fiat à potentia infinita. Tales autem conditiones circa tempus, mortis genus, & alia

alia hic attendit Judex, ut modo (§. 95. 96. 97. 98.) demonſtratum. Quæ de perfectione miraculorum ſubjunxit *Zacchias* (*n.* 23.), ſi lubet, his adde.

§. 108.

Finem demum miraculorum in definitione additam ſi expendas, res erit in vado. Finem habes miraculi, iterum *B. Dannhaueri* (*c. l. p.* 469.) verba adopto, non ſane curioſitatis ac temeritatis explendæ, (quo *Herodes Luc.* 23. *v.* 8. inclinabat), ſed ſubſidiarium, ut ubi ordo Naturæ & Gratiæ deſinit, ſuccurrat τὸ Θεῖον, e. g. Pluvia Mannæa in deſerto. Ideo *Paulus Timotheum fidelem* κακοςόμαχον non miraculo ſanat, ſed vini uſum ſuadet. Et alibi (*T.* 2. *Dial.* 4. *qu.* 3. *p.* 155.): Quem DEUS ordinem ſemel conſtituit, non facilè mutat, nec pronœa eſt ſerva humanæ curioſitatis & pruriginis, ut miracula prodige fundat.

§. 109.

Ad dices, fieri propter juſtitiam, *pergit Zacchias* (*n.* 20.)? At inquam, juſtitia omnia peccata pro eorum gravitate punienda vult: At multa ſunt peccata homicidio graviora, in quibus tamen propalandis nullum intervenit miraculum. Deinde homicidium unum altero gravius, ferro occidere hominem minus grave, quam veneno, aut alio modo, cur ergo non ſemper occiſa quomodocumque Cadavera coram occiſore cruorem emittunt? Neque DEUS, *regerit Gisb. Voët.* (*c. l. p.* 1211.) ſpecialem providentiam Crimen manifeſtans utitur, aut uti nos docebit fallacibus ſignis.

§. 110.

In operibus Angelorum cum bonorum, tum malorum huc ſuas operas conferentium, miracula non ſunt quærenda, cum eadem præſtare, ſine Numinis ſupremi juſſu & concurſu non valeant. Quid incantatores & ſagæ valebunt, ſi Cacodæmon non poſſit? Aſtrorum influxus commentum è Chaldæorum ſcatebris profluens, ſpiritus etiam ſ. Anima Mundi aut ſubſtantia illa primigenia è putridis Eorundem & aliorum gentilium lacunis derivatæ larvæ, & non Entia.

§. 111.

Si Manibus id operis deferas, aut rectius animabus circa Cadaver adhuc errantibus, in ſanam rationem impingis & ſacram Scripturam. Demus namque, ſeparatas animas ad tempus circa cadaver oberrare, rationalis ſanè non habet potentiam naturalem ad corpus ſubeundum, quod ex *Ariſtotele* & *Scoto Thoma* & Aliis ſatis probatum dedit (*l. de Propenſ. Anim. ad Corpus c.* 7.

& sq. per totum) Fortun. Licet. A privatione totali ad sibilum nullus datur regressus naturaliter. Non est in Animæ potestate denuo corpus ingredi, actionesque pristinas redintegrare. Nec corpus aptum est unionem hanc suscipere. Annon ingressus animæ ad corporis sui informationem vitamque à naturalibus materiæ, quas unio hæc arctissima subsequitur, præparationibus dependet? Vid. *Martin. Del-Rio (l. 2. Disquis. Mag. qu. 26. s. 2. p. m. 548.).* Quanta absurdorum plaustra hinc consequuntur? Egressæ ex corpore Animæ, in corpus denuo irrepere. Cumque ipsis nulla alia sanguinis movendi potestas sit, nisi per spiritus & calorem; hæc instrumenta requirent. His præsentibus necessariò reviviscet defunctus. Non autem posse eas aliter movere sanguinem in vivis constat. Figmentum est, si quis dicat animas separatas à corpore modo occulto aliquid agere. Est enim ipsarum perfectio existentia cum corpore, hæc etiam tota earum natura, non aliter creata, ultra quam ex se nihil possunt. Imò cum præsentes in corpore sunt animæ, non possunt indicare reum, à quo fortè ita percussum est, læsumque corpus, ut nullo sensu possit homo is uti, quomodo id poterunt divisæ? Indicatio non fit sine judicandi notitia. Omnis notitia Animæ adest per sensus, præsertim rerum extremarum, sentiet igitur. At sensu destructo quomodo id fiet? Non per se sentiet. Nam sensus est passio corporea, & communis tam corpori, quam Animæ, ita ut utraque passio, ita, ut utraque pars simul requiratur. Quod si Anima in corpus irrepens sentit, jam homo integer est. Ita egregiè ratiocinatur *Andr. Libav. (c. l. p. 177. sq. add. p. 190.)*

§. 112.

Qui Animam formæ assistentis nomine defungi produnt, sane cordati Philosophi munere neutiquam funguntur. Audiamus iterum *Andr. Libav. (c. l. p. 178.).* At, *inquiunt*, anima desistit suo corpori. Inquam vicissim ego, esse id mendacium Platonicum & Magicum. Anima diversissima à corpore, citra vinculum, quod utriusque naturam participet, nec inesse illi, nec assistere potest. Et quomodo assistet sistendi instrumentis carens? Ineptæ persuasionis ineptus sermo, profectus ex stulta imaginatione, quasi anima velut parvus homo in corpore tanquam vase latitaret. (Confer. *p. 186. p. 2. singul. p. 185.*). Animam utroque nomine sive sit forma assistens, sive informans, nihil præstare putabat *Jacob. Sprengerus (p. 1. Mall. Malef. qu. 2. p. 21.)* quando conclusit: Quia ad præsentiam interfectoris manat sanguis ex vulneribus occisi. Ergo etiam absque virtute Animæ corpora possunt mirabiles effectus producere.

§. 113.

Nec Theologo sapiet illud commenti genus. Animæ beatorum ἀγγελοι dicun-

dicuntur esse in felici statu, qui sine loco felicitatis non est: Contra ergò & damnatorum in damnato, argumentatur *laudatus Libav.* (*de Cruent. th. 70. p. 106.*). Conversatio mundana nec beatorum est, nec damnatorum, *pergit*. Nam mundani ad judicium agunt adhuc. Quanquam aliter de inchoato & perfecto, manifesto & non manifesto statuimus (*th. 73. p. 107.*). Quam conjecturam ex Lemuribus sumunt, ea felicissima est. Et potius probant eos esse ex genere malorum geniorum, quam animarum humanarum, nec proficiunt exemplo *Samuelis*. Hunc enim verè mortuum, Scriptura affirmat. Plura in hanc rem *Steph. Cloz.* (*c. l. Exerc. 14. n. 3. p. 137.*)

§. 114.

Valeant igitur illa Animarum in terris exilia, & formidanda occursacula à Poëtis conficta Ethnicis, & Philosophis credita & approbata. Umbræ & spectra homicidas insequentia & terrentia malæ conscientiæ sunt stimuli & aculei, nempe:

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.

(*Ovid. l. 1. Fastor. v. 485.*). Multa in hanc rem, eaq; egregia, collegit *Casp. Barth.* (*ad l. 3. Stat. Thebaid. v. 4. p. 663. sq.*). E quibus hoc è *Cicerone* (*Orat. pro Roscio.*) subjungo: Nolite putare, quemadmodum in fabulis sæpe numero videtis eos, qui aliquid impiè scelerateque commiserint agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus, sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit. Suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ, quæ noctes diesque pœnas à consceleratissimis repetunt. Singulare est, quod *Nic. Leonicen. Thomeus* (*l. 1. Hist. Var. c. 38. p. 51.*) annotavit: Eumenidum Templum ab *Oreste* in Cyrenia urbe ædificatum ingressus cæde pollutus vel quopiam scelere alio noxius subitis invadebatur terroribus, & amens occulta causa efficiebatur. Nec Diabolo difficile est personam hujusmodi sumere, & variis formis insolitis transgressores legum coërcere & cruciare.

§. 115.

Animæ in corporibus & sanguine reliquias jam (*supra §. 70.*) inter absurda retuli. Calor & spiritus ad breve tempus sanguinem fluidum fibrasque servant apertas, ut sanguineo madeant rore vulnera. Stolidus foret, si quis calorem, qui est primarium Animæ instrumentum, anima instructum esse diceret; aut assereret, solem ideò esse animatum, quia calore suo animandi vim haberet, seu producendi actum ex potentia materiæ. Sic nec spiritus sentit, nec san-

guis, at sine illis sensus non est. Et quam puerile est, id animatum dicere, quod est in perpetua dissipatione & restauratione, sicut flamma quædam, (*Libav. c. l. p. 251.*). Spiritus autem illos esse vindictæ cupidos, unde scivit speciem passionis depingi in spiritibus, qua excitatur sigillum vindictæ prius impressum? Absque vi cognoscente spirituum adhuc inhærente id vix continget, quod tamen asseveranti, probandum incumbet. Calescat cadaver, calescant spiritus ejus per aliquod tempus, servetur ab horum calore ille, qui in spiritibus occisoris in cadavere existit, cum in præsentia rei liquant sanguinem, cur non antea? cur non postea? Joh.

§. 116.

Ad sanguinem spiritibus imprægnatum devolvor. Dispiciendum autem cur sanguinem elegerint, ejusque & non alterius humoris aut spiritus effluxum Natura jurisque Consulti? Causas ad quinarium reduxit *Andr. Libav.* (*l. c. p. 115. th. 144 sq. imprimis p. 226. sq.*) (1.) ex providentia, quæ in sanguine maximè apparet. (2.) Eam facultatem sanguini indidit Conditor, ut materia hominis esse possit tum generandi tum conservandi, quod attinet corpus (3.) in eo ipso omnes totius vires quasi præsidium quoddam habent. Unde nulli animalium est vita, nisi sanguinem aut Analogiam obtinenti. Hinc dicitur in eo esse vita. (4.) Innocua cædes (in sacris) designari solet per sanguine pollutas manus & per sanguinem innocentem effusum. (5.) Sanguis affectuum sedes constituitur, eorundemque indicium & testimonium ex illo labatur. Unde concludit, cum tanti sit sanguis, non immerito quendam Naturæ Characterismum in corpori. Add. *supra* (*§. 72.*)

§. 117.

Spiritus equidem moveri, non negat, subtilissimi tamen cum sint facilè sensus effugiunt. Non enim coloratus est, aut ita terminatus, ut in eo collecto lumen progignat colorem, itaque elabitur insensibilis (*p. 226.*), nec si apparerent, tam evidens facerent indicium (*th. 140. sq. p. 114.*). Moventur interim unà cum sanguine, non cum bile per se, nec cum Melancholia, sero aut aliis tumoribus qui insunt. Oportet autem hic accipere sanguinem, rectè subjicit, ut in venis est ac arteriis, non sine mistura quinque humorum, sanguinis propriè dicti, ichoris, pituitæ, bilis utriusque, quæ in venali sanguine deprehenduntur potissimum. (*Add. p. 326.*)

§. 118.

Poterant & tali casu quidem sudores prorumpere in calente adhuc cadavere: poterant spiritus salire in arteriis & partibus subcutaneis. Nec absur-

dum

dum hoc futurum erat. At non necessarium est, ut fiat. Sudor enim indispositus est ad talem effectum motumque per se præstandum & patiendum ab agente, percussoris cum vitæ principium non attingat, nec cætera obtineat, quæ sanguis. (*th. 256. p. 115. sq.*) Nam cum excrementum sit, idque inutile omnino à corporis natura tanquam alienum excluditur. Nec illam cum animæ vitæq; principio habet connexionem, ut ea mota, commoveatur, aut possit impressionem retinere diutius, insuper concidunt pori defunctis, propter calorem naturalem à frigore exactum. Convulsione etiam connivent. Quomodo ergò exciderint? in Hydropicis vix arte sudorem prolicias, cum tamen humoribus abundent. Causa est distentio, qua exitus seu meatus (pori) distorquentur, itaque occluduntur. Hoc ipsum potius fit in defunctis, quibus nervorum principia obducuntur & viæ intercipiuntur (*p 241. sq.*)

§. 119.

Sanguis iste an primò sanguis erit? Nos hic de sanguine recente loquimur, regerit Noster (*p. 340.*), qui adhuc obtinet potentiam ad actum suum, quem etiam exercet, h. e. nutriret calorem & spiritus participaret, esset sensuum Minister, si principium gubernans (Anima) adesset. Hunc ergo adhuc sanguinem licet appellare. At non sanguinem hominis primo. Nam homo jam desiit, jam forma perdita, quæ τὸ εἶναι præstabat. Correxit se *paulo post* (*p. 341.*). Non nomina signant tantum secundum actus, sed & potentias secundas, seu omnino actus primos, qui nihil aliud sunt, quam formæ. Meminimus, *pergit*, nos interdum homonymicum sanguinem appellasse, sed id ex Philosophi (*l. 4. Meteor. c. 12. & l. 1. de Part. Animal. c. 1. vid. Diss. de Cadav. Hum. s. 1. §.*) sententia, & comparatè ad actus secundos, seu ad operationes. Est ergò sanguis nondum corruptus, *concludit*, suo jure, & primo sanguis, cum actum suum primum adhuc habeat. In casu autem nostro & corruptus cruor aut sanies è putrescente corpore ejaculatur, quin & aliquando ab omni corruptionis crimine liber & floridus sanguis,

§. 120.

Si de spiritibus sermo, illi extra sphæram sanguinis non rarò deprehenduntur, aut etiam durant. Inde in spirituum extra sanguinem ferociam, impetum & vindictam parum spei ponendum, de quo (§. 71.), nisi forsan recentissimum sit cadaver, & illo dato ob Animæ essentiam etiam occisoris in spiritibus una cum illis cessabit, hique suum repetent orcum.

§. 121.

In sanguine esse animam & vitam *Sacra Oracula* dictitant, *Levit.* (*c. 17. v.*

11.

11. & 14.). Deuteron. (c. 12. v. 23.). Agnovit id *Plinius (l. 11. c. 38.)* asserens, magnam latere in sanguine vitalitatis portionem, cum emissus spiritum secum trahat. Si multum nimis sanguinis effluat, anima deficit, juxta *Arist. (3. Hist. Animal. c. 19.)* Intelligi id nequit, nisi omnis vitalis ignis sanguine comprehendatur, colligit *Magnus ille Hermann. Conring. (l. de Ign. Animal. c. 11. p. 110.).* Omnis ævi experientia docuit, sanguine profuso ipsam vitam profundi. Præterea nec hoc incompertum, per sanguinis ad omnes alias partes fluxum & motum, vitam unice illis communicari, usque adeò, ut illo ipso denegato, pars ipsa vita privetur. Vid. *Valent. Henr. Vogler (de Reb. Nat. ac Med. in s. s. p. 113.).* Et cum sanguis (ex mente veterum Philosophorum & Medicorum,) sit alimentum animalium, atque ideò cum nutritione servetur eorum vita, videtur non inepte dici *Francisc. Valesio (de Sacr. Philosoph. c. 5. p. 79.)* carnis animam, hoc est, vitam in sanguine esse, hoc est, in sanguine servari. Præterea sanguis est instrumentum Animæ, & sequitur Animæ motum, *inquit Stephan. Roderic. Castrensis (l. 2. de Met. Microc. c. 15. p. 84.).* Anima in sanguine aut cum sanguine fervet, non sanguis affectus verecundiæ, iræ, &c. id probant idem de spiritibus judicia. Quin videtur ipse sanguis animæ proprias operationes operari, esseque velut alia quædam. Anima corporalis & manifesta, exprimens suis actionibus illam primam & veram animam, quæ per se est nobis ignoscibilis *(Fr. Vales. c. l. p. 80.).* Non est autem anima in sanguine, *Aristot. (l. 4. Phys. c. 3.)*, modos si examines, ut pars in toto, nec ut totum in partibus, nec ut species in genere, nec ut genus in specie, nec ut forma in materia, nec ut in pri mo movente & efficiente, nec ut in fine, nec ceu in vase aut loco, sed, *interprete Guernero Rolfinckio (Ord. & Method. Spec. Comment. l. 4. s. 2. c. 23. p. 378.)* ceu instrumento, non formaliter per informationem aut præsentiam, sed per ἐντελέχειαν δύναμιν, potentiam, virtutem & operationem. Non περιχωριστικῶς circumscriptive subjective ceu in subjecto, sed operative solum. Residet vero ex causa J. B. Helmontii opinione, quæ tamen vix amplectenda, non in Liene viscere, ut maxime putat, sanguineo *(Tr. Jus Duumvir. n. 11. p. 261.)* Anima, sed in tota massa sanguinea etiam, si ipsi credendum, *(tr. de Magnet. Vuln. Curat. n. 156. & 159. p. 617. n. 163. & 171. p. 619.).* In extravenato per ignem cocto, fortassis & per fotum plane putrido.

§. 122.

Sit verò, cum Critia sanguinem ipsam animam pronunciem, ut de illo *Aristot. (l. 1. de Anim. c. 2. tr. 32.).* Triciæ id etiam tribuit *Ambrosius (l. de Arca Noë c. 25.)*, in quo nomine sine dubio per methatesin literarum mendum ex loco

Ari-

Aristotelis corrigendum subest, & Critiæ substituendum. *Diogeni & Empedocli* etiam hoc assertum ascripsit *Steph. Rod. Castrensis* (*l. c.*) quod tamen *Aristotelis* (*c. l. tr. 20. & t. 25.*) narratio non comprobavit. Idem sensisse *Philonem* (*l. quod deterius potiori insidiari soleat.*), voluit (*c. l. p. 77.*) *Fr. Vales.* Sed ille de brutis id verum dixit (*p. 170.*) & carnis animam sanguinem dicit, non hominum, in cujus sententiam etiam concessit (*c. l.*) *Stephan. Rod. Castrensis.* Animam brutorum nihil aliud esse, quam sanguinem, *Ren. Cartes.* voluisse, *Anton. le Grand.* (*l. de Carent. Sens. & Cogn. in Brut. n. 12. p. 17.*) innuit. Voluit ergo DEUS, ut sanguinis effusione tantum uterentur ad expiationem animarum, ut, quoad fieri posset, anima pro anima redderetur, *secundum Fr. Vales.* (*c. l. p. 81.*)

§. 123.

Sanguine idcirco delectari eundemque bibere Animas, Gentilium erat persuasio. Hinc antequam justa fierent, dum circa lethem adhuc vagari credebantur, nec ad campos admitterentur Elysios in inferiis, sanguis ad radices tumuli fundebatur, cum vino vel lacte mixtus, quod ex *Luciano* (*T. 1. Op. in Necyomant. & Charont.*) patet. Mox animæ ad bibendum hostiarum evocabantur, quod Delphis ad Veneris sepulchralis s. Epitymbiæ exiguam statuam, seu imagunculam fiebat, quod una & eadem Dea principium & finem in potestate habeat, quippe quæ ingredientibus & decedentibus præsideat, ut *Plutarchus* (*problem. Rom. 22.*) suspicatur. Intimat id *Poëta* (*l. 3. Æneid. v. 66.*)

Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Bene animam lacte & sanguine ad tumulum dicit elicitam, *commentatur* (*in h. l. p. 319.*) *Servius.* Lacte namque corpus nutritur post Animæ conjunctionem & anima sine sanguine nunquam est, quo effuso, recedit. Et *alibi* (*l. 5. v. 76.*)

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho,
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Ægyptiis ideò Accipiter pro animæ Hieroglyphico destinatum quod, *Haropollo* (*l. 1. Hieroglyph. c. 7. p. m. 3.*) innuit, ob eum, quem cum Anima habet, consensum. Aquam omninò non bibit, sed sanguinem, quo & ipso nutritur Anima. Ita sanguinem bibit *ap. Homerum* (*l. 11. Odyss. v. 95.*)

ψυχὴ θυβαίȣ τειρεσσάο

Et *Ulysses* apud inferos

pecora ubi cepisset, jugulavit

Super fossa: fluebat ut sanguis niger, ipsæ autem congregabantur Animæ ex Erebo manium defunctorum (*Id. ib. v. 35.*). Add. *Joh. Spencer.* (*l. 2. de Leg. Hebr. c. 11. s. 1. p. 299.*). *Joh. Saubert.* (*de Sacrific. c. 25. p. 659.*). *Anton. Santorell.* (*Post-prax. Med. c. 46. p. 152.*)

§. 124.

In hunc finem constructo rogo tot animalia bruta mactabantur, quin & ut animas ab interfectoribus irritatas placarent captivi hostes. Ita ante *Patrocli* pyram *ap. Homer.* (*iliad. 23. v. 176.*)

Multas pingues oves & errabundas Camurus boves
Excoriarunt & disposuerunt. —
— — — *quatuor procera cervice equos*
Festinanter injecet pyræ (*Achilles*) *graviter suspirans*
Ex mensariis canibus duos obtruncatos:
Duodecim etiam Trojanorum magnanimorum filios fortes
Ferro mactans.

Ita *Maro* (*l. 10. Æneid. v. 517.*)

sulmone creatos
Quatuor hic juvens, totidem quos educat Ufens,
Vincentes rapit, inferias, quos immolet umbris
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Sane mos erat in sepulchris virorum fortium captivos necari, quod postquam crudele visum est. Placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui à bustis bustuarii dicti sunt, *notavit* (*in h. l. p. 802.*) *Servius*. Et *alibi* (*l. 11. v. 197.*) iterum *Maro*:

Multa boum circa mactantur corpora Morti.
Setigerasque sues, raptasquo ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

§. 125.

Sed ab his eruditi animi diverticulis in viam. Sanguinem in corpore vivo & venis dum fluctuat, neque mentis inops animatum negabit, animæ verò & Spiritus cum corpore sufflaminato commercio, vinculisque solutis, quis vitam ipsi asseret? Præsentia animæ animat, seu vitam conciliat, absentia mortem. Emissum igitur Venæ sectione, mortuum quid reputat *A. Th. Paracels.* (*T. 1. op. tr. 1. de Venæ sect. p. 714.*) Add. *Andr. Libav.* (*c. l. p. 250. sq.*) *Joh. Fried. Schrœder.* (*Histor. humor. tr. 2. s. 9. α.*). Quod si venæ sectione emissus moveatur, (*Vid. h. l. Tit. §. 7.*) momentaneus est ille motus, tam diu durans, quam diu

diu præſentia ſpirituum & caloris adhuc illum informat & irradiat, radiis iſtis vero extinctis & ſubtractis cruoris torpidi, & vappeſcentis nomine venit. Et ſi hoc, non ſentiet. Senſus obſcurus ſeu occultus *Th. Campanellæ* (*l.4. de Senſ. Rer. c.9. p.297.*) verè tale nomen meretur, qui & eundem (*c.l.p.198.*) obtuſum, materialem, & communem appellat. Sed ſi cruentationem in Cadavere exactè conſi deres, ſubtilis, imo ſubtiliſſimus, non obtuſus, erit concipiendus. Naturalem pronunciabat *Joh. Marcus Marci* (*p.5. Phil. Vet. reſtit. Subſ. 9. p.546.*). Sed nec ille ſenſum ſenſibus noſtris aperiet ſubtilem, cum in viventibus talis vix ſenſibilis & conſpicuus ſit.

§. 126.

Quid verò Phantaſia illa ſanguini extravenato *ab Helmontio* (*tr. de Magnet. Vuln. Curat. n.159. & 163. p.617.*) aſſerta. Mirum id nemini videbitur, qui legerit (*c.l. n.145. p.615.*), eum prodidiſſe, res inanimes, v. g Succinum &c. Ob palearum & feſtucarum trationem phantaſia pollere. Phantaſia ſanè, ut reliqui ſenſus cum interni, tum externi, Animæ & Spirituum opus & facultas exiſtunt. Ακύρως proinde, ut alias, in plurimis locis, ita & hic loqui amat. Optarem phantaſiæ deſcriptionem ſaltem dediſſet *ille per Ignem Philoſophus*, & ita clarius mentem aperuiſſet ſuam. Sed hanc illum docere non potuit ignis, nec ipſa Chemia. Ratio, quam ſubjicit, is qui totus vita eſt res omnes creat, nullamque ideò è manu ſua mortuam expectandam promiſit, nulla quoque adveniet penitus, in qua & ipſe non eluceſcat præſens. Spiritus Domini totum replevit orbem terrarum: imo hoc quod continet omnia vim vocis habet, ut ut vera ſit, hunc ſcopum tamen non ferit. Quæ de pomo ſcientiæ boni & mali in Paradiſo adjicit, nec huc ſpectant. Theologis relinquenda, quæ ſcientiæ vocem illuſtrabunt, & an huc pertineat, ſententiam dicent. Quæ de ſimplicium amentiam, inſaniam & furorem maniacum inducentium phantaſia annectit, illa phantaſiam ſuam alienigenam ac furioſam humanæ phantaſiæ non implantant. Lædunt & depravant potius phantaſiam in progenerandis imaginationibus, dum Archeum poteſtate noxia & ſpecifica in furorem laſcivientem concitat, lienemque addo & Cerebrum efficiunt ſpinoſum, (*Id. tr. Jus Duumvir. n.1. p.239.*) ut omnis adeò amens vigilans ſomniet, (*tr. Retenta. p.499.*) adeoque famis & ſitis ſit toleratiſſimus, (*tr. jus duumv. n.24. p.244.*) nec ſentiat frigus, utcunque nudus cubet humi, vel in marmore pernoctet, ſeveriſſimo Boreæ flatu non glacietur, vel artus commoriantur ſibi, (*tr. Demens Idem n.42. p.227.*). Quod ipſum commiſerationi mentis, erga animam ſenſitivam, quæ non pro requiſito noſtræ ſpeciei homi-

nem gubernet, imputat, quippe quæ diffluit radium sensibilem, qui corpus amentis mortali frigoris importunitati eximit (*n. 43.*).

§. 127.

Quærerem forsan non injustè *cum Joh. Marco Marci* (*c. l. Subs. 2. p. 486.*): Cur homini externo, hoc est, sanguini & carni corruptionem ingressis mentem atque voluntatem electivam tribuat *Helmont*, qui eandem homini ademit? Adderem, cur sanguinem arteriarum & cruorem sensu tactuque animali pollere negaverit, interim sympatheticè sentire concesserit (*tr. de Lithias. c. 9. n. 93. p. 728.*)?

§. 128.

Dum igitur cum sociennis & aliis Philosophis ad Ideas devolvitur, quas phanthasia in vivo corpore sanguini impressit. Cadaveri adhuc superstites *Helmont*, Ideas istas corpori viventi neutiquam detraho, cadaveri verò quomodo inerunt? Audiamus iterum *Libavium* (*c. l. p. 158.*) *Cornel. Gemmæ supra* (*§. 94.*) allegatam sententiam impugnantem. Contatur, quo pacto Idea in sanguine latitet, cum ipse nunquam senserit, aut cognoverit idem? Aut ipse sanguis percipit naturali facultate objectum: aut vi impressum ab externa Causa suscepit. Neutrum esse potest. Et, si latitat, quo pacto citra sensorium externum vivum cognoscet præsentem? Nam necesse est interiorem Ideam conferri cum exteriore sensili. At hoc à nullo, ne à dormiente quidem, ne dum mortuo, fieri potest. Remanere quasdam imagines in sensoriis, vult *Philosophus*, unde nocturno tempore obversentur nobis diei gesta; At clausis oculis & jam demortuis amissa forma & facultate sua quis conjiciet præsentem illam rem, à qua ante sensilem speciem conceperat? Mirabile etiam est, cur id ponat in quovis sanguine, cum non nisi circa Cerebrum sanguis putetur ad sentiendum aptus. In spiritibus tam fugacibus quomodo erat idea residua? Nullus Apoplecticorum, aut dormientium hostem suum astantem percipit, quomodo mortuus? Cur etiam in Concreto sanguine restet, aut quomodo hic postea fiet aqueus, ut profluat? *Hæc Libavius.*

§. 129.

De *Claudii Deodati* opinione *supra* (§. 77.) adducta mentem dum explicuit suam *Stephan. Cloz.* (*c. l. Exerc. 14. §. 4. p. 139.*) hæc enunciat: Quod *Deodatus* de Characteribus & Ideis in corpore mortui residuis asserit, pro chimæris & Ideis, sive Characteribus animo *Deodati* impressis, meritò habemus, autorique, donec istas nobis probaverit, remittimus. Et hæc etiam *Guilielmo Davissonio* regero. Helmontii verò experimenta, inter experimenta locum vix meren-

merentur, cum horum certitudinem ſatis confirmatam hactenus non obtinuerimus. Si quid præſtant, id à turbato ſanguine & ab aliorum humorum miſtione alterato & corrupto provenit. Teſtantur id innoxiorum brutorum, imò & ipſius hominis ira & vindictæ cupiditate correptorum motus. Vid. *Sebaſt. Wirdig.* (*l.1. Med. Med. Epir. c.24. §. 24. p. 140.*). Dormit iſta in cadavere virulentia, usque dum carnes ingeſtæ ab Archeo ſubigantur in Stomacho & digerantur, iſtaque digeſtione virus concentratum & fixum volatile reddatur, ſceluſque maſſæ ſanguineæ in vivo corpore implantet. Applico huc illud *Senecæ (Epiſt. 59. p. m. 36.)*: Quomodo meliorem me facere Ideæ Platonicæ poſſunt? Quid ex iſtis traham, quod cupiditates meas comprimat, vel hoc ipſum, quod omnia quæ ſenſibus ſerviunt, quæ nos irritant, negat *Plato* ex iis eſſe, quod verè ſint, Igitur iſta imaginaria ſunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt, nihil horum ſtabile nec ſolidum eſt. Add. & illud *Theognidis* (*v.128.*)

πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι
Sæpe enim animum fallunt ſpecies. (*Ideæ.*)

§. 130.

Affectus in ſpiritu exhalante non tantum remanere, ſed & in corpulentia, *Wirdigio*, *Campanellæ*, & *Marco* non credo. Affectus oritur à notitia ſenſuali, iterum verba *Libavii* (*c. l. p. 309.*) adopto, ſive jam factus ſit ſenſus, ſive olim ut imago rei ex memoria & phantaſia depromta iterum moveat, ut quondam. Non autem movet corpus, ſed omnia per corpus, tanquam aptum organum, quod ſimul inſtruit vita & aliis adminiculis, ut facultate ſua uti poſſit. Rectè ergò diximus (*p.306.*) affectus, ſeu turbidos illos motus animi eſſe nec corporis tantum nec animæ, ſed utriusque ſimul; animæ nempè, non qua ratiocinatur, nec qua vegetat, ſeu alit aut procreat, ſed qua ſentit, cui facultati annexum eſt τὸ θυμοειδὲς, quod propriè affectuoſum eſt: ita, ut duæ rationes ſint hujus partis, altera, quæ ſenſus continet, altera quæ affectus. Applicentur hæc ad corpus anima privatum, & cum ſenſu deſtituatur, nec τὸ θυμοειδὲς conſpicuum erit. Omnia hic poſt animæ diſceſſum inſenſibilia, animoque exulante, etiam animi affectus & perturbationes exulabunt. Poſt mortem ceſſat odium & omnis motus facultatis appetitivæ, non eſt animale amplius cadaver, nedum rationale, decidit *Gisbert. Voët.* (*p. 2. Diſp. Select. p. 1209.*)

§. 131.

Probabilior videri poſſet illa, quam de interfectore ipſo in medium attulerunt, ſententia (*§. 79. citati Autores*). Rationes tamen, ut ut primo aſpectu plauſibiles

ſibiles, vix ſine obelo approbandæ. Quid illud ſpirituum furioſorum ex interfectione in interfecti vulnera involantium & ibidem nidulantium agmen? Qui furor imaginationis ſpiritus & appropinquantis interfectoris ſævitia & adhuc perſeverante odio & ira occiſi vulnera ita invadentis ſpiritusque proprios vulnerum labia lambentes, & cum illis ſanguinem ſimul evocantis. Iram in manſuetudinem ſæpius videas mutatam ferociam in facti pœnitentiam, fervorem in frigus & deſperationem. Legi aliquando, homicidam ad Cadaver accedentem pœnitentia ductum, manes ut placaret, Cadaveris manum deoſculaſſe, & tamen illud ſanguine ſtillavit. Quid de philtratis & potionatis reſpondebimus? Quid fœtu in utero poſt matris ſtrangulationem, extracto adveniente patre homicida, ſanguine è naribus profundente, de quo *Petr. Serv.* (*p. 1. de Ungv. Armor. Theatr. Symp. & Antipath. p. 541.*)? Multos inſidioſè & per cuniculos à ſicariis peti experieris. Sæpius occiſus occiſorem nec vidit nec novit à longe ſclopo vel telo petitus, (*Barthol. Kekerm. Curſ. Philoſoph. Diſp. 2. Coroll. 5.*) etiam contra intentionem explodentis id contingere potuit, quod homicidii caſualis nomine exprimitur, *Wechtler.* (*l. 2. Diſp. 2. Diff. 9. p. 268. 269.*). *Plura Andr. Libav.* (*c. l. p. 367.*). Et qui ſtatim moriuntur, eorum animi forſan nullas vindictæ ſcintillas conceperunt, ut vel metu affecti, vel de improviſo necati, aut alia perturbatione occupati, (*p. 368.*). Nec quid ſibi velit *Michaël. Watſon.* (*Union. Sap. ſ. 3. p. 2. c. 1. §. 14. p. 359.*) divinare audeo. Hic quamvis & occiſi corporis conſtitutioni aliquid tribuat, mox tamen ſubdidit: Metus, aliique affectus homicidæ artus ejus alterant, cumque nudato languido corpori imponuntur manus trementis, in vulnere poterunt ſanguinem refrigerare commovere & educere. Siccine refrigeratio ſanguinem movet & educit? Dum meticuloſi occiduntur, cruentationem non obtingere è *Joh. Sophron. Kozack.* (*l. 5. Horol. c. 6.*) *idem* (*p. 360.*) locum allegavit. In mortuo corpore nil vitæ vitalumque actionum. Quomodo verò ab emiſſis ſpiritibus occiſoris calefieri poterit cadaver? ut ſanguis inde fluorem concipiat, cum ab adhibito igne & calore actuali id ægre, & vix in actum deducatur, *Santorellus* enodare debuiſſet. Ego quidem id pro tenuitate intellectus & judicii non capio, nec forſan alii me judicioſiores & ſapientiores.

§. 132.

Aëris attractio & ſpiritus infectio à *Simone Majolo* (§. 80.) prolata, nihil ad rem. Cadaver omni ſpiritu & ſenſu deſtitutum non diffitetur, & tamen horrore concuti, tranſeunte occiſore, quia ſpiritus ſunt infecti à ſpiritibus interficientis, quo tranſeunte usque ad ipſum vulnus aër infectus trahitur. Spiritus igitur

tur in cadavere adesse & non adesse inculcat, adeoque uno habitu contraria profert & eloquitur. Quid, quod spirituum illud contagium nulla ratione demonstrabile sit, adeoque incertum per æquè incertum probetur. Eadem via *Arnoldi Bachimii Denstonii* ratiocinatio progreditur, quando Archeum occisi pavidum fugare credidit Archeum occisoris, qui secum rapiat sanguinem & ex vulnere extrudat. Hoc addere libet, fibras carneas discissas inflicto vulnere dolore ingruente crispari, inde etiam Hæmorrhagiam, copia cruoris prius excreta, sisti, quæ ipsa crispatura etiam post mortem adhuc durat, nec sanguinis effluxum amplius sperandum, sanguinis in fibris istis congrumatio satis inculcat.

§. 133.

Imaginationem in proprio corpore multum valere, nemini non constat. Primaria hæc sensitivæ Animæ vis, quæ promus condusque omnium specierum, seu potius objectorum, sensuum externorum nunquam otiosa est, sed præsentia contemplatur, judicat, componit, dividit, & ex eis, quæ vult eruit, recondit & reservat. Absentia revocat, revocata mutat, ut aut terreant aut lætificent: omnia regit, perturbat multa; Regina sensuum; sensitoriorum omnium operatrix. Hæc lucida obscura, tenebrosa splendentia; harmoniam strepitum, ululatum concentum, dulcia amara, acre suave, hircum unguem Assam fœtidam, styracem, aspera levia, mollia dura, absentia præsentia, pulchra deformia, terribilia jucunda, jocosa horrida, aut è contra, pro ut vadit tramite recto aut obliquo, fingit, efficit, suadet, *Phil. Hechsteter. (Dec. 7. obs. med. cas. 3. p. 84.)*. Sed & aliena alterare & movere posse, plurimi, *Avicenna Duce (l. de Animal. s. 4. c. 4.)*, constanter affirmarunt. Ita credidit ille imaginationis viribus alium hominem equo insidentem, quamvis distantem dejici posse, & in terram præcipitari, tempestates moveri, & terræ motus, in nubibus similes bombardarum strepitus excitari tonitruis & fulminibus. Et ne ulla temeraria opinio sine patrono & tutoribus fuisset, *addit Caspar. à Rejes (Camp. Jucund. qu. Elys. qu. 50. n. 21. p. 632.)* in tantam mentis alienationem venerunt *Algazel, Albertus* (minimè hac parte) *Magnus, Ficinus, Paracelsus, Pomponatius & Montanus*, ut tam enorme mendacium confirmare non dubitaverint. *Joh. B. Montan. (Comm. in Avic. 2. Fen. 1. citante Marcello Donato l. 2. Hist. mirab. c. 1. p. 102.)* ait, se hominem quendam vidisse, qui ex sola forti imaginatione, quoties volebat, in facto circulo, plusquam centum serpentes convocabat, quod & si verba quædam susurraret, non virtute verborum, sed fortis imaginationis, id præstitisse contendit. Imaginationem principium omnium operum Magico-

gicorum venditavit *Paracelsus* (*l. 1. de Pestil. c. 3. p. 364.*). Imaginatione Astra inficit homo. *So wir das Gestirn nicht inficiren mit unserer Imagination, so fielen keine impressiones auff uns. (ib. id. c. 4. p. 365.). Wenn eine Kindbetterin* (tempore pestis in partu relicta, & omni auxilio destituta) *in Angst des Kindes zu gebähren stirbt, so ist wohl zu gedencken, was alda für eine Imagination zu fält. Dann also gedencket die Frau, weil ich und mein Kind, oder die Frucht, so elendiglich sterben muß, so wolt daß alle Menschen mit stürben. Da folget alsdann auch ein Platzregen, das ist, ein doppelter Gifft dieser Kranckheit. (tr. 2. de Pestilit. c. 2. p. 350. Repetit. T. 2. Fragm. de Virt. Imagin. p. 276.). Wann ein furchtsamer, verzagter Mensch voller imagination den Monden anschauet, so siehet er in das speculum venenosum magnum Naturæ, und wird der Siderische Geist und Magnet hominis also vergifftet durch die Stern und Mond.* Phantasmata etiam habere dicitur *Libavio* (*c. l. p. 173.*) *Paracelsus*, qui vult esse spiritus natos ex imaginatione sylvestres, sæpè loquentes cum hominibus. Vixerunt multi vitam alienam, iterum (*l. 2. Vit. Long. c. 9. p. 843.*) idque juxta præscriptum Delticæ Naturæ, inter quos fuit stygus, qui cum de vita laboraret robusti cujusdam adolescentis, qui cum fortè assisteret vim atque naturam attraxisse dicitur, idque per imaginationem sic est consecutus, ut sensus, cogitationes, denique animus ipse in alium transferretur. Per hanc imaginationem *Archæus* unius cujusque eruditi atque prudentis hominis scientiam atque prudentiam communicare dicitur. Sed hoc nugari & delirare potius est, quam ratiocinari & philosophari. Vis phantasiæ ex calamo globum extrahet longius distantem? an etiam dissitum longius pulverem pyrium inflammet? & qua vi? aut collinet, in propriam necem? Non est fandum, nec credendum, *concludit Hechsteter.* (*c. l. cas. 2. p. 57.*). Hic cum recensuisset è *Joh. Montano* (*l. 2. de Morb.*) Sanguinem ex interfecto cadavere imaginatione interfectoris promoveri: in hoc casu, *addidit*, vix locum habebit. Jungo his *Joh. Marc. Marci* singularem planè observationem (*p. 4. Philos. Vet. restit. subsect. 3. p. 406.*), quam etiam recitat *Bohusl. Balbin. Dec. 1. l. 3. Miscell. Boh. c. 18. §. 4. p. 216.*): Fieri potest, ut culpa prorsus alienus hac via in suspicionem quandoque veniat, si nim. prope mortem constitutus ejusdem authorem falsò suspicetur, eaque imaginatione fortiter impressâ vitam finiat, cujusmodi phantasia imbutam puellam annorum 14. hic Prægæ novi, quæ ab alia sibi venenum datum, eaque de causa mori debere opinabatur, periit autem tetano ac convulsione. Tertio die, ex quo desierat vivere, dum sepulchro inferreretur; & persona illa suspecta superveniret, mox sanguis è Naribus profluere cœpit. Delirium no-

nominat. *Libav.* (*c. l. p. 172.*) & (*p. 161. sq.*) refutat. Negat etiam *Marcell. Donat.* (*c. l. p. 103. & seq.*) *cum Thomas Fieno* (*tr. de Vir. Imaginat. c. 24. coroll. 57. p. 198.*) & *Martin. Weinrichio* (*p. 1. de Monstr. c. 17. f. 167. sq.*). Concludo igitur *cum circumspecto & egregio Philosopho Franc. Bacone de Verulam.* (*c. l. n. 986. col. 862.*). Quæ de vi imaginationis & secreto: Naturæ instinctu circumferuntur, tàm dubiæ fidei sunt, ut maximam partem examinis severi trutina castiganda sint, antequam extruendis conclusionibus servire possint.

§. 134.

Quod ad spirituum occisi & occisoris congressum, noto, hunc potius acuti & ingeniosi Cerebri partum, qvam realem & verum conflictum esse. In occiso pauci aut nulli spiritus supersunt, ut jam ostensum, & si adhuc adsint, sangvini immersi torpent, & in aciem prodire inepti. Occisoris si conscientiæ stimulos sentit pœnamqve metuit, agilitate non præstant, sin fortis & procax, quo ductore vulnerati & interfecti vulnera & corpus invadunt, portis aut potius poris clausis. Qvam facile à circumstantium motu in transversum agentur & in auras dissipabuntur, *Joh. Nard.* (*c. l. f. 341*) in *Galeati* sententia refutanda occupatus, sequentia proposuit: Haud ignorare poterat *Vir Eruditus*, quam pernix sit Natura spirituum, qvam labilis atque diffluens, ut nisi novæ suppeditentur iis copiæ, brevi absumantur & avolent. Volare verò omnes in occisorem, ut ibi vivant, absurdum penitus est: Nam vita est Animæ permansio *Aristoteli*. Peribunt igitur in via, ni adversarii fervens animula occurrat profugis. Alienum pati hos necesse est imperium, aut hostili in statione tumultuari manusqve conferre legionariis cum spiritibus, malo cum suo, ni tamen infensum animum dissimulare norint ad Tempus. Turbat me omnes convolare. Cadmæa igitur erit pugna, aut cadent priusquam pugnent, vel sibi unusquisque manus consciscet, à novis satellitibus impulsus, duraqve necessitate adactus. Nugamur fateor. Verum nugæ illæ sunt, & aniles fabulæ, malæ mercis indicium. Cur enim trux Aper, feroxve taurus superati tandem atqve extincti, accedente Venatore, qvi feras jugulavit, non cruentant? An placidior iis contigit ira, qvam hominibus? aut destitui credis sæva bruta spiritibus? Valeant proinde hi cum suis Chimæris.

§. 135.

Gassendi & *Antonii le Grand* Experimentum (*§. 83. adductum*) nihil ad res. Atomi istæ, aut spiritus morticini non tam in ipso lanionum corpore, qvam vestibus eorum, qui fœtidos & abominabiles odores imbiberunt. Detegit hoc canum sagacitas, qvia & aliis brutis effluvia ista concepta abomi-

nationi sunt. Laniarium invita & non nisi coacta, mactationi destinata, ingrediuntur bruta. Horrent nempè locum istum corpusculis hujusmodi fœdum & inqvinatum, ut ipsam internecionem, quæ illa manet. Ita notarunt vivariorum custodes, feras iis tendiculis raro capi, qvibus aliæ ejusdem speciei paulo ante occisæ fuerant. Id ipsum quoque in muscipulis observare est, ad quas propositas esca nullos mures alliciet, si jam unus aut alter in iis peremtus fuerit, nisi forte muscipulæ ita purgatæ fuerint, ut nullus peremtorum odor permaneat, cujusmodi purgatio statim, nisi adhibito igne, vix fieri Potest, *notante Kenelmo Digby* (*de Nat. Corp. c. 38. n. 4. p. 379.*)

§. 136.

Qui Antipathiam & Sympathiam in Theatrum producunt, sententia *Libavii* (*c. l. p. 304.*), videntur hallucinari. Illæ ab ortu insunt, nec per totum vitæ decursum abolentur, quin & multis, quamvis falso, post mortem adhuc perdurare creduntur, ut olim (*Diss. de Cadav. s. 1. §. 158. seqq.*) dictum. Ob Antipathiam autem effluere sanguinem, non putat *Jacob. Bürlein* (*Disp. Med. de Hoplochrismat. Th. 75. Theatr. Symp. & Antip. p. 645.*), quia per hanc res se se mutuo non prosequuntur, sed fugiunt & abducunt se in recessus intimos. Alterius sanguis debebat refugere, victus alterius prosequi, aut uterque prorumpere, simul data pari occasione, idque in hostibus. Victus enim est. Deinde præpollet viventis sanguis sanguine defuncti, in qua collatione alter videtur verus, alter æquivocus. In Amicis ratio esset, cur uterque prorumperet. Potest quidem reduci effectus hic ad Antipathiam & Sympathiam, sed remotius minusque evidenter, judicium suum interponit iterum *Libav.* (*c. l. p. 305. sq.*). Nugæ, qui enim ad unionem hostis sui consanguis inclinet, si Antipathia concitatur? Cur, si à materia est hæc concitatio, non semper accidit, quo altore vis impressa spiritibus jam dissipatis calore ejecto perseverat? Cur corpus occisum vivacem hujusmodi motum concitat, non item corpus vivum sauciatum? *scribit B. J. C. Dannhauer.* (*c. l. Dial. 4. p. 67.*). Fabulam igitur æstimat *Honorat. Fabri* (*l. 6. de Hom. Propos. 5. n. 6. p. 355.*)

§. 137.

Qui ad Sympathiam meditationes suas dirigunt, à *Joh. Magiro* (*l. 3. Phys. c. 8. p. 224.*) merito ridentur. Quid hoc esset aliud, quam suo effluxu velle infensissimo hosti uniri eundemque amare? Iterum *accuratissimus ille Philosophus & Theologus B. Dannhauerus* (*Colleg. Psycholog. Disp. 4. Controv. 8. p. 131.*) decidit. Pluribus hoc argumentum prosecutus est (*p. 1. Homil. Sacr. 14. p. 461.*) his verbis: Nugæ nugarum de *Heliogabolea cœna*, quæ convivarum famem accen-

cendunt magis, qvam restinguunt, animum speciosa rationum forma suspendunt, non satiant ac eandem, si omnia in unum redigas, ad commune ignorantiæ asylum remittunt, ibique affixos tenent, donec nunqvam venturus veniat, qui cum suis nodis luctantes exolvat, & explicet experientiæ ancipitia, quæ nunc sui tentatoribus satisfaciat: num destituat eosdem: Secretum Sympathiæ, quæ inter latronem & crudeli morte peremtum esse neqvit, aperiat. Qui enim ad unionem hostis sui inclinet? non fugiat magis, ac retro se abscondat, emersurus? doceat, quo altore vis impressa ad plures annos perseveret in aliis, in aliis deficiat proximo dierum spatio, utriusque enim experimenti historia præsto est. Qui fiat, quod idem sanguis carnificem, cum truncatum corpus sepelit, non prodat novo effluxu? an in eodem impetu inæqualis naturæ genius, & quæ inæqualitatis ratio? Cur idem non eveniat in mactato bestiæ Cadavere? Cur corpus letho datum impressam virtutem, quadam quasi reflexione, reddat, non item corpus sauciatum qvidem, vivum tamen adhuc, & quæ sunt hujus generis ἄπορα alia, καὶ ἀμήχανα. Quæ foret illa inter inimicos & infestos hostes Sympathia? qværit *Timoth. Brigth.* (*in Scribon. l. 1. Phys. th. 82. p. 44.*)

§. 138.

Videntes igitur circumspectiores has difficultates, admodum dubitantes ratiocinati sunt. Hujusmodi ebullitionis causam investigare potius possumus, quam invenire, *Simon Majolus* (*Dier. Canic. Colloqv. 1. p. 33.*) tradidit. Inter ea retulit, quorum ratio dari neqvit, *Philipp. Camerar.* (*Cent. 1. Hor. Succis. c. 73. p. 335.*). Quæstionem obscuram et arduam *Jacob Dalechamp.* (*ad Plin. l. 7. c. 52. p. 354.*) pronunciavit. Miraculum naturæ latentis *Lev. Lemn.* (*l. 2. de Occ. Nat. Mirac. c. 7. p. 160.*). Huic rei nihil certi subesse, imò nihil omnino tribuendum, statuit (*Disput. 1. de Cognit. sui ipsius probl. 8.*) *Jacob Martini.* Cum nemo adhuc visus sit, qui veritatem ausus fuerit juramento attestari, sed sola referentium fide, vel scriptorum autoritate innixi, *addidit Anton. le Grand* (*p. 8. Hist. Nat. Artic. 8. n. 4. p. 393.*)

§. 139.

Et si credendum sit, illud prodigii genus inquirendum fuisset, an sese res ita habeant, ut vulgò creduntur, & tum demum, cur ita fiant, inquisitio instituenda, optimè monente *Bartholom. Kekermanno* (*l. 1. System. Phys. c. 8. p. 61.*) in hôc casu autem æque, ut in illo de Naso insititio problemate, (*Vid. l. 1. Tit. 2. §. 26.*) factum est. In facti s. Phænomeni causas prius inquisitum est, autequam de Phænomeni constaret certitudine. Nec de nihilo igitur sunt à *Gisberto Voëtio*

ëtio (c. l. p. 1215.), ut exacte trutinentur & excutiantur in medium allata, & ab *H. H. Mejero.* (*l. de Occult. DEI Judic. Singulari c. 7. n. 2. p. 105. sq.*) exscripta problemata. (α.) An sanguis effluat sine agitatione corporis aut alteratione aliqua extrinsecus adducta? (β) An semper ad præsentiam cujuscunque homicidæ; & quidem toties effluat, quoties accedit homicida, & toties sistatur, quoties recedit? (γ) Annon effluat ad praesentiam Magistratuum, aut militum, aut carnificum, qui justo titulo, (quamvis injusta causa,) sæpè occiderunt, ut in bellis injustis, Ecclesiæ persecutionibus Martyriis fieri solet. (δ) An semper effluat ad præsentiam eorundem, si justo titulo & causa occiderunt? (ε.) An ad præsentiam homicidæ, qui latronem, aggressorem, aut alium, quamvis justè & cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit? (ϛ) An ad præsentiam ejus, qui per Magiam occidit? Quod mirum est observatum à Magiæ inquisitoribus. (ζ.) An ad præsentiam Parricidarum, Assasinorum v. g. *Jacobi Clementis, Balthasari Gerhardi?* (η.) Quæ sit sphæra præsentia, intra quam homicida adesse debet, siquidem Cadaver sanguinem sit emissurum? (θ.) Quod tempus circumscriptum huic Hæmorrhagiæ, post quod præcisi cessat? An verò etiam cadaver effossum ex sepulchro, dum sanguis nondum planè periit idem præstabit. (ι) Duo, si se mutuis vulneribus confecerint, (quod non rarò fit,) an Cadavera utraque ad præsentiam alterius sanguinem emissura? (ια.) An visa sint cadavera sanguinem emittere ad primam saltem præsentiam parentum, cognatorum &c. quacunque morte obierint? (ιβ.) Annon etiam brutorum cadavera ad præsentiam interfectorum? (ϱ.) Addo, an ad præsentiam Idiotorum Medicastrorum, Dæmoniacorum, Medicorum indoctorum, qui non raro homicidæ titulum jure merentur?

§. 140.

Tantisper de his certò non liquet, optime *judicante laudato Voëtio* (*c. l. p. 1214.*) & judica & facta quiescant. Optarem, decernit *Ludov. Dunte* (*Cas. Conscient. c. 10. f. 2. p. 317.*), ut vel omninò non fieret, aut non fieret seriò; Variis prænotionibus accenset & inter superstitiosa computat *Voët.* (*p. 3. Disp. de Superstit. p. 100.*). De incertitudine hujus etiam disseruit *Theod. Thummius* (*de Mag. qu. 27. p. 314.*) & *Samuel. Pomarius* (*tr. de Diss. & Cons. corp. Nat. Disp. 10. §. 13. p. 193.*). Veterem fabulam vocavit *Henric. Kipping.* (*l. 2. instit. Phys. c. 6. n. 11. p. 90.*). Politicè id tantum proposuisse *Lucret. Marcello Donato* (*c. l. p. 104.*) dicitur. Ut mira mendacia explodit *Joh. Nard.* (*c. l. p. 340.*). Tutissima igitur ibit via, *juxta Pomarium* (*c. l. p. 190.*), qui DEI, qui Naturæ leges sequitur, non vanas superstitiones hominum.

§. 141.

§. 141.

Et licet hoc aliqui juris periti crediderint & scripserint, nemo tamen rei veritatem juramento attestaretur, nec vitam hominum tam incerto crederet testimonio, *Honorat. Fabri* (*c. l. p. 456.*) auguratur. Proinde incertissimum declaravit *Anton. Gomez.* (*T. 3. Var. Resolut. c. 13. n. 15.*). *J. G. Godelmann.* (*l. 1. de Mag. & Venef. c. 5. §. 33. p. 104. sq.*). *Justus Oldecop.* (*Tit. 2. obs. Crimin. 2. n. 2. p. 54. sq.*) Add. quos citat *Jacob. Dœpler.* (*Theatr. Pœnar. Supplic. & Execut. Criminal. c. 1. n. 162. p. 48.*). DEUM tentari reputat *Henric. Bocer.* (*tr. de Quæst. & Tortur. c. 3. p. 95.*). *Petr. Heigius* (*p. 2. qv. 39. n. 96. n. 104. p. 353.*). Nec ad torturam idcircò sufficere, *Andr. Tiraquell.* (*de Pœn. Temp. Cons. 51. n. 79.*), nisi alia concurrant indicia, *Sigism. Finckelthaus. obs. 68. p. 523.*). Confer & quos allegat *Martin. Del-Rio* (*l. 5. Disquisit. 2. Mag. s. 4. §. 20. p. 71.*). *Henric. Kornmann.* (*p. 9. de m. m. c. 27.*). Omnium instar sit *JCtorum nostri Seculi Coryphæus, Benedict. Carpzov.* (*p. 3. Pract. Crimin. qu. 122. n. 31.*) qui his se expedivit: Hoc scimus, *infit*, & ipsemet ex Actis inquisitionalibus ad Collegium nostrum transmissis compertum habeo, quosdam hoc indicio sæpe falso esse notatos, ut & illud quod vero homicidii reo præsente interfectus homo, ne guttulam quidem sanguinis egesserit, cum tamen DEUS, qui justus est, nolit nocentem manere impunitum, aut insontem damnari. Subjungit (*n. 35.*) Judicium Scabinorum Lipsiensium, qui noluerint huic indicio, & si perquam manifesto, quidquam tribuere, deficientibus adhuc aliis probabilioribus. *Math. Steph.* (*Cent. 4. Quæst. ad Inst. Jur. 17.*) concurrentibus aliis, iisque urgentibus adminiculis, accusatum torqueri posse statuit, si modo præternaturali sanguis ex plaga exprimatur. Verum, quomodo judex certò est sciturus, modo naturali vel præternaturali sanguinem effluere, ne injuriam inferat reo ad quæstionem abripiendo etiam adhibitis peritis, qui tàm in occulto negotio & titubant & discrepant, sapienter regerit *Just. Oldecop.* (*c. l. n. 4. p. 55.*). Et tales laudandos esse, ut prudentes & Eruditos, declarat *Joh. Jacob. Speidel.* (*in Addit. ad Besold. Thesaur. Pract. p. 85.*). Contra, qui contrarium tuentur, judices iniquos proclamat *Casp. Schottus* (*l. 12. Phys. Curios. c. 8. Coroll. c. 6. p. 1304.*)

§. 142.

Cur autem in judicis aliquando introducta fuerit hæc exploratio, aut adhuc asservetur, cum solidæ basi superstructa non videatur, variæ possunt allegari causæ. Nimia judicium credulitas à superstitiosa vulgi persuasione promanans, agmen harum ducit. Cordatiores verò terrori homicidarum in conscientia proritando hoc ipso studuerunt. Cadaver hominis, *notante Veru-*

rulamio (*Sylv. Sylv. Cent. 10. n. 984. col. 961.*) maximè contagiosum & odiosum est homini. Ideò *Helmontium* si audias, (*Vid. l. h. Tit. 2.* §. *4.*) Archeus contactu Cadaveris quasi mortis pavet. Quando igitur homicida interemti Cadaver tangit, tremere incipit & pallet, variisque alterationibus faciei circumventus, morsus & aculeos conscientiæ dissimulare nequit. Cujus gratia, suasit *Andr. Libav.* (*c. l. th. 281. p. 134.*), debebat fixis oculis intueri cadaver, aut aliud quid cum frequenti appellatione interfecti, & criminis exprobatione, tactu quoque arteriarum. Ad interemtoris igitur animum concitandum objecta multiplicanda, *juxta Eundem* (*c. l. p. 376. sq.*). Ita enim cogetur non tantum oculis videre, tangere manibus, auribus audire, sed & phantasia penitusque interno principio per reciprocationem motus agitari, dum quod sensibus percipit, animoque commovit, etiam sermone exprimere, & ipse â se ipso audire, & veluti suum sibi scelus objicere, & urgere compellitur. Hoc efficacius erit, si repetet jus amicitiæ olim initæ, vel societatis communis, quia uterque amicus homo, Christianus, Civis, & quæ alia facti crudelitatem exaggerant. Notandum tamen etiam, *Idem* (*p. 388.*) *suggerit*, quodque certitudinem signi infringere posset, quod aliqui adeo sint impotes animi, ut licet innocentes, ex suspicione tamen inducti adeò consternentur, tremantque & horreant, ut facile dispositionem similem veri percussoris possint acquirere, idque consentiente imaginatione super percusso præsente, cujus in omnem partem difluentes habitus facilè sibi insinuat, indeque commovetur adversè. Inde alteratos halitus proprios non absonum est principium alterum attingere, atque ita commotionem excitare. Solennes adjurationes etiam, ipsi non videntur necessaria, nisi ad commovendum animum occisoris adhibeantur, qui interdum adeo est obstinatus & præfractus, præsertim ubi usum cædum fecit, ut adamantinus videatur penitus (*p. 267.*). *Conf. Petr. Heigium* (*c. l. n. 105.*)

§. 143.

Episagmatis loco quædam adhuc addenda. Qui post homicidium commissum interemto assunt, in faciem illum locant, exemtoque calceo, ni fallor, sinistro & aversim posito, credunt elabi non posse homicidam. Calceum interemti pectori imponi, *Vit. Rietlin.* (*Itin. Med. p. 42.*) notat, id vero si in faciem locetur occisus, quomodo fiet? Affirmant hoc vel recente historia multiplici graves Autores, quos ipsi audivimus admirantes effectum virium. Et audivimus neglecta collocatione & irrita aufugisse multos, *tradidit* (*c. l. p. 380.*) *Libav.* Retrahi tales à Diabolo, enunciavit *Stephan. Cloz.* (*c. l. Exerc. 14. p. 56.*

p.56.). Quosdam, ſubjicit (*Libav.p.381.*), facti conſcientia adeò exagitavit, ut etiam elapſi ſpontè reverterentur ad pœnas, non calceo, aut prona locatione id procurante, ſiquidem ſupinum erat defoſſum cadaver.

§. 144.

Aliud ſuperaddere liceat, nempè aliquando ex obtruncatis lac, ſanguinis loco, emanaſſe. Ita *de S. Paulo* refertur, *ex Ambroſio* & *Chryſoſtomo*, capite hunc truncatum non ſanguinis, ſed lactis undam profudiſſe. Vid. quæ collegit *Th. Bartholin. (Spicil. de Lymph. 1. c. 6. p. m. 449.)*. Idem *de S. Catharina ſub Maxentio* decollata *Hiſtor. Lombardica (ſ. Legenda Sanctorum c. 167.)* retulit. *Bobuslaus Aloyſ. Balbinus (l. 4. Exam. Meliſſ. Epigr. 7.)* argute & eleganter:

Vulnera lacte fluunt, renuit mutare colorem
Innocuæ mentis candida Virginitas.
Ipſa ſuo ſeſe conſperſerat hoſtia lacte,
Cum ſponſo cuperet concolor eſſe ſuo.
Mira fides rerum! Facta eſt ſine ſanguine Martyr,
Et propè morte carens mortua virgo jacet.
Quod cruor eſt aliis, lac eſt Tibi condida virgo;
Quodque aliis vulnus, virgo papilla Tibi eſt.
Lactea maternos bibit hic facundia fontes
Ex-oleum-tumulo, quo vigilatur erit.

Cujus quidem fluxus viam curioſius ſe detexiſſe per lacteas thoracicas, quæ cum axillaribus fuerunt vulneratæ, Chylumque & ſerum effuderunt, *profitetur Th. Bartholin. (c. l. p. 452.)*, qui *(p. 453.)* ſubdit: Primò Chylus lacteus emanavit, quamdiu copia ejus ex axillaribus conceſſa, deinde, quod quotidiè in diſſectis obſervamus, aquoſus liquor in lacteis & axillaribus ſucceſſit, deniq; utroque evacuato ſanguis emerſit. Sed hanc Bartholini ſententiam pluribus refutare conatus eſt *Franciſc. Picus (tr. de Febr. in Gen. c. 5. p. 213.)*, ex quo hæc tantum delibo: conceditur quidem, *inquit*, lac ſeu Chyloſam materiam ex vaſis lacteis in axillarem & jugularem venam guttatim fluere; ſed ingenuè fateor, me capere non poſſe, qui adeò exiguus & tenuis lactis radius per exiles venulas enſe carnificis læſas fluentis, juxta copioſam ſanguinis undam ex vaſis digito majoribus tunc temporis una erumpentem, tàm diſtinctè atque non permiſtè poſſet exire, ut lac à ſanguine à circumſtantibus diſcerni potuerit; profectò eò adducor, ut credam effuſionem hanc aliquo modo extraordinariam & inuſitatam fuiſſe; Nam impoſſibile mihi plane videtur, ſanguinem adeo ru-

brum

brum & Chylosam substantiam simul motos per colli vasa citra inquinationem & sanguinis confusionem ex detruncato collo exilire posse. Plura qui poscit ipsum evolvat Autorem. Aliter è *Blondo Flavio* (*l.3. instaurat. Rom.*) rem narrat *Henric. Kornmann.* (*p.4.d.m.m.c.5.*). Visuntur ab urbe (Roma) secundo milliario inter Ostiensem Ardentinamque viam dulcis aquæ fontes, qui fuso *Apostoli Pauli* sanguine eruperunt. Hic de lacte nihil. Interim Gemella succurrit Historia *ab Alberto Kranzio* (*l.4. Saxon.c. 26.p.94.*) *consignata.* Miles nobilis falsò à *Maria Ottonis III. Imp. Conjuge* de pertentata ab illo pudicitia accusatus & gladio cæsus lac pro cruore profudit.

§. 145.

Lac tale roridam quandam substantiam habuit, & secundas humiditates, judicat *Anton. Santorell.* (*c.l.c.23.p.270.*). Sanguinis albi meminit *Autor l. de Glandul.* (qui in *Hippocratis* Scripta *T.3.p.m.52.* reperitur), qui è Glandulis provenit, quamvis illam albedinem (τὸ εἶδος λευκὴ) ad carnem glandularum appitcare mavelit *Anut. Fœsius* (*in not. ad l. c.p.125.*); id autem quod in glandulis serum est, istud ergo sanguinis albi nomenclatura. *Venus à Diomede* vulnerata non sanguinem ejaculabatur,

Sed qualis fluebat nempe beatis Diis.
Non enim panem edunt, neque bibunt ardens vinum

ut Homer. (*Iliad. 5.v. 340.*) *cecinit*, Cruorem autem Ichorem vocavit, inde *Casp. Hoffmann.* (*Collect. de Ichor. §. 3.p.m.251.*) sanguinem Deorum Ichorem pronunciavit. Sanguinem ratione materiæ & Efficientis albescere *Francisc. Tidic.* (*tr. 3. Microcosm.p.297.*) annotavit, Sanguinem trihorio post absumtum cibum missum concrescentem necessario chylosum & lacteum reperiri, decrevit *Exc. Maurit. Hoffmann.* (*de V.S. Necessit. Coroll. 6.*). Add. *Nicol. Steno.* (*ap. Th. Bartholin. V.1. Act. Hafn. Med. obs. 111.p.206.*). De crusta sanguinis lactea historiam habet *Marcell. Donat.* (*l.1. de Med. Histor. Mirab. c.4 p.50.*) & de sero sanguinis, quod idem instar lactis ab acido superfuso coagulati *Regner. de Graaf.* (*de Organ. Viror. Generat. Inserv.p.84.sq.*) Cerdo verò castrensis *Jacob. Pradesius* ab omnibus venis, qui vulgò secari solent Phlebotomatus semper sanguinem album teste *P. Borello* (*Cent. 1. obs. Medico Phys. rar. 25. p.31.*), emisit. Lac merum uxori Centurionis puerum lactanti exiisse *Petr. à Castro* (*obs. MS. à Phil. Jacob. Sachsio. Macro-Microcosm. §. 54. p. 53. allegat*). Ab ingestis id contingere quibusdam placuit. Ab ingurgitatione Lactis nimia in puella, menstruorum obstructioni sanguini id potius ascribendum. Post frequentem ingurgitationem cerevisiæ albæ loco sanguinis lympha copiosa & pura è se-

cta

ćta vena effluxit, quod *Maurit. Hoffmann.* (*Thes. Med. de Sangv. Ejusque observ. 70.*) retulit, à piscium Esu, conjectura fuit *Joh Beau*, *ut Acta Anglica Phil. (1665. Mens. Januar. p. m. 105.)* retulerunt. Confer *supra* (§. *92.*). Vitio verò sanguinis, contractisque morbis id accidisse, observationes docent. In Synocho Vena secta, id notavit *Joh. Rhod.* (*Cent. 3. obs. 32. p. 129.*). In quotidiana *Sachsius Noster* (*M. C. D. 1. Ann. 1. obs. 28. Schol. p. 70.*). In Tertiana *Petr. à Castro* (*obs. MS. Vid. Sachs. laudat. Ocean. Macro-Microcosm.* §. *54. p. 53.*). In Pleuritide *Franc. Bayle* (*de Apoplex. c. 8. p. 101.*). In Febre maligna, *P. Borell.* (*Cent. 1. obs. 25. p. 32.*). In Febre petechiali *Isbrand. à Diemerbrœck* (*l. 2. Anat. c. 12. p. 426.*). A suppressis purgamentis f. Lochiis, *Joh. Rhod.* (*c. l.*). *Christian. Xitzchke* (*Disp. Inaug. de Lact. è Ven. apert. educt.* cujus nucleum exhibet *M. C. Dec. 1. Ann. 1. obs. 132. p. 294. sq*). A suppressis mensibus de quibus jam *Th. Bartholini* observatio recensita. De virgine nunquam menstrua passa, florida tamen puraque complexione, *Acta Anglicana* (*c. l. p. 88.*). De Cachecticis *Marcell. Malphig.* (*Epist. 1. de Pulmon. p. 326.*). De Scabioso *Is. Riverius* (*ap. P. Borell. c. l*). De leproso *Marcell. Donat.* (*c. l. p. 37.*). In Scorbuticis serum sanguinis lacteum *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. An. 17. p. 32.*). Confer. quæ habet *Richard. Lower.* (*de Corde c. 2. p. 128.*). Lac igitur quibusdam Physicis audiit spuma sanguinis, quo nomine *Varro, inquit* nutricem oportet esse adolescentem, annis enim ut sanguis deterior, sic Lac, *prodidit Cæl. Ludov. Rhodigin.* (*l. 3. Antiqu. Lect. c. 12. col. 130.*). Ex dictis, etiam *judicante N. Stenone* (*c. l.*) illorum opinio confirmatur, qui docent serum sanguinis aliud nihil esse, nisi chylum pro breviore vel diuturniore mora in sanguine plus minusve resolutum, nec lac quicquam esse, nisi serum recens post unum & alterum circulum in mammis secretum. Interim non omnis albicans humor in sanguine pro lacte habendus, cum, sapore judice, illud aliquando purulentum quid obtulerit, de quo evolvatur *Regner. de Graaf.* (*c. l. p. 85.*). Notandum etiam quod in quibus Ictericis loco sanguinis è naribus & cucurbitulis sacrificatis aquam flavam solummodo prodire viderit *Georg. Bagliv.* (*de Fibr. matri & morb. Append. Experim. de Bil. Nat. Usu & Morbis p. 241.*)

§. 146.

Tandem adhuc notandum censeo, quod retulit *Eb. Guer. Happel.* (*T. 1. Rer. Curios. p. 56.*). *Auff eines Todschlägers Kleider oder Hemde fallet kein Thau.* Idem me olim legisse memini de Terra, in quam sanguis humanus ab homicidis profusus est.

Lib. II. Tit. IIX.

De

Cadaverum Fragrantia.

Summarium.

1 C*Adavera fœtent, non tamen omnia.* 2. *Aſpis Cuſſo.* 3. *Cadavera absque fœtore.* 4. 5. 6. *Fragrantia.* 7. *Partes Cadaverum fragrantes.* 8. *Sepulchrum Moſis.* 9. *Chemica medicamenta fragrantia.* 10. *Abbas Moſes.* 11. *Fragrantia ſepulchrorum.* 12. *Pinguedinis Cadaverum ſubtilitas.* 13. *Balſama ſtillantia Cadavera.* 14. *Divinum quid.* 15. *Mariæ ſepulchrum.* 16. *Fragrantia ab Angeli præſentia.* 17. *Deorum Ethnicorum.* 18. *Gregorii M. & Nicephorii fides, eorumq́ relationes excutiuntur.* 19. *Omnem fragrantiam denegat Zacchias mortuis.* 20. *Præter Pantheram alia bruta bene olere contra Ariſtotelem aſtruitur.* 21. *Aves Moſchum redolentes. Piſces.* 22. *Homines.* 23. *Varius in his odor.* 24. Εὐωδία *Alexandri M. & aliorum ab adulatoribus ficta.* 25. *An ab Aſtris.* 26. ἰδιοσυγκρασία· 27. *Exempla fœtentium.* 28. *Judæi.* 29. *In his & Mahumedanis an S. Baptiſmate tollatur fœtor.* 30. *Non omnes Judæos fœtere.* 31. *Temperamentum.* 32. *Humorum corporis odor.* 33. *Cerebri ſuavis.* 34. *Sanguis an oleat?* 35. *Lymphæ odorem imprimit.* 36. *Bilis.* 37. *Temperamentum Alex. M.* 38. *Cur non omnes fragrent* 39. *Exoticæ tincturæ ſangvinis odorem mutant.* 40. *Sangvis in vaſis an aliquando fœtidus.* 41. *Sangvis V. S. emiſſi odor explorandus.* 42. *Cauſæ fœtoris.* 43. *Alimenta.* 44. *Allium.* 45. *Lepus marinus.* 46. *Hircus ſub alis. Venus immoderata.* 47. *Ab hac Lactis corruptio.* 48. *Ut & humorum aliorum.* 49. *Remedium ad hircum.* 50. *Magi & Sagæ naribus moleſtæ.* 51. *Ab aſſumtis odoratis bruta odorata.* 52. *Homines ex his moſchati.* 53. *Scy-*

Scybala odorata. 54. *An ab assumtis. Mercurialis.* 55. *Excrementorum s.v. odor qualis.* 56. *Ex certis cibis.* 57. *Fermenti ventriculi proprietas.* 58. 59. *Urinæ fragrantia.* 60. *Aquarum & fontium.* 61. *Conjectura.* 62. *Odor Urinæ è Therebinthina & aliis causis.* 63. *Moschus ab urina odorem recuperat.* 64. *Therebinthinata cur urinam odore inficiant.* 65. *Lapides odorati.* 66. *Per minima odor urinæ imprimitur.* 67. *A vestitu odorato odorati.* 68. *Fragrantia in vita an in morte duret? Multa ex Alex. M.* 69. *Ab assumtis in vita in mortuis deprehensa.* 70. *Cadaverum fragrantiæ causa latet.* 71. *Putredo qvid præstet?* 72. *Qua ratione.* 73. *Moschus.* 74. *Ambra.* 75. *Brutorum stercora an â putredine odorata.* 76. *An Moschus è Stercoribus Chymicè extrahatur?* 77. *Dubitat Kirstenius.* 78. *Negat.* 79. *Mellis aqua fragrans.* 80. *Speluncæ & Terræ bene olentes cadaveribus fragrantiam commodare possunt.* 81. *Iris plantas & arbores odoratiores reddere perhibetur.* 82. *Ligna putrescentia benè olere.* 83. *Balsama cadaverum examinantur.* 84. *Facultates.* 85. *Hircorum excoriatorum pelles. Buffalina vulva. Rosa. Hypericum.* 86. *Uni speciei odor obominabilis, alter gratus.*

§. I.



Quod olim de valle Amsancti in Hirpinis cecinit *Maro (l. 7. Æneid. v. 84.)*

Sævam exhalat opaca Mephitim.

Add. *Joh. Jovian.* (*l. Meteor. p. 268.*), Idem & nos de Cadaveribus, & eorundem capsis, scriniis & sepulchris, in quibus tanquam terræ uteris reponuntur, pronunciare possumus. Sunt namque putredinis Gymnasia, Insectorum fœtidorum delubra, omnigeniqve denique putoris horrea. Habitant hic narium pestes & visus & linguæ. Retulit *Petr. Damjan. Cardinalis* (*Epist. 3. ad Blanc. Comit. c. 10.*) de duorum *Marchiorum Ugosonis* sorore & *Rainerii* filia ex abortu mortua, in Abbatia *S. Christophori Martyris* condita in sepulchro â Cœmentariis probe undique occluso, quod nihilominus per annum integrum tanta fœtoris illuviem exhalavit, ut tolerari vix posset, nec fratres quiescere in tota illius claustri medie-

tate permitteret. Triumphant tamen aliquando de ipsa putredine cadavera & amœnum quid fragrant, ut è feretris delicatus & suavis surgat vapor,

Vincens odorem balsami, thuris, Croci,
Auras madentes Persicorum aromatum.

(*Prudent. Peristeph. in Roman. Martyr. Suppl. p.m.* 211.

atque omne benignè.
Virus odoriferis Arabum quod crescit in hortis.

Hic poterit squalorem aptus detergere, spiritus profugos revocare, & subversum Stomachabundumque Stomachum (*de quo Helmont. tr. Custos errans n.* 46. *p.* 212.) mulcere.

§. 2.

Nonnulli Aspidis speciem dari volunt in Cypro, *scribit illustris Noster Lucas Schroeck. L. F.* (*Hist. Mosch. c.* 47. *p.* 221.): Cuffo patria voce dictam, quæ moritura Moschi odore fragret. In moriente fragrantiam spiravit lotium, *teste Th. Bartholin.* (*Cent.* 4. *Hist. Anat.* 78: *p.* 388.)

§. 3.

In mortuis vero id observatum quam sæpissime. Quod *Isidorus Clar.* post mortem non halaverit grave virus, inter singularia reputavit *J. A. Thuanus* (*l.* 26. *Histor. Mosch. c.* 47. *p.* 221.), & quod è corporibus Patrum Kijoviensium nullus omnino odor nec fœtor habet. *Joh. Herbinij testimonio* (*de Ergat. Kijov. c.* 11. *p.* 107.) Rutheni. Non ingratum odorem spirasse *Episcopi Labacensis Sigismund.* Corpus ante annos 190. sepultum præsens cum effoderetur, *animadvertit Joh. Weichard. Valvasor* (*l.* 8. *Carinth. f.* 3. *p.* 659.)

§. 4.

Vulnera optimi Salvatoris GHRISTI post mortem & resurrectionem mira fragrantia excelluisse *Ludovicus de Ponte* (*Comment. in Act. Apost. c.* 1.) scripsit, sed nescire hoc nos voluit sacra Scriptura. *S. Stephani Protomartyris, Nicodemi, Pauli Apostoli Præceptoris Gamalielis, & Abitonis filii ejus* corpora cum plus minus trecentis sexaginta annis propè Hierosolymam in valle, ut videtur Josaphat in obscuro & sordido loco jacuissent, *sub Honorio Imperatore* cœlesti revelatione monstrata, & suavi odore fragantia inventa *ex Aliis* recitat *Christ. Adrichomius* (*Theatr. Terr. Sanct. p.* 152.) *Hesychius Hilarionis* Cadaver post decem fere menses Majoniam deferens condidit, illæsa tunica cuculla & pallido & toto corpore, quasi adhuc viveret integro tantisque fragrante odoribus ut delibutum unguentis putaretur. (*S. Hieronym. T.* 1. *oper. in vit. Hilarion. f.* 116. *a.*). Ipsius *Hieronymi* corpus cum non pollingeretur, fragrantissimum odorem exha-

exhalavit, qui per aliquot dies non modice duravit. (*Allegat. Isaac. Causabon. ad Pers. Satyr. 1. p. 87.*). Idem de *Bedæ* exuviis *Sturm.* (*Calend. Sanctor. p. 408.*). De *Onuphrii Marulus* (*l. 5. c. 10.*). De corporibus *Polycarpi* & aliorum Martyrum *D. Christian. Korthold. meus olim in alma Salana in philosophicis Doctor dexterrimus* (*l. de Persecut. Eccles. prim. c. 5. §. 23. p. 168.*)

§. 5.

De *S. S. Gervasio & Prothasio* Idem *Henric. Kornmann.* (*p. 4. m. m. c. 16.*). De *B. Bonfilio*, uno ex ordine Servitorum S. Mariæ Anno 1231. Florentiæ florente & septimo post anno eum secuto filio primigenito, *Henric. Engelgrave* (*part. 2. Luc. Evang. p. 68.*) quod post decantatas Deiparæ laudes uterque miram â morte reliquerit fragrantiam, memorat. De *S. Feliciani* corpore post triennium à morte è tumulo proscripto incorrupto & fragrante *P. Dan. Barthol.* (*p. 3. Hist. Asiat. l. 3. p. 345.*). *De Wilhelmi Episcopi* reliquiis hæc *Saxo Grammaticus* (*l. 12. Hist. Danic. p. 216.*): Fossa ad solidum humo incorruptam Antitistis togam inter adesa solo ossa reperiunt. Quibus sublatis tanta fragrantiæ vis sine ullo autore ad circumstantium nares, veluti è beato quodam unguentorum fonte, manavit, ut nemo cœlo potitum ambigeret, cujus cineres tam mira terrestrium odorum suavitas perfudisset. Ipsas verò contrectantium manus tanta odoramenti pertinacia astrinxit, ut ipsum triduo balneis ac lavacris attentatum abolere nequiverit, *D. S. Antonii de Padua Anonymus* (*de Stat. Ital. Mod. p. 3.*) *de Anachoreta Maimone Gabriel Bucellin.* (*Histor. Sacro-profan. p. 153.*) de *Ludov. Bertrando S Georg.* De *S. Francisci de Paula iterum Kornmann.* (*c. l. c. 23.*) De *P. Didaco Ruiz, d' Ortiz. Erasm. Francisci* (*p. 3. Hober Trauersaal Hist. 26. n. 24. p. 739.*). De Religioso Laico ordinis *S. Francisci, oculatus testis Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. q. 34. n. 9. p. 406.*). Quid novellæ *Anni 1670.* Venetiis Lipsiam missæ & *à Ritschio* excusæ memorarint quorundam forsan adhuc memoria tenetur. In gratiam posteritatis, si qua speranda & hæc ad illam pertingant, ipsa subjiciam Relationis verba: *Es haben die Türcken im Ausputzen der Gräber* (*für Candia nach der Eroberung*) *einen Toden, aber noch gantzen Cörper, Barfüsser Ordens gefunden, welcher einen so starcken und lieblichen Geruch von sich geben, daß sie es alle für ein Miracul gehalten, und also den Groß-Vezier fürbracht, welcher solchen der Griegischen Nation in S. Nicolai Kirchen zu verehren, geschencket.* De ossibus *Gualtheri Brunensis* balsamum redolentibus *Jac. Aug. Thuan.* (*Hist. l. 131.*)

§. 6.

Quod de *Francisco Xaverio Apostolastro Japponico* narrent Papicolæ, ex *Aliis*

B. J. C. Danhauer. (*part. 2. Homil. Orat. Doctoral. 3. p. 699.*) egregiè depinxit. Adeundus est *P. Maffæus* (*l. 15. Histor. Indic. p. 306. sq.*). *Phil. Baldæus* (*l. 1. Beschreib. der Küste Malabar. und Coronandel c. 13. p. 74.*). Phœbum, ut res clarior fieret, solicitavit suum *Bohusl. Aloys. Balbin.* (*l. 4. Exam. Meliss. Epigr. 36. p. 116.*) & cecinit;

Vivus Alexander gratum spargebat odorem,
Tam bona temperies cordis & oris erat.
At Xavier roseos post funera spargit odores,
Dicite, uter vobis sit mage mirus odor?
Rex sordet moriens, qui tam bene vivus olebat,
Qui bene olet moriens, hic bene semper olet.

Facit ad miraculi Majestatem, quod miasmatum istorum suavedo non solum astantium demulceat Nares, sed & activitate miraculosa in distans ad stuporem se diffundat. Ad aliquot namque milliarium distantiam excurrere hanc fragrantiam, ex incolis accepit *Joh. Albert. Mandelsloh* (*l. 2. Itinerar. Oriental. p. 127.*)

§. 7.

Quod ad partes Sanctorum, Barii olet suavissimè brachium *S. Gregorii Nazianzeni*, & Neapoli in DEIparæ Virginis Annunciatæ Basilica afflant Paradisi suavitates caput *Sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris.* Mamilla *vero Sanctæ Agathæ Virginis & Martyris*, quæ intra Sacrarium est Basilicæ *S. Petri* in Galatino miscellaneam fragrantiam rosarum, violarum, liliorum, laurorum; & nunc horum, nunc illorum exerere solet, quasi odorem agri pleni. Diceres adhuc S. Petrum hujus beatissimæ Virginis mammillas curare, ac eis cœli suaveolentiam conferre. Hæc *ex Aliis Henric. Engelgrav.* (*p. 1. Cœl. Empyr. p. 553.*)

§. 8.

Sepulchra Sanctorum etiam gratiosum illum halitum sæpius sparsisse annotatum est. Non possum me continere, quin huc referam *Georgii Hornii* (*Histor. Ecclesiast. p. 364.*) relationem, quam etiam allegat *Celeberrimus Joh. Christ. Becmann.* (*Diss. de Sangu. Prodig. c. 3. §. 7. p. 34.*) & ita habet; Rem nunc exponam non minus tradentium multitudine certam, quam ipso facto & eventu mirabilem. Quippe nostro tempore non defuerunt, qui sepulchrum *Mosis*, quod ipse DEUS absconderat, repertum fuisse traderent. Anno 1655. mense Octobri Maronitæ quidam Pastores capras in montibus Nebo & Abarim pascebant, quodcunque frequenter observarent, quasdam capras duobus tribusve diebus longius à grege exspatiari & abesse, reduces vero pilis admodum suaviter odo-

odoris esse; visum scrutari rem tàm miram. Ergo ducibus capris ad præcipitia immanis profunditatis pervenerunt, intra quæ vallem, brevi circuitu sed amœnissimam, invenerunt, in quam difficillimus per rupes, terræ motu, ut videbatur hinc inde convulsas, descensus dabatur. Ibi reperta cavea suavissimi odoris, & in ejus medio sepulchrum ex vivo saxo literis quibusdam inscriptis. Ipsi Pastores cum stupore egressi latè odorem de se sordidisque cætera vestimentis spargebant, & rei novitate, commoti Patriarchæ Maronitarum in monte Libano & Monasterio *S. Mariæ*, quod *Kanobeen Kadischa Mirjam* vocant, habitanti nomine *Madaxat*, cuncta quæ viderant, quæ repererant, nunciarunt. Fidem faciebat odor inusitatæ suavitatis. Ergo missis eò duobus Sacerdotibus, quos inter *Alben-Useph, Doctrina ac prudentia excellens*, monimentum repererunt, cui literis Hebræis inscriptum: *Moses Servus Domini*. Exhilaratus tanti, ut videbatur, miraculi magnitudine Patriarcha, *Bassam Damasci, Morat*, precibus solicitat, ut sibi custodia reperti sepulchri committeretur. Sed Græci, & Armenii & Franciscani, ac denique Judæi se iis opponere ac ipsi inter se discordes pecunia & largitionibus in aula apud Muffim & Visirium certabant de sepulchro, ut putabant, *Mosis* reperto. Præcipue Judæi contendebant, sepulchrum *Mosis* ad se spectare & nihil gloriosus inter titulos Imperatoris Turcici fore, quam quod sit Dominus trium sepulchrorum Muhamedis Meccæ, JESU CHRISTI Hierosolymis & Mosis in monte Nebo. Sed Jesuitæ cunctorum conatus suis artibus illuserunt, ac magnis muneribus impetrarunt: ut sepulchrum & ipse aditus occluderetur, ac ne cuiquam sub pœna mortis ad illud accedere liceret. Ita *Morat Bassa* missis Sangiaco Jerosolymæ & Saphettæ montes obstrui & sepulchrum claudi jussit. Ipsi vero Jesuitæ inita cum Drusis conspiratione corpus Mosis clam auferre ex sepulchro & in Europam deportare nitebantur, magnam inde ordini suo sanctitatem & immensas opes haud vanè promittentes. Jamque sepulchrum ipsum multo labore aperuerunt, cum vacuum illud & sine ullo corpore aut reliquiis inveniunt & dum inter se attoniti mussant, dum vel totum sepulchrum, vel quia id fieri non poterat ob molem, partes ejus auferre, secum deliberant, res intereà prodita Sanziakis Hierosolymæ & Saphettæ, qui cito missis sub *Jaser Aga* Equitibus in ipso conatu Jesuitas male mulctatos oppresserunt, & ipsum sepulchrum ingentibus saxis, ut imposterum inaccessum foret obstruxerunt. *Hæc Hornius*. Sunt, qui non *Mosis magni* illius Prophetæ, sed alterius *Mosis Majmonidis* è Rabbinis celeberrimi, de quo illud A *Mose* ad *Mosem* non fuit sicut iste Moses, & quamvis ille in Ægypto mortuus A. C. 1205. dicatur, tamen hunc, cum Medicinam etiam professus fuerit, discipuli

po-

potuerunt conditura honorare & in montem Nebo transportare, juxta *Joh. Christoph. Wagenseilii* (*in Sota p. 326.*) conjecturam, à qua etiam balsamatione loci fragrantiam deduxit *ap. W. E. Tenzel.* (*Monathl. Unterredung M. Februar. 1692. p. 142.*) ubi & è *Julio Bartholoccio* (*T. 3. Bibliothec. Rabbinic. n. 1032.*) in hanc plura eaque egregia.

§. 9.

Ex illo suaveolenti & odoratissimo halitu aliquid Chemici extorqueri posse, quod similes pene odores polliceatur Chemia, non obscurè sibi subodorasse videtur *O. Borrich.* (*Disc. de Ort. & Progr. Chem. p. 48.*). Omnipotens illud Menstruum, ut vocatur Alcahest ab *ingenioso nostro Joh. Dan Majore* (*Tr. Genius Errans c. 19. T. 4. b.*), de quo *infra* (*l. 3. Tit. 3. §. 112.*), Analyticis Chemicis fœtida in suaveolentia mutare creditum. Chemici, & inter illos *Andreas Tenzelius* (*Exeges. Chymiatr. p. 498.*) quædam medicamenta odorum & virtutum suarum originem non ex natura, sed per compositionem & digestionem consequi credunt. Aqua vitrioli (*inquit*, quod quidem *è Paracelso T. 1. oper. l. 7. Archidox. f. 813. hausit*), cum sale ammoniaco destillata musci refert odorem, quorum tamen similem (*Contrarium infra §. leges*) per se neutrum habet, vel etiam, ut spiritus vini cum sale Tartari & Vitrioli destillatus fragrantiam pomorum odorem spirat, quo tamen nullum illorum, (de manifesto si loquitur, assentior, minime si de latente cum primis in Metallis & Mineralibus, ut illa de Arsenico historia *Ott. Tachenii Hipp. Chym. c. 24. p. 213. & S. Joach. Beccheri supplem. in Phys. Subt. 1. c. 5. p. 98.* de Mercurio cum Auro amalgamato curiosè evincunt) per se aliàs præditum est. Spiritus vitrioli, ut ab Astris in destillatione odorem Rosarum acquirat processum, *Joh. Agricola* (*Tr. de Vitriol. p. 554.*) delineat. Spiritus è capite vitrioli mortuo ab aura imprægnato, eductus grato odore & sapore se commendat, qui olim *Præceptori meritissimo Dn. D. Christiano Langio*, *Cephalicus* dicebatur. Salia volatilia quomodo aromaticam acquirant fragrantiam dulcedinemque, docuit *Rob. Bayle* (*Experiment. Phil. Angl. 11. p. 59.*). De Chemico omnia salia fixa volatilisante, & citra Moschi additionem ad Moschi fragrantiam exaltante laudatus *Dn. D. Luc. Schrœck.* (*c. l. c. 47. p. 223.*), ut inde nil miri subesse credam, si & spiritus sanguinis humani, juxta *Excell. Joh. Dolæum* (*l. 1. Encyclop. M. c. 9. p. 139.*) gratum habeat odorem. Ex aëre etiam aliquando ejusmodi Chymica odorem attrahere Oleum Tartari, *Kenelm. Dygbæum docuit* (*Orat. de Pulv. Sympath. p. m. 98.*) quod odore Rosaceo fragrabat, cum eo tempore, quo Rosæ florebant pararetur, qui odor tamen perpetuus non est & constans, singulis tamen annis, Rosis florentibus, postlimi-

niò quasi revertebatur. Aliam rationem *ap. Joh. Marc. Marci* (*Philos. vet. restitut. p. 5. Subsect. 8. p. 513. sq.*) legere poteris.

§. 10.

Ut ad tumulum *Mosis* redeam, *Franciscus Ferdinand à Troilo* (*Itinerar. Orient. p. 340.*) notavit, non procul â mari mortuo Monasterium & Templum inveniri, quod S. Mosis vocatur, jam à Turcis in Moscheam transformatum, in quo *Moses* sepultum etiam Turcas credere asseruit. Errori originem dedit, quod olim Monachi Mosaici, ut vocat, ibidem habitarint, quorum *Abbas Moses* nominatus ibidem terræ mandatus quiescit.

§. 11.

Cæterum de fragrantia è Tumulo *S. Othmari Ison Magister ap. Melch. Goldast.* (*T. 1. Rer. Alemann. p. 2. p. 285. & 289.*) *ex Maroli Monachi Romani* sepulchro anno decimo quarto ab ejus obitu aperto, *Gregorio Magno* (*l. 4. Dial. c. 11.*) *notante*, incredibilis odoris suavitas exspirabat.

§. 12.

Cadavera pinguiora adiposam aut oleosam potius profundere materiam, nemini non notum. Tenuissimæ esse pinguedinem illam substantiæ, demonstrat *Hier. Cardan.* (*l. 12. de Subtil. p. m. 649.*), Sepulchro, *scribit*, *Ducis Alexandri Florentiæ*, quod cum ex candidissimo marmore crassoque constaret, pinguedine tamen cadaveris transeunte fœdatum est maculatum in eam guttulis columnarum. *Alphonsi* quoque *Avali*, (*addit p. 650.*) quanquam medicamentis plurimis, tum sale ac sabulo siccatum esset Cadaver, pinguedo transmeans plumbum, in subjectas è loculo petras decidens, eas fœdavit.

§. 13.

Hæc tamen exstillans pinguedo dubio procul rancore & fœtore astantium vulneravit nares. Martyrum vero & Sanctorum corpora unguenta stillant & Balsama. Unguenta Martyribus effusa (*scribit Martin. de Roa part. 1. Sing. Locor. ac Rerum S. S. l. 7. c. 22. p. 660.*) unguenta quoque illi profundunt ad pellendos morbos miræ virtutis. Fidem faciunt *B. Andreæ*, *Nicolai*, *Glyceriæ*, *Laurentii & Sociorum*. *Eufemiæ Euthimii Abbatis*, *Elisabethæ Hungaricæ*, aliorumque sepulchra, quæ partim antiquitus, partim nunc unguentis scatent. Jungit præfatis è *Mart. Radero Martin Zeiler.* (*p. 2. Epist. 528. p. m. 776.*) *S. Matthæi Apostoli*, *Elisii*, *S. Johannis Eleemosynarii*, *Catharinæ Walpurgis Teresiæ*, *S. Nicolai*. *Henric. Kornmann.* (*p. 4. de m. m. c. 128.*). De *S. Catharinæ* tumulo *Bohusl. Aloys. Balbin.* (*c. l. Epigr. 5. p. 107.*)

Nescio num tumulo sit viva an mortua virgo,
Sunt & qui tumulum vivere posse putant.
Præsentis certe faciunt opus omnia vitæ:
Lac, oleum, corpus, lumina, saxa, solum.

Et *Epigrammate præcedenti:*

Hoc differt quia verme caret vivitque perennis,
Et vermes oleum, quo fluit unda, necat.

De *B. Glyceria* etiam *Jacobus Bosius (l. 6. de Triumph. Cruc. c. 6. p. 553.)* cujus unguentum, *teste Nicephoro (l. 18. Hist. Eccles. c. 32.)*, vasculo magicis artibus olim consecrato exceptum fluere desiit. Sepulchrum *Walpurgis* in Bavaria hodie dum liquore stillat, qui tamen apud Blasphemas collectus evanescit, quod narrat *Jacob. Masen. (l. 7. Specul. Imag. Occult. Verit. c. 77. n. 29. p. 988.).* De reliquiis Sanctorum quadraginta Martyrum in unguento quasi natantibus, iterum *Nicephorus (l. 14. c. 10. col. 868.).* Quare & in sacris Lipsanis multum confidentiæ, curam morborum quod spectat, Romano-Catholicis, prout è *Michaële Baldit. (Specul. Sacr. Med. Angul. 5. p. 176. sq.)* patet, & Russi reliquias & ossa Sanctorum potui ignorantium *(teste Adamo Oleario l. 3. Itin. Musc. Persic. c. 30. p. m. 313.)* eum ob finem indunt. E Poëta *(in fastis metricis)* sequens recitat *Job. Ludolf. (Comment. ad l. 3. Hist. Abessin. c. 3. n. 29. p. 293.)*

Salutem dico Episcopis qui catervatim convenerunt,
Ut in augurarent Adem
Sergii, qui tunc ostendit per virtutem suam
Oleum (instar) unguenti suaviter naribus omnium dans,
Quod usque in hodiernum diem è Cadavere ejus profluit.

Plura (§. *84.*) *infra.*

§. 14.

In veritatem & causas admirandi hujus phænomeni inquirentibus Romano-Catholici, non è *Democriti* puteo, sed ipso æterno divinæ Majestatis abysso eas hauriendas esse aures vellicant. Sternutat ipse *Gregorius M. (c. l. c. 13.)* & qui ipsum citat *Rob. Bellarmin. (l. 2. de Art. Moriend. c. 15. p. 224. & l. 4. de Ætern. Felicit. p. 172. cap. 7.)* dum JESU omnis suavitatis autoris (cujus corpus ob excellentissimam perfectissimamque humorum Symmetriam omni Stacte, Balsamo, Nardo, Ambra & Moscho fragrantius extitit) sacrorum Angelorum & Sanctorum gravatis piorum moriturorum astantium præsentiæ id tribuere non veretur. *Vincentius Martyr.* Christi in carcere præsentiam inter alia etiam præsagiebat *apud Prudentium (Peristeph. Hymn. in Laud. Vincent. Martyr. v. 280.)*

— *Redolente Nectar carcere.*

Idcirco *refert Gregor.* (*Homil. 15. in Evang. de Serv. Paralyt.*) moriente *Servulo* paralytico in cœlo audita fuisse cantica Angelorum & odorem mirificum effusum. Idem narrat de *Romula* ancilla DEI ingentem animarum Sanctarum de cœlo ad eum venisse numerum, cum inæstimabili claritate luminis, & suavissimi odoris fragrantia. De amita sua *Tharsilla* febri correpta demum recenset, quod ad extrema deveniens JESUM ad se venientem viderit, & in eum intendens exspiraverit. Tantam autem odoris fragrantiam in eò loco relictam fuisse, ut ipsa quoque suavitas ostenderet, illic autorem suavitatis fuisse.

§. 15.

Spectant huc, quæ *de Maria Deipara (è Juvenale Episcopo Hierosolymitano recensuit) Nicephor.* (*l. 2. c. 23.*): Sacer Chorus Apostolorum, absente *Thoma*, cum totum triduum ad monumentum (*Mariæ*) perseverasset, iniquum esse judicans, si ille *Thomas* divinum virginis matris corpus non spectaret, atque conplecteretur, aperiri monumentum jubet. Quod quidem, ubi ita factum est, desideratum illud corpus non comparuit. Sepulchralia tantum lintea ritè composita loco suo manebant: itidem ut filii quoque ejus in sepulchro relicta. Quæ & ipse, & qui cum eo aderant, cum veneratione exosculati, incredibiliq; voluptate, & odoris suavitate repleti sepulchrum quidem ad pristinum conformant modum: Miraculum autem ipsum, quasi per manus subinde posteris traditum, ad nos transmiserunt. In Sardinia in Templo noctu splendores fulgentissimi visi, auditus harmonicus suavisq; concentus, fragrantissimus ac suavissimus ibidem demum odor, visus etiam *Gabinus* facie lucida & splendente, recitat *Jacob. Pinto* (*l. 2. de Christ. Crucifix. Tit. 4. l. 9. p. 442.*)

§. 16.

Quare, ut fœtorem post se relinquere creditum Cacodæmonem, quod advertit *Joh. Manlius* (*Collectan. p. m. 44.*) & *Joh. Gödelmann.* (*l. 1. de Mag. Venef. & Lam. c. 3. n. 8. 9. p. 24. seq.*), qui & in convivio nuptiali aliquando convivas merdis inquinasse, *ap. devotum Christ. Scriver. (im verlohrnen Schäflein not. ad Conc. I. §. 25.)* legitur, ita & suaves odores, præsentis alicujus divinitatis omen, ut notat *Hieron. Cardan.* (*l. 13. de Subtil. p. 694.*), cum odor bonus absque causa sentitur. Respexisse ad id mihi videtur,

Maroni

Syncerus Musa proximus, ut tumulo.

Ant. Sincer. Sannazar. quando (*l. 1. de Part. Virgin. v. 105.*) *Angeli Gabrielis ad Mariam Deiparam* ingressum his poëtico delineavit filo:

Cum ſubito ex alto juvenis demiſſus Olympo
Purpureos tetigit vultus, numenque profeſſus
Inceſſuque habituque ingenteis explicat alas
Ac tectis latè inſuetum diffundit odorem.

Et corpora Sanctorum, *ſubjicit Cardan.* cum cætera fœteant, bene olere creditum eſt, vi divinitatis adverſus naturæ decreta pugnante. Nihil naturale in ſe habere ejusmodi phænomena, decrevit *Paul. Zacchias* (*l. 4. Quæſt. Med. Legal. Tit. 1. qu. 10. n. 38. p. 366.*)

§. 17.

Ad eundem ferè modum Ethnici Diis ſuos bonos tribuebant odores, ut tradidit (*l. 3. Hort. Aromat. Bibl. p. 286.*) *Joh. Henr. Urſin.* adducendo illum *Ovidii* locum:

Tenues ſeceſſit in auras
Manſit odor poſſes ſcire fuiſſe Deam.

Deos vertice odorato fingebant divina quædam ſuavitate aërem præ ſe complere; commentatur (*in Claudian. de Nupt. Honor. & Mar. v. 239. p. 838.*) *illuſtris Caſp. Barth. De Apolline Callimach.* (*in Hymn. Apoll. v. 38.*)

Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδα λείβουσι ἔλαιαι
Οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι.

Quod ita vertit *Nicol. Friſchlin.*

Et coma odoriferum terris inſtillat olivum
Haud adipem Phœbi demiſſi à fronte capilli.

De Venere Virgil. (*l. 1. Æneid. v. 407.*)

Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere.

Ubi Ambroſias comas Deorum unguento Ambroſia oblitas explicavit *Serv.* (*in h. l. p. 183.*) *add. Joh. de la Cerdam* (*in h. l.*). De *Iſidis* fragrantia *Plutarch.* (*l. de Iſid. & Oſirid. p. m. 50.*)

§. 18.

Quæ ex *Gregorio* & *Nicephoro* adducta Theologorum fidem & ſuffragia non merentur. Sunt ex primariis noſtris Theologis, inter quos *Frider. Balduin.* (*l. 3. Caſ. Conſcient. c. 7. p. 617.*), qui dubitant, utrum allegati *Gregorii M. Dialogi* genuinum ſint ſcriptum, & ſi hoc ex adverſariis, inter quos *Melch. Canus* (*l. 11. Loc. Theolog. c. 6. p. 337.*) eundem in recenſendis miraculis labi, & vulgo interdum indulgere, non diffitetur. Secundum *Dav. Chamier* (*T. 2. Panſtrat. l. 20. c. 4. §. 10. p. 405.*) ridicula & vix fungis digna iſte collegit, quin &

& *juxta Joh. Dan. Erastium* (*l. 3. Apanthism. c. 10. p. 559.*) putidissimas fabulas. Add. *Anton. Possevin.* (*in Apparat. Sacr. p. 603.*). De Nicephoro *B. J. C. Dannhaueri* judicium (*p. 1. Homil. Sacr. 3. p. 426.*) legi meretur, dum perorat: Hæc *Nicephorus Calistus*; at qualis ille ac unde domo? Græcus, novitius, ex se natus. Sicut Delii olim salvis rebus alentes quæstus causa gallinas ovis inspectis interrogarunt, e quibus essent gallinis parta; ita de Relationibus hujusmodi quæri debet, à quo homine provenerint? Si à *Nicephoro?* Satis est dixisse, Græcus est. Quid? quod suspicari in proclivi esset, odorem istum ab unguentis & floribus sparsis cum ex Sion in Gethsemani Apostolicis *Mariæ* Cadaver gestantibus manibus ferebatur, ut etiam refert *Nicephorus* (*c. l. c. 22. col. 114.*), profectum non ab ipso corpore. Neque fragrantis istius exspirationis meminit, quam ex *Damasceni de Dormitione S. Deiparæ libro* excerpsit *Henric. Kornmann* (*p. 3. de m. m. c. 9.*) traditio. Judæos aromatibus mortuos suos composuisse, *Nicodemi* & *Josephi* studium in conditura SALVATORIS nostri comprobat, eosque Aromata odoresque sepulchris olim inseruisse *Joh. à Chokier de Surlet* (*Fac. Histor. Cent. 2. c. 78. p. 327.*) indigitat, an verò id rectè è *Plinii* (*l. 13. c. 1.*) loco probet, est quod dubito. E re etiam in Papicolarum Sanctis curiose nares in Consilium vocare, & exquirere cum Cleri fraudulentia simplicioribus facilè imponat, fragrantiamque fingat, ubi nulla est. Exemplum recitat *Gabr. d'Emiliane* (*Itinerar. Epist. 1. p. 18. sq. & Epist. 4. p. 319. German. edit.*) *Wilh. Ernest. Tenzel.* (*Colloq. menstr. 1697. p. 72.*). *Cardan.* cum non tam ex propria quam aliorum & vulgi ratiocinatione loquatur, parum nobis facesset negotii. Oleum, *S. Catharinæ* dictum, è Cadavere *S. Catharinæ*, quod è Cœnobio ad S. Salvatorem in monte Sinai asservatur, describunt *Vincent. Bellovac.* (*l. 13. Spec. Hist. c. 8.*) & *Petr. de Natal.* (*l. 10. Catal. Sanct. c. 105.*), sed hoc unquam stillasse, ipsi Cœnobitæ dubitant. Et ex quo curiosiore inquisitione peregrinantes uti sueverunt, manare desiit, *Vid. das Reise-Buch des H. Landes* (*f. 165. & 365.*) *confirmante id etiam Francisc. Ferdinand. à Troilo* (*c. l. p. 381.*), quum talem sanctam, qualis à Pontificiis describitur, in rerum Natura unquam extitisse multi dubitarunt. Inter quos *Georg. Cassander* (*in Hymn. Eccles. Not. ad Hymn. de S. Catharin. p. 302. sq.*)

§. 19.

Quando *P. Zacchias* omnem fragrantiam cadaveribus denegat, dum dictitat: Nec secundum Naturam possibile est, humanum cadaver recens non malè olere, at bene olere, inquam ego est impossibile; quia bonus odor ex calore naturali in cadavere emanare non potest, quia is aut nullus, aut exiguus, ex

ex calore autem putredinali, quomodo bonus odor emanavit; in eo nunquam nos inveniet assentientes, cum in contrarium rationes & experientiæ, nostro judicio, suppetant evidentissimæ præstantissimæque. Has vero cur reticuerit *bonus ille Zacchias*, est quod summoperè miror.

§. 20.

Dixit quidem *Aristoteles* (*s.3.probl.4.*) nullum animal suaviter olere, excepta Panthera, quas in Pamphiliæ parte, aromata copiosè proferente, ex Armenia aromatum, quibus gaudet, odore eò prolectas, non semel captas notavit *Philostrat.* (*l.2.de Vit. Apollon.p.m.53.*) olea autem bestiis non homini, quo sc. odore allectas venetur, & perimat, sequitur *Aristotelem* discipulus *Theophrast. Eresius* (*l.6.de Caus. Plant. c. 5. & 26.p. 235. & 252.*). Conf. *Ludov. Septal.* (*in Alleg. Aristot.probl. p. 233. sq.*). Vulgatissimum tamen illud Mustelæ genus, quod Martem vocant, eundem refutat (*Guilielm. Renod.* (*l.3 de Mat. Med. c. 15.*). In Italia muris genus, Muscardino dictum, Moschi odorem præ se fert, de quo *Ulyss. Aldrovand.* (*l 1. Hist. Quadrup. Bisulc. c. 20.*). Ejusmodi mures in Muscovia *Just. Frid. Klob.* (*Hist. Ambr. qu.7.p.71.*) in India reperiri, & *Andr. Libav.* (*p.3. Singul. l.4.c.1.p.311.*) notarunt. De Elephantis in Indiis orientialibus narravit *F. Gregorius è China* redux *Joh. Fabro Lynceo*, (*Vid. in Nard. Anton. Recch. Animar. Nov. Hispan. Exposit. p. 564.*) suavissimum Moschi odorem exhalare, quem cum voluptate quis percipiat, si cubicula eorum, ubi in umbra detinentur, ingrediatur. Quotiescunque autem operis adhibiti in sole versari coguntur, sudor ipsis erumpit, tam suaveolentis moschati odoris, melleæque consistentiæ, ut à longe muscas omnes ad deprædandum alliciat, quæ turmatim confluentes miserum animal mire divexant. Et paulo post. Si quis sudorem illum conchyliorum testis, quod Indis facere consuetum est, detergat, & in vascula corrivet, moschi odori minimè cedentem & suaveolentem naribus succum lucratur. De Cercopitheco, qui nihilo insuavius, quam quodvis Moschum fragrat *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 211. s. 2.p. 676.*). De Hyæna odorifera *Petr. Castell.* (*Tr. proprio*). Pilos in fronte bovis sylvestri Moschi odore potentes deprehendi. Caudam vulpis suavi odore violaceo & moschato, *Th. Bartholin*, Regis Daniæ sylvarum præfectus narravit. (*Vol. 1. Act. Hafn. p. 1. obs. 58. p. 117.*). In cujus causas inquisivit *Casp. Bartholin. Th. F.* (*Exerc. Miscell. 4.*) ab eodem allegatus (*Vol. 3. Act. Hafn. obs. 21. p. 34.*)

Denique amaricinum fugitat sus, & timet omne
Unguentum.

Lucret. (*l. 6. de Nat. Rer. v. 973.*) cecinit, in proverbio locum dedit veteri: Nihil

hil cum amaracino ſui. Quid vero obſervarit *Celeber. Mich. Bernh. Valentini* (*Polychreſt. Exotic. Diſput. 3. c. 1. §. 1. p. 31.*) accipe: Glandulas Moſchatas hic adferre liceat, quas unusquisque in porcellorum aſſatorum (*vulgo Spanferckeln*) oculis obſervare poterit, quæ dentibus comminutæ ſaporem & odorem Moſchi tàm exactè referunt, ut Galliam moſchatam quis ori inſinuaſſe videri poſſet.

§. 21.

Quod ad Aves moſchiferas; cariores illæ exiſtunt & rariores. De Ave Indica moſchum redolente *Hieron. Cardan.* (*l. 7. de Var. Rer. c. 34. p. 350.*). De inſectis vaginipennibus *Petr. Caſtell.* (*c. l. c. 2. p. 13.*). Vermiculi granorum Kermes, toto triduo ante & poſt mortem odoris ſuavitate nares deliniunt, ut non Zibethæ, non Moſcho, non Ambræ, ſed ne Citrinorum quidem floribus facile conceſſerint, *teſte Quinquerano* (*ap. Carol. Cluſ. l. 2. Rar. Plant. c. 15. p. 25.*). Eſt & Neptuni gregibus ſua fragrantia. Piſciculus in noſtra Normannia naſcitur in Oſtio Sequanæ, ſcribit *Adrian. Turneb.* (*in Annot. in Theoph. l. de Odor. p. 25.*) ad maris æſtuaria ferè Aquarum generis violam redolens. Epelarum vocamus. De alio *Th. Bartholin.* (*c. l. p. 284.*). Ova piſcis Ackari Moſchum ſapiunt, *refert Euſeb. Nirenberg.* (*l. 11. Hiſt. Nat. c. 6. p. 246.*). Carnem Oſtrei margaritiferi ſuaviſſimi odoris pronunciavit *Chares Mitylinæus ap. Athenæum* (*l. 3. Dipnoſoph.*). Crocodili etiam à tergo Caſtoreum & Moſchum redolere obſervat, annotat *Petr. Martyr.* (*Decur. Ocean. 3. l. 3. f. 51. a.*) *Th. Bartholin.* (*Cent. 6. Hiſt. Anat. 52. p. 283.*) & *Sam. Bochart.* (*T. 2. Hieroz. l. 5. c. 17 p. 786.*)

§. 22.

Ad homines devolvor ſingulari fragrantia commendabiles. Eſavi corpus adeò fragrans fuiſſe, ut veſtes inficeret eodem odore, *Andr. Libav.* (*de Cruent. Cadav. ad theſ. 283. p. 382.*) autor eſt. Sed cum aliter id explicent ſacrarum literarum interpretes, ad alios propero. Agmen horum ducit *maximus ille belli Dux Alexander*, de quo (*in Alexandr. & Cæſ. p. m. 447. & l. 1. Sympoſ. qu. 6. p. 169.*) *Plutarchus*, ſuaviſſimum odorem ex ore & univerſa ejus carne exhalaſſe, ita, ut & tunicæ fragrantia inde repletæ fuerint, in *Ariſtoxeni* legimus *commentariis*. *De Leopolemo* ſuo (vere an poëtico & amatorio dicendi genere, non diſputo) *ap Apulejum* (*l. 8. Metam. p. m. 196.*) Charite: Adhuc odor cinameus ambroſei corporis per nares meas percurrit. Singularis εὐοδμίας hiſtoriam memini me legere de illuſtri quodam viro Moſchum redolente, ſed nomen ejus jam non ſuccurrit, ſcribit *Sigism. Schnizer* (*ap. Gregor. Horſt. l. 2. Epiſt. Med. ſ. 10 p. 500*). Mihi ab amico quodam (fuit *Dn. D. G W. Wedel V. Exerc. de Moſch. Jenæ Habit. c. 1. p. 9.*) refert *illuſtris Noſter Præſes Dn. D. Luc. Schrœckius* (*Hiſt.*

Hist. Mosch. c. 4. p. 215.) bona fide relatum, & non ita pridem per literas confirmatum est, se novisse studiosum, cujus corpus Moschi odorem interdum de se sparserat. Proprii corporis fragrantiam *Joh. Tzezzes (in Expos. dier. & oper. Hesiod.)* propalavit & *Jacobi Cujacii* corpus Moschi instar suavem odorem exspirasse *Papir. Masson.* (*Cit. Conr. Vict. Schneidero l. de Off. Cribrif. p. 351.*) testatum reliquit. *De Josepho Scaligero paulo post* (§. 23.). In fœmina Rustica idem se *autor observasse Cornel. Bontekoë Stophano Blanckardo* (*Collect. Med. Phys. Cent. 7. obs. 62. p. 93.*) communicavit.

§. 23.

Sunt, qui in se ipsis aliquid odoris, aliis aliquando etiam advertentibus advertant. Inter quos numerandus *Hieron. Cardan.* qui (*l. de Var. Rer. c. 43. p. 543. & l. de Vit. Propr. c. 37. p. 121.*) sequentia de se ipso consignavit: Aliud est prodigiosum in nostra Natura, & est, quod semper odorem aliquem percipio. Quandoque mihi carnes bene olere videntur, aliquando thus, aliquando malè. Dum essem in Saccensi oppido, *pergit*, perpetuo ferè biennio sulphur adeò olebant, ut mihi & timerem & essem odiosus. Alii haud sentiebant. De halitu pueri Hydropici sulphureo *Joh. Rhod.* (*Cent. 3. obs. 8. p. 113.*). Extat etiam (*in Append. Consil. Med. Joh. Bapt. Montan. col. 40.*) consilium pro quodam, qui ex potu Thermarum Viterbiensium per multos annos sulphur redolebat, si vel sudaret, vel cutim leviter fricaret, adeò, ut & ipse & astantes læderentur.

§. 24.

Quod ad εὐοδμίαν fictam hanc ab adulatoribus, sputa lingere & Nectare suaviora venditare solitis, in Regibus & Principibus promulgari quibusdam videtur. Alexandri illam decantatam in dubium vocare *Henric. Mund.* (*de Aër. Vital. c. 11. p. 70.*) non est veritus, cui *Magnif. Noster G. W. Wedel.* (*s. 5. Physiol. c. 25. p. 188.*) suffragatur. Famigeratum est in historiis, judicat *J. N. Bechlin.* (*l. 2. obs. Med. 50. p. 328.*), quo melior esset Regum aut Heroum veneratio, singularia quædam de iis & humanis votis majora efficta esse; nunc nævos quosdam prodigiosos in corpore latentes, nunc lucem aliquam lambentem nunc gratum quendam odorem, quo ne sudores quidem excrementa caruisse fabulantur. *Alexandri* adulatores, ut hominis Majestatem redderent augustiorem & propemodum divinam commenti sunt, εὐωδίαν aliquam, quam corpus spiraret. Et *paulo post* (*p. 329.*): Fuisse aliquid singulare in certis corporibus, non negaverim, sed quod in divinitatis argumentum rapi omnino non debuit, ne reperta in aliis, iisque minorum gentium Diis, prodigia planè eadem conceptam pridem venerationem traducerent. Adeò etiam ad asserendam aut augendam di-

divinitatis suspicionem, quæ *in Josepho Scaligero* resedisse visa est, ineptè allegantur; quæ domesticorum testimonio sibi constitisse, ait *Vir Magnus*, excrementa nimirum Ejus, sudores & alvi scybala, non reliquorum hominum more, fœdum quid, at Rosam, at Moschum oboluisse. Pro *Josepho Scaligero* non quidem habeo quod dicam, *Alexandrum* vero gravis & suavis Scriptoris *Plutarchi* autoritas (addo & Recentiorum Scriptorum de Aliorum grata fragrantia clarissimum testimonium) vindicare poterit. *Hæc Pechlin.*

§. 25.

Causas dicturi naturales, quod

Pastillos Ruffinus olet, Gorgonius hircum,

(*Horat. l. 1. Sermon. Sat. 2. v. 27.*) *Rucillus* habet *Seneca* (*l. 13. Epist. 81. p. m. 182.*) Astrologi cœlum petunt; In lucem veniente aliquo, scribit *Joh. Jovian. Pontan.* (*l. 11. de Reb. Cœlest. c. 18. p. 332.*) Venere in Capricorno, quod Saturni domicilium est, constituta atque ab ipso Saturno opposita è regione infecta nati illius humores inficientur ob cruditatem & corrumpentur adeò, ut malè prorsus ob incertionem eorum graviterque oliturus sit, Saturno præsertim impugnante, à quo male concocti humores iidemque terreni maleque resolubiles excitantur. Quid? quod & Venus odoribus præsidet & Capricornus non frustra id nomen consecutus? Etenim caper olidum animal est. Itaque Venus odorum artifex & à signo & signi istius domino corrupta fœteant, necesse est, quando odores ipsi corruptis ac fœdentibus rebus mixti fœtorem ipsum augent. *Hæc Pontan.* Aëris peculiarem constitutionem prætendunt Alii. Oxolios populos indigenas Locri secundum totum fœtere ex Aëris proprietate, *Pausanias* (*l. 10. s. in Phocic. c. 38. p. m. 895.*) autor est, quamvis & alias insuper (*ibidem*) his jungat causas, inter quas non postrema videtur, quod corpora, ad frigus propulsandum, soliti fuerint ferarum recentibus coriis pilo extrorsum converso, quo vestitus plus decoris haberet, velare, oportuisse itaque consimilem tergoribus odorem mebra redolere.

§. 26.

E siderum positu celebrata illa veteribus resultat ἰδιοσυγκρασία s. peculiaris naturæ proprietas, seu ut moderni vocant, fermentum odoris, in humoribus, sanguine comprimis latens. Provocat ag illam *Andr. Libav.* (*p. 4. Singul. l. 4. c. 4. p. 309.*) dum Moschi odoris ortum explicare satagit. Sed & hanc non sine causa supinum ignorantiæ asylum declaravit *Exc. D. Joh. Schmid* (*Dec. 1. M. C. A. 5. obs. 158. p. 201.*

§. 27.

Ita & fœtent quidam naturaliter, si mater offensa fuerit tempore gestationis hirco, id suspicatur *Jacob Martini* (*Disp. de Cogn. sui indig. 1. probl. 6.*), quod si & ipsa hircosa, salax & puriginosa, olidum illud contagium facile in fœtum transfundit. De Oxoliis jam dictum (*§. 25.*). Gothis etiam fœtorem corporum tribuit *Salvian.* (*l. 5. de Gubernat. Dei p. 91.*). *Mævium* olentem introduxit *Horat.* (*l. Epod. 20.*). De *Hugone Nicol. Borbon.* (*l. 1. Carmin. 16.*)

Si tibi sint omnes, quos India mittit odores,
Hugo, quos Arabes Æthiopesque nigri.
Si tibi sit (breviter) quicquid capit orbis odorum,
Ore tuo putet nulla latrina magis.

Thalis forsan Thais, de qua ista *acutus Martial.* (*l. 6. Epigr. 93.*)

Tam male Thais olet, quam non Fullonis averni
Testa vetus, media sed modo fracta via.
Non ab amore recens hircus, non ora Leonis,
Non detracta cani transtiberina cutis.
Pullus abortivo nec cum putrescit in ovo,
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus ut hoc alio fallax permutet odore
Deposita quoties balnea veste petit.
Psilotro nitet aut acida latet oblita Creta:
Aut tegitur pingui terque quaterque faba,
Cum bene se tutam per fraudes mille putavit:
Omnia cum fecit Thaida, Thais olet.

De alio *Matth. Chytræus* (*oblat. metric. 10. p. 26.*). Exemplum viduæ aliàs sanæ recensuit *D. E. Hagedorn.* (*A. M. C.D. 1. Ann. 2. obs. 191. p. 293.*); Viri literati, *P. J. Sachs.* (*in Schol. ad h. l.*); Fœminæ generosæ, *J. L. Hannemann.* (*ap. Th. Bartholin. V. 3. Act. Hafn. obs. 19. p. 30.*). Monialis Cadaveris putrescentium referentis notavit *Sigism. Schnizzer.* (*c. l.*). Odoris manuum cujusdam Sulphurei intolerabilis modo (§. *22.*) mentio injecta, qualem etiam in juvene advertit *Joh. Schmid.* (*c. l. p. 200.*). Medico illi Afro (*ap. Galen. in 6. Epid. comm. 4. s. 9.*) adeò fœtebant axillæ, ut nullus ægrotus politior ejus ingressum posset tolerare.

§. 28.

Judæis fœtorem naturalem esse, sunt qui præsumunt ob continuum sanguinis per inferiora, ut habet *Fr. Ferdin. à Troilo* (*Itiner. Or. p. 107.*) effluxum, quo

quo circa & fœtentes eos vocavit *Marcus Imperator* (*ap. Ammian, Marcellin, l. 22. p. m. 225.*). Allusit addit iterum *Martialis* (*l. 4. Epigr. 4.*)

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardiacus quod evocati
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejunia Sabbatariorum,
Mœstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
Quod Ceromata fece de Sabina
Quod vulpis fuga viperæ cubile,
Malles, quam quod oles, olere Bassa.

Obscœni inde *Cl. Rutilio* (*l. 1. Itinerar.*)

Reddimus obscœnæ convitia debita genti,
Quæ genitale caput propudiosa metit.

Matulæ nomine ejusmodi fœtorem in S. S. venire, suspicabatur *J. H. Ursin.* (*Vol. 2. Asal. Sacr. l. 6. c. 12. p. 366.*). Sabbathariorum autem nomen impositum risus aucupandi gratia, declaravit *Joh. Brodæus* (*l. 5. Miscell. c. 29. ap. Jan. Gruter. p. 1. Thes. Critic. p. 567.*) quasi jejunent cœteræ nationes gravem animam exhalent? (*Vide Pneumatopægn. s. 1. Art. 4. §. 23.*). Cœlum solumque regionis Judaicæ accusat *Casp. Sanctius*, unde Judaicarum virginum ad sponsos accessurarum lotiones & unctiones, de quibus *laudatus Ursinus* (*l. 3. Hort. Aromat. c. 1. p. 190.*)

§. 29.

Fœtorem hunc sacro baptismate tolli, olim crediderunt; Hinc de quingentis Judæis ab *Avito* baptizatis, *Ven. Fortunat.* (*l. 5. Carm.*)

Abluitur Judæus odor Baptismate divo
Et nova progenies reddita surgit aquis.

Quam etiam ob causam idem recipere Mahumedanos, *J. B. Helmont.* (*Tr. Vita Æterna p. 590.*) & *Joh. Filesacc.* (*de Idol. Mag. §. 7. fol. 65. b.*) pronunciant. Judæos pariter sanguinem puerorum Christianorum pro corrigendo isto fœtore expetere, *Brower.* (*l. 4. Antiq. Fuldens. f. 306.*) historiis confirmat.

§. 30.

Negat contra omnes Judæos fœtere *Franc. Philelphus* (*l. 5. Epist. 1.*) & fa-

bulam ratione & experientia destitutam appellat, popularibus erroribus accenset *Gisbert. Voët.* (*p. 2. Disput. select. 4. p. 89. & 90.*). Plura de halitus morbosi fœtidate *Pneumatopægn.* (*s. 2. Art. 5.*)

§. 31.

Peculiariter naturalem εὐωδίαν auget, aut potius infert & accendit singularis in sano corpore (de eo enim sermo est) temperiei constitutio, secundum quam humores juxta proportionem ritè invicem miscentur, & concocti sanguini communicantur. Ridet equidem hanc Philosophiam, tanquam vulgarem (*c. l.*) *Pechlinus*, cum excrementa quibusdam brutis confragrent tantum, non corpus, & concludit, quod odor ille argumentum est harmonici particularum contextus, major erit in excrementis quam corporibus, quorum ipsa sunt partes perfectio, quod sanè quam inficetum. Addit huic exemplum Causarii & Scorbutici cui ingruente morbo fœtidus in moschatum mutabatur, oris halitus, alteri verò tabido urinæ violaceus mox futuram Paroxysmi præsagiebat tempestatem, documento insigni odorem illum gratum majoris putredinis indicium fuisse, quam δυσωδίαν (*p. 331.*). Quæ viri ingeniosi & celeberrimi argumenta alio loco (*Pnevmatopægn. s. 1. Art. 4. §. 28.*) modestè soluta leges.

§. 32.

Egregiè & acutè *Joh. Theod. Schenck*, (*Histor. Humor. General. c. 8. p. 85.* etiam humoribus corporis nostri odorem tribuit. Quod verò raro, si naturaliter habent humores (*semen quorundam animalium excipio*) persentiatur, videtur facere eorum cum saporibus copula, deinde, quod in parte spirituosa subtili resideant. Et quamvis tam evidenter odorem in humoribus non deprehendamus, eum tamen in carnibus, in sudoribus, in transpirationibus, in ructibus, in flatibus negare non valemus, hæ enim substantiæ humores præsupponunt pro materia.

§. 33.

Audiamus *Francisci Josephi Burrhi*, (*Epist. 1. ad Th. Bartholin. p. 13.*) de Cerebro commentum: Acrimonia, *scribit*, spirituum Cerebri segnitiem pinguitudinis ejus habitiorem reddit ad motum celerrimum obeundum, atque sua salsilagine trahit in se vim aëris inspirati, eamque liquat in rorem subtilissimum suavissimæ redolentiæ à paucis delibatum. In hoc rore sacro, *pergit*, fertur Spiritus, in quo habitat Anima nostra rationalis, cujus roris optimæ temperiei magis tribuendum censeo acumen ingenii, quam totius Cerebri speciosæ figuræ.

§. 34.

§. 34.

De sanguinis humani odore, equidem multa dicere experientiæ meæ vetat tenuitas, nunquam enim, nisi prius propinatis medicamentis, mihi licuit esse tàm felici, ut curiositati vel saltem ex parte satisfacerent nares. Interim non omnem odorem eidem esse denegandum, vulpeculæ sanguis persuadet, qui odorem & saporem viscerum, pulmonum comprimis, æmulatur. E sauguinis ferini odore indagant vulneratas feras canes sanguinarii (*die Schweiß-Hunde*), nauseant tamen cum reliquis canibus ferinam, quando illis ad devorandum offertur. Sanguinem menstruum, (quamvis sano omnem odorem denegat *Hieron. Mercurial.* (*l. 4. de Morb. Mul. c. 1. p. 106.*) muliercularum præcipuè bene valentium odorem florum Calendulæ spirare, *Petr. Paschequus (ap. Lazar. River. obs. Commun. 30. p. m. 659.)* & *Theod. Craan. (Disc. Phys. Med. de Hom. c. 164. p. 720.)* observarunt. Sanguinem ex ramo mesenterico effusum odorem & saporem Croci similiumque præ se ferre, quidam (*test. Excell. Joh. Bohnio Progr. in Promot. D. Ittigii*) observarunt, sed ille odor & sapor forsan assumtis erit ascribendus.

§. 35.

Sanguis hanc redolentiam vehiculo suo lymphæ, sive sero, aut latici Helmontiano non raro imprimit, ut vice versa etiam serum sanguini. De utroq; testabitur sudoris odor. *Vid. Edm. de Meara (Diatrib. Exam. Willis. de Febr. c. 6. p. 74.).* Sapienter igitur Rex Aracan conjugis futuræ temperamentum ut exploret, sequenti utitur Experimento: Duodecim virgines lectas annos totidem natas, quot illæ sunt, lotas glossy pino indui jubet panno. Tum ad meridiem usque sub sole morari in summa ædium area incrustata. Ubi desudarunt, quod, cum facile, tum vehementer fit, odor cujusque indumenti exploratur. Quarum male olet, suis eas nuptum dat: bene olentium sibi retinet. Ita *J. C. Scaliger. (Exerc. 189. f. 2. p. 620.). Wilhelm Schultze (2. B. Ost-Ind. Reise-Beschreib. c. 5. p. 95.)*

§. 36.

Bilem, si destilletur aut concoctione ulterius elaboretur, odore Moschi æquiparari, advertit *Nathan. Highmorus (Disc. D. Passion. Hysteric. c. 6. p. 37.)* quod & in præparatione Tincturæ fellis lupini deprehendit *laudatus Præceptor, J. Th. Schenck.* testimonio *Venerandi Nostri L. Schrœckii* (*c. l. c. 47. p. 221.*). Adde infra dicenda (*§. 75.*)

§. 37.

Temperamentum illud, si recte rem metior, calidum & siccum existit,

Progignitur, *docet Hermann. Grube* (*de Med. Simpl. Cogn. Act. 2. s. 3. p. 45. sq.*), suavitas illa Aristotelicis ex partibus Aëreis ab igneo calore tàm exactè mistis, ut spirituosæ appellari mereantur Chymicis acceptus referri sulphuri puriori. Cartesiani quærendam putant in moleculis suis figuratis mira quadam hæc memoria ab alma rerum parente, Natura, inter se mistis. Quamvis sint, qui in hirco illo Danielico, ut *Alexandrum M.* appositè vocat *J. C. Dannhauer.* (*p. 2. Theolog. Conscient. s. 2. Dial. 3. Art. 7. qu. 1. p. 978.*) hircositati sc. Moschum argute opponens, Naturam in domitore mundi peculiare quid ostendere voluisse statuant, inter quos *Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. qu. 28. p. 345.*). *Edo Neuhus.* (*l. 2. Sacr. Fatid. c. 14. p. 252.*) *Stephan. Clotz.* (*de Sud. CHRIST. Sangu. Exerc. 11. §. 3. p. 88.*). Temperamento tamen ascripsit illum obtinuisse corpus ex ejus bibacitate & iracundia suspicatur *Plutarchus* (*c. l. p. 448.*), & ex rebus præclarè gestis, quæ arguunt animum heroicum & spiritum fervidum ad egregia facinora edenda promptum atrabilarium illum fuisse, judicat *August. Thoner.* (*l. 6. obs. & Epist. Med. 8. p. 298.*). Cum igitur bonus odor, si *Plutarcho* amplius auscultare libeat, ex mente *Theophrasti* existat, cum humores â Calore coquuntur, contingere poterit, ut exacta mistio & coctio fragrantia producat miasmata. Ità siccæ & torridæ orbis terrarum partes plurima atque optima gignunt aromata, quod Sal humorem (iterum loquitur *Plutarchus*), qui in summis corporibus veluti materia putredinis innatat, attollit. *Plutarchum* sequitur *Gerh. Joh. Voss.* (*l. 3. Idolol. c. 30.*). Temperamentum calidum non sufficere, rectè conjicit *Stephan. Rod. Castrensis* (*l. 4. de Met. Microcosm. c. 13. p. 205.*) ideò addidit felicem partium compositionem, & optimi Balsami à prima origine abundantiam. Sic non sola caliditas orientales plantas odoriferas facit, *addit*, sed melioris Soli siderumque & præcipuè Solis influxus. Humorum Symmetriam calori addidit, *J. Bened. Sinibaldus* (*l. 5. Geneanthrop. tr. 2. c. 3. p. 486.*) Alexandrum obtinuisse corpus bene temperatum & pingue Aëreum, pronunciat *Clauberg.* (*Phys. Contract. th. 952. qu. 12. p. 487.*). *Fr. Baco Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 1. n. 8. col. 754.*) demum conjunxit naturam hominis calidiorem, qui exercitatione corporis gaudet, ac illud non immundum habet tenuemque cutem.

§. 38.

Cur autem non omnes possint olere unguenta exotica, ut *Plauti* verbis (*Mostell. Act. 1. s. 1. v. 41.*) id eloquar, & vix tot sint fragrantia corpora,

quod divitis Ostia Nili,

nemo mirabitur. Ad stirpes deducendus erit Lector cum *Hieron. Cardan.* Recense stirpes omnes (*Cardanum* alloquitur *J. C. Scaliger. c. l. p. 677.*) ex earum

asse

aſſe toto minus quam ſextulam decuties odoratorum. Imo ad bruta, in quibus Sebellinam, Pantheram, Zibeth & Gazellam ſaltem eminere videmus. Non omnes arbores bene olere, quod non omnes ſint ſimili temperamento conditæ *Theophraſt. Ereſ.* (*l. 6. Hiſt. Plant. c. 25. p. 252.*) autumant.

§. 39.

Quod ſi ab exoticis Tincturis, v. g. Aëris, tempore Contagii peſtilentialis, cujus fomitem odoravit Eremita Tholoſanus, odore fœtido, inſtar calceorum uſtorum, *ap. Petr. Borell.* (*Cent. 1. obſ. 74. p. 74.*) & inquilinis impuritatibus, ut Sulphuris microcoſmici impuri à ſalibus diſſoluti copia, *ut Th. Willis* (*p. 2. Pharmac. Ration. ſ. 1. c. 7. p. 175.*) ratiocinatur, humores inquinantur, non tantum ſuavis illa fragrantia exſpirat, ſed & gravis fœtor eidem ſuperinducitur. Fieri hac de cauſa poterit, ut ægro omnia fœteant, quod, ut plurimum, θανάσιμον pronunciarunt *Proſper Alpinus* (*l. 2. de Præſag. Vit. & Mort. c. 11. p. 169.*). *Iſaacus Roët.* (*l. 3. de Peſt. Aphor. 122. p. 63.*). *Dan. Sennert.* (*l. 4. de Febr. c. 1. p. 839.*). Æger ſimul ipſe terram oleat, in terram mox reverſurus, ut ille *ap. P. Borell.* (*Cent. 4. obſ. 80. p. 342.*). Singularis eſt illa *Matthiæ Jacobi* hiſtoria *ap. Th. Bartholin.* (*V. 1. Act. Med. Hafn. obſ. 117. p. 211.*), cui, quas *alibi* exhibui, adde obſervationes (*M. C. Dec. 1. Ann. 1. obſ. 149. p. 233.*). Anhelitus inde etiam abominabilis & urinaceus, de quo *Phil. Salmuth.* (*Cent. 2. obſ. Med. 82. p. 99.*). De peſte correptis *Lucret.* (*l. 6. de Nat. Rer. v. 1152.*)

Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida que perolent projecta cadavera ſitu.

Ægri præterea ipſius ſudor, urina, & excrementa inſigni fœtore aſtantes feriunt, *teſte Proſpero Borgarutio* (*tr. de Peſte p. 29. & 31.*). De fœtore ſigno in febribus mortali *Mich. Savanarola* (*tr. 6. Pract. c. 6. f. 106. col. 1.*). De facie cadaveroſa & fœtore corporis ante obitum nulli ferendo, *Guido Patin.* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 2. Epiſt. 23. p. 476.*). Id autem putredini in corde (cur non in ſanguine?) confirmatæ tribuit *Laurent. Joubert.* (*tr. de Peſte c. 8. p. m. 281.*)

§. 40.

Sanguinem in vaſis contineri odore fœtidum negant equidem *Laurent. Joubert.* (*Decad. 2. Paradox. 2. p. 94.*). Optaremus *ſcribit, Simon Simonius* (*ap. Joubert. Tom. 2. op. in Exam. Sentent. Brunon. Seidel. p. m. 111.*) ut nobis qui in quatuor peſtilentibus conſtitutionibus non modo viximus, ſed medicinam quoque & noſtro, & olim Præceptorum noſtrorum ductu attentiſſime fecimus, iſtum fœtentem ſanguinem ſemel non (*inquam*) in libro aliquo ſcriptum, ſed in pelvi jam è vena deſilientem monſtrarent. Inde Sanguis in vena fœtens *Ipſi*

fa-

fabula habetur. Ipse *Joubert.* (*Provoc. à Sent. Brunon. Seidel. p. 126.*) se nunquam in praxi 25. annorum tale observasse testatur *Joh. Jessen.* (*Judic. de Sangv. Ven. Sect. p. 13.*). Id tamen impossibile minimè reputat *Jac. Pancrat. Bruno* (*in not. ad Jessen p. 103.*), qui & *Guilhelm. Pantinum* (*in Not. ad l. 2. Celsi c. 10. p. 244.*) citat, quamvis *Francisc. Peccet. id raro accidere* (*l. 4. Chirurg. c. 12. p. 612.*) v. g. leprosis (*c. l. s. 1. c. 31. p. 1632.*) asserat. Fœminæ sanguini perditissimum odorem ascripsit *J. Lud. Hannemann.* (*c. l. p. 31.*) in viro 30. circiter annorum habitus corpulentioris, coloris in facie floridi, hilari, observantissimo Diætæ, & quoad apparentiam sanissimo, qui de nullo conquerebatur, nisi quod aliquando absque causa nota tædiosus fieret sanguinis loco vena secta effluxit materia quædam alba & viscida sat ingrati odoris circiter ad ℥ij. notavit *D. Joh. Frid. Khern.* (*M. C. D. 3. A. 6. & 5. obs. 47. p. 101.*) In praxi annorum viginti & novem semel sanguinem calidum venæ sectione emissum in Cive Hafniensi adhuc sano fœtorem putidi ovi aut ulceris sordidi emisisse, naribus accepit *Simon. Pauli*, (*Digress. de Febr. Malign. §. 11. p. 13.*), qui frigefactus neque fœtebat, neque colore dissimilis erat optimæ notæ sanguini, nisi quod impensè rutilans perpauco sero esset conspersus. Fluvium ὄπουτα Centauri vulnerati sanie infectum gravissimum odorem exspirasse *Scholiastes Homeri* (*in Iliad β*) allegante *Johann. Kühnio* (*in Not. ad Pausan. l. 10. s. Phocic. c. 38. p. 895.*) fabulatur. *Natal. Comes* (*l. 7. Mythol. c. 4. p. 713.*) Anienum flumen illud vocat, in quo Centauri Sagittis veneno hydræ infectis vulnerati se lavantes aquam infecisse dicuntur: Ita ut unda illa teterrimum odorem diu servaverit & pisces, qui in eo flumine nascerentur esui essent inutiles. Et *paulo post.* Deinde ubi *Nessus* & alii Centauri sepulti fuissent, ex iis vulneribus non procul à Calydone in colle, qui Taphossus fuit nuncupatus gravissimus odor ad montis radicem suffundebatur, ac tabo simile quiddam manabat, *ut ait Strabo* (*Geogr. l. 9.*). Odoris fœtidatem cui dabimus? An Centauris tanquam ipsis connatum? an Hydræ veneno sagittis addito & vulnere in sanguinis massam transeunte? Utrumque admitterem, nisi è Poëtarum penu deprompta fabula esset. An vero ab hac Centaurorum graveolenria Centaurium, ut à *Chirone Centauro* nomen (*Vid. iterum Nat. Comes c. l. p. 714.*) ita & ipsam graveolentiam acceperit, divinare non ausim. De illo ita *Virgilius* (*l. 4. Georg. v. 270.*)

Cecropiumque thymum & graveolentia Centaurea.

§. 41.

Qua de causa in sanguine venæsecatione extravasato examinando etiam odoris rationem habendam esse, inculcat *Mart. Pansa* (*de Vit. Prorog. part.*

The-

Theoret. Special. c. 40. n. 12. p. 160.): cum ſanguis boni odoris & delectabilis, arguat bonitatem, fœtidus inſignem putredinem. Sanguinem vitioſum malè olentem ſenſit *Galen.* (*Comment. in 6. Epidem. 4. t. 25. p. 552.*). Odorato cruore *Epiſcopi Kaminaldi* variolam morbum ei tertia prædixit futurum *Notkerus*, quod ita accidit, ut memorat *Ekkardus Cœnobita S. Galli* (*l. de Caſib. Monaſt. c. 13. ap. Melch. Goldaſt. T. 1. Rer. Alemann. part. 1. p. 97.*). In febribus non ſolum ſanguinem fœtidum, ſed & graveolentem certum mortis indicium deprehendit *P. Foreſt.* (*l. 1. obſ. Med. 17. p. 19.*). Bis vidi *ſcribit Steph. Rod. Caſtrenſis* (*l. 3. de Meteor. Microcoſm. c. 4. p. 103.*), Olyſſipone *in Domino Johanne de Scuſa*; iterum Florentiæ in quodam juvene nobiliſſimo ex illuſtri familia *de Pilli*, ſanguinem ſecta vena fluentem totum cubiculum infeciſſe. Horum neuter evaſit (add. *Ejusdem l. de Nat. Mul. ſ. 1. Diſp. 6. p. 89*). Ex ſanguinis peſtiferi venæ extracti ſectione horribili fœtore plures infectos, *Zacut. Luſitan.* (*l. 3. Prax. admir. obſ. 44. p. 106.*) commemorat. Sanguinem fœtidum ex Varice exiiſſe, *elegantiſſ. Joh. à Muys* (*Prax. Chirurg. Rat. Decad. 2. obſ. 6. p. 25.*) annotat. In obſervationibus proavi ſui materni *Martini Schipperi* hanc lectu dignam obſervationem invenit *Martin. Schoock.* (*Tr. de Ferment. c. 23. p. 449*): Anno 1589. d. 12. Auguſti vocatus fui ad miniſtrum Stabuli Comitis Culenburgici nomine *Fredericum van Dalem* à tribus menſibus quartana correptum. Quod videretur Sanguinis plethora laborare, venam ſecari juſſi: Sanguis vero, qui effluxit nigricans, viſcidus & glutini non abſimilis, adeò tetrum exhalavit odorem, ut haud æquè cloaca media æſtate. A. V. S. Febris cœpit remittere atq; adhibitis ordinariis remediis ſemel atque iterum Catharctico medicamento decimo ſeptimo die poſt iterum pertuſa fuit vena, atque ſanguis fœtorem quidem exhalavit, ſed minorem. Æger, quod alienior eſſet à medicamentis, juſſus Diætam commodam obſervare, DEI gratia paulatim convaluit. *Adriano Valæo* ſeptuagenario ferè detractus bis ſanguis ad ſex ferè vaſcula. Tria prima, ut narrabant, continuere ſanguinem fœtentem, adeò, ut vix ferre odorem poſſent, & tamen convaluit, narrat *Guilielm. Ballon.* (*l. 2. Epid. & Ephemer. p. 174.*). Et quid ſudor ille ſtercoreus in juvene febri maligna correpto, à *C. Fr. Paulino Noſtro* (*Decad. 1. obſ. Phyſ. Med. 8. in App. D. 2. M. C. A. 7. p. 134.*) memoratus, quam ſeri ſanguinis depravatam texturam & fœtida ejusdem excrementa præſagiebat? Singularis contra plane eſt illa *citati Ballonii* obſervatio (*l. 1. Ephemer. p. 103.*), Cacochymicorum cruorem fragrantiſſimum ſpiraſſe odorem.

§. 42.

Naribus illa execranda miaſmata, ab aſtris deduxiſſe Aſtronomos, *ſupra*

(§. 24.). Quod sequior sexus narium pestem ejaculetur, iram Dearum imprimis Veneris in medium produxerunt Poëtæ. Mulieribus id contingit Lemniis, ut ideò ab illis mariti secedere coacti fuerint, *Lutatius Statii interpres*, & qui hunc laudat *Casp. Barth.* (*ad l. 5. Thebaid. Stat. v. 30. p. 22. & v. 59. p. 34.*) commemorarunt. Add. *Joh. Kühnium* (*in prol. ad Pausan. p. 895.*)

§. 43.

Sed & ingesta, sive alimenta sint, sive medicamenta hic nullam faciunt paginam. Subtiliter differit *J. B. von Helmont.* (*tr. Potest. Medicam. n. 55. p. 385.*): Quosdam cibos & medicamenta pertinacius vitam sui mediam conservare, & non facilè ab Archeo superari, quod id ipsum (*tr. Magnum oportet p. 122. & sq.*) pluribus explicatum dedit. Dum igitur vitæ mediæ proprietates manent & sanguini communicantur, odores etiam in eundem transfluunt. Multoties obstetrices apud puerperas ex odore & sæpè etiam ex colore sordium, quæ in puerperio effluunt, cognoscunt, quid nam puerpera paulò ante comederit, tradidit *Isbrand. à Diemerbroeck* (*l. 1. An. c. 17. p. 151.*) Ichthyophagi homines & aves piscium referunt odorem. Parthorum populis ora fœtere à juventa propter indiscretas cibos, *Plinius* (*l. 11. c. 53.*) & ab ingluvie Persas virus spargere, (*l. 13. c. 1.*) autor est, quod infra Persarum in victu continentiæ (*l. 3. Tit. 2. §. 48.*) adversatur, ut adeo pro Persis Parthos legendum non levis suspicio sit. Fœtent idcirco & rapacia bruta *juxta Joh. Bodin.* (*l. 3. Theatr. Nat. p. 401.*). *Egesandar apud Athenæum* (*l. 2. Dipnosoph. & ex eo Lud. Cæl. Rhodigin. l. 6. Antiqu. lect. c. 4. col. 273.*) tradit, apud *Elidem*, *Anchimolum & Moschum Sophistas* tota vita fuisse hydropotas ac ficubus modo vesci solitos & tamen robustos extitisse, sed adeò fœtentes, ut propter abominabilem sudorem certatim in balneis ab omnibus excluderentur. Et *Athenæus*, carnes caprinas diu in cibo commensas, sudores facere graveolentes (*l. 9.*) scripsit, quod objiciebatur *Thebano Athlethæ*, *Vid. Joh. B. Pont.* (*l. 3. Phytogn. c. 2. p. 145.*). Opio odor gravis, de quo *Michael. Doring.* (*tr. de Opio s. 2. p. 1. c. 2. p. 46.*). Hoc si crudum adsumatur in majori dosi, ejus gravitas in sudore se exerit, ut ex *Aliis Paul. Zacch.* (*l. 2. Quæst. Med. Legal. Tit. 2. qu. 6. n. 6 p. 217.*) idem de lepore marino ex antiquioribus *Petr. Forestus* (*l. 30. obs. Med. 6. p. 19.*) (*c. l.*) *Zacchias & Caspar. Caldera ab Hæredia* (*Tribum Mag. Med. p. 2. Stat. 9. Artic. 6. p. 63.*). Add. (*Diss. de Cadav. s. 1. §. 100.*)

§. 44.

De Allio res evidens est. Allium comestum eodem odore sanguinem imbuit, notat *Exc. Frid. Hoffmann.* Patronus *optimus* (*Fundam. Med. Semiot. c. 1. n.*

l. n. 28. p. 140.). Quam facile hujus odor Chylo & Sanguini communicetur, propalat, quod Allium sylvestre resipiant Lac & Butyrum, si eo pascantur vaccæ, quod & vilioribus in pagis constat & apud *Simon. Pauli* (*Cl. 2. Quadrip. Botan. p. 39.*) legitur. In rarioris contexturæ individuis Allii intus assumti odorem, & aceti & succi Limoniorum & Aurantiorum acorem tertia aut quarta à comestionis hora exhalando pervadere, & eorum labra incidendo vellicare comperit *Bened. Bennett.* (*Theatr. Tabid. Exerc. 29. p. 100.*). Ita ab homine comesum gravi odore hominis spiritum inprægnat, & si sæpius repetatur toti corpori. Inde *ap. Plautum* (*Mostell. Act. 1. sc. 1. v. 38.*) oboluisti Allium. Et *Fl. Vespasianus Imperator* adolescentem unguento fragrantem voce gravissima (*Suetonii testimonio in Vit. Ejus c. 8. p. m. 259.*) increpuit: Maluissem Allium oboluisses, ut (*in Adag. Edit. Nov. p. 623.*) notat *Erasmus.* Scordalum talem dici *Senecæ* (*Epist. 84. p. m. 169.*) *Andr. Turneb.* (*l. 7. Advers. c. 4. col. 195.*) &, qui verba Ejus exscripsit, *Georg. Everhard.* (*Symbol. in Petron. p. 667.*), quasi scordillum aut scordalon, quamvis scordalum Alii legant, qui sordes è balneo defert, ut est *ap. Dionys. Godofred.* (*l. 2. Conject. & Var. Lect. in Senec. p. 24.*). Minimè verò rem acu tetigit *Joh. Guilhelmi* (*Quæst. Miscell. in Plaut. l. apud Jan. Gruter. T. 3. Thes. Critic. 457.*), qui *cum Dionys. Lambino* (*Comment. in Plautum Mostell. a. 1. sc. 1. v. 45.*), Alliatum apud *Plautum* (*c. l.*) de homine Allium olente explicant, contra mentem & sententiam Comici. Est namque, ut judiciosiores observarunt interpretes, Alliatum cibi genus, cui Allium intritum. Moretum vocavit *Dan. Pareus* (*in Marginal. ad h. l. p. 335.*) & Moretarium alliatum *Donatus* (*ad Terent.*) plura *Frideric. Taubmann.* (*in h. l. p. 577. & ad Virgil. p. 19.*). Judæorum nauseabundum odorem ut elueret *Franc. Philosophus* (*c. l.*) quosdam cibo & potu minus exquisito uti, adeoque indefeculentum scaturire sudorem prodidit. In Allii esum causam *Christ. Helvic.* (*in Elench. Judaic. 8.*) *Martin. Kerger.* (*de Ferment. s. 3. c. 3. p. 232.*) & *Simon. Pauli* (*cl. 3. quadrip. Botan. p. 192.*) transtulit. Allusit ad id sine dubio *Petr. Lotichius* (*in aper. Poët. p. m. 280.*) dum canit;

Te capiant veteri Moysis de gente puellæ,
Inque tuo ructent Allia fœda sinu.

Sicuti applicatur Allium odore suo per habitum corporis insinuato, atque in ipsum os transmisso gustu sentitur, advertente *Malach. Thrustone* (*Tr. de Us. Respirat. Animadv. p. 153.*). *Et Galen.* (*l. de Attenuant. Vict. Rat. c. 1.*) acri aut sunt post Allium Cœpæ, Raphani &c. urinas & sudores graveolentes & acres pro-

movere dictitavit. Idem credidit facere Asparagos *Jul. Cæs. Baricell.* (*l.2. de Hydronos. Nat. c. 13. p. 176.*) licet deinde corpus odoratum relinquant.

§. 45.

Ichthyophagi pisculentum & virosum (*ut §. 43. dictum*) effumant odorem & sudorem. Hic imprimis à Lepore marino comesto præcipitur, *ut Dioscorides* (*in Alexiph. c. 30. p. 413.*) commentatur: παρακολουθεῖ γεῦσις ὅμοια ἰχθύσι βρωμώδεσιν, quod male vertitur *Ulyss. Aldrovandi* (*l. 1. de Exsangu. c. 7. p. 31.*) *sententiâ*, piscium virus olent. Rectius forsan *Janus Anton. Saracenus*: Hausto marino lepore, virosus quidam sapor, qualis piscium putentium, percipitur. Lepus marinus virosum odorem habet. Concomitatur eos, qui eum in corpus ingesserunt, sapor in ore similis piscibus virosis, *Aetius Tetrabibl. 4. Serm. 1. c. 53. p. m. 632.*) docuit. *Scribonius Largus*, ejusdem gustum non esse absimilem illotis piscibus, aut etiam putentibus, ait:

Quod si fluctivagi leporis lethale venenum
Deprendas, fœdum qui sumserit halat odorem,
Qualiter exemtæ reliquo cum viscere squamæ,
Vel putridi, quod olent neque toto corpore pisces,
Talis & immundo sapor observatur in ore.

Nicander (*in Alexicac. ex Euric. Cordi ap. Poët. p. 69. translatione*). Negat equidem *Aldrovandus* tale virus exspirare comedentes, sed sudorem naribus inimicum hujus esum consequi & *Discorides & Aëtius* non dissimulant.

§. 46.

Sunt *- quibus hirsutis cubet hircus in alis,*

ut Horat. (*Epod. 12.*), nempe *ut Censorin.* (*de Die Natali cap. 14.*) prodidit in secunda hebdomade vel incipiente tertia, vocem crassiorem & inæquabilem fieri, quod *Aristoteles* τραγίζειν, antiqui nostri hirquitallire, & inde ipsos, putant, hirquitallos appellari, quod totum corpus hircum olere incipiat. Fœtor autem ille sub alis nascitur, qua parte pilant, iis, quis per ætatem licet cum mulieribus rem habere, gravior si sæpius, si corpore sudoro, *inquit Joh. à Wouweren* (*Animadvers. in Petron. p. 481.*). Hirquitallos quidem non â graveolentia dici, sed à libidine hircorum, *Festus* voluit, sed à libidine hircos hirquitillare, quis ignorat? ut adeò de *Clisthene* & ejus sociennis diceres, hi Caprarii in æstu, fœtidum virus

illud olent, quod viri capellarum.

(*Martial. l. 3. Epigr. 93.*) *Plautoque* (*Menæchm. Act. 5. sc. 2. v. 85.*) hircus ille est, qui & hircum, canem & capram commistam, alibi (*Mostell. Act. 1. sc. 1. v. 39. & 40.*) & quod Cleopatra, quæ sub una nocte sumto cucullo in lupanari prostibu-

bulo centum & ſex virorum concubitus pertulit, teſtibus ipſius *Antonii* mariti ad *Q. Soranum* datis literis, quæ *Priapeiis à Caſparo Schoppio (collectis p. 224. junctæ)* patet, quod Thais, quod Meſſalina, quæ

Tot laſſata viris nunquam ſatiata receſſit,

(Juvenal. Sat. 6. v. 13.) quod *Vetuſtina*, utpote ex earum numero, quarum

in octava laſcivia ſurgere meſſe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.

aut *Quartilla*, quæ iratam *Junonem* velint, ſi meminerint ſe nunquam fuiſſe virgines, ut de ſe ipſa *ap. Petronium (Satyric. p. 71.)*, hircini odoris triſtem eluviem deſudatis gravibus ſudoris evaporent, nemo obſtupeſcet.

§. 47.

Intemperies illa Aphrodiſiaca inter alias peſtes, quas corpori inducit etiam labefactato viſcerum balſamo corruptaq; impuros, ichoroſos atq; corruptos humores gignit, aut calorem & malignè alterat, ut *Joh. Crato (ap. Laurent. Scholtz. Epiſt. Med. 118. col. 210.)* loqui amat. Si thymus illum ichorem imbibat fœtentem, animam conciliat, ſecundum *Matthiam T ling. (de Febr. Petech. ſ. 1. c. 13. p. 217.)* Inde non ſolum lactis in lactantibus odor mutatur & malignus fit, ut etiam nauſeabundum odorem puelli lactantes ſentiant, (de quo notabile in brutis exemplum recitat *Regner. de Graaf. (de Organ. Viror. Genit. p. 126.)*, adeò ut lege priſca capitis pœna denunciata fuerit lactantibus, ſi coëant & gravidas reddi ſe patiantur, *Fulviusque Sabinam* olim puteo mergi, & Corrivalem ſecuri percuti juſſerit, quod compreſſa *Druſiam* lactarit, *memorante id Joh. Dan. Horſtio (ap. Georg. Seger. Epiſt. 2. de Lymph. Bartholin. p. 36.)*. Cibis etiam aphrodiſiacis nutricibus interdicebatur, imprimis autem à Græcis Apio, quod veſcentes pronius in libidinem ruant, ut *Joh. Ruell. (l. 3. de Nat. Stirp. c. 46. p. 532.)* commemorat. Verum & Neogami primis Erotici congreſſus temporibus ſcabioſo tentantur pruritu, quem nuptialem ſcabiem *(die Braut-Krätze, oder Raude)* vulgus ex irriſione vocat. *Vid. Joh. Bened. Sinibald. (l. 9. Geneanthrop. tr. 2. c. 11. p. 771.)*

§. 48.

Ex hac commotione ſanguinis & aliorum humorum ſeminis comprimis in actu Venereo facta & continuata, virus illud olidum ſurgit, quod etiam Brutis familiare. Hirci œſtro Venereo perciti hircoſitatem nec Corydon quidem, ut dictum, ignorat, nec Venator Cervi, nec Rangiferi Lappo (*Conf. Joh. Scheſferi Lappon. c. 28. p. 372.*). De Cervis etiam *Ariſtot. (l. 6. Hiſt. Animal. c. 29.)* deque carne Cervina in ὀχείᾳ Cervorum etiam in artocreationibus putre-

ſcente (evolv. *l. 3. Tit. 1. §. 78.*), deque Cervi extremitatis præputii fœtore *Guilh. Harveus* (*de Generat. Animal. Exerc. 67. p. 288.*). De Muribus Ponticis ſ. Hermelinis *Ol. Magnus* (*l. 28. Epit. Hiſt. Septentrional, c. 16. f. 142. a.*). Dixit igitur *Martialis* (*l. 4. Epigr. 4.*) *Baſſan* olere.

quod preſſa piger hircus in capella.

Adde, ſi lubet, *Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l. 15. Lect. Antiqu. c. 10. col. 791.*). Plura *Ariſtot.* (*ſ. 13. probl. 4.*) & *Joh. Bened. Sinibald.* (*l. 10. Geneanthr. tr. 2. c. 2. p. 843.*)

§. 49.

Itaque Φιλόκαλοι, ut odorem abigerent, vellebant alas pice & reſina, quod è *Clemente Alex.* (*l. 3. c. 2.*) pateſcit, & verbo πιττοῦσθαι exprimitur. Tales etiam δεδρωπακισμένοι vocabantur & reſinati, unde *ap. Juvenalem* (*Satyr. 8. v. 114.*)

reſinata juventus.

Fœtori oris palliendo meritoriæ mulieres Apium comedebant, ut grave virus odoris abigerent, oraque jucundiorem auram exſpirarent, *Joh. Ruell.* (*c. l.*) meminit, ut crudelem, *juxta jocum Catullianum*, naſorum interficerent peſtem, Alii *cum Coracino ap. Martial.* (*l. 6. Epigr. 55.*)

- Semper caſiaque Cinnamomoque
Et nido - - - alitis ſuperbæ
Fragrant.

Evolv. *Caſp. Barth.* (*l. 46. Adverſ. c. 20. p. 67. 72.*). *Henric. Salmuth.* (*in l. 2. Guid. Pancirol Tit. 10. p. 189. 191.*). Concludit ergo *Martialis*:

Malo, quam benè olere, nil olere.

Argutè infert *laudatus Barth.* (*ad Stat. l. 2. Sylv. 6. v. 87. p. 243.*): Bonus ille odor indicat, eo ſublato hircum Coracinis talibus ineſſe. Acute *in Gallam Mapheus Vegius* (*l. 5. de Pueror. Educ. p. 396.*)

Galla geris tecum redolentia aromata ſemper
Te mundas ſemper, cur? quia ſemper oles.
Galla ubi tàm multo Te ſentio oleſcere nuſco,
Tunc ego me nullis naribus eſſe velim.

§. 50.

Cadaveroſo odore etiam Magi & Sagæ naribus moleſtæ. Id vero impuro cum impuriſſimo Spirituum congreſſui, qui vulgo fœtorem comitem habere, & poſt ſe relinquere dicuntur. (*Vid. ſupra* §. *15.*). Et cum, ut plurimum, *notante Henrico Nicolai* (*Exerc. 3. de Mag. Action. c. 3. th. 17. qu. 6. p. 56.*), Diabolus induto cadavere ſ. incubus ſ. ſuccubus cum illis rem habeat, graveolentia

tia Cadaveroſa corporibus affricatur. Dæmones ipſi licet ſint Spiritus, tamen graveolentiam ſecum trahunt. Eſtque Averni atque Diabolorum proprium, ita fœtere, ut priſcis uſitatiſſima vox fuerit: graveolens ut Avernus, (*Jerem. Drexel. Rog. Damnat. c. 5. p. 72.*). De Cacodæmone, *B. Martino apparente* & fœtorem poſt ſe relinquente, *Sever. Sulpit.* (*in Vit. Martin.*). De ſpectro alio fœtorem inferente, *Martin. Weinrich* (*de Spectr. Strigon.*) Ob ſeſſis inde fœtor, halitus gravis & ab his recedere coacti Diaboli, aſtantium nares infeſtare, Exempla videbis *ap. Petr. Thyræum* (*p. 4. de Dæmoniac. c. 52. n. 12. p. 150.*). Sordent etiam, (quod *Nic. Remig. l. 1. Dæmonolatr. c. 16.* tradidit.) Epulæ Diabolicæ, quod ex morticinorum carnibus ſint paratæ. Præterea, Magica quæ tractant, utplurimum fœtida & ſanioſa exiſtunt. Conf. *ſupra* (*l. 1. T. 3. §. 41. ſeqq.*)

§. 51.

Sunt quidem odorata, ſudorem fœtido halitu imprægnantia, quod de Ruta ſcribitur. vid. *Honorat. Fabri* (*l. 2. Plant. Propoſ. 185. qu. 25. p. 91.*). De plurimis tamen conſtat, eadem ſuaveolenti humoris tingere odore. Ad Moſchi odorem facere, quod animal Moſchiferum ſiccis odoratisque veſcatur, (*c. l.*) credidit *Andr. Chioccus.* Utriusque Bonam fragrantiam *ſiccæ Nardi & Myrrhæ* imputavit (*l. 2. Phytognom. c. 8. p. 54.*). *Joh. Bapt. Porta* & *Andr. Libav.* (*p. 3. Singular. l. 4. c. 1. p. 311. & p. 4. p. 363.*). De Cordylo Crocodilo *Plinius* (*l. 28. c. 8.*). In terra tantum odoratiſſimisque floribus vivit, ob id inteſtina ejus diligenter exquiruntur jucundo nitore farcta, Crocodileam vocant. Blatta Byzantina, unguis odoratus πῶμα κογχυλίȣ, quia Conchylia Nardum depaſcuntur, odoramenta reſipit, (*Dioſcor. l. 2. de Mat. Med. c. 10. p. 91.*). Quis fragrantisſimum illum *Æliani Thymalli* (*l. 14. de Animal. c. 22. p. m. 831.*), qui non ut cæteri piſces piſculentum quendam mittit odorem, imò vero exiſtimes, te ejus gentilem herbam recentem ex terra lectam manibus tenere tantaque odoris ſuavitate fragrat, ut qui eum ipſum non videt, gratiſſimam Apibus herbam, unde nomen duxit, in manibus tenere, aliunde quam à Thymi ſuavitate fundere Thymiama dubitet? judicat *Joh. Nicol. Pechlin.* (*Exerc. de Purgat. ſ. 1. c. 6. p. 89.*) Spectat huc illud *Maronis* (*l. 4. Georg. v. 170.*).

Fervet opus redolentque Thymo fragrantia mella.

Mellis Thymum redolentis mentionem fecit *Galen.* (*l. 7. M. M. c. 6.*), illudque reprobat. De Elephanto nigra roſa paſto *Achilles Tatius* (*l. 4. de Leucipp. & Chlitoph. Amor. cit. Th. Bartholin. T. 2. Act. Haſn. p. 1. obſ. 34. p. 131.*). Ovium carnes in Galliæ parte, la Provence dicta, redolent Roſmarinum, in noſtris ſerpillum. In Tractu Suevico Abbecenſi Allium ab Alliariam. Vid. *Joh. Dan. Horſt.* (*Phyſ. Hippocr.*

pocr. Diss. 7. §. 8. p. 49.). Cochleas ſerpillum & pulegium depaſcentes odore ſuavi nobilitari *Petr. Andr. Matthiol.* (*in l. 2. Dioſcor. c. 9. p.*) animadvertit. Muſcarum meminit (*in Marmor. Piſan. de Honor. Biſell.*) valeat. *Chimentell.* (*cit. Ephemer. Erud. T. 3. p. 89.*) quæ Piſæ reperiuntur & odorem illum jucundiſſimum ad Moſchum & Zibellum accedentem ſpargunt. Odorem illum ex malorum Aurantiorum Citreorumque floribus, aliisque plantis odoriferis, quibus nutriuntur, contrahere dicuntur. Quando quidem Anno 1655. cum hyemis injuria flores maximam partem eſſent emortuæ, muſcæ illæ odorem minus jucundum, quam conſueverant ſpirare ſunt obſervatæ. Quid? quod æſtate tantum oleant, cum calor ſubagitat, & Jaſmini Citrique flores ſe oſtentant, quorum odore evaneſcente & ipſe ille odor, *annotante Exc. J. N. Pechlino* (*l. 2. obſ. med. 51. p. 334.*) perit. Vermiculi alati ab *Exc. Dn. D. Ehrenfr. Hagedorn* in rore marino reperti, odorem plantæ proprium ſpirant. (*Vide M. C. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 190. p. 292.*). Aves ambræ cacatrices ab alimentis excremento illi id odoramenti conciliare, incolæ Madagaſcar (*ap. Juſt. Frid. Klobium Hiſt. Ambj. qu. 8. p. 71.*) perſuadent. Reddunt interdum & feles ſylveſtres & mures Moſchi odore recrementum, *commentatur Joh. Ruell.* (*l. 1. de Nat. Stirp. c. 27. p. 104.*) ut ſæpe in dirutis agrorum ædificiis vidimus, ſed id acceptum ferendum eſt odoratis fruticum cibis, quibus utuntur. Et ne longius in Exempla me diffundam, Lactis & Butyri menſe Majo, Junio & collecti & parati ſaluberrimus odor naribus delinit, linguamque ferit.

§. 52.

Sed è diverticulo in viam. A Brutis ad Hominem. Indiæ Reges meſſem Sabæam olere ob crebriorem uſum Bethelis & Cachunde pretioſiſſimæ compoſitionis odoriferæ, quam deſcripſit *Zacutus* (*l. 1. Hiſt. Med. Princ. c. 36. obſ. 37. p. 74.*), vulgò notum eſt, qui ideò compoſitum illud Cachunde adverſus oris fœtorem (*l. 2. Hiſt. 17. p. 201.*). Reges Indiæ, *ſcribit Ezechiel â Caſtro* (*l. 1. de Ign. Lambent. c. 5.*) continuo hauſtu odorati pharmaci odoratos exhalant odores, quod forſan & *Magnus* operabatur *Macedo*, ut tetros frequentis crapulæ nidores arte vinceret & obtunderet.

§. 53.

Alvi excrementa ſuavem odorem in quibusdam brutis halare occidentalemque Moſchum referre, jam (§. 50.) dictum, & pluribus Experimentis id explanare difficilè non eſt. Muſtelæ cujuslibet fimum nonnihil Moſchum redolere, notat, *P. Andr. Matthiol.* (*l. 2. in Dioſcor. c. 24. p.*). Martis ſtercus cum Ceraſa edit, odoratum venditat, *Simon. Simonius* (*Diſp. de Putred. Comm. 218. p. 416.*)

416). Cæterum herbis aut fruticibus vesci Martem, negat *Corn. Gesner.* (*l. 1. Hist. Quadrup. p. 866.*). Murium Sylvestrium, qui flavo colore & nostrorum puerorum delitiæ, (nuncupati Socci Moscoroli) stercus odore præditum est, tale etiam serpentum quorundam sentitur, *inquit Petr. Castell.* (*tr. de Hyæn. odorif. c. 2. p. 12. & 13.*). De Serpentum & viperarum Scybalis *Hieron. Cardan.* (*l. 20. de Rer. Subtilit. p. 573.*). *Joh. Rhod.* (*Cent. 3. obs. 98. p. 176.*) *Venerandus noster Præses* (*l. c. c. 1. p. 9.*), quibus contrariatur *Fr. Redi* (*de Viper. p. 31.*) ubi & contra *Severinum* viperas assatas nihil fragrantiæ fundere expertus monuit (*p. 32.*). De Damarum recrementis *Alex. Aphrodis.* (*s. 1. probl. 29.*) ipsum Ambarum *Klobio* stercus s. fimus avis esse, ut allegatur, putatur, qui & Aliorum suffragia (*c. l. p. 33. & 41.*) in fasciculum collegit.

§. 54.

An ab assumtis etiam excrementorum humanorum speranda sit εὐωδία, si quæras, fieri non posse, ut unquam â cibis aut potibus odorem bonum contrahant feces, *Hieron. Mercurial.* (*l. 2. de Excrem. c. 4. p. 291.*) voluit, eò quod totæ terreæ sint & proprio quodam malo odore semper plenæ, imo quanto odoratiora ipsi commisceantur, tantò deterius fœtere, nisi tamen multitudine obruantur. Idem enim Ipsis contingit, *subjicit*, quod melli, cui si fel admisceatur, tantum abest, ut ejus dulcedo minuatur, ut potius magnopere augeatur. Causa verò cur odorata fœdum augeant, *pergit*, hæc est, quod cum calidæ sint, vapores, in quibus fœtor collocatur, magis fundunt, & propterea magis putorem apparere faciunt. Ob quod jure scriptum est *ab Aristotele*, (*s. 13. probl. 9.*) in *quem locum vide Ludov. Septal.* (*p. 244.*), iis, quibus hircum alæ olent, quo magis unguentis, eò deterius olere. Efficitur enim, ut ab unguentis calidis magis vapores diffundantur, atque ita magis fœtor appareat. *Hæc Mercurialis.*

Quid? quod olet gravius mistum Diapasmate virus
Atque duplex Animæ longius extat odor.

(*Martial. l. 1. Epigr. 88.*). Collimant huc illa ancillæ *Scaphæ ap. Plautum* (*Mostell. Act. 1. c. 3. v. 118.*)

Vetulæ edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, illicò
Itidem olent, quasi cum unâ multa jura confudit Cocus.

§. 55.

Ego excrementa, si secundum naturam se habeant, intolerabile Naribus virus obtrudere non puto, ut quidem præsupposuit *Mercurialis*, sed saltem minus gratum quid halare, comprimis si simplex victus præcesserit. *Ipse Mercuri-*

curialis (c.l.c.5 p.309.) è *Rhase, Galeno & Averrhoë* fœtoris ſtercorum cauſam relicet partim in indigeſtionem, partim putrefactionem, quæ ſane corpus præter naturam conſtitutum arguunt. Et hanc ob rationem forſan adducti Veneti & Pragini Studioſi ſectatores Equorum ſtercora, quo intelligerent, quemadmodum alimenta concoxerint, odorabantur, tanquam ex eo omnem eorum bonam habitudinem cogniturì, *Galeno teſte (l.7. M.M. c.5.p. 256.)*, quo & id *Ludov. Cœl. Rhodigin. (l.29. Antiqu. lect. c. 13. col. 1624.)* recenſuit.

§. 56.

Interim certos cibos excrementis conciliare putorem, nemini non notum. Affirmat id de Alliis eruca pomis, ovis, *Avicenna (l.4 ſen. 7. tr.3. c.24.f.518. a.)*. Ne de raphanis dubites & Napis, cœpis etiam, plebejorum firmat experientia. Multum hanc fœtidatem adaugent cibi cibis ſuperingeſti variaque multitudine luxuriantes putredinemque accelerantes. Fœtorem proinde Magnatum obſonantium pollucibiliter egeſtis plebei tribuunt, dum dicunt: *Fürnehmer Leute Miſt ſtinckt am ärgſten. Vid. Alex. Aphrodiſ. (ſ. 1. probl. 29.). Martin. Panſa (part. Theoret. general. de prorog. vit. c.56.p. 211.)*. Ex adverſo animalia Sylveſtria feces minus fœtentes egerunt, tum quia ſimplici veſcuntur; tum quia multum exercentur, *juxta Mercurial. (c. l.)*. Et ſi dantur, quæ fecibus omnem prorſus putorem abſtergunt, ut ſunt *Avicenna (c. l.) autore*, Fœnum græcum & aromaticum, cur non etiam darentur Scybalorum grati odoris ſtatores, ubi noto omnem impure & excrementis odoris abſentiam *Hippocrati & Antonino Conſtantin. (l. 9. Med. Progn. c. 12.p.315.)* ſuſpectam videri.

§. 57.

Quod vero è brutis, &, ſi forſitan contingeret, hominibus quidam odorata recrementa egerunt, id peculiari fermenti ventriculi, ut & inteſtinorum ſtercorei, ſiquidem datur ſecundum *J. B. Helmont. (tr. Sextupl. digeſt. alim. Human. n.37.p.172.)* diatheſi veniet aſcribendum. In ſcenam hanc advocanda bilis, quæ utique per ductus patentes & oculis obvios excrementis miſcetur, quicquid oggarniat *Helmont. (c. l. n. 35. ſq. p. 171.)*, cui ſatis fecit *Joh. Theodor. Schenck. (l. 1. Exerc. Anat. 6. ſ. 2. c. 23. p. 407.)* niſi quis addat ſuccum Pancreaticum, me minimè inveniet difficilem. Bilis autem aliquando Moſchatum quid fragrat, ut *ſupra (§.35.)* indicatum, quamvis etiam multum & facilè fœteat, ſi putreſcat, quod *Schenckio Noſtro (c.l.p. 408.)* libenter darem. Ab ingeſtis etiam in homine alterari iſtas exhalationes *Nobiliſſ. Frideric. Hoffmanni* experimentum *(l.3. clav. Schrœder. c.28. §.137. p.369.)* per

persuadet, quando ab ingesto sulphure excrementa alvina moschum retulisse significat.

§. 58.

De urinæ fragrantia res expedita. In Diabete urina assumta liquida & potulenta & colore & odore refert. Oenopotorum perfecta sanitate gaudentium urina quandoque non fœtorem, sed suavem, dum excernitur, emittit odorem, *Melch. Frid. Geuder.* (*Diatr. de Ferment. c. 10. p. 217.*) testatur. De vino rubro *J. B. Sylvatici* experientiam commemorat *Th. Bartholin.* (*C. 1. Hist. Anat. 68. p. 118.*). Interim ab urinis, ut talibus, suavitatem vix sperare licet, nisi vel Therebinthinæ, vel Moschi, vel Silphii, vel odoratioris medicamenti vi affletur, judicat *Joh. Fernel.* (*l. 3. Pathol. c. 12. p. 228.*). Caryophillos Rad. Angelicæ, oleum Succini his addit *Joh. Dan. Horstius* (*Manuduct. ad Med. p. 1. c. 2. s. 2. Art. 2. p. 120.*). Nucem myristicam, *Fr. Baco Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 9. n. 835. col. 929.*). *Georg. Hieron. Velsch.* (*Decad. 2. Curat. 2. p. 71.*). Idem de Radice Iridis Florentinæ & baccis Juniperi medicamentisque inde paratis *cum Theophrasto Eresio* (*l. de Odor. p. m. 12.*) observare mihi contigit. Lactantis infantis lotium redolet anisum, si nutrix oleum anisi oretenus sumpserit, *J. B. Helmont.* (*Tract. Butler. p. 471.*). Graveolet contra ab assumto Carduo Scolymo, *Vid. Joh. Lang.* (*l. 2. Epist. 6. p. 577.*). Aniso, Allio, Ruta & Cœpa putri, ut modò citati. De Asparago *J. B. Helmont.* (*tr. Nat. Contr. nescia. n. 45. p. 141. & tr. Adit. præclus. ad Cardum Viscer. n. 12. p. 446.*). Medentes sæpe in urina lactentis subsistere odores rerum, quas nutrix sumsit puta ℅ Anisi, Macis &c. Quin & quod nutrix redolet in urina sugentis, adeoque ad illum finem nutrici propinantur.

§. 59.

Ab urinis nullam esse expectandam odoris suavedinem, *cum Joh. Fernelio* asserui, & mecum idem sentire *Henric. Martinium* (*Anat. Urin. Galen. Spagyr. c. 3. p. 51.*) non diffiteor. Interim *Verulam.* (*c. l. n. 832. c. 928.*) annotavit è locis, in quibus urina excernitur violarum odores plerumque percipi, & nescio, (*addit idem*) annon ipsa aqua habeat suavitatis aliquod rudimentum. Non sanè negarem, si Chemico purgatorio destinetur. Invenit namque in tàm translucido & ad oculorum sensum homogeneo corpore præter phlegma insipidum, & caput mortuum ignavum pungentem salem flammans sulphur, fumantem Mercurium. *O. Borrich.* (*l. 2. Hermet. Ægypt. c. 7. n. 3. p. 399.*) quod si perrexisset operari *Vir in hac Arte admirandus*, forsan & in sulphure fragrantiam attendisset. In Centro Urinæ sal volatile grati odoris latere & Chemica industria

elici, quod ad Retortæ collum aſcendit, viresque aurum ſolvendi obtinet *Petr. Borell.* (*Cent. 2. obſ. med. phyſ. 33. p. 131.*) ebuccinat. Advertit *illuſtris ille per Ignem Philoſophus Robert. Boyle* (*p. 3. Chymiſt. Scept. p. m. 159.*): Salem urinæ ſali marino non eſſe abſimilem. Sal autem marinus recens & ſub dio congeſtus, *referente Joh. Bapt. du Hamel* (*T. 2. op. Philoſ. l. 1. de Corp. aff. c. 9. n. 1. p. 88.*) exhalat odorem violæ gratiſſimum, & ex eo odorem ſuum Ambram emendicare aſtruit (*l. 4. Panchym. ſ. 7. c. 49. p. 581.*) *Joh. Petr. Faber.* Facit huc *P. Borelli* (*Cent. 4. obſ. 66. p. 332. ſq.*) ſuſpicio, Ambram animalem rem ſtatuentis ex Cera & melle, odoremque ex malaxatione in Aquâ marina & digeſtione ſibi comparare aſſeverantis. Ut ita non ineptè quidam Mare lotium Naturæ & Lixivium Mundi *ap. Petr. Joh. Fabrum* (*c. l. ſc. 1. c. 2. p. 452.*) nominarint. Suavem & jucundum odorem quosdam Sales emittere exemplo Salis Arabici odorati & Cappadocici odoratiſſimi, probat, *Georg. Agricola* (*l. 3. de Foſſil. p. m. 585.*) Certum eſt, *inquit*, (*c. l.*) *Verulam.* quod Sal niger aquæ tantum congelatæ ſpecies, quandoque violarum inſtar fragret.

§. 60.

Dantur & aquæ, ſtagna & fontes, gratam odoratui offerentes exhalationem. Aquæ Jordanis roſaceum odorem aſcripſit *Franciſc. Ferdinand. à Troilo* (*Itin. Orient. p. 327.*). Stagna ſalina violacei odoris prope Aſtracham reperit *Adam. Olear.* (*l. 6. Itin. Muſcov. Perſic. c. 22. p. 747.*). Fontis mentionem fecit *Herodot.* (*l. 3. p. m. 269.*) in quo loti efficiuntur perinde atque inuncti violam olentes. De fonte Hianxui *Joh. Neuhoff* (*Oſt-Indiſche Geſandſchafft p. 337.*). In Balneis Puteolanis gratum odorem annotavit *Athan. Kircher.* (*l. 3. de Art. Magnet. p. 7. c. 4. §. 2. p. 549.*) quod peculiari bituminis generi imputat.

§. 61.

Odor iſte marinus annon forſan impoſuerit Nautis & illuſtri *Kenelm. Dygbæo*, qui triginta vel quadraginta milliaribus ab oris Hiſpanicis remoti odorem Roriſmarini ibidem copioſe creſcentis (*Vide Dygb. Orat. de Pulv. Sympath. p. m. 94.*), Cinnamomi etiam ex Inſulis Ceilan & Madagaſcar, de quo *Joh. Albert. à Mandelsloh.* (*l. 2. Itiner. or. c. 4. p. 127.*) *Rob. Boyle.* (*de Nat. Determ. Effluv. c. 4. p. 155.*), Caryophillos è Mollucis (*Athanaſ. Kircher. l. 4. M. S. ſ. 2. c. 8. prop. 2. p. 234.*) propriis ſibi viſi ſunt hauſiſſe naribus. Ita & *Fr. Baco Verulam.* (*c. l. n. 834. col. 928.*) Sylvas & plana locorum malis citriis & Rore marino conſita odorem ſenſibilem in magnis ſpatiis in mare diffundere, forte ad viginti milliaria, ſcripſit. Quod ad tàm diſſitum ſpatium Atomi iſtæ abſque diſperſione in locis ventis & exhalationibus continuò expoſitis, quod qui-

quidem admisit. *J. Marcus Marci (p. 5. Philos. Vet. Restitut. subs. 8. p. 525.)* pertingere valeant, curiosi edicant.

§. 62.

Interim Lotium fragrans emisit quidam moriturus, qui se Therebinthinam &c. assumsisse constanter negabat, *Th. Bartholin. (Cent. 4. hist. anat. 78. p. 388.)* testis est. Tale etiam sedimentis purulentis stipatum in *Joh. Pistorio* deprehendit *M. Ernest. Henric. (ap. Joh. Hornung. hist. Med. Epist. 193. p. 371.)*. In scorbuticis etiam non semel observavit mecum *Experientis. Dn. D. Gabriel. Clauder.* ut in literis ad me perscriptis fatetur. Talis si sit, bonum signum *Anton. Santorello (l. 8. Arte prax. c. 11. p. 246.)* non videtur. Quod si *Paracelsum (T. 1. Op. l. 1. de Tartar. tr. 4. in not. ad. c. 3. p. 407.)* audias, quando urina sapit, (olet, recte substituit *Georg. Hieron. Velsch. Decad. 2. Cur. 2. p. 71.*) ut viola, ut ireos, est malum signum, venit à vitriolatis, & (est) signum malæ digestionis & declinat ad putrefactum Tartarum.

§. 63.

Cum Moschus Orientalium ad nos effœtus plerumque afferatur, ideò urinam Moscho conciliare odorem ex relatione *Fr. Gregor. de Bolivar. (Hist. de Mosch. orig. & generat.)* allegat *Fautor post Fata colendus, Frid. Hoffmann. (l. 5. Clav. Schrœd. s. 1. §. 27. p. 680.)* qui, & moschum in locis urinosis novas acquirere vires (*l. 2. c. 75. p. 107.*) docuit. Panno igitur urina leviter perfuso moschum excipere *Petr. Servius (l. de odor. p. 128.)* consuluit. Moschi activitatem & svaveolentiam per lotii & latrinarum exhalationes, si his per tempus ille exponatur, aut putrescente urina frequentius irroretur, augeri & emarcidam restaurari, fidem fecit *Nobilis. Dn. D. Joh. Bohnius (Diss. Chym. 10. §. 4.)* Add. *Magnif. L. Schrœckium (c. l. c. 12. p. 63. & c. 16. p. 92.)*, qui spiritu Salis Armoniaci Moschum aliquando adulterari monuit. Sulphur & Antimonium cum urinæ spiritu digestioni consecrata odorem Muscum & Ambram referentem acquirere, *Joh. Rudolph. Glauber. (p. 2. Fumor. Philos. p. 133.)* expertus, & hos odores proficisci ab urinæ spiritu maturante, in quo non destructivus, sed conservativus & multiplicativus delitescit, cunctos colores (*& odores*) exaltans (*p. 134.*)

§. 94.

Cur vero imprimis à Therebinthinatis assumtis, imo si *Petr. Borellum (Cent. 2. obs. med. phys. 33. p. 121.)* consulas, à Therebinthina externe testiculis imposita aut manibus odor fragrans violaceus, aut violas Calthas referens, *ut Hieron. Cardan. (T. 1. Opusc. Consil. pro diffic. Spirandi p. 432.)* enunciat,

ciat, Urinæ inspiratur? Latitat in ipsa enum Therebinthina talis miasmatum constitutio. Exhalant eadem ipsa Abies, è qua vulgaris Therebinthina, quæ etiam officinis veneta est, affirmante id *Joh. Schrœdero* (*l. 4. Pharmacop. cl. 1. p. 3. & Cl. 2. p. 209.*) & Pinus mense Majo aut Junio, quod per ea loca, in quibus crescunt copiosè, iter facientibus advertere licebit.

§. 65.

Odor ille etiam lapidibus substratis communicatur & imprimitur, ut mecum observavit *Mich. Crügnerus* (*im Chymischen Thannebaum c. 3. p. 56.*) De Lapidibus, qui circa Dresdam eruuntur, odorem florum Cheiri spirantibus *Paul. Zacchias* aut *D. Horst. ap. Eund.* (*l. 4. quæstion. med. legal. Tit. 1. qv. 10. n. 37. p. 368.*) Geodis Miseni Aldenbergi reperti violam vel iridis illyricæ radicem odore sistentis meminit *Georg. Agricol.* (*l. 4. de Caus. & ort. subterr. p. 517.*), qui addit, nonnullos eadem halare effluvia, propter lutei coloris muscum, qui ad eos accrevit. Luteus ille color est â farina lutea, quam recens prodeuntes surculis largiter spargunt, eaque tempore pluviæ â ventis disseminata pluveam sulphuream mentitur. Conf. *Casp. Schwengfeld.* (*p. 4. de Therm. Hirschberg. p. 181.*). Non enim tantum Muscus Cedrinus, testimonio *Dioscord.* (*l. 1. de Mat. Med. c. 20. p. 19.*), sed & Lacicis & Albietis, advertente *Petr. Andr. Matthiol.* (*Comment. in h. l. p. 46.*), imo pini & pinastri, quod conjicit *Henric. Smetius* (*l. 9. Miscell. c. 20. p. 506.*), cui etiam experientia suffragitur svaveolens deprehenditur. Plura *Petr. Ablin.* (*Meisnische Berg-Chronicke Tit. 19. p. 156.*) *Martin. Ruland.* (*Lexic. Alchym. p. 277.*) *Joh. Jac. Wepffer.* (*Hist. Cicut. agunt. c. l. p. 13.*) *M. C.* (*Decur. 2. An. 8. obs. 28. p. 81. seq.*) *Apollonius*, ut & hoc subjungam, cum cum comitibus jam Caucaso propinquaret, olentis terræ jucundum odorem, *referente Philostrato* (*l. 2. de Vit. Apollon. p. 52.*) *sentit.*

§. 66.

Fragrantia ista in urina percipitur, quod tenuissima solum fragransque substantia, (ut loquitur *Hieron. Cardan.* (*T. 2. opusc. l. de Æther. p. 1542.*) resinæ cum Urina permeaverit, & quod odor urinæ feriat per se. Clarius *Th. Willis.* (*tr. de Urin. p. 373.*): Videtur quod in hujusmodi mixtis sulphuris purioris (h. e. Spiritus imbuti) particulæ complures emineant, quæ cum volatiles fuerint, sero confusæ mixtionis vinculo non continentur: quare lotio excreto statim hæ solitariæ aliisque urinæ fœtidis incomitatæ excipiunt, ideoque odorem satis gratum diffundunt; qui licet â comestis diversimodis concitetur usque tamen eodem modo violaceus perstat, eòquod in omnibus sulphu-

ſulphureæ iſtæ particulæ digeſtione ab aliis ejuſdem concreti adjunctis liberantur, neque alienis â lotio inficiuntur. Clariſſime *(c. l.) Borellus:* Cum multum ſalis volatilis (gemmei marini) therebinthinæ inſit, quod patet ex eo, quod frictione ſola manifeſtatur, in urinis autem ſolvitur, propriumque urinæ ſalem volatilem (ex Chemicorum operationum ignorantia ſal volatile hoc vagam & incertam cauſam vocat *Mich. Watſon.* (*un Sapient. Synopſ. Philoſ. Contempl. c. 5. §. 10. p. 450.*) & odorem iſtum delicatum imaginarium) auget, ſicque juncti copia ſua tunc melius pateſit odor violarum in ſale volatili latens.

§. 67.

Exquiſitæ luxuriæ Antiſtites, quibus delicatioris vitæ genus placet, quique mollibus & unguentatis aut peregrini muris olentibus pellicula veſtitus amiciuntur, pulveres odoratos & Cyprios quotidie veſtibus inſpergunt, aut unguenta adhibent mulieroſi, ut ſecundum illud *Zenonis ap. Diogen. Laërt.* (*l. 7. de Vit. Phil. p. m. 450.*) mulierem oleant, & illi ad tempus dum fragrantiam imbiberunt, cutis pori & glandulæ præfatos odores ſervare poterunt. Quo quidem odore, aut ſuo gloriantur, prout *Seneca (Epiſt. 87. p. m. 182.)* jocatur. De Eſavi veſtibus id concionatur *Cornel. â Lapide (Comment. in Gen. c. 27. v. 27. p. 222.)* & addit: Ex hoc loco patet, antiquiſſimum eſſe, ut principum virorum & nobilium veſtes, pretioſis unguentis & odoribus condirentur, allegatque *Pſalm.* (*44. v. 9.*) & *Cant. Cant.* (*c. 4. v. 11.*) De *Cajo Plotio Planco Munacij Planei Conſularis & Cenſorij fratre*, qui, cum â Triumviris proſcriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere & odore unguenti occultam ſalutis cuſtodiam detexit, legenti *Valer. Max.* (*l. 6. c. 8. §. 5. p. m. 289.*) & *Henric. Kornmann.* (*de Mirac. Viv. p. 217.*). Idem fatum ſubiit *Muteaſſes Rex Tumetanus*, quo de *Paulo Jovio Noſter Schræckius* (*c. l. c. 45. p. 206.*) memorat.

§. 68.

Corporis illa fragrantia an cum vita in auras abeat, an ſuo cadavere impreſſa relinquat veſtigia, diſquirendum reſtat. Moſchia beſtia etiam interemta Moſchum redolet, etiam exuviæ, ſi curioſe explores, (*M. C. Decur. 1. Ann. 6. & 7. obſ. 178. p. 170.*) donec putredo ſupetveniens miſturæ rationem tollat, quod etiam *Andr. Libav.* (*ap. Gregor. Horſt. c. l. p. 504.*) annotavit. In Muſcis Piſanis *Chimentell.* fragrantiæ odorem triduo poſt mortem duraſſe, *ap. Joh. Nicol. Pechlin.* (*c. l. obſ. 51. p. 334.*) prodidit. De iis quos ſupra in Theatrum adduxi, ad in vita fragrarint, non conſtat. De *Alexan-*

lexandri M. Cadavere quibusdam affirmativa placuit, ut è *P. Boiſtuau (de l' excellence de l' homme p, 225.) Henric. Kornmann. (p. 4. de M. M. c. 95.).* De fragrantia ſilent hiſtoricorum commentarii, nauſeabundæ virulentiæ abſentiam tantum allegant. Principibus, *inquit Plutarch. (in vit. Alex. M. p. 503.)* per multos dies de ſumma rerum contendentibus interim Cadaver *Alexandri* inſepultum jacens in æſtuoſo loco, nullum tamen hujusmodi corruptionis ſignum habuit, ſed purum atque velut recens permanſit. Ita & *Curtius (l. 10. c. 10. p. m. 427.)* ut tandem (poſt ſeptimum diem) curare corpus exanime amicis vacavit, nulla tabe, ne minimo quidem livore corruptum videre, qui intraverant. Vigor quoque, qui conſtat ex Spiritu, non deſtituerat vultum. Ut adeo memoriæ lapſum paſſi fuerint, *J. B. Sinibald. (l. 5. Geneanthrop. tr. 2. c. 3. p. 486.) P. Boiſtuau (c. l.) & Conr. Victor Schneider (l. de Cribrif. p. 351.)*, qui ad *Curtii* teſtimonium provocant, narrant *Alex. M.* (diſceptat *c. l. Libavius*) Moſchum redoluiſſe vivum, vix opinor fato functum. Quod de *Alex. M.* Cadavere jactant ni inſepultum per ſeptem dies incorruptumque ſervatum gratum odorem exſpiraſſe, credo eſſe ſcriptorem, qui ut fit, non contenti narrare, quod incorruptum Cadaver ſervatum ſit, ut audierant, addiderunt etiam illud, gratum ſpirare odorem cum ſufficeret ad admirationem excitandem, quod ingratum non ſpiraſſet, *judicat (c. l. n. 38. p. 366.) Zacchias.* Forte veneni hauſtus Aquæ nempe Stygiæ in ungula equina oblatæ, quo periiſſe dicitur *Plinio (l. 30. c. 6.), Arriano (l. 8. p. 500.), Juſtino (l. 12. c. 14. p. m. 377.) & Vitruvio (l. 8. Architectiur. c. 3. p. 529.)* odoris gratiam excuſſit. Aquam iſtam ipſum propinaſſe *Ariſtotelem Bernhard. Teleſius* ſequenti diſticho (*ap. Guilhelm. Daviſſon. Proœm. Comment. in Med. P. Severin. c. l. p. 32.*) prodidit:

Doctorem calamo ingratus, Dominumque veneno
Perdidit, igne Patrum dogmata nos tenebris.

Theod. Beza (Poëmat. f. 116. b.) Alexandrum M. ſequens eloquentem introduxit:

Poſt Perſas fuſos quæſitasque orbis habenas
Armis non potui cedere, cedo dolis.

Sed corporis incorruptibilitas usque ad ſeptimum diem, imò poſtquam *teſte Curtio (c. l.)* repletum odoribus fuerat duratio ad *Julii Cæſaris & Auguſti* tempora, qui illud non ſolum viderunt ſed & attrectarunt. *Vide Lucan. l. 10. Pharſalid. v. 20. & Dion. l. 51. p. 279.*) qui Auguſtam naſi partem aliquam ex attrectatione fregiſſe, prout accepit, *refert*, veneficii ſuſpicionem fictam arguunt, quod etiam

Plutar-

Plutarchus suspicabatur, & *Pausanias* (*in Arcad. s. l. 8. c. 18. p. 636.*) dubitabat his verbis: Fueritne hoc veneni genere enectus *Alexander*, *Philippi filius* (*Comment. de Potu c. 2. p 312.*) ille non ab aquis illis læsus videtur, nam si merum bibisset, vehementia aciditatis insidias prodidisset, & multum dilutæ non nocuisset.

§. 69.

In his, qui in vita suaveolentia crebro absorbuerant, etiam post mortem εὐωδία illa superstes inventa. Facit huc *Joh. Theod. Schenckii* (*p. 2. Med. Disputat. Art. 5. §. 6. p. 20.*) in literas relata historia. Corpus Marchionis cujusdam Senis Brandenburgici (fuit *Christianus Archi-Episcopatus Magdeburgensis Administrator*, prout consignavit *Sigism. Elsholz M. C. Decur. 1. Ann. 6. & 7. obs. 225. p. 332.*), qui paucos ante annos obiit, ob Ambram & Moschum propinatum fragrantissimum extitit, ipsis etiam extis, quin & corde eodem odore infectis. Facit huc *Eutichii Patriarchæ Alexandrini* (*T. 2. Annal. Alexand. p. 367.*) relatio: *Abdollaho Ebn Zobair* fertur mater Musci libram bibendam dedisse. Tum ad Hejajium prodiens pugnavit donec interficeretur, crucique Mechæ affixus est, olfaciebantque homines è corpore ipsius Musci odorem diebus multis. *Conf. J. Cæs. Baricell.* (*c. l. p. 174.*)

§. 70.

Unde vero illorum, quos suprà allegavimus (*§. 4. 5. & sq.*), cumprimis Sanctorum corporum svaveolens evaporatio? Oedipus hoc excutiat & edisserat, tenuitatem ingenii & judicii id supergredi lubens largior. Hoc experientiæ testimonio me non fugit, quædam fere in odora fragantiam successu temporis consequi. Contingit id ob crudorum humorum etiam excrementitiorum admistionem, quæ si corrigit, coquit, aut exturbat internus ab externo adjutus calor, sulphurque & sal volatile odorum latens à Centro ad peripheriam propellit, & in statum volatilitatis exaltat, svavibus miasmatibus nares occupant, delectantque. Fructus Arborum, poma imprimis & pira, id satis declarant. Radix Iridis siccata demum odore delectabili se commendat: *juxta Dn. D. Paul. Ammann.* (*Manud. ad mat. Med. c. 8. n. 13. p. 103.*). Idem de Cinnamomo referunt. Junge his agnei humoris, qui odoris, in sicco consistentis vires infringit & obscurat separationem & exaltationem. Zibethum recens tetræ & horribilis exhalationis, successu temporis deponit illud narium fastidium: Testatur id *Amatus Lusitan.* (*ap. Petr. Castell. c. l. c. 9. p. 63.*). Idem quidam de Moscho Castoreum odorem referente usque dum excoctus & soli expositus abominandum excutiat virus. Sunt inter hos *Anton.*

Musa Brassavol. Simon. Sethi Joh. Renodæus, Vopiscus Fortun. Plempius, à Joh. L. Schræckio (*c. l. c. 5. p. 26*) allegati, ubi & Confer. *Salom. Alberti* (*orat. de Mosch.*), quibus tamen Alii non subscribunt.

§. 71.

Putredinem hic in aream evocat *J. B. Helmont.* (*tr. de Trib. princip. Chym. n. 80. p. 334.*). Sunt plura, *infit*, simplicia, quæ fragrantiam, quam ante sua in specie non habebant, inveniant in sinu putredinum. Qualia sunt Moschus, Zibetta, Ambarum, stercora quædam brutorum, atque ligna putrentia. Fracedo quippe varia illis suboritur, unde semina fragrantiam sibi hauriunt, transplantantque in novam generationem. Idem etiam (*in suo Spudasto*) dudum ante *Helmontium* statuit *Th. Erast.* Cerebrum, cui odorem Armeniacum tribuit *Th. Willis* (*Tr. de Cerebr. c. 10. p. 77.*), in putrilaginem versum, bono odore laudabile invenit *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Prax. admir. obs. 5. p. 2.*). Vide supra (*§. 32.*) de Cerebro prodita.

§. 72.

Helmontio pollicem premo, dum putredinem ad suavem & gratum odorem facere asserit, quamvis contrarium sustineat *Simon. Simon.* (*c. l. p. 416.*), id tamen fieri per accidens saltem, non inficior. Non inducit, sed educit suaveolentiam putredo. Latenti viam pandit, non causatur eandem. Dispositivè, non efficienter agit. Quod si igitur detur corpus nullis pravis humoribus infectum & corruptum, sed subitanea, aut etiam violenta, non lenta morte extinctum, illud post mortem in locum transferatur frigidum & lucidum, ut ita non violenta, sed lenta ratione resolvi incipiat, nares parum spinosis & fœdis exhalationibus lædet, & si quid odoris in ejus latuit compage in illa blanda & naturæ genuina resolutione auras petet, naresque deliniet. Insita namque principia per lentam, non impetuosam putredinem è carcere suo liberata suam virtutem produnt, ut benè *Th. Bartholin.* (*Cent. 4 Epist. 85. p. 495.*)

§. 73.

Ad Exempla, quibus in sinu putredinum quandam fragrantiam subesse persuadere conatur *Helmont*, reponimus ea, quæ *Erasto* reposuit *Simon Simon.* (*c. l.*). De Moschi generatione ex putrefacto cujusdam bestiæ Gazelæ similis sanguine, fabulæ sunt, qua de *Schræckius Noster* (*l. c. c. 15. p. 54.*) & tu putide sentis, qui tot putrida affirmas non nos, qui putridum Zibethum negamus. Et paulo post (*p. 417.*) pergit *Simon.* : ut naturali grato ingratum odorem præter naturam substituere potest corruptio: Ita ingrato, qui secundum naturam rei accidat, gratus præter naturam coctione vel Arte, vel ut in Zibeth, Ladano, Moscho, quæ tem-

tempore purificata virus deponunt & ſuavia fiunt. Neque Sanguinis collectionem illam, quæ ſub ventre animalis in tumorem, quamque capta fera cum Corio ſimul abſcindunt Venatores, calore alieno & putrefaciente, ſed benigno, naturali & coquente, ſubactam dicam. Si namque à cauſa violenta proliciatur, ſanguis in abſceſſibus ſaniem quidem generat, ſed malè olentem ac fœtentem. Abſceſſus igitur ſi eſt, naturalis eſt, in quo ſanguis convertitur in ſuccum odoratum Naturæ neceſſitate, eleganter decidit *Th. Bartholin.* (*Vol.1. Act.Hafn. obſ.58.p. 116.ſq.*). A putredine rancorem induci ſeminibus, pinguibus &c. neminem latet, qui ipſe rancor Caſtoreo, Moſcho & reliquis inductus fragrantiæ utique pararius eſt.

§. 74.

Paradoxum autem novum (non novum, cum Aliis etiam aſcribat *Fr. B. Verulam. Cent. 8. n. 835. col. 929.*) propinat Helmont, dum Ambari odorem è putredine accerſit. Forſan maris fungum, qui putredini ſuam debent originem illud reputavit. Cum *Serapione* (*de Simpl. c. 196.*) & *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 104. ſ. 10. p. 391.*), quem videtur corrigere *P. Joh. Faber* (*l. 4. Panchym. ſ. 7. c. 49. p. 581.*) dum aſſerit, illud eſſe pinguedinem marinæ Aquæ ex humido ejus pingui & reſinoſo in rupibus ipſius maris enatam fungorum inſtar. Ramum eſſe Arboris vel ſtipitis in bitumen induratum *Augerio Clutio* (*de Nuc. Med. c. 3. p. 3.*) viſum. A piſce Azel provenire, & ejus ſemen exiſtere, notarunt iterum *J. C. Scaliger.* (*c. l. p. 390*). *Petr. Andr. Matthiol. Comment. in l. 1. Dioſcor. c. 20. p. 43.*), aut excrementum Avium, quia in hoc avium roſtra aliquando inventa ut *Garcias ab Orto* (*l. 1. Hiſt. Aromat. p. m. 12.* egregio rationandi genere) voluit, quod per rupes ſtillans in aquas vel maſſam reductam à fluctibus marinis inde avellitur, *allegante P. Borello* (*Cent. 4. obſ. 66. p. 320.*), quod etiam amplectitur *Juſtus Fid. Klobius* (*Hiſt. Ambr. p. 33. & qu. 7. p. 71.*) & iſtas aves inſulanorum de Maldivis Anacangri Spasqui, vel lignum Madagaſcarica Aſchibouch dici *ex Alliis* (*qu. 6. p. 76.*) memorat. Rectius forſan Bitumen (*Ceram ſubſtituit Borellus l. c. p. 332.*) judicat è Recentioribus *Dan. Sennert.* (*in Paralipom. ad inſtit. XVI. p. 82.*). *Joh. Schrœder* (*l. 3. Pharmacop. c. 29. p. 509.*). *O. Wormius* (*l. 1. Muſ. ſ. 1. c. 14. p. 33.*). *Dn. D. Chriſtian. Lange* (*Pathol. Animat. c. 57. §. 17.*) Quis autem bitumina odorem à putredine nanciſci unquam aſſeverare auſus fuit?

§. 75.

De Brutorum ſtercoribus *ſupra* (*§. 50. & 52.*) quædam in medium allata, quod autem à putredine acquirant odoris gratiam, ex ibidem dictis facilè refutatur.

tatur. Probato, ut iterum *Simonii* verba (*c. l. p. 416.*) *Erasto* opposita, *Helmontio* opponam, aucta putrefactione fecum Martis odorem ex insuavi suavem redditum esse. In quo hallucinaris, id potissimum est, quod fœtorem (ut & εὐωδίαν) non distinguis. Est enim quidam rei naturalis, ut Cimici, Castoreo, Spatulæ, Stercori, urinæ &c. & hunc putridum fœtorem qui dicet, dicet etiam spatulam & Cimicem non esse Cimicem & stercus non esse stercus, quia secundum partem corrupta sunt.

§. 76.

Sed Moschum è fœtidissimis extrahimus, dictitat *Th. Bartholin.* (*Epist. de Medicin. inquilin. p. 18.*), & è stercoribus Zibethum beneficio putredinis colligunt Chemici, inter quos etiam *Joh. Rud. Glauber.* (*c. l. p. 141.*), quemadmodum Aurum ex *Ennii* stercore *Maro*, quod notarunt *Th. Bartholin.* (*de Lact. Harvean. p. m. 407.*). *Joh. Theod. Schenck.* (*Hist. hum. generat. c. 7. p. 84.*). Carbon vocari *à Paracelso*, *Joh. Schrœder.* (*c. l. c. 75. p. 263.*) conjicit, & asserit *Joh. Hartmann.* (*in Osw. Croll. Basil. p. 88.*); Ita vero *Paracels.* (*l. 7. Archidox. p. 813.*) *Ein Kühdreck der stinckt, so er elevirt wird, gleicht sich der Ambra, und das Boden bleibet ärger, denn kein Menschendreck schmäcket.* Stercori Vaccino etiam Moschum inesse suum, confirmat *Joh. Agricola*, (*Com. in Joh. Poppii. med. Chym. tr. de Zibeth. p. 255.*) & modum, secundum quem præparatur, proponit, cujus rei non semel se experimentum fecisse subjungit, nec quod idem ex stercore humano elici possit, dubitat. Ex stercore vaccino destillatur Aqua Moschum olens, *Andr. Libav.* (*p. 3. Singul. l. 4. c. 7. p. 364.*) expertus docet. De humano, si quæris τὸ περίττωμα τῆς κοιλίας nil aliud esse, nisi sulphur, *Paracels.* (*l. 1. de Tartar. tr. 2. c. 2. in annotat. p. 398.*) & Spiritum Microcosmi Sulphureum in excrementis contineri, *inquit Andr. Tenzel.* (*Med. Diastat. c. 5. p. 69.*) in confesso est. Sit ita, fœtidum tam est Sulphur & sylvestre, putredini facile auscultans. Unde igitur fragrantia? Experieris ex Scoriis stercoriis eandem deprehendere, regerit *Frid. Hoffmann.* (*Clav. Schrœd. l. 2. c. 75. §. 240. p. 206.*) quarum naturale principium felli debetur, prout & urinæ, unde fel prævia digestione destillatum Moschi vel Zibetæ imitatur odorem, educi autem mediante digestione (*l. 5. c. 23. p. 665.*) astruxit. Adde *supra* (*§. 35.*) allegata.

§. 77.

Ut se feliciter expediat ad Mundi Animam consvetum in causa desperata asylum, potentia saltem odorabilem & sulphur universale confugit *Joh. Agricola* (*c. l.*). Respondet in genere *Georg. Kirsten.* (*p. 2. Advers. & Animadv. in Joh. Agric. commentar. & Chirurg. s. 4. c. 2. p. 543.*) (α) quod ratione sulphuris uni-

universalis res fœdi odoris sua natura, qua talis exaltari ad gratum odorem, quod sulphur tale non existat, nec abstrahi possit, nisi mentaliter, adeoque nullam faciat substantiæ naturalis determinationem. (β) Quod diversa odorabilia, quia distinctas & differentes figuras habeant; e. g aliam res fœtida, aliam svaviter olens; aliam vulvaria, aliam caryophylli. Unde (γ) sequitur cum species non transmutari possint, & una in alteram transformari, quod etiam ex fœtido sulphure non possit fieri odorabile sulphur, nimirum ex stercore humano, aut bubulo *Zibetha*. Audire hic non fastidiamus *Hermann. Conringium (l. 2. d. Hermet. Med. c. 6. p. 262.)*: Zibetha occidentalis, quam vocant, ait, cur præparari debeat ex stercore humano & quidem longa digestione, nihil omnino est causæ. Frustraneus ille labor est omnis, præsertim coarguente vanitatem successu.

§. 78.

Sed ad experientiam provocat *Agricola* & è bubulo Balsamum Moschatum & Ambram se elicuisse affirmat. Nolo hic experientiam Agricolæ dubiam facere, quamvis ille variè Lectorum eludit spem, quod Chemicis multis solenne, nec frustra de eventu dubitat *Kirstenius*. Moneo saltem (1) Non omne quod Ambram aut Moschum odore refert, Ambram esse aut Moschum. Inde *Kirsten. (c. l. s. 1. c. 2. p. 138.)*: *Kühdreck ist kein Schmalz, und solte ihm der Gestanck schon entgeben, so wird kein Moschus draus werden.* (2) In corpore imprimis imperfectè mixto, & ex pluribus specie differentibus figuris compacto plura latere sulphura possunt, quorum unum fœtidum, alterum fragrans. Ex reliquiis sulphuris specifici Plantarum & Herbarum sulphur odoratum in bubulo latet, quod ubi evanuit, fœtidum destillationis medio exaltatum emergit, inde tamen non sequitur à sulphure excrementorum specificato hanc surgere εὐωδίαν. Ne nobis deesset experientia, iterum tradit *Kisten. (s. 4. c. 2. p. 545.)*: bis tentavimus in excremento vaccæ, quæ enutrita fuit per æstatem in pratis floriferis; & posteà in ejusmodi vacca, quæ domi saginam accepit ex subacta cum furfure polenta, seu malta & segmine culmorum: Certò affirmare possum in altero illo post multas digestiones mihi prodiisse ex prima destillatione fœdissimum phlegma; posteà flores demum sulphuris, sed ejusmodi, qui nihil minus, quam Moschum spirabant: in altero vero, in quantum sensui & judicio Narium fidendum fuit, meram & scelestissimi odoris Mephitim. Itaque de novo utrumque stercus solaribus radiis sub dio excolendum, excoquendum & sublimandum exposui, ne si fortè subesset aliquid, frustratus ego videri possim: Et Deum Fidium testor, non aliter oluisse excrementum illud pratense,

poſtquam exſiccatum fuit, quam ſolent plantæ & herbæ, quæ comeſtæ fuerunt; in altero autem præter ſtercus & ſtercus & poſtquam fœtidum ſulphur exhalavit, non niſi corpus recollaceum comparuiſſe. Sed ne manus noſtras & aures tuas *L. B.* collutulem, deſinamus, hic & iſtas delitias cum *Th. Bartholino* (*l. c.*) Coprianis relinquo.

§. 79.

Patet etiam ex præmiſſis, cur Mellis aqua, poſtquam circulatione ad ætheris naturam exaltata, fragret odore germinum pruni, ut loquitur *Hier. Cardan.* (*T. 2. opuſc. l. de Æthere p. 1587.*), aut cur quinta Mellis eſſentia, prout explicat *P. Borell.* (*Cent. 4. obſ. 66. p. 333.*), fragrantiſſima? Mel ſiquidem nil aliud eſt, *juxta Joh. Zwelfer.* (*l. 1. Pharmac. Reg. p. 2.*) quam ex delectu optimorum florum & vegetabilium primo vere & ſuccedente æſtate collecta quinta Eſſentia, atque gloria Roris cum extracto florum, *ſecundum Franciſ. Oswald. Grembſ.* (*l. 1. Arb. integr. & ruinoſ. hom. c. 7. §. 8. n. 21. p. 63.*) continet. Iſte igitur odor latens ſeu Ideæ florum, dum igne ventilantur, ſubtiliſantur, & evolvuntur facile odoratum ſubeunt, & percipiuntur.

§. 80.

Speluncas & terras ſecundùm Naturam odoris ſvavitate præſtantes dari apud Curioſos obſervatores legimus. Cum montis Zibinii oleum ſeu Petroleum odoris ſvavitate ſe commendet, quis glebas illas atras è quibus in fruſtula ſenſim fiſſis ac ære tepefactis aheno & loculo obſervatis laneo prælis oleum, *ex recenſione Franciſci Arioſti.* (*l. de Ol. mont. Zibin. p. 28.*) exprimunt, omnis odoris expertes aſſervabit? De aliis odoratæ terræ generibus pluribus non laboro. Tales ſpeluncæ, *narrat Excell. Joh. Chriſtoph. Becmann,* (*Diſſ. de Sangv. prodig. c. 3. §. 7. p. 34.*) paſſim per Aſiam citeriorem, & Ægyptum harum gentes attonitas reddunt, neque dubitant reliquiis Prophetarum ibi olim conditis hanc gratiam aſcribere. Et paulo poſt: Odoris gratia ſingulare aliquid utique ſpirat; verum quid obſtat, quo minus ſuſpicemur totum negotium non incognito lapidi Iditho transſcribendum eſſe, qui in maxima ſaxa ſæpe excreſcit & gratiſſimum odorem violaceum ſpirat, quo nomine etiam in vicina Sileſia ſe probe commendat. Terram Syriæ & Arabiæ etiam allegavit *Ariſtot.* (*ſ. 13. probl. 4.*) Eſt igitur, quod miror, *Athanaſ. Kircherum,* (*T. 1. M. S. l. 7. ſ. 2. c. 3. p. 365.*) varias terrarum differentias recenſentem, hanc quæ ab odore ſumitur præteriiſſe. Advertit tamen *alibi* (*l. 3. Art. Magnet. p. 7. c. 4. §. 2. p. 549.*): Montem illum in quo ſpelunca Braccianorum Serpentum exhalationes grati odoris ſpiraſſe, quod etiam in Balneis Puteolanis ſe deprehendiſſe meminit, quod per ea

loca

loca certum quoddam deferatur Bituminis genus. Ejusmodi igitur locis si sepeliantur corporum reliquiæ, ejusmodi odorem facile imbibere poterunt, aut odor terris proprius cadaveribus adscribi. De Basilica subterranea *Seraphici Patriarchæ Fratrum S. Francisci Assisiensi* narrant, *referente Joh. Dan. Horstio, (Resolut. suet. Mussip. p. 72.)* scriptores: Cadavera illa circumjecta gratissimum spirare odorem, ut olfactus hominum nunquam similem habuisse credi posset. In Insula Ogygia Saturno habitata svavis fragrantia, quæ ex saxo in illo tanquam fonte diffunditur. Esse autem in vertice saxi aves, quæ *Saturno à Jove* Ambrosiam afferunt, *à Plutarcho (l. de facie in orbe Lunæ p. m. 468.) narratur.*

§. 81.

Sylvas, Arbores, frutices plantasque odoratiores reddi, quibus Iris incubuerit, è Physicis ignotum esse non potest. De lignis *Plutarchus (l. 4. Sympos. qu. 2. p 292.)*, Clarius *Plinius (l. 120. p. 24.)*: Tradunt, *inquit*, in quocunque frutice curvetur arqvus cœlestis, eandem, quæ sit Aspalatho, svavitatem odoris existere, sed in Aspalatho inenarrabilem quandam. Qui & *alibi (l. 24. c. 13.)* Aspalatum non ubique odoratum nasci, odorisque vim habere cœlesti arcu in eum innixo perhibuit. Quam svavitatem cur non perceperit & notaverit *nasutus* aliàs & *sagax Helmont*, summoperè miror, qui *(tr. Meteor. Animal. n. 7. p. 72.)* de se ista: Ego iridis infimam partem pedibus quandoque calcavi & manibus tetigi: idque non solum in montibus nubilosis; sed aperto & aprico campo. Cum igitur id ipsum non semper & ubique accidat & ex relatione pastorum saltem innotuerit, altioris iste reputavit indaginis *Philosophus (s. 12. probl. 2.)* & si contingat non per se, sed per accidens contingere cautè pronunciavit, qui cum *interprete Lud. Septalio*, *(in h. l. p. 222.)* evolvatur. Habent & quædam Arbores alias in odore certo anni tempore, quod naribus placeat, inter quos Pinus & Abies, de quibus *supra (§. 64.)*, quod an fabulæ principium dederit, non facile decernendum reor.

§. 82.

Quod ad ligna putrentia, ea bene olere aliquando *Theophrast. Eres. (l. de Odor.)* annotavit. Stirpes multæ & integræ bene olent, & corruptæ ac aridæ magis magisque svavem reddunt odorem, ut habet *Aristot. (s. 13. probl. 4.)*. Ligna tamen bene olere non secundum partes putrefactas, sed corruptas, decidit *Zacut. Lusit. (l. 2. Hist. Med. Princ. qu. 13. p. 202.)*. Locum autem *Aristotelis* perperam accipi, cum non stirpes quasdam putrefactas suaviorem reddere odorem, sed multas tàm integras, quam corruptas, imò vero magis magisque excrescentes jucunde olere, ibi scriptum sit contra *Th. Erast.* disputat *(c. l. p. 406.)* *Simon Simon.*

§. 83.

§. 83.

Balsamos è corporibus (comprimis Sanctorum,) non novit Natura. Nulla hic Causarum vestigia, nisi dicere velis, miasmata fragrantia insita & pinguedini communicata talia constituere Balsama. Erit & à Balsamis oleis & unguentis, quæ veteres Tumbis, forsan etiam Cadaveribus Martyrum, honoris & amoris gratia affatim affundere consueverunt, quod notat (*T. 1. Annal. p. 650.*) *Cæsar. Baron.* Ita & Martyrum reliquias vasculis inclusas in unguento natasse, *Nicephor.* (*l. 14. Hist. Eccles. c. 10. f. 868.*) declarat, qui & de Maria (*l. 2. c. 3. col. 115.*) idem affirmat. In reliquiis aut miraculum, aut fraus suberit, de posteriori Beguina, seu Monialis illa in Orschot, amplum exhibet testimonium, prout quaternio excusus, cui Titulus *Der Chirurgus mit dem grossen Messer*, id luci sistet publicæ. *Des heiligen Antonii sein Grab zu Padua giebt einen feinen süssen Geruch, wie Ambra und Bisam durch einander gemenget von sich*, quæ *Gabrielis d' Æmilliane* (*Itiner. Epist. 4. p. 319.*) relatio. Ab ossibus *S. Anni* istam suavedinem obtinere, à Monachis perhibetur. Dubitat tamen Autor *so lange er weiß, daß sie solche Gebeine mit wohlriechenden Quint-Essenzen bestreichen können, wie es denn auch gewiß, daß sie solches thun. Denn dieser Geruch eben dem gleichet, den die perfumirte Rosen-Kränze von sich geben, die man zu Padua in denen Kramläden verkaufft.* Neque dubium est, *ratiocinatur J. H. Ursinus* (*l. 3. Hort. Aromat. Bibl. c. 1. p. 286.*), posse Diabolum vel aërem odoribus bonis inficere, vel odorem decipere, ut adeò fragile argumentum sit, quod Cadaverum Lipsana jucunde fragrent, ad probandam sanctitatem. Neque Narium indagine Sancti deprehenduntur. Sæpius à quibusdam, tantum non omnibus, animadvertitur suaveolentia, ut illa incognita odoris circa *S. Othmari* cadaver aspersa suavitas, de qua *Ison, Magister* (*l. 1. de Mirac. S. Othomar. ap. Melch. Goldast. T. 1. Rer. Alemann. p. 2. p. 289.*). Et si sanctas efficit olei è Cadavere fluxus, recipiant quæso in eorum numerum & illum Ducem Militum è cujus viventis bracchio spontè olim fluxit unguentum. Historiam his expressit (*T. 2. Vol. Paralel. in Bruto p. m. 719.*) *Plutarchus. Volumnius* retulit, ante pugnam in campis Philippicis alteram, cujusdam, qui primos ordines exercitus *Bruti* duceret, brachium sua sponte unguento rosaceo fluxisse, frustraque id sæpe abstersum fuisse. Add. *Conrad. Lycosthenem* (*Chronic. Prodig. & Ostent. p: 233.*), ubi fontem olei terram exundasse, ac per totum diem largissimo rivo fluxisse simul indicat.

§. 84.

Objiciet tamen Papæus, infirmitates corporis olea & pinguedines istæ miracu-

raculosè compescunt, innumeris historiis id comprobantibus. *Gregor. Nazianzen.* (*Orat. contr. Julian. Apostat.* ut allegat *Michaël. Baldit. c. l. p. 136.*) asserit, Sanctorum corpora eandem habere potestatem, quam ipsorum animæ sortitæ sunt, sive manibus pertractentur, sive venerationi habeantur exiguasque sanguinis guttas ex iis sanctis corporibus stillantes & minimas passionis martyriique notas æqualem corporibus integris à DEO participare virtutem. Id fieri miraculo ob gratia DEI remunerantis honorem, qui sanctis Ejus exhibetur, Papicolæ credunt. Olea Lampadum & Ceram facum sepulchralium honori Martyrum consecratarum & accensarum vim miraculosam ex eadem causa asci visse *P. Aringhius* (*T. 1. Rom. subterran. l. 1. c. 18. n. 7. p. 58.*) statuit. Cum vero illa divina gratia & cultus remuneratio nullo nitatur fundamento, rectius ipse è Catholicis Romanis *P. Pomponatius*, (*l. de incant. c. 11. p. 228.*) & *Paul. Zacchias* (*l. 4. Quæst. Med. legal. qu. 8. n. 9. p. 351.*) tales, si quam conseqvuntur sanitatem, consequi solummodo virtute suæ confidentiæ, quam de iis habent, quod si canis ossa colerent, credentes ea esse ossa Sanctorum, eodem modo consequerentur. Per accidens autem imaginationem solum curare morbos, *Th. Fien.* (*l. de virib. Imag. qu. 11. Conclus. 38. p. 101.*) recte concludit.

§. 85.

Coronidis loco è *Theophrasto Eresio* (*l. de odor. p. 196.*) noto, Hircorum excoriatorum pelles eò tempore, quo pruriunt hirci, fœtorem emittere. Dictitat ille vim aliquam in exuviis relinqui, aut humorem ejusmodi, qui in vivis quoque odorem excitet, quo ab aere agitato & calefacto consentaneum esse, pelles pro sua quoque virili moveri. Itaque prima causa in habitu est; Tum enim olent, qui neque coëunt, neque generando sunt, atque adeo ipsæ capsæ: ac bonam quidem magnamque partem coitus tunc affert. Justa tamen per se causa habitus est. Add. *Adrian. Turneb.* (*Annotat. in h. l. p. 26.*) Buffalinam vulvam exsiccantem in urbe Neapoli servant, (*scribit Th. Bartholin. l. 1. Epist. 49. p. 206.*) quia Moschi odorem, quem à scoriis Urinæ, hanc imprægnantibus *Frid. Hoffmann.* (*c. l. §. 240. p. 197.*) derivat, spirat, eaque utuntur in ungventis Myropolæ Neapolitani. Rosa trita nihil effluviorum fumat *Adriano Spigelio*, (*Isagog. in rem Herbar. l. 2. c. 11. p. m. 100.*), quod si in mortario contusione subigantur, *wann sie eingestampffet werden*, non deprehenditur. Hypericum vero manibus confricatum odorem thuris, ut *Th. Bartholin.* (*Act. Med. Hafn. T. 1. obs. 40. p. 75.*) meminit. An ob hoc miasma Dæmonifugium, credulus edisserat Papicola.

§. 86.

Qui uni ſpeciei abominabilis & nauſeabundus eſt odor alteri gratus & acceptus. Canibus excrementa humana jucundisſimè olere, *Galenus* (*l. 3. de Facult. Natur. c. 9.*) affirmavit, quare forſan illa infantum lingere *Helmontio* (*tr. Sextupl. Digeſt. alim. n. 37. p. 172.*) obſervatum. Sues odore fecum humanarum delectari à nemine controvertitur, idque *Alex. Aphrod.* (*ſ. 1. problem. 136.*) non inactum reliquit. Nec hoc ſordidum animal ſtercore detineretur, ſi fœtidate olfacturi officeret. Vid. *Conr. Vict. Schneid.* (*l. de Oſſ. crib. p. 361.*) Qui namque odor Naturæ familiaris & jucundus, benè olet, qui amœnius fœtore videtur, ut rectè *Andr. Spigel.* (*c. l. pag. 101.*). Fœtida ſunt, pergit, quæ ceteris animalibus multis odorata & contrà odorata, quæ multis fœtida. Etenim ſcarabæos pilularios, quos Græci καν θάρες vocant, odore Roſæ examinari, apud Veterum plurimos ſcriptores ſatis conſtat. Nec Animalia fugere fœtores, niſi ſint corruptivæ complexionis, *Chriſtoph. Javellus Conapitius* (*T. 8. oper. tr. de ſenſ. & ſenſat. qu. 19. pag. 31.*) perſvadet. Accuratè *Artis noſtræ Jubar, Excell. Joh. Bohnius*, (*Diſſertat. Chymic. phyſ. 10. §. 4.*): Pro diverſa ſenſoriorum noſtrorum textura & habitudine præconceptarumque opinionum & conſuetudinis varietate concreta, modo benè, modo malè olere, philoſophatur. Tantùm!

LIB. II. TIT. IX.

De

De Luce Cadaverum.

Summarium.

1. *Lux in tenebris.* 2. *In pecudum mactatorum Cerebro. Carne.* 3. *In putreſcentibus clarior.* 4. *In à Numine afflatis. Moſe. Stephano ante mortem.* 5. *Maria Stuarta.* 6. *In Matthia Apoſtolo, S. Laurentio.* 7. *Moſis facies poſt mortem an fulſerit?* 8. *Claritas corporis B. Mariæ Ignatii Lojolæ.* 9. *Joh. Phiſcheri caput.* 10. *Heraiſci lux.* 11. *Nimbi circa capita Deorum Dearumque.*

12.

12. Lux in Cadaveribus. 13. Viventibus omnibus sua lux. 14. Anima brutorum. Noctiluca. 15. Anima humana. 16. Calidum nativum Lux. 17. Spiritus naturalis. 18. Lux Helmontio Solaris & Lunaris. 19. Spiritus vitalis. 20. Ignis actualis. 21. Cur non aperto thorace videatur. 22. Sensus tactus testimonium. 23. Incendium animæ per morbum. 24. Calor inurentem ignem facessens. 25. Flamma cum partu enixa. 26. Causa. 27. Ignis & fumus in sanis deprehensus. 28. Lux insectorum interna. 29. Lux totius corporis. 30. 31. Capitis. 32. Historiæ Sanctorum. 33. Aliorum. 34. In sexu sequiori. 35. Corporis & Artuum in viris. 36. In fœminis. 37. 38. Aureum Pythagoræ femur. 39. Humorum Lux. 40. Sanguinis. 41. Lymphæ. 42. Oculorum. 43. Humoris Crystallini. 44. Hyæniæ gemma. 45. Bilis splendida. 46. Experimentum Helmontii. 47. Sudor & urina lucens. 48. Lucem causantia externa. Victus. 49. Aurum & Argentum assumta. 50. Sennerti experientia contraria. 51. Vituli aurei potus. 52. Boëtus fluvius. Capilli humani. 53. Aër inspiratus. 54. In mortuis lux emoritur. 55. Posse ad tempus servari. 56. Piscium lux. 57. Partium in piscibus. 58. Causæ in piscibus. 59. Aquæ pelluciditas. 60. Causæ externæ. Aër. 61. Experimentum. 62. Sudor capillorum. 63. Ignis lambens. 64. In antennis navium flammæ. 65. Ortus harum. 66. In lambentem ignem aliquando vertuntur. 67. Cur sylvæ ferociente austro incendantur. 68. Fulmen an ignem animalium eliciat? 69. Flammæ ex ore animalium. E ventriculo. 70. Ex intestinis. Crepitus ventris. 71. Fulguris instar. 72. Coctio ciborum an ventriculi calore absolvatur. 73 Vomitus igneus in agonizante; flamma è ventriculo in mortua. 74. An ab haustu spiritus vini. 75. Ab alia Causa. 76. An putredo. 77. Quæ calefacit. 78. Quod negat Galenus. 79. Lucem educit, non parturit. 80. Duplici via id contingere. 81. Per modum vaporis. 82. Per lucentia animalia educta. 83. Concurrunt hi modi aliquando. 84. Putredo animata lucens. 85. Non semper. 86. Certus putredinis gradus attendendus. 87. Cur non in

uno subjecto luceat lux, ut in alio. 88. Noctu cur luceant putrida non de die. 89. Chemicorum lux sine igne, è putrefactione lucentium. 90. Alia supposita. 91. Non dari probatur. 92. An lucentia quid portendant. 93. 94. 95. Coruscationes ante oculos morbos præsagire. 96. In Venefico dorsi scintillatio. 97. Ignis cubiculum pervagans bonorum, aliquando mortis nuncius. 98. Politicæ astutiæ fulgores putridorum Lignorum & piscium admoti.

§. 1.



Rgone etiam, inquies, in ipso orco diem quæris, in occasu orientem inque ipsis tenebris ipsam lucem? Ita est, ut tenebræ diei splendorem (Solem) condunt, noctis verò sistunt faculas (Stellas), quovis jubare illustriores. Ita vitæ

Nobis cum semel occidit brevis lux,

ex ipsa putredine, luridoque cadaveris squalore lucidas aliquando emergere scintillas advertimus.

§. 2.

In recens mactatorum pecudum Cerebro tenuius dissecto, *scribit Joh. Vesling. (ap. Th. Bartholin. Cent. 1. Epist. 28. p. 116. & l. 2. de Luc. Brutor. c. 1. p. 226.)* nitorem aliquem luminis oculis evidenter usurpamus, cui experientiæ favet Cerebri candicans color, lucis mixtura celebris ejusdemque promtum subjectum. Anno 868. carnem in cella penuaria splendidè lucentem *teste Isibordo ab Amelunxen (Breviar. Rer. Memorab. in App. M. C. D. 2. A. 4. p. 185.)* reperit coquus. Luxit Patavii Anno 1592. caro agnina, ut *ex Hieron. Fabric. ab Aquapend. (l. de Ocul. p. 2. c. 4. p. 41. quam etiam repetit tr. de Muscul. part. 2. p. 86.)* recitat historiam *Th. Bartholin. (c. l. c. 6. p. 244.)*. Anno 1641. in Monte pessulano Mulier quædam, cum enectam agninam carnem adhuc congenito calore fumantem propter alia negotia coquere distulisset, in tuguriolo suo ad sequentis diei usum suspendit. Nocte experrecta oculos huc illuc ægre circumducens carnem suspensam (cubile enim culina & procœton eadem contignatione claudebantur) in obscuro angulo, ita vidit lucentem, ut totam, qua se diffundebat, cellam illustrissimo lumine repleret. Res ad vicinas delata certam stupendi miraculi fidem fecit. Lux effulgens non ignea erat, sed alba, ut stellarum, non æqualiter totam carnis pinguedinem irrigans, sed hinc inde gemmarum lucen-

centium instar inæquali splendore dispersa. Tempus durationis cum putredine terminatum, cui lux sensim extincta cesserat, retulit Idem (*c. l. p. 242. 243. l. 3. c. 10. p. 517. Cent. 2. Hist. Anat. 12. p. 191. & Cent. 1. Epist. 9. p. 28.*) Ejusdem prodigii mentionem quoque fecit *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 3. p. 5.*) qui Annum 1640. ponit, *add. Dan. Puerar.* (*de Carn. Lucent. p. m. 118. sq.*). De bubula carne etiam in carnario Monspeliensi eodem tempore lucente, evolvatur iterum *Th. Bartholin.* (*c. l. Hist. Anat. p. 193. & l. 2. de Luc. c. 4. p. 234.*)

§. 3.

In rebus putredini jam obnoxiis, lux illa clarior & frequentior. Putrida ligna, comprimis Quercus & salicis noctu coruscare, nemo nisi cœcus ignorat. Lucerna, piscis marinus, qui & Milvus, nomen tulit, quod noctu luceat. Ego ejus mortui oculos in tenebris lucere observavi, *notat Gesner.* (*de Lunar. & Reb. Noct. Lucent. p. 8.*). Ex Polypo aperto tantus effulsit splendor, ut remota tempore vespertino candela pelatium Pisanum sectionibus tum temporis assignatum ardere videretur, & intranti subito timorem incuteret. Lumen maximum quoddam sub Cute latens non caro ipsa emisit, & quo vicinior putredini piscis, eò luxit ardentior. Unguibus, digitisque piscis admotis ita splendor adhæsit, ut quasi totidem stellis singuli fulgerent. Ita *Oliger. Jacobæus* (*ap. Th. Bartholin. V. 5. Act. Hafn. obs. 109. p. 283.*). De Cancris putrefactis idem literis vulgavit *Athanas. Kircherus* (*l. 12. M. S. s. 2. c. 5. p. 366.*). Intestina Orbis piscis in sterquilinium abjecta, cum reliquo exenterati piscis corpore, semiputrida in tenebris splendent, fulgoremque vicinis reflexione communicant, *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. Hist. Anat. 1. p. 171.*). Gemella his, quæ de Scorpii marini exuviis cum capite in locum sordibus excipiendis destinatum projectis, *O. Wormius laudato Bartholino* (*l. 2. de Luc. c. 15. p. 313.*) communicavit. Constat ex variis à me hinc inde collectis experimentis (*commemorat Nicol. Witt. Epist. ad Sachs. Gammarol. aff. 7. p. 948.*), plerorumque piscium marinorum capita, ossa, squamas, humores, carnes in tenebris abjectas effulgere, ubi ad determinatum putredinis gradum pervenerint, qui subjicit circa putridorum lucem experimenta à se ipso facta congessisse *Franc. Baco. Verulam.* (*Cent. 4. Sylv. Sylv. Experim. 352. col. 828.*) Cum esset in Scotia, animadvertit piscium quorundam spinas noctu prunarum instar lucere, *Hieron. Cardan.* (*l. 13. de Rer. Var. c. 63. p. 839.*), qui nitor tamen post quindecim dies evanuit.

§. 4.

Jamblichus (*in l. Myster. citante id J. C. Scaligero in l. 2. de Plant. p. 311.*) ait: Eum, qui afflatus Numen suscipit ignis excipere speciem quandam ante Numi-

nis ingressionem. Conspici etiam Delo vel adveniente, vel decedente. Et *alibi Idem* scripsisse dicitur *Scaligero* (*c. l. p.312.*) ex antri faucibus exeuntem *Sybillam* Delphis igneo globo tum lustrari, tum illustrari consuevisse. Divinior multo, non quidem per cornua, (*Vid. Th. Browne l.5. Pseudodox. Epid. c.9. p.807. Th. Bartholin. de Unicorn. obs. c.3. p.29. Joh. Selden. de Jur. Natur. & Gent. sec. Ebr. c.6. p.186. sq. Claud. Salmas. Epist. de Cæsar. Viror. & Mulier. Coma p.79. Joh. Nicolai l. de Nimb. Antiqu. c.1. §.7. p.12.*) unde & Nummos, Mosen Cornutum exhibentes, adulterinos vocabat *Hermann. Conring.* (*Paradox. de Numm. Ebræor. c.5. p. 38. sq.*) & *B. Joh. Bened. Carpzov.* (*Exerc. ad Nummos Mos. Cornut. ext. c.2. & 3. p.7. sq.*) fusè probavit, sed in vita lucens fuit Moysis facies (*Exod. c.34. v.30. & 2. ad Corinth. c.3. v.7.*) & splendor ille Angelicus, jam jam martyrium subituri Stephani, (*Act.6.v.25*) quem *Petr. Damian.* (*Sermon. de Stephan.*) lucentem & vibranti splendore serenum *cum Aliis, quos citat B. Joh. Gerhardus* (*Comm. in Act. c.6. p. 216.*) delineavit.

§. 5.

E suggestu (ferali) *Maria* (*Regina Scotiæ*) solito lætior pulchriorque. Nam visam omnibus perhibent mira decoris vultus specie prænitentem seu vicinæ beatitudinis aliquis jam fulgor afflabat, quod retulit *Fabian. à Stroda* (*Decad. 2. Bell. Belg. l.8. p.1587.*), idem de *Anna Bolenia, Henrici VIII. Regis Angliæ conjuge* decollata *Emanuel. Meteran.* (*1. B. Niederländischer Kriege p.31.*)

§. 6.

Matthiæ Apostoli facies, cum sorte eligeretur, lucida fuit, si *Dyonisio* (*Pomer. Sanct. Serm.57.*) credendum. *De S. Laurentio* martyrium subeunte *Prudentius* (*Peristeph. p. 2137.*)

Fulgorque circumfusus est.

Etiam scribunt infantem ac lambentem matris ubera conspectum esse non lac, sed flammas ad uberibus rapere. Qua re illa acerrimi spiritus in eo flamma, quæ Reges sine metu & Pontifices corripuit, significata est, *meminit Gregor. Richter.* (*Axiom. Oeconom. 3. p. 17.*)

§. 7.

Moysen cum Aliis Sanctis post mortem in sepulchro retinuisse splendorem & decorem vultus sui, multi è Pontificiis, inter quos eminet *Rob. Bellarmin.* (*l. 2. de Reliqu. Sanct. c.4.*) cum *Aliis*, quos citat *Corn. à Lapide* (*Comment. in Exod. c.34. p.597.*) prodiderunt. *D. Augustin. contra* (*l.1. de Mirac. Sanct. c.35.*) hoc inter causas retulit, cur Dominus occultum esse voluerit *Moysis* sepulchrum, ne istam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, marcere repres-

sam

ſam ullus videret. Sed quis vidit Moyſen mortuum, cum ne ſepulchrum ejus viderit quispiam?

§. 8.

De claritate corporis *Mariæ*, quod tangi quidem à Virginibus lavantibus potuit, videri autem ob reſplendentiam non potuit. *Vid. Joh. Mitternacht (Diſſert. 7. p. 137.). De B. Martino (Epiſt. 3. p. m. 234.) Sev. Sulpit.* Teſtati nobis ſunt, qui affuerant, jam exanimo corpore glorificati hominis vidiſſe ſe gloriam Vultus luce clarior renitebat, cum membra cætera, ne tenuis quidem macula fuſcaret. In aliis etiam, & in illo tantum artubus non pudendis ſeptennis quodammodo pueri gratia videbatur. *Juventii* & *Maximini* vultus poſt mortem ſplenduiſſe, *è Chryſoſtomo* recitat *Dan. Chamier. (T. 2. Panſtrat. l. 20. c. 9. n. 14. p. 411.) Iſabella Roſelia, Ignatii Lojolæ* Barcinonem profecti & in templo inter puerorum ſtationem ſub Aræ gradibus aſſiſtentis ore ſenſit radiare ſeque intimè percelli, *Jacob. Bidermann. (Rer. ab Ign. Loj. geſt. n. 47. p. 24.) meminit.* Hunc Romæ deinde *Philippus Nereus* ſæpius ſpectaſſe fulgentibus radiis multoque capitis ſplendore coruſcantem, *Idem (c. l. n. 189. p. 121.).* Qua facie etiam *Alex. Petronio* ibidem Medico Romæ celebri graviter decumbenti, eundem inviſens in obſcuro cubili viſus, qui æger confeſtim convaluit. *(n. 190. p. 122.).* Corpus *Ignatii Lojolæ* effoſſum multis luminibus (appoſitis illi pro more à Jeſuitis) fulſiſſe, *ex Aliis* recenſuit & fabulis accenſuit *Rudolph. Hoſpinian. (l. 1. de Orig. Jeſuit. c. 1. n. 27. p. 21.)*

§. 9.

De Johannis Phiſcheri, Epiſcopi Roſenſis, in Anglia decollati capite ſequentia *Anton. Maria Gratian. (de Caſ. illuſtr. Vir. p. 198.)*: Caput ejus cui tributa paulo ante purpurei galeri ornamenta deberentur, quo majori ludibrio ſpectaculum atrocius populo præberet, prælongæ haſtæ infixum oſtentari in eodem foro, in quo truncum jacebat Cadaver, *Henricus* juſſit. Quod nullo turpi pallore deforme & adhuc conſtantiam, qua ſenile guttur feriendum carnifici præbuerat, in vultu retinens. *(vid. Epiſt. de mort. Thom. Mori. p. 15.).* In Germania inferiore rumor ſparſus, illud in ponte Londinenſi de more expoſitum, non ſolum non emarcuiſſe verum etiam magis effloruiſſe, vivoque factum ſimilius, ut multi crederent, fore, ut etiam loqui inciperet: quod in quibusdam Martyribus factum legimus, *(conf. ſupra l. 1. T. 5. §. 19. 20.).* Ea res, ſeu fama cum vulgo increbuiſſet, caput ſublatum eſt atque abditum. At veriti ne idem eveniret in capite *Th. Mori*, priusquam exponeretur, aqua ferventi decoctum eſt, quo plus haberet horroris.

§. 10.

§. 10.

Quo & hic se Dei simiam sisteret Myriotechnites Dæmon *Heraisci* Lux post mortem evincit. Ægyptius iste, cum extremum clausisset diem, ejusque ab *Æsculapio*, ut sacerdotibus mos est Ægyptiis, justa persolverentur, quos vita functos *Osyridis* sacris velaminibus circumdare solebant, tanta ex illius corpore dicitur emanasse lux, ut velaminum illorum sacri characteres, qui alioquin abditi latentesque humanis esse dicuntur oculis, clarissimè percipi, & dignosci possent, sacræque etiam divinorum phantasmatum umbræ corpus illud circumvolitasse perhibeatur, ut certissime dijudicatum sit, divinum illius animum ad immortalium contubernia Deorum procul dubio commigrasse. Hæc *Nicol. Leonic. Thomæus (l. 2. var. hist. v. gest. p. 274.)*, quæ etiam *citat. Henric. Kornmann. (p. 4. d. m. m. c. 13.)*

§. 11.

Forsan hæ narrationis coronis radiatis, seu Nimbis circa capita Deorum Dearumq; ap. Ethnicos; ipsius etiam veri DEI & Salvatoris unici JESU CHRISTI, Apostolorum, & aliorum Sanctorum ortum dedere. Solis caput radiatum pingebant, fingebantque veteres, post modum Christiani morem illum ad illustrandam picturam DEI & sanctorum transtulerunt, *scripsit Casp. Barth. (l. 15. Advers. c. 1. col. 1212.)*. Ægyptiis in Deo ipso cyclicum quid agnoscentibus, & inde ad divinitatem designandam circulare quid capiti apponentibus horum inventionem tribuit. *Athan. Kircher. (T. 2. œdip. Ægypt. cl. VII. f. 87.)*. Possunt tamen & aliæ causæ assignari, quod tamen non est hujus loci, quas *Fried. Taubmann. (in Ciris Virgil. comment.) Georg. Philipp. Harsdörffer. (p. 3. Delic. Mathem. Philos. s. 2. propos. 48. p. 208.) Thom. Bartholin. (l. 1. de Luc. c. 12. p. 93. & de Morb. Bibl. Misc. 5. p. 19.)* collectas exhibent.

§. 12.

Interim præfatæ historiæ meum non feriunt scopum, cum aut à sublimiore causa ista lux profecta fuerit, aut è nugaci fabulis impraegnato & obtenebrato Cerebello. Nullus tamen dubito, quin aliquando conspectui se sistere posset, etiam in humanis cadaveribus hoc phænomenon, si noctu Cadavera putrescentia adire, fastidio aut horrore non prohiberemur, aut terra, aut aliis obicitus interjectis cadavera ista, eorumque Lux conspectui nostro subducerentur. Cadaver pueri à Judæis truculento modo enecti in vepres projectum, insolito lumine proditum, annotat *è Brewero (T. 1. Annal. Trevirens. Ann. 1287.) Jacob Masenius (util. curios. vit. hum. c. 22 p. 436.)*. In cujusdam Dani, in patibulum evecti & laqueo suffocati capite de nocte flamma visa, testatur *Erasm. Fran-*

Francisci (*In Erd umgebenden Luft-Creiss. Diss. 5. p. 591.*) Luculas in locis secretis aliquando visui occurrere, quod meretrices fœtus in eadem præcipitarint, *Theophr. Paracelsus* (*T. 2. op. l. de Homunc. & Monstr. p. 281.*) tradidit. Dignam posterorum memoria censeo in sepulchro cujusdam visam lucem, *memorat* iterum *Th. Bartholin.* (*l. 1. de Luc. c. 9. p. 71.*), quæ præsente Cardinalium Purpuratorum ordine in æde XII. Apostolorum, Festo *Bonaventuræ* cum fumo exiliit, qvumque sepulchrum reseratum esset, diutius ex defuncti Cadavere ardere observata, sicut ad nos internuncius Gallicus ad Legatum Pontificium missus nuper pertulit, qui id se oculis usurpasse fatebatur. E dente Giganteo illo, quem ex Sicilia monstrorum Gigantumque olim sede πολύτροπος *Petrus Charisius* exportaverat, inclusus quasi splendor mobilis obscuro loco comparebat, quod etiam αὐτόπτης *Th. Bartholin.* (*c. l. c. 13. p. 107.*) testatum fecit.

§. 13.

Viventibus omnibus creatis sua concreata est Lux. Dixerat ante corporum creationem sapientissimus Conditor: Fiat Lux, & facta est Lux, quasi Lux omnium rerum basis esset futura. Lux ista, *secundum P. J. Fabrum* (*l. 1 Panchym. c. 46. p. 90.*) postmodum in principia rerum divisa, Cœlum nempè & Terram. Ab ista luce formas Mineralium, (*c. l. p. 91.*) vegetabilium, (*c. 47. p. 92.*) & Brutorum, (*c. 48. p. 94.*) & eorundem vitam derivat. Et *J. B. Helmont.* (*tr. Blas human. n. 31. p. 149.*) unam quasi fieri vitam, formam, lumen & animam sensitivam docuit. Qui *alibi* (*tr. Formarum Ortus n. 86. p. 118.*) ita disserit: Mineralium Archeus planè materialis est, sub spissitudine liquidus, occultum & torpidum degens nitorem, qui vegetior atque liquidior est in plantis; in quadrupede verò apertè fluctuat, atque splendet, adeò, ut defungente animali mox in oculis splendor deficiens conspiciatur. Refero huc *ex Helmontio* (*tr. Blas human. n. 29. p. 148.*), quod formæ quædam niteant, ut in lapidibus atque mineralibus; quædam vero etiam insuper aucta luce splendeant, ut in plantis: aliæ vero etiam sunt luminosæ, ut in animantibus. Adeoque vitalis luminositas datur spiritui vitali, per accensionem, non quidem igneitatis: sed illuminativam & specificam, sive per species differentem.

§. 14.

Ab Anima lucem oriri, patet in Noctiluca, cujus faculam Animæ digressu deficere & extingvi videmus, ratiocinatur *Joh. Marcus Marci* (*Lithurg. ment. c. 26. p. 100.*), idque calculo suo firmat *Helmont* (*tr. Spiritus vitæ n. 21. p. 60.*). Vidi id & ipse & punctum illud lucens mortuo animali candidum saltim adverti: Res clara est, & id quivis in morte istius insecti advertere poterit. Cum lux à volun-

luntario animalis motu dependeat, certe deficiente animali, humorem (rectius, lucem in humore) quoque deficere necessarium, concludit *Athan. Kircher.* (*l. 1. Art. mag. Luc. & Umbr. p. 1. c. 5. p. 26.*). Videant igitur, qui de expresso Noctilucarum fulgente humore sesquipedalia jactant experimenta, inter quos *Joh. B. Portam. & Joseph. de Aromatariis* adduxit *Th. Bartholin.* (*l. 3. de Luc. c. 10. p. 516 sq.*) Non enim in toto corpore, sed in illo puncto miliari residere & conspici deprehenditur lux, quis igitur post mortem lucidam illam atomum separabit, & quot ad exprimendam & acquirendam unam humoris lucidi guttulam requirentur bestiolæ. De isto insectulo hæc (*c. l.*) *Kircher.* Ego ne unam quidem guttulam humoris vel ex 50. exprimere potui, imo hunc pauxillum humorem, mox ab animalculo separatum una cum eodem interire, ac vix ullum lucis suæ vestigium relinquere comperi: humorem quoque non nisi eo in loco, in quo eum natura ob certos fines abdidit, Lucis vestigia præbere observavi, extra locum verò sibi connaturalem penitus interire.

§. 15.

Hominis anima quamvis sublimioris & divinioris originis, nil nisi immortalis lux est, multis id explicante *Th. Bartholin.* (*l. 2. de Luc. c. 23. p. 20. & l. 3. c. 7. probl. 8. p. 458.*) & mentem immortalem substantiam lucidam & incorpoream definivit *J. B. Helmont.* (*tr. Sedes Animæ n. 23. p. 232.*). Mentem de natura luminum dixerat *Idem* (*tr. Distinct. mentis ab Anim. Sensit. n. 2. p. 287.*) & animam plus quam lucem viderat (*tr. Confessio Authoris n. 4. p. 12. & tr. imago Dei p. 565.*). Igneus & fervens spiritus mens fuit *Hipparcho* (*Macrob. l. 1. in Som. Scipion. c. 14. p. 59.*) & *Leucippo*, Spiritus mobilis ignium Atomis insertus *Democrito* (*Plutarchus l. 4. de Plac. Phil. c. 3.*) *Zenoni* anima ignis videtur, *Cicero* (*l. 1. Tusc. quæst. p. 152*) *memorat*, mixtus ex aëre & igne *Boëtio & Epicuro*, Vid. *Guilhelm. Salden.* (*l. 4. Ot. Theol. Exerc. 7. n. 11. p. 728.*)

§. 16.

Lux in nobis & brutis calidum nativum, quod ideò πυρὸς συντρόφου nomine aliquando designat *Hippocrates*, *teste Anutio Foësio* (*Oecon. Hippoc. p. 545.*). Scripserat & *Franciscus Patricius* (*l. 7. Panaug. p. 16.*) vita omnis à spiritu & igne est, neque non lucere sua natura potest. Et cum spiritus, vita & anima in brutis sæpe convertantur, Animam esse quandam flammulam ignisque tenuissimi speciem, *Petr. Gassend.* (*Phys. s. 2. Membr. 2. l. 8. c. 4.*) voluit, & animas brutorum igneas esse, & veterum v. g. *Hippocratis, Platonis, Pythagoræ, Aristotelis, Galeni, Democriti, Epicuri, Laërtii, Lucretii* autoritate & rationibus probatum dedit *Th. Willis* (*tr. de Anim. Brutor. c. 2. p. 12. sq.*). *Antiquis* Ignis dictus est animatus, &

& ipsa anima ignis, *V. Thom. Bartholin. (de Luc. Animal. probl. 8. p. 459.)*. Vitam animalium radicitus in radiatione Lucis insitæ per spiritus promota consistere, *Ingeniosiss. Noster Georg. C. Kirchmaier. (de Phosphor. s. 2. probl. 6. p. 33.)* *prodidit*, in quo cum *acutissimi ingenii Viro Sebast. Wirdigio (l. 1. de Med. Spir. c. 17. p. 85.)* ipsi convenit. Addam è *Stephano Rod. Castrensi (l. 2. de Meteor Microc. c. 14. p. 83.)*: Igni Anima Microcosmi comparatur, igne vita sustentatur, idcirco apud Veteres ignem extinguere, non minor erat religio, quam hominem occidere. Vita non quippiam ignitum, sed ignis ipse. Ut in Cometa adeò materia propter suam subtilitatem redacta est ad ignis actum, ut nihil aliud appareat, nisi ignis, ita etiam in vivente ignis subtilem substantiam apprehendens eò magis ignem, quam ignitam reddit. Merentur hic inseri, quæ recitat *Edm. Dickinson. (Phys. Vet. & Ver. c. 11. n. 48. p. 288.)*: inest in homine lucida atque ignea natura quædam; cui cum sole cœlesti tanta amicitia & affinitas intercedit, ut quoties ipsis liber congressus fiat, in mutuos amplexus ruant, tanta quidem libidinis effervescentia, ut ambientem protinus aërem inflamment: id est, ut rem clarius dicam, per artis operam atque subtilitatem Sophiæ paratur ex humano corpore miranda certe Tinctura, ad instar solis fulgida, cujus si vitrum Crystallinum plenum fuerit, ac ita locaretur, ut illud solis radii vel trans fenestram pertingant, extemplo coëunt, & commiscentur utriusque radii, tanto ardore, tamque exaggerata multitudine (nam natura naturam amat, attrahit & amplectitur), ut cito flammam concipiant, atque brevi tempore, nî separentur, incendium faciant: prout suo magno periculo se comperisse affirmat *egregius ille Physicus, Eduard. Generosus Anglus (tr. Epitom. Thes. Sanit.) Hæc Dickinson.*

§. 17.

Prodigiosum est, quod de se ipso narrat *(l. 1. Optic. Propos. 11 p. 14.)* *Fr. Aquilonius*, sibi dormienti aliquando spiritum naturalem ita accensum fuisse, ut impetu quodam eruptura flamma visa fuerit, nisi soluto somno vigilantia successisset. Non solum corpus illuminare Spiritus, sed & conclavia aliquando, proprio exemplo firmat *Athan. Kircherus (l. 2. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 2. c. 1. p. 162.)*. Non desunt, *commentatur Ant. Mar. Bebtus (de Ort. & Nat. Sangu. p 105.)* qui asserunt, igneas, quæ Apostolis insidebant linguas, nihil aliud fuisse, quam ipsos spiritus, ultra Naturæ vires à charitate divina effervescentes, accensoque ac pyramidali acumine, flammarum more, ipsorum capita innoxie lambentes, cui assentitur *Th. Bartholin. qui (tr. de Luc. Hom. c. 13. p. 105.)* ad quæstionem: Cur Apostolorum capitibus & non in ore insederit flamma, respondet: Augetur miraculum flammæ magnitudine: quæ ex ore forsan ad caput prætendebatur.

Rectius Lux illa à Spiritus Sancti, veri DEI, qui Lux est inaccessibilis præsentia, non aliter, ut Moysis cum DEO colloquentis. Adventum Deorum lucem insuetam comitari ipsi sciscebant Ethnici, quod è Poëtis demonstrat (*in Not. & Animadv. ad l. 1. Claudian. de Rapt. Proserpin. v. 8. p. 867.*) *Polyhistor. Caspar. Barthius.*

§. 18.

Distinxit autem commodè *laudatus J. B. Helmont. (tr. Formarum Ortus n. 87. p. 119).* Lucem in Animalibus in Solarem & Lunarem. Calidum lumen quadrupedum & Avium vocat Solare; piscium Lunarem splendorem asseruit, (*repetit id tr. Blas human. n. 15. p. 146.*) Aquatilia calore actuali destituta, pronunciat *Palæphat.* (*ap. Bernh. Swalbe tr. Alcali & Acid. p. 233.*), nil aliud docent, quam minimos sibi gradus hujus ignis (vitalis) in Corde suspensos. Quin adesse tamen, licet in actis terrestribus debitum non perumpat, monstrat aliqualis calor & consequens vapor ab exenterato eorum corde. Minori quidem gradu calor sanguini communicatur, ut proinde pulmonum spiraculis non indigeat, atque unicus cordi saltem substet ventriculus, quod tamen adest minori gradu, adest. Ita Lunam frigoris fontem aperuit *Sebast. Wirdig.* (*l. 1. Med. Spirit. c. 10. p. 85.*) & spiritus & ignes frigidos in hominibus (§. 9.), in mineralibus (§. 11.), in Aquis & Aquatilibus (§. 12.), in Animalibus (§. 13.), & vegetabilibus (§. 14.), docuit.

§. 19.

Spiritum vitalem flammulam ex purissimo sanguine in corde natam *Phil. Melanchthon.* (*l. de Anim. L.*) jam cognovit. Quomodo ignis in homine demonstretur, *Francisc. Tidicæus* (*tr. 5. de Microcosm. p. 322.*) patefecit, qui & Vestæ, cui perpetuus ignis consecratus (*p. 348.*), Cor comparavit. In sinistro Cordis ventriculo reperiri ἔμφυτον θερμὸν veram flammulam, tanquam in lucerna quadam ardentem, similem ei, qui ex Vini Spiritu in linteo vibrat, sine tamen fuligine puris & sinceris igniculis, citra ustionem cordis viscerumque naturaliter flagrantem, jam olim cognovit *Plato* (*in Timæo*), cum aliis antiquioribus, quos allegavit (*Demonstrat. Circul. Sanguin. c. 1. Digress. 6. p. 171.*) *Georg. Entius. Jacobus Holstius* (*Dissertat. de Flammul. Cord. p. 18. sq.*) ex *Hippocrate, Aristotele & Galeno* idem probatum dedit, quibus assurgunt *Joh. Kepler.* (*l. 4. Harmon. Mund. p. 169.*). *Sebast. Basso* (*l. 2. de Rer. Nat. Princip. & Mixt. Intent. 2. Artic. 3. p. 76. & l. de Visu Intent. 4. Artic. 5. p. 540.*). *Francisc. de le Boë Sylvius* (*Disp. Med. 3. th. 9. sq. p. 26. & th. 27. p. 32. Disquis. de Febr. 2. th. 11. sq. p. 202.*). *Georg. Ent.* (*c. l. p. 168. sq.*). *Th. Bartholin.* (*Epist. de Flamm. Cord. p. 4. sq.*). *Bernhard.*

bard. Swalbe (tr. Alcal. & Acid. p. 219. sq.). Dignus est, qui audiatur (*Paralipom. in Vitellion. Opt. c. 1. prop. 32. p. 26.*) *Joh. Keplerus*, Qui in Animantibus est calor, *inquit*, certum quod ex Arteriis in corpus veniat. Statim enim corpora frigescunt arteriis interclusis. In Arterias ex Corde venit, in Corde vero, non vereor, cujus rei *Fernelius* similitudinem inesse dixit, rem ipsam inesse affirmare, flammam verò perennem. Nam cui rei sunt pulmonum folles, aërem efflantes, ne vita intercludatur defectu aëris, ut solet in Igne, arteriarum fumaria & pulsus s. expulsus fumi, ne opprimatur hic igniculus à suo excremento, Cordis latebrosa lampas, sanguis ex ipso cavæ venæ caudice per canalem peculiarem in Cor traductus, ad instar olei, unde vivat hæc flamma.

§. 20.

Ignem hunc non esse potentialem, seu sulphur, ut vocat, ob rationes *à Jacobo Holstio (c. l. p. 38.)* datas, sed actualem, probat *Idem* ex affectionibus veri ignis, quas obtinet, quarum (1.) est, quod per se crescat, & decrescat. (2.) Quod pro varietate aëris admissi varietur. (3.) Quod sine nutrimento perdurare nequeat. (4.) Quod facilè extingui possit. (5.) Quod certo gaudeat foco, corde, in quo conservari amat. (6.) Extinctus, nullum sui relinquit vestigium. (7.) Ne adurat, aquæ restinctione opus habeat: (7.) Quod ventilatione continua indigeat (9.) Denique, quod propria vi caleat, & calefaciat, & luceat.

§. 21.

Ignem hunc deridentibus, quod non videatur aperto thorace lucere, *respondet*, flammam hanc oculis cernere posse, impossibile. Extingvi lucem, quam primum aëri externo patet, decidit *Th. Bartholin. (c. l. p. 5.)*. Lucernæ perpetuò in monumentis defunctorum ardentes, facem nobis præferunt. Clarius ut id demonstret *Holstius (p. 106.)*, ad ovi historiam se confert. Ovum fœcundum, seu Galli semine imprægnatum cum Gallinæ incubaturæ supponitur, primisque diebus mutari incipit, maculam ostendit rotundam, quæ quasi Centrum intra circellos aliquos continet humorem quendam clarissimè refulgentem, quovis crystallo puriorem, non aliter quam oculo corneæ tunicæ albus circulus & iris intra se continent pupillam. In Centro autem istius humoris, quem colliquamentum candidum appellat *Gv. Harveus*, albus punctus cernitur, quod ignis illius, quem quærimus, lucentis primum rudimentum est, ideoque albore suo imprimis conspiciendum se præbet. Quadrat huc, quam etiam adducit *Harvej. (de generat. Animal. Exerc. 17. p. m. 62.)* observatio. Sub initium quarti diei colliquamenti Limbus, linea exili sangvinem purpurascens, rutilat, ejusque in Centro ferè punctum sangvineum saliens emicat exiguum, adeò, ut in sua Diasto-

ſtole ceu minima ignis ſcintillula effulgeat, & mox in Syſtole viſum prorſus effugiat & diſpareat. Gemella docet *Athan. Kircher.* (*l. 2. Art. magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 10. p. 151.*). Lucem affundit *Joh. Veslingii* (*ap. Thom. Bartholin. Cent. 1. Epiſt. 28. p. 116. & T. 2. de Luce c. 8. p. 252.*) obſervatio. Memini cum Catuli Hyænæ viventis præcordium diſcinderem, Cor igneo quaſi fulgore aliquantiſper micaſſe, mirante qui diſſectioni favebat *Aloyſio Cornelio, Venetorum Conſule.* Bene igitur *Th. Bartholin.* (*Epiſt. de Flamm. Cord. p. 4.*): Si tàm patulum oculis noſtris eſſet pectus animalium, quam cicindulæ transparens corpuſculum, forſan non abſimile lumen in Corde appareret. Nec quin luculam oculis excepturi *Joh. Keplerus* (*c. l.*) dubitat, ſi nobis contingat excluſa diei luce in cordis latebras illæſa ipſa flamma introſpicere.

§. 22.

Et, ſi manus noſtræ oculatæ ſunt, ſi credunt, quod vident, cur non illas explorationi præficimus? Tactus calorem actualem percipit, qui non niſi ignem etiam actualem præſupponit. Eò ſe nunquam potentiæ extendunt, ut, qua tales, actuale quid producant. Sed ignis iſte non urit. Verùm uſtio non eſt de eſſentia ignis, cùm plurimi ſint ignes, qui non urant, v. g. fulminis, qui veſtes tangens & tranſiens, nummos ſaltim in pera liquefacit. Ita flamma è vini Spiritu ardet & calet, eo tamen imbutum linteum non lædit. (*Holſt. c. l. p. 201.*) De Apro *Xenophon.* (*l. de Venat. p. m. 224.*): Ejus recenter occiſi dentes adeò fervent, ut crines, ſi quis admoverit, exurant. Nam viventis, ſi quando irritantur, igneſcunt, quod niſi eſſet, ſummos canis villos, cum corpus ab ictu declinant, non incenderent.

§. 23.

Dixit *Hippocrates* (*l. 6. Epid. ſ. 5. p. m. 278.*) incendi nimium per morbum Animam, aut, ut *Anut. Foëſius* (*in h. l.*) interpretabatur ἀνθρώπου ψυχὴν humanum animum. Morbum verò potiſſimum Febrem explicat *Holſtius* (*p. 41.*), utpote, quæ πυρὸς nomine paſſim *apud Hippocratem* venit. Loca collegit *Foëſius* (*in Oeconom. Hipp. p. 445.*) & *Petr. Foreſtus* (*l. 1. obſ. med. 1. p. 1.*) Peſte correptis

Anhela flammis corda,

tribuit *Seneca* (*in Oedip. act. 1. v. 38.*). De morbo, qui *Conſtantinum Imperatorem* ſuſtulit, narrat *Ammian. Marcellin.* (*l. 21. p. m. 215.*) quod calor nimius uſſerit venas, ut ne tangi quidem poſſet corpus ejus, in modum foculi fervens. Febri ſimile erat mirandum morbi genus, (*inquit Th. Bartholin. l. 1. de Luc. c. 6. p. 47.*) quod circa Ninervam miſeris mortalibus innotuiſſe *Alb. Kranzius* (*l. 5.*

Sa-

Saxon. c.15.p.113.) propoſuit. Tacti namque homines igne inviſibili ardebant, qui facilè penetrabat præcordia, ut alii pedes, alii manus ea occaſione præciderint. In America quoque tantus ſubinde in hominibus calor crevit, ſi credimus Relationibus, ut equi videantur potius comburi, quam abſumi, imò coqui, ut *Aurelianus* loquitur. Quod in fœmina Hibernica *Cl. Vir, Arnold. Bootius*, ut *Th. Bartholino* ipſe narravit, cujus adeò toto corpore exarſit calor, ut admota procul manus valdè incaleſceret.

§. 24.

In verè urentem ignem tranſire immodicum calorem, aut Archeum excandefactum, ſequentia ſuggerunt. Se exuri in febre, clamabat *Nantinus Comes Engelismenſis*, cujus exanimum corpus ita nigredinem duxit, ut putaſſes, eum prunis ſuperpoſitum fuiſſe combuſtum, *aſſerente Cæſ. Baronio* (*ad Ann. C.583.*). In juvene febre petechiali laborante cutis ultra carpum & maleolum ſpatio 24. horarum adeo ſenſim adurebatur, & ſimilem illi calorem repræſentabat, quo ſolet ſuilla veru aptata conſpici, dum ad prunas verſatur, liqueſcente jam pingvedine, quod obſervavit *Simon Pauli* (*Parecbaſ. de Febr. malign.* §. *52.p. 64.*) in peſte anni 1350. ignis corpora usque ad oſſa in viventibus & mortuis abſumſiſſe legitur. Memoria digna illa *D. Matthiæ Jacobæi* (*ap. Th. Bartholin. V.1. Act. Med.Hafn. obſ.116.p.210.*): Fœmina quædam urbis Aurelianenſis gravida febri acuta, & inflammatione circa umbilicum ſubito correpta, opinione citius & ἀλόγως liberata fuit, æſtum vero febrilem in fœtum tranſiiſſe eventus docuit. Mortuus enim ex utero extractus oſſa habuit in pulverem rubicundiſſimum redacta, tanta vis ignis febrilis fuit. Ignem exiviſſe ab iſchio, id eſt, vertebra Crucis, & combuſſiſſe oculos hominis, qui patiebatur dolorem in illa parte, & ceſſaviſſe dolorem Magnetius Alexandrinus Medicus *Simplicio* narravit, prout (*in Ariſt.3. de cœlo t.33. com.30.*) & ex hoc *Joh. Baptiſt. Bernhardi* (*Seminar. Phil. Ariſtot. col.625.*) *tradidit.*

§. 25.

Nec minus admiranda, quam *Paulus Eber.* (*Calend. Hiſtor. p.217.*) *Conrad. Lycoſthen.* (*Chronic. oſtent. & prodig. p.648.*) *Cornel. Gemma* (*l.2. Coſmocrit. c.1. p.26.*) *Richardus* (*l.3. Chronic.p.145.*) *Th. Bartholin.* (*de Luc. Hom. c.18. p.158.*) recitant, hiſtoria Anno 1555. 26. Jun. hor. 3. matutina Sutoris cujusdam in oppido Thuringiæ, Nebra, uxor, quæ biduum totum parturierat, enixa eſt tandem filiolam, quam è veſtigio ſecuta eſt flamma ignis cum fragore imitante bombardarum ſonum, parientis replens conclave fumo graviter fœtente,

&

& ambullit fermè totum corpus infantis, & loca matris. Infans mortua eodem die, cujus mater paucos dies superfuit.

§. 26.

Causam ut erueret *Marcell. Donat.* (*l. 4. Hist. Med. mirab. c. 25. p. 459.*) ex vaporum collisione mutua, atque attritione ipsos accensos, eoque modo (& motu) crepitum & flammam excitasse, quo in aëreis impressionibus, præcipue corruscationibus & tonitruis fieri, traditum *ab Aristotele* (*in l. Meteor.*) profitetur, ut hanc malam flatuosam vel igneam potius appellare non injuria posses. Quod potuerit difficultas pariendi humores inflammare, ruptura autem vinculorum & commotio sordium, ut voluit *Henric. Wathon.* (*l. 3. univ. sapient. p. 2. c. 5. n. 4. p. 430.*) in eo *Eidem*, quod flammæ causam concernit, non subscribo. Calor noster, quamvis igneus non sit (Philosophatur *Helmont. tr. Ignotus hospes morbus n. 79. p. 402.*) altius exorbitat per furores, tumque confestim lumen vitale tanquam combustum exuit, & alcali causticum assumit. Quod cernitur in fœno madido & compresso, ubi ignis consurgit spontaneus. Sic in affectibus escharoticis calor noster, vitæ prioris oblitus, transit in gradum ignis. Radiorum namque luminarium congressu spirituumque salis degeneratione, prout in fœno verus ignis nascitur, nosque conflagraret, si Archeus hunc scenæ terminum ante mortem expectaret.

§. 27.

Ignem & fumum etiam in sanis deprehensum, notarunt varii. *Etiam* scribunt (*commemorante Petr. Gregor. Tholosano l. 15. de Republ. c. 6. p. 1102.*): Infantem & lambentem matris ubera conspectum esse, (vid. & *supra* §. 6.) non Lac, sed flammas ab uberibus rapere, & cum nasciturus esset, pater ejus *Sabacha* vidit illum ab Angelis albicantibus salutari & igne tanquam fasciis involvi, quod è *Dorotheo* & *Epiphanio* recitat *Gregor. Michaëlis* (*in curios. inaud. Gaffarell. n. 65. p. 306.*). Sed hoc forte commentum Rabbinicum. Ignem è pudendo emisisse quendam, *Euseb. Niremberg.* (*in Hist. peregrin.*) annotat. Audivi interdum, (*testatur Joh. Ben. Sinibald. l. 4. Geneanthrop tr. 2. c. 3. p. 457.*), Salaces quosdam juvenes œstro libidinis percitos, qui dicerent è suis pudendis fervidum pnevma, quasi flammam, emicare. Ego vero certo scio, ait *Petr. Borell.* (*Cent. 2. obs. 69. p. 166.*) apud Ruthenos mutum esse, cujus veretrum, cum est rigidum, fumum manifeste emittit. Sudore erumpente totum corpus fumum emittere videtur. Si frigore condensentur invisibiles effumationes, quod hyeme contingit, toto corpore fumant equi, & cum his respirando fumum per os & nares egerunt homines.

§. 28.

§. 28.

Cicindelarum lux interna his lucem fœneratur. Valuit hujus adminiculo quandoque aliquod breve vocabulum non tantum legere *Rob. Boyle* (*vid. Epist. de Adamant. in tenebr. lucent. tr. de Color. affix. p. 363.*); Sed & hanc ardere, imponendo digitum parti splendore corruscanti, suo damno expertus *Georg. Entius.* (*Apolog. Circulat. Sangv. p. 102*). Hos vero adultos demum lucere *Leonh. Thurneusser.* (*l. 6. Pison. c. 76. p. 286.*) expertus, & tum demum, ut conjicio, ubi in Venerem feruntur, lucere. Scolopendra, quæ dum fortius in tenebris premitur scintillas è pedibus, aut forsan annulis (siquidem id in tenebris recte assecutus fui,) emittit, cujus cuilibet experimentum facere licebit, (*conf. M. C. Dec. 1. Ann. 1. obs. 138. p. 307.*). Quot namque scintillas cuti asperget infectum humore scintillante maxime turgens, tot vesiculos dolorem levis ambustionis inferentes deprehendet Experimentator. Scorpiones in Insula Ceylon leviter compressi, quoad liquidi quid ex iis effluat, sulphureum lumen exhibens emittunt, testis est *D. Hermann. Nicol. Grim.* (*M. C. Dec. 2. Ann. 1. obs. 162. p. 406. sq.*), qui & vermes alios & Muscas in Insulis Coromandel, Ceylon & Java lucentes *ibidem* descripsit. Adde *Henric. Oldenburg.* (*Act. Phil. Angl. 68. p. 690. & 69. p. 897.*)

§. 29.

Lucem etiam in externis partibus conspicuam exhibuit sæpius experientia. *De Theodorico Gothorum Regis Patre Ludov. Cæl. Rhodigin.* (*l. 15. lect. antiqv. c. 5. col. 780.*) & *Th. Bartholin.* (*l. 1. de Luc. c. 9. p. 71.*) referunt, ex Ejus corpore toto scintillas prosiliisse. Adduntque sapientem quendam prodidisse scintillantes flammas hinc inde etiam cum sono emicasse. Pro vero habendum est, *addit Th. Bartholin.* (*c. l. p. 75.*) *quod de Carolo Gonzaga, Mantuæ Duce* constans fama tulit, levi per totam cutem facta frictione, flagrantes species exire solitas. Affine his Exemplum communicat *Excell. Dn. D. Rudolph. Jacob. Camerar.* (*M. C. Dec. 2. An. 8. obs. 172. p. 428. & An. 9. obs. 121. p. 212.*) de juvene, cujus etiam Lintea lucebant, quod in se facta experientia anno 1677. illustrat (*in Add. ad Dec. 2. An. 8. p. 464.*) *profundæ doctrinæ & singularis industriæ Medicus Dn. D. Joh. Math. Faber*, rationesque quasdam superaddit, quem vide.

§. 30.

Capita flammantes Poëtarum & Historicorum scrinia nobis excutientibus occurrunt. Illi ex *Æsculapii*, infantis capite, ignem emicuisse narrarunt, *testimonio Natal. Comitis* (*l. 4. Mythol. c. 11. p. 365.*). Hinc Æsculapii nomen Æ-

gyptium prorſus eſſe, quicquid Græci comminiſcantur, *judicat Caſp. Peucer.* (*Orat. de Stud. Vet. Phil. c. 4.*) vel ex Oez keleph conflatum, vel ex Æſchkeleph, quod capra nutritus, cane cuſtoditus fingatur (aut quod Caprillo lacte ad vires ægrorum reſtaurandas uteretur, canis autem lingua ad externorum ulcerum medelam, *cenſente Ottone Heurnio* (*l. 1. Philoſ. Barbar. p. 66.*) flammaque ex eo invento primum ac conſpecto eripuiſſe dicatur:

Circa Achillis caput nubem dia inter Deas
Aureamque ex ipſa incendebat flammam undique lucentem.

fingit Homer. (*Iliad. 6. v. 213.*). *De Aſcanio Maro* (*l. 2. Æneid. v. 683.*)

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

(vel ſi mavis *Claudiani* verbis id legere, hæc *Panegyr. in Conſ. Honor. v. 192.*) habe:

ventura poteſtas
Claruit Aſcanio, ſubita cum luce comarum
Innocuus flagraret apex Phrygioque volutus
Vertice fatalis redimiret tempora candor

De Maſiniſſa Numidarum Rege Silius l. 16. de Bell. Punic. v. 119.)

Carpenti ſomnos ſubitus rutilante coruſca
Vertice fulſit apex: criſpamque involvere viſa eſt
Mitis flamma comam atque hirta ſe ſpargere fronte.

In *Caſtorum* cum Argonautis navigantium capitibus ſubitæ quædam ſtellæ effulſiſſe dicuntur *Valerio Flacco* (*l. 1. Argonaut.*) quos & crinibus ſtellatis illuſtres cecinit (*c. l. v. 209.*) *Claudian.*

§. 31.

Ex Hiſtoricorum penu hæc depromta ſufficiant. In acie nobis reſiſtit *Alex. M.* cujus caput in ſummo prælii Indici ardore ſcintillaſſe perhibetur *Bartholino* (*l. 1. de Luc. c. 12. p. 91.*). De *Lucio Martio Livius* (*l. 5. Decad. 3.*) & *Valer. Max.* (*l. 1. c. 6. n. 2.*) quod pœnos aggreſſuro & *Ducem Asdrubalem* flammam concionans fuderit è capite, ſine ipſius ſenſu, cum magno pavore circumſtantium militum. De *Servio Tullio* res notiſſima, cui puero adhuc dormienti circa caput flammam emicuiſſe domeſtici oculi annotarunt. *Vid. Id.* (*c. l. n. 1.*) & *Apulej.* (*l. de DEO Socrat. p. m. 427.*) cauſam hujus fulgoris allegant, quod in foco regio, ubi à Romanis cum alia ſacra ſolebant fieri, tùm cœnarum litari primitiæ ſupra flammas è cinere virilis membri extitiſſe ſpeciem proditum, ex qua imprægnata *Ocriſia ancilla Tanaquilis Reginæ* fortè aſſidens natusque, *referente*

rente id *Dionysio Halicarnassæo* (*l. 4. Antiquit. Roman. c. p.m.*) & *Plinio* (*l. 36. c. 27.*). Hoc in Dæmonum opera (*c. l.*) recensuit *Apulejus*, *Serviusque*, Laris familiaris filius dictus. *Bambæ Gothorum Regi* ad supremum Regni fastigium efferendo flamma in formam columnæ à capite ascendit, quod *Sabellicus* (*l. 1. c. 4.*) in literas retulit. De *Christiano V. Daniæ Rege* tradidit *Th. Bartholin.* (*c. l. c. 10. p. 71. & Cent. 3. Hist. Anat. 37. p. 79.*), quod non semel pectine capillos ad occiput reducens scintillas exilisse viderit, & præsentibus monstrarit.

§. 32.

De Sanctis DEI viris idem memorant. Singulare plane est, quod è *Sophronio* (*in prat. Spiritual. c. 104.*) citat *H. Kornmann.* (*de Mirac. Viv. p. m. 67.*) quod *Theodosius Episcopus* nocte è fenestra in Ecclesiam conspiciens viderit *Nonnum Abbatem* procumbentem genibus suis, & stellam lucidissimam super caput Ejus, unde disceret, quantus vir ille *Nonnus* esset. Ita de *B. Hieronymo Wellero* olim me legisse recordor (*forsan in vita Ejus à Philippo Gallo, aut Concione Ejus funebri*), quod *Pius ille doctusque Christianus Scriverius* (*p. 3. Seelen-Schatz Conc. 5. §. 23. p. 1004 repetiit,*) quod lectus in quo dormiebat, imprimis ea parte, in qua caput reposuerat noctu sæpius flammis circumdatus & ignibus coruscus visus, & virum DEO deditum id Angelicæ præsentiæ ascripsisse. Carmelitani Ordinis Monacho eandem capitis scintillationem contigisse *Hieron. Cardan.* (*l. 8. de Variet. Rer. c. 44. p. 549.*) & *Joh. Wolfius* (*part. 2. Lect. Memorab. & recondit. p. 507.*). *P. Claudius Aquaviva Filius Ducis Atrii* visus aliquando à *Philippo Nerio* diu coruscare. (*Henric. Engelgrav. T. 2. Luc. Evangelic. p. 407.*)

§. 33.

Amicum habeo, ut & de non magni ordinis viris adhuc quid addam, *inquit Petr. Borell.* (*Cent. 4. obs. med. 43. p. 312.*), qui scintillas noctu emittit, si fricetur. Gemellum è *Petro à Castro* (*in Collectan. M. S.*) citat *Ph. Jac. Sachsius Noster* (*l. 2. Ampelograph. s. 7. c. 2. p. 495.*). Idem de se ipso scripsit *Petr. Joh. Faber* (*Pallad. Spagyr. c. 14. p. 836.*). De *Joh. Andr. Prolæo Mich. Watsonius* (*s. 3. Univ. Sap. c. 2. n. 2. §. 4. p. 374.*) *Idem*, idem de puero Jenensi *Andr. Libavius* (*l. 1. Hexaëm. p. 110.*). De alio in ludo Portensi *Joh. Otto Helbig.* (*introit. ad ver. & inaudit. Phys. p. 14.*)

§. 34.

Nec in sequiore sexu desunt Exempla. Obsessa & mirabiliter liberata mulier, *teste Cornelio Gemma* (*l. 2. Cosmocrit. c. 20. p. 50.*), cui ante horrenda facies, vultu jam non quid amplius relucente, sed cujusdam divinitatis radio ac splendore pulchritudinis aucto supra modum videbatur. Caumontiæ Heroinæ in mediis tenebris capillus dum pectitur ignem vomere videtur, habet *J. C.*

Scaliger. (*Exerc. 175. p. 567.*). Puella quædam nobilis forma gratissima prædita (*tradit c. l. P. J. Faber*), dum coram me capillos venustè admodum pectine implicatos dissolveret, flammas veluti cadentes cœlo stellas è capite suo in sinum excutiebat suum, quo meteoro perterrita ipsa puella in Syncopen ferè incidisset, ni subito verbis lepidissimis refocillatæ metum è pectore depressissem, explicata harum flammarum causa illi ipsi & parentibus suis. Diversus ab hoc *Laviniæ novercæ* splendor, qui lucem flamma comitabatur. Audiamus *Poëtam* (*l. 7. Æneid. v. 71.*)

Prætereà castis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem astat Lavinia Virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque acensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi, & totis Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum ac visu mirabile cerni.

Hæc & alia atiam *ap. Petr. Dan. Huetium* (*l. 2. Qu. Alnet. c. 12. n. 10. p. 194.*) invenies.

§. 35.

De Corporis & Artuum luce ne dubitemus, historias in medium produxit (*l. 2. de Monstr. c. 48. p. 261.*) *Fortun. Licetus.* Ego pluries audivi *à Josepho Patre*, *inquit*, se dum juvenis in Insula Corsicæ Medicinam faceret *Francisco Guido Jurisperito*, artificiosæ memoriæ Monstro memorabili, nullique hominum comparabili familiariter usum, quem sæpe numero, dum nudus in lecto recumberet, casu brachia levigantem flammas evidentius excutere consuevisse, quam si aridæ truncum hederæ virentis lauri baculo vehementissimo, concitatissimoque nisu attrivisset. Quinimò, *pergit*, dum Pisis agerem, publicus Philosophus superioribus annis *ab Antonio Cionsio*, *Bibliopola Pisano* audivi, se bis, dum subuculam nuncupatum exueret arctiorem flammas è dorso & brachiis cum crepitu efflasse, ita ut universa familia præsens miraretur. Hoc idem frequentissimo in more positum fuisse *Maximo Aquitano Medico insigni Petr. Lupius* inter Pisani Gymnasii Professores non indoctus, ejus Nepos amplissimo testimonio mihi retulit. *Hæc Licetus*: De *Tiberio Imperatore Suetonius* (*in Vit. Ejus c. 14. p. m. 132.*) vestimenta mutanti tunica ardere visa est. De Indusio noctu lucente observationem singularem *Exc. Dn. D. Rud. Jacob. Camerarius* (*M. C. Cec. 2. A. 8. obs. 172. p. 428.*) communicat. Cuidam in pallii consueta depositione scintillæ à dorso petasi sparsim prosiluerunt, iterumque reposito pallio, dum amoveretur, denuò

denuò eruperunt, (*Hier. Cardan. l. 14. de Rer. Variet. c. 69. p. 916.*). *Alexandrinus Medicus Philalthei* (*3. de Cœl. comm. 31.*) *testimonio* adseverat à vertebra coxæ in laborante coxendice Ignem exsiluisse, & oculos inspicientis combussisse. In *Joh. Friderico Electore Saxonico* modo nato visa est in dorso crux aureo colore fulgurans, quod narrat (*indic. Chronolog. p. 452.*) *Abrah. Bucholzer. Georg. Richter* (*Axiom. Oecon. 3. p. 15.*)

§. 36.

Sed nec hoc in viris solum animadversum, sequior sexus pariter isto prodigio non caruit. Illustris Matrona in Italia *Domina Cassandra Burrhi, illustris Joh. Francisci Rombaldi Patritii Veronensis uxor*, eo prærogativæ dignitatis & stupendæ Naturæ signo signata à Creatore, ut quotiens leviter linteo corpus tetigerit scintillæ ex Artubus copiosè prosiliant, non secus ac si è silice excuterentur, comitatæ etiam stridore omnibus audito. Sæpè ducta manus per indusii manicam scintillas excipientem, observavit flammam caudato radio ad instar accensarum exhalationum decurrentem, à quo sæpè delusæ ancillæ, ignem se intra stragula lintea ingessisse per incuriam, cum cubile hyemali tempore etiam copiosiores & clariores micant scintillæ, cum metu haud dubio arbitrantur. Ignis autem, ut hoc addam, non nisi noctu aut obscuro loco in morem luminum nostrorum cernitur, nec extra se urit, quamvis materia suggeratur ad inflammationem promtissimam, nec denique, ut alii fulgores temporanei ad certi temporis mensuram desinit, sed eadem lucentis facie, cum hæc literis mando, adhuc effulget. Hæc *ex Ezechiele* postmodum baptizato dicto *Petro de Castro* (qui hanc historiam *tr. de Igne lambente* illustrasse dicitur) *Th. Bartholin.* (*c. l. c. 19. p. 162. sq. & Cent. 3. Hist. 70. p. 139.*). Aliam *P. Borell.* (*Cent. 2. obs. 69 p. 165.*) his delineavit. Sæpissimè oculis propriis mihi videre contigit in subucula & indusiis egregiæ & nobilis Dominæ dum Medicinæ operam Monspelii navarem. Cum enim munda sumeret indusia, in iis, quæ exuebat, scintillæ igneæ erumpentes & in plures sub divisione sua abeuntes percipiebantur, eodem modo, quo ignis Carbonum scintillare & in multiplices scintillas subdividi solet.

§. 37.

Aurei *Pythagoræ* femoris mentionem ex Antiquis fecerunt *Plutarchus* (*in Numa p. m. 116.*). *Diog. Laërt.* (*l. 8. de Vit. Philos. p. 574.*). *Lucian.* (*l. 2. Verar. histor. c. 26. p. 45. in Somnio s. Gallo & Vitarum auctione p. 373.*) *Jamblich.* (*in Vit. Pythag. p. 131.*) *Apud Olympiam* (Vid. *Ammian. Marcellin. l. 22. p. m. 253.*) cum per cœtum populi transiret ostensum stigma quoddam, interpretatur *Joh. Henric. Ursinus* (*l. 1. Anal. Sacror. c. 61. p. 95.*). Cum inter gestandas tædas, & mysticas saltationes *Alexandri Impostoris* femur de industria renudatum aureum

apparebat, pelle, ut conjicit *Lucian.* (*Pseudomant. p. 771.*) aurata circumdata, & ad tædarum fulgorem relucente. Quæstio inde inter duos desipienter sapientes orta, utrum ob femur aureum animam Pythagoræ haberet, analiam Pythagoricæ similem? Quid de eo præterea sentiat *Fortun. Licet.* (*c. l. c. 47. p. 158.*) addere operæ pretium duxi: Putat nempè aureum femur Eidem attributum mystico sensu, ita, ut cum *Pythagoras* in via morum & sapientiæ nequicquam erraret, sed bene incederet, femur aureum illi scitissimè attribuerent. Ita *Plato* (*in Euthydemo p. m. 220.*) scripsit, apud Scythas eos felicissimos optimosque viros esse, qui in sui capitis ossibus aurum multum continent. Dæmones esse aureum genus hominum, id est, bonum præclarum, *Plato* (*in Cratilo*) *testatur*, postquam ex hac vita discesserint, fieri Dæmones sanctos, terrestres optimos malorum expulsores & custodes hominum. *Vid. Andr. Cæsalpin.* (*de Dæmon. invest. peripat. c. 6. f. 151. b.*). Et aureos philosophiæ participes vocasse *Platonem Clemens Alexandrin.* (*l. 5. Stromat. p. 445.*) deprehendit, qui paulò ante *ex Eodem* narrat (*p. 434.*) DEUM dum fingeret aptos ad imperandum iis in generatione commiscuisse aurum; earum autem auxiliaribus argentum; agricolis & reliquis opificibus æs & ferrum. Aureum pulchrum interpretabatur *Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. qu. 36. n. 49. p. 442.*) allegans illud *Hesiodi* (*l. 1. op. & dier. v. 99.*)

Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων.

Eburneum illud *Origines* (*l. 6. contr. Celsum.*) vocavit. Femoris pulchritudinem declaraturus *Anacreon.* (*od. 29. ad Bathyll. p. m. 150.*) ignem eidem tribuit:

Μυρῶν τὸ πῦρ ἐχόντων.

Femorum ignem habentium.

in quem locum quid annotet *Mr. de Longepierre ex Henrico Stephano vide* (*p. 161.*) Sunt qui pro χρυσῶν μυρὸν χρυσοῦν ῥοῦν aureum flumen legunt, quod animadvertit *Martin. Delrio* (*l. 1. Disquisit. Mag. c. 5. qu. 1. f. 1. p. 138.*), qui & addidit, quosdam id de Lapide Philosophorum interpretatos fuisse. Ne repugno *ingeniosissimo Chemiatro O. Porrichio* (*Diss. de ort. & progress. Chem. p. 40.*) illud de aliquali cognitione Chemiæ ex Ægypto in Græciam translata explicantur: Quod si moraliter, ut pleraque Pythagorica accipienda, id explicare tentes, forsan de celebri illa Pythagoræ continentia, non incommodè, interpretaberis mecum, cum femur, (ut *infra l. 3. Tit. 1.* monui) ad generationem referatur, & ideò femoris sacrificium, ut *ex Eubulo Comico* allegavit *Clemens Alexandrinus* (*l. 7. Stromat. p. 514*) Diis displicuit, verba hæc sunt:

Diis quidem caudam consecratis & femur,
Tanquam scelestis nempè pædiconibus.

§. 38.

§. 38.

Et hæc prima fuit *Liceti* ratio, notis haud trivialibus forsan illustrata. Vel ab imaginatione matris, *pergit*, femori ipsius flava macula impressa fuit. Nostri vocant *die Honigflecken*, & melli tempore gestationis avidè comesto ascribunt, qui ipsi nævi aliquando flavo colore, ut mel rutilant, aliquando obscurè flavent. Potuit & eidem contigisse, *addit*, ut dum nudaretur frictione femoris, confestim ex apertis poris flammulenta exhalatio prodiens aureo colore membrum illud inficere videretur (*c. 49. p. 162.*). Tandem morbo arquato, qui morbus aureo colore corpus tingit, ut exemplis *è Cornelio Gemma* (*l. 1. Cosmocrit. c. 7. p. 157.*) & *Lazaro Riverio* (*Cent. 1. obs. 6. p. 556.*) constat, ut etiam Icteri Lunam aureo tingentis colore *memoret Petr. Borellus* (*Cent. 1. obs. 68. p. 64.*) inde etiam Aurigo dictus *Aretæo* (*l. 1. Diutrun. Affect. c. 15. p. 84.*). Ultima ratio, ut vix aliquam probabilitatem promittit, cum Icterus in una corporis parte deprehensus vix legatur, isque non sit à primo ortu in totam vitam durabilis. Priores autem tres nec rationi, nec experientiæ contrariantur.

§. 39.

Præter lucem prædictam (in vivis namque non separatim considerantur, benè tamen in mortuis) etiam unicuique corporis nostri humani, & parti sua est lux, ipsi, quatenus mixta dicuntur, inhærens. De humorum luce acutè & nervosè colligit *Joh. Theod. Schenck.* (*hist. hum. general. c. 5. p. 72.*), è motu, ex eorum splendore & effectibus, qui sunt, lucida reddere corpora flammantia & rutilantia pro varia corporum luminosorum mixtione. Sicut autem non una est species (*pergit p. 73.*) lucis, sed innumeræ: Ita ex hoc facilè colligi potest, quod, ubi separatim humores extant, aliter lucere, quam ubi vel aliis sunt permissi, vel intra carnes delitescunt, vel in aliam degenerant naturam. Eleganter verò illud pigmentorum varia miscela illustrat, & (*p. 74.*) subjicit: Non igitur à ratione abest, nec mirandum, cum hanc lucem calidam & quasi urentem in sinubus cordis; temperatam & sideream quasi in Cerebro; fulgurantem in oculis, liliaceam in cute, rosaceam in labiis & genis, in unguibus speculi instar gliscentem, in humore crystallino gemmeam, in vitreo obscurè nitentem.

§. 40.

De Sanguinis luce nemo ferè dubitat. *Ipse Galenus* (*2. de vict. rat. in acut. t. 44. p. m. 575.*) oculorum coruscationes sangvinis copiæ ad caput delatæ ascripsit. Lymphæ splendor oculos effugere non potest, probat eundem gelatina, in quam absumta serositate facessit, ut alibi (*l. 1. Tit. 7* §.) allegavi. Gluten ex agnorum & vitulorum ossibus excoctum, quod non tantum pellucet,

sed

ſed & coloribus, Chartis, Lignis &c. ſplendorem conciliat, oſſa demum ipſa, tendines, membranæ, nervi &c. quæ originem & nutrimentum ſuum præfatæ debent lymphæ, id abundè oculis ſuggerunt. Et ſi rectè quidem calculum pono, ſangvis potiſſimum lucem ob admixta lympha mendicatur. Separata namque lympha aliqualem obſcuritatem oppidò acquirit, & tandem ea ab igne penitus exſiccata, obſcurus penitus redditur. Ita Lac ſangvini miſtum, colorem eidem ſplendentem minio ſimillimum per aliquot dies conſtanter induxit, experimento *Th. Bartholin.* (*de Hepat. defunct. p.m. 585.*). Quin Chylus admiſtus idem præſtet ſæpius ſuſpicio me tenuit. Contra (*idem expertus c. l. p. 586.*) ſubcinericium colorem omni ſangvini facilè impreſſeris, ſi ad ignem in vaſe leviter coquas.

§. 41.

Lympha iſta ſangvini miſta ſangvini concreſcenti varia ſuperficiem mutando imprimere poterit ſimulacra. Spectat huc illud phænomenon, quando Haffniæ anno 1662. menſe Junio Chirurgus in ſangvine ſpeciem hominis capillati, & fœminæ cum corona ſibi invicem obverſa vidit, quod tertia hora evanuit (ſeparata nempè à ſangvine lympha), quod iterum notat *Th. Bartholin.* (*Cent. 4. Epiſt. 24. p. 101.*) Eodem modo Alii in ſanguine effigies ſacerdotis comparuit, ut *Idem* (*de Hepat. exauctorat. deſperat. Cauſ. ſ. 1. p. 642.*) meminit. De Chyli & Lactis Luce nihil amplius addo, ne ſoli lucenti lucem jungere videar.

§. 42.

Germanicum *Auge* concinnè à græco αὐγὴ deducunt, ut ſplendentis radii ſignificatio inſit, ceu *Franc. Tidicæus* (*tr. 4. Microcoſm. p. 274.*) loquitur. Oculum igneum eſſe, prodiderunt multi, quos citat & refutat *Andr. Laurent.* (*l. 11. Anat. quæſt. 3. p. 941.*). Ignis ille, qui è corde vel aliunde in cerebrum erumpens, ibique exquiſitè elaboratus à Natura in viſus miniſterium ſecernitur, inde in Nervos opticos ſe recipiens, dum ab oculi humoribus & tunicis impeditur, quo minus avolet, quicquid eſt ſubtiliſſimum, ejus veluti eruptione facta ex illis anguſtiis longè ſe promittit, ſpatium quærens. Quod manifeſtum eſt in oculis Felis & Noctuæ, *ſcripſit Sebaſt. Baſſo* (*l. de viſu intent. 4. Artic. 5. p. 540.*). Spiritum in Nervis opticis ſplendidum vocavit *Gallen.* (*l. 7. de placit. Hipp. & Platon. p. 1139. & l. 16. de U. P. p. 882.*). Oculi humores orbiculares duplices, alius ita mollis, cujusmodi eſt vitrum mediocriter ſolutum; alius ita durus, cujusmodi eſt glacies modicè concreta. Nominatur à Medicis mollior hyaloides, durior cryſtalloides à vitri & Cryſtalli ſimilitudine, quibus non ſolum ſubſtantia, ſed

eti-

etiam coloribus respondent. Siquidem exactè purus est pellucidus & splendidus. (*Id. l. 7. de placit. Hipp. p. 1145.*). Leonibus & Pardalis aliisque animalibus, quibus splendidus admodum est oculus, licet tibi noctu spectare, qvum pupillam ad nares converterint circulum splendoris in ipsa apparentem, (*id. ibid. p. 1141.*). Solem non ostendam quidem in corpore animalis, sed ostendam tibi oculum, organum lucidissimum, & Soli quam simillimam animalis particulam, tandem concludit *Pergamenus* (*l. 3. de U. P. c. 10. p. 386.*)

- - - - πυρόεντα

ὄμματα - - -

Melitæ tribuit (*in Epigr. V. Antholog. Epigr. l. 7. p. m. 521.*) *Ruphinus*. In Venereis id contingere præ reliquis, *Martin. Schoock.* (*de Ferment. c. 18. p. 251.*) autor est. Inde *Adamantius Sophista* (*l. 2. Physiognom. c. 26.*): oculos στίλβοντας s. lucentes Veneri sacravit, quod imprudentiam demonstrent. Vid. & *Joh. Bapt. Porta* (*l. 3. Physiognom. c. 7. p. 409.*) Plura de oculorum luce *Casp. Hofmann.* (*l. 2. Syntagm. de Calid. innat. & Spir. c. 2. p. 56.*). Oculos interim animalium non luce innata, sed participata gaudere, experimentis declarare voluit *Exc. Joh. Bohnius* (*Circul. Anat. Progymn. 19. p. 402. & 27. p. 413. sq.*). Et noctivaga animalia nullum extra oculos lumen mittere, itidem Experimentum suppeditavit *J. B. Helmont.* (*tr. Formar. Ortus n. 50. p. 114.*)

§. 43.

De humore oculi crystallino multa dicere prohibet Lux præfata oculorum emissititia, ut ut hunc neget *Hieron. Fabric. ab Aquapend.* (*tr. de Oculo p. 2. c. 4. p. 45. & p. 3. c. 6. p. 89.*) & ab intimis oculis recessibus lumen prosilire, inficietur *Athan. Kircher.* (*l. 3. Art. Magnet. p. 9. c. 1. p. 610.*). Excelluerunt illa luce *Cajus Marius*, ex cujus oculis in cubiculo umbroso multas flammas emicare vidit miles, *teste Plutarcho* (*in vit. Ejus p. 72.*) *Augustus Cæsar, Tiberius, Asclepiodorus, Julius Cæsar & Josephus Scaligeri, Beza, Burrhus, cum Aliis*, quos citat *Th. Bartholin.* (*l. 1. de Luc. c 14. p. 106. & l. 3. c 8. p 493.*) ex *Angelus à S. Francisco* (*tr. Homo omnia l. 1. p 60.*). Novit Grœningæ quosdam nocte expergefactos omnia clarè, Luna non fulgente, cernentes *Isaac. Schookius* (*Cent. probl. rar. n. 44. p 40.*). Idem de se *Cardan* (*l 8. de var. rer. c. 43. p. 542.*) sibi ipsi splendentes oculos tribuerunt *Lud. Cœl. Rhodig.* (*l 15. lect. Antiqu. c. 2. col. 776.*) *Joh. B. Porta* (*l. 4. Physiognom. c. 6. p. 460.*) & *Athanas. Kircher.* (*l. 2 Art. magn. Luc. & umbr. p. 2 c. 1. p. 162.*): De me testari possum, quod sæpius è somno expergefactus cameram lucidam deprehenderim, sed nonnisi oculis humentibus, humore namque in vapores resoluto, lux evanuit, & oculis siccis nunquam comparuit.

§. 44.

Hyæniam Gemmam in oculo Hyænæ inveniri, *ſcripſit Plinius* (*l.37. c. 13.*). A ſimilitudine verò nomen accepiſſe, *Anſh. Boët. de Boot.* (*l.2. de Lap. & Gemm. c. 299. p. 262.*) dictitat. Eruit has (quamvis veræ gemmæ non ſint, cum poſt tres aut plures dies fiant opacæ, & in varias partes ſcindantur,) *Petr. Caſtellus* (*l. de Hyæn. odorif. c. 4. p. 37.*), cryſtallinas ex Hyænæ oculis duras & diaphanas, quas etiam *apud Eundem* vidit *Th. Bartholin.* (*l. 2. de Luc. c. 9. p. 252.*), qui & ipſe è Civetta talismodi humorem cryſtallinum exemit & deſcripſit (*Cent. 4. hiſt. 1. p. 210.*). In hominibus contra ſub mortem vel Syncopen oculi cornea membrana lumine priva cernitur, *advertente J. B. Helmontio* (*tr. Blas human. n. 24. p. 148.*), quod & calculo ſuo firmavit *Thom. Reineſius* (*l. 2. var. lect. c. 18. p. 290.*). Confer etiam quæ ſupra (*l. 1. Tit. 5. § 7.*) collecta dedi.

§. 45.

In contentione avari *cum Oreſte* ſplendidam huic bilem tribuit *Horatius*, quod cum *cenſente B. Frideric. Rappoldo* (*in not. ad Horat. c. 11. p. 331.*) *Dionyſ. Lambinus* ad atræ bilis naturam rectè refert, quæ *Galeno docente* ſit στιλπνοτέρα τοῦ αἵματος, ſplendidior ſangvine. *Torrentius* tamen (valdè veretur, ne invita veritate, citraque autoritatem veterum *laudatus Rappoldus*) flavam potius ſeu rubeſcentem, quæ ad cor redundans, iram concitet. *Torrentio* meum aggrego calculum, eò quod irati rubeant, inde *ap. Statium* (*l. 7. Thebaid. v. 48.*) iræ rubentis, & irati, tum ignea corda, (*l. 2. Theb. v. 411.*) tum ſcintillantes oculos habere, Poëtis dicuntur. De his locus extat *ap. Apollon. Rhodium.* (*l. 1. Argonaut. n. 50. v. 1258.*)

τοῦ δὲ οἱ ὄσσε
Ὄσσε λιγγες μαλερεῖο πυρὸς ὡς ἰνδάλλοντο.
ipſiq; ei oculi
Scintillæ rutili ignis tanquam fulgurabant.
Ἐκ δὲ οἱ ὄμματ᾽ ἔλαμψαν ὑπ᾽ ὀφρύσιν ἱεμένοιο.
Eiq; oculi ardebant ſub ſuperciliis more incitati.

Oculis Dracorum & Serpentum κακὸν πῦρ *Theocritus* (*Idyll. 24. v. 18. p. m. 187.*) & Apro immani oculos flammeos aſcripſit *Apulejus* (*l. 7. Metam. p. m. 191.*). Apud *Homerum* (*Iliad. 19. v. 16.*) *Achilli* irato:

intus oculi
Terribiliter ſub palpebris tanquam jubar micabant.

& (*c. l. v. 371.*)

Eidem

Eidem oculi
Ardebant velut ignis flamma.

Imitatus hunc *Virgilius* (*l.12. Æneid.v.101.*)
Hic agitur Furiis totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt oculis micat acribus Ignis.

Seneca (*l.1. de Ira. c.1. p.m.20.*): hæc de iratis. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor exæstuante ab imis præcordiis sangvine. *Plato* bili flammam tribuit, omnemque inflammationem corporis eidem, (*teste Galeno* (*l.9. de placit. Hipp. & Platon. p.1185.*), cujus mentem ut explicaret, ista (*p.1186.*) subjecit, ex eo quod apposuerit flamma ob coloris nomen certum est, non in appellatione errasse ipsum, sic ut *Prodicum*, sed in Naturæ humoris cognitione. Varii præterea colores bili assignantur. Rubram bilem dicunt, quæ serum sangvinis est. Vitellina verò gignitur ex flava crassescente, sicut pallida, cum illi aliqua substantia intermiscetur. Et hæc iterum (*in 6. de morb. vulg. comm.5.p.586.*) *Galenus*. De atra *Idem* (*l.2. de nat. facult. c.9.*), qui & quorundam Taurorum bilem vidit cœruleam (*l.10. de Simpl. med. facult. p.971.*). Taurosque in Colchide ignem spirare, è *Virgilio Fried. Taubmann.* (*Comment. in Virg. p.180.*) prodidit.

§. 46.

Homini vivum aliquod ens igneum inesse, sequens experimentum *Francis. Mercur. Helmont.* (*obs. circ. hom. ejusque morb.* §.*9. p.8.*) docuit: Accipe *scribit*, urinam eorum, qui parum bibunt, est enim acrior, aliquandiu repositam ad mellis consistentiam evaporare sine, tum adde triplum carbonis laterisve in pulverem redacti, injice massam in retortam ob ignis violentiam luto incrustandam, & amplum adapta recipiens, cui aquæ nonnihil insit, tandem igne reverberatorio ascendet fumus cœruleus lucidus, qui in Aquam figitur in substantiam spissam, quæ inde extracta protinus lucet, & nimis ruditer tractata urit, quod Phosphorus appellatur. De Phosphoro, quam Tincturam *supra* (§.*16.*) vocavit *Edmund. Dickinson.* (*c.l.n.49.*), quæ de essentia quadam hæc (*p.289.*) subdidit: Ea quæ jam prædicatur Essentia, multo subtilius elaborari debet, & in liquidam atque purissimam naturam redigi, ut Pyropus fiat; quæ, si vitro in formam globi sufflato indatur, ita fulget, ut jubare suo totam cameram quamvis amplissimam, in qua suspenditur, illico luculentam reddat, tenebras & noctem fugans.

§. 47.

De Sudore pingvi & oleoso lucente res videtur indubia. De Sudore peste correptorum *Lucret.* (*l.6. de Nat. Rer. v.1185.*)

Sudorisque madens per cutem ſplendidus humor.

In quem locum iſta *Obert. Giſan.(collect. in Lucret p.432.)*:tribuitur humori ſplendor à Poëta noſtro fortaſſe,quod,ut lumen à Poëta noſtro liquidum ac fuſum dicitur,ita contra liquor ſ.humor ſplendidus,ſitq; mutua interea translatio. De ûrina noctu inſtar ligni putridi, cute flammæ ſulphureæ lucente,ſingularem communicavit hiſtoriam *Dn. D. Salom. Reiſſel. (M.C.D.1. A.6. & 7. obſ. 193. p.280.)*, quod ſulphuri lucenti in illa latenti tribuit *J. J. Beccher. (Supplem. Phyſ. 3. p. 75.)*. Movit id *Joh. Kunkelium, Chymicum induſtrium*, ut Phoſphorum ſuũ cum *Helmont. laudato* ex ûrina pararet, quod augurabatur *Fried. Hoffmann. F. F. (Diſcurſ. in augur. de Avtochir. p. 15.)* & noctilucam ſuam aëriam *Rob. Boyle (tr. de Noctil. Aër. p. 82.)*. Evaporationes pingves & ſulphureas è Cadaveribus ſuſpenſorum diurno tempore poſſe elici, quæ nocturno frigore condenſante ignem fatuum & lambentem repræſentent, non dubitat *Eraſmus Franciſci (c.l. p. 593 ſq.)* Hæc de humorum luce. In partibus corporis ſolidis pro varietate texturæ & humoris quo nutriuntur & madent, lux modò ſenſum noſtrum fugit, modo penetrat & ſe conſpiciendam dat, quod ſequentia declarabunt.

§. 48.

Externa & aſſumta huic luci velificari, prolixa non indiget probatione. Cum enim quædam aſſumta, v. g. Cibus aut potus luce interna turgeant; alia verò lurida & putredini obnoxia facilè evadant, quod illis lux corporis noſtri exaltetur; his verò obſcuretur, color faciei & labiorum loquitur. Plura *Th. Bartholin. (l. 3. de Luc. c. 6. p. 388.)*. Ita ſi plantæ noctu lucentes ab animalibus comeſtæ, carnes lucere poſtmodum, ſunt qui aſſerunt. (*Vid. Iſaac. Schoockius Cert. probl. rar. 44. p. 38.*) Cum Monſpelii caro agnina luceret, ſuſpicabatur doctus quidam Medicus ex Cantharidibus, ſplendores eſſe, (quam benè ea, quæ *Decur. 1. M. C. Ann. 1. obſ. 138. p. 307. cum J. P. Sachſio* notavi docebunt,) quibus eo menſe veſcebantur animalia, quod *Th. Bartholin. (Cent. 1. Epiſt. 9. p. 28.)* annotavit. Id verò non Cantharidibus comeſtis, ſed lampyridibus noctu per patentes feneſtras involitantibus carnique & pingvedini ejus denſo agmine inſidentibus, vel examinis inſtar Apum conglobatim adhærentibus imputat *Celeb. noſter Chriſt. Franciſc. Paulini (in not. ad Iſibord. ab Amelunxen. Breviar. p. 186.)* In Hippocomiis Regiis dum ſtrigilibus ferreis ſtrigmenta corporis equorum accuratiſſimè excutiuntur, fricta ſurſum & deorſum eorum cute evaneſcentibus fuligineis cutaneis excrementis apertisque cutis poris ſpirituoſa equini alimenti ſubſtantia, quæ in hiſce equis opiparè cibatis uberrima eſt, candeſcit, & flammeſcit, ita ut Eqvus ignitus videatur, *ratiocinatur (Pallad. Spagyr. c. 14. T. 2. op. p. 836.) P. J. Faber.*

§. 49.

§. 49.

Aurum & Argentum aſſumta, ſive in ſubſtantia, ſive chemicè præparata, huc referri poſſunt. Experimentum in Gallinis factum habet *Franc. Wendlerus (in Prognoſt. Aſtrol. German. ad Ann. 1619.)*, cujus verba in Latinum Idioma translata *à Dan. Sennerto* (*l. de Chym. & Ariſt. conſ. & diſſ. c. 19. p. 429.*) ita habent: Hoc loco facere non poſſum, quin mentionem faciam, qua ratione Gallina foliis auri & Argenti cum ſagina reliqua cibanda ſit, & quam mira meis oculis viderim, referam. Cum Sol ſignum Cancri ingreditur, quod 22. Junii eveniet, Gallinam aliquam, quam fieri poteſt, optimè ſagina, ſaginæ folia argenti inſperge: quorum quo plura cum cibo ingerit Gallina eò melius ſe res habet. Primis quidem quatuor diebus argentum cum excrementis per alvum rejicitur, quintò vel ſexto vel aſveſcit ventriculus argento, idque arripit, & immutat in ſuam quintam Eſſentiam, melius quam Chemicus aliquis. Si menſem unum ita Gallinam nutriveris ac ſaginaveris, mactare eam licet, & mira videbit. Quæ domi meæ ſaginata & mactata eſt, candida fuit inſtar argenti: Intus viriditas tanta apparuit, qualem nec Chemicus ex Argento parare poſſit. In maſſa illa quæ ova continet, innumera ferè ova magna & parva apparuerunt, quaſi ab Artifice aliquo ex argento formata fuiſſent. Poſteà quando Sol in Leonem ingreditur, quod accidit 23. Julii alia Gallina eodem modo nutriatur Auri foliis. Hoc modo meo ſvaſu nutrita & ſaginata eſt Gallina à Senatore quodam hic primario, & lautioris fortunæ &c. Comederat illa Gallina quatuor circiter volumina (4. *Büchlein Gold*) Auri, malleando in folia ducti. Ubi mactata fuit, mirum, quam pulchra intus fuerit. In pectore verò tres lineas purè aureas habuit, quaſi ab Artifice inductæ fuiſſent. *Hæc Wendlerus.*

§. 50.

Tentavit hoc Experimentum *Sennertus* eodem Anno foliis argenti, ſed ſine ſucceſſu. Tentavit & *Joh. Agricola* cum Auro, qui tamen teſtatur, ſe nihil inveniſſe, *als vergüldeten Hünerdreck (tr. de Auro p. 2. & 3.)*. Add. *Guerner. Rolfinck. (l. 6. Chem. in Art. Form. redact. c. 7. p. 427.). Joh. Sperling. (l. 6. inſtit. Phyſic. c. 7. qu. 3. p. 1102. ſq.). Martin. Schoock. (l. de Ferment. c. 23. p. 384.).* Sed de eo non dubitat *Anton. Deuſing. (Exerc. de Nutrit. Anim. §. 68. p. 103.)*, comprimis ſi folia vel pulverem impalpabilem Aqua mellis imprægnatum & in ventre Equi digeſtum ſumamus, & cum palea triticea & melle paremus amalgama, & Gallinæ exhibeamus, quod conſulit *Hieron. Reuſner. (Exerc. 7. de Scorbut. p. 504.).* Conf. *Carol. Roſenberg. (Exerc. Med. 31.). Laurent. Eich-*

ſtad. (*tr. de Conf. Alkerm.*). Colligit id è vitibus Ungariæ & Tranſylvaniæ, quarum folia aliquando aurea apparuere. Vid. *Nobiliſſimi Noſtri Sachſii Collectanea* (*M. C. D. 1. A. 1. obſ. 131. p. 291.*) & *D. Joh. Peterſon Hain* (*c. l. A. 2. obſ. 113. p. 187.*). Habet & quædam *citatus Deuſing.* (*c. l. §. 71. p. 105.*)

§. 51.

De vituli aurei potu *ap. Eundem* (*c. l.*) etiam quædam è *Lynno* adducta invenies, è quo etiam aureo colore tinctas barbas Idolatræ retuliſſe dicuntur. Evolvatur etiam *Dan. Sennertus* (*c. l. c. 3. p. 22.*) & *Præceptor olim in Patria fideliſſimus, Affinis & Fautor obſervandus Dn. D. Georg. Moebius* (*Moſcholatr. Diſp. 1. ſ. 2. §. 36. p. 29.*) & *Exc. Noſter J. D. Major* (*tr. Genius Errans c. 31. H. 4.*) cum *O. Borrichio* (*Diſſ. de Ort. & Progr. Chem. p. 48.*), qui illam mutationem, ſi vera ſit, miraculum ſpirare, non opus Chemiæ, edixit. Verum ridiculum illud Ebræorum commentum non ſine ratione reputavit *celeb. Joh. Selden.* (*Syntagm. 1. de Diis Syris c. 4. p. 155.*)

§. 52.

De Boëto fluvio, Martialis (*l. 9. Epigr. 62.*)

Vellera nativo pallent ubi flava Metalla
Et linit Heſperium bractea viva pecus.

Qui & alibi, (*l. 12. Epigr. 100.*) de Eodem:

Aurea qui nitidis vellera tingit aquis.

In Capillis humanis magnam eſſe virtutem mineralem, præcipuè iſtis, qui de capite abſcinduntur, *Alberti M.* (*tr. 4. de Reb. Metall. c. 6. p. 365.*); majorem in Cranio & Cerebro à ſalis gemmei nimio uſu, *Joh. Walchii* (*Comment. über den kleinen Bauer p. 125.*) fuit aſſertio.

§. 53.

Aërem inſpiratum ſanguini lucem fœnerari, (ſi quidem clarus ſit, obſcurum namque & fœtidum ſanguinem corrumpere, & colorem defœdare obſcuris & humidis carceribus diu incluſi, fidem faciunt,) *Rich. Lowerus* tradidit. Sic & ſanguinis venoſi in vaſe excepti ſuperficies quatenus aëri expoſita eſt, coccineum calorem acquirit; quæ ſi auferatur proxima, quæ ſubjacet, à ſimili aëris contactu in eundem brevi mutabitur. Quin etiam ſi placenta congrumati ſanguinis, poſtquam diu reſederit, invertatur, brevi ſpatio ſuperficies nova (dummodo ſanguis ſit integer & incorruptus,) purpureum colorem induit, quin & vulgo notum eſt, ſanguinem venoſum in patina exceptum & diutina agitatione commotum, quo aërem penitius intromittat, purpureum evadere. Notat hinc *J. Th. Schenckius* (*c. l. p. 75.*) jucundum experimentum, (ſimile fere illis, quo

quo Iridem repræſentare docent *J. B. Porta l. 4. Mag. Nat. edit. prim. c. 3. f. 12. Wolfg. Meurerus Meteorol. p. 146. Dan. Sennert. l. 4. Epit. Nat. Scient. c. 9. p. 345. P. J. Faber l. 3 Panchym. ſ. 1. c. 6. p. 300. Athan. Kircher. l 3. Art. Magnet. c. 3. Exper. 1. p. 435.* & Iridem Natura monſtrante vidit *Ad. Olear. l. 2. Itin. Muſcov. Perſ. c. 10. p. 118.)* inſtitui poteſt, dummodo proſilienti ex vena ſanguini ſolis radios oppoſueris, pro varia radiorum ſolis fractione Iridem microcoſmici ſanguinis non ſine oblectamento ſuſcitabis.

§. 54.

In mortuis igitur ſi lucis cauſam quæras, animæ luci, aut ignis nativi coruſcationibus immeritò id defertur. Solutum namque eſt Animæ cum corpore commercium, & flammula cordis extincta, nullum poſt ſe, quod inter affectiones (*ſupra* §. *19.*) numerabatur, ſui relinquit veſtigium. Luci igitur humoribus & partibus inhærenti ſplendor ille aſſignandus veniet, & partium, in quibus coruſcatio contingit, texturæ & ſingulari conſtitutioni.

§. 55.

Duplici autem modo accidit, vel enim lux in vivis aperta poſt mortem aliquandiu durat, vel operta poſt mortem demum emergit & fulgurat. Aperta lux aliquandiu perſeverat, usque dum corpus putreſcat, poſt, protinus evaneſcit, non raro aliquando ob alias cauſas, etiam putredine dominante, adhuc ſtabilis permanet. Priori modo pars corporis ſplendet, quando humor lucidus, qualis lympha, aut eidem ſimilis pura intra tendinoſam & membranoſam, atque adeò pellucidam partem hanc ludit ſcenam, ſecundum quem ſine dubio caro in monte peſſulano & alibi evaſit illuſtris. Quod ut ſuſpicer, facit (1.) carnis inæqualis pinguedo. (2.) Quod tantum aliquæ partes pellucidæ inæquali ſplendore luxerint. (3.) Lux illa effulgens non fuit ignea. (4.) Tempus durationis, quia præſente putredine, quæ lymphæ ſplendorem nativum, colorem ejusdem & conſiſtentiam mutando, ſuſtulit, terminata.

§. 56.

Piſcium Lux ſententiam hanc reddit illuſtriorem. Lucent, in vivis dum ſunt quoad totum corpus. Lucerna Piſcis *à Plinio (l. 9. c. 27.)* & *Guilh. Rondoletio (l. 10. de Piſc. c. 8.)* delineata, cujus Lingua per os exſerta tranquillis noctibus comprimis perſpecta lucere. Idem de piſce, Luna dicta, *(l. 17. c. 7.) Harengi*, imprimis eorum oculi, quibus & ſquamas addit *Paul. Neucranz (Diſſ. de Hareng. c. 3. p. 20.)*. Hi inſtar luminis noctu lucent in mari *ſcribit. Ol. Magnus (l. 20. Hiſt. Septentr. c. 29. p. 531.)*, imò quod magis eſt, hujus piſcis maximo motu & reflexu vaſti ſui agminis quaſi fulgura & coruſcationes per æquora excitata

tata apparent, fulgura Halecis (*derHeringsblick*) communiter nuncupata. A ventribus autem versus summum æquor obversis splendorem deduxit (*Thaumatogr. Nat. cl. 9. c. 9. p. 414.*) *Joh. Jonston.* Et vivæ & mortuæ jubar s. lucem fundunt Murænæ Gallicæ (*Plin. l. c. c. 23.*). E concharum genere Dactyli ab Eodem descripti (*ib. c. 61.*) lucentes in ore mandentium, lucentes in manibus, atque etiam in solo ac veste decidentibus guttis. Manu tritos lumen, velut scintillas quasdam, de se spargere, *Athanas. Kircherus* (*l. 1. p. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. c. 7. §. 1. p. 25.*) *autor est.* Addidit *Idem* experimento facto, humorem eorundem aspergillo in tenebrosum aërem dispersum mox igneam quasi pluviam ostendere, manus vestesque, & quicquid lucentis humoris glutine inficitur non minus ac scintillis flammisque coruscum reddi. Ita & *Dn. de Monkonnys* (*T. 2. Itiner. p. 484.*), ex hisce Dactylis abrasit humorem lucidum in vitrum aqua plenum, quam ipsam reddidit transparentem & luminosam per unius noctis & amplius spatium, usque ad alterum diem, sed cum illam destillare tentasset, omnis lux evanuit. De ostrearum cum vivarum, tum mortuarum splendore, evolvatur *Ælian.* (*l. 10. Hist. Anim. c. 13.*). De animalculis ex Ostraceo genere Anconæ ad mare Adriaticum lucentibus *P. Zacchias* (*Philos. opt. p. 48.*). De Gammaris *Fortun. Licetus* (*de Litheosphor. c. 33. p. 123.*). De Scombris Experimenta *D. Beale* (*T. 2. Ephem. Erud. p. 2. Ephem. 30. p. 349.*) exhibuit. De Scorpio marino *ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Epist. 83. p. 253.*) *O. Wormius.* De recenti juru Capaba s. Itajara Brasiliensi pisce *Georg. Marggrav.* (*Hist. Nat. Brasil. cit. Bartholin. l. 2. de Luce c. 15. p. 302.*). De Luna pisce mortua Lunam referente *Dn. de Monconnys* (*T. 1. Itin. p. 12.*)

§. 57.

Quod ad partes spectat piscium, inter ea, quæ in lumine quidem non videntur, in tenebris autem sensum faciunt, etiam piscium capita, squamas & oculos reposuit *Aristot.* (*l. 2. de Anim. c. 7. t. 72.*). Lucii piscis caput splendere, cutem asperam Soleæ marinæ & oculum pastinacæ marinæ *Th. Bartholin.* (*c. l. p. 315.*) annotat; caudam pastinacæ marinæ, *Guilh. Rondelet.* (*l. 12. de Pisc. c. 1.*); oculos Harengi aliquot dies defuncti, *P. Neucranz* (*c. l.*), in putredinem demum vergentes, & quoad totum corpus, & quoad certas partes aliquando lucidi conspiciuntur, de quo jam *supra* (*§. 3.*) adducta, rem satis expediunt. In piscibus his vivacius lumen, tanquam in ligno putrido se exserere, *Rob. Boyle* (*T. 4. Ephem. Erud. 4. Experim. 3. p. 49.*) probatum dedit.

§. 58.

Causas hujus in Piscibus phænomeni non longe arcessere debemus, cum in

in ipsis latent. Si verum est illud *Helmontii*, *nuper* (§. 17.) insertum pronunciatum, Lunari Luce coruscare pisces, quid mirum? Si non interdiu, sed noctu luceant comprimis ad motum lunaris luminis luceant, carnis deinde color & constitutio lucida lucem promittit, externa itidem tegumenta, squamæ pellucidæ, cuticula viscida argentei luminis obductæ. Et si primam piscium materiam repetimus, aquarum sunt progenies, aquarum alumni: Ad hanc mentem *J. B. Helmont.* (*tr. compl. atque mist. Elem. figm. n. 12. p. 26.*): Pisces innati seminis vi aquam simplicem in pinguedinem, ossa, carnesque suas transmutant: Non mirum itaque pisces materialiter nil nisi aquam transmutatam esse & in aquam redire per Artem.

§. 59.

Quid aquis dici formosius potest? quærit *Petron.* (*Satyric. p. m. 117.*). Liquor ejus (*Langiana* regerit *Suada de Acidul. Ægran. th. 2.*) omni Crystallo nitidior. Fontis est candidissimum marmor, speculum clarum, claror merus. Manat vitæ scaturiginis argentum,

vix pulchrior altos
Phœbus agit currus.

Qui ipse claror, noctu comprimis, oculos ferit, ut viatoribus sæpe Ignis fatuus esse videatur, coruscationes namque ejusmodi insequentes littora aquarum offendunt. Marinarum aquarum splendor *à Nicolao Papinio* (*l. de la lumiere de la Mer, cu la mer lumineuse à p. 115. ad 155.*). *Verulamio* (*l. 4. de Augment. Scient. c. 3. col. 120. & Sylv. Sylv. Cent. 4. Experim. 352. col. 828.*). *Rob. Boyleo* (*in Append. Diss. de Qualit. Cosm. p. 24.*). *J. B. du Hamel* (*T. 1. op. Phil. l. 1. de Met. c. 3. p. 311.*). *J. J. Becchero* (*Supplem. Phys. 3. p. 75.*) celebratus, & *à Th. Bartholino* (*l. 1. Epist. 12. p. 43. & l. 3. de Luc. probl. 9. p. 469. sq.*). *J. D. Majore* (*tr. Genius errans c. 12. n. 3. 4.*) erudito discursu illustratus causæ titulum jure merebitur. A sulphure astrali eundem deduxit *J. J. Beccher.* (*l. 1. Phys. subt. s. 2. c. 2. n. 10. p. 72.*) quod Margaritis, Conchis aliisque testaceis argenteum & semi diaphanum splendorem præbet. Pinguedo Aquæ marinæ *à Plutarcho* (*Quæst. Nat. 1. p. 134.*) & *Ejus plagiario Macrobio* (*l. 7. Saturnal. c. 13. p. m. 539.*) tributa huc spectant.

§. 60.

A causis externis lucem illam augeri, aut in actum deduci probabiliter assero. Aeri in sanguinis fulguratione & purpura multum modò (§. 53.) dedi. Spumæ lux & albedo id oculis subjicit. Quod in ore nostro est humidum (*inquit Clemens Alexandr.* (*l. 1. Pædag. c. 6. p. 75.*), Spiritu albescit, Nivem aspice & mi-

miraberis exaltatam in illa lucem & candorem, quamvis albedinem multis argumentis ipsi denegare conatus sit *Gothofr. Voigt.* (*Diss. contr. Niv. alb.*) & hanc vetustate rubescere, *Philosophus* (*l.5. Hist. Anim. c. 19.*) prodiderit, quod non tantum ex variata partium positione contingere arbitrabatur (*Diss. Phys. de Ign. 13. p. 383.*) *Paulus Casatus*, sed & ex aliorum corporum commistione. Glaciem huic junge & stirias, frigoris vi induratas, vel ipsum Crystallum nitore provocantes. Omnem albedinem deducit ab Aëre copioso incluso *Hieron. Cardan.* (*l.3. de Rer. Var. c. 14. p. 142.*), qui calcem & ossa combusta albedinem propter siccitatem assequi juxta docuit, (*l. 4. de Rer. Subt. p. 239.*) & solutis incendio omnibus humidi particulis copiosissimo subintrante aëre candorem cineribus accedere *Martin. Schoock.* (*Tr. de Fursis c. 16. p. 120.*). divinavit, qui cum *V. A. Scarmilionio* (*l. 2. de Color. c. 14.*) Carbonum nigredinem ascribit inæqualitati maximæ, vel à Terra vel Aqua & minima Aëris portione provenienti. Quamvis aliam causam Microscopii subsidio detexerit *Rob. Hoock* (*Vid. T. 2. Ephem. Gall. 42. p. 488.*) *supra* recensitam examinatam & rejectam (*l. 1. Tit. 1. §. 91.*). Lucem in piscibus & Lignis soli aëri deberi, *Rob. Boyle* (*de Qual. Cosm. c. 5. p. 25. & c. 8. p. 40.*) fassus est. Micas ignis, quas vulgo è corpore saxi aut ferri prosilire existimant, lucidas aëris portiones, exquisitæ subtilitatis undiquaque dispersæ antea, sed vitandi vacui ergò subitò allapsas ad replenda spatiola illa sphærica, quæ ex continua rapidissimaque ramentorum rotatione per Aërem aliquanto resultant celerius, quam Aër è vestigio possit confluere, judicat *ingeniosissimus Hesperus* (*c. l. n. 2. a.*)

§. 61.

Si mortuorum Animalium collapsos pulmones inflaveris, pro ratione Aëris inflati pulmonum lobi albescunt. Nim. albedinis ratio in eò maximè sita videtur, quod corpora alba eam superficiei suæ dispositionem nacta sint ex bullularum numerosissimarum congerie, quæ radios luminis incidentes confestim penè omnes reflectant, quemadmodum in spuma cernitur, aliisque ferè innumeris. Quamvis facilè credam, uberem illam luminis reflexionem potissimum fieri à superficie aëris intra vesiculas contenti. Radios Solares huc advocant *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 3. p. 5.*) & *Is. Schoock* (*c. l. probl. 44. p. 38.*) existimatq; *Borell.* quod Lux in carne Monspeliensi ex membranis quibusdam viscidis lucem solis (ut Lapis Bononiæ, qui Soli expositus deinde in tenebris lucet) aliquandiu captivam retinentibus fieri potuerit. Sed hæc ratio cum probabilitatem subjectam habeat (*p. 6.*), in aëre quandam substantiam quintam Aquæ vitæ summe rectificatæ, cœlique naturam retinentem, quæ sic à Sole sine indivi-

duo-

duorum læsione accenditur, fingit, quam *supra* (*Tit. h. l. 7. §.*) ex Aliis æthe-rem vocavi. Potuit, decernit *Mich. Watson.* (*Synops. Phil. contempl. phys. s. 3. p. 2. c. 2. p. 373.*) subesse phantasiæ operatio, aut aëris lucida dispositio, quæ tale lucis simulacrum carni Monspeliensi publicè expositæ communicavit.

§. 62.

Si igitur Sudor & vapor viscidus, unctuosus, pinguis & oleosus in cutis superficie aut capillis hæreat, qualem animalia calidæ constitutionis, quæ Solariaquibusdam vocitare placet, emittere solent, & cum his Aqua vitæ (ita loqui liceat) Naturæ conjugatur, & per frictiones, pectinationes & alios motus accendatur, scintillæ crepitantes & ignem circumferentiam corporis lambentes, non tamen adurentes cieri possunt. Exemplum vide sis *ap. Joh. Otton. Holbig.* (*introit. in inaudit. Phys. p. 24.*). Ab aëre frigidiore vi antiperistaseos accendi, etiam *Petr. Borellus* (*Cent. 4. obs. 43. p. 312.*) suspicatur. Accendi ab idonea materia, *scribit Th. Bartholin.* (*l. de Luc. præf. ad Lect.*). Ostendit Romæ puer annorum duodecim frictione scintillas è capillis proliciens, cujus caput olebat sulphur (*Autore Alexandro Tassono l. 5. Meditat. qu. 36.*), quasi illi apud *Valerium Flaccum* (*l. 8. Argonaut. v. 348.*)

Olentes sulphure crines.

Tiberii asinus Rhodi visus ardere, ut ex Aliis recitat *Isaac. Casaubonus* (*Comment. in Sveton. Tiber. c. 14. p. 362.*). Ferunt in Dania locum esse (*iterum tradit Th. Bartholin. l. 2. de Luc. c. 3. p. 233.*), per quem, si Equi transeant, quasi undique igniti conspiciuntur. Quod à Terra ipsa, non exhalationibus ex ipsis Equis provenire suspicatur *Alb. Kyperus* (*l. 2. Inst. Phys. c. 4.*). Ego tamen, *subjicit*, crediderim, eam esse Equorum naturam, ut ab exhalationibus terrenis facilè interni luminis splendor evocetur & promoveatur. In Andium Peruviæ & Chiles montibus (*supra commemoratis l. h. Tit. 3. §. 1.*) æthoream hanc auram luxuriare, experientia monstrat, cum viatores & jumenta eosdem transeuntes igniti videantur, & flammas vomere. Dum ex pingvi & viscoso tàm hominum, quàm jumentorum halitu sudoreque subtilissimo aëri commoto per motum attrito subtiliatoque facillimè sequatur accensio. *Vid. Athan. Kircher.* (*l. 2. M. S. c. 12. p. 84.*) Idem etiam oculis objiciunt furfures & Squamæ capitis candidæ, (candida namque natura maximè ad naturam lucis accedunt). Eqvum ad Cataphracti usum è Calabria candidum habuit *J. C. Scaliger* (*Exerc. 174. p. 567.*), is in tenebris ubi strigili fricaretur, scintillas ejaculari videbatur. Id erat Squama, seu furfur candidum à sudore sicco, quod districtum exiliret,

§. 63.

In mentem mihi meditationes hæ revocant Ignem, lambentem quem vocare soliti sunt Physici. Quare etiam modo allegatos Ignes Microcosmicos emphaticis ignitisque Meteoris accensuit *Mich. Watson.* (*c. l.*). Descendere è nubibus observatus est hic Ignis. Notandum est, *recitat P. Borell.* (*Cent. 4. obs 39. p. 308.*), quid egregio veracique viro *D. de las Planes* accidit. Cum enim noctu iter faceret, quasi Lunam ab alto descendentem vidit, cujus portio mystaci ejus se opposuit, ut comites ejus perceperunt: Ignari hisce non mediocriter perterrentur, sed sapiens & doctus illa naturalia esse agnoscens, irridet, ac contemnit, ac sine ulla admiratione contemplatur. Stellam Germani è densissima nube absque pluvia prorepentem vidit *Princeps Radzivilius* (*Epist. 3. p. 223.*) Et post magnas pluvias multi ignes lambentes armis militum multorum incubuerunt, observat iterum (*c. l.*) *Borellus.* In Sicilia militibus aliquot Spicula; in Sardinia in muro circumeunti vigilias Equiti scipio, quem manu tenuerat arsisse, retulere *Livio* (*l. 22. hist. c 1. p. 109.*). Ad Monetæ duarum hastarum spicula arserant. (*l. 33. c. 26. p. 165.*) Idem de hasta filii *L. Annei* (*l. 43. c. 13. p. 850.*). Ante pugnam Pragensem ad montem album, cuspis vexilli legionarii *Guilielmi Verdugi*, *memorante Joh. Wassenbergio.* (*Flor. German. p. 20.*) ignea luce effulserat.

§. 64.

In Antennis navigantium & aliis easdem flammas observarunt Alii, de quibus *vid. Plinius* (*l. 2. c. 36.*) & *Seneca* (*l. 1. Nat. quæst. c. 1.*). Pertinet huc ignis ille in vertice turris Vitaduri oppidi sine detrimento anno 1556. d. 4. & 14. Januar. post tonitrua fulgura & ventos vehementer visus, ad quem cum exstingvendum quidam turrim conscenderent, nihil ignis deprehendere potuerunt, ut narrat *Conr. Gesnerus* (*l. de Lunar. p. 22. & 23.*), manum namque captantis fuga eludere *Radzivilius Princeps* (*c. l.*) animadvertit. Ante tempestatem in tectorum & turrium apicibus metallicis & bipennium mucronibus in Arce Lichtenbergensi ejusmodi ignes crebrò observari *scripsit D. Salomon. Reisselius* (*M. C. D. 1. A. 6. obs. 93. p. 248.*) Dicuntur hujusmodi Ignes Castor & Pollux, Helena, Stellæ marinæ, Dracones, Globi & scintillæ volantes, ignes fatui, stellæ cadentes, Lanceæ ardentes, Capræ saltantes, qui tamen specie non magis differunt, *ut loquitur V. Cl. Jacobus Thomasius* (*in Thesib. Meteorolog. Philolog. de Ign. marin. f. 1. § 5.*) quam Nanus à Gigante, quiescens homo ab ambulante, stans in turri ab humi jacente, sedens in navi, à sedente in terra.

§. 65.

De horum ortu *Wolferdum Sengverdium* (*p. 3. Philos. c. 5. p. 199.*) audire libet:

libet: Exhalationes pingves, quæ concitatiori & Spirituum motu è viventium corporibus expelluntur, quæque condensatæ ab aëris frigore viscositate sua crinibus eorundem adhærent, ab aliis particulis itidem è corpore exhalantibus attrita & ab aëre ambiente compressæ, flammam interdum concipiunt, quæ lambens ignis appellatur; quia satis valida non est ad crines, quibus adhæret, conflagrandos simili modo, ut Spiritus vini, particulas aqueas sibi admistas habens, flammam concipit, nec tamen adurit linteamentum, quod eo humectatum est. Eadem ratione, *pergit*, à particulis glutinosis, oleosis, & pinguibus vario & concitato motu eductis è pice & pingvedine malis vel rudentibus nævium inhærente, & flammam concipientibus produci videntur ignes, qui nonnunquam circa navium rudentes & malos apparent, Castor & Pollux dicti, si bini vel plures fuerint; Helena, si unus conspiciatur; cum apparere tantum soleant ventis sævientibus, & aëre procelloso existente, quibus rudentes variè agitantur, partes pinguiores iisdem inhærentes evocantur, incalescunt, & flammam concipiunt.

§. 66.

Ignis iste aliquando in urentem transit & incendentem, ut tàm vera sit illa *Xenophanis* assertio, qua *secundum Natal. Comitem (l. 8. Mythol. c. 9. p. 854.)* spectra marina senum ægrotantium somniis æquiparat, & phantasiæ, propter metum confusæ, ascribit, quam illa, qua *teste Eodem (l. 3. c. 7. p. 256.)* Lunam esse locum multarum urbium asseveravit, quod refutant *Auzutus (T. 2. Ephemer. Erud. 3. p. 28.)* & deliria de Animalibus in Luna tangunt & rident *Theod. Kerckring. (Spicileg. obs. anat. 11. p. 30. & obs. 93. p. 179.) Ren. Cartes. & Rob. Hockius (Ephem. Erud. c. l. p. 29.) Casp. Schottus (Schol. 7. ad it. Ecstat. Kircher. 1. Dial. 1. c. 2. p. 92. sq.)*. *Plinius* id *(c. l.)* de Castoribus stellis asseveravit: Graves, cum solitariæ venere, mergentesque navigia, & si in carinæ ima devenerint exurentes.

§. 67.

Et hanc esse causam, cur sylvæ, ferociente austrina tempestate, aliquando incendantur, forsan non ineptè quis divinaret. Ascripserunt id etiam cacuminum arborum à vento agitatorum collisioni, per quam Ignis elicitur non aliter, ut è Canna Indica scintillas excitari vulgo innotuit. Ignis Vestæ, *ut ait Festus Pompejus (l. 9.)*, siquando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur à Pontifice, quibus mos erat, tabulam felicis materiæ tam diu terebrare, quousque exceptum Ignem cribro æneo virgo in ædem ferret. Calidas arbores morum, laurum, hederam commendat *Plinius (l. 16. c. 40.)*, hunc-

que modum Exploratores & pastores, quibus ad excutiendum Ignem non semper lapidis occasio est, invenisse, prodidit *Idem.* Brasiliensibus id etiam non incognitum, testimonio *Guilh. Pisonis* (*l. 1. de Med. Brasil. p. 3.*) *Georgio Marggravio* (*l. 3. Hist. rer. nat. Brasil. c. 1. p. 92.*) & *Aliis* demonstravit *Paul. Casat.* (*Diss. Phys. de Igne 7. p. 289. sq.*). De Sylvis à motu arborum accensis *Thucidides* (*l. 2.*) & à Poëtis *Lucretius* (l. *1. de Nat. Rer. v. 895.*)

At sæpè in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur,
Inter se validis facere id conantibus Austris,
Donec fulserunt, flammai flore coorto.

Repetit id (*l. 5. v. 1094.*). In eundem sensum *Manilius* (*l. 1. Astron. c. 9. v. 187.*)

Sunt autem cunctis permisti partibus Ignes,
Ac silice in dura viridique in cortice sedem
Inveniunt, tum Sylva sibi collisa crematur.

Adde his (*de Ætna*) *Cornelium Severum.* Exemplum ejusmodi flammarum è sylvis undique exortarum, quod in discrimen vitæ *Neronem* ferè adduxerat, recensuit *Suetonius* (*in vit. Neron. c. 5. p. 98.*). Ignem hunc in aëre latentem ventorum vis animat, subitò autem resinosarum arborum excipiunt cacumina. *Vitruvius* (*l. 2. Architect. c. 1. p. 121.*) *scripsit*, quod etiam allegat *Polyd. Vergil.* (*l. 2. de Invent. Rer. c. 19. p. 150.*): arbores ab initio ventis agitatis inter se terentes ignem primum excitavisse, inde verò homines ligna adjicientes conservasse. Add. (*not. in h. l. p. 129.*) *Gualterium Ryffium.* Posterius verò anus facilius credet, atque è *Vitruvii* Schola tyro.

§. 68.

Fulminis ignem visum omnem interioris vitæ lucem elicere & deprædari, comprimis si debilis sit, prout in canibus & felibus *Th. Bartholin.* (*c. l. c. 8. p. 66. sq.*) asserui t. Sequentem de virgine Apulejana narrationem inter prodigia retulit (*Sub Coss. M. Accilio & C. Porcio*) *Julius Obsequens: Pompejus Elrius,* (*Elvius aut Helvius, reposuit Joh. Schäffer in annot. ad h. l. p. 105.*), Eques Romanus à ludis Romanis cum in Apulia reverteretur, in agro stellati Filia ejus virgo equo insidens fulmine icta exanimataque vestimento deducto, exerta lingua (pro exerta lingua, exorta flamma, legit *Th. Bartholin. l. 1. de Luc. c. 18. p. 157.*, ipse exorto igne, & ita neque *Joh. Rhodii*, nec *Joh. Schäfferi c. l. p. 106.* distinctionum correctioni non erit locus), per inferiores locos, ut ignis ad os emicuerit,

§. 69.

§. 69.

Ex ore animalium vivorum aliquando flammas prodiisse, inter prodigia et iam *à Julio Obsequente* relatum. Ad forum Elii bovem flamma ex ipsius ore nata, non læsit, (*de prodig. c. 73. p. 41.*), è quo & *Conrad. Gesner.* (*c. l. p. 22.*) annotat. In ventriculo & intestinis latitare halitus viscidos & unctuosos, qui admota externi luminis flamma facile accendi possunt, absurdum & impossibile minimè videtur. Audiamus *D. Joh. Jacobum Pisanum* (*M. C. D. i. A. i. obs. 77. p. 180.*): Flamma ex ventriculo prorumpere, & Spiritus vini accensi instar cremare cernitur ex animali, ligato prius strictissimè ore ejus superiore & inferiore filo validissimo, non tamen more Anatomico, sc. per medium ligati interpasso, sed solum simplici ligatura fortissimè cincto. Tali modo ligatus ventriculus supernè quidem supra, infernè verò infra ligaturam exscindatur, comprimaturque binis manibus taliter, ut in una parte sit quacunque turgens ac eminens evadat. Hoc peracto læva manu teneatur, ne dispareat eminentia; dextra verò cultello anatomico (adoptata prius ab astante aliquo candela digiti latitudinis distante) expeditè aperiatur videbitur, flamma inibi concepta coloris quasi cœrulei prodiens ad tempus, quo Oratio Dominicalis recitari potest, quandoque ardens, & hanc flammam tali ritu non solum in ventriculo, verum & intestinis curiosis Naturæ Scrutatoribus reperire licebit. Inventor hujus flammæ, me præsente, extitit Bononiæ anno 1669. *Exc. D. D. Andreas Vulparius ibidem Anatomiæ P. P.* Sed ante *Vulparium* hoc Piscis in Theatro Anatomico observavit *Joh. Ruschius.* Accidit hoc anno 1597. in muliere dissecta, quæ ante obitum quatuor diebus nihil assumserat, corpus verò adeò ei tumidum, ut falsò prægnans habita fuerit. Cum deveniret ad ventriculum, eumque manu sinistra satis antè teneret *Ruschius*, turgidumque ac durum ea parte redderet, sublata prima tunica Peritonæi communi, & duarum propriarum dissecta carnosiori externa, dum gladiolo punctim perforaret internam, astante Scholare quodam cum candela, repentè & inopinato foràs exiit à facto foramine flamma continuo cum strepitu perdurans illud temporis Spatium, quo ter dici potuit: Videte, videte, vide-. Color flammæ instar picis græcæ, aut sulphuris ardentis, flavus ad viridem inclinans absque tamen notabili odore. Diutius putarunt duraturam fuisse flammam, nisi Ruschius ea territus manum à compressione ventriculi removisset. *Vid. Fortun. Licet.* (*l. 2. de Lucern. Antiq. c. 23. f. 94.*)

§. 70.

De Intestinorum flatibus scripsit *J. B. Helmont.* (*tr. de Flatibus n. 49. p. 341.*), Stercoreus flatus, qui in ultimis formatur Intestinis, atque per anum erumpit, trans-

transmissus per flammam candelæ transvolando accenditur, ac flammam diversicolorem Iridis instar exprimit. Add. *P. J. Fabrum* (*l. 2. Myrothec. Spagyr. c. 2. p. 538.*). Ridicula id confirmat historia *Licetus* (*c. l. f. 96.*): Cum Chirurgus candenti ferro excrescentias carneas adolescenti succubo circa nates inureret, flatus ex ano in ferrum ignitum irrumpens flammam repentè concepit, non sine astantium risu. Scurris id non esse infrequens, qui admota candela posterioribus & caligis constrictis erumpentes flatus accendunt, de quo etiam *Rudolph. Goclenius* (*Physiol. crepit. Ventr. probl. 16. p. 18.*), aut *potius Jodoc. Willichius*, (hic enim, ut ipse fatetur *Goclenius & Matth. Hostius* (*in Vita Willichii Senioris D. 4.*) autor est, notas verò quasdam saltim addidit *Goclenius*. Non igitur flatus, sed fulgur erit,

Extremo ructus qui venit à barathro,

(*Martial. l. 1. Epigr. 88.*), quod faceto obsignat ænigmate *J. C. Scaliger*. (*p. 1. Poëmat. Tit. Ænigmata p. 523.* Conf. *Nicol. Reusner. Ænigmatogr. 181.*)

Ima à sede ruens, cognatus fulminis alti,
Summani videor ritè venire manu.
Vicini fugiunt, quatiuntur tecta cachinnis
At si mutus ero, jurgia sæpè cio.

§. 71.

Et cur non fulgur? cum stercus secundum *A. Th. Paracelsum* (*T. 1. Op. l. 2. de Tartar. tr. 2. annot. in c 2. p. 398.*), aliud non sit, nisi sulphur, & ventus, qui exit, accendatur & ardeat sicut sulphur, & stercus quoque & vapores è Cloaca exeuntes admota accensa candela facilè flammam concipiant, ut exemplo id firmat *Dan. Sennertus* (*de Cons. & Diss. Chem. c. 11. p. 158.*). Add. *Zodiac. Gallic.* (*Ann. 4. M. Mart. obs. 18. p. 94.*) ubi hominem se novisse fatetur Collector (*p. 95.*), cujus excrementa alvina alia adeò calida erant, & pinguia, ut è fenestra projecta, flammam conciperent. Flatus à Spiritu nitro-aërio derivari posse asseverat *Joh. Conrad. Peyer.* (*de Glandul. Intest. c. 5. p 47.*), qui quatenus vi expansiva insigni præditus cum excrementorum particulis sulphureo-salinis impurioribus ac efferis coëundo, illas tamdiu exagitat, donec quoad minima contritæ & resolutæ in exhalationum volumina commigrent, quæ inde per anum subinde proruentia, ob particularum sulphurearum & nitro-aërearum, quoddam velut torrente erumpentium agmen instar pulveris pyrii admota flamma celerrimè deflagrat.

§. 72.

Vapores isti inflammabiles, si ventriculo & intestinis essent connati & specifici

cifici, multum ſanè Veterum hypotheſin, quod calor ſit cauſa concoctionis, confirmarent, & cur ſpirituoſa concoctionem adjuvarent potius, quam acida, nos informarent. Ut igitur plurimi fermentationi ventriculi faventes *cum Th. Williſio* ejus ortum & geneſin à reliquiis ciborum in plicis ventriculi arceſſunt (*de Ferment. c. 5. p. 25.*); Ita Caloris Patroni à ſpirituſioribus & igneis ciborum particulis in ventriculo remanentibus caloris fomitem deducere poſſunt. Quod ſi verò præter naturam conſtitutus ventriculus vaporibus ejusmodi turgeret, cur in febribus malignis & peſtilentibus ventriculi orificium ſuperius ita æſtuet, & ipſe ventriculus eſcharas poſt mortem oculis objiciat & Carbunculos, nemo mirari debet. Mirabitur verò cur non hujusmodi ægris, & ſtrenuis illis Spiritus Vini degulatoribus ciborum appetitus increſcat potius, quam decreſcat.

§. 73.

Nil etiam miri, quod mulier quædam, teſtimonio *P. Borelli* (*Cent. 2. obſ. 69. p. 166.*), flammam in morte evomuit. Lugduni ad Confluentem Araris & Rhodani nuper quod evenerit, nollem ſilentio præterire, commemorat *Th. Bartholin.* (*l. 1. de Luc. c. 19. p. 154. & Cent. 1. Hiſt. Anat. 70. p. 120.*): Cum mulieris cujusdam Cadaver rationem mortis inveſtigaturi Medicorum filii reſeraſſent, ingens è ventriculo prorupit flamma, univerſum ambitum, qui vicinus erat, complectens, ſed parva interpoſita mora diſparuit, ut *ad Renatum Moreau, Pariſienſium Medicorum facilè Principem* perſcripſit Lugduno Amicus.

§. 74.

Cauſam hujus Phænomeni Autores celebrati ſpiritui vini largius poto, vel calidioribus aquis Theriacalibus copioſius hauſtis, quandoquidem ita contingere poſſe, exempla oppidò occurrentia ſatis ſuperque evincunt. De Equite Polono, qui ſumtis duobus ardentis vini Cyathis flammam evomuit, indeq; combuſtus, obſervationem *ex relatione D. Everhardi Vorſtii* texuit *laudatus Th. Bartholin.* (*c. l.*). Similemque caſum Senatui Hafnienſi Academico propoſitum ſubjicit, qui & alibi his gemellas (*Cent. 3. Hiſt. 56. p. 110. & de Luc. Homin. c. 13. p. 99.*). Curlandos ingurgitationem Spiritus vini aliquando vivi-Comburio, flamma per fauces erumpente, luere, *Excell. Roſinus Lentilius* (*in Curland. Memorab. M. C. D. 2. A. 10. in Append. p. 134. add. Parallelism. ad obſ. 16. p. 53.*) *αὐτόπτης* teſtatur. Fumum craſſiorem ex Ventre exſpuere Perſam in foro Navonæ, Romæ vidit poſt ſumtum vini aduſti & Tabaci hauſtum (*l. 1. de Luc. c. 19. p. 155.*) *J. B. Tavernier* (*von den Verhalten der Holländer in Aſien c. 13. p. 118.*) in Aliis. Memoratu maximè dignum, quod ex recenſione *D. Matthiæ Jacobæi* iterum in

literas retulit *Bartholin.* (*T. I. Act. Med. obs. 118. p. 211.*) : Paupercula quædam fœmina urbis Parisiensis spiritu Vini per solidum triennium ita se ingurgitabat, ut alio alimenti genere corpus nutrire recusaverit, unde tandem tantum ardorem corpus concepit, visceraque ita incensa, ut dum semel circa vespertinas horas in sella straminea sese reposuisset dormitura, ex ardore corporis flammam conciperet, quæ una cum fœmina manè reperta est in Cineres redacta, & ita misera mulier combusta fuit tota, ut in fumum abierit, excepto Cranio & digitorum extremis. Non immerito igitur ventriculus *apud Bernh. Swalbeum* (*tr. de Ventric. Querel. & Opprobr. p. 170.*) conqueritur ; Me sanè inimicus ille haurit ignis: me inflamatorium invadit mare. Ego ab insultibus toties iteratis defatisco; ego immorior, & ne moriens quidem misericordiam invenio: posset esse pro munere mors ipsa, ac horrendum illud succidium. Adeò Spiritum Vini Balsamum & Quintam Essentiam rerum semper dici non posse, cum destruat, *P. J. Sachsius Noster conclusit*, & Aquas vitæ sæpius Aquas mortis & Stygias repræsentare (*l. 2. Ampelogr. s. 7. c. p. 503.*), professus est.

§. 75.

Si verò præfati mortui ante obitum nihil de his inflammatoriis aquis hauserunt, nulla alia flammorum causa constat, quam vapores illi sulphurei in ventriculi cavitate latentes, similes Spiritus vini fumosis exhalationibus ignem levi de causa concipientes. De fumo Spiritus vini sequens propalat *Fortun. Licetus* (*c. l. f. 96.*) Experimentum : Si Spiritu vini vas repletum inflammetur, & in aliquam capsulam reponatur, ne fumus exeat, post multas horas aperta capsula nil Spiritus vini occurret, sed intromisso ardente Cereo statim ob tenuitatem fumus ille invisibilis ex Spiritu vini combusto sublatus, concipiet ignem, & in ardentem flammam sese circumstantibus in conspectum dabit, potissimum in loco non nimium illustrato.

§. 76.

Ut putredini hanc coruscationem ascriberent Alii, corporum quorundam lux, dum putrescunt, fecit. An verò lucem putredo putridis inducat, an educat, inter se disputant Autores. Priori sententiæ subscribere videtur *Galenus*, dum putredine res incalescere docuit, & inde etiam febrium ortum derivat. Ex putredine (*inquit l. 2. de diff. morb. c. 2. p. 24.*) calefiunt tum corpora reliqua omnia, tum maximè semina aut stercora. Equidem vidi columbarum stercora ob putredinem arsisse. De Equis monet *Varro* (*l. 2. de Re Rust. c. 7.*), ne ungulas comburat stercus in stabulis cavendum esse. Ita in ventre Equino (scybalis equinis) digerere sciunt vitro inclusos succos, aquas, ejusque calore suas parare Essen-

Essentias, Elixiria & Tincturas &c. Haud secus & fimo equino (*Mistbeete* vocant) seminum germinationem maturant, & germina tenella ejusdem calore fovent Hortulani. In quovis sterquilinio, hybernis etiam mensibus, pulli ex ovis excluduntur, quod in palatio *Magnifici Cancellarii Regii Dn. Christiani Thomæi*, aliquoties cum successu fuit tentatum, perhibet *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. hist. anat. 100. p. 198.*)

§. 77.

Ita *Zacutus* (*l. 1. Hist. Med. princip. dub. 56. p. 156.*): Licet putredo non sit calor, calefacere tamen potest ob extraneum præternaturalemque calorem ambientis, qui si validior sit innato rei putrescentis, cur putrefaciendo non calefaciet? Nativus enim ad opposita patibilia gubernanda fit impotens, & ineptus, sicque effluere humidum permittit: in quod prosiliens extraneus fervorem & incendium concitat. Neque ignoramus, *judicat Fr. Baco Verulamius* (*Sylv. Sylv. Cent. 4. Exp. 352. col. 827.*), inesse omni putrefactioni motum internum, non secus ac igni & lumini. Plura huc spectantia *è supra dictis* (*l. h. Tit. 4. §. 40.*) huc refer.

§. 78.

Contrarium sustinet contra *Galenum Ejusque Asseclam Thom. Erastum*, *Simon Simonius*, qui in eo totus est, ut Galenicam putredinis definitionem in exilium proscribat, & *Erasti* rationes discutiat contra *Aristotelis* mentem, quæ potius à putredine frigus, quàm calorem introduci, adeoque eandem non incalescentibus, sed frigefacientibus rebus contingere asseruit. (*Disp. de putred. comment. 181. p. 344. & alibi.*)

§. 79.

Th. Bartholin. (*l. 3. de Luc. probl. 3. p. 422.*) cum *Aliis* à putredine Lucem saltem educi definit, dum scribit: A putredine fulgores non oriuntur, nec generantur, sed deteguntur. Nam cum ultra vires haud operetur, aut definitos terminos, eò usque progreditur, quo Elementorum ductu fertur; à quibus sicut nulla lux oritur, aut per se dependet, ita nec à putredine nobilior effectus expectandus. Et (*p. 422.*) Naturæ nobilioris majestas laboraret ignobili fama, si ignobilia sibi relicta fulgorem suscitarent, quem corpus nequit in symmetra temperie altioris dominio efflorescens. Et hæc ut pressius urgeam, in omni corporum corruptione lucem adverteremus, si ab illa dependeret sola. At tot indies fiunt mutationes, alterationes & corruptiones, tàm totius mixti, quam partium sine ulla splendoris nativitate. Hoc autem agit putredo, ut in sua principia resoluto composito vel ad minimum à stricta partium unione laxato, latentia luminum semina ab Elementorum mistione suppressa quidem, non genita,

ta, libertati suæ reddat. Ab hac actione Efficientis nomen meretur, sed secundarii, imò si verius loquaris, externi manifestantis, qua non magis lucem generat, quam Elementa, quæ eadem opera resolvit. Eò collimant, quæ alibi (*l. 1. Epist. med. 12. p. 42. & Cent. 2. hist. anat. p. 193.*) consignavit.

§. 80.

Duplici id cumprimis via contingere, è prædictis, & mox allegandis Autoribus colligitur. (*α*) quatenus putredine cooperante lux aut sulphur istud ante tectum manifestatur. (β) quatenus id ex orco eductum & productum lucidum putredine velificante in vermes aut insecta lucida transmutatur. Prior modus duplici via iterum in actum deducitur, (1.) quando è Centro ad peripheriam lux evocatur, & ut oculos incurrat, visibilis & sensibilis comparet. (2.) quando corpus, cui lux inhæret porosum, rarum & transparens putredine, aut potius fermentatione redditur, ut lux transparere possit, oculisque deprehendi.

§. 81.

Quod ad primum, id quod à Centro ad peripheriam translatum coruscatione nobilitatur, lucet vel per se, estque humorosum aut solidum, vel vaporosum; vel per accidens, quando ab aëris luce accensum tenellas ignis projicit flammulas, dum nempè vapor sulphureus, oleosus, spirituosus & volatilis re putredinis imperio subjugata exhalans, & in summitate ejus hærens, aëreos allicit ignes, ab illis accenditur & fulgurat. Vid. *Conr. Gesner.* (*de Lunar. p. 12.*). Latere potest aliquando Lux illa oculos, & admoto igne, accendi. Experimentum *è Liceto* modo (*§. 75.*) adductum huc spectat, cui gemellum *apud Kenelm. Dygbæum (tr. 1. de Nat. corp. c. 17. n. 2. p. 184.)* associare lubet: Si modica, *scribit*, cerevisiæ vel vini tenuioris vis in magno dolio quantacunque diligentia obdurato diutius contineatur, marcida tandem evadit, & tunc quidem, si lucernam accensam propius admoveris orificio jam primum aperto dolii longo tempore sine jactatione ulla quiescentis, ipso statim apertionis momento videbis circa orificium micare flammam, cui materiam debent Spiritus illi subtiles, qui è cerevisia vel vino egredientes marcorem in illis reliquere, & qui facta jam exeundi potestate foris evolantes ab obvia in egressu flamma accenduntur. Id etiam à Nautis in aqua comprimis Tamisina observatum, *Idem* (*c. l. p. 185.*) testatur.

§. 82.

De insectis lucidis è putredine, quod in trivio disseritur, emergentibus, iterum *laudatus Bartholin.* (*c. l. p. 424.*): Non aliter (putredo) generat insecta adeò decantata, quam latentium seminum manifestatione, per alterius mixti solutionem, ut ideò in viventium interitu luminosum illud non producat per

gene-

generationem, sed per separationem educat anteà sub totius dominio delitescens. Ita olim *B. Præceptor Christian. Langius* (*In P. J. Fabri Pathol. Anim. c. 65. §. 5. p. 626.*) scintillas in capillis acaros capillorum lucentes esse è putredine sudoris capitis progeneratos dictitabat. Id quod in ostreis putridis lucet, vermiculos esse è literis *Auzuti* & *à de-via* (*Ephemerid. Erud. T. 2. Ephem. 15. p. 170. sq.*) patet.

§. 83.

Concurrere in quibusdam subjectis lucidis hos modos aliquando, facilè largior. Exemplo sint robusti caudices, vetustate putres, refulgentes, ut *Plinii verbis* (*l. 11. c. 37.*) utar. Ligna partibus sulphureis turgere, partim humor eorundem resinosus, partim quod haud difficulter ignem concipiunt, abundè propalant. Sulphur illud innatum & primigenium, ut Chemici loqvuntur, incorruptibile (aut saltem non facilè, corruptibile) cum sit, dum aliæ partes putredini subjacent, adhuc viget, cumprimis in Ligno & Radicibus Quercus, ut vult *P. J. Faber* (*l. 1. Panchym. c. 4. p. 30.*), cui etiam Alnum, Abietem, Pinum, Piceamque (*cum Hier. Cardano l. 8. de subtil. p. 473.*) jungit, eò quod si motu violento frangantur, maximè si jam putruerint, scintillas luminis copiosi emittant. Vid. *iterum P. J. Faber* (*c. l. c. 47. p. 93.*), igneus calor, seu lux & sulphur illud cum humido aëreo ad extremitates *teste Ath. Kirchero* (*l. 1. Art. magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 6. p. 23.*), colligitur, quod verò in profundo adhuc latet, per lignum spongiosum & porosum translucet: Opposuit hic *Cardano* Salices & Alnum loca uliginosa amantes, parumque sulphuris & bituminis obtinentes *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 174. p. 566.*), quibus addere *ex Verulamio* (*Cent 4. Sylv. Sylv. Experim. 352. col. 827.*) Fraxinum & Corylum possemus. Quod ab humoribus nutritiis sit illud lucidum, de eo nos securos jubet esse *citati Fabri* (*c. l. c. 14. p. 30.*) autoritas, quod Aër lucidus aut igneæ ejus particulæ lambere possint ejus superficiem, & lucidam reddere, de quo cur dubitem, causas prægnantes non video. Non autem sufficit, ut ligna sint putrefacta, sed arefacta simul esse oportet, lucem inde per candoris in aëre reflexionem fieri *Scaliger.* (*c. l. p. 566.*), cui adde *Joh. Bodin.* (*l. 4. Theatr. Nat. p. 452.*), quod tamen *Verulamii* Experimentis (*c. l.*) contrariatur.

§. 84.

Quod demum putredini animatæ (aut rectius putrido animato) lux illa sit deferenda, in eo nobis *supra laudati Præceptoris, Langii*, præluxit acumen, quod magnam partem in lignis cariosis & putridis facere vermiculos lucentes suggerebat. Ipse *Athanas. Kircher.* Cicindelis inesse lumen conclusit (*l. 12. M. S.*

S. f. 2. c. 5. p. 366.), quod ex ligno putrido prognatæ. Non ex putrefactis floribus nascuntur & urticis, nisi cinis horum sole tepefiat, & rore irroretur, *autor* est iterum *Faber* (*l. 3. Panchym. f. 5. c. 4. p. 357.*). Falli tamen hos credidit *Exc. G. W. Wedelius* (*l. 1. Pharmac. Acroam. f. 3. c. 1. p. 81.*), quem si lubet, evolve.

§. 85.

Dixi id aliquando fieri. Non enim semper id, sive necessario, contingit, quod vel exinde patet, quia approbè *notante Nobil. J. D. Majore* (*tr. Genius Errans c. 11. x. a.*), Vulcanuli isti sunt mobiles utcunque à sede sua, si ventilatio accedat, quod nupera quadam autumnali nocte expertus sum, *addit*, in cœmiterio collapsum sepulchrum intuitus, ex quo corrupti asseres magna luculorum subterraneorum fœtura intra poros suos undiquaque fulgurabant; sed pilei motu ultro citroque adacto remittentes à summa claritate identidem; atque iterum ad lucem excellentiorem pristinam redibant, dimoto tantisper pileo.

§. 86.

Notandum hic est, quod antequam luceant putrida, & lucere desinant, certus putredinis gradus, prout etiam jam *supra* (§. 3.) monitum, attendendus. Iste putredinis gradus oculis corporis felicius, quam mentis, definitur, cum non tantum possibile sit omnes omnium putredinum gradus & terminos nosse, sed præprimis mente concipere, & huic vel illi corpori applicare. Statim igitur, ubi lux sese exerere incipit, à Natura ad lucis eductionem exordium instare concludendum, ubi languescere, finem. Contingere id, dum per putredinem pergunt in ultimam salis materiam, affirmavit *J. B. Helmont.* (*tr. Spiritus vitæ n. 21. p. 160.*). Ultima autem salis materia ipsi sine dubio est, quæ, *secundum Eundem*, fuit prima, aqua nempè insipida (*de Font. Spadan. Parad. n. 9. p. 550.*). Nihil penitus salis in putrefactis quibusdam lucidis remanere, lignum putridum testatur, quod licet summo studio in Cineres redegeris, quocunque igne, sal exinde, *ut expertus Otto Tachenius* (*in Hipp. Chym. c. 21. p. 167.*) *scribit*, non elicies, acidum enim & alcali, ambo volatilia ab aëre sunt absumta, & nil nisi cadaver inutile, s. terram inutilem reliquere.

§. 87.

Cum igitur ingenita lux magis subinde luceat in uno animali, quam alio (aut in una parte animalis magis quàm alia) variæ *secundum Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Epist. Med. 39. p. 175.*) possunt esse causæ, vel ratione subjecti, vel ratione causarum externarum, vel ipsius lucis connatæ. Ratione subjecti si compactius sit corpus, lucemque comprimat, & putredini non ita obnoxium, qua laxatur corpus, ut luci egredienti pateat aditus. Causæ externæ quoque pro-

mo-

movent ſplendoris manifeſtationem, ſi aëris ea ſit diſpoſitio, ut facile reſolvatur corpus. Ipſa denique lux ſe exerit, ſi copioſa ſit, ſi à cauſa quacunque vel vinculis laxetur, ut ſeſe extendere poſſit, vel condenſetur, ut videatur. Sic in cœlo non omnes partes lucent, ſed eæ tantùm, quæ in ſtellas condenſantur & Cometas. Nec ſemper Lapis Bononienſis lucem concipit, & conſervat, ſed tantum calcinatione præparatus. *Hactenus Bartholinus.*

§. 88.

Noctu lucent, non die, quia (ut *loquitur Caſp. Schwenckfeld. l. 6. Theriotroph. Sileſ. p. 524.*) flamma oppreſſa majoris luminis præſentia latitat, ne poſſint vivum movere. Idem *Soſigenes Alexandri Præceptor (3. Volum. de Viſu, tradente Lud. Cœl. Rhodigin. l. 15. Antiqu. Lect. c. 5. col. 779.)* voluit, dum lucere hæc aſſeruit, quia magnum lumen abeſt. Alioquin evenit interdiu, ut exiguum eorum lumen quaſi exoleſcat, & effundatur in magno. Noctu ergo cum refulgent, aërem proximum & circumfuſum leviter ſubluſtrant, non ita, ut alia etiam poſſent videri, ſed ut ſola ſe vendicent è tenebris. Atque hoc facit exilitas portionis ejus, è qua proficiſcitur manatque lumen. Notiſſimus eſt canon: Lumen majus obfuſcat minus. Inde die optimè videntur colorata, noctu lucida.

§. 89.

Sunt è Chemicis, qui *cum Hieron. Cardano (l. 9. de Subtil. p. 508.)* Lumen absque Igne ſeparare poſſe gloriantur, dum Cantharides, & alia noctiluca in fimo putrefactas præcipiunt deſtillandas, & aquam illam in Concavum Chryſtallum ponendam exhibere lumem ſufficiens ad legendum, ut recitat *P. J. Sachſius (M. C. D. 1. A. 1. obſ. 138. p. 309.)*. Ferunt quoque nonnulli, ut hoc *è Th. Bartholin. (l. 2. de Luc. c. 12. p. 288.)* addam, ſi Chemico opere excoquantur, aquam ignium modo lucentem extrahi, ex qua Characteres aurei pingi poſſint. Non ambigo quidem (*a.*) Dari ejusmodi lucentia, tàm viva, quam mortua iſtiusmodi ſplendoris, ut noctu ab iisdem adjutus literas & tractare, & legeere quis poſſit. Scintillulam è vivis ſuggeſſere *Rob. Boyleo.* Cicindelæ *ſupra (§. 28.)* adductæ, immenſum autem jubar Indis Scarabæus, nomine Coccajus, cujus oculi elucent velut lucerna, & noctu volitantes non minore coruſcatione Aërem illuſtrant, quam quævis candela Cerea. Quin ſi quis noctu manu hoc animal deferat, procul putabitur omnibus lucernam præferre manibus; facilè enim quiſque falli poteſt, dum ad eam accendendi luminis cauſa acceſſerit, tantam veræ lucernæ ſpeciem præ ſe fert. In cubiculis ardentis luminis vicem reddit perſpicuam tum legentibus, tum ſcribentibus, aut aliud opus peragentibus.

Iti-

Itinerantibus per Sylvas, aut alia quævis loca tres quatuorve noctilucæ hujusmodi Laternæ vicem præstant. Sed etsi turma cohorsve proficiscatur, omnibus lux hujus noctilucæ vias dirigit, nec itinere aberrare permittit. Solent enim plerique sibi vestes ex iis Cicindelis conficere, & collo appendere noctu modo torquium, atque ex ea copia tanta lux emicat, ut conspici possint eminus, non paucis passuum millibus, imò ultra quatuor millia passuum; securiusque agitur, cum hoc Noctilucarum lumine, quam cum reliquis facibus ignitis, quandoquidem Ventorum impetus obesse nil possit: totaque lux ab oculis tantum micat. Habet autem præterea consimilem lucem ab axillis, adeò ut volans longè fulgidius splendescat, quam quiescens. Itaque hujus fulgoris lumine integra familia mensæ, cœnæque accumbit. Hæc *ex Oviedo* & *Aliis*, quos (*c. l. p. 285. sq.*) citat *Bartholin.* Hujus etiam mentionem fecit *Hieron. Cardanus* (*l. 9. de Subtil. p. 509.*) & *Andr. Libavius* (*l. 1. Hexaëm. p. 107.*)

§. 90.

Nec dari animalia, quæ post mortem etiam lucidi humoris interstinctum corpus relinquant, (β.) inficior, idque Dactyli, de quibus *supra* (§. 55.), satis confirmant. Ita & humor pulmonis marini baculis nigris illitus, eas non secus ac ignem in tenebris coruscante, *referente Ath. Kirchero* (*l. 1. Art. magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 7. p. 24.*) exhibet. Nec si (γ.) hujusmodi viscìditas, aut humor aquæ misceatur, illicò lucem deperdere, experimento *Dn. de Monconnys* (*c. l.*) adducto, edoctus scio. Nec me fugit, (δ.) ignis ope quædam corpora ad lucem recipiendam evadere aptiora, historia lapidis Bononiensis id satis evincente, qui in furno ad id constructo calcinatus, aut si impurus sit, in pollinem & iterum cum ovi albumine, vel aqua communi, aut oleo Lini in unam massam iterum redactus, sæpius iterata calcinatione aptus evadit, ut thecæ impositus & soli vel diurno salendori, vel igni valldo per quadrantem horæ expositus, & theca clausa in locum obscurum delatus, lucem non secus ac carbones de se diffundat. Vid. *O. Wormius* (*l. 1. Mus. s. 2. c. 5. p. 47.*). *Th. Bartholin.* (*Cent. 4. Epist. Med. 85. p. 496.*). *Christian. Menzel.* (*de Lap. Bonon. s. 2. c. 6. in App. M. C. D. 1. A. 5. p. 209.*) Phosphorus hic an Idem sit cum silice *Helmontiano* (*tr. Formar. Ortus n. 95. p. 120.*), meum determinare non est. Ita Phosphoros ex urina humana, Spiritu etiam Nitri & Creta, & ex aliis materiis confectos *Joh. Kunckelius, Rob. Boyle, Joh. Sigism. Elsholz, Chr. Adolph. Balduin. Ad. Berlichius, Georg. Casp. Kirchmajerus* evulgarunt.

§. 91.

Lucidum tamen ejusmodi humorem vix Chemiæ ope ex ejusmodi lucidis spe-

ſperandum eſſe (*s.*)vix arbitror, (1.)quia lux illa temporaria eſt & momentanea, etiamſi poſt mortem aliquantiſper adhuc duret. (2.) Ex humoris conſiſtentia, Diaphaneitàte, & partium ſubſtratarum apta textura lux illa reſultat, & illa ſublata tollitur, adeoq; ſine luminis deperditione nullam ſubire valet mutationem. Ita Margaritæ, Chryſtallus, Adamas, & aliæ Gemmæ, vitra etiam contrita ſplendore fraudantur, ut & nix & glacies in Aquam iterum ſolutæ. Quas autem mutationes non ſubire coguntur particulæ illæ lucidæ, ignis torturæ expoſitæ, ut mirum non ſit, quod Dactylorum humoris lux, cum eundem *Dn. de Monconnys* deſtillaret, evanuerit. (3.) Quædam v. g. Cicindelæ cum aliis, quibus lux interna non externa, ut mucori & cuticulæ piſcium & oſtrearum, ne ünicam quidem liquoris guttulam fundunt, quod experientia *Athan. Kircheri* (*l. c. c. 5. p. 16.*) evincit. (4.) Lucem illam in Animalibus à Spiritibus dependere vitalibus, è *ſupra* (§. 18.) dictis eluceſcit, mortuo igitur animali lux illa diſcedet. (*Scalig. Exerc. 194. ſ. 3. p. 639.*) (5.) Cum Cicindelæ & forſan aliorum inſectorum lux è voluntario animalis motu dependeat, ita ut illam nunc retrahere, nunc ejicere, prout amici vel inimici præſentiam præſentit, adeò ut vellicatum animal, laceſſitumque retraheret, & poſt paululum temporis retrotractam reproduceret materiam; tum autem vel maximè, cum plures Cicindelæ ſ. Lampades ſimul ponerentur, quaſi ambitioſa lucis gloria geſtiens ſuperba lucentis humoris ornamenta vel maximè exercebat. Diceres ipſam ut aſpiceretur ambire, certè deficiente animali humorem (& lucem) deficere neceſſarium eſt, *Athan. Kircherus* (*c. l. p. 25.*) rationabatur.

§. 92.

An aliquid præſagiat carnium inſolita Lux, ſicubi appareat, ſi quæras, idem præſagire conjicio, quod carnes in inſomniis nigreſcentes. Nihil mali, nihil boni. Qui à putredine carni Monſpelienſi lucem impreſſam credebant, mox futuram inde prædicebant peſtem. Sed hunc ex putredinis in agnis ſuſpicione errorem refutavit transactus ſine labis contagione feliciter annus, ceu teſtatur (*l. 3. de Luc. c. 9. p. 509.*) *Th. Bartholin.* quanquam altero ſpatio recurrens domeſtica arma adduxerit. Quid autem ad peſtilentiam lux & ſplendor animalis? quæ Cauſæ & effectus connexio?

§. 93.

Oculis autem viventium, ſi tales accidant coruſcationes, non omninò à Medico negligendæ veniunt, cum morbos, ut plurimum, præſagiant. Naturale ſibi eſſe narravit *Th. Bartholino* (*l. 3. de Luc. Anim. c. 8. p. 413.*) *Fr. Joſephus Burrhus*, ut lucidæ ſpecies oculis obverſantes rerum variarum indicia vel præſagia

afferant. Peste quadam heteroclita vigente, quibus vestimenta apparebant splendidissimis coloribus decorata, Iridis colores referentia, non inani experientia ducti se jam Contagii semina imbibisse suspicabantur, ut Medicus quidam *Rob. Boyleo (tr. de Color. c. 2. Experim. 7. p. 17.)*: videre quidam pestem cum nube cadentem (*P. Borell. Cent. 1. obs. 21. p. 27.*), Fumi instar progredientem (*Phil. Salmuth. Cent. 3. obs. 57. p. 138. Andr. Kerner Loëmolog. p. 32.*). Notanda videtur ista de Peste Francofurtana *Lud. ab Hornig. (Würg-Engel qu. 168. p. 235.)* relatio: *Als alhier zu Franckfurth die Pest grassiret, ist viel und offtmahl geschehen, daß Pestsüchtige mir referiret, sie hätten da und dort ein blau Schwefel Flämlein oder Lichtlein gesehen. Manche haben erzehlet, ein dergleichen Flämmlein sey unversehens an sie gefallen, daher sie alsobald schwach worden.* In Peste Chemnicensi anni 1680. cum Chirurgus pestilentialis infecti carbunculum in pede deligare vellet; ob inordinatum lecti superstrati, & pedis extra lectum motum, vapor calidus è lecto faciem ejus afflavit. Hic domum infectam vix egressus sibi caput & faciem, ob splendorem oculis obversantem, ardere credit, & domum reversus aceto Bezoartico lavat. Ab ignibus seu coruscationibus oculis obversantibus liberatur oppidò, non à malo, quod ore, naso & oculis inspirando hauserat, quarto namque die veneni absorpti scelere urgente ad plures abire cogebatur. Spectri lucidi apparitionem pestem insecutam, *Hier. Cardan. (l. 14. de Var. rer. c. 69. p. 917.)* intimat.

§. 94.

Antecedunt oculorum coruscationes sæpè cœcitatem, quod Exemplis illustrant *Marcell. Donat. (l. 2. Hist. Med. Mir. c. 9. p. 199.). Joh. Schenck. (l. 1. obs. Med. p. 184.). Henric. Smetius (l. 10. Miscell. p. 534.).* Pro instantis suffusionis signo habet (*p. 7. Ophtalmodul. c. 15. p. 124.*) capitis affecti & morbosi signum est scintillatio & lux oculis nostris obversans, *Th. Barthol. (Cons. Med. de Comet. p. 131.)* affirmavit. Epilepsiæ esse prodromos *Cœlius Aurelianus (l. 1. Chronic. Passion. c. 4. p. m. 12.)* voluit, quod Comitissæ Exemplo probat *Marcellus Donatus (c. l. c. 8. p.)* & inde *Hippocratem* Epilepsiam puerorum ἔκλαμψιν, seu fulgorem nominasse aut saltem ἔκλαμψες ad morbum comitialem referri *Anut. Foës. (in Oecon. Hipp. p. 187.)* & *Th. Bartholin. (l. 1. de Luc. c. 6. p. 55.)* suspicantur. Funestos esse Epilepticis prædictos splendores, binis observationibus evincit *Noster Sachsius (M. C. D. 1. A. 2. obs. 97. p. 170.)* Add. *Bartholin. (Cent. 3. hist. 45. p. 91.) Ehrenfr. Hagedorn. (Cent. 1. Hist. med. 15. p. 27.)*

§. 95.

Habentur & Convulsionis signa *Hippocrati (l. 7. Epid. p. m. 319.)* in historia

ria *Mnesianacti.* *Onesianacti*, legunt quidam, & hic videtur alius *Franc. Valesio* ab eo, qui in præcedenti historia oculis laborabat. (*comment. in h. l. col. 782.*) Deambulanti namque ipsi in foro splendores præ oculis obversabantur, & Solem non valdè videbat. Cum autem parum discessisset, extra sensum erat & collum convulsum est Vertiginis. Ita mulierem vertiginosam Patavinam vidit *Bartholin.* (*c. l. p. 57. & Cent. 3. hist. 45. p. 91.*) scintillas ex oculis ejaculantem. Apoplexiæ. *Philipp. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. 57. p. 37.*) memini verbi divini apud Franckenbergenses Ministrum & præconem fidelem ante Paroxysmum Apoplecticum hypocaustum incensum & igne repletum sibi videri narrasse. In Senibus hujusmodi splendores à Capitis (spirituum animalium) inbecillitate deduxit *Stephan. Rod. Castrensis* (*l. 1. de Met. Microcosm. c. 8. p. 191.*). Post crapulam etiam oculorum splendores notavit *Salmuth.* (*c. l.*), quod nec illi, quibus ara Baccho sacra, inficiantur. Inter propria signa profluvii sangvinis quosdam fulgoris motus oculis apparentes numeravit *Galenus* (*l. 3. de Crisib. c. 11.*), quoniam humor est flavus. Peripneumoniæ signa *Cœlio Aureliano* (*l. 2. acut. c. 27.*), Irides ante oculos Lypothymiæ prodromos *Joh. Rud. Camerar.* (*Cent. 2. Syllog. memorab. n. 48. p. 90. sq.*)

§. 96.

De Hystericis & Hypochondriacis affectibus recenseri meretur *Rob. Boylei* (*c. l. Experim. 6.*) relatio. Domina quædam mihi sanguinis necessitudine juncta, *memorat*, mihi narrabat, aliquo ab hinc tempore sibi cum aliis quibusdam Dominabus sermocinanti subitò omnia objecta apparuisse inusitatis coloribus imbuta, alia hoc, alia illo, sed omnia tàm splendidis vividisque, ut capta æque fuisset delectatione, quam admiratione, nisi apparitionis duratio ipsi metum incussisset, eam insigniorem aliquam in valetudine alterationem portendere; uti equidem postridiè hystericis & hypochondriacis passionibus adeò vehementer fuit correpta, ut inde in aliquot dierum delirium, inque notham Paralysin, durante isto tempore, conjiceretur.

§. 97.

Ille cujus supra è *Cardano* (*§. 34.*) mentionem feci, post dorsi scintillationem quindecim elapsis diebus veneficii accusabatur, ut voluntarium exilium suscipere coactus fuerit, quod iterum *Cardanus* (*l. 14. de var. Rer. c. 69. p. 918.*) annotavit. Alii contra exilio damnato ignis per cubiculum vagans non solum reditum in patriam, sed & honores insignes nunciavit. Mortis demum nuncios hos (*l. 1. de Luc. c. 8. p. 66.*) prodidit *Th. Bartholin.*

§. 98.

In uſum politicum lignorum & piſcium corruptorum fulgores aliquando non infeliciter tractos, hisque rebellium animos tanquam fulmine tactos Regibus paruiſſe hiſtoria ſequenti firmat *laborioſus Caſp. Schottus* (*p. 4. Thaumat. Phyſ. l. 2. Syntagm. 1. c. 3.*): *Cenethus Secundus Scotorum Rex*, ut in Scotorum hiſtoria legitur, ſubditos ſuos pictos in bellum concitavit. Nam cum Picti Alpinum dicti Regis patrem occidiſſent, & is ſubditos ſuos timore perculſos ad ultionem ſumendam nullis perſvaſionibus pertrahere poſſet, & jam maxima pars Nobilium & militum in prælio ante cecidiſſent, convocavit Regni Proceres omnes, ut benignè hoſpitio atque convivio exceptos in palatii cubicula ſomnum capturos dimiſit. Cum omnia noctu ſilerent, in ſingula cubicula ſingulos immiſit viros, cum baculo ex putri ligno noctiluco in manu, & veſte ex Corio piſcium non deſquamato indutos. Hi ingreſſi cubicula cornu bovis loco buccinæ inflant, Regi parendum clamitant. Pictos pœnas ſcelerum mox daturos, victoriam ingentem Scotos expectare, nuncios ſe à DEO miſſos. Facilè fuit ſomnolentis imponere cum neque venientes, neque abeuntes videre poſſent: nam veſtem noctilucam involverant pallio, dum abirent, baculumque ſub eodem abſconderunt. Ubi illuxit ad conſilia ventum eſt, & nemine fucum agnoſcente, conſenſum in bellum, pugnatumque ſemel, bis, ter feliciter, & triumphatum de hoſtibus.

LIB. II. TIT. X.

De

Spectris Cadaverum.

Summarium.

1. PRoœmium. 2. *Spectra negantes, poſſe exiſtere.* 3. *A poſteriori probatur.* 4. *Quid ſint?* 5. *Spectri varia acceptio.* 6. *An de Dæmonibus in Phyſicis agendum?* 7. *Paracelſi opinio.* 8. 9. *Spirituum ap. Paracelſiſtas diſtinctio.* 10. *Antiquior Paracelſo iſta doctrina.* 11. *Dæmones nutriri & odorare.* 12. *Fluddi ſingularis*

ris opinio. 13. Contrarium. 14. Instituti ratio. 15. Problemata. 16. Animarum immortalitas à Philosophis asserta. 17. Anima an incorporea dubitatum. 18. Refellitur. 19. Animæ defunctorum ubi vagentur sec. Ethnicos. 20. Stoicorum opinio. 21. Succinisse his Christianos. 22. Cur apud Judæos & Romanos sepulchra in Hortis? 23. Arbores vastæ Mahummedanis animarum habitacula. 24. Fabæ apud Pythagoræos. 25. Literæ lugubres in floribus fabarum. 26. Cadaveris post mortem tractatio. 27. Non nisi sepulto corpore animas quiescere. 28. Animas inquietato cadavere vel ossibus inquietari. 29. Loca insepultorum infesta. 30. Animarum migratio sub sphæra Lunari. Das wütende Heer. 31. Animarum exultantium sedes Orcus. 32. Campus Elysius. Muhammedis Paradisus. 33. Joh. Nicolai notatur. Paradysus an ab Ethnicis adumbratus? 34. An Gehenna. 35. Infernus & qui in illo? 36. Animas in bruta transire juxta Metempsychoseos decreta. 37. Animarum purgatarum loci. 38. Tempus exilii Animarum diversum. 39. Post purgationem animarum tria necessaria. 40. Animarum diversi colores. 41. Circuli inferorum novem. 42. Tartarum. 43. Evocatio animarum. 44. Locorum exploratio. 45. Artis evocatricis duo genera. 46. 47. Sacrificia. 48. Ceremoniæ. 49. Imprecationes. 50. Quæ animæ possint evocari. 51. Singularis futura explorandi modus. 52. Noctu evocatio instituebatur. 53. Solem inferorum Dii fugiebant. 54. Gallicinium an reformidet Leo infernalis? 55. Vestis, Animarum nebula, inde anima Homero σκιά. 56. Cur εἴδωλον Eidem. 57. Animæ figura è Tertulliano & Helmontio. 58. Peculiari forma quibus dignoscantur gaudere. 59. Forma humana majore. 60. 61. Alia quam figura humana. 62. Involucra Animarum aëria. 63. Eman. Magnani assertum. 64. Omne corpus animæ congruere. 65. Impiorum animas in Cacodæmones mutari. 66. Monstrosæ apparent. 67. Cœlestium lucidæ & igneæ. 68. Qualis ignis. 69. Quæ animæ sidera repetant. Corporum crematio. 70. Mors in undis formidabilis, & cur? 71. Omnia à superis. 72. Animæ sapientum in Ætherem sublimantur. 73. Facies in Luna. 74.

ſima Aëris regione. 140. *Coruſcationes & ſpectra metallica ſubterranea.* 141. *Requiſita contra viſus illuſiones.* 142. *M. Schoockii monitum.* 143. *Juſta diſtantia.* 144. *Organi recta diſpoſitio.* 145. *Non ſit morboſa.* 146. *Medium ſit inculpatum.* 147. *Senſatio ipſa Phantaſia corrupta.* 148. *Mentis vacillatio.* 149. *Senſus communis turbatio.* 150. *Affectus.* 151. *Amor.* 152. *Apparitiones.* 153. *Admiranda optica Drebbelii* 154. *Alberti M.* 155. *Anonymi Galli obſervatio,* 156. *Repræſentationes opticæ aliæ.* 157. *Magia Pyrotechnica.* 158. *Phœnomena Chemica. Noctiluca Kunkeliana.* 159. *Lucernæ ſubterraneæ.* 160. *Certitudo deſideratur.* 161. *Difficultates circa horum hiſtorias.* 162. *Lucidum quid in his non ignitum.* 163. *Olea ſubtiliſſima.* 164. *Ex auri liquore lucerna perpetua.* 165. *Liquor Chemicus.* 166. *Phoſphorus ſiccus aut liquidus.* 167. *Viginerii liquor.* 168. *Hiſtoria Deuſingii.* 169. *Splendor tumuli S. Johannis.* 170. *Ignis ſubterraneus.* 171. *Durationis cauſa ſuperior.* 172. Ad *durationem requiſita.* 173. *Materiæ combuſtibilis in orbem reditus.* 174. *Wolferdi Senguerdi deciſio.* 175. *Quem ob finem ſepulchris inditæ.* 176. *Ignis apud Ethnicos cultus.* 177. *An immortalitatis animæ teſtes.* 178. *Ne animæ circa Cadavera in tenebris verſentur.* 179. *Cacodæmonum fuga.* 180. *Spectra in humoribus, in ſanguine.* 181. *Spica Garneti ſanguine tincta.* 182. *In urina à canibus rabioſis demorſorum canina ſimulacra.* 183. *Judicia de his.* 184. *Carunculæ & vermiculi in urina.* 185. *Canes in vulneribus apud Paracelſum.* 186. *Imago in urinis gravidarum.* 187. *Tarantatorum urina.* 188. *Eveſtra in ſomniis quid ſignificent.* 189. *A vivis conſpecta quid vaticinentur.* 190. *Fraus Papicolarum in fingendis ſpectris.* 191. *Qui à ſpectris frequentius tententur.* 192. *Quibus apparent defuncti.* 193. *Spectra ab imminenti Criſi.* 194. *Ab ingeſtis ſpectrorum in ſomno viſio.*

§. 1.



Ucis cadaverum indagatio ad Spectrorum considerationem manu quasi nos ducit. Lux circa cadavera, aut cadaverum conditoria coruscans sæpius spectri nomen obtinuit. Et sicut lux Cadaverum noctu sensibus nostris illudendo animo sæpe incutit horrorem & metum; ita & spectra. Facile hinc contingere potest, ut quemadmodum *Ixion* pro *Junone* nubem comprimens, centauris primam dedit originem: Ita & vulgus, Lucem ejusmodi oculis versans, phantasiæ errore terrores metusque affectibus eidem obstetricantibus effascinatus centauros, & quæ non monstra parturiit, sibique ob oculos versari asseveret, Jovemque juret lapidem.

§. 2.

Non autem hoc loco occupabor in Spectrorum Dæmoniacorum existentiæ probatione, cum extiterint, qui hæc penitus negarint, ipsos etiam Dæmones. Multis operosè hos recensuit *M. Joh. Henric. Decker.* (*Spectrolog. c. 1.* §. *6. p. 6. sq.*) quem vide. Hæsere comprimis in hoc luto *Sadducæi*, quibus Resurrectio Mortuorum, Angeli & spiritus fabula. (*Act. c.23. v. 8.*) Egregiè verò *cit. Decker.* (*c.l.* §.*2. p.4.*) astruxit, Spectrorum existentiam à priori non esse demonstrabilem. Nam cum illorum existentia tantum possibilis & contingens, *ratiocinatur*, inferri solum potest: Spectra posse existere, non vero revera in rerum Natura esse. Si enim per aliquam rationem ostendere vellem, *pergit*, fieret id demonstratione διότι, quando nempe aliquid examinatur per proximam causam efficientem, quod hic fieri nequit, cum sic probandum esset, Deum, qui rerum omnium est opifex, Spectrorum existentiam de facto produxisse, quod cum hic, ut dixi, ostendi non possit, concludendum est: Spectrorum existentiam à priori demonstrari non posse. Posse autem Spectra existere, qui nullam ad existendum repugnantiam involvunt, ut pluribus demonstravit *idem* (*c. l.* §. *13. p. 14.*)

§. 3.

Cognitione autem à posteriori, s. demonstratione ὅτι eorum certitudinem elicit (§.*3. p. 4.*) illamque probat ab apparitione in V. T. & quidem ex claro testimonio (*ex 1. Samuel. c. 28.*) depromto, ubi aliquid in forma Samuelis mulieri *Pythonissæ* & *Sauli* apparet, quod Spectrum fuisse, nemo salva veritate & ratione negabit. Veteri Testamento adjungit novum, & ex eo quidem locum (*Matth. c. 14.*

c.14.v.28.) ubi eò, quód CHRISTUS in media nocte mare perambulat, omnibus suis discipulis navi inexistentibus opinionem hanc obrepsisse legimus, videre se spectra. (§.4.*p* 8.) Addi his posset locus è *Marco* (*c.6.v.49.*). Adjunxit & his fidem historicam & Autores, singulari studio Spectra recensentes, obtutui stitit nostro *Deckerus* (*c.l.*§.*18.p.25.sq.*), quibus & omissa quædam ajungere libet. *Aristeum Proconnesium* post mortem apparuisse, *Herodot.* (*l.4. hist.s.in Melpom.f.m.81.b.*) narrat. De Evestro è *Georgio Sabino Th. Bartholin.* (*de Hep. Defunct. p.612.*), Capite truncatus braccarum suarum detractori apparebat. Plura *Vit. Rietlin.* (*Itin. Med. p.4.*) *Erasm. Francisci* (*im Holländischen Proteo per totum*) *Petr. Goldschmied.* (*Höllischer Morpheus c. 4.* §. *41. p.162.sq.*) *L. N. Moltken.* (*in Annot. ad Thom. Brouwn. Relig. Med. p.1. s.29. p.186.*). Loca infesta, & à Spectris atque spiritibus homines vexari, docuit Exemplis *Petr. Thyræus* (*Disp. d. loc. inf. p.1. c.1. p.3.*)

§. 4.

Spectra quid sint, si perconteris, Angelos esse communiter respondent, & quidem malos. Ita per Spectra, Apparitiones & territiones Diaboli externas, quibus corpus aut aliud quid in sensus incurrens sibi assumit, ut Homines, Animalia, aut alias res quascunque infestet, intelligit *Carol. Fried. Roman.* (*Schediasm. Polem. an dentur Spectra, Magi & Sagæ* §. *4. p.2.*). Spectra proinde nil aliud esse, & manere, quam Satanæ lusus, *J. H. Deckerus* (*c.l. c.3.* §. *26. p. 112.*) profitetur. Distingvit autem ille has apparitiones ab Angelicis, quas quidem forsan actu dari non negat. Si autem ex illo quæsiveris, qui illæ apparitiones & visiones bonorum Angelorum à Spectris discernendæ sint? Respondet, egoque cum ipso; Quandoquidem quæstionem resolvendam non susceperim, nec illud quoque fieri aliunde possit, quam ex Theologia revelata; cum tota Spirituum discretio à divina potissimum revelatione dependeat, ut recte *inquit Martin. Delrio* (*l.2. Disquis. Mag. qu.26. s.3. p.560.*), imo *ipse Paulus* Spirituum probationem inter dona Spiritus Sancti referat (*1. Corinth. 12. v.10.*) & hanc quæstionem Theologis examinandam relinquo.

§. 5.

Latius extendit Spectri nomen *Casp. Schott.* (*l.2. Phys. Curios. p.1. c.1. p.197.*), dum hujus nomine intelligit simulacra quædam sive Idola, aut variarum formarum imagines, quæ seu noctu, seu interdiu, domi, forisve, in campis sylvis, montibus sese hominum vigilantium & incorruptæ imaginationis ac sensuum conspectui offerre variis locis, modis, formis & temporibus dicuntur constanter & firmiter creduntur; seu Angeli ea sint, seu Dæmones, seu defuncto-

rum hominum animæ, seu aliud quid. Interdum tamen non oculis, *pergit* (*p. 198.*), sed solum auribus se objicere, dicuntur, strepitusque excitare (*vid. l. 1. Tit 3.*), adeo, ut loca reddant infesta & habitationi prorsus incommoda. Non autem se de illis Spectris acturum profitetur, quæ dormientibus persæpe objiciuntur; non de Idolis ac Phantasmatibus, quæ furiosi, phrenetici, febricitantes, melancholici, meticulosi, vesano amore æstuantes sibi imaginantur; non de imaginibus, quibus & natura & ars sensibus etiam perfectis, hominum subinde illudit; non de ostentis variis, quæ impii quandoque, ut suam expleant avaritiam, exsaturent libidinem, per summum scelus, ingenti bonorum dolore, nec minore totius Ecclesiæ Catholicæ detrimento callidissime ac prorsus Diabolice confingunt, & simplici popello pro veris venditant.

§. 6.

De Dæmonibus equidem hoc loco agere non constitui, cum sub considerationem Physicam non cadant primario, quamvis de his, *in Physica Curiosa* (*l. 1.*), prolixe egerit *Casp. Schottus* & sint è Rameis, qui rem naturalem Physicæ subjectum constituerunt, eamque in spiritum & corpus diviserunt, Spiritum in DEUM & mentem; mentem in Angelum & animum hominis. Ita *Gvilh. Adolph. Scribon.* (*l. 1. Physic. n. 6. p. 1. & sq.*), qui hanc ob causam Physicam in Pnevmatologiam, quæ de Substantiis seu Essentiis incorporeis & σωματολογίαν, quæ de corporeis tractat, distinxit. (*Vid. T. 1. Snellio-Ram. Philos. Diatr. 2. p. 26.*) Seqvuntur hunc *David Crusius* (*l. 1. Phys. c. 4. & 5.*) *Otto Casmann.* (*p. 1. Angelograph. c. 1. qv. 1.*) *Petr. Gassend.* (*Prooen. Instit. Phys. p. 126.*). Ita (*in Phys. Reformat. c. 12. p. 186.*) de Angelis egit *Joh. Amos. Comenius*, cui Angelus nihil aliud est, quam homo à corpore nudus (incorporeus *§. 2. p. 187.*) & Homo nil aliud, quam Angelus corpore vestitus. Audiamus quid *Scribonio* (*in animadv. ad n. 12. p. 8.*) in aurem insusurret *Timoth. Brigth.*: Spiritus exemplum DEUM proponis. At vide sis (*Scriboni*) ne prætergressis Physices limitibus Theologiam invadas: cujus videtur omnis, quæ de DEO instituitur, doctrina. Neq; Theologiam Physices partem aliquam statues (credo), reveritus Theologorum sacrosanctum chorum, qui nunquam vel prece, vel præmio in Physicorum concedent familiam. Quibus porrò impietatis vix te purgabis, qui DEUM Naturæ conditorem, rem naturalem teneas: cui & formam attribuere (cum infinita majestate sit) non potes. Forma autem ipse non est, cum nihil sit, quod tantam immensitatem capere queat, qua informetur. *Hæc Tim. Brigth.*

§. 7.

Habuit & *Aurel. Theophr. Paracels.* aut potius finxit, Spiritus, quos implicite

cite considerationi Physicæ subjecit, eosque in supernos & infernos dispescitur. Hos etiam aliquando hominum genera, ab Adami posteris diversa, nuncupat, eosque varios commentus est & corpore seu carne & ossibus constare, generare & interire seu mori pronunciat. *(l. Meteor. passim l. de occult. Philos. tr. 4. & 5. & l. de Nymphis Sylphis, Pigmæis & Salamandris. tr. 1. c. 2. p. 182.). Add. Oswald. Croll. (Basil. Chym. præfat. admonit. p. 15.): Da ist keine Seel, für die Christus gestorben sey, allein für den Menschen: Und für den Menschen, mit deren Bluth und Fleisch er geredet hat,* dictitat *Paracels. (l. Meteor. c. 4. p. 79.)*

§. 8.

Explicite de his egit *(l. 3. in Phys. Hermet.) Henric. Nollius*, qui *(c. 1. p. 153.)* Elementa distingvit in spiritualia & corporea. Spiritualia vocat Spiritus, eosque *(p. 154.)* definit creaturam subtilem, quæ ratione prædita, intus in suo centro corpoream gerit Naturam, eamque pro arbitrio suo in circumferentiæ lucem sistendi potestatem habet, in Elementis habitat, & ibi suo officio, quod illi divinitus injunctum est, defungitur. Hos ex subtilioribus Elementorum essentiis creatos esse, *(c. l. Axiom. 1.)* demonstrare nititur. Saganos vocabat *Paracels. (l. de Meteor. passim). Add. Martin. Ruland. (Lex. Alchym. p. 409.)*

§. 9.

Pro diversitate locorum, & locatione Elementorum, quæ inhabitant prædicti spiritus, dividit illos *Nollius (c. l. c. 2. p. 156.)* in superiores & inferiores. Illi vel cœlestes vel Aëri. Cœlestes vel primarii, Cœlum Empyreum inhabitantes pennates *Paracelso (c. l. c. 4. p. 78.)*. Pictores vocat *(ib. c. 9. p. 93.)*, ab his figuræ de cœlo cadentes, *Als zu meinen Zeiten Creutz, Hahnen, Geiseln, Seulen, Pilatus &c. auff die Leute gefallen*, vel secundarii, Cœlum sidereum inhabitantes, Salamandræ, quia in Igna visibili sunt, Vulcanales, Superi. Antiquioribus Philosophis Intelligentiæ, & pro ratione Planetarum Solares, Lunares, Saturnini, Joviales, Venerei, Martiales, Mercuriales audiunt. Horum monstra *Crollius* nuncupat, Zündel. Aërii Meteororum directioni & promotioni præsunt, de quibus *citatus Nollius (c. l. c. 4. p. 167.)*. Lemures dixit *(l. Meteor. c. 4. p. 79.) Paracelsus*, umbratiles, Sylvestres, Satyros *Osw. Croll.*, qui priores etiam Terræ tribuit. Horum alii sunt Orientales, Occidentales, Meridionales, Septentrionales, quorum sedes in Aëris regione suprema, media, infima. Mediæ regionis Monstra Gigantes *Crollio*, quos tamen Sylvanis, *den Waldleuten*, ascripsit *Paracels. (l. de Nymph. Sylv. Pygm. & Salam. tr. 5. p. 190.)*, inferiores, generatione suam propagant speciem, & morti obnoxii, suntque vel Aquei vel Terrestres. Aquei sunt Undenæ, Nymphæ, Melosynæ. Itali Fatas, Galli Fees, quidam

Nymphas albas, Dominas nocturnas, Dominas bonas nuncupant, quarum *Regina, Habundia*. Vid. *Strozz. Cigognam. (Univ. Natur. p. 1. c. 6. p. 349.)*, Germanis *Wassernixen*. Harum monstra *Paracelso & Crollio (c. l.)* Sirenes. Dicuntur fructibus Aquarum partim in lucem promovendis, partim in intima abysso occultandis & custodiendis praeesse, *Nollio (c. l. p. 171.)*. Terrestres Gnomi, Lemures, Sylphi Zonnetti *Crollio*, Folletti, Italis & Farfarelli, Germanis *Erdmännlein*, quorum partum Pygmæos *(c. l.)* pronunciavit *Paracelsus*. Hi sunt vel Truculenti vel Mites.

§. 10.

Sed Paracelsi ingenio & Cerebro minime debetur ista Dæmonum seu Spirituum distinctio, cum etiam *in Orphei Carminibus* Dæmones distinguantur in

Δαίμονας ȣ̓ρανίȣς, καὶ ἠερίȣς, καὶ ἐνύδρȣς, καὶ χθονίȣς, καὶ ὑποχθονίȣς.

Etiam ex antiquissimis Philosophis illis attribuerunt corpora & comprimis Aëria, inter quos *Plato (in Epinomide)*, cui junxit *Aristotelem & Augustinum Augustin. Steuch. Eugubin. (l. 8. de Perenn. Philos. c. 27.)*, qui postremum *(Comm. super Genesin)* Dæmones aëria animalia, ut Platonem aërea corpora expresse appellasse retulit. Ita *Michaël Psellus Philosophus Constantinopolitanus (Dial. de Operat. Dæmon. p. m. 44.)*. Dæmones incorporei non sunt, imo corporei & circa corpora versantur. Idem *Basilium Ecclesiæ Doctorem* sensisse *(l. ad Amphil. de Spir. Sanct. c. 16. juxta Gilberti Gaulmini allegatum)*, quamvis alibi aliter Eundem sensisse prodat *Casp. Schott. (l. 1. Phys. Curios. p. 1. c. 2. p. 3.)* Lectori persuadere conatur. *Facius, Hieron. Cardani Pater*, per annos triginta tres familiaris Dæmonis familiaritate usus, discursu cum eodem ejusdemque sociis de Natura Dæmonum habito, deprehendit *Psellum* minime. Docuit igitur illum Dæmon: Dæmones nasci & interire. Esse autem longævos valde: tempus tamen illi non determinavit, sed ipse *Facius* conjectura, è facie sumta, quod jam quadraginta duos annos natus valde juvenis videbatur, eos ad CC. aut CCC annos vivere existimabat. Gignere, nasci & senescere affirmabat. Cumque interirent, animos illorum, & item nostros mori una cum corpore, putabat: neque tamen illos hoc se certò scire Gymnasia apud illos esse. An vero essent aliqui adeò viles & stupidi, ut *Psellus* dixit *(p. 76.)*. Hæc *Hieron. Cardan. (l. 16. de Variet. Rer. c. 93 p. 1072.)*, qui ex his præsuppositis Dæmones definit, animalia invisibilia, mortalia corpore perfecta. Et *Georg. Agricola* in subterraneorum animalium, seu substantiarum numero haberi posse Dæmones, qui in quibusdam

busdam versantur fodinis (*l. 1. de Animant. Subt. p. m. 491.*), nullus dubitat.

§. 11.

Putabant igitur Veteres Dæmones libamine carnium delectari, & spongiarum & piscium testaceorum more adjacentem humorem extrinsecus attrahere (*vid. iterum Psellum p. 56.*), vaporibus itidem, nidore & fumigationibus vivere ac pinguescere. *Evolv. Porphyr.* (*l de Sacrif. & l. 2. de Abstinent.*). Fugari fœtidis, allici suavibus odoribus, voluit *Paracelf.* (*de Occult. Philos. c. 10. p. 88.*) cui odor bonus Myrrhæ nihil aliud est, quam sacrificium spirituum, quo possumus eos ad nos trahere (*p. 89.*). Transiit etiam ad plebejos illa de nutritione Dæmonum persuasio. Audiamus *Isaacum Schookium* (*Cent. probl. rar. probl. 28. p. 25.*). Rustici Poloni Dæmones quosdam vocant Krasmeni Ludzmi, quibus diebus ♃ & ♄ cibos præparatos mensæ imponunt, quosque ab illis comedi pro comperto se habere asserunt. Faciunt vero illud, ne ab iis suffocentur, vel plica Polonica deformentur, vel denique infantes sui permutentur. Est & aliud Dæmonum inventum, *scribit Joh. Laurent. Ananias* (*l. 3. de Nat. Dæm. p. 104.*) apud vulgi nostri fœmellas in usu, quo Fatis, (quo nomine hos spiritus vocant) mensas variis dapibus instruunt, ut infantes eorum felici donentur auspicio.

§. 12.

E Neotericis *Robertus Fludd. de Fluctibus* (*Hist. Utriusque Cosmi tr. 1. l. 4. c. 2. p. 109.*) Dæmones ex subtilissimorum Cœli spiritualis Elementorum materia componi astruit, quæ quidem materia, respectu inferiorum ipsi est simplicissima & aërea, & ex forma divina â splendissima DEI beatitudine promanente, quorum compositio, si cum Creaturis Cœlorum inferiorum comparetur, incorporea dicitur; respectu simplicitatis substantiæ lucidæ Cœli Empyrei, in quo, cum quo & ex cujus Elementis primo die creati sunt, non aliter quam plantæ, herbæ, earumq; semina die tertio cum terra Cœlo Empyreo opposita, facta fuerunt, pro corpore ex Elementis Spiritualibus conflato habenda erit. Quid autem Dæmonum compositionem, pergit (*p. 110.*), manifestius denotare poterit, quam eorum actiones & passiones. Quod autem agant & patiantur, inde manifestum, quoniam & recipiunt & dant illuminationes, atque actum intelligendi producunt, eumque etiam recipiunt, neminem certè tam crasè cœcutire & hallucinari existimat, qui id abnuat. Certum est igitur inesse ipsis aliud, quod agit, aliud autem, quod patitur; nec vero illud secundum quid agunt, aliud actus esse poterit, qui forma dicitur, nec vero illud secundum quid patiuntur

& quicquam præter potentiam; hæc autem materia appellatur. Plura legesis *ap. Casp. Schottum (c. l.)*. Crassius philosophatur *Psellus (c. l. p. 51.)*. Ea est illorum constitutio, ut contactibus exponantur obnoxiave sint, percussa ingemant & flammis admota urantur, ut eorum, quorum nonnulla sui vestigia Cinerem relinquant, quod & in Italiæ finitimis locis accidere ajunt. Tandem *concludit (c. 5. p. 114.) Fludd.* necesse esse Dæmones malos, secundum loci naturam, quo proscribuntur, corpora aut crassiora aut tenuiora accidentaliter induant. Nam ignei subtiliores sunt aqueis, atque illi denuo terrestribus. Eandem insaniam insaniit *Hieron. Zanchius (p. 1. Hexaëm. l. 2. c. 3.) & Medicus & Philosophus Altorphinus, Ernest. Sonner. (Disp. de probl. Philos. probl. 10. p. 521. & comment. in l. 12. Metaph. Arist. c. 8. p. 671. sq.)*. Adde quæ citat *(c. l.) Casp. Schott.*

§. 13.

Opposuere se his somniis *Balthas. Meisner. (p. 1. Philos. Sobr. s. 4. c. 8. qu. 1. p. m. 719.). Franc. Villalpandi Torreblanca (l. 2. Dæmonol. c. 28. n. 2.). Christoph. Scheibler (l. 2. Op. Metaph. c. 4. Tit. 3. Art. 3. n. 28.). Anton. le Grand. (p. 3. Instit. Philos. Art. 1. p. 207.) Casp. Schott. (c. l. p. 4.). Ipse Aristoteles (12. Metaph. c. 6. 8. seq.)*, intelligentias esse εἴδη ἄυλα statuit. Veteres Philosophi ex ignorantia creationis, & verbi divini manifestati, ubi viderunt in assumto corpore videndos se præbere Dæmones, corporeos concluserunt. Patres non semper ex propria, sed Platonicorum *Apuleji* & *Porphyrii* opinione scripsisse constat, quamvis & illos ex impuris Platonismi lacunis suis aliquid aspersisse *Joh. Bapt. Crispo (l. de Ethnic. scriptis caute legendis p. 177.)* facile largiar. Sed & hos spiritualitatis divinæ eminentiam meditantes reliquos spiritus, quod perfectione DEO non responderent corporum nomine notasse *secundum Sixti Senensis (l. 6. Biblioth. Sacr. Annot. 35. f. 484.)* στοχασμὸν non displicet, quo respectu ad DEUM habito etiam non omnem compositionem ab Angelis rem removendam censuit *Anton. le Grand. (c. l. n. 9. p. 211.)*, cum constet, illos ex potentia & actu, ex essentia & existentia, ex natura & supposito constitui, quæ compositio in DEO non reperitur: cum modi divini à DEI essentia tantum ratione distinguantur. Theologis, imprimis Calvinianis, satis fecit *B. Balthas. Meisner. (c. l.). Sonnero, Paulus Felwinger. (Comment. in Alpha majus Arist. Metaph. c. 7. qu. 1. p. 211. sq)*

§. 14.

Dices, hic Dæmones & spectra cum hominibus me confundere. Nunquam etenim in Elementis Dæmones, sed homines, *Paracels. (c. l.)*, habitare professus

fessus est. Quod si tamen id diligentius animo excutias, videbis hic *Paracels. Pselli* vitulo arare, prout ipsi alias veterum somnia, etiam Judæorum affanias caballisticas in furno suo recoquere, & recocta, tanquam nova, sua Lectoribus obtrudere, saltem de suo additis monstrosis nominibus terminisque, solenne est. His vero de hominibus, Elementorum incolis, nihil nugacius, nihil blasphemius, nihil à recta fide dici posse alienius, recte judicat *Mart Del-Rio* (*l. 2. Disquis. Mag. qu. 27. s. 2. p. m. 712.*), qui & monuit, quamvis *Paracelsum* (*libro fragmentorum*) dubitanter induci loquentem legas, latinum tamen interpretem hoc suum assuisse, ut Magistri occultaret impietatem reputat. Et, si *Andr. Libav.* (*tr. de Cruent. Cadav. p. 180.*) audire non dedigneris, Lemures Paracelsi Spiritus pigmentatos existere non inficiaberis. *Fluddo* quid sit reponendum, ex dictis facile constare poterit.

§. 15.

Ut autem de opera & labore nostro circa hunc Titulum constet, exclusis Angelicis & Diabolicis apparitionibus, circa Physica tantum studium versabitur, nempe spectrorum denominationem, è *Schotto supra* (*§. 5.*) depromptam, ad animum revocabo, cum ad Physicam propriè spectent, relictis exotericis & supranaturalibus, nisi forsan superficialis & incidenter horum fiat recensio. Cardo igitur discursus erit circa problemata (*α*). An animæ defunctorum aliquando visui compareant nostro? (*β*) An ab ipsis Cadaveribus, absque animæ interventu, spectra oriri possint? & quid (*γ*) de Spectris, dum Chymicis operationibus subjiciuntur Cadavera ipsa, aut in terram jam commutata, in vitrorum capacitate apparentibus sentiendum decernendumque sit.

§. 16.

Præmonendum, me non curare hic

Epicuri de grege porcos,

cum Philosophis quibusdam, qui idem corpori & animæ posuere fatum. Inter Philosophos *Democritum Plutarchus* (*l. 4. de Plac. Philos. c. 7.*); *Democritum seu Dicæarchum*, *Lactantius* memorat (*l. 3. Instit. Divin. c. 17.*). Sunt, quibus cum *Attico Dicæarchum* (qui *tres libros contra immortalitatem animi*, Lesbiacos dictos delitias suas vocanti, *juxta Ciceron. l. 1. Tusculan. qu. f. 164.*) assensio omnis de immortalitate animæ elabitur, simul ac ponunt librum, *Platonis* de hac materia conscriptum, secus ac *Theombrotus*, qui lecto Platonis Phædone se in mare ex alto præcipitavit, ut beatorum consortio citius potiretur, quem Philosophiæ Martyrem exinde proclamavit (*Epist. 25.*) *B. Hieronim.* Ipse *Aristoteles* de eadem balbutire visus fluctuanter, ut è locis diversis, quæ id suadere videntur, *v. g. l. 2, de*

2. *de Generat. Animal. c. 3. l. 1. de Anim. t. 65. & 66. l. 3. tr. 4. 7. 19. & 20.*). Vid. *Petr. Pomponat.* (*l. de incantat. c. 13. p. 332.*). *B. J. C. Dannhauer* (*Colleg. Psycholog. Disp. 5. Controv. s. 1. p. 142.*); *O. Borrich.* (*l. 1. Hermet. Ægypt. c. 10. §. 2. p. 237.*). Placet adjungere *magni & acurati Philosophi Jacob. Thomasii* (*Program. 67. p. 422.*) judicium. *Aristoteles* intellectum illum agentem, s. rationalem animam immortalem quidem professus est, sed dum universo humano generi non nisi unicam præsidere statuit, quam verbo immortalitatem hominibus concessit, re sustulit. Et paulò post (*p. 423.*), non inficior: Eum in hoc maximè argumento fuisse segnem, quæ loligine emissa sic omnia immergeret caligine, ut deprehendi vix queat. Non desint è scriptoribus, qui contrarium evincere conentur, *v. g. Joh. Dunscot.* (*in 4. dist. 23. qu. 2. n. 16.*) & *ex hoc Claud. Frasse* (*Phil. Acad. Phys. p. 1. Disp. 3 s. 4. Art. 1. p. 298.*). *Augustin. Steuch. Eugubin.* (*l. 3. de Perenn. Philos. c. 21.*) *Conimbricenses* (*de Anim. Separat. Disp. 1. Art. 2.*) *Aristotelemque* explicet *Claud. Salmas.* (*in Not. & Animadv. in Epictet. & Simplic. p. 221.*) Et *Themist. teste Martino Weinrichio* (*de Spectr. Strigon. & Pentschem.*) fateatur, *Aristotelem* Dialogum scripsisse, in quo firmissimis rationibus animæ immortalitatem evicerit.

§. 17.

Anima nostra an incorporea sit, fluctuat *Galen.* (*l. 7. de Plac. Hipp. & Platon. p. m. 1135.*). Corpoream prodidit *Epicurus*, imò corpus, ut demonstrat *Petr. Gassend.* (*in Physiol. Epicuri p. 494.*). Idem *Galen.* suspicatur (*l. quod animi mores sequ. Temperam. Corp. c. 5.*), nec sibi persuadet, se animæ substantiam firmiter tenere, (*Comment. in 6. Epid. Hipp. t. 5. p. 573.*). Ex his concludit *Hieron. Cardan.* (*l. 3. de Util. ex adv. capiend. p. 451.*): Eundem Animam nostram mortalem voluisse, sed dicere mentem humanam esse materialem, est dicere religionem esse brutum, reponit *Lactant.* (*l. 7. c. 9.*). Quosdam tamen è Sanctis Patribus idem sensisse *Gassend.* (*c. l. p. 495.*) observat. Stoici, quod narrat (*c. l.*) *Cicero*, ajunt, animos manere cum è corpore excesserint, sed non semper. Dæmones, & animam corpoream & mortalem *Tatianus* (*Vid. A. E. Lipsiens. An. 98. p. 555.*) statuit.

§. 18.

Contrarium è Cordatioribus Ethnicis sensere *Plato*, *Cicero* (*l. de Amicit. cit. P. Claud. Frasse c. l.*). *Seneca* (*Epist. 36.*). *Plutarch. l. de Ser. Num. Vind. f. 198. & Consolat. ad Uxor. f. 338. b.*). E Poëtis, quod *Plutarch.* (*l. de Homer. p. m. 723.*) demonstrat & *Propertius* (*l. 4. Eleg. 7. v. 1.*)

Sunt

Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit,
Lucidaque effictos effugit umbra rogos.

Elegans *apud Ciceronem (de Senectute)* locus est: Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro. Nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo extorqueri volo; sin mortuus, (ut quidem minuti Philosophi censent) nihil sentiatur: non vereor, ne hunc errorem meum mortui Philosophi irrideant. E Neotericis *Kenelm. Digby (tr. 2. de Anim. Rat. c. 10. n. 10. p. 567.)* ita philosophatur. Cum fuse jam declaratum sit, statum Animæ separatæ esse statum puræ existentiæ, manifeste sequitur, eum tum ab actione, tum à passione immunem esse, quod cum ita sit, certissimum quoque est Animam extingui non posse. *Et paulo post*: Si anima à corpore separata veluti confecto curriculo statum jam finalem adepta sit, in quo nulla accessio sperari, vel diminutio timeri potest, consequens est, existentiam quam habet, nunquam ab ea amitti posse. Noto hic è *Joh. Bodino (l. 4. Theatr. Nat. p. 538.)* illos, qui Animas superstites crediderunt, olim vocatos superstitiosos.

§. 19.

Animas autem corpore exutas vagari in regione, quæ terram & lunam interjacet, *Plutarchus (de Fac. in Orb. Lun p. m. 471.)* autor est, improbas quidem in terris pœnas luere: pias ad certum tempus, quantum ad lustrandum & corporis, utpote malæ causæ, pollutiones abolendum sufficiat. Animas ad tempus circa sepulchra amoris erga corpus per mortem non obliterati signum quibusdam è Gentilibus fabula non fuit. *Mahumedani* animas defunctorum septem dies credunt versari circa sepulchra, ut *Eduard. Pocok. (Miscell. p. 250.)* narrat. De *Judæis B. Dn. D. Martin. Geier (de Luct. Ebr. c. 5. §. 12. p. 67.)* recitat, quod credant, Animam defuncti redire per septem noctes ad locum illum, ubi à corpore discessit, quocirca & Lucernam accensam per noctes totidem in pavimento domus servant. Quin & per integrum annum adhuc circa cadavera vagari, amore videlicet corporis, & desiderio nequientem oblivisci vetus amicumque contubernium, atque eo tempore à Dæmonibus aërem inhabitantibus facile in pristina sua corpora reduci posse, & inservire artibus rebusque Magicis *Joh. Hornbeck (l. 8. de Convertend. Jud. c. 2. p. 538.). Laurent. Ananias (l. 3. de Nat. Dæm. p. 92.). Joh. Buxtorf. (è Thalmud. Synagog. Jud. c. 49. p. 713.).* Hoc autem contingere ob laborem matribus per novem dies exhibitum. *Vid. H. Kornmann. (p. 2. de m. m. c. 1.)*

§. 20.

Stoici tamdiu Animam durare asserebant, *teste Servio (ad l. 3. Æneid. p. m. 319.)*

319.) quamdiu durat & corpus. Unde Ægyptii periti ſapientiæ condita diutius reſervant cadavera, ſcilicet, ut anima multo tempore perduret, & corpori ſit obnoxia, nec cito ad alia tranſeat. *Romani* contra faciebant, comburentes cadavera, ut ſtatim anima in ſuam generalitatem, id eſt, in ſuam naturam rediret. Nec alià ratione credebantur animæ à corporibus circumvolitandis abſpelli poſſe, *teſtimonio Caſp. Barth. (Animadv. ad Stat. l. 2. Sylv. 1. v. 22. p. 167.).* Putat ideò *Caſp. Peucer. (l. de Divinat. Gener. p. 285.) Lappos*, quos ſpectra amicorum defunctorum multum infeſtare referunt, mortuorum corpora propter Cœli inclementiam alioquin diutius integra permanſura ſubter focum ſepelire, caliditate urgente quo citius putreſcant, & vagina, ut *cum Plinio (l. 7. c. 52.)* loquar, ademta, non remeent. Tribus tantum diebus anima vagatur circa ſepulchrum, expectans, ut redeat in corpus. Cum vero videt, quod immutetur aſpectus faciei, recedit & relinquit corpus, *ex Rabbinis Joh. Nicolai (de Luct. Græc. c. 1. p. 11.)*

§. 21.

In hac perſuaſione etiam Chriſtianos perſtitiſſe, *Lactant. (l. 2. Inſtit. Divin. c. 2.)* exiſtimat, *dum ſcribit* vulgus exiſtimat mortuorum animas circa tumulos & corporum ſuorum reliquias oberrare. Idem *B. Martin. Geier (Diſſ. de Superſtit. c. 3. §. 16.)* colligit id ex illo *Eſaiæ (c. 65. v. 24.)* (in quo allegato forſan mendum typographicum, nihil enim quod huc ſpectet ibidem legitur) *Joh. Spencerus (l. 2. de Leg. Hebr. c. 11. ſ. 2. p. 303.).* Cibis ideo & potu delectari, qui apponebantur, *Idem (c. l. c. 24. ſ. 3. p. 426.)* meminit. Quo circa & olim vel defunctorum capita panem & lagenam, Cereviſia plenam, ponebant *Boruſſi*, ne anima vel ſitiat vel eſuriat. (*Joh. Meletius Epiſt. de Relig. Boruſſ.*) Animas à Curlandis in balneis cibari, *Roſin. noſter Lentil. (M. C. D. 2. A. 8. App. p. 136.)* mentionem fecit. *Add. Mechov. (l. 2. Sarnat. Europ. c. 2.)* de Samogethis idem commentantem.

§. 22.

Locum ſepulchrorum Romani in hortis (*Vid. Joh. Kirchmann. l. 2. de Funer. Rom. c. 22. p. 177.*) elegerunt aliquando, ut & Judæi, quod ex *Joſephi Senatoris Hieroſolymitani* ſepulchro, cui SERVATORIS corpus illatum (*Johan. c. 19. v. 41.*) facile patet; Factum id, uti conjicit *Martin. Opit. (T. 1. Op. in Not. ad Zlatnam p. 149.)*, quo manes defunctorum eorum amœnitate & dulcedine demulcerentur, qui & è *Grutero* ſequens ſubjicit:

HI. HORTI. ITA. UTI. OPT. MAXIMIQ. SUNT.
CINERIBUS. SERVIANT. MEIS.

NAM. CURATORES. SUBSTITUAM. QUI. VESCANTUR.
EX. HORUM. HORTORUM. REDITU. NATALI. MEO.
ET. PRÆBEANT. ROSAM. IN. PERPETUUM.

Quam ob causam etiam flores circa sepulchra sparserunt, quod locus *Virgilii* (*l. 6. Æneid. v. 883.*) suggerere videtur:

Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis.

Et (*Juvenalis* (*Satyr. 7. v. 206.*)

Dii majorum umbris tenuem & sine pondere terram,
Spirantesque Crocos, & in umbra perpetuum ver.

Ita *Jacobi Pontani* (*Libri Tumuli*) universi penè constant Rosis, Violis, Liliis, Hyacinthis, quod dudum annotavit *J. C. Scaliger.* (*l. 6. Poët. c. 4. p. 810.*). Quamvis & aliæ hujus ritus ab Aliis advocentur causæ, quas vide *ap. Joh. Kirchmann.* (*l. 1. de Fun. Roman. c. 11. p. 57.*) & *Joh. Mich. Dilherr.* (*T. 1. Diss. Philolog. p. 461.*). *Joh. Nicol.* (*Phyllobol. c. 25. p. 118. sq.*). *Joh. Conrad.* (*de Spars. Flor. bnemat. 4. p. 173.*)

§. 23.

Petr. della Valle (*p. 3. Itiner. Epist. 15. p. 144.*) tradidit, Mahumedanos opinari, vastarum & procerarum arborum cavitates, & corpora sanctorum, quos colunt, grata Animabus præbere habitacula, quo circa & arbores istæ magno apud illos in honore habentur.

§. 24.

Inter *Pythagoræ* decreta legitur *ap. Diog. Laërt.* (*l. 8. de vit. Philos. p. m. 430.*) & *Joh. Schröder.* (*l. 4. Pharmac. Med. Chym. Cl. 1. c. 140. p. 68.*): Animas defunctorum delectari Fabarum domicilio, ut dictitarit *Pythagoras*: capi & trucidari præstat, quam fabas Animarum receptacula conculcare. Evolvatur iterum *Laërt.* (*c. l. p. 440.*). Inde tale *ap. Eundem in Pythagor.* (*p. 444.*) legitur Epitaphium:

Heu Heu Pythagoras, quid vile legumen adorat?
Quem in propriis fama est occubuisse Fabis.
Nam ne forte Fabas fugiens calcaret in agro,
Tandem Agregentino cæsus ab hoste perit.

Hanc ob causam sancti alicujus prope Gamron sepulchrum variegatis fabis conspersum invenit *Joh. Alb. Mandelsloh.* (*l. 1. Itiner. Oriental. Ind. c. 7. p. 24.*) Forsan & inde illud Pythagoricum: A Fabis abstine. Sed τὸ κυάμων voculam

voculam aliter explicuit *(l.4.c.11.p.m.171.) A. Gellius.* Decernant hæc, qui volunt, & possunt.

§. 25.

Literas Lugubres in Fabarum Floribus animadvertit, *Plin. teste (l.18.c.2.)*, Varro, & inter res funebres Fabam numerabant olim Romani, quod *ex Festo* habet *Joh. Valer. Pier. (l.57. Hierogl. c.5. p.708.)*, & inter cibos ferales, prout testimonia collegerunt *Joh. Kirchmann. (l.4. de Fun. Roman. c.7. p. 394.) Gerh. Joh. Voss. (l.5. de Idolol. c.11. p. 43.) Joh. Marsham. (l.2. Canon. Chronic. Ægypt. Ebraic. Græc. Secul. 9. p.221.)* In Lemuralibus, *referente Alex. ab Alexand. (l.3. Dier. Genial. c.12. f. 143.)* Fabam noctu jacere usurpatum est, Lemures se ex domo ejicere clamantes, quam nigram esse convenit, ipsamque lotis manibus, & pede nudo per ora versare & post terga rejicere, ærisque tinnitum facere, utque Lemures faba redemti domo abirent, novies orare. Plura *Joh. Nicol. (de Luct. Græc. c.20. p. 278.)*

§. 26.

Cum namque, *Serv. teste (ad l.5. Æneid. v.41. p.434.)*, olim ubicunque quis fuisset extinctus, ad domum suam referebatur, & illic septem reservabatur diebus, octavo die incendebatur, nono sepeliebatur. Unde & *Horat.*

Novendiales dissipare pulveres,

nam etiam ludi, qui in mortuorum honorem celebrantur, novendiales dicuntur. Sciendum etiam, *pergit*, quod domi suæ sepeliebantur: unde orta est consvetudo, ut Dii Penates in domibus colerentur. Optimè id explicatur *ex Apulej. (l. d. Deo Socrat. p.m.79.)*. Species Dæmonum est animus humanus exutus, & liber stipendiis vitæ corpore suo abjuratis, hunc vetere lingva reperio Lemurem dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posteriorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris. Qui vero propter adversa vitæ merita nullis bonis sedibus intervagatione, ceu quodam exilio, punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cœterum noxium malis, hunc plerique larvam perhibent. Lares etiam quosdam nocentes genios dixisse, *è Plutarch. (quæst. Roman. p.277.)* constat. De Larvis quædam *Phil. Beroald. (ad. l. 2. Apul. de Asin. aur. p. 48. & ad. l. 9. p. 822.)*

§. 27.

Animas interfectorum in terra vagari, & instare occisoribus, gentilibus persvasum supra *(l. h. Tit. 7. §. 63.)* dixi. Sed nec illas, nisi sepultis corporibus quiescere cum corpore, nec admitti vel superis vel inferis, imprimis *Charonte* easdem firmiter crediderunt. *Patrocli* animam in aëre oberrare, finxit *Homer.*

(Iliad.

(*Iliad.23.v.76.*), quod & retulit *Plutarch.* (*l.9. Sympos. probl. 6.p. m.375.*) de *Elperoris* Umbra. Scite iterum *Virgil.* (*l. c. v.325.*)

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba est,
Portitor ille Charon: Hi, quos vehit unda sepulti
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierint.

In quem locum *Servii* cura placet (*p.518.*). Duo dicit (*Poëta*), nec legitimam curam habet, nec imaginariam. Inopem enim dicit, sine pulveris jactu: Nam ops terra est: inops sine terra, sine humatione. Vult autem ostendere, tantum valere inanem, quantum plenam sepulturam. Hoc igitur beneficii à nauta flagitat ad littus insepultus projectus *Archytas Tarentinus, apud Horat.* (*l.1. od.28.*) *Add. Alex. ab Alex.* (*l.5. Genial. dier. 26.f.309.b.*). Et Græci cadaver insepultum invenientes septies terram injicere tenebantur, ne anima centum annos errare teneretur, *è Th. Dempstero* recitat *Joseph. Laurent.* (*l.6. Polymath. p.488.*) Ita autem ferebat lex quædam Attica; observato tamen simul, ut spectaret cadaver ad occasum, secundum *Ælian.* (*l.5. Var. hist. c.14.*). Hinc ultimam opem defunctis esse sepulturam, veterum voluit superstitio, iterum *Casp Barth. id* (*l.3. Adversf.c.3.col.715.*) annotante. Adde *Eundem* (*Animadv. ad. l 8. Thebaid. Stat. v.210.p.832.*) *Tertullian.* (*l. de Anim. c.50.*) *Ludov. de la Cerda* (*in Virg. l.6. Æneid. p.658.*)

§. 28.

Et quamvis Romani, ut dictum, comburebant cadavera, attamen conjunctionem & ἕνωσιν cinerum & reliquiarum corporis cum ipsis manibus & anima, cujus illi cineres fuerunt veteres ex relatione *Cl. Salmas.* (*in not. ad Epictet. Enchirid. & simpl. p.328.*) crediderunt, ut manes & Animam lædi putarent, cum ossa violarentur, aut cineres dissiparentur, vel etiam indiligentius tractarentur. Quinimò & inquietari existimabantur ipsæ Animæ, si ossa earum loco moverentur. Exemplum dabit (*l. de Divinat. gen. p.310.*) *Caspar. Peucer.* Quod summæ religioni erat ne fieret, & cavebant inscriptionibus monumentorum & consecrationibus, ne à quoquam attenuaretur. Hinc illa in veteribus Saxis: Peto ne inquietes ossa mea. Et requietoria vulgo dicebantur monumenta. Sunt cognata nobis semina immortalitati, divinus, inquit, *J. C. Scalig.* (*l.3. Poët. c.20.p. m.268.*), cujus adeo appetentes sumus, ut sepulturæ prospiciamus: & nolimus Cadaver nostrum male haberi. Animam etiam sepulchro inferri credidisse, patet ex illo *Maronis* (*l.3. Æneid. v.67.*)

Animamque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

§. 29.

Loca illa, in quibus insepulti secundum mores & ceremonias, inter quas & fletum, reputat necessarium *Servius*, absconduntur ideo infesta ut plurimum sunt. Ita cadaver *Cæsaris Caligulæ* clam in hortos Lamianos asportatum & tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est: postea per Sorores ab exilio reversas erutum, crematum, sepultumque. Satis constat priusquam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumta sit. Prodidit hæc *Sveton.* (*in vit. Calig. c.59. p.m. 162. sq.*). Versutus *Plauti Tranio* seni Domino umbris illius domum infestari persvasurus trucidatum hospitem & ἄταφον in illa jacere, sibique somnianti sequentia insusurrasse asserebat (*Mostell. act. 2. sc. 2. v. 68.*)

Me in Acheruntem recipere Orcus noluit,
Qui præmaturè vita careo, per fidem
Deceptus sum, hospes hic me necavit, isque me
Defodit insepultum.

§. 30.

Crediderunt etiam è Christianis Animarum migrationem sub Sphæra Lunari. Furiosum Exercitum, sive Familiam Hellequinam, *das wütende Heer* (quasi *Wodans Heer*, *à Wodano* olim à Germanis culto derivat *Johan. Scheffer. Upsal. Antiqv. c.5. p.72.*), animas post mortem ambulantes reputavit *Vincent.* (*l. 29. Specul. Hist. c. 119.*). In hoc exercitu omnes infantum non baptizatorum, in pugnis cæsorum, Animas ecstaticorum etiam, in quorum corpora Animæ, quæ evolassent, non rediissent, quod aliquis illos excitare volens nomine proprio appellasset existere circumvagantes Scholastici *ap. Martin. Crus.* (*p.3. Annal. Svev. l. 11. c. 18. f. 653.*) venditabant.

§. 31.

Cæterum de locis post mortem Animabus exulantibus tandem destinatis consensus Gentium non fuit. In Orcum s. ᾅδην detrudi unanimis vox. Est quidem & *Pluto*, inferorum Rector, eo nomine clarus. *vid. Henric. Kipping.* (*l.1. Antiqv. Roman. c. 2. n. 5. p. 64.*) Sed & eo nomine etiam venit Animarum receptaculum, de quo *Virgil.* (*l. 6. Æneid. v. 540.*) cecinit:

Hic locus est partes, ubi se via findit in ambas,
Dextera quæ Ditis magni sub mœnia tendit,

Hoc

Hoc iter Elysium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

In dextra locant campum Elysium, in quem Piorum manes, *Mercurio* viam monstrante, ad beatas sedes ducuntur. In sinistra Tartarum malorum habitationi consecratum, quorsum à Belzebub & Angelis geniis carnificibus, quos πλῆχνας vocant etiam ἀλάστορας & παλαμναίους, quod quidem *Joh. Nicol. (c.l. c. 22. §. 2. p. 290.)* Poëtarum somnia cum Judæorum fabulis miscens, autumavit.

§. 32.

Elysium ἀπὸ τῆς λύσεως, ab absolutione denominatum, ex Hebræo aut Punica voce amœnitatem & fertilitatem significante id derivasse *Sam. Bochart.* iterum *Nicolai (§. 4. p. 291.)* innuit, ubi piorum domicilium

Amœna piorum
Concilia, Elysipiumque colo ap. Virgil. (l. 5. Æneid. v. 734.). Pluribus *ap. Plat.* id explicuit *Socrates (in Axioch.)* cujus verba dare animus est. Quibuscunque in vita melior aspiravit Dæmon, in sedes incolunt piorum, ubi omnes horæ scatent omnigena fructuum ubertate, fontes puris labuntur aquis, variis prata omnimodis floribus vernant, conventus sunt philosophorum, theatra Poëtarum, exultantium coronæ, musicique concentus. Ad hæc instructa diligenter convivia, & iste per sese suppeditans affluentia victus. Non enim frigus illis; non æstas gravis, sed temperatus Aër funditur, mitibus solis radiis illustratus. Hic etiam initiatis est dignatio quædam, religiosa quoque ibidem peragunt sacra. *Hæc Plato.* Potiora sunt, quæ habet *Pindarus (Olymp. στροφὴ δ. κώ. ιδ. f. m. 96.)*

Æque autem noctibus semper
æque & in diebus so-
lem habentes, minus laboriosam
Boni degant vi-
tam, nec terram turban-
tes robore manuum,
Nec marinam aquam,
Inanem propter victum: sed
apud quidem honoratos
Deorum, quicunque gau-
debant fide-jurium jurandorum
Illacrymabili fruantur
Ævo.

Ely-

Elyſios ejusmodi campos etiam impurus & carnalis *Muhamedes* finxit (*in Alcorano*), & ille regionis olim Mulete dictæ Aloadim, ut *ap. Marc. Paulum Venetum* legitur (*l. 1. de Region. Orient. c. 28. p. 24.*), quod & ſuis inſeruit *Joh. Henric. Urſin.* (*l. 2. Analect. n. 5. p. 109.*). Spectat huc *Abdiæ* primi Babylonicæ Epiſcopi Topographia Paradiſi fabuloſa, quam idem (*l. 4. n. 4. p. 203.*) recenſuit.

§. 33.

Confundit *Joh. Nicol.* (*de Luct. Græc. c. 22. §. 3. p. 290.*) cum campis Elyſiis Paradiſum, quando definit: Trifariam partiuntur Græci ᾅδην, in Paradiſum, Gehennam, ſuperiorem & inferiorem. Paradiſi ſanè vocem vix apud Græcos hoc ſenſu invenias, imo ne nomen quidem, niſi forſan *ap. Xenophontem* (*in Oeconomic. p. m. 244.*) *Lyſander, narrat*, cum donis miſſus â ſociis belli deductus eſt â *Cyro* in Paradyſum, quem ſardibus habebat, cum vidiſſet ordinem, elegantiamque Arborum in quincuncem poſitarum, angulorumque ſymmetriam & ambulationum ſubſequentium odorem percepiſſet, admiratus dixit: Hæc me ſuſpicientem *Cyre*, multo magis magiſtri admiratio cœpit, quicunque is fuerit, qui talia diſpoſuerit. *Cyrum* autem animo lætum reſpondiſſe: Hæc egomet *Lyſander*, ordine, quo vides, diſpoſui, ut facile cernere eſt, quæ mea ſerui manu. Fallit *Juſtin. Martyr.* (*in Apolog.*) *Homer.* in deſcribendo horto *Alcinoi* paradiſi imaginem expreſſiſſe dum reputat. Vivaria namque, quædam in quibus feræ vivæ paſcuntur Græcos παραδείσους appellare, è *Varr.* (*l. 3. de R. R.*) *Agell.* (*l. 2. Noct. Attic. c. 20. p. m. 61.*) docuit.

§. 34.

Nec Gehennæ vox apud Ethnicos obvia, ut *ap. Chriſtianos. Ita Prudent. meus* (*Hymn. de Natal. Dom. v. 109.*)

Inſignis ille & præminens
Meritis rependet congrua;
His Lucis uſum perpetis,
Illis gehennam & Tartarum.

Qui in Gehennam ſuperiorem veniunt, putat mediocriter honeſte, ſancte & juſte vixiſſe, qui male, in inferiorem gehennam detrudi. Sed & iterum duplicem Gehennam nulli veterum cognitam offendis, communiter infernum apud Autores nominitatur.

§. 35.

Eorum, qui in vita medium tenuerant, id eſt non ita virtutem amplexati,

ti, quin vitiorum confinio implicarentur habitaculum erat infernus. Acherusiam per annos aliquot paludem habitant, eas perpessæ pœnas, quæ illis peccatis pristinis exuerent, ut purgati tandem absolverentur, & beatorum præmia aliquando reportatarent. Purgabantur autem vel igne mortui, qui nimiis corporis sordibus oppressi vixerant; vel aqua, qui paulo melius vitam egerant, & in vita prævaricationes pœnitentia eluerant, & ex vulgari loquendi modo: Nollent factum, vel in aëre si satis bene vixerant. Innuit id *divinus Poëta* (*l. 6. Æneid. v. 729.*)

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: Aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Plura *Plutarch.* (*l. de Ser. Num. vind. f. m. 200. a.*)

§. 36.

Μετεμψύχωσις id aliter explicuit Pytagorica. Audias (*in Phœdro*) *Platonem*: Si inquinata & impura â corpore discesserit, utpote quæ corpus complexa est, & hoc coluerit, (& ab ipso & cupiditatibus ac voluptatibus delinita fuerit anima, apud inferos est & circa monumenta & sepulchra versatur. Verosimile est, neque bonorum has animas esse, sed malorum quæ circa hujusmodi oberrare coguntur, pœnam dantes prioris malæ educationis. Et tam diu oberrant, donec rursus in corpus illigatæ fuerint. Illigantur autem, velut consentaneum est, in ejusmodi mores, quales sane etiam in vita exercuerunt. Nimirum eos qui gulæ & lasciviæ & potationi dediti fuerunt, ac nihil veriti sunt, in asinorum & talium bestiarum genera ingredi consentaneum est. Egregio verò penicillo id delineat *Claudiani Musa* (*l. 2. in Ruffin. v. 440.*)

Nam juxta Rhadamantus agit cum gesta superni
Curriculi, totosque dies prospexerit actus;
Exæquat damnum meritis, & muta ferarum
Cogit vincla pati. Truculentos ingerit ursis,
Prædonesque Lupis, fallaces vulpibus addit.
At qui desidia semper, vinoque gravatus,
Indulgens veneri voluit torpescere luxu,
Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
Qui justo plus esse loquax, arcanaque suevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas,

Ut nimiam pensent æterna silentia noctem.
Quos ubi per varios annos, per mille figuras
Egit letheo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ,

Non tamen in omnia animalia transire humanas mentes Pythagoræi dictitarunt, excipiebantur enim ea præmactari fas erat, *annotante Jamblichio* (*l. 1. de Vit. Pythag. c. 18.*)

§. 37.

Cum igitur quædam Animæ igni purgare crederentur, in terrestria bruta transanimatæ, ignis enim antiquis Philosophis terra est, ex quo omnia exuruntur, nam cœlestis perurit nihil; aut in aqua purgatio fuit, dum in marina corpora transibant; aut in aëre, in aëris sibi sedem elegerunt. Et hæc ipsa doctrina etiam tres purgationes receptas peperit, quarum una tæda & sulphure, altera aquæ abluitione, tertia Aëris ventilatione exercebatur.

§. 38.

De tempore, quo hujusmodi Animarum exilia durare debeant non conveniunt, qui Italicam Sectam non venerantur, centum quidam annos determinant, quidam septuaginta, ut habet *J. Nicol.* (*c. l. §. 7. p. 299.*) qui illos campos lugentes, in Orco pollente, nondum nigro statuebant, inter vitæ beatæ & inferni confinia. Qui vero Italicam sectabantur nihil ferè certi propalarunt. Mille annos retulit *Virgil.* (*l. 6. Æneid. v. 751.*)

Has omnes ubi mille rotam volvere per annos
Letheum ad fluvium, DEUS evocat agmine magno,
Scilicet immemores, supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpore velle reverti.

Cujus discipulus *Silius Italicus* (*l. 13. v. 554.*) quinque millia ponere non verecundatur. Tria autem millia hunc circuitum annorum durare vetustissima Ægyptiorum doctrina fuit, uti memorat ex ipsorum traditionibus *Herodot.* (*l. 2. & ex hoc Casp. Barth.* (*in Animadv. ad Claudiani l. 2. in Ruffin. v. 491. p. 1267.*)

§. 39.

Quæ vero purgatæ ad campos Elysios transmittebantur, non semper oppidò in illos excipiebantur. Tria namque post purgationem necessariò fuerunt, quæ *Joh. Serranus* (*ad Platon.*) notavit. Prima requirebatur contritio: deinde confessio: tertio satisfactio, quæ *ap. Platonem* (*in Phædone*) explicavit *Socrates Vid. & Jacob. Gütler.* (*l. 2. de Jur. Man. c. 38. p. 428.*)

§. 40.

§. 40.

Et cum ante purgationem Cicatrices & vibices ſingulis ex vitiis aliis diutius adhæreſcant, aliis minus diu, varii & multimodi præterea ſunt animarum colores: Nigricans & fœdus ſordium & avaritiæ litura, ſanguineus & flammeus crudelitatis & ſævitiæ, ubi glaucus eſt, inde intemperantia circa luxum ægre eſt eluta. Qui vero vitio tenetur invidiæ, is viridem & marcidum ſicut ſepiæ atramentum emittit. In vita enim malitia, quando anima convertitur à vitiis, & convertit corpus, colores effundit: Hic purgationis & caſtigationis eſt terminus. His in tantum extenſis fulgidam animam & concolorem reddi aſſeruit *Soleus Theſperius* Ecſtaticus, aut Syncopticus, apud *Plutarch.* (*l. de Sera Numinis vindicta p.m.327.*). Candidi ut ſuperi pinguntur, ita & animæ beatæ, ut nigro colore mortui; ita & Animæ damnatorum. *Vid. Serv.* (*ad Ecclog. 5. Virg. v. p.*). Lucida & Ætherei coloris anima deprehendebatur Ecſtaticæ Sororis Chariſmatum dona ſortitæ *ap. Tertullian.* (*l. de Anim. p.646. conf. §.57.*)

§. 41.

Cœterum novem Circulis inferi cincti eſſe *Serv. teſte* (*in l. 6. Æneid. p. 547.*) dicebantur. Primus infantum Animas tenebat. Secundus eorum, qui ſibi per ſibi per ſimplicitatem adeſſe non poterant. Tertius qui doloris impatientia violentas ſibi iutulerunt manus. Quartus, quos Amor crudeli tabe peredisset. Quintus virorum fortium fuit. Sextus nocentes tenuit qui à judicibus graviter punirentur. In ſeptimo Animæ purgabantur. In Octavo ita illæ purgatæ ſunt, ut redeant. In Nono ut jam non redeant, nullis amplius cupiditatibus obſtrictæ. *Jac. Guther.* (*l. c. p. 418.*) Infernum hoc in lunari, aut ſolſtitiali, ut Aliis placuit circulo, aut inter Lunam terrasque quidam poſuerunt. Septem manſiones è Poëta delineavit *Joach. Feller.* (*Flor. Philoſ. è Virg. Æneid. c.42. p.413. ſq.*)

§. 42.

Tartarum ſeu Barathrum demum locus fuit impiis deſtinatus ſub terra profundiſſimus.

Βάθιςον ὑπὸ χθονὸς ἐστὶ βέρεθρον,
Τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανὸς ἐς' ἀπὸ γαίης.
Sub terris immane Barathum.
Diſtat ab infernis terris ut diſtat Olympus.

Homer. (*Iliad. θ v. 13.*) in hujus profundo immedicabilis ira divina eſt, quam ſcelerati perpetuo experiuntur. Ubi inexplebiles Danai filiarum urnæ. Ubi Tantali ſitis, præcordia Tityi, Siſyphi inexplicitum ſaxum, cujus finis ab alio

incipit rursus labore. Ibi circumflambentibus eos feris, indesinenter lampadibus adusti, & omnium pœnarum affecti cruciatu tormentis laniantur immensis. Ita (*in Axiocho*) *Plato*. Tartarus vocantur, quia ibi multæ sunt ταραχαὶ seu perturbationes. *Natal. Comes* (*l.3. Mythol. c. 11. p. 226.*) Plura *Jac. Guther.* (*c. l.*) & *Joh. Brodæus.* (*l.5. Miscell. c.11. ap. Jan. Gruther. p.2. Thesaur. Crit. p.536.*)

§. 43.

Ex illa Gentilium, de Animarum circa cadavera & sepulchra exilio 1. persuasione scaturiit ἐπίκλησις τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν evocatio humanarum Animarum à Magis tentata, qui ideo ψυχαγωγοὶ & ψυχαπομπαῖοι Animarum seu Manium evocatores seu elices vocabantur. Heracleam *Pausanias ob Cleonices* homicidium confugit ad oraculum, quo manes evocantur, excitaq; *Cleonices* anima ejus iram, sed frustra, placare intendit. Vid. *Plutarch.* (*in Cimon. p.m.168.*) Sic Spartanis cum data dictio esset placarent *Pausaniæ* manes, accersiti ex Italia Psygagogi rebus divinis perpetratis simulacrum, ex delubro abstraxere *autore eod.* (*de ser. Num. vind. p.324.*) ψυχαγωγίας vocat *Joh. Kirchmann.* (*l. 3. de Fun. Roman. c. 7. p. 237.*) ritum illum veterum, quo sueti peregrinorum, ut ad locum *Pindari* (*Pyth. 4.*) ἐὰν ψυχὰν κομίζω, & ad *Odyss. 1. Didym.* & *Eustath.* annotant, vid. *Erasm. Schmid.* (*in Pindar. p.199.*) Animas, quando corpora vel cineres non licebat, factis sacris magno clamore secum in patriam revocare. Ter autem defunctum appellabant. Meminit hujus *Homer.* & *Joh. Tzeczes* (*Chiliad. s. Hist. 14.*)

Olim morientis in terra aliena, ter evocabant
Qui simul peregrinabantur cum ipsis.

Varia excerpsit, & recitat *Joh. Phil. Pfeiffer.* (*l.4. Antiq. Græcar. c.53. p.751.*) *Interpres Pausaniæ* ψυχαγωγοὺς non recte vertisse Animarum curatores probe advertit *Joach. Kühn.* (*in not. ad Pausan. Lacon. l.3. c.17. p.252.*) Sed hæ præfixum feriunt scopum.

§. 44.

Loca ex quibus erumpebant evocatæ animæ ψυχοπομπαῖα, quod transitum animabus præberent. Dignum puto quod notetur è *Svida* (*Histor. col. 1086.*) in manibus eliciendis, *scribit*, præstigiis quibusdam utuntur adversus mortuos, cum enim ad ea loca pervenerunt, unde duci possunt animæ, quas desiderant ii in quibus illis opus est, eo veniunt, ubi mortui sunt ii, quorum Manes eliciuntur: Nec è vestigio inveniunt locum, sed in hunc modum indagant. Nigrum arietem adhibent, eumque vel altero ejus cornu, vel anterio-

terioribus pedibus comprehensis erectum posterioribus circumducunt. Is vero placide admodum ducentem sequitur. Ubi vero perventum est in eum locum, in quo ille vel illa sita est: ibi se Aries ultro prosternit: Quo facto, Illo remoto, & occultato, variis sacrificiis, & incantamentis adhibitis obambulant, & circumeunt illas, & audiunt loquentes, & causas propter quas irati sint, sciscitantur. Etiam *Antoninus Imperator* elicuit manes Patris sui *Commodi*. *Hæc Svidas*.

§. 45.

Duo autem Artis evocatricis constituebantur genera, unum cum evocati Manes tenues & obscuras funderent umbras, σκιομαντεία dictum. Alterum, cum cadavera cantu isto subire cogebantur Spiritus, & de quæsitis responsa dare. Duplici fine etiam instituebatur, partim desiderio Parentum, Conjugum & Amicorum, ut fieret satis, se mortuos resuscitare, hoc modo posse umbrarum isti Magistri, *ut infra (l.3. Tit. 4. §.)* aliquot historiis dilucidabitur, venditabant. Partim à Manibus ex Orco accitis extractisque præterita & futura sciscitabantur, quare & Νεκυομαντείας nomen obtinuit hæc evocatio.

§. 46.

Adhibebant autem varia sacrificia, varias imprecationes & ceremonias:

Huc quicquid fœtu genuit natura sinistro
Miscetur, non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non Lyncis, non duræ nodus Hyænæ
Defuit, & Cervi pasti serpente medulla,
Non puppim retinens Euro tendente rudentes
In Mediis Echeneis aquis, oculique Draconum,
Quæque sonant fœta tepefacta sub alite saxa.
Non Arabum volucres serpens, innataque rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera Conchæ,
Aut viventis adhuc Libycæ membrana Cerastæ,
Aut cinis Eoa positis Phœnicis in ara.
Quo p stquam viles, & habentes nomina pestes
Contulit infando saturatas carmine frondes
Et quibus os dirum nascentibus inspuit herbas.
Addidit, & quicquid mundo dedit ipsa veneni.

Ita *apud Lucanum (l. 6. Pharsal. v. 670.) Erichto*. Et mendax *apud Claudian. (l.1. in Rufin. v. 154.)* gloriatur *Megara*.

Sæpius horrendos Manes sacrisque litatis
Nocturnis Hecaten & condita funera traxi
Carminibus victura meis.

De alia *Tibullus (l. 1. Eleg. 2. v. 45.)*

Hæc cantu finditque solum, manesque sepulchris
Elicit, & tepido devocat ossa rogo.

§. 47.

Incantatis Carminibus & Gallis mactatis sacrificabant Poëtarum aut Regum animas evocaturi, ut *Æneas Gazæus (in Theophrast.) Barth. (ad. l. 2. Stat. Theb. v. 22. p. 261.)* An quod noctu fierent evocationes istæ, gallusque quasi nocti infensus, cædebatur nocti, ut caper Baccho. Ita *Ovid. (l. 1. Fastor. v. 455.)*

Nocte Deæ noctis cryſtatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocatore diem.

Et spectris sistendis ob umbras circa Gallicinium illustratas aurora non sufficeret. Conf. *infra (§. 53.)* Pueri & virgines incisi ἐπὶ τῆς ψυχαγωγίας *testimonio Gregor. Nazianzen. (Orat. 1. Contr. Julian.).* Inter herbas Belli & Cynocephalus herba, Ægyptiis Osyrites vocata nomen meruerant Vid. *Plin. (l. 30. c. 2.). Torreblanca Villapandus (l. 1. Dæmonal. c. 16.).* Aglaophoti, quæ Marmaritis dicitur, manes ciebant, potaque herba Theangelide futura prædicebant Magi. *Evolv. Joh. Henric. Ursin. (p. 1. Anal. Sacr. in append. p. 403.).* Magicarum etiam aquarum meminit *Propert. (l. 4. Eleg. 1.)*

Umbra neque hæc Magicis mortua prodit aquis.

§. 48.

Sacrificia excipiebant Ritus & Ceremoniæ. Delineavit easdem *Casp. Peucer. (de Divinat. gener. Tit. Magia p. m. 295) & Joh. Lang. (l. 2. Epist. 46. p. 774. sq.).* Aras, quæ plerumque geminæ erant & pares nigris ornabant vittis aut cœruleis & Cupresso: cumque pecudes confodissent, spirantem adhuc cruorem ineffusam spargebant terram, vinumque lac & mel miscebant. Inde *Eurip. (in Oreste)*

μελίκρατον ἄφεν, γάλακτος οἰνωποντ' ἄχνην.
Multumque sparge, lactis atque aspergin em.

Conf. Lucian. (in Charonte). Et Virgil. (l. 3. Æneid. v. 66.)

Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte
Sanguinis & sacri pateras. Add. Porphyr. (in Antr. Nymphar. p. m. 127.)

Bilis & Sanguinis effusione mortuorum animas evocari *Euripidem*, qui jam non ad

ad manus, citat *Joh. Philipp. Pfeiffer.* (*l. 4. Antiquit. Græcor. c. 53. p. 751.*). Tandem cæsæ victimæ viscera ter circum aras gestabant, igne accenso.

§. 49.

Imprecationes Epodi & carmina hæc claudebant.

Murmure nam magico tenues excire figuras
Atque sepulchrales scitè incantare favillas,
Vita itidem spoliare alios, ars noxia novit.

Prudent. (*l. 1. Contr. Symmach. v. 96.*) *meus* cecinit. *De Erichtonis* incantatione pergit (*c. l. v. 685.*) *Lucan.*

Tunc vox Letheos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confudit murmura primum.
Dissona & humanæ multum discordia linguæ
Latratus habet ille canum, gemitusque Luporum
Quod trepidus bubo, quid strix nocturna queruntur,
Quod strident ululantque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit, & planctus illisæ cautibus undæ
Sylvarumque sonum, fractæque tonitrua nubis,
Tot rerum vox una fuit, mox cœtera cantu
Explicat Æmonio, penetratque in Tartara lingua.

Plura *ap. Lucian. passim*) quem ideò laudat *Casp. Barth.* (*animadv. ad l. 2. Stat. Thebaid. v. 22. p. 261.*). Hic vero notandum reputo sacrificia & ceremonias has etiam in inferiis in partes venisse, etiam ubi è dissitis terris evocabantur in patriam animæ. Indeque ab Autoribus quæ hæc collecta servant nonnunquam harum confusionem animadvertas. An id moverit Magos, ut sua habitacula prope sepulchrorum loco extruxerint aliquando,

desertaque busta
Incolat, & tumulos expulsis occupet umbris

abominandum id hominum Genus non ita simpliciter crederem, cum aliæ rationes subesse possint, quarum quædam *supra* (*l. 1. Tit. 3. §. 44. & 45.*) recitatæ. Id è *Tertull.* (*l. de Anim. c. 57.*) addo: Nasamones propria oracula apud Parentum sepulchra mansitando captare *Heraclides* scribit. Celtas apud virorum fortium busta eadem causa obnoctando *Nicander* affirmat. Incubant nempè ut olim, qui medicinæ gratia id faciebant, in Templis, ita hi in bustis incubantes responsa petebant monitu Somniorum *Conf. Claud. Salmas.* (*Exerc. Pliniar. in Solin. Polyhist. p. 293.*)

§. 50.

§. 50.

Solas ἀώρων & βιαιοθανάτων animas in Necyomantia magicis artibus evocari quidam opinabantur, *scribit idem* (*c. l. p. 787.*) quia de propinquo evocarentur vel avellendæ essent ex intimis sedibus inferum, ubi quiescebant animæ matura ætate solutæ, placida morte separatæ atque etiam supremitatis honore donatæ. Plerique enim dubitarunt etiam paganorum, an ex imperio Magi Animæ ab inferis ipsis evocari possint ad oracula responsitanda. Proinde solas ἀώρων & βιαιοθανάτων animas ab hoc elici crediderunt, non etiam ad inferos redactas, & sedibus beatis receptas. At *Tertullian.* (*c. l.*) contra eos regerit, publicam esse literaturam, quæ promittat animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas ab incolatu inferum se evocaturum. Hæc est Magia. Sanitatis gratia etiam aliquando manium evocatio instituta. Exemplum suggerit *Xiphilin.* (*in Vit. Anton. Caracall p. m. 607.*) *Antonius Caracalla* fuit ægra valetudine, quod morbis partim evitentibus, partim occultis correptus esset, sed mente imprimis insana. Nam acerbis quibusdam visis agitari à patre sæpe numero fratreque gestantibus videbatur. Quibus rebus ut medicinam faceret multorum animas ex inferis evocavit, præsertim patris & *Commodi*, ex quibus nemo ei responsum dedit præter *Commodum*: qui ita ait:

στίχε δίκης ἄδον,

Perge ad supplicium:

Deinde alterum ac ad extremum.

Κρυφίοισι τύποισιν ἔχων δυσάλθεα νοῦσον

Hinc occulta gravis vexat circum loca morbus.

Bellum maxime & proficuum consilium infernali Medico dignum!

§. 51.

Alium modum futura explorandi â paucis (è quibus unum tantum memorare possum *Benedict. Pererium* (*l. 1. de Mag. c. 11. p. 57.*) animadversum retulit *Porphyr.* (*l. 2. de Abstin. Animal.*), qui & huc spectare videtur. Prava, *inquit*, anima, quæ corpus suum violenter reliquit, expoliata ad hoc ipsum deinde se admovet, ibique moras trahit. Unde nonnunquam visæ sunt, Animæ lamentari: nam animæ carentium sepultura, circa corpora sua immorantur, quibus malefici sæpius abutuntur ad ministerium suum explendum compellentes animas â positione corporis vel partis cujusdam assumtione. Quocirca qui vaticinantium animalium insinuari sibi animas optant, præcipua illarum membra deglutientes, veluti Cervorum, vel Talparum vel aliorum accipiunt, & ita præsentem sibi faciunt Animam, DEI ritu vaticinantem: talis enim anima una cum sui corporis integra sumptione in corpus humanum se penitus ingerit. *Hæc Porphyrius.*

§. 52.

§. 52.

Noctu tantum iſta evocatio inſtituebatur. Nullas vires, inquit *Joh. Wouwer. (Pægn. de Umbr. c. 9. p. 42.)* haberet fremor ille verborum & carminum adjunctæ neceſſitates, niſi tenebris adjutæ. Adde *(pergit p. 43.)* Lemurum effigies, terriculas Manium, aut quicquid eſt Spectrorum & larvarum, quod ſupremæ Dæmonum poteſtates mortalibus, ſeu ad ludibrium, ſive ad terrorem, aut pœnam objiciunt: Omnia iſthæc umbræ adminiculo producuntur, illa circumfuſa prodeunt; ab illa veſtitum & habitum ſumunt. Imo ſi recte ſentiunt nonnulli Philoſophorum, ne conſpici quidem, nec oculis noſtris ſeſe ingerere poſſent, niſi umbra adeſſet, & conatus juvaret. Aërio enim & tenui & humido ac proinde diffluente corpore concretos ſtatuunt Genios. Cumque aërio liqueſcant & tenuiora facta diſſipentur, frigore verò coagulantur & coalaſcant: Manes ob calorem lucis interdiu minime conſpiciuntur, noctu vero apparent; cum ſc. circumjectu nocturni frigoris corpus denſatum acquiſiverunt. *Hactenus Wouwerius.* Nox namque umbris & ſilentio necyomantarum actionibus & præſtigis favet inſigniter, quare & ſaga ſ. ſtrix Hebræis לילית licet ליל quod nox eſt, & **νυκτινόμα** & **νυκτιβύα** Feſto vocatur. Strix avis nocturna *(Vid. ſupra l. 1. Tit. 3. §. 23.)* & ominoſa eſt; quibusdam Lamia eſt, i. e. mulier nocturna. ***Conf. J. C.*** *Frommann. (l. 3. de Faſcinat. p. 7. c. 2. §. 2. p. 897.)*

§. 53.

Nefas igitur habebatur, Inferorum DEOS conſpicere ſolem, & ſpectra & umbræ ſolem fugere orientem Poëtis dicuntur. Ita umbra *Anchiſæ Æneæ* in ſomno apparens diſparens *ap. Virg. (l. 5. Æneid. v. 738.)*

Et me ſævus equis oriens afflavit anhelis
Dixerat, & tenues fugit ceu fumus in auras.

Quem ut in multis, ita & hic imitatus *Claudian. (Bell. Gildon. v. 348.)*

Dixit & afflatus vicino ſole refugit.

Ita *apud Properſ. (l. 4. Eleg. 7.)*

Nocte vagæ ferimur. Nox clauſas liberat umbras
Errat & abjecta Cerberus ipſe ſera
Luce jubent leges lethea ad ſtagna reverti.

Et Hercules ab inferis rediens *ap. Senecam (in Hercul. Furent. act. 3. ſ. 1. v. 595.)* ſolem precatur.

Da veniam, ſi quid illicitum tui
Videre vultus.

Pollui namque ab istiusmodi umbris lumen solare nonnulli persuasum habebant.

§. 54.

Gallicinium reformidare Leonem infernalem vulgo produnt. Collimavit eo *Prudent.* (*Hym. ad Gallicant.*)

Ferunt vagantes Dæmonas
Lætos tenebris noctium
Gallo canente exterritos,
Sparsim timere, & cedere.

Sed de Galli & Leonis inimicitia & Antipathia quæ recensuit antiquitas, inter fabulas hodie locum invenit. Experimentum vid. *ap. Philipp. Camerar. Cent. 1. hor. subs. c. 22.. p. 188.).* Nec à Leone vero ad metaphoricum feliciter procedet argumentatio. *Achillis* anima *Apollonio* apparens mediocri fulgure emisso discessit. Jam enim Gallorum cantus audiebatur, quod *Philostrat.* (*l. 4 de Vit. Apollon. p. 162.*) in literas retulit. Et sic omnia spectra & Dæmonum umbras sub Gallicinium disparere vulgus credidit. Vide modo (*§. 46.*) allegata. Aurora autem præfulgente bonos Angelos concinere putarunt Judæi. *Targum Hierosolymitanum* (*Gen. 32.*) vocat columnam Auroræ & appropinquationem horæ Angelorum ad cantandum. Juxta sententiam enim veterum Hebræorum Angeli quotidiè in laudem DEI canunt τρισάγιον (*Esaiæ VI.*) ubi ἔξαρχον *Angelum Michaëlem* putant fuisse, qui Genes 32. se dimitti petit, quod advenerit tempus illud canendi, quo se tanquam præcentorem in cœlo esse oportet. Vid. *B. J. G. Dorsch.* (*Pentadec. Dissert. Theol. de Infallib. Ver. Div. testimon. v. 20. sq.*). Crediderim potius, judicat *Martin. Del-Rio* (*l. 6. Disquis. Magic. c. 2. s. 1. c. 1. p. m. 303.*) tenebriones illos galli cantum odisse, propter mysterium aliquod ipsis odiosum. An quia diei prænuncius ales ad DEI laudem homines excitat, multaque peccatorum genera, quæ obscuro suo peplo nox obtexerat, solari lampade dispelluntur? An quia Dominica Resurrectione commeminit, se triumphaturum & collisum, quæ post noctis medium contigit? an meminit pœnitentiæ *Petri Apostoli* ad Galli cantum, ut lapsus prædictus fuerat, inchoatæ & electissimi sibi bali sic erepti. Continentur hæc in hymno de Gallicinio cujus *B. Ambros.* autor est optime (*c. l. Prudent.*

Invisa jam vicinitas
Lucis, salutis, Numinis
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.

§. 55.

§. 55.

Vestem, qua apparent Animæ quod concernit, umbratili circum amictas nebula astruxit *Joh. Wouwer.* (*c. l. p. 42.*) Animam *Patrocli* sub terram tanquam fumum murmure stridentem abiisse *Homer.* (*l. 23. Ilead. v. 202.*) cecinit. Animam ψυχὴν, umbram σκιὰν & simulacrum εἴδωλον non *apud Homer.* differre *contra Eustath.* probat *Cl. Salmas.* (*c. l. p. 322.*) σκιὰν vocat *Homer.*, quia umbræ similis, hoc est aëri, ut definit *Lucret.* innato lumine. Superstitibus animis umbrarum nomen, innuit *Joh. Pier. Valerian* (*l. 46. Hieroglyph. c. 18. p. 582.*) quia fumus adhuc vel torri vel carbonibus pertinaciter inhærescens, diutius vaporat, nutrimeuto adhuc residuo. Præivit huic *Servius* (*ad l. 6. Æneid. v. 340. p. 520.*) dictitans animas recedentes è corporibus sordidiores esse donec purgentur, quæ purgatæ incipiunt esse clariores. Inde est, *addit*, quod aliæ animæ lunarem Circulum: aliæ solstitialem retinere dicuntur. Et cum *juxta Platon. & Aristotel.* homini quatuor destinatæ sint Animæ, tot umbras etiam existere conclusit, (*in l. 5. Æneid. v. 81. p. 436.*) ut si quis stet inter duas lucernas geminam umbram creat. Duplicari sole abeunte umbras *Virgil.* (*Eclog. 2. v. 66.*)

Et sol crescentes decedens duplicat umbras.

Ante (*Eclog. 1. v. 84.*) cecinerat:

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Simulacra esse Deorum; umbras inferorum *Servius* (*ad l. 2. Æneid. v. 748. p. 308.*) inde post mortem umbræ inferos, animæ cœlum petunt. Fuere tamen è Pythagoricis, qui animas mortuorum umbras facere negarint *Plutarch.* (*in probl. Græc. 152. f. 150. b.*) testatur.

§. 56.

Εἴδωλον appellat *Homer.*, non quia hæc umbra Animæ sit simulacrum, sed quia ipsa anima ab excessu corporis ita per se subsistens figuram ejus reddit ac repræsentat aërea illa, qua constat, substantia. *Servius* ad illa verba (*l. 2. Æneid. v. 749. p. 308.*). *Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusæ* his se explicat: Per simulacrum ἀποθέωσιν ostendit, quia simulacra Deorum sunt, umbræ inferorum. Veram igitur umbræ corporis mortui sustinent imaginem. Prodeat iterum in scenam *Cl. Salmas.* (*c. l. p. 323.*) cum constet homo Anima & corpore, ubi corpus anima dereliquit, in eadem, qua corpus effigie fuit subsistens sine corpore umbræ similis volitat ac vagatur. Animam diu à corpore & mente separatam similitudinem corporis effigiemque retinere & imaginem *Plutarch.* (*l. de Facie in Orbe Lunæ p. 474.*) placuit. *Patrocli* Anima in somno Hectori ap-

parens *ap. Homer. (Iliad. l. 23. v. 66.)*

> πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε καὶ ὄμματα καλ' εἰκυῖα
> καὶ φωνὴν, καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο.
> *Omnibus ipsi magnitudine & oculis pulchris similis,*
> *Et voce, & tales circa corpus vestes induta erat.*

Appollon. ap. Philostrat. (l. 4. de Vit. Apoll. p. m. 159.) gloriatur se *Achillis* animam ab inferis evocasse, ut corporis sui molem ostentaret, & ad interrogata de gestis in Bello Trojano illi responderet.

§. 57.

Soror quædam tradidit *Tertullian. (l. de Anim. p. 646.)*. Revelationum Charismata sortita, sibi ostensam dicebat Animam corporaliter, & spiritus videbatur, sed non inanis & vacuæ qualitatis, imo quæ teneri repromitteret tenera & lucida & ætherii coloris, & forma per omnia humana. Recogita cum DEUS flasset, *anectit os divina suada nobile*, in faciem hominis flatum vitæ & factus esset homo in animam vivam, totum ubique per faciem flatum in interiora transmissum, & per universa corporis spatia diffusum, simulque divinæ inspiratione densatum, omni intus linea expressum esse, quam densatum impleverat, & velut in forma gelasse. Inde igitur & corpulentia animæ ex densatione solidata est, & effigies expressione formata. Hic erit homo interior, alius exterior dupliciter unus; habens & ille oculos & aures suas, quibus populus Dominum audire & videre debuerat, habens & cæteros artus, per quos & in cogitatibus utitur, & in somniis fungitur. Sic & Diviti apud inferos Lingua est, & pauperi digitus & sinus *Abrahæ*. Per has lineas & Animæ Martyrum sub Altari intelliguntur. A primordio enim, & in *Adam* concreta & configurata corpori Anima ut totius substantiæ; ita & conditionis istius semen existit. *Hæc Sanctus ille Afer.* Ut vero de corporeitate Animæ se explicaret paulo ante *(p. 645.)* disseruit. Inscribimus, *ait*, his corporales lineas, non tam ex fiducia corporalitatis per æstimationem, verum & ex constantia per revelationem. Et hæc quidem an vere, qui hæc sacra tractant, judicent. Anno 1633. vidit *J. B. Helmont. (tr. imago DEI p. 474.)*. Animam suam invisione. Erat plus quam lux in figura humana, cujus totum erat homogeneum active cernens substantia spiritualis crystallina & lucens. Continebatur autem in altera nubilosa parte tanquam sui siliqua, quæ an splendorem ex se faceret vix potuit discernere propter splendorem superlativum Spiritus Crystallini intus contenti.

§. 58.

Unicuique homini propriam à DEO animam datam esse, ita ut etiam post mor-

mortem non minus diſtingvi animæ poſſint aliæ ab aliis propriisque & peculiaribus, notis ſecerni ſolutæ à corporibus, quam qvum iis indatæ erant, *Irenæus Martyr.* (*l.2. c. 63.*) voluit. Quod certe exacta *J. C. Danhaueri* ſententia (*Chriſteid. Act. 1. Th. 1. p. 378.*) Verum eſt. Niſi enim anima Judæ diſcerneretur ab anima Petri, anima Lazari ab anima divitis epulonis, non dignoſceretur diverſa utriusque conditio. Si vero ex aliquo corpore decedens in aliud corpus migraret, ut Fanatici aſſerebant, nihilo magis hujus quam illius anima dici poſſet? Ergo decedens ex hac vita habebit proprium characterem, ita ut illius, cujus ante fuit, etiam poſtea eſſe ſciatur. Quod igitur vocat *Irenæus* eundem characterem corporis, ne tamen putemus corporeum, ſed ad totum hominem, hoc eſt, ad individuum ipſum, cujus charactere anima etiam poſt mortem inſignetur, referamus, monet *idem* (*c. l. p. 329.*) *Add.* (*in h. l.*) *Gallaſ.*

§. 59.

Forma humana aliquando majore apparere *à Joh. Fileſacco (tr. de Idolol. Mag. f. 32.)* notatum invenio, qui in ſacris ad Gigantes abire idem eſſe ac ad mortuos (*ib. f. 33.*) ſubjicit. Forſan etiam mortui ſive Manes Rephaim apud *Joh. Gorop. Becan.* (*l. 2. Orig. Antwerp.* (*p. 170.*) audiunt, & de propudioſa muliere in ſacris dicitur (*Prov. 11. v. 8.*) ſemitæ ipſius ad Gigantes, quod de mortuis & inferis explicat *Gregor. Michaël.* (*in not. ad Gaffarell. curioſ. inaudit. n. 53. p. 248.*) Firmare illud poſſet *Virgilii* (*l. 2. Æneid. v. 772.*) locus

Infelix ſimulacrum, atque ipſius umbra Creuſæ
Viſa mihi ante oculos, & nota major imago.

Umbra major corpore commentatur (*in h. l. p. 308.*) *Servius.* De *Romuli* poſt mortem apparentis figura *Ovid.* (*l. 2. Faſtor. v. 52.*)

Pulcher, & humano major.

Divum Julium C. Caſſius in acie Philippenſi ardentisſimo animo perſtans vidit humano habitu auguſtiorem, purpureo paludamento amictum, quod commemorat *Valer. Maxim.* (*l. 1. Memorab. c. 8. §. 8. p. 44.*) Plura *Joh. Fileſacc.* (*c. l. §. 5. f. 32.*) An ideò deformes animas dixerit *Ovid.* (*c. l.*)?

Perque vias urbis latosque ululare per agros
Deformes animas vulgus inane ferunt.

Sed & Deorum corpora celſiora humanis apparuiſſe dicuntur Poëtis vid. *Caſp. Barth.* (*Anim. ad. l. 1. Stat. Sylv. 2. v. 115. p. 68.*) Habitum conſuetum etiam corporis ſive veſtitum in ſimul repræſentaſſe Spectrum Endoreum *S. S.* (*1. Reg. c. 28. v. 13.*) prodidit. Dixerat Pythoniſſæ Rex: Qualis eſt forma ejus? quæ ait: Vir ſenex aſcendit, & ipſe amictus eſt pallio. Et intellexit *Saul*, quod *Samuel* eſſet.

esset. Aliud vestitus genus legitur beatis concessum ut vestes albæ, stolæ candidæ.

§. 60.

Sunt qui animas extra corpora, alia quam humana forma, se vidisse perhibent. *Semiramidis* Anima columbæ specie apparuit, quin & totam Semiramidem in columbam versam putabant Syri, columbam ut Deam colentes immortalem Reginam arbitrati, quod è *Lucian.* (*de Dea Syria T. 2. oper. p. 662.*) & *Diodor. Sicul.* (*l. 2. Bibliothec. c. 5.*) patescit. De *Eulaliæ* Anima idem *Marc. Marulus.* (*l. 6. Exempl. c. 16. p. m. 685.*) Animam *Jacobi Clementis* quatuor Angeli habitu candido, specie columbæ, in cœlum efferebant, *teste Mich. Kophan.* (*Narrat. rei admirand. ad Poson. gest. de Spiritu quodam c. 5. p. 35.*) quam relationem peculiari Exercitatione examinavit & confodit *Gisbert. Voët.* (*vid. p. 1. Dissert. select. in fine*) *Aristei* Anima visa evolans in Proconveso corvi effigie è *Plinio* (*l. 7. c. 52.*) & *Nicol. Leonicen. Thomæo.* (*l. 3. var. histor. c. 105. p. 384.*) constat. Anima *Gontrami s. Guntrami* (*Guntianum Regem* habet *Joh. Wier. l. 1. de præstig. Dæmon. c. 12. p. 74.*) *Regis Burgundiæ* sub specie animalculi dormienti per os egressa (*octav. Struda in Symbol. Pontif. Imp. Reg. f. 140*) Spiritus damnatorum in Aves mutari *Sandys narrat* (*l. 4. Itinerar. p. 573.*) Ita Luscinia adjurata profitebatur se esse alicujus damnati Animam, quod *Strozz. Ligogna* (*p. 1. Multif. Mag. l. 3. c. 5. p. 343.*) recensuit. Sagarum Animas instar Muscæ igneæ apparere, olim me legisse adhuc recordor. In consecratione fœminarum earum. Animæ aliquando Pavone in cœlum vehi ex antiquis Numis probat *Joh. Kirchmann.* (*l. 4. de Funer. Roman. c. 13. p. 429.*) Add. *Joh. Pier. Valerian.* (*l. 24. Hieroglyph. c. 9. p. 285.*) Ita & virorum fortium Animabus Aquilæ id præstabant, vulgusque has Aves ipsas esse consecratorum Animas non semel opinabatur. Accipiter etiam olim Hieroglyphico argumento Ægyptiis Animam denotabat comprimis quod aquam non bibat, sed sangvinem, quo & connutriri Animam putabant. Vid. *Cœl. Rhodigin.* (*l. 4. lect. Antiqv. c. 16. col. 203.*)

§. 61.

Defuncti hominis Animam apud Ægyptios etiam stellam exprimere *Joh. Pier. Valerian.* (*l. 44. Hierogl. c. 35. p. 565.*) suis inseruit, & animam esse scintillam stellarum essentiæ *Heraclitus Physicus ap. Macrob.* (*l. 1. in Somn. Scipion. c. 14. p. 19.*) autumavit. Defunctorum Animas aëre discusso tanquam bullas ardentes sursum levari, quibus intrepide ac omni deposita mole disruptis humana emersit forma, visas, *Plutarch.* (*l. de Ser. Num. vindict. f. m. 201. b.*) *pro-*

fes-

fessus est. Animam instar Sphæræ igneæ concepit *devotus Bernhard.* (*Comment. in Ps. 91.*) *S. Emeranus* in viridi cespite animam egit, quæ ipsa radians more sideris illata cœlo spectantium oculos perstrinxit, animosque sacro horrore perfudit. *Evolo. Andr. Brunner. (p. 1. Anal. Bojor. l. 5. p. 603.)*

§. 62.

Corpora & involucra aëria assumere Animas, ut cernantur, ex mente Aliorum (*c. l. §. 9.*) scripsit *Wouwer.*, & in eandem secedit sententiam *Casp. Schott.* (*l. 2. Phys. Curios. p. 4. c. 29. §. 1. p. 313. & c. 32. §. 3. p. 321. sq.*) ita innumeros Deos Jovis custodes mortalium hominum Aërem indutos in terra esse cecinit *Hesiod.* (*l. 1. Oper. & dier. v. 250. sq.*) qui & justitiam Aërem indutam paulo ante introduxerat.

§. 63.

Aliam sententiam in Theatrum eduxit *Emanuel. Magnanus* (*Philos. Natural. c. 33. prop. ult. n. 31.*) dum profitetur: Anima separata, ut & Angelus, ut dent se in conspectum nostrum minime egebunt, (ut vulgo putatur) compingere sibi & coaptare corpus aëreum tali modo compactum & constipatum, figuratum, ut colorem habeat & figuram & duritiem & pondus ejus corporis, in cujus specie optant apparere: sed ut visui se exhibent, sufficiet eis (quod est longè facilius & expeditius) si illa ipsa vi, qua putantur compingere, formare, movere &c. corpus illud aëreum, lucem incidentem refringant & reflectant ad oraculum eadem mensura, & eodem modo, quo eam refringeret & reflecteret, si adesset corpus illud, cujus in specie volunt apparere. Et similiter, ut auditui se offerant, sufficiet, si aërem velut ex arte, nempe imitando Naturam eodem modo pellant, ac verberent, quo eum pelleret ac verberaret, si adesset res corporea sonora; cujus imitari cupiunt sonum. Sic enim aër verberatus motum illum ab immateriali substantia receptum communicabit tympano auris, & consequenter hæc percipiet sonum omnino similem ei, quem ederet vel edere solet res illa corporea; & ita substantiam immaterialem percipiet auris sub specie talis rei sonoræ. Et sic de aliis sensibus. Atque ut vides hac ante potest facillime Angelus vel Anima darese in conspectum unius, & se occultare alteri: quod sane esset illis impossibile in eo aëreo, ut putant, involucro assumti corporis: hujusmodi enim corpus, quantum est de se omnibus indifferenter & æquè daret species sui: *Hæc ille.*

§. 64.

Præterea omne corpus Animæ congruere statuit *ap. Æneam Gazæum* (*de immortal. Anim. p. 46.*) *Theophrast.* Inde *Axitheus* ex ejusdem sententia: si cœlum

lum pertransierit cœleste assumet corpus; si astra astrorum simile; ætherem æthereum implicabit; quod si in aërem descendit, aëreum circumducet; si in terram terrestri conjungetur. Si itaque cœteris tam facile Elementis jungitur, quid vetat si ignem incidat, igneo circumluceri corpore, si marinis obruatur fluctibus aquatile inde corpus adhauriat.

§. 65.

Hominum Animas, quos ἀυτοχειρία multaverat, ut suspendio suffocatione in Aquis, præcipitatione è sublimi factum præcipitarent aut alios occiderent, aut etiam DEO relicto in Satanæ servitia venirent, vagari in terris, infernalique ministerio vacare in diem judicii usque fuere, qui *Theoph. Paracel. teste* (*de occult. Philos. c.5.p.50. & c. 7.p.71.*) proderent. Quod animæ post mortem in Dæmones transeant ex Platonicorum mente disseruit *Max. Tyrius* (*Orat. 27.*) Id vero *Platoni* potius contrariari demonstrat *Georg. Wonna* (*Exerc. de Geniis 2.c.2.§.6.*) opinati etiam è Gentilibus quidam infortunatorum aut sontium animas à morte in Cacodæmones mutari. Placere id adhuc Indis è *Petro della Valle* (*p.4. Itinerar. Epist.1.p.30.*) patet. Quosdam id insuper voluisse è Judæis è *Josepho* (*l.7. de Bell. Judaic. c.33.*) demonstrat *Gisbert. Voët.* (*p.1. Disp. Select. de Energ. Probl. 2.p.1036.*) Imo & Christianis, ubi citat *Athenagoram* statuentem Gigantum defunctorum animas, quorum quidem (*Genes. 6.v.1.*) fit mentio in Dæmones esse transformatos, cui & *Justin. Martyr.* (*Apolog. 2.*) junxit. Nec id displicuisse videtur *Joh. Bodin.* (*l.4. Theatr. Natur. p.537.*) Hanc autem persvasionem Christianorum doctrinæ invexerunt Hæretici & Hæresiarchæ *Casp. Barth.* (*Animad. ad l.1. Thebaid. Stat. v.300.p.89.*) conjectura. Spiritum s. Spectrum illud in monte Silesiorum Giganteo, *Rübzahl* vocatum, Spiritum esse Monachi Itali Chemici & Nigromantæ peritissimi *Roncevale* aliqui asseruerunt *ap. Joh. Prætor.* (*p.1. Dæmonolog. Rübenzahl. p.182.*) Has animas seu Dæmones intrare & possidere corpora illorum, quos Emergumenos vocamus, contenderunt quidam, quod patet è *Casp. Schott.* (*c.l. l.4.c.3.§.1.p.597.*) quos in simul (*§.2.p.600.*) oppugnare aggressus est.

§. 66.

Quod si ita contingeret, nulli dubitamus qui monstrosa specie animæ sint apparituræ, cum Cacodæmonum apparitio monstrosas & brutales asciscat figuras, quod probare nititur *Laudatus Schottus* (*l.2.part.4.c.34.§.1.p.337.*) qui facies Martinellorum (ita vocant Sagæ sibi adjunctos Diabolos) secundum Sagarum confessionem è *Nic. Remigio* (*l.1. Dæmonol. c.7.p.35. edit. german.*) his depingit: Facies esse obscuras & atras; Lumina penitus abdita & instar

flamma

flamma micantia; oris rictus ſparſos, profundos, ac perpetuo olidi ſulphureique aliquid æſtuantes; manus ſtrigoſas, & villis atque hamis deformes, pedes corneos & bifidos, ſtaturam nunquam juſtam, ſed aut brevitate, aut vaſtitate ſemper aliqua inſolentem. Hera & Temeſſa urbes fuere, in iis Genius, quem ejecit *Euthymus*. Colore is fuit vehementer atro, omnique cætera ſpecie formidabili, amictus lupi pellis erat, *Libantem* nomine literæ produnt. *Vid. Pauſan.* (*in Eliac. poſt. ſ. l. 6. c. 6. p. m. 468.*)

§. 67.

Animarum Cœlis aſcriptarum alia longè eſt facies, cum prono ac lucido habitu præcingantur, ſi materia ſoluta, & nullis perturbationibus infeſtatæ diſceſſerint, ut iterum *Wouwer.* (*c. l. c. 26. p. 114.*) loqui amat. Nec purgatæ excludendæ, juxta *ſupra* (*§. 40.*) adducta, cum purgatione labes ipſis eximatur, ſuoque reddantur ſplendori, *Plutarch.* (*l. de Ser. Num. Vindict. p. 327.*) id vero nemo miretur. Igneæ namque ſubſtantiæ, aut fervidus Spiritus Animæ habitæ Gentilibus, quod Stoicis placuit, & *Zenoni Cicer.* (*l. 1. Quæſt. Tuſcul. f. 152.*). *Hippard. Macrob.* (*l. c. c. 14. p. 59.*) tribuit. Conf *Ariſtot.* (*l. 1. de Anim. c. 2. & h. l. Tit. præced.* §. *14.*). Adeò crevit hæc de Animæ igne ap. mortales opinio (*è Joh. de Nünalt. de Lycanthrop. c. 3.*), annotat *Th. Bartholin.* (*l. 1. de Luc. c. 23. p. 212.*), ut etiam Sagæ prædicent Animam muſcæ ignitæ è corpore ſopito evolare & ad remotiora loca delatam omnium rerum abſentium afferre cognitionem (*vid. §. 59. & l. h. Tit. 9.* § *14.*). Φῶς inde dictus homo, juxta *Cornel. à Lapid.* (*in l. Sapient. c. 2. v. 3. p. 37.*) & Lychnus, vitæ Symbolum *Joh. Gorop. Becan. l. 15. Hieroglyph. p. 344.*). Ignis cum anima ſimilitudinem exhibet *Petr. Gaſſend.* (*Phyſiol. Epicur. p. 512.*)

§. 68.

Cave verò de Igne Elementari (quamvis non deſint, qui huic faveant,) hanc theſin interpreteris. Scintillam ſtellaris Eſſentiæ vocat eandem *Heraclit.* (*c. l. ap. Macrob.*)

Diſce orbis quid quisque ſibi, cum conderet artus
Noſtros, æthereis miſcens terrena Prometheus
Sinceram patri mentem furatus Olympo
Continuit clauſtris, indignantemque revinxit.

(*Claudian. de 4. Conſul. Honor. v. 228*) clare *Quintil.* (*declamat. 10. p. m. 164. ſq.*): Animam flammei vigoris impetum perennitatemque non ex noſtro ſumere igni, ſed quo ſidera volant & quo ſacri torquentur axes, inde venire, unde rerum omnium autorem parentemque ducimus ſpiritum, nec interire nec ſolvi, nec ul-

lo effici mortalitatis fato. Omnium clarissime *Cicer.* (*in Somn. Scipion.*) Hominibus animus datus est ex sempiternis illis ignibus, quæ sidera & stellam vocatis. E cœlesti spiritu descendere, dictitavit *Senec.* (*Consolat. ad Helvid. c. 6. p. m. 219.*) Solem, animarum fontem Alii agnoverunt, imo avulsionem Deorum & Ætheris partem detractam Animam nuncuparunt, quod *ap. Th. Bartholin.* (*c. l. p. 202. & 205.*) *legitur.* Quare & *Juvenal.* (*Satyr. 6.*)

Sensum à cœlesti demissum traximus arce.

Et φυτὸν οὐράνιον ἄνθρωπος, *Clem. Alexandr.* (*Admonit. ad Gentes p. 47.*)

§. 69.

Advertit autem *Barth.* (*Animadv. ad l. 2. Thebaid. Stat. v. 63. p. 286.*) *cum Hirocle & Pythagoricis* eos demum divino genere æstimandos esse, qui Sapientia animum excolere velint. Heroas esse separatos sapientum Animas. *Diog. Laërt.* (*l. 2. de Vit. Philos. in Zenon. p. m. 531.*). *Plutarch.* (*in Romul. p. 61.*) & has animas solum sidera artus sui principia repetere *è Manil.* (*l. 1. Astronom. c. 9. v. 93.*) *patescit:*

Fortes animæ, dignataque nomina Cœlo
Corporibus resoluta suis, terræque remissa,
Huc migrant ex Orbe, suumque habitantia Cœlum
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur.

E Silio Italico (*l. 15. v. 77.*)

At queis ætherei servatur seminis ortus
Cœli porta patet.

Cremata ideo ap. Romanos Cadavera, non tamen, ut iterum advertit *Casp. Barth.* (*c. l. p. 167.*), quod Animæ non alia ratione à corporibus circumvolitandis abspelli possent, sed quod hac ratione Animæ vinculo corporis liberatæ suo principio redderentur propinquiores.

§. 70.

Mortem seu suffocationem in undis abominabantur veteres quam maxime. Viri comprimis fortes & Heroës detestabantur id mortis genus, quibus pulcherrimum semper fuit inter experimenta virtutis in acie oppetere. Declarat id *Achillis ap. Homer.* (*Iliad. 21. v. 278.*) oratio.

Nunc me in gloria morte fato decretum est corripi
Oppressum in magno fluento tanquam puerum subulcum.

Expressit *Homer. Papin. Statius* (*l. 9. Thebaid. v. 506.*) quando *Hippomedon* exclamat:

Flu-

Fluvione (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? segnesque lacus & stagna subibo
Ceu pecoris custos, subiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeone accumbere ferro
Non merui.

Mortis genus pessimum, putat *Homerus*, quod in aquis accidit, cum nunquam alias τὸ ἐξαπόλεσθαι (funditus perdi) adhibeat, discurrit *Job. Dan. Horst.* (*p. 1. Man. ad Med. c. 2. s. 1. Art. 1.* §. *8. p. 132.*). Quomodo vero λευγάλεος θάνατος in Latio exprimendus, varia collegit *superioris seculi nobilis Polyhistor, Jacob. Thomas. Praeceptor grata mente adhuc colendus* (*Exerc. Philos. de Morte in undis contr. Serv. & Synes.* §. *20. in Schol.*). Turpi exitu tales vitam finire, *ap. Petron.* (*Satyr. p. m. 124.*) *Emolpus* exclamabat. Sed & vulgum & Philosophos, quidni & Heroës prætereà movit ratio, ut mortem hujusmodi modo devitare conarentur. Scilicet animas igneas esse, in mentem veniebat, adeoque undatum impetu extingui.

Non lethum timeo, genus est miserabile lethi,
Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Ovidius (*l. 1. Trist. Eleg. 2. v. 51.*) precatur, ad quem locum sequentia (*p. 548.*) *Vit. Amersbach.* notavit. Loquitur, *scribit*, ad eorum Philosophorum opinionem, (inter quos *Servius ad l. 1. Æneid. v. 47. p. 161. & Sines. Epist. 4.* quibus adde *l. h. Tit. 9.* §. *14.* prolata,) qui putabant animam esse quiddam igneum; aqua vero cum sit plane contrarium, sic afficeret subitam & violentam mortem, atq; ob id miserrimam. Milites idcirco ante naufragium, ne perirent, statuebant necem manu sua sibi consciscere, ut animam in aërem efflarent, *è Synes.* (*c. l.*) recitat *Joh. Henric. Ursin.* (*p. 2. Analect. Sacr. n. 16. p. 188.*). Aliis vim aquæ non valere penetrare & per eam ad cœlestia eniti animas, persuasio erat ex illo *Statii* (*l. 9. Thebaid. v. 265.*):

Efflantesque animas retro premit obvius amnis.

Quod etiam *ad Eundem* observavit (*in h. l. p. 977.*) *Casp. Barth.* Fuisse è Stoicis, ut & hoc inseram, qui animas crederent aboleri & extingui, si pondere aut mole magna v. g. Terra, Turri &c. una cum corpore obruantur, *Just. Lipsius* (*l. 3. Physiol. Stoic. Diss. 11. p. 990.*) recensuit, quod quidem *accuratissimo Philosopho Thomasio* (*c. l.* §. *18.*) non placuit, neque *Lipsio* (*c. l. p. 991.*) ratiocinanti: Mira sententia, sed cui origo à scito, quod anima sit corpus, itaque pati eadem, quæ corpus, & affligi, ac dissipari, solvi.

§. 71.

Superis debemus omnia, commentatur (*ad Virgil. l. 11. Æneid. v. 51. p. 836.*) *Servius*, donec vivimus ideo, quia, ut dicunt Physici, cum nasci cœperimus, sortimur à sole spiritum, à Luna corpus, à Marte sanguinem, à Mercurio ingenium, à Jove desiderium, à Venere cupiditates, à Saturno humorem, quæ omnia singulis reddere videmur extincti: Negare virtutem, & divinitatis participem esse, impium simul atque ingenerosum est: terram vero admiscere Cœlo, stultum, judicat *Plutarch.* (*T. 1. vit. Paral. in Rom. p. 60*). Id igitur potius tenendum, quod est tutius, *pergit*, sentiendumque *cum Pindar.* (qui locus *teste Guilielm. Xylandr. annot. in h. l. p. 71.* non extat in iis, quas hodie ejus habemus reliquiis,) qui ita scribit:

Corpus omnium rapitur mortis violentia,
Vivit adhuc imago seculi, unica à Diis
Orta quod est, & inde venit, utque illuc redit.

Non id profecto cum corpore, sed cum maxime à corpore fuerit liberata, secretaque, totaque pura, carnis expersque & casta reddita. Is enim est animus (*ut Heraclitus*) censebat, siccus, eoque optimus, qui

Per corpus ut per nubes fulmen evolat.

Contra animus cum corpore commixtus, eoque oppletus, tanquam gravis, & caliginosa quædam exhalatio, difficulter accendi in sublimeque efferi potest. Quare nihil attinet, Corpora præstantium mortalium, contra quam eorum natura ferat, una cum animo in cœlum attollere. Sed ita statuendum est, virtutes & animos eorum utique suapte natura divinaque conditione id habere, ut ex hominibus in Heroës; ex his in Genios; atque ex iisdem tandem, cum quasi in mysteriorum initiatione protinus lustrati ac consecrati, omne quod morti erat atque affectionibus aliis obnoxium effugerint, in Deos transire, præstantissimum atque beatissimum finem consecutos, neque id decreto urbis alicujus, sed revera, & consentanea ratione fieri. *Hac Plutarchus.*

§. 72.

E sideribus Animæ & ad eadem recurrunt, singulisque animabus singula astra ascribebat *Plato. Vid. Casp. Barth. (Animadv. in Claud. l. 2. v. 2. in Ruffin. p. 1189).* Sub Luna habitacula his equidem assignarunt Stoici *vid. Greg. Tholazan* (*l. 23. Syntagm. Art. mirab. c. 11. p. 160.*); ad Lunam autem tendere, ut in illam resolvantur, ut corpus in terram. (*Plutarch. de Fac. in Orb. Luna p. m. 474.*). Inde cœlum & terram terrestri hac permutare vita animas, dixit (*l. de Exil. p. m. 174.*) *Idem.* Audire juvabit *disertum Patrem Tertullian.* (*l. de*

de Anim. c. 54.) Apud Platon. in Ætherem ſublimantur Animæ ſapientes; *apud Arium* in Aërem; *Apud Stoicos* ſub lunam. Et iterum in Æthere dormitio noſtra *cum Platone*; aut circa Lunam *cum Endymionibus* Stoicorum. Add. *Juſt. Lipſ. (l. 3. Phyſiol. Stoic. Diſſ. 14. p. 995.)*: Animas in Luna habitare, adhuc credunt Indiarum incolæ, de quibus *Chriſtoph. Arnold.* (*Zugaben zu Rogers Eröffnetes Heidenthum. p. 715.*). Interim non ſemper in Luna morari genios, ſed & aliquando in terram deſcendere, *Plutarch.* (*l. de Fac. in orb. Lun. p. 473.*) ſententia eſt. Ut nempe oracula procurent, & ſupremis adſint orgiis atque ſacrificiis, puniant flagitia, ſalutaresque in bellis & mari affulgeant.

§. 73.

Serapion, (in verſibus, teſte Clement. Alexandr. l. 1. Stromat. p. 273.) Sibyllæ vatis Animam exiſtimabat eam eſſe faciem, quæ apparet in Luna. *Petro vero Petito (l. 2. de Sibyll. c. 13. p. 257.)* ex laxiorum partium cum ſpiſſioribus diſpoſitione & contextu facies iſta in globo Lunæ emerſiſſe videtur, quam illi priſci ſapientes Sibyllinæ proprietatis ſymbolum atque imagines eſſe voluerunt. Quo ſimilitudinis fundamento, *iſte* pluribus (*c. l.*) explicare annisus eſt.

§. 74.

Manes, Manichæorum parens, finxit (*recenſente id B. Dn. D. Joh. Adam. Scherzero program. 5. p. 44.*): DEUM pro ſalvandis Animabus feciſſe machinam duodecim habentem cados, quæ à cœleſti Sphæra circumrotata morientium exhaurit Animas, quas magnum Cœli luminare radiis ſuis poſtmodum repurget, purgataſque exhibeat Lunæ, poſtquam ita animabus fuerit repleta, in ſubſolanum trajecturæ iisdem nobiliſſimis mercibus ſe exoneraturæ. Inde eſſe, deliravit porro, Luna uti aſſumtione Animarum creſcat, decreſcatque earum depletione.

§. 75.

Motus hac perſuaſione *Lucanus* de Anima Pompeji (*l. 9. v. 1.*) *ſequentia* cecinit:

At non in Pharia manes jacuere favilla,
Et cinis exiguus tantam compeſcuit umbram,
Praſilii buſto, ſemiuſtaque membra relinquens
Degeneremque rogum ſequitur convexa tonantis,
Qua niger aſtriferis connectitur axibus aër,
Quodque patet terras inter, Lunæque meatus,
Semidei manes habitant, quos ignea virtus

Fecit, & æternos animam collegit in orbes.
Non illuc auro positi, nec thure sepulti
Perveniunt, illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratur & Astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.

§. 76.

Neque tantum in sidera proprias redire animas, sed & in sidera nova mutari easdem, affini ἀποθεώσεως figmento gentiles divulgarunt. Evenit inde, ut astra & stellas æthereas animas vocaret *Varro* (*l. 16. Rer. divin. ap. D. Augustin. l. 7. de Civit. DEI c. 6. p. m. 384.*). Imperatorum etiam hæc post fata gloria, scribit *Th. Bartholin.* (*l. 1. de Luc. c. 23. p. 206.*), quorum Animæ cœlestes mortalium factis illustratæ in sidera considebant.

§. 77.

Theodorum introduxit *Joh. Bodin.* (*l. 2. Theatr. Nat. p. 221.*) existimantem, cometas esse illustrium virorum mentes, quæ posteaquam innumerabilibus seculis viguerunt in terris, tandem abituræ, ut omnia, quæ oriuntur, occasum minentur, extremos peragunt triumphos, aut in cœlum stellatum quasi splendida sidera revocantur. Et *alibi* (*l. 4. p. 535.*): Ego semper existimavi animarum eandem esse figuram, quæ solis, Lunæ, Stellarum: hæc enim sola figura omnes alias eosdem ambitu superat, & quæ nihil habet asperitatis, nihil angustis incisum, nihil anfractibus involutum, nihil eminens, nihil lacunosum, & inter corpora perfecta perfectissimum. Quod enim claris ac præstantibus viris pollicetur *Daniel.* (*c. 12 v. 48.*), fore sicut stellas in Cœlo, satis significat, qualis sit figura immortalium animorum.

§. 78.

De *Julii Cæsaris* Anima in stellam crinitam compacta, ista *Ovid.* (*l. 15. Metamorph. v. 843.*)

Vix ea factus erat media cum sede Senatus,
Constitit alma Venus nulli cernenda, suique
Cæsaris eripuit membris, nec in aëre solvi
Passa recentem Animam, cœlestibus intulit astris.
Dumque tulit lumen capere atque ignescere sensit,
Emisitque simul; simul evolat altius illa
Flammiferumque trahens spatioso limite crimen
Stella micat, natique videns benefacta fatetur
Esse suis majora, & vinci gaudet ab illo.

Et

Et *Sueton.* (*in Vit. Jul. Cæsar. c. 58. p. 39.*) : In Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primò consecratos ei hæres *Augustus* edebat, Stella crinita per septem dies continuo fulsit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque est, animam esse *Cæsaris* in Cœlum recepti, & hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella. *Add. Plin.* (*l. 2. c. 25.*) & quæ *in Suetoni Locum commentatur Isaac. Casaubon.* (*p. m. 117.*)

§. 79.

Non ita pridem (*declamat J. C. Dannhauer. p. 1. Homil. Sacr. 3. p. 109.*) nebulosus ex Icaria Poëta cum *Neo-Achilli suo Tillio* ad Lycum peremto parentasset, hoc voto carmen obsignat:

Ipse precor pro sole micet, nobisque coruscus
Affluat, & lætus, contra hosti sævus & asper,
Funereum rutilet, fiatque à morte Cometes.

Trahit huc illud *Horatii* (*l. 1. Carm. Od. 2*) ad *Augustum Cæsarem*:

Serus in Cœlum redeas.

Henric. Kipping. (*l. 3. instit. Phys. c. 8. n. 18. p. 74.*) atque hoc argumento fuit *Gerh. Joh. Fossio* (*l. 3. Idolol. c. 9. p. 774.*): Cometas habitos fuisse Ethnicis pro Diis.

§. 80.

Stella illa nova, (quamvis eandem non novam, sed veterem fuisse *Thad. Hagecius in Dialex.* ostendere conatus sit,) quæ Anno, quo

NoVuM sIDVs fVLsIt, & LVtetIa sVos DeVoraVIt,

Anno nempe 1572. ab octavo Decembr. usque ad principium Anni 1574 forma & luce similis Jovi (Veneri posuit *Ægid. Strauch. Astrognos. s. 1. Aph. 148. p. 80.*) in Cassiopœæ sidere (*Vid. J. A. Thuan. l. 54. Hist. p. m. 1535.*) luxit, multum negotii Astrologis fecit. Hæc pro *Admiralis Colignii* in infami cæde Parisiensi crudeliter trucidati Anima à quibusdam, *testimonio Dannhaueri* (*c. l.*), habita. Vocata ideo fuit stella admiralia, ut *Th. Hartmann.* (*in Spec. Comet. p. 2.*) & ex hoc *Henric. Kormann.* (*p. 5. de Mir. Mort. c. 172.*) commemorat. Stellæ Magorum hanc comparabat & clarissimum veritatis Christianæ jubar significasse affirmabat (*l. 2. Sacr. Fatid. c. 6. p. 115.*) *Edo Neuhusius*, eamque non multum à sidere Magorum differre, *ante Neuhusium arbitratus est* (*l. 2. Cosmocrit. c. 3. p. 132.*) *Cornel. Gemma*, eo ipso etiam admirabilis, quod in ejus exortu *Joh. Sigismundus IX. Elector Brandenburgicus* lucem hanc primum *à Joh. Cernitio* (*in Vit. Ejus p. 92.*) aspexisse *notetur*. Plura qui de hac Stella legere exoptat, *Joh. Bapt.* Ric-

Ricciol. (*Almgest. Nov. T. 1. p. 2. l. 8. s. 2. c. 2. p. 133. & seq.*) evolvere non dedignetur.

§. 81.

Pro *Petri Rami* Anima in maledicta illa Cæde Parisiensi miserimè trucidati (*Vid. supra l. 1. Tit. 8. §. 31.*) genio Poëtico ductus, stellam illam habuit *Thom. Freigius*, quod *sequenti Epigrammate* (*Rami Ciceroniano præfixo*) non obscure innuit:

Cur stellam veterum visam non mirer in ævo,
Qua partes cœli Cassiopea tenet?
Ramus, qui Cœlum certa modo condidit arte
A superis meruit tale referre decus.

Eò etiam allusisse suspicor *Justum Vultejum Epigrammate in P. Ramum* (*quod allegatur T. 1. Snellio-Ramei Philos. Syntagm. p. 2. p. 276.*)

Aureus æthereæ succisus ab arbore Ramus,
Fulget ab ætherea, jam nova stella, domo.

§. 82.

Asterismo illo Boreali, cui Aquila nomen dedit, quidam è Recentioribus, quod *Ægid. Strauch.* (*c. l. Aph. 157. p. 92.*) observavit, Animam *Platonis* notari finxerunt, quod è *Græco translatum Epigramma*, sive aliud *Antipatri*, sive *Speusippi* sit, de quo *Joh. Valerian. Pier.* (*l. 19. Hieroglyph. c. 17. p. 233.*) idque tumulo *Platonis* inscriptum inculat:

Cur Aquila ad tumulum hunc volitas, dic nunquid ab Astris
Hic habitare DEUM forte aliquem intuita es?
Immo Anima extincti divi Platonis, Olympum
Quæ colo; sed corpus terrigenum Attica habet.

§. 83.

Debent hoc decretum Romani Ægyptiis, quibus stella hieroglyphicum DEI, & lamella aurea in modum stellæ facta loci inaugurati signum fuit, quod ad *Jac. Gafferelli Curios. inaud. ut vocat*, excerptas tamen ex Aliis, quod ipse contextus probat *Greg. Michaël. (not. 38. p. 191.) annotavit*, cui adjunge *Dionys. Vossium (in not. ad. Maimonid. de Idol. p. 2.)*. Deorum, qui non ingeniti, neque immortales sunt, reliquias exanimatos Gentiles colere; Animos vero eorum in Cœlo refulgere sidera, nuncuparique Græcis Isidis stellam caniculæ, Sothin ab Ægyptiis Hori orionem, Typhonis sidus ursum, *Plutarch. l. de Isid. & Osyrid. p. m. 92.*) *autor est.*

§. 84.

§. 84.

Quando igitur *Joh. Bodin.* ſupra allegatam de Cometarum ortu ſententiam propoſuit, è lacunis his Ethnicis eandem hauſit. Exculpare quidem Eundem voluit *Joh. Henric. Urſin. (in Jerem. Virg. Vigilant.* §. *46. p. 40.)*, quod non ipſe id in medium attulerit, ſed *Theodorum* opinantem induxerit, id vero Eundem errorem hunc caute palliare ſtudiſſe opinor, cum *Theodoro Myſtagogus* ſatis frigide (*p. 222.*) regerat; De rebus tam arduis nil temere eſſe affirmandum.

§. 85.

Cenſuram igitur & animadverſionem doctorum virorum incurrit, v. g. è Theologis *Joh. Conr. Dannhauer.* (*c. l. p. 111.*) *Joh. Olear.* (*Mantic. Comet. c. 1.* §. *3. n. 8.*) *Gerh. Joh. Voſſii* (*c. l.*). E Medicis *Joh. Jonſtoni.* (*l. 3. Thaumatogr. Nat. c. 2. art. 1. p. 99.*). Ex Aſtronomis *Franciſ. Reſtæ (l. 1. Meteor. tr. 1. c. 1.)* & *Joh. Baptiſtæ Riccioli* (*T. 1. Almageſt. nov. p. 2. l. 8. ſ. 1. c. 6. p. 39.*), E Phyſicis, *Libert. Frommondi* (*l. 3. Meteor. c. 2. art. 2. p. 131.*), quorum verbis hanc commentatiunculam obſigno. Vide, *Frommondus exclamat*, Politici ſtultitiam. Noli iraſci, & ride mecum, Lector! hunc Philoſophum Rabbinicum & Peripathetico-Maſtigem. Puduit ſanè inter opiniones quoquo modo probabiles (de Cometis) cenſere *Bodini*, *Democrito* auſcultantis, deliramenta, pronunciat *Joh. B. Ricciolus* (*c. l.*). Et profecto, unde *Democrito* (*quærit*) hanc imponit ſtultitiam? An quia *Democritus* putavit, Cometas eſſe cœleſtia corpora, & ſtellas nobis ignotas? Quænam vero ſunt illa innumerabilia ſecula, quibus vixere Heroës? Arma hæc ex tranſmigratione Pythagorica, & μετεμψυχώσει illa toties damnata Catholicis hauſta ſunt? Deinde quomodo Cometæ ſunt Animæ illuſtrium virorum jam mortuorum? ſi communior conſenſus ſapientum eſt eos præfulgere per aliquot dies, vel menſes morti virorum illuſtrium? An ſibi præmoriuntur? & bis Cometæ fiunt, ut ſint interitus ſui ſimul Luciferi & Heſperi? *At Sueton. & Plin. teſtibus*, *Auguſtus* exortum ſuo tempore Cometam *Julium Cæſarem* in Cœlum receptum credi voluit, & in vertice ſimulacri *Cæſaris* crinitam ſtellam impoſuit; *Plinio* item ac *Plutarcho narrantibus*. Rurſus *Lucanus*, *Pompejanus Poëta*, *ne Pompejum Cæſare* minorem faceret, animam *Pompeji* in æternos orbes collectam cecinit, imo gliſcente adulationis impotentia, *Phœbum Neroni* ceſſurum ſuum ſidus jactavit, & alii complures ex Ethnicis, ſeu Philoſophaſtris, ſeu Poëtis Heroum animas delabi ex ſtellis, & in illas reverti perhibuerunt. Bene eſt, ſed ſunt iſthæc omnia ex Ethniciſmi &

Mythologiæ desipientis Mephiti, Cœlum ipsum, quantum in ipsis fuit deterrima graveolentia fœdante aut offendente. *Hæc Ricciolus.*

§. 86.

Cur igitur Carminibus de Cœlo deducere Lunam Magi, quos ideo impios & Atheos (*s.3. op. l. de Morb. Sacr. p. 86.*) *Noster* declaravit *Hippocrates*, sunt conati? Non ignoro, quod ortum huic persuasioni dederit *Aganice, Hegetoris Thessali filia*, astuta sane & faceta, quæ, quod pleniluniorum esset gnara, tempusque prænosset, quo Lunam ab umbra terræ intercipi contingeret, mentem mulierum exturbabat, illisque se Lunam deducere persuadebat, quod *Plutarch.* (*in Præcept. Connub. f. m. 79. a.*) *&* *ex eo Anton. Mizald.* (*Cent. 4. Memorab. 13. p. m. 72.*) *annotavit*, & postmodo Lunam ideo deficere putatam, quod Magicis, Sagarum præcipuè Thessalicarum incantationibus rhombo æneo filis circumvoluto, & in orbem turbinatim acto cogeretur in terram descendere, ac nescio, quo virulento rore, in herbas despumare, quo tanquam præsentaneo ad quæcunque voluisset veneficæ indigerent. Innuit id *Lucan.* (*l. 6. v. 496.*)

Phœbeque serena
Non alitur diris verborum obsessa venenis
Palluit, & nigris terrenisque ignibus arsit,
Donec suppositas propior despumet in herbas.

§. 87.

In Lunæ igitur Languore, ut *Tacitus* (*l. 1. Annal. 28.*), mortalitate, ut *Plin.* (*l. 2. c. 12.*), aut Lethargo, ut aliis loqui placuit, æra pulsabant Gentiles, ut Magicis ululatibus ita exagitatæ crepitu dissono Lunæ reluctanti succurrerent. Audiamus *Tibull.* (*l. 1. Eleg. 9. v. 21.*)

Cantus & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa forent

Et falsè de loquacissima muliere (*Sartyr. 6. v. 440.*) *Juvenal.*

Verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinabula dicas
Pulsari: jam nemo tubas, nemo æra fatiget,
Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Collimat eò *Ovid.* (*l. Metam. v. 329.*)

Pueri rubor ora notavit,
Nescit quid sit amor: sed & erubuisse decebat.
Hic color aprica pendentibus arbore pomis,
Aut Ebori tincto est, aut sub candore rubenti
Cum frustra resonant æra auxiliaria Lunæ.

Te

Tetigit etiam hanc ſuperſtitionem (*c. l.*) *Plin.* & plura è Poëtis collecta ſuggerent *Martin. Rader.* (*Comment. in Martial. l. 9. Epigr. 30. p. 630.*), & *Joh. B. Ricciol.* (*c. l. l. 5. c. 1. p. 286.*). Scintillas hujus opinationis fovere adhuc Moluccarum incolas, è *Joh. Alb. de Mandelsloh.* (*l. 3. Itiner. Or. p. 233.*) ſcimus, cui adde *Adam. Olear.* (*in Not. ad h. l.*)

§. 88.

Originem hujus moris ab Ægyptiis deduxit *Nicol. Friſchlin.* (*l. 3. Aſtron. p. 454.*), *Iſidem* tinnitu & tubarum ſonitu venerantibus, & hos eundem habere à Chaldæis, qui *Saturno* ſeu *Molocho* liberos ſuos immolabant, ne ploratus *Iſidis*, ſeu ejulatus Matrum deflentium interitum liberorum exaudiretur, tinnitu & crepitu æris voces lamentabiles ciebant. Differt ab hac, quæ *de Typhone* (*l. de Iſid. & Oſirid. p. m. 60.*) *Plutarch.* narrat: *Typho, inquit*, inficit peſtilentiis aquas & ventos, ſcanditque & recurrit ad Lunam usque coërcens & denigrans ejus ſplendorem, & opinantur & ajunt Ægyptii: *Typhonem* nunc pulſaſſe *Hori* oculum, nunc erutum devoraſſe, inde reddidiſſe Soli, ac pulſu ſignificant menſtruam Lunæ decretionem, eluſcatione defectionem: cui ſol, ubi eam umbram terræ evaſit, luminis ſui objectu confeſtim medetur. Sed hæc noſtrum ſcopum minime feriunt, ideoque pluribus circa eadem non occupor, ſufficit hæc in curioſorum gratiam allegaſſe.

§. 89.

Aliam hujus pulſus rationem attulit *Plutarch.* (*l. de Fac. in Orb. Lun. p. 472.*), & qui hunc ſequitur, *Hieron. Magius* (*l. 4. Var. Lect. c. 14. ap. Joh. Gruter. p. 2. Theſaur. Critic. p. 1430.*): Luna *ſcribit*, calidiſſimè metum concitat, ut celeriter perambulet umbroſum locum, ſimul efferens animas bonorum feſtinantes & vociferantes. Nam cum in umbra ſunt, exaudire deſinunt Harmoniam Cœli. Simul etiam Animæ, quæ infra ſunt ſupplicia luentium, tunc per umbram lamentantes ac conclamantes adferuntur. Ideò in defectibus plerique ſolent æra pulſare ac ſonitum fragoremque adverſus animas edere. Timor futurorum exinde conceptus, concentus hujus aliquando cauſa fuit, ſi *Tacitum* (*c. l.*) audiamus, ita vero: Luna claro repente cœlo viſa langueſcere. Id miles, rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſideris adſimilans, proſpereque ceſſura, quæ pergerent, ſi fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris ſono, tubarum cornuumque concentu ſtrepere: prout ſplendidior, obſcuriorve, lætari aut mœrere. Et poſtquam ortæ nubes offecere viſui, creditumq; conditam tenebris; ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem ſemel perculſæ mentes, ſibi æternum laborem portendi, ſua facinora averſari Deos lamentantur.

§. 90.

Lunam tamen, aut rectius *Hecatem* (ita namque cum ad Magiam excitatur, vocatur, *commemorante id è Commentatore Animadv. in l.4. Thebaid. Stat, v.430. p.1077. Casp. Barth.*), aliquando etiam cœlo forsan subducere tentabant, ut cum Luna Animas simul magicis artibus obsequentes ad votum desiderantibus sisterent, conjecturam hanc aliquantisper illustrat, quod è *Joh. Trigaut.* (*l.1. Regn. Chin.*) *Christoph. Arnold.* (*c. l. p.715.*) retulit de Mago è Provincia Cixaucungo, qui Imperatori Sinico *Hiavu* meretricem mortuam *Changoam* in Luna commorantem, quoties ipsi libuit, reduxit.

§. 91.

PræterLunam etiam in Galaxia Animarum illustrium Concilium quæsiverunt Alii. Ita *apud Macrob.* (*l. 1. in Somn. Scipion. c.4. p. 13.*) *Scipio*, quod equidem mirum non videbitur illi, qui considerat animas è circulo lacteo, juxta illorum assertionem in terrena labi corpora. Unde *Scipionis*, de Animis beatorum ostenso lacteo, dictum: Hinc profecti; huc revertuntur. Ita (*in Antro Nymph. p.137.*) *Porphyr.* Secundum *Pythagoram* Animæ sunt in turba illa somniarum, quam inter lacteum circulum congregari asserit. Cui id nomen (notetur nominis Galaxiæ ratio à paucis animadversa) ab Animabus, quæ in generationem delapsæ, lacte nutriuntur: & hanc ob causam illos, qui animas evocant, lac mulsum in libationibus adhibere, *vid. supra.* (*§.48.*). Quare & *Pythagoras* à Lacteo circulo putabat deorsum incipere Ditis imperium, ut iterum *Macrob.* (*c. l. c.14. p.48.*). Adde locum è *Manil.* non ita pridem (*§.66.*) adductum, & *Jul. Cæs. Scalig.* (*in Hipp. l. de Insomn. Apotelesm. 16. p.61.*). Lacte idcirco perfundebant cadavera. Meminit hujus ritus *Tibull.* (*l.3. Eleg. 2. v.17.*)

Pars, quæ sola mei superabit corporis ossa,
Incinctæ nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta Lyceo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.

In quem locum quid notet *Simon. Abbes Gabbema* (*p.358.*) vid. Add. *Cornel. à Lapid.* (*Comment. in Amos. c.6. v.10. p.310.*). Saturni astrum Animarum Hospitium fecerunt Alii, de quo *Gerh. Joh. Voss.* (*l.2. Idolol. c.34. p.487.*) Tales stellatos vocari, ut *Cicero* stellatum *Cephea* (*l.5. Tuscul. qv. f.m.229. b.*) dixit, voluit (*l.7. Advers. c.6.*) *Andr. Turnebus.* An & hinc Nimborum ortus derivandi?

§. 92.

An Babylonii & Persæ demortuum *Chamum*, (quod pernegat *Jac. Gaffarell.*

rell. Curios. inaud. p. 2. c. 3. n. 2. p. 59.), mille namque annis recentior *Mose* dicitur *Ejusdem Interpreti Greg. Michael. not. 38. p. 192. & Christoph. Arnold. Spicileg. ad J. H Ursin. Exerc. de Zoroastr. p. 40.*), *Zoroastrem* quasi ζῶον ἄστρον, vivens astrum nuncuparint, eò quod tanquam amicum Dei fulminis vehiculo ad cœlum sublevatum existimabant, ut habet *Clemens Romanus* (*l. 4. Recognit.*) Lecturis judicandum relinquo. Pythagoram id nomen Magistro imposuisse, *ex Prophetia Danielis* (*c. 12. v. 3.*), eo quod Magus iste Justitiam voluisse & eam multos erudiisse credebatur, putabat *Joh. Henric. Ursin.* (*Exerc. Familiar. de Zoroastr. s. 4. qv. 1. p. 24.*); quamvis etiam aliam nominis fontem aperuerit *Idem* (*c. l. s. 6. p. 38.*), *dum scripsit*: Zarvam materia est mater omnium seminum. Et ab hoc sibi nomine videtur nomen imposuisse Zoroastres, q. d. se esse Zarvami astrum. Quod fuerit siderum cultor, id nominis consecutum fuisse, credit *Diog. Laërtius*, (*l. 1. de vit. Philos. p. m. 13.*). Nomen hoc etiam admittere Cimbricam interpretationem, *Joh. Gorop. Becano.* (*l. 9. Orig. Antwerp. p. 1011.*) *persvasum.*

§. 93.

Hæc Paganorum de Animarum Evestris figmenta & deliria. Nos Christiani equidem Spectra dari non inficiamur (*vid.* §. 3.). Animas autem à corpore vivo separatas, ipsumque corpus mortuum linquentes beatorum, s. damnatorum cœtui se subducere & apparitione spectriformi, qualis fuit Lemurum, Manium, aut aliarum Larvarum se nobis manifestare, nosque infestare, ut credam, cum sufficientes rationes non suppetant, & ipsa hoc nesciat sacra Scriptura, ut persvadear, adduci non possum. Ut ex inferno nulla redemtio; ita in manu DEI quæ sunt, Animæ, ad nos redire non desiderant. Expendantur verba *David.* (*2. Samuel. c. 12. v. 23.*) & *Abrahami* (*Luc. 16. v. 26. & 29.*), ubi marginale *Lutheri Megalandri*: *Hie ist verbothen denen Poltergeistern und erscheinenden Todten zu gläuben.* Et de Rübenzahlio (*de quo supra* §. 62.) recte sub persona *Buchner. Mart. Opit.* (*l. 4. Sylvar. in der Schäfferey von der Nymphen Hercinie p. 278.*): *Angesehen, daß Er (Rübezahl), durch Zauberey geruffen wird, so muß er weder eine fromme, noch verdammte Seele seyn; weil sie beyde, biß zu seiner Zeit, unter der Hand Gottes als Götter sind, der sich mit Beschwerung nicht zwingen läßt.*

§. 94.

An Animæ de Elysio in corpora possint redire, disceptatum ab Ethnicis & deprehensum est, non redire, quia per purgationem carent cupiditate, *Serv.* (*in l. 6.*

l. 6. Æneid. p. 516.) retulit. An ex Averno Sibylla *ap. Virgil.* (*l. 6. Æneid. v. 126.*), dubitare videtur, his *Æneam* alloquens:

Facilis descensus Averni:
Noctes atque dies patet atri janua Ditis,
Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci quos æqvus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere, tenent media omnia Sylvæ
Cocytusque sinu labens circumfluit atro.

§. 95.

Contrarium cum sociennis sustinet *Casp. Schott.* Spectraque aliqua esse animas defunctorum, firmat (1) persvasione Gentilium (*l. 2. Phys. Curios. part. 3. c. 18. p. 263.*), de qua in antecedentibus multa, (2) Judæorum, Chaldæorum, Mahumedanorum, Jurisconsultorum, (*c. 19. p. 266.*). (3) Ecclesiæ Catholicæ, Patrum, Theologorum, Historicorum, aliorumque virorum doctorum (*c. 20. p. 267.*).

§. 96.

Fundamenta hæc quam lubrica & ludrica sint ex parte, lippus videt. Turpe est Paganorum, Judæorum, Mahumedanorum persvasiones in partes vocare Christianum, ubi de religione disceptatur. De extraordinaria DEI permissione verba Patrum intelligenda, non *ipse Schottus* (*c. l. p. 268.*) diffitetur, quam non impugno. Male autem à posse ad esse, & velle, his argumentari indubium; ut non addam quantæ authoritatis sit in ejusmodi controversiis testimonium humanum.

§. 97.

Quod ad apparitiones Animarum beatarum factas, quas adduxit (*c. 21. p. 270.*), damnatarum (*c. 22. p. 274.*), purgandarum (*c. 23. p. 278.*) dicat (*a*), quibus signis dignoscat, formas istas fuisse animas beatorum aut damnatorum & non potius angelos bonos aut malos. Edidit anno 1596. *Doct. Jacob. Ord. Carthus. libellum Lipsiæ, de Animabus exutis à corporibus*, in quo (*c. 4.*) Animarum revelationibus non temerè credendum, propter illusiones Diabolicas expertis monet verbis. *Jamblichus* etiam (*l. de Ægypt. Myster. s. 3. c. 32.*) cum *Porphyrio* credidit, subdolum genus Dæmonum simulare animas defunctorum Deos & Genios, quos ipse Cacodæmones, non bonos Dæmones esse, contendit. Ita ostenta varia impii, (etiam in Papatu Sacerdotes & desides fraterculi), quod non ignorare potuit *Schottus*, (*c. l. c. 1. p. 198.*), ut suam expleant avaritiam, exsatu-

saturent libidinem, (addo etiam purgatorii Missa & aliorum suspectorum dogmatum certitudinem & veritatem demonstrent), per summum scelus, ingenti bonorum dolore, nec minore totius Ecclesiæ Catholicæ detrimento, callidissime ac prorsus diabolicè confingunt, (& repræsentant,) & simplici popello pro veris prodigiis venditant; digni flammis & omni tormentorum genere. Durum profecto, *concludit*, judicium summi æternique judicis manet hujusmodi, quicunque demum sunt. Non honoratur DEUS mendaciis nostris, nec sancti DEI amici imposturis nostris. Hinc (β) quo testimonio nos certos reddere poterit *Schottus*, quod relationes illæ omnes fidem mereantur, cum relata referant apparitionum istarum Eclogarii, pariterque constet secula sub adventum Antichristi superstitiosa laborasse credulitate, adeò, ut apparitiones istæ non in solatium, sed delusionem credulorum & simplicium effictæ videantur.

§. 98.

De animabus purgandis quid sentiendum, Laici nostri non ignorant. Dico, *pergit Schottus*, (*c. l. c. 24. p. 285.*) è Sacra Scriptura constare, Samuelem apparuisse Sauli, Jeremiam & Oniam Judæ Maccabæo. *Moysen* & *Eliam* CHRISTO & Apostolis in monte Thabor, *Lazarum* à CHRISTO resuscitatum rediisse è sepulchro, post CHRISTI mortem multos mortuorum surgentes apparuisse multis. Sed *Samuel* non fuit verus *Samuel*, sed Dæmon, ut infra (*l. 3. Tit. 4.*) demonstrabitur. Relationibus *librorum Machabæorum*, ut timidè subscribam, defectus Canonis facit. Non anima *Eliæ*, nec forsan & *Moysis*, nisi extraordinarie concurrerit DEI permissio, sed corpus clarificatum animæ junctum, quod de *Lazaro* & reliquis sanctorum apparitionibus etiam statuendum, comparuit.

§. 99.

Si in causas istarum apparitionum inquiras, animas purgandas apparere, *prodidit Schottus* (*c. 33. p. 331.*), ut viventium opera juventur. Exempla collegit *Simon Majol.* (*Dier. Canic. Colloqu. 2. p. 56.*), sed ad paganos, à quibus prodiit, proscripto purgatorio finis ille cessat. Ridet vulgum ipse *Bonifacius Simoneta Cornu Abbas* (*l. 2. Epistol. 16. f. 36. b.*), lampades & faces ignitas nocte discurrentes animas de commissis pœnas patientes existimantem. Damnatas errare, ut hominibus terrorem incutiant & noceant. Sed id Dæmonum non animarum est, nisi damnatas in Cacodæmones mutari cum Gentilibus, (*vid. supra* §. 62.) persuasum habeas. Easdem ad vitæ præteritæ pœnitentiam excitare improbos, iterum *Schottus* (*p. 332.*) suggerit. Reclamat vox *Abrahami*

Luc.

(*Luc. 16. v. 29.*): Habent *Moysen* & Prophetas. Et Altiſſimus neque mortuos, neque Diabolum pœnitentiam prædicare vult, ut rectè *Jacob. Horſt. (de Aur. Puer. Sileſ. dent. p. 39.)* autumat. Diſcunt, *addit*, Animas poſt mortem interire, ſed aut meritas pro peccatis pœnas, aut debita pro bonis operibus præmia percipere. Diſcent, *regero*, ſi indubitata & quidem certiora iis, quæ promit (*c. 34. p. 334.*) ſigna prius monſtrabit, quibus diabolica ab humanis diſcernantur. Et quamvis illa dederit, mortuos tamen conſulere ſacras literas Chriſtianis interdicere, ſibi in memoriam revocet. Firmior eſt nobis ſermo propheticus:

Verbo nitere, tutus eris.

Diſcunt, *docet*, valorem orationum, Reliquiarum, aliarumque rerum conſecratarum. An apud DEUM & Angelos? Dubito, ubi ſcriptum eſt? An apud homines? de Miſſonariis, & aliis circa hæc occupatis, ut mercatus harum indicant & exercent, ſi loquitur, oppidò concedo. Aureum hoc dogma & opus, ut legendæ, ut tota papicolarum religio. Diſcunt, *tandem profitetur*, quanto odio proſequatur DEUS innocentum cædem, pauperum oppreſſionem, aliorumque ſimilium ſcelernm perpetrationem. Sed hæc ex verbo ſcripto rectius & tutius. Plura Theologi, in Phyſicis cum hæc tractet *Schottus*, ea ſaltem libanda cenſui.

§. 100.

Forma, qua apparere creduntur, inepta pariter & incerta. Cadaver intrabit iterum Anima. Ἄτοπον id eſt. Corpore egreſſa, non niſi divina potentia regreditur. *Vid Andr. Libav. (de Cruent. p. 189. ſq.)*. Tabo poſt ejus diſceſſum cadaver diffluit, imo ſæpius jam in cineres abiit. Ægrum & fato proximum, aut membra Paralytico & Apoplectico fulmine tacta movere & regere, quæ non poterat, mortuum jam & putredini proximum movebit & reget? Cremato corpore remeanti Anima velut vaginam adimi, enunciavit (*l. 7. c. 52.*) *Plin.* Ex Ideis corporis putridi in terra relictis novum corpus fabricabit? Quis tibi hoc in aurem? Extruit ſibi corpus ex Aëre? quis videbit, pellucidum cum ſit. Ex Aëre, vaporibus & nebulis repleto? quibus vero coërcebit, formam ut ſervet, quibus defendet mediis, ne vi aliqua diſſipetur? unde ſoliditas, quam aliquando ſenſus tactus percipit? unde ſoni, aut vox articulata? ſufficere, affirmavit ſupra (*§. 62.*) *Magnanus*, ſi Animæ lucem incidentem refringant & reflectant eadem menſura & eodem modo, quo eam refringeret, & reflecteret, ſi adeſſet corpus illud, cujus in ſpecie volunt apparere, quæ ipſa philoſophandi ratio, æquè, ut nec *Schotto* (*c. l. c. 29. p. p. 316.*)

p.316.), ita nec mihi sufficit. Quomodo, ut reliqua non attingam, in anima incorporea lucis reflexio contingat, erudiri exopto.

§. 101.

Hic autem in subsidium venire poterat *Joh. Sophron. à Kozack.* (*tr. Justa Æoli, quem allegat Henric. Kipping. in Respons. Nov. §. 42. p. 43. sq.*), qui corpora in ipso mortis temporariæ momento resurgere pronunciavit, adeoque animæ non detrahi corpus organicum, sed tantum corpus animale Spiritui hominis, quod fuit ei instar veli, aut involucri. Credo ab hinc (*verba ejus recensuit* §. 43.) & in ipso mortis temporariæ momento me habiturum ossa, carnem, caput, pedes, seu corpus omnibus membris ad vitales actiones requisitis completum, quale corpus habuit & adhuc habet *Lazarus, Marthæ frater* (*Joh. 11. v. 44.*) & CHRISTUS ipse & *Elias* & *Moses* & *Lazarus* alter in Paradiso, nemini tamen mortalium in eo conspicuus, nisi mortuis & in mortalibus tale habet corpus & Epulo ille, cum nemine mortalium communicare potens, quamvis cupiens, (*Luc. 16. v. 23. 24.*). Animas igitur separatas non esse sine carnibus & ossibus, sed integros homines, qui ab invicem signaturis externis dignoscuntur, *profitetur ex Eo Henric. Kipping.* (*in Busto Joristico* §. 44.). Momentaneam igitur fingit transmutationem à Paulo, quæ (*1. Corinth. c. 15. v. 17.*) describitur, quare ii Soli, quos externi judicii dies corripiet, transmutabuntur. Non igitur longè animarum ista amicula quærenda, si deliro auscultemus seni, quem idcirco castigavit *Kipping.*

§. 102.

Nec unde beluinæ figuræ spectris esset, ut disquiramus, si secundum Kozakiani Cerebri Eccentricitantes etiam bestiæ resurgant, vi promissionis (*Roman. 8. v. 19. sq.*), quod restitui ad libertatem & à servitio vanitatis absolvi debeant, ipsumque cœlum bestiarum sit receptaculum, *Vid. iterum Kipping. (Respons. nov. §. 36. & 40.)*. Nec olim defuere, qui, ut è *Stephano Tritheita, cognomine Gobaro, Photius* (*Myrobibl. Cod. 232. n. 10. p. 892.*) retulit, justos resurrecturos & cum iis omnia animalia asseruerunt.

§. 103.

Cadavera nec reget, quamvis circa illa versetur anima, eaque animare desideraret, quod quidem probare impossibile. Spiritus namque, aut lumen vitale, vinculum corporis & Animæ desunt, Cadaverisque seu Organi ineptitudo id maximè prohibet. Dæmon igitur rectricis animæ vices hic sustinet, si Cadaver moveri videas, quod infra (*l. 3. Tit. 4. §.*) historiis aliquot illustrabitur. Ratio etiam inde patet, cur frigida tactui videantur cadavera à Dæmonibus

nibus assumta, de quo problemate etiam incidenter quædam *Casp. Schott.* (*c. l. c. 32. §. 6. p. 330.*).

§. 104.

Interfectorum autem animas Dæmones fieri, Dæmonem persuadere studuisse, ut Martyrum, qui violenta morte decesserant, gloriam confoderet, obrueretque, ac ut maleficos ad tenera multorum adolescentium corpora trucidanda impelleret, ea quidem spe, ut in Dæmones illi evaderent, quibus tanquam famulis ac ministris mox uterentur, *Joh. Chrysostomi, aurei illius oris Theologi* conjectura (*Homil. in c. 8. Matth. v. 29. & Homil. ad Luc. c. 16. v. 2.*) scimus.

§. 105.

An absque animæ interventu corporum Phantasmata appareant, si quæras? id credere Hispaniolæ incolas *Petr. Martyr.* (*Ocean. Decad. l. 9. p. 107.*) testatum reliquit. Subjacent, *inquit*, & alteri superstitionum generi. Mortuos putant noctu vagari, ac vesci Guannaba, fructu nobis incognito, Catoneo simili: lectoque inter vivos versari, *ajunt*, ac decipere mulieres: Sumta namque virili forma, coire velle videntur: ast cum ad opus pervenitur, evanescunt. Si quis autem apud se jacere mortuum aliquando suspicatur, cum quid novi senserit in lecto, uteri attrectatione se dubio solvi balbutit. Cuncta namque, ajunt, mortuos posse humana membra suscipere, præter umbilicum: Si umbilico, igitur mortuum esse dignoscit, tactus illicò resolvitur. Noctu & sæpissimè in itineribus præcipue, viisque publicis mortuos occurrere vivis credunt: Contra quos, si viator intrepidus steterit, dissolvitur phantasma: Si verò pertimescat, illum ita adoriendo perterret, ut sæpius ea formidine multi debilitentur ac stupeant.

§. 106.

Insaniant, per me licet, hanc insaniam pagani. Quid veri subsit, ipsa dictitat narratio & ratio. Quod si quis *Paracelsi*, decretis dicam, an deliriis? circa hoc punctum aures commodare non abhorreat, in causam spectrorum facillime penetrare quidem poterit. Iste namque duplex homini assignat corpus, materiale & spirituale, (*l. 1. Archidox. in Prolog. p. 788.*); Elementale & sidereum, (*l. 1. Philos. Sagac. p. 346. & 352.*); Elementale & supra Elementale, (*ibid. p. 354. & T. 2. op. p. 505.*). Tincturam, seu corpus sidereum, astrum corporale & firmamentum materiale proposuit (*l. de Caduc. Matric. §. 3. p. 610.*). Imo eo impietatis devenit, ut corpus sidereum Sacramentale (*l. 8. Archidox. p. 903.*) vocaret.

§. 107.

§. 107.

Utrumque ex ſpermate Elementorum & ſiderum deduxit, (*l. 1. Philoſ. Sagac. p. 357.*), adeoque hominem quintum eſſe, & extractum Cœli & Elementorum, conſtituit. Caro igitur ipſi eſt Terra; Aqua ſanguis; Calor ignis; Aër Balſamus (*T. 2. op. p. 505.*); Elementa corpus & ſubſtantiam brutalem, ſidereum, vitam brutalem largiuntur, (*l. de Peſtilent. tr. 1. p. 327.*). Qui tamen ſui oblitus paulo ante (*p. 326.*) corpus ex Aqua & Terra, vitam ex Igne & Aëre derivarat. Sub vita brutali ſenſum & rationem comprehendit (*T. 2. Op. p. 505.*), eamque à Cœlo & Aſtris, & cum eo lumen Naturæ, illuminationem mentis & omnifariam ſcientiam infundi, docuit. (*l. 1. Philoſ. Sagac. p. 354.*). Quæ tamen mens ipſi perpetua non eſt, alibi ſe Medicè, non Theologicè, ſe loqui profitetur, & Tincturam, (ita namque Animam expreſſit, ut Chemici Tincturam v. g. Rhabarbari, Animam Rhabarbari appellitant,) brutalem Aſtris, ſupernaturalem verò DEO ortum ſuum debere commentatur. Corpus illud ſupracœleſte, disſerit (*l. 1. de Vit. Long. c. 7. p. 842.*) quodammodo ex Igne non usque quoque disſimile eſt; ex quibus quidem inviſibilibus nebula exſurgit viſibilis.

§. 108.

Quam *Paracelſi* ſententiam etiam ſuam fecit *Fanaticus ille Tzopavienſis Paſtor, an impoſtor? Valentin. Weigel.* cum alibi, tum comprimis (*tr. Erkenne dich ſelbſt l. 1. c. 3. f. 10. & c. 6. f. 15.*), cujus veſtigia presſit *Oswald. Croll.* (*præfat. Admonit. in Baſil. Chym. p. 36.*), ubi verba ipſius *Weigelii* pro ſuis venditat. Sidereus, Internus, Olympicus, incorporeus homo, ſeu Gabalis, idem eſt cum firmamento Aſtrorum, quod rubedo cum vino, Albedo cum nive, vel ſolis ſplendor cum Aëre. Hoc ſidereum corpus, *pergit*, vocatur hominis Genius, quin à firmamento oritur, dicitur etiam Penatis, quod penes nos ſeu nobiſcum naſcatur, umbra viſibilis corporis, Lar domeſticus, homo umbratilis, familiaris ſophorum Homunculus, Dæmon ſeu Genius bonus, internus *Paracelſi* Adech, ſpectrum, Naturæ lumen, Eveſtrum præſagiens & propheticum in homine. Vocatur etiam imaginatio, quæ in ſe claudit omnia aſtra, eſtque omnia aſtra, & eundem cum cœlo retinet curſum, Naturam & potentiam. Idem ſenſiſſe *Joh. Sophron. à Kozack.* (*tr. Scrutin. Secul. Futur. c. 6.*), *Henric. Kipping* (*l. 9. Inſtit. Phyſ. c. 1. n. 4. p. 382.*), qui ſiderale corpus vocavit ſpiritum Aſtralem, etiam in medium produxit *J. W. Valvaſor* (*T. 3. Carinth. l. 11. p. 263.*), ſpiritum vitalem *Eraſm. Franciſci* (*im Hölliſchen Proteus n. 91. p. 1001. n. 92. p. 1010.*).

§. 109.

Joh. Bapt. Helmont. (*tr. de Mag. vuln. curat. n. 82. p. 618.*) Hominem dividit in externum & internum. Illum vocat animal ratione & voluntate sangvinis utens; hunc non animal, sed imaginem DEI. Tribuit tamen & homini Spiritus Astrales, & vim magicam in homine interno esse, pronunciat (*n. 73. p. 610.*), sive hoc Etymo animam intelligas, seu spiritum vitalem, ipsi perinde est. (*Add. n. 85. p. 609.*) Spiritus etiam siderei mentionem (*n. 116. p. 612.*) fecit.

§. 110.

De corpore hominis externo & interno ista *Paracelf.* (*in Herbar. T. 1. op. 1016.*): *Ein Mensch hat zween Cörper, einen von Elementen, den andern vom Firmament. Der von Elementen, stirbt und fällt in die Erden, das ist, der da vergraben wird: der andere schwebt in Lüfften und auf Erden. Wo nun solche Corpora atherea von einem Menschen gesehen werden, das ist Spectrum. Idem.* (*l. 8. Archidox. p. 903.*): *Die Scheidung des Microcosmi gehet erst im Tode an. Dann im Tode des Menschen scheiden sich zween Leib von einander, der himmlisch und irdisch, das ist der sacramentalisch: der eine führt über sich, wie der Adler, der andere fällt unter sich, wie Bley. Der Elementalisch vergehet, wird ein fauler Cadaver, wird in die Erden vergraben und nicht gesehen. Der Sacramentalisch, das ist, der himmlisch und siderisch, verwest nicht, wird nicht vergraben, besitzt keine Stät. Derselbige Leib erscheint den Menschen, wird nach dem Tode gesehen, von demselben kommen her die Spectra, die Visiones und übernatürliche Gesicht.* Paria habet (*T. 1. op. Addit. de Corall. p. 1016.*): *Wann solche Corpora atherea, von einem gestorbenen Menschen, gesehen werden, das ist ein Spectrum: dieselbe fliehen von den rothen Corallen, zu den braunen nahen sie sich.*

§. 111.

Eadem ferè habet *Valent. Weigel.* (*c. l. c. 3.*), in hoc solum *à Paracelf.* diversus, quod corpus sidereum tandem mori & à sideribus annihilari, quinimò, ut visibile in terram & pulverem converti arbitratur; *Paracelf.* vero Olympicum superesse profitetur. *Der Leib,* (*scribit. l. 8. Archidox. p. 903.*) *gehet wieder zu der materia Elementorum. Die Seel zu der prima materia sacramentorum: Der Geist,* (*homo internus,*) *wieder in die prima materia des lufftigen Chaos.*

§. 112.

Spiritus Olympicus hominis in sua regione moratur, & quamdiu corpus totaliter putrefactum, vel igne in cineres impalpabiles consumtum non fuerit

erit, tamdiu ex ejus cadaveris Elementis & Principiis ſibi corpus ſpirituale ad formam vivi format, & actiones, quibus homine vivo ſe plurimum exercitare ſolebat, poſt mortem ejus æmulatur. Et tales non ſolum ſceleratorum, ſed & bonorum formas, non tamen piorum, quoniam DEUS mortuo corpore & animabus & Spiritibus eorum quietem conceſſit, induere ſolent, & ad quæ negotia vel labores extraordinario ſtudio & imaginatione homine vivente pellebantur, eosdem in corpore ſpirituali exercent. Ita, ſi homo bonus Paterfamilias vixerat, & in ea imaginatione mortuus eſt, eadem forma apparet ſpectrum res domeſticas curans. His *Paracelſi* mentem, (*l. 1. Philoſ. Sagac. p. 382. & alibi*,) paucis complexus eſt, & illuſtravit *Joh. Sophron. à Kozack*, (*Anat. vit. Microcoſm. c. 17. p. 127.*). Spectrorum circa theſauros cauſam daturus *J. B. Helmont.* (*c. l. n. 82. p. 608.*) *inſit:* Si in caducis theſaurus configitur, tunc quoque exterioris hominis cor & Spiritus in caducis eſt. Quid mirum? aut hominum animalium Spiritus aſtrales poſt funera circa theſaurum defoſſum adhuc ſe oſtendere oberrantes, quibus Nectyomantia Veterum tota ſe mancipavit. Dæmonem ſiderea hujusmodi corpora aliquando obſidere, ut Exorciſtis (*denen Conjuriſten*) ſatisfaciat, iterum *Paracelſ.* (*c. l.*) prodidit.

§. 113.

Sane ſi tale corpus ſidereum in homine daretur, neque doctrina de Spectris cum alibi, tum in cœmiteriis, circa patibula & locos, in quibus ſtrages edita, apparentibus, neque alia in cadaveribus Phænomena tantas difficultates paterentur. Verum cum Sacræ literæ, natura & ſana ratio tale corpus neſciant, & confutent, & varia inde emergant abſurditatum Eveſtra, comprimis, ſi quis rationem homini ſidereo cum *Paracelſ.* (*T. 2. oper. p. 505.*) aſcribat, & ipſam hominis animam rationalem cum interno & ſidereo homine confundat, quod *Henric. Nollium* (*l. 10. Phyſ. Hermet. c. 9. §. 6. p. 618.*) feciſſe conſtat, eamque à cœlo ſidereo ortam, & ex Aſtris viſibilibus nutrimentum ſuum haurire, adeoque materialem & conſequenter mortalem renunciet, jure meritò illa opinio orco *à Thom. Eraſto* (*p. 2. Diſput. Anti-Paracelſ. p. 124. & 270.*) *& Dan. Sennert.* (*de conſenſ. Ariſtot. & Chym. c. 6. p. 61.*) conſecrata. Τερατολογοῦσι novi Hermetici corpus in ſidereum & elementare diſpeſcentes. Ut rationes à Philoſophis & Medicis allatas prætercam, *Scriptura* hoc commentum reſpuit: cum docet hominem creatum eſſe ex pulvere terræ (*Geneſ. 2. v. 7. 1. Corinth. 15. v. 45. ſq.*), & nullum aliud corpus ab illo circumgeſtari, nullum in morte deponi, & in Elementa reſolvi, niſi unicum hoc terreſtre, corruptibile & mortale (*2. Corinth. 5. v. 1. ſq. & 1. Corinth. 15. v. 53. 54.*). Ubi eſt ergo Jar ille aſtralis,

Gabalis, Dæmonium, Deus Paracelsi? In Utopia credo, pronunciat *Gisb. Voët.* (*p.1. Disp.sel.p.759.*)

§. 114.

Saniorum Chemicorum, quam ex antro suo depromunt, circa Spectrorum naturalium apparitionem & demonstrationem, experimenta & observationes, multi exosculantur & amplectuntur. Scilicet è cujusvis vegetabilis cinere se Phantasma plantæ aut arboris in phiola repræsentare posse, Chemicorum gloriatio est, quam alibi (*l.3. de Plant. Monstr.*) expendo & examino. Majus est, quod è Cineribus, ossibus aut Terra defunctorum promittunt. Audiamus *Petr. Borell,* (*cent. 4. obs. 62. p. 325.*) ita disserentem; Sed quod omnem admirationem superare debet, id de hominibus fieri poterit, & in Phialis licita Necromantia patrem, avum, atavum, totamque prosapiam, imo antiquos Romanos, Hebræos & quemcunque volueris absque Pythonissa ad libitum accerses, cum propriis figuris modo eorum ossa vel cineres servaveris, aliaque majora, quæ non adhuc revelanda esse existimo. Utque experimentis hæc confirmentur & non solis verbis innitamur, *N. de Richier. Saponar. & Bernhard. German.* ex relatione *D. de Gerzam* & Aliorum, sangvinem humanum Lutetiæ destillantes, quem veram Lapidis sui materiam (non adeo male forsan) credebant. Viderunt in cucurbita phantasma humanum, è quo sangvinei radii prosilire videbantur, & rupto vase invenerunt tanquam cranium in fecibus. Eandem refert ferè historiam *Eques Anglus* (*Robert.*) *Fludd.* (*de Fluctibus*) de quodam, *la Pierre* vocato. Hic mugitum ingentem audivit, quo hospites ejus perterriti fuerunt, & phantasma vidit humanum. Ajunt autem hæc tantum accidere, cum sangvis petitus est à viro, qui mortuus est, à capite enim truncato Carnificis manu sangvinem habuisse ferebatur, hincque quidam concludunt, in sangvine animam residere, juxta antiquorum doctrinam, imo & Hebræorum, qui ideo à sangvine abstinebant. Fuerunt etiam tres curiosi, qui terram *S. Innocentii*, id est, locis innumeris corporibus mortuorum plenis Lutetiæ etiam pro vera acceperunt Alchymiæ materia & phantasmata etiam in Phialis perceperunt, à quibus non parum perterriti fuere.

§. 115.

Causam igitur detecturus, cur Spectra humana crebro in cæmiteriis appareant, subjungit cum *Jacob. Gaffarell.* (*p.2. Curios. inaudit. c.5. §.9 p.m.99.*) *idem Borell.* (*p.326.*). Hinc fit, quod à Sole elevata hæc à terra Phantasmata, ut plurimum in cœmiteriis videantur, quæ pro Diabolis habentur, cum tamen naturaliter erumpant. Sic *Albert. Magnus* figuras è terra olim evocabat, sed hæc

hæc noctu tantum conſpicienda ſunt, quoniam cum luminoſa parumper ſint, à Solis lumine, ut ſtellæ confunduntur adeò, ut apparere nequeant, licet tamen ibidem ſint. Clarius *Dav. Beckius* (*Experim. circ. rer. princip. p.* 245.) *Experim. circ. rer. princip. p.* 245.) dum commentatur: Phantaſmata in cœmiteriis ſub noctem conſpiciuntur, dum Ideæ corporis mortui beneficio centralis caloris elevantur, quæ non nocturno ſaltem, ſed diurno etiam tempore ibidem conſpicerentur, ſi per majorem ſolis lucem liceret, quæ eadem & ſidera cœleſtia de die inconſpicua reddit.

§. 116.

Poſſet quis *Borelli* παραλόγου narrationem in dubium vocare, comprimis in Aliorum, non propriis Experimentis, qua enim accepit fide, dat. Inde an inter veras hiſtorias, an fabulas reponi debeat, dubitare religionem non duxit *Martin. Kerger.* (*ſ. 1. de Ferment. c. 6. p. 58.*) figmentis accenſuit *Godfrid. Voigt.* (*Curioſ. Phyſ. c. 1. ſ. 4. Experim. 13. p. 29.*) & damnavit hanc *Borelli* opinionem & nomen *Philipp. Bonannus* (*p. 1. obſ. circ. viv. in vivent. c. 52. p. 215.*). Cum vero non omnis fides in hac cauſa abrogetur *Borello à celeberrimo Joh. Tackio* (*Phaſid. 3. p. 52.*) & *induſtrio Beckio* (*c. l. p. 244.*) & *ipſe Robert. Fluddus* (*cit. Tackio. c l. p. 27.*) ſalem humanum ex calcinato capite humano extractum depuratumq;, & in ſcutellam Aquæ poſitum, ſed alia paropſide tectum poſtero manè repræſentaſſe effigies hominum cruci affixorum conſpexit. Et hoc in oſſibus humanis tentatum cum acceperit *Th. Barthol.* (*de Med. Poët. p. 128.*) *Eques Burrhus* narrat *Monconnyſio*, ſe ſæpius, ſi in lagenam oblongam recentem ex cœmiterio terram indidiſſet, peractis quibusdam operationibus vidiſſe vel mille ſpectra, milleque phantaſmata. *Vid. T. 2. p. 1. Ephem. Erud. 19. p. 213.*), ut illum qui *Dn. Balzacio* (ut in literis *ad Dn. Conrad. Conſil. Reg.* habet,) phantaſma ſine ope Diaboli ſe ſiſtere poſſe, retulit, haud adeo irridendus exiſtimetur *Emanuel. König.* (*M. C. D. 2. A. 6. obſ. 37. p. 98. & p. 1. Regim. Veget. c. 10. p. 36.*). Cum præterea non ſolum varia circa umbratilem, ſed etiam veram animalium reſuſcitationem circumferantur Experimenta, quæ maximam partem *à Kergero* (*c. l. p. 54.*), *Tackio* (*c. l.*), *Phil. Jac. Sachſio* (*l. 1. Gammarol. c. 13. p. 253.*) & *Aliis* collecta proſtant. Addam his adhuc unum è *Joh. Ludov. Hannemann.* (*Prodr. Lex. Med. p. 5149.*), in cinere Alaudæ adhuc forma Alaudæ præſens adeſt, ſique collocetur loco humido, & ſanguine Alaudæ irroretur, atomos illas animatas Alaudam reſuſcitare facile, inque proclivi eſt. Quicquid ſit, hoc experientiæ committendum arbitror. Interea rationes hujus phænomeni ruſpari curioſo forſan non indignum erit.

§. 117.

§. 117.

Nullum Ens emoritur, astruit *laudatus Hannemann.* (*c. l.*), vel ita resolvitur, quamvis millies calcinetur, ut non suam adhuc in se habeat & retineat formam individualem & facultatem essentiæ suæ suscitabiles, multes, probare nititur *Martin. Kerger.* (*c. l. p. 18. sq. & c. 6. p. 46. sq.*), adeoque immortales profitetur *P. Borell.* (*c. l. p. 325.*), cum autem forma sit tota in qualibet parte, certum est, quod è frustulis fructuum vel radicum, aut portiunculis liquorum, (addo etiam partes, aut cineres Animalium,) videbimus in glacie, vel umbra eorum phantastica, integram plantam, (aut Animal,) ut iterum *Borell.* (*c. l. p. 324. & Cent. 2. obs. 21. p. 123.*) ratiocinatur. Add. *Arnold. Bachim. Denston.* (*Pansoph. Enchiret. p. 5. §. 127. p. 87.*)

§. 118.

Formæ præfatæ latent in sale. Non sine causa suspicati sunt Philosophi, (*censet. J. Tackius c. l. p. 27.*): Esse in sale æternum quippiam, neque rerum ideas post mortem deleri, quin potius in sale, cineribus adhuc residuo, esse & manere subjectum ad novam vivificationem idoneum. Est enim sal Naturæ basis & radicale generationis principium, licet illa virtus solitaria, & inefficax, in Cineribus lateat, donec à Terra communi principiorum Naturæ matrice suscepta, occultam generationi & multiplicationi consentaneam facultatem explicet, uti etiam in rerum seminibus moris est. Consentit *P. J. Faber.* (*l. 1. Panchym. c. 1. p. 3.*): sal æternitatem & incorruptibilitatem observat, conservatis illæsis virtutibus ac proprietatibus rerum omnium, quæ in illo sale illæsæ manent & incorruptæ. Spiritus igitur ille, Archeusque rerum sibi corpus solidum, ut vult *Borell.* (*c. l. p. 325.*), juxta scientiam suam & prædestinationem concinnare potest magnetice materiam ab Elementis attrahendo, eumque in aqua illa non habent crassa Elementa, umbratile tantum sibi corpus effingit. Sicut Salia herbarum per menstruum Mundi soluta species herbarum in vitro, unde desumtæ sunt, ostendere coguntur; Ita salem sanguinis humanam imaginem mediante minimo calore ostendere posse, certum est. Atque hunc verum homuncionem *Paracelsi* credere, æquum est, confidenter asseruit *Guilhelm. Maxvell.* (*l. 2. de Med. Magnet. c. 20. p. 194.*). Adde *modo* (§. *116.*) de Alaudæ cinere prolata.

§. 119.

Sanguini namque Ideæ seminales insunt, idque pulchre historia *à Mart. Weinrich.* (*p. 1. de Monstr. c. 15. p. 143. α.*) commemorata illustrat, de puella, quæ ab epotum felis sanguinem, voce, saltu, gestu, vestigiis, captura murium, ani-

animal illud æmulabatur. *Dav. Beckius* (*c. l. p. 201.*) singularum partium peculiares Ideas per universum corpus perreptanti sanguini imprimi, atque hujus auxilio, tanquam vehiculo quodam ad generationem organa, testiculos deferri, semen ut ingrediantur, *idem* (*c. l.*) *p. 199.*) opinabatur, & forsan rectius præ illis, qui Semen ab omnibus partibus corporis abradi astruxerunt, quid enim tum aliud erit semen, *argutante Joh. Marco Marci* (*l. 1. id. opemtr. c. 1.*), quam homo eliquatus in illud confusum, & ex mille partium figuris coalitum Chaos? Et si ita, qua ratione singula se expedient ab illa confusione in ordinem & debitum situm redigentes.

§. 120.

Illustrant hæc, quæ *Helmont. Somnolentus* circa generationis nostræ principia vidit (*tr. Fluxus adgenerationem p. 580.*) & sunt hæc: Postquam virile fœmineo semini sociatum est in uteri concavo, confestim cessat illius magnetis suctus, clauditque uteri ostium prope ejus cervicem. Uterus vero contentum undequaque & adæquatè excluso omni aëre, benevolo favore amplectitur, incipitque amborum exactior commissio propter occultam Syngamiam utrinque in seminibus explicatam. Mox dein, tametsi conceptum semen initio turbidum sit, atque opacus liquor, attamen biduo abinde transparentis albuminis similitudinem assumit. Sexto autem die, (neque enim prius) apparuit mihi seminum incola Archeus, tanquam vapor nubilus, qui post decimo tertio die hominis figura umbratiliter dotatus fuit, cum aliqua clarificatione suæ spissitudinis. Quæ somniabundus deprehendit *Helmont.* clarius *oculati viri Anatomici incomparabiles, Guilhelm. Harveus* (*Exerc. de Gener. Animal.*). *Marcell. Malpihg.* (*de Ovo incubato*) & imprimis *Theod. Kerckring.* (*Anthropogen. Ichnograph.*) vigilantes deprehenderunt. Vidit autem *Kerckring.* (*c. l. c. 2. p. 4.*) in fœtu trium, aut quatuor ad summum, dierum, in quo forma aliqua in rudimentum hominis efficta, & caput clarè à corporis mole distinctum, in capite autem quasi per nebulam annotata organorum puncta. En umbratilem corporum humanorum in conceptu delineationem. Ab umbra incipit, in umbra desinit homo.

§. 121.

Quando igitur in locis memorabili clade claris, de quibus *P. Thyræus* (*p. 3. de Loc. infest. c. 15. th. 8. p. 60.*) evolvendus, ubi corpora sepulta, *vid. Plaut.* (*Mostell. Act. 2. sc. 2. v. 65.*). *Vit. Rietlin.* (*Ann. 6. Lin. Med. M. S. obs. 21. p. 1066.*) *Guilh. Maxvell.* (*l. 1. de Med. Magnet. c. 2. p. 9.*). *Mich. Watson.* (*un. Sapient. s. 3. p. 2. c. 4.* §. *4. p. 407.*) prout Fesulis ingens multitudo inter sepulchra lugubri

veste pallida facie interdiu ambulare gregatim visa, de quo *Conr. Lycosthen.* (*Chronic. Prodig. & Ostentor. p. 199.*) in Macello, in & circa patibula imprimis noctu, vid. *Joh. Evich.* (*l. 2. de Off. Magistr. Temp. Pest. c. 5. p. 146.*) visui se objiciunt nostro ignes fatui & variæ coruscationes, id Physici & Chemici vaporibus pinguibus & calidis è Cadaveribus evaporantibus, & in sublime actis horum ortum assignant. *Vid. Hier. Cardan.* (*l. 16. de Var. Rer. c. 93. p. 1097.*). *Wolfg. Meurer.* (*Quæst. Meteorolog. p. 210. & 214.*). *Conrad. Gesner.* (*de Herb. Lunar. p. 20. sq.*). *Henric. Noll.* (*l. 7. Phys. Hermet. c. 2. s. 3. §. 4. p. 276.*). *Casp. Bartholin.* (*p. 2. Phys. System. l. 1. Meteor. c. 6. f. 155. b.*). *Tob. Cober.* (*Decad. 1. obs. Castr. & Ungar. 10. p. 118.*). *Libert. Fromond.* (*l. 2. Meteorol. c. 2. Art. 1. p. 43.*). *Jacob. Gaffarell.* (*Curios. Inaudit. c. 5. n. 10. p. 99.*); Ita *Francisc Castilionensis Benivenium*, qui juvenis adhuc ad flammas in æde conspectas territus vix spiritum traheret, erexit & informavit, vapores è cadaveribus mortuorum elevari, qui calidissimum aërem nacti facite inflammantur, quod ipse *Anton. Benivenius* (*de Abd. Morb. Caus. obs. 62. p. m. 164.*) retulit. Ignem lambentem in hasta vigilis Dresdæ ante mortem illustrissimi Electoris Saxoniæ visum cum notasset *Barthol. Keckermann.* (*l. 6. Syst. Phys. c. 4. p. 666.*) subjicit: Causæ esse possunt, quod aut oleum ibi perfusum, aut homo sepultus, aut aliud animal enecatum fuerit, vel etiam largius nonnihil vigil iste potavit, aut obesus, aut sudans ob exercitia, extitit.

§. 122.

Possunt tamen & in locis, ubi nec Cadavera sepulta, nec causæ allegatæ locum inveniunt, ejusmodi coruscationes animadverti, v. g. in antennis navium, in capitibus, & aliis partibus corporis humani, in apicibus & summitatibus turrium, in aquis, stagnis, paludibus, Mari. Benè idcircò *Renat. Cartes.* (*Meteor. c. 7. n. 125. p. m. 171.*): Si exhalatio subtilis & penetrans, quæ salis naturam participet, alterius pinguis & sulphureæ poros ingreditur, hoc ipsum sufficere potest ad tenues quasdam flammas, tam in sublimi, quam infimo aëre excitandas. Certum etiam est, notat idem, non tantum vehementem agitationem, & sæpissimè etiam solam diversorum corporum misturam igni producendo sufficere. Ut videmus in calce aqua conspersa, aut in fœno: Si, priusquam siccum sit, recondatur, & in multis aliis Exemplis quotidie Chymicis occurrentibus. Quando in locis, ut vocantur, secretis, cloacis, & latrinis, lampades, luculæ & ignes conspiciuntur, non oppidò decernendum cum *Paracelsf.* (*T. 2. Op. Fragm. de Homunc. & Monstr. p. 281.*), abortus aut fœtus in eadem loca esse projectos,

jectos, sed evaporationibus pinguioribus ex ista Scybalorum colluvie prodeuntibus, quibus multum salis nitrosi & sulphuris inest, (*Vid. h. l. Tit. 9. §. 67.*) à quo vulcanuli isti procedunt.

§. 123.

Spectant huc faculæ ferales, vulgò *Todenlichtlein*, quarum primus forte mentionem fecit *Excell. Michaël. Bernhard. Valentini*, (*Diss. Epistol. 3. p. 153.*) quas non tam demortuorum Animas vel spectra esse, ut vulgi est superstitiosa sententia, quam potius Aphronitrum è pavimentis domuum antiquarum erumpens & exsudans, quod cum particulis sulphureis è cadaveribus exhalantibus motitatum & permotum aëris incensum flammulam & faculam constituentem ab igne fatuo mole saltem differentem. Similem cum hisce & cum igne fatuo ortum habet ignis ille, qui, ut meminit *Casp. Schott.* (*l. 11. Phys. Curios. p. 1. c. 10. §. 3. p. 1211.*), post magnos calidos & continuos horarum aliquot flatus certis temporibus comparet Mœmis, (Siciliæ est urbs, monti imposita,) in Cœmiterio Templi *S. Agrippinæ Virginis ac Martyris*, adhæretque muris Templi ac turris magna hominum plebejorum lætitia, qui eum vocant ignem S. Agrippinæ & in argumentum gaudii omnes dicti loci campanas compulsant, ut ipsemet vidit atque audivit *Schottus*, cum inibi degeret. Error ipsi est simplicis plebeculæ, qui tamen totam penè urbem in partes traxit: vix enim ullus est, qui non existimet, supra Naturæ vires id contingere. Sed error est; aliud enim non est, quam meteorum, viscosa scilicet exhalatio è Cœmiterio copiosius tunc, cum ventus calidus ac vehemens incumbit exhalans & agitatione atque ad muros allisione accensus, ac tam diu durans, donec, absumta materia, spontè emoriatur flamma.

§. 124.

Ignes isti cum aliquando stridorem & sonum emittant, aut in aëre concitent, loqui & vocem emittere dicuntur. Contingit, *inquit Hier. Cardan.* (*l. 14. de Variet. Rer. c. 69. p. 914.*), ut præter id, dum crepitant hi ignes, pariant inconditas etiam voces quasdam humanis simillimas, unde credulis quibusdam persuasa est, animas defunctorum his ignibus circumdatas expiari & expurgari. Vulgus etiam fingit, *narrat Lib. Fromond.* (*c. l. p. 45.*): Animas purgatorii esse, quæ vagentur circumdatæ & alligatæ hoc expiatorio igne. Et auget suspicionem, *pergit*, quod aliquando videantur voces quasdam edere: quia forsitan pars materiæ densior accepto intus & intento spiritu rumpitur & cum crepitu dissilit: vel quia nocturnus ros cum stridore flammulam incidit: vel quia ipsa secando aërea sibilum facit: ipse etiam Genius aliquando rector, fingere vo-

ces ad terrorem aut dolum poteſt. Et cum ſecundum *Anton. Mizald.* (*ap. Cardan. c. l.*) infantis ſe moventis effigiem præbeant hi igniculi, Animas non baptizatorum infantum infantiliter ſatis pronunciavit ſuperſtitioſa Antiquitas.

§. 125.

Spectra demum naturalia dantur, quæ partim in ſuprema, quamvis huic potius Gas ſubtiliſſimum & inviſibile tribuat *Jo. Bapt. Helmont.* (*tr. Gas Aquæ n. 16. p. 61.*), partim media & infima Aëris regione conſpiciuntur. Refertos iſtiusmodi oſtentis Hiſtoricorum & Phyſicorum Commentarios invenias. *In Sacris* Exemplum (*l. 2. Machab. c. 5. v. 2.*) habemus, exitii Hieroſolymitani nuncium *apud Joſeph.* (*l. 7. Bell. Judaic. c. 12.*) Amſtelodami prœlium navale in aëre per duas horas fere continuas à multis conſpectum, *Henr. Morus* (*l. 3. Antidot. adv. Atheiſt. c. 12. §. 8. p. 331.*) annotat. In ea Libyæ parte, quæ circa Syrtes eſt, quieto à ventis tempore quandoque in aëre diverſorum animantium formas apparere: Quarum quædam quieſcunt, quædam moventur: aliquando fugiunt, aliquando inſequuntur, *Diod. Sicul.* (*l. 4. c. 4. p. 84.*) commemorat. Varia in faſciculum collecta promit *Caſp. Peucer.* (*de Divinat. Gen. p. 732.*). *Joh. Jonſton.* (*Cl. 3. Thaumatogr. Nat. c. 12. p. 120. ſq.*). *Cornel. à Lapide* (*in l. 2. Machab. c. 5. v. 27.*). *Jacob. Gaffarell.* (*p. 4. Curioſ. Inaud. c. 12. n. 2. p. 229.*). *Ed. Neuhuſ.* (*l. 2. Sacr. Fatidic. c. 7. p. 132.*) *Laudatus Caſp. Schott.* (*l. 6. Phyſ. Curioſ. c. 1. ſq. p. 743.*). *Eraſm. Franc. Erd-umgebender Lufft-Kreiß Diſc. 6. p. 614. 626. 650.*). De Phaſi Morgana *Athanaſ. Kircher.* (*l. 10. Art. magn. Luc. & Umbr. p. 2. c. 1. paraſt. 1.*). *Schottus* (*p. 1. Mag. l. 4. Syntagm. 1.*). *Petr. Borell.* (*in Vit. Carteſ. p. 8.*). *Joh. Marc. Marci* (*p. 3. Philoſ. Vet. Reſtit. ſubſect. 3. p. 283.*)

§. 126.

In cauſis indagandis ad ſupernaturales confugiunt quidam. Ita *Cornel. à Lapide*, (*c. l.*), ab Angelis juſſu DEI in aëre illa effici per vaporum & exhalationum certam diſpoſitionem, motum & concurſum, dixit. A DEO miniſteri ointelligentiarum, effingi, *Nic. Cabeus* (*l. 3. Meteor. tr. 29. p. 2.*) ſtatuere videtur. Add. *Gregor. Michaël.* (*in Not. ad c. l. Gaffarell. p. 402.*). Sed videte quæſo Atheorum noſtrorum hic ingenium, exclamat *Lib. Fromman.* (*l. 6. Meteorol. c. 4. Art. 1. p. 501.*), quibus una Philoſophia & cura eſt, DEUM & omnem creatam intelligentiam jugulare. Cum *Cicerone* (*l. 2. de Divinat.*) quosdam in media luce Hippocentauros & Chimæras in nubibus fingere aſſerunt.

§. 127.

Contra rationibus, cum Phyſicis, tum Opticis hæc oſtenta Aërea, quas

Ari-

Aristotelici Φαντάσματα, seu spectra vocant, explicare nituntur Physici, tum Optici. *Vid. Augustin. Niphus (p. 1. Meteor. f. 34.).* Fuerunt & sunt adhuc, qui has lecturas seu notas hieroglyphicas, ut loqui amat *Jac. Gaffarell.* (*c. l. p. 231.*), fortuito contingere asserunt, haud aliter, ut de Gruum volatu *Lucan.* (*l. 5. Pharsal. v. 712.*) cecinit:

Effingunt varias, casu monstrante, figuras,
Mox ubi percussit tonsas notus altior alas,
Confusos temere immixta glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis litera pennis.

Pro diversa nubium & exhalationum, ex quibus fiunt, dispositione & positu ad Solis, Lunæ & aliorum siderum radios, ventorumque motu diverso mille rerum simulacra emergere credunt, quæ navium, militum, turrium, Leonum, Draconum &c. repræsentent figuram. Quod si contingat, ut nubes his imaginibus imprægnatæ contrariis moveantur motibus, quod se vidisse testatur *Dan. Sennert.* (*l. 4. Epitom. Natur. Scient. c. 5. p. 33.*) pugnas & acies congredientes exprimere & oculis subjicere possunt.

§. 128.

Sed cum ejusmodi ostenta summe mirabilia videantur, & rerum imagines ita exprimant, ut tutò fortuitis accenseri nequeant, aliis placuit nubes crassas & ad instar speculi veluti purgatas effigies terrestrium recipere, in quibus, tanquam in speculo ab hominibus cernantur. Narrat *Hieron. Cardan.* (*l. 2. Contrad. Med. tr. 2. contr. 7.*), visus aliquando in Nubibus Angelum cum ingenti omnium stupore & admiratione, donec à *Palacano, quodam Philosopho*, edoceretur, nihil aliud fuisse, quam ἀπαύγασμα lapidis figura Angeli in summitate Templi *S. Godoardi*, qui in nube crassa, tanquam speculo repræsentaretur. Atheis hanc mentem tribuit cum *Fromondo* (*c. l.*) *Nicol. Cabeus*, (*Comment. in l. 3. Meteor. t. 29. qv. 2.*), exclamatque iterum *Fromondus:* Quousque humanam mentem à ratione alienat impietas! His præterea quæ opposuit *Schott.* (*l. 6. Phys. curios. c. 2. §. 1. p. 748.*), legi merentur, qui cum omnium fere teratur manibus, ad eum benevolum Lectorem remitto.

§. 129.

Vir portentosi ingenii *Henr. Kipping.* (*l. 8. Instit. Phys. c. 2. §. 1. p. 319.*) appellatus *Thom. Companell.* (*l. 3. de Sens. Rer. c. 9. p. 225.*), aërem affici præsentibus futurisque rebus atque nobis communicare, prolixe demonstrare conatur, & tandem (*p. 230.*) concludit: Quoniam omnis præparatio in communi sensu aëris est, ipsa afficitur simulacris rerum consimilibus, sicut nos dormientes

tes simulacra armatorum hominum, & colubrorum aliarumque rerum videmus, dum in nobis excitantur à præsenti passione motiones Sopitæ talium rerum. Sic affirmari posset, ipsum Aërem somniare & figurare, quæ futura sunt, cum in se sit communis spiritus. At Angelos, *subjicit*, Dæmonesque plerumque motiones extra ordinem factas in Aëre ostentare, alibi à nobis declaratum est. Sed somniet ista in carcere, incarceratus Philosophus.

§. 130.

Figuras istas Necrocomias vocat *Paracelf. (l. 2. de Podagr. p. 571.)* & de his asserit: *Sie haben weder Vater noch Mutter, und sind Ding ohne Vater und Mutter, und ihr Materia ist von Anbegin nicht gewesen.* Quo loco, & alibi, illas è stellis, aut earum spermatum mistura sumere corpus, materiam & formam, docuit (*T. 2. Oper. l. 1. de Meteor. p. 97.*), ubi de earum ortu ista prodidit: *Wie ihr sehet, daß unter den Menschen Misgewächs wachsen, zu selzamen Zeiten, unversehene Kinder mit selzamer Gestalt und Wesen, die dann nicht zu beschreiben sind, allein der ganzen Misgestalt halben: Also in dem Weg die Figuren in Himmel Misgewächs sind: aus dem Regenbogen etliche, etliche aus dem Gewölck, etliche aus Vermischung solcher Formen zusammen. Zugleicher Weis also drey oder viererley Spermata zusammen gossen werden, daraus wird ein Monstrum: Also werden auch da Vermischungen der Sternischen Spermatum. So alsdenn die Corpora zusammen kommen, so eilet ein iegliches auf seine Form: mit dem so bricht je eins das andere: Also werden Form draus, die niemands anzeigen kann oder vorsagen: aus bemeldeten Ursachen der selzamen Vermischung. Darum solche Form nicht für selzam, oder etwas Miraculs angenommen werden, noch für eine Weissagung, wann solcher Irrung der Natur geschehen viel.* Spiritibus supremæ influentiæ & infimæ harum productionem ascripsit alibi (*l. 2. Philos. prolog. in tr. 6. n. 4. p. 37.*)

§. 131.

Joh. Marcus Marci (*c. l. p. 290.*) ita discurrit: sicuti terrarum & maris, ita quoque aëris certæ sunt regiones, atque illarum proprietates, locaque ideis seminalibus fœta, ex quibus fructus aërei, (Meteora plantas aëreas vocat ex invisibili principio in eam speciem nascentes, *p. 2. c. l subs. 1. p. 149.*), suis quique temporibus proveniunt: licet majori ex parte prout ipse Aër sensum effugiant. Ex ejusmodi fructibus aëreis vagantur in aëre velut stellæ, corpora diaphana, ipso tamen aëre magis solidæ, quæ ubi inter stellam quampiam lucidam ipsumque visum moveri contingit, refractione per ejusmodi corpus aëreum facta stella cadere, suoque loco moveri videtur, uti non semel (*p. 150.*) ob-

observavi. Quidni ergo & nobis vicinæ ſint ejusmodi ſtellæ & corpora diverſarum figurarum, in quæ aër ſolidatur? à quibus rerum longe atque etiam ultra montem poſitarum reflexio fiat ad ipſum ſenſum, non aliter, quam ſi ab arte ſpecula ibidem poſita eſſent? Pergit *(p. 3. ſubſect. 4. p. 291.)*. Quid prohibet ſui generis eſſe animantes inter viſibiles & inviſibiles creaturas veluti medias? Similes illis Animalculis, quæ ad Boryſthenem naſci ferunt, Ephemera ex eo dicta, quod dies idem, qui vitam dedit, eam finit, ſole enim oriente nata, eodem occidente, rurſum occumbunt. Ita pyrauſtæ animalcula in mediis aëribus nata, vitam à flamma habent dependentem; eaque extincta evaneſcunt. Quidni ergo aër certis locis ſemina contineat, ex quibus ejusmodi animalium formæ umbratiles proveniant, ubi certa vis Solis & favor cœli incubuit.

§. 132.

Neque verò aër talis eſt, ratiocinari pergit, *(p. 292.)* qualem oculi nobis exhibent, per totum homogeneus ac ſimplex, verum rerum inviſibilium figuris plenus: prout ipſum quoque Aquæ Elementum, in quo demum, ubi frigore coire, & in gelu ſolidari cœpit, varietas illa in conſpectum ſe dat, quod rarius in aëre contingit ob tenuitatem, motumque ejusdem figuris rurſus diſſipatis, inde etiam dicta ſpectra non niſi quieto Aëre provenire dicuntur. Si itaque mentis oculo hanc Atmoſphæram, qualis in ſe eſt, intueri liceret, non minor varietas in eo cerneretur, quam globulis vitreis cum prope oculum luce implentur, plenum aëris figuris, & veluti ſtellis *(p. 2. Subſ. 1. p. 150.)*

§. 133.

Admittit autem *(p. 293.)*, à Natura non intendi primò & per ſe tale animal; ſecundariò verò non eſſe præter intentionem Creatoris. Quod verò hæc ſimulacra aërea è Chao aëris evoluta, eandem perfectionem, quam in primo mundi exortu minimè conſequantur, in cauſa eſt aër à ſuis ideis jam conſtitutus, à quibus ideæ abſunt coagulativæ. Neque animalia propriè dicuntur, niſi inchoativè, ut Embryo; neque motus ille, quo hominem ſequi, aut fugere videntur, talis eſt à principio interno, verum ex aëris motu, prout in Igne fatuo cauſatur. Hæc eſt doctrina *Marci*, de qua cur non cum *Kirchero* enunciare liceret: Ideas tuas, *mi Marci*, non omnes capiunt. *(Vid. Præfat. ad Lect. in Philoſ. vet. Reſtitut.)*

§. 134.

Atheorum præterlapſi ſeculi primicerius Jul. Cæſar. Vanninus. (de Apparit. Dial. 51.) ſimulacra Equitum, Reditum, Aliorumque hominum in

Aëre

Aëre aliquando visorum esse vaporem aut fumum Cadaverum in aërem elevatum, & in certam proportionatam quandam posituram dispositum. Et hæc ipsa opinio, cum illa, quæ productionem Spectrorum humanorum in Cœmiteriis supra (*§. 118.*) delineatam dedit, convenit.

§. 135.

Occurrit *Damascius* (*in vita Isidori Philosophi*) quem *citat. Casp. Schott.* (*l. 2. Phys. Curios. c. 10. p. 246.*) *&* *M. D.* (*in dem Natur-und Kunst Spiegel c. 2. p. 15.*), Spectra ista Aërea Animas demortuorum renuncians. Cum enim *Attila Scytharum Dux* cum *Aëtico Valentiniani III. Rom. Imperatoris Duse* congrederetur, & pluribus suarum copiarum ad Ligerim fluvium amissis, (in campis Catalaunicis id accidisse Alii perhibent,) superaretur, visæ & auditæ sunt per tres dies & noctes Animarum formæ pugnantes, nihil viventibus pugnando infirmiores neque manibus neque animo & alibi circa crepusculum matutinum, aurora oriente in Aëre frequentia Animarum spectra, umbrarum figura inter se pugnantia apparere, *idem* scripsit. Sed his *supra* (*§. 112.*) circa Animarum apparitionem allata lucem fœnerantur. Ut non addam *Damascium* Scriptorem Ethnicum valde superstitiosum *Sam. Bocharto* non sine causa nominari, (*l. 2. Canaan. c. 2. p. 785.*). Gemella sunt, quæ de Spiritibus ex occisis expirantibus, mortisque suæ vindicatoribus, tradidit *Sebast. Wirdig.* (*l. 1. de Med. Spir. c. 28. §. 6. & 7. p. 206.*), quibus etiam post bellum Peloponnense pestem Atticam atrocissimam ascribere videtur.

§. 136.

De his *Renat. Cartes.* (*c. l. n. 17. p. 172. 173.*): Quia nulla unquam ejusmodi spectacula ipsemet vidi, neque me fugit, quantum superstitio & ignorantia relationes, quæ de iis fiunt corrumpere soleat & augere, hic satis habebo leviter attingere causas omnes, ex quibus aliquid tale produci posse mihi videtur. Prima est, cum variæ nubes in cœlo existunt, tam exiguæ, ut milites videri possint & unæ in alias decidentes, satis multas exhalationes involvunt, ad parva quædam fulgura excitanda, interdumque ignis globulos ejaculandos & nonnullos sonitus emittendos; quo ipso hi milites confligere videntur. Secunda est, cum hujusmodi nubibus in cœlo existentibus, non quidem unæ in alias decidunt, sed diversimode micant, & lumen illud reflectunt, quod coruscationes & ignes alicujus magnæ tempestatis, tàm longè inde sævientis, ut ibi ex terra non percipiatur ad illas usque transmittunt. Tertia denique, cum hæ nubes aut aliæ quædam ad Septentrionem accedentes, à quibus lumen accipiunt, sunt in regione aëris tam excelsa, ut

ut radii ſolis jam infra horizontem deliteſcentis, ad illas poſſint pervenire. Si enim attendamus ad refractiones & reflexiones, quas duæ aut tres ejusmodi nubes variis in locis ſitæ, & lumen unæ ab aliis accipientes efficere poſſunt, facile intelligemus non opus eſſe, ut ſupra modum excelſæ ſint, ad inſolitas quasdam luces noctu exhibendas; atque etiam interdum ad efficiendum, ut ipſe ſol ſupra noſtrum horizontem appareat, eo tempore, quo illum infra eſſe certum eſt.

§. 137.

Varia hæc ex variis, ſed quæ vix curioſo & veritatis amanti ſufficient, cum multa ἄδοξα & παράδοξα inferant. Nubium figura omnino eſt varia, irregularis & inconſtans, ob materiam heterogeneam, & facile mutabilem. Hinc pro varia diſpoſitione Solis & reliquarum ſtellarum, (quamvis ſimulacra illa rarius de nocte conſpiciantur,) ſæpius de die & receptione luminis earundem varios non tam recipiunt colores, ſed & ſimulacra repræſentant, quæ in certo puncto conſtitutus videt & animadvertit, ſecus qui extra illud, non aliter ut in imaginibus confuſis contingit. Et hæc eſt ratio cur unus vel alter ſaltem, non omnes ejusmodi phasmata & ſpectra aërea cernant. Iſta fortuitis accenſenda & momentaneis, ſi aër ſit turbidus, cœlum minime ſerenum, ventusque nubium variæ miſcellæ velificetur. Confuſis & incertis ſolæ cauſæ naturales ſcenam dirigere poterunt. Contra ſi aëre ſereno, cœloque non multum nubilo variæ imagines oculis obviæ, omnibusque præſentibus diſtinctæ, conſpicuæ &, evaneſcente una ſuccedat altera, perque aliquod notabile temporis ſpatium, horas, dies, menſes, imo & annum, ut inſtantis Judæorum extremi exitii commonefactio teſtari poterit, conſiſtant, diſtinctas & notabiles actiones, v. g. militares, militum & navium concurſu & conflictu, qualis in prœliis terreſtribus & navalibus contingere conſvevit, tormentorum exploſione, fumos & fragores concitent, quin & voces humanæ audiantur lamentabiles & aliquando mortui in ſarcophagis ab hominibus feralibus veſtibus amictis circumferantur, in naturalibus cauſis ſaltem ſubſiſtamus, pietas non ſinit. Bene *Edo Neubuſius (c.l.)*, conſertorum exercituum adumbrati conflictus, hominum, beſtiarum, tormentorum, ſignorum, quæ penicillo depictæ imagines ex nullis, meo quidem judicio, vaporibus ſuſcitantur, nullis ſtellarum radiis figurantur, nullis nubium tincturis coloribusque delineantur. Divinitus vero conformari puto, ut deſcripta inſtantium eventorum ante oculos noſtros imagine, aut certam animi divini auxilii ſpem concipiamus, aut impendentium malorum territi magnitudine ſuſceptæ pravitatis noſtræ cogitatione mores impios emendemus &

reconciliata offensi Numinis gratia, tum salutem illi nostram commendemus, tum pœnæ mitigationem suppliciter exposcamus. Funera per nubes delata, divinæ bonitatis admonita, adeoque extra Naturam referenda, ut tempestivè quis lampadibus oleum prospiciat, ratiocinatur *J. B. Helmont. (tr. Tumul. Pest. p. 875.)*

§. 138.

An Diabolus cum ministris, Magis & Sagis hic etiam suum adhibeat penicillum, multis disquirendum non reor, cum constet, olim fuisse quosdam ex hoc turma, qui milites umbratiles in campo sistere potuerint, & hoc in bello Germanico triginta annorum elapsi seculi factitasse quosdam è Nobilibus Chiliarchis & Capitaneis à fide dignis, qui his, ut ministri, à latere fuerunt, non semel accepi. *Sie sezten Schildwachten aus, und machten Soldaten ins Feld.* Hæc verò meræ fuerunt oculorum fascinationes & præstigiæ Dæmoniacæ & Magicæ. Quod si hoc in terris, cur non etiam in aëre, quod vel turma ista furiosa, *das wütende Heer*, satis declarat, de qua (*§. 30.*); quod verò suos Ministros in aërem elevando ejusmodi acies & prælia instruat pessimus ille μυριοτεχνίτης, ut ille *ap. Erasm. Francis. (c. l.)* conjicit, vix credo, aliàs & equos, Naves, turres cum requisito apparatu bellico, item Leones, Aquilas & quæ non alia in nubium sublimitates ipsi essent transferenda, quod impossibile quidem mihi videtur.

§. 139.

Quod ad Spectra naturalia, quæ in infima aëris regione, etiam sub terra comparent, illa vel ex pura causarum naturalium ignorantia, vel ex sensus visus illusione emergunt, & talia habentur & pronunciantur. Primum facit, ut in hanc classem referat Meteora, *juxta Edo. Neuhus. (c. l. c. 26. p. 453.)*, vulgus. De igne fatuo plura referre operæ pretium non est, cum ex supra dictis hujus persvasionis constet vanitas. Quis è plebejis non expavesceret, si in montes & campos noctu ignium & stellarum instar lucentes, de quibus egregia vide sis *ap. Pl. Reverend. Dn. D. Thom. Ittig. (s. 1. de mont. incend. c. 13. p. 147.)* insperato incideret? Quid si in Chiles montibus iter facturis occurreret viator flammis coruscus, ignemque ore & naribus spirans (*vid. h. l. Tit. 3. §. 1. & Tit. 9. §. 61.*)? sanè locum huic inter Spectra darent. Ignibus velis navium insidentibus vix *Pollucis* & *Castoris* nomen imposuissent, illisque frangerent tempestatis & ventorum impetum & sævitiem supplicassent, si productionem eorundem in Naturæ majestate abditam penetrassent. Quæ illa est Mœnorum in Siciliæ Regno simplicitas, qui ad conspectum ignis ut vocant S. *Agrippinæ* in cos-

cœmiterio Templi prædictæ virgini ſacrati muris Templi ac Turris adhærentis in argumenta gaudii omnes dicti loci campanas pulſant, ut modo *è Schott.* (*§.120.*) allegatum, cum aliud non ſit, quam Meteoron. Quis non Perſarum irrideat de ſtellæ cadentis origine traditionem? Cum DEUS è cœlo relegaſſet malos Angelos, docent *ap. Adam. Olear. (l.4. Itiner. Muſcov. Perſic. c.28. p. 478.).* Hi deſiderio flagrarunt experiundi, quid rerum cum bonis in cœlis ageret DEUS, ſtellam capiti ſupremi Diabolorum immittendo, eundem cum ſociis in cinerem redegit. Quo circa ſtellam cadentem videntes læti exclamant: *Chodanike daſcht mara es ſcheitam, Heme buſchuch tend wema chalas ſchudiar!* Deus nos defendit à Diabolo; omnes comburuntur, nos verò liberamur.

§. 140.

Qui in fodinis metallicis verſantur, & ſubterraneas operas ſectantur, coruſcationes Metallicas non raro horrent ut ſpectra, infauſtasque illas evaporationes & nebulas, (vulgo *den Schwaden*), ut ipſum Dæmonem, cum vitam perſundent, ſanitatisque obſint multum. Ignibus etiam terrentur viatores, loca Metallorum ferocia noctu perambulantes. Sed hi ſunt minerales effumationes, ſulphureæ & pingves, *ſecundum Joh. Joach Becher. (l.1.Phyſ. ſubt. ſ.2.c.3.n.2. p.79. & c.5.n.4.p.106.) & Chriſtian. Lang. (de Therm. Carolin. c.2.n.61.),* quæ ſi inhalant ſvaviſſimas interdum flammas in mineris cauſant, ut iterum *Becher. (c.l.ſ.3.c.3.n.22.p.163.)*

§. 141.

Viſus varias illuſionis ſubit ſcenas. Ut autem illuſiones illæ & exinde deſcendentes errores eludantur, requiſita communiter tria obſervanda præſcribunt. (1) Organum ſit recte conſtitutum. (2) Medium aliena qualitate non affectum. (3) Debita diſtantia inter Objectum & Organum. Ad viſionem rei aſpectabilis ſex conditione, neceſſarias eſſe pronunciavit *Franc. Aquilon. (l.1. opt.)*: (α) Illuſtrationem, (*propoſ.58.p.60.*) (β) diſtantiam ab oculo, (*prop.56.p.59.*) (γ) Situm ſeu oppoſitionem, (*prop.55.*) (δ) Magnitudinem, (*prop.54.*) (ε) opacitatem, (*propr.53.p.58.*) (ϛ) Medii perſpicuitatem, (*prop.57.p.60.*). Addit his moram, (*prop.78.p.84.*) & organi integritatem, (*l.4.p.217.*). Detexit igitur (*c.l.*) egregiè fallacias aſpectus circa diſtantiam, (*p.219.ſq.*), circa magnitudinem, (*p.227.*) circa ſitum (*p.256.*), circa figuram (*p.272.*), circa locum (*p.330.*), circa numerum (*p.342.*), circa motum & quietem (*p.347.*), circa transparentiam & opacitatem (*p.352.*), quorum omnium cognitionem ante (*l.3. à p.154. ad. 196.*) deſcripſerat. Omnes autem

aſpectus fallacias aut depravato intuitu, aut falſa æſtimatione ſcientiæ, aut vitioſo Syllogiſmo inferri (*l. 4. p. 216.*) probat, & errores viſus poſſe corrigi tum mente, tum aliis internis externisque ſenſibus (*p. 218.*) tradit.

§. 142.

Ut vero liquidius & diſtinctius hæc omnia proponi queant, notandum, inculcat *Martin. Schoock.* (*p. 1. de ſcepticiſm. l. 3. c. 1. p. 189.*), quod ſenſus ſit vis animæ ſenſitivæ, ſenſibilia objecta percipiens. Ad hunc autem præ cæteris requiruntur (α) objectum ſenſile, (β) Species ſenſilis, (γ) Organum, (δ) Medium interveniens inter Objectum & Organum, (ε) ſenſio ipſa, ſeu ſenſatio ac modus cognoſcendi. Quatuor priora ſunt propter ſenſionem, poſtremum propter ſuppoſitum ſentiens, ſeu hominem judicium ſenſitivum ratione Animæ ratiocinativæ, quatenus ea eſt virtualiter ſentiens, exercentis.

§. 143.

Inter objectum ſenſile (1.) & organum, debita occurrat diſtantia, quæ ſi talis non eſt, notabiles oboriuntur deceptiones, declaratæ à *Schoockio* (*c. l. c. 6. p. 191.*) & *Eraſm. Barthol.* (*de Nat. Mirab. Tit. Experimenta p. 91.*). Quis eſt, qui noctu comprimis iter faciens remotas Arbores, Arborumque truncos ſæpiſſime, aut homines, aut bruta, aut ſpectra ſub eorundem forma non exacte percepta eſſe non aliquando judicat. (2.) Sit debita magnitudine dilatatum, exiguum namque viſum effugit. Hinc picturæ & ſculpta ſigna, in quibus majores partes accurate ſunt expreſſæ, minores vero ruditer effigiatæ, (quia hæc procul conſpectæ oculorum radios non ſubeunt,) elegantiam præ ſe ferunt cominus ſi videntur non ita, dum minores partes majorum decus obſcurant, (*Schook. c. l. p. 192.*). Nos de his, ut & de virginibus quibusdam: *Komm mir nicht zu nahe. Sie fernen wohl und nahen übel.* Objectum ſeu viſibile prætereà (3.) debitum ſitum habeat. Cernitur autem in ſola oppoſitione, quod rerum aſpectabilium formæ rectis lineis ſemper protruduntur. Ratione hujus diſparis ſitus (α) Templorum pavimenta impedientibus, faſtigiata videntur. (β.) Maris convexitas gibbi in morem protuberare cernitur. (γ.) Planæ ſuperficies libella expenſæ, ſi viſus altitudinem ſuperant, alveolatæ apparent. Objectum (4.) quamvis opacum eſſe debeat, lumine tamen (5.) irradiatum ſit, quæ illuſtratio cum diverſimodè contingat, non ſolum varii, ſed etiam phantaſtici colores emergunt. Objectum (6.) quieſcat, utique neceſſarium videtur, quod equidem requiſitum omiſit *Schookius.* Tempus & mora ad viſibile conſiderandum (7.) requiruntur, quia ob temporis brevitatem aſpectus nequit veram rei diſtantiam explorare, ut demonſtravit (*l. c. prop. 8. p. 226.*) *Franciſcus Aquilonius.*

§. 144.

§. 144.

Organum prætereà rectè dispositum adhibeatur necesse est. Debile non sit. Oculi Antiphontis (*Antipherontis* habent *Alii*,) adeò imbecilles radios vibrabant, ut ne quidem ipsum Aërem pervaderent, sicque ad oculos reflexi in causa erant, cur *Antiphon* suam imaginem in Aëre videret. Nec inducor, *addit Th. Barth.* (*Consil. de Comet. p 24.*), ut cum *Manelpho* (*in l. 2. d. Anim. Disput. 20.*), quo etiam inclinat *P. Victorius* (*l. 25. Var. Lect. c. 22. p. 404.*) & *subtilitatum Architectus* (*Exerc. 312. p. 1005.*), credam, *Antiphontem* Melancholia laborasse, siquidem is est, qui præclarè de veritate scripsit *à Galeno laudatus* (*l. 3. Epidem. Comm. 3. tr. 32. p. 260.*). Quem Antipherontem illum, cujus *Aristot.* (*l. 3. Meteor. c. 4.*) meminit non esse, citatus *Victorius* (*c. l.*) non absque causa concludit. Itaque Silicernia & mulieres vetulæ, inquit *Joh. Pena* (*in Præfat. l. d. Us. Opt.*), quibus propter decrepitam ætatem hebetior est visus, frequenter hæc spectra cernunt. Hoc certè ob solam visus imbecillitatem accidere non potuit, præter hos judicat *Hier. Cardan.* (*l. 8. de Var. Rer. c. 43. p. 550.*), sed accedente ad hanc etiam summa anterioris partis Cerebri caliditate spiritusque visivi tenuitate, efflati quoque vaporis (cur non & ipsius Aëris) crassitie, ut sic, tanquam speculo, reflectatur. De scintillis oculis observantibus non ita pridem (*l. h. Tit. 9. §§. 92. 93.*) quædam notata.

§. 145.

Neque morbosum sit organum. Est inter oculorum morbos quidam, quo omnia objecta duplicia repræsentantur modo non dispari.

Si fortè oculo manus uni subdita subter
Pressit cum quodam sensu fit uti videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo;
Bina Lucernarum florentia lumina flammis
Binaque per totas ædes geminata suppellex,
Et duplices hominum facies, & corpora bina.

Lucret. (*l. 4. v. 447.*). Exemplum in milite notavit *Petr. Forest.* (*l. 11. obs. Med. 39. p. 48.*), qui (*in Scholio ex Aggregatore Brixiensi*) addit historiam de Sacerdote avaro, qui cum haberet unum, lumen in manibus, credens esse duo lumina, propter avaritiam extinxit unum, existimans remanere aliud, & ita mansit in tenebris. Eodem malo laboravit in Sicilia *Casp. Schott.* (*l. 2. Phys. Curios. p. 1. c. 6. §. 5. p. 238.*). Recta quibusdam curva apparent non aliter, ut porrecta sub undis virga. Aliis omnia inversa. Exemplum de Medico quodam Dresdensi clarissimo recensuit *Dan. Sennert.* (*l. 1. Med. Pract. p. 3. s. 2. c. 45. p. 897.*), cui sanguine

intra corneam effuso omnia rubra videbantur, prout rubrum conspicillum, aut in fenestris vitrum rubros omnium rerum colores mentitur.

Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt simulacris obvia rerum.

Lucret. (*c. l. v. 342.*), quod tamen *laudati Sennert.* (*c. l. c. 16. p. 828.*) & Experientiæ testimonio perpetuum non est. Volitantes ante oculos quidam vident muscas, aut saltantes pulices, aut formicas, ut illa ap. *Joh. Schenkium* (*l. 1. obs. Med. p. 154.*), cui malo & ipse *Martin. Delrio* (*l. 2. Disquis. Mag. qu. 27. s. 1. p. 655.*) obnoxius extitit. Vacuum in aëre visu perceptum, tanquam singulare observat (*Cent. 4. obs. 12. p. 288.*) *Petr. Borell.* sed & hic oculorum vitium subfuisse reor. Mihi oculorum inflammatione laboranti sæpe halones & irides circa lumina notata. Quædam globulum igneum sibi ante oculos versare putabat, & si ex sinistro oculo duntaxat respiciebat, se nonnisi dimidium hominem & reliqua objecta dissecta conspicere asseverabat, ut *Marcell. Donat.* (*l. 2. Hist. med. mirab. c. 9. p. 206.*) *qui addit:* Alia aliquando vigiliarum tempore ob oculos posita habebat turpia mortuorum simulacra, tristia spectra, & horribiles effigies sine splendore,

§. 146.

Medium etiam prava dispositione non laboret. Si aër crassus, propria umbra terrentur multi, *ut Borelli* amicus (*Cent. 4. obs. 90. p. 347.*). Idem de Socio *Vitellionis* (*è l. 10. perspect.*) recitant *Donatus & Pena* (*c. c. ll.*). Metalli fossores in cryptis subterraneis propriam vmbram non raro pro virunculis subterraneis venditare non improbabile. Carduos præaltos aliquando hastatorum simulacra mentitos, ex Aliis *Casp. Schott.* (*c. l. p. 238.*) & *Edo Neuhus.* (*c. l. p. 454.*) prodiderunt. Cur Islandi mortuos videant frequenter, in spiritibus propter victum & aërem, ob solum & frigus crassissimos transtulit *Hier. Cardan.* (*l. 8. de Subtil. p. 952.*). Ob Aëris igitur spissitudinem & vapores frigore concretos, imagines non secus, quam in nubibus, oberrant, quas errore terroreque ac cogitatione conceptus spiritus densus & terreus, eousq; donec ad instrumentum sensus deferatur,

Et quæcunque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta est, & recta superne gubernat.
Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia converti, sursumque supina reverti
Et reflexa propè in summo fluitare liquore.

§. 147.

§. 147.

Circa ultimum consideranda manuductore *Mart. Schookio* (*c.l. c.9. p.198.*) (*α*) suppositum, (*β*) Anima, (*γ*) inferiores facultates sensitivæ huic functioni subservientes. Fluunt inde præsentes Assertiones: (1.) Homo ipse aliis rebus intentus, & non illis, quæ sensui subjiciuntur, facilè fallitur. In mentis emotione seu Ecstasi id patet ad oculum. (2.) Phantasia si sit corrupta citra Maniam aut Phrenesin. Exemplum in *Theophilo Medico* notavit *Galen.* (*3. de Diff. Symptom. c. 3.*) ποτιςάτες in scenam merito producimus *Xenagoræ Sequaces*, quibus omnia gemina, inversa & in gyrum se moventia &c. apprehenduntur, eò quod vino oculi detorquentur ac divertuntur, cum præ humiditatis multitudine visus tanquam in piscina natitet, ut *Clemens Alexandrin.* (*l. 2. Pædag. p. 113.*) loquitur, vel ob velociorem motum fumi & spirituum, ut sentit *Joh. Chrysost. Magnen.* (*Democr. Revivisc. Disp. 2. c. 4. p. 309.*) Ita in *Petroniano Fragmento* (*edit. Reines. p. 35. Arnold. p. 52.*) verba ista: Et sanè lucernæ mihi plures ardere videbantur, de ebrio exposuit *Thom. Reines.* (*in not. ad h. l. p. 264.*) respiciens ad illud *Horatii* (*l. 2. Satyr. 1. v. 24.*)

Saltat Milonius ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Egregie id more suo expressit ex *Dan. Heins. Martin. Opit.* (*in Hymn. Bacchi v. 613.*), dum ebriosum introducit loquentem:

Zwey Sonnen seh ich da, und zween Monden stehen,
Ich sehe recht vor mir viel Spieß und Fahnen gehen,
Das Hertze brennet mir. O Phares meinen Fuß!
Mein Sinn von dir entzündt, macht daß ich strauchein muß.
O Evan ich bin hoch, biß in die Lufft gestiegen,
Kan sehen unter mir viel Land und Städte liegen,
Thyoneu, Bugnes, wie kommt mir alles für!
Wo bin ich? seh ich nicht dein Ochsenhaupt alhier?
Citheron steht im Brand. Ich sehe zweene Hauffen
Der Weiber auff ihn gehn, und Bassaris auch lauffen,
Mit heßlichem Geschrey. Ihr Spieß steht unter sich,
Die Blätter sind herab, sie wil ja nicht auff mich?
Die Zöpffe seh ich ihr zum Theil herunter hangen,
Und theiles sind empor vermengt mit vielen Schlangen,
Die kriechen hin und her, und wenden sich im Lauff
Und steigen aus dem Mund' an ihren Haaren auff.

Ele-

Elegans locus etiam extat *ap. B. Ambros. (l. de Helia & Jejun. c. 16.)*. Præclarè igitur *Poëta:*

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus.

§. 148.

Mens (3.) si vacillet, & sensus visus vacillabit. Exemblorum largissima seges prostat apud Maniacos & Phreneticos. Qui insaniunt alios in aliis vident, ut *Orestes* matrem in sorore & *Ajax Ulyssem* in armento, & *Athamas & Agave* in filiis bestias, scripsit *(l. de Anim. c. 17.) Tertullian.* Evaginato gladio in gregem porcorum insiliens *Ajax*, existimabat se cum Græcorum copiis confligere. Mendicum Diabolum putabat Monachus, eidemque lapide caput comminuebat. *Vid. Schott. (c. l. §. 1. p. 229.)*. Cicuta comesta, ut quidem hariolabatur *Henric. Smetius. (l. 10. Miscell. p. 570.)*. Mulier omne genus avicularum & cuniculorum sibi obversari opinabatur; Alii imaginabantur se videre lacertas serpentesque. Hydrophobia detenti idcircò aquam reformidare, quod Spectrum caninum in eadem advertant, constat ex illis, quos citat *Casp. â Rejes (Camp. Elys. qv. 62. n. 9. p. 811.)*. An etiam in aëre volitantibus umbris terreantur, non determino. In horrorem motus aëris incidit quidam talem, ut vultum tegeret, dum quis ad illum accederet, quod â facili spirituum ad commotionem propensione derivat *Petr. Borell. (Cent. 1. obs. 74. p. 73.)*. Hinc phreneticis aër lucidus obest, ut recte *P. Forest. (l. 10. obs. med 4. p. 370.)*, & picturæ coloratæ, *juxta Dan. Sennert. (l. 1. Med. Pract. p. 2. c. 7. p. 338.)*. Spiritus duos se in corpore habere & cum illis colloqui *ap. Joseph. Quercetan. (s. 1. Diætet. Polyhist. c. 131.)* putabat quidam. Melancholica, alia quod spectra videret, multosque homines lectum suum circumstantes, *ap. cit. Smetium (c. l. p. 548.)*. Adde quæ de virginibus & mulieribus habet *Hippocrat. (l de his quæ ad virgines spectant p m. 125.)*. Quidam se Papam credebat, de quo *Thom. Campanell. (l. 4. de Sens. Rer. c. 11. p. 311.)*. Peponem putridum quidam *(ib. p. 312.)*. Et quis omnibus Melancholicorum deliriis recensendis sufficiet? Genium eorumdem graphicè adumbravit *Aratius (l. 2. Epigr. p. 113.)*

Quando lubet sanus, quando lubet, Optile, es æger
Venter ais ventis; frigoribus stomachus.
Splenque Melancholia, plerumque caloribus Hepar,
Quæso etiam hoc addas, phantasiisque caput.

Plura iu fasciculum collecta exhibet *primus collegii nostri Leopoldini Præses Magnif. Leonh. Bauschius (de Cærul. & Chysocoll. Proëm Melanchol. Histor.)*

§. 149.

§. 149.

(4) Turbato, sopito, aut læso sensu communi frequentibus umbrarum occursacula comparent. Dormientibus idcirco incubus, sub variis formis, terribilis & molestus. Cane nigro se opprimi putabat *cit. Forest.* (*l. 10. obs. med. 51. p. 379.*); à muliercula sacrificus *ap. Joh. Schenckium* (*l. 1. obs. med. p. 129.*); A Dæmone Pharmacopola (*ib. p. 130.*); A Spectro à pedibus ascendente Alii, evolv. *Bernhard. Gordon.* (*p. 2. de Pass. Capit. c. 2.*); A Faunis mulieres, *Joh. Heurn.* (*de Morb. Cap. c. 21. p. 224.*); A Fele *Casp. Schott.* (*c. l. p. 227.*), quod & mihi in juventute accidisse recordor.

§. 150.

(5) Si animus vehementiori aliquo affectu occupetur. Timoris ea vis est, *judicat Edo Neuhus.* (*c. l. p. 455.*), qua ludificatis sensibus falsæ formidinis imaginem parvis animis subjicit. Itaque viri fortes atque animosi raro aliqua spectrorum insolentia expavescunt. Tales Scythæ cum sint, his nulla nocturnarum visionum ludibria offeruntur. Fluxit inde tritum: Sapiens, spectrum non videt. Et fuere, qui nunquam, *teste Plutarch.* (*T. 2. vit. Parallel. in Dione p. 649.*), alicui cordato Genii alicujus aut spectri imaginem offerri proferebant pueros, mulierculas & ob invaletudinem mente parum constantes homines, animi quodam errore vel corporis intemperie affectos inania sibi & horribilia quædam imaginari, inque iis Genium esse superstitiose credere. *Ferdinandi Arragonii* exercitum cervorum procul pascentium agmen in fugam egit, (*Joh. Jov. Pontan. l. 2. de Bell. Neapolit.*). *Caroli Audacis* militem crescentes in Parisiorum agro Cardui magno regii exercitus metu perculerunt, (*Æmil. l. 10. Philipp. Conun. l. 1. hist. comment. p. 61.*). *Caroli V. & Pauli III.* ad Nicæam copiis conspectus procul villarum fumus, Alpiumque vertices Turcicæ classi terrorem injecerunt, (*Paul. Jov. l. 37. hist.*)

§. 151.

Quid non fingit Amor? *Pygmaleon* statuæ formosæ amore inclaruit. Alius è libidinosis statuæ Veneris, *à Praxitelo* in Templo Gnidiorum collocatæ, (*Valer. Maxim. l. 8. Memorab. c. 11. n. 4. p. 377.*)

Quæ minimè sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.

Balbinum Polypus *Agnæ* delectabat, ut *ap. Horat.* (*l. 1. Satyr. v. 40.*)

Hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commodo verè.
Multimodis igitur pravos, turpesque videmus
Esse in deliciis, summoque in honore vigere.

(Kkk kk) La-

Lucretius (*c. l. v. 1146.*) ubi plura. Persuasum igitur habuit *Joh. Bened. Sinibald.* (*l. 1. Geneanthrop. tr. 2. c. 13. p. 33.*), reperiri pulchritudinis radium incorporeum, non à corporis venustate, & membrorum symmetria proficiscentem, sed ab ipsa anima incorporea & lucidissima, qui capiat violenter alterius animum, quam gratiam etiam vocat pellicem. Inde ἐρωτομανία, qua si non laborarunt multi è Poëtis, eandem saltem carminibus suis delinearunt. Adeò benè *Epictetus* (*Enchirid. c. 10.*): Homines sæpe turbantur non rebus, sed quas habent de rebus opinionibus.

§. 152.

His igitur & aliis forsan occasionibus visu disposito & corrupto Spectra naturaliter emergere possunt, quæ pro apparitionibus Animarum aut Dæmonum arripit vulgus, & reliquorum superstitiosorum contubernium. Arripit tamen hæc media μυρωτεχνίτης ille Sathanas, & subitanea ostensorum objectorum agitatione, occultatione, certa quadam objecti Artis perspectivæ subsidio in ordine ad intuentis oculum positione, prout (in Magia, Optica, Catoptrica, Parastatica,) id præclare ostendit *Schottus*, vel repentina objecti alius seu veri, seu phantastici circum- vel appositione. Aërem verò mutabit vel interveniente diversa medii qualitate visivos radios transeuntes aliter modificante vel delationis specierum ad sensum visus impeditione & multiplicatione, quæ ex Aliis imprimis *Schotto* recensuit *M. Sebast. Kirchmaier.* (*Disp. Meteorol. de ostent. insolent. Aëris §. 10. & 12.*) *Add. Henric. Nicol.* (*Exerc. 4. de Act. Mag. th. 18. p. 84.*), *Mart. Schoock.* (*l. 3. de Scepticis. c. 19. p. 240.*) *Joh. Christ. Fromman.* (*l. 3. de Fascin. p. 4. s. 1. c. 6. p. 587. & p. 6. c. 5. §. 13. p. 575.*) Poterit & intellectum falsis phantasmatibus fascinare, ut iterum *Fromman.* (*c. l. c. 2. p. 552.*), inferiores Animæ rationalis facultates v. g. cognoscentem, in Ecstasi, Lycanthropia (*id. ib. c. 3. p. 561.*), sensum communem, (*c. 4. p. 567.*) Somno & vigiliis (*c. 5. p. 574.*). His ipsis etiam mediis utuntur aut potius abutuntur tanti præstigiatoris discipuli Magi.

§. 153.

Illustrant id celebriorum Mechanicorum & Opticorum admirandæ actiones, à multis pro Magicis habitæ. *Insignis ille in Anglia Mechanicus & Opticus Cornel. Brebbelius* (prout scripsit *in Epist. ad Isebrand. à Ritwic. recensente Hegenitio in Itin. Holland. p. 73.*), mox holoserico nigro, mox viridi & rubro, mox panno aut villis texto omnium colorum, mox argenteo aureoque colore amictum in conspectu multorum, quam celerrimè se exhibuit. Præterea in formam Arboris ventis agitatæ, Ursi, Leonis, Equi, Ovis, aut cujusvis animalis

lis se apparabat; Speciem Regis, Principis, *Alexandri M.* se fingebat. Terram aperiri, indeque Spiritus & Gigantes exire, quasi naturaliter vivant, nova inventione Opticæ beneficio faciebat. Conf. *T. L. Kolhans.* (*tr. Optic. p.4. Axiom. 13. p. 97.*). Quid (ut ad Magos præstigiatores devolvar,) *Simon* ille *Magus?* serpens fiebat, & in aliquas bestias transformabatur, duas habebat facies, in aurum convertebatur, in conviviis exhibebat Spectra omnis generis. *Zytho Bohemus*, nunc sua, nunc aliena facie, staturaque, item in purpura & serico, ac confestim in lana ac panno sordido *Regi* (*Bohemiæ Wenceslao*) se offerebat, ambulantemque in solido ipse in eodem solido tanquam in Aqua adnavigabat, & aliquoties Regem equis rhedariis vectum, idem Gallis gallinaceis ad Epirhedium suum illigatis subsequebatur. Convivas præterea Regis variè ludebat, interdum manus eorum, ne illa ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in ungulas equorum transformans, & aliquoties, videlicet è fenestris, ad subitum spectaculum prospicerent, ne rursus caput & ora ad mensam referre possent, antequam ipse vino dapibusque illorum se injurgitasset. Pragæ, dum præstantissimus Artificum (ludionum & præstigiatorum) ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adest inter Spectatores *Zytho*, ore usque ad aures dehiscente accedensque propius, artificem illum cum omni apparatu subito devorat, solos duntaxat calceos, quia luto obliti videbantur, expuens, secessumque inde petens ventrem insolita esca gravem in solium aqua plenum exonerat, præstigiatoremque adhuc madidum Spectatoribus restituit passim deridendum, adeò, ut cæteri quoque ejus socii à ludo desisterent. Hanc narrationem (*l. 23. Histor. suæ Bojemicæ p. m. 192.*) inseruit *Joh. Dubravius*, è quo excerpsit *Mart. Del-Rio* (*l. 2. Disquis. Mag. qu. 6. p. 274. sq.*)

§. 154.

Albertus M. feriis Natalitiis *Wilhelmi Cæsaris* Aquis grano à coronatione Coloniam redeuntis palatium Arboribus, Herbis, frondibus instar cultissimi horti florere fecit, Lusciniis, Merulis, Alaudis personare *E Cuspiniano* (*de vit. Imper.*) *Centuriatores Magdeburgenses* (*cent. 13. c. 10. col. 1075.*) retulerunt. Sunt, qui Magiæ *Albertum M.* insimulare audent, absolvit tamen Eundem *Kenelm. Digby* (*Diss. de Plant. Veget. p. 59.*) his verbis: *Albertus M.* ex eo Magi nomen obtinebat, quod in ipsa frigidissima bruma omnia genera fructuum, ope ætherii Balsami, (Spiritum universalem innuit,) ad plenam & perfectam maturitatem perducere posset. Conf. si vacat *Joh. Tackium* (*Phas. Philosoph. 3. p. 65. sq.*), *Chr. Adolph. Balduin.* (*Aur. Aur. c. 12. p. 157.*). De *Sedechia Judæo*

dæo è Joh. Trithemio ista *Del-Rio (l.1. Disquis. mag. c.4. p.78.)* Media bruma hortum amœnissimum in Cæsaris palatio, arboribus, herbis, floribus, cantillatione avicularum subito natis & auditis producebat. *Eunus Anglus* spectantium oculos ita fascinabat, ut magnam Principum, Baronum ac pedissequorum catervam circum se habere videretur: Cœnasque extemporaneas assistentibus ad mensas exquisitissimis Epulis instructas pulcherrima specie Nymphis & longo ministrorum ordine circumstante, abacis multo auro atque argento oneratis, hortos etiam amœnissimos & viridaria floribus atque herbis mirificè picta atque exornata vel media hyeme exhibebat. *E Gvilielmo Neubrigensi Strozz. Cigogna (p.1. Mag. omnis. c.8. p.545.)*. *Zoroastres* astris multum & frequenter intentus, velut scintillas quasdam è stellis producere, & hominibus ostendere cœpit, *Clemens Roman. (l.5. Recogn.)* memorat.

§. 155.

Author quidam Anonymus Gallus (tr. la petite Chirurgie c.22. cit. Balduin. c.l.p.165.) totum mundum arboribus, plantis, floribus, pratis, fluminibus, montibus, aquis, animalibus &c. parvo vitro spectandum proposuit. Add. huic *Jacob. Dobrzensky (Philos. de Font.* è quo) *Casp. Schott. (Phys. curios. Append. ad. l.6. c.9. §.7. & 9. p.1351. & Technic. Curios. l 11. c.16. p. 885. & sq.)*. Ipse omnis Magiæ etiam præstigiatricis fautor & author CHRISTO SERVATORI in alto monte constituto omnia Mundi regna ἐν στιγμῇ χρόνου ostendit, *(Luc. c.4. v 5.)*, de quo consulendi Theologi, & è Medicis *Joh. Dan. Major. (Cosmodix. Satan.)*. Habet & quædam huc spectantia *J.C. Fromman. (l.3. de Fascin. p.4. s.1. c.1. §.3. p.543.)*

§. 156.

Quam facilè Optici varias successivè imagines desiderantibus repræsentent, etiam mediocriter his sacris imbuti norunt. Oblatæ sunt, tradit *Joh. Chrysost. Magn. (Democ. Rediv. Disp. 2. c.3. Propos. 31. p. 260.)*, Cardinali Infanti tres in uno octangulo Cardinalium effigies, qui in administrandis rebus excelluerunt, *Albarnoz*, *Gronvellani*, *Ximenis*. Contuentique per polygonum Crystallum ingeniosa refractione disparentibus illis, unus apparebat infans, ut quorum absorberet species, etiam haberet in se prudentiam cumulatam. *Joh. Teutonicus* (quamvis & hic Magis accenseatur à quibusdam, quos idcircò non redarguo), facetè objecta sibi natalium probra & infamiam redarguit, interrogans convivas, vellent ne suos singuli videre parentes: iis annuentibus umbras excivit deformes sub coquorum, stabulariorum, Morionum, Rusticorum specie: quales hominum facies in paternis ædibus aliquando se vidisse fatebant-

bantur. Extremo quoque suum parentem in Theatrum accivit, habitu Canonici, pingvi aqualiculo, buccis fluentibus. Sed & *Maximiliano Cæsari* vetustatis studioso Magus promittebat positurum se illi in conspectum priscæ ætatis Heroës, ut meminit *Edo Neuhus. (l. 2. Sacr. Fatid. c. 5. p. 91.)*. Adde quæ promisit *Roger. Bacon. (Epist. de Secret. Art. & Nat. c. 5. p. 39.)*, ubi etiam inter alia hæc notat: Possunt etiam, *inquit*, sic figurari perspicua, ut omnis homo ingrediens domum videret veraciter Aurum, Argentum & Lapides pretiosos, & quicquid homo vellet, vel quicunque festinaret ad visionis locum nihil inveniret. *Salomonem Regem* ad terrorem subditis incutiendum in multis locis etiam à se differentibus figuram suam repræsentasse, non esse Rabbinorum figmentum, idemque fecisse *Roger. Bacon. Athanas. Kircher. (l. 10. Art. Magn. Luc. & umb. Cryptolog. Nov. p. 1. c. 5. p. 793.)* credidit. His & Spectrorum aëreorum aliorum artificiosæ exhibitioni (*c. l. p. 2. p. 704. sq.*) miscet se hic aliquando infernalis præstigiator: sic referente *Isbr. à Diemerbroeck. (l. 4. de pest. Noviomag. c. 6. p. 224.)*: miles per Dæmonem sibi familiarem cujuslibet formæ Spiritus videndos exhibebat, *Hectorem*, *Achillem*, *Alex. M.* & *Jul. Cæsarem*.

§. 157.

Ex Pyroparastatasibus subinde multa Spectra videri, *Schottus (c. l. §. 4. p. 234.)* monet, de quibus in Magia pyrotechnica (*part. 4. Mag. l. 2.*) se egisse profitetur. Quidam Rex Scotiæ (quod ex *Hectore Boëtio* citat *Mich. Crügner. im Chymischen Thannebaum. c. 16. p. 143.*) squamis lucentibus vestes pictas ornabat è ministris, hastis è lignis putridis armabat, iisdemque alas ex iis fictas adoptabat, qui Angelos mentientes noctu Duces erigebant, & ut freti auxilio divino res fortiter agerent, hortabantur. Quendam male feriatum, qui Spectri formibus fucis pietati oppidanorum illudebat introduxit *Euphormio (p. 1. Satyr. p. m. 65.)*

§. 158.

Mirandum phænomenon, repentinam scilicet luminis cujusdam in cavitate recipientis apparitionem communicavit *Rob. Boyle (Nov. Experim. Phys. Mechan. Experim. 37. p. 116.)*. De Noctiluca Kunckeliana *Georg. Casp. Kirchmaier. collega quondam svavissimus (de Noctiluc. Const. & fulgurant. c. 3. §. 3.)* Si materia lucifera vel portione minima capillis, barbæ, superciliisve illinatur tempore nocturno, non solum modò jucunda, sed etiam horrenda repræsentat oculis objecta, ut penè metuendum sit mira & insolita phænomena mortales superstitioni deditos ac vanitati circa apparitiones Geniorum & id genus plura, si resciscant ausuros inde comminisci; nisi pretium obstaret, Noctilucæ,

 vix

vix ab hominibus privatæ redimendæ. Rectissime igitur *Percantom* informat *Euphormio*: pleraque Arcanis Naturæ referenda sunt, ut putrescentis ligni & vermium fulgor, ut pingvioris aëris monstra, quæ diversas animantium imagines exprimunt pleraque casui assignanda; multa ægrotanti cerebro, & hæc sibi prodigia effingenti; etiam quædam impiorum hominum (aut Satanæ) fraudi imputanda sunt. (*c. l. p. 67.*)

§. 159.

Noctiluca illa memoriam refricat lucernarum subterranearum perenni igne nobilitatarum, quas cryptis feralibus inserere placuit vetustati, præprimis cum ad Dæmonem referat harum perpetuitatem *D. Augustin.* (*l. 21. de Civ. DEI c. 6.*), cujus decretum mitigat *B. Joach. Feller.* (*Elucubr. de Lucern. Subterr. Antiqu. c. 4. n. 12.*), quando cum *Athan. Kircher.* (*T. 3. Oedip. Ægypt. Syntagm. 20. p. 546.*) astruxit, illas non revera arsisse, sed Dæmonem saltim repertoribus talem obtulisse speciem. His ita stantibus spectra fuere, & Dæmoniaca simulacra. Doctrinam hanc hominis mendaciloqui esse, testantur varii, quos citat *Joh. à Chokier* (*Fac. Hist. p. 3. Cent. 1. c. 20. p. 45.*), qui & illis assurgit, & *Balthasar. Bonifac.* (*l. 5. Hist. Ludicr. c. 4. p. 332.*) Olybianam Lucernam fucum alicujus Alchymistæ fuisse existimavit. Possibilitatem tamen multis probare nititur *Erasm. Francisci* (*p. 1. Acerr. Exoter. c. 17. per totum*). Adde his *Athanas. Kircher.* (*l. 8. Mund. Subter. s. 3. c. 1. p. 73.*). *Paul. Casat.* (*Diss. 8. de Igne p. 245.*). *Th. Ittig.* (*de Mont. Incend. s. 3. c. 4. §. 7. p. 25. §. 6.*). Lampadem talem lucentem se Bononiæ spectasse, asseverat *Ul. Aldrovand.* (*l. 2. Mus. Metall. c. 2.*)

§. 160.

Et quidem non una se offert difficultas, historias illas *à Fortun. Liceto* collectas, trutinanti, cum non ad eam certitudinem assurgant, (verba sunt *Kenelm. Digby tr. 1. de Nat. Corp. c. 7. n. 9. p. 64.*), quæ jaciendo firmiterque stabiliendo fundamento necessaria foret. Fatetur *Ol. Borrich.* (*Diss. de Ort. & Progress. Chem. p. 108.*) se neque ex *citati Liceti* opere, nec ex historiis, tum apud Autores *Hermolaum Barbarum, Fr. Maturantium, Bernh. Scardeonum & Alios* extantibus, tum auditu in Gallia, Italia, Germania perceptis tantum profecisse, ut verè arsisse quicquam in sepulchris tamdiu hactenus assecutus fuerit ullo ingenii conamine. Oculatorum testium fidem desiderat *Herm. Conring.* (*de Ign. Animal. c. 8. p. 61.*) & concludit (*p. 62.*): Qui haud temerè hujusmodi credit, cum nemo rem sibi visam narret, indubie sapit. Congruè addidit *Petr. Gassend.* (*T. 1. op. s. 2. Phys. l. 3. c. 1. p. 645.*): Tota fides nititur quorundam rusticorum ope-

operariorumque testimonio. Cur Scriptores illarum non meminerint, quærit. An potuere singula quæque ad exequiarum celebritatem, ad condituram, ad cineres urnis conclusos, cæteraque describere; & lucernarum tamen inextinguibilium vi, & sumtuosæ, & tantoperè admirabilis ne minimam quidem facere mentionem? Credine potest, rem latuisse *Plinium*, qui fuit tot aliarum rerum minus memorabilium curiosus scrutator, sedulusque descriptor. Et cur ergò *Mævia*, cujus meminit *Modestinus*, servos testamento manu misit, ea conditione, ut alternis mensibus lucernam accenderent, si fuit adeò promptum lucernam habere inextinctam.

§. 161.

In Lucerna *Maximi Olybii* adverterunt fossores liquorem, cujus virtute tot annos arserat adhuc arsura, nisi illa defossa Terra, Aër subintrasset, quod accidere omnibus lucernis sepultis Philosophi testantur, idque è *Liceto* excerpsit *Joh. Laurent.* (*l. 2. Polymath. Diss. 32. p. 151.*). *Leone Pontifice* à Normannis capto *Pallantis* (*Arcadis à Turno* tempore belli Trojani occisi,) corpus stupendæ magnitudinis inventum Romæ adhuc incorruptum, cujus hiantia quoque vulnera cernere erat. Prætereà Lucerna ad caput ardens, quæ neque vento, neque aqua, neque quovis alio liquore extingui poterat; Verum addacto Stylo per foramen ingruente aëre lumen evanuit. Hæc è *Bonfinio* (*l. 2. Decad. 2.*). *Paul. Casat.* (*c. l. p. 243.*) retulit. Quid vero hoc, lucerna neque vento extinqui potuit, clausa sine dubio fuit, idque non mirum, neque ignem clausum extinguet aqua, aut alius liquor, nisi mutuo contactu, qui vasculo clauso denegatus. Urinatores ignem, sed vasculo inclusum, in sub marino itinere secum ferre fama est. Id verò nemo miratur. Stylo autem in Lucernam adacto per foramen ingruente aëre lumen evanuisse, etiam miraculo caret. Quod si flamma non erat in vase conclusa, *addit Casatus*, neque statim aperto sepulchro extincta est, non facilè crediderim voluisse illius ætatis viros tam nobile Artis aut Naturæ prodigium extinguere injecta aqua aliove liquore, ita ut eam extingui non posse experirentur. Quod porro facit, ne aliunde res persuasione digna videatur, *pergit P. Gassend.* (*c. l.*), ipsa flammæ natura est, quæ nihil aliud, quam pabuli pinguis materia summo impetu erumpens, summopereque dilata, ac summè adeò aërem urgens. Hinc videtur sanè deridiculum dicere, lucernam conclusam ardere, & facta aëris libertate extingui, quæ deberet potius reaccendi. An nutritum fuit illud oleum halitibus sulphureis cadaveris, aut conditura, prout *Andr. Libav. ap. Joh. Hornung.* (*Cist. Med. Epist. 85. p. 89.*) suspicatur, quis credit? cum nec & hoc sufficiat. Lychnum, Minervæ Aureum, *Callimachus*

machus confecit, quo *teste Pausan.* (*l. 1. s. Attic. p. 32.*) oleo repleto eandem sequentis anni diem expectant. Oleum illud intereà temporis sufficit in lychno, quamvis dies noctesque eodem modo ardeat. Inest Ellychnium ex Lino carpasio, quod unum lini genus flamma absumi non potest, supra Lychnum Phœnix aureus est, ad tectum usque extensus, qui vaporem attrahit. Lucernam toto anno urentem descripsit etiam *Hier. Cardan.* (*l. 1. de Rer. Subtil. p. 9. sq.*). Sed quid illæ ad Lucernam, quæ ex *Ludov. Vivis* (*Comm. ad l. 21. August. de C. D. c. 6. p. 621.*) computo ex inscriptione facto supra millesimum quinquagesimum annum arsit.

§. 162.

Sunt igitur qui lucidum quid, non igneum lucernis illis concreditum fuisse opinantur. Inter hos *Francisc. Bonamicus*, *testimonio Fort. Liceti* (*l. 2. de Luc. Antiqu. c. 2. f. 30.*) pellucidum corpus quoddam in caligine corusci quid de se fundens existimavit, cui Symbolum dedit suum *Gisbert. Voët.* (*p. 1. Disp. Select. p. 670.*), cujus coruscationis admissum in Cryptam diurnum lumen videmus, dum de die lumen majus minus obscurat.

§. 163.

Putarim ego, calculum adjicit *Ol. Borrich.* (*c. l.*): Lucernam *Olybii* ex genere Oleorum subtilissimorum fuisse, eoque splendorem reddidisse Lucernæ, quod radios luminis in se incidentes particularum suarum levium & politissimarum incursum retorserit in astantium oculos. Nam ut prætercam *Monfredum Septalium, virum optimum, pergit,* Mediolani sancte mihi asseverasse, se in vitris lacrymalibus antiquis invenisse Olei ignoti genus Coporalsannum in usum tractum *ap. Joh. Guther.* (*l. 2. de Jur. Man. c. 32. p. 386.*) inscriptio declarat, qui Lucernas medium inter illa vascula variis liquoribus plena obtinuisse *addit*, ut adeò à liquore illo in vasculis reperto ad illum, quem Lucernæ capiebant, non tuta fiat collectio, ut etiam *Hier. Cardan. l. 14. de Var. Rer. 69. p. 918.* fecisse patescit, quod inaurabat lapides illitos *Jul. Favera*, *Joh. Bapt. Casalio* (*l. de Sacr. Christ. Rit. c. 242. p. 239.*) narrabat, quod in Cœmiterio *Calixti* præteritis annis lucernam repererit accensam, sed illam lento satis igne resplendentem, ita ut apparente alio lumine dicta lucerna non agnosceretur. Tandem dictus *Julius* è muro, cui illa erat affixa, cum eam eruisset, extincta est; & in ea lucerna non vidit liquorem, sed solum quandam resinam. Et ego quoque *addit Casalius*, habeo in meo Museo lucernam ex ære, tenacissima simili resina repletam instar Lapidis: quam etiam ex Asbesto ab hujusmodi perpetuum lumen posse inservire, probatissimum est. *Libavius* opinabatur, *scribit Ath. Kircher.* (*c. l.*), habuisse

isse pulveres, & ramenta Gagatis, super quem semper destillans Aquæ guttula, vel aqueus vapor flammam perpetuò excitaret, excitatamque conservaret.

§. 164.

Aurum proprio in sulphure solutum, & in balsamum conversum in vase à corruptione libero aureo occluso lampadem perpetuam exhibere, suo sensu judicat *Joh. Christoph. Steebius*, (*Cœl. Sephirot. Hebr. c. 6. s. 1. n. 656. p. 63.*). Contrarium decrevit *Kirchmaier. Noster.* (*de Luc. Ign. & peren. Lucern. c. 2. §. 5.*). Aurum an sit habile, ut extrahatur arte chimica quantalibet incombustibilis pinguedo, si quæratur, simpliciter negamus quæstionem. *Wolffgang* quidem *Lazius* testatur (*l. 3. Hist. c. 18.*), Patavii in Italia phialas tales cum ardente lumine vase duplici conclusas repertas olim, tantis sumptibus paratas, ut auro in pinguedinis liquorem arte soluto, diutissime & per multa secula arsurum ignem continerent. Sed nec naturam auri, nec flammæ satis intelligere putandi sunt, qui hæc imaginantur sibi. Candescit quidem in igne liquatum aurum, ad morem vitri, sed flammam ex se nullam spargit. In Lucernis autem veterum coruscus rutilavit splendor. Deinde memoratu dignum, in Auro vel nullum vel exiguum profectò sulphur superesse. Ubi autem nullum sulphur, ibi nec pinguedo, propter quam ardere possit aurum, sunt qui Lapidem Philosophorum adhibitum reputant, quos derisit *Kircher* (*c. l.*) & deseruit.

§. 165.

Liquorem Chemicum id præstitisse, *Martin. Delrio* (*l. 1. Disquis. Magic. c. 5. qu. 1. p. 135.*), comminiscitur. Aquam metallicam, aut certi fontis lucem illam commodasse, *Cardan.* (*c. l.*) conjicit. Liquorem è Mercurio aut vitriolo suspicabatur *Hermol. Barbar.* (*Comment. in Plin.*) *Apud. Ulyssem Aldrovand.* (*l. 3. de Mus. Metall. c. 6. p. 348.*). *Petrus Maria Canepar.* (*l. de Atramentis*), Liquorem, qui sit fomes ignis perpetui in Lucernis sepulchralibus communicavit, quem *ap. Paul. Casat.* (*c. l. p. 248.*) curiosus legere, hujusque processus progressum experiri poterit. Asbesto autem hic nihil deferendum putat *Wolferd. Senguerd.* (*p. 3. Philos. nat. c. 12. n. 13. p. 246.*) & rectè, cum nuspiam hujus fila inventa legamus.

§. 166.

Nobis verò Phosphorus, sive siccus, sive liquidus fuerit, facem clarissimam lucidissimamque hic præfert. Ex solo Nitro, iterum *narrat* (*c. l.*) *O. Borrich.* diuturna patientia excocto Pragæ non ita pridem in officina Chemici corpus prodiisse Carbunculi instar, & in tenebris lucens, & splendorem su-

um aliquandiu frigido licet vase conservans. *Add. Kirchm.* (*c. l. c. 1. §. 4. p. 7.*) *Joh. Sigism. Elsholz.* (*de IV. Phosphor. & M. C. D. 1. Ann. 8. obs. 19. p. 32.*), De Noctiluca aërea, urinæ progenie, *illustris Boyle* (*tr. pecul. p. 82.*), videtur etiam eo collimare *Hermes Noster. Dn. Chr. Adolph. Balduin.* quando (*in Phosphor. Hermet.* §. *13.* & *Hermet. Curios. n. 7.*), tentandum svavet, annon ex Phosphori Hermetici Principio Alcahest, (quem in Centrum redactum ignem opinatur), Ignis Antiquorum restitui posset commodè. Noctiluca *Joh. Kunckelii Serenissimo & Potentissimo Saxoniæ Electori â secretioribus laboribus Chemiæ & culiculi ministeriis devoti* constans, & per vices fulgurans, curiosa *Excell. Kirchmaieri* Crena in publicam lucem producta quid, nisi materia lucifera? conferat hanc quis cum phosphoro illo liquido, de quo etiam *Laudatus Elsholz.* (*c. l. obs. 20. p. 37.*)

§. 167.

Refer huc, quod è *Virginorio* (*tr. du feu & du sel*), retulit *Georg. Ent.* (*Demonstr. Circ. Sangu. 6. p. 170.*) *Viginerius* nempe post varias gradatim institutas ignis operas tandem incidit in rem quandam, quæ vitro Hermetico Sigillato indita, mille annos citra detrimentum integra servari posset. (An luceat non addit,) sic autem transacto diuturno spatio vitrum idem recluderetur; materia jam dicta subito in flammam emicans funem ignarium nullo negotio accendant. Collimat huc illa *Joh. Joach. Beccher.* (*l. 1. Phys. Subter. s. 5. c. 3. n. 105. p. 501.*) conjectura, qua statuit in ejusmodi vasculis ignem potentialem latuisse, qui accepto aëre illico flammam conceperit, & paulò post ob materiæ paucitatem consumtus fuerit. Experimenta suggerit (*l. 12. Mag. natur. c. 13. p. 486.*) *Joh. Bapt. Porta.* Ita *Jacob. Güther.* (*l. 2. de Jur. Man. c. 32. p. 388.*), fatetur: post multos annos aperti tumuli immisso aëre, lucernæ illæ statim accenduntur.

§. 168.

Hic aërem lampades accendere audis, mox eosdem extingvere, ut supra, si recte memini, etiam memoratum percipies. Retulit *Anton. Deusing.* (*Vid. s. 5. vindic. fœtus extra uterum geniti p. 36.*), *Generosus atque Amplissimus Dominus Brostroppius Gedde, Eques Norwagus, Collegii Metallici Præses, & summis fodinarum per totum Norwagiæ Regnum Præfectus*, se ipsummet prope puteolos Italiæ Lampades tales etiamnum ardentes vidisse, quæ simul atque aërem haurirent liberiorem, mox extinguerentur. Spectat huc globulus vitreus in urbe Delphinatus Valentia, in campo, in quo magna Sepulchrorum copia, repertus, in quo lux quædam circulabatur, quo rupto ob admissum aërem

lumen

lumen extinguebatur, quod (*M. C. D. 1. A. 8. obſ. 20. in Schol. p. 39.*) *Martin. Bernh. à Berniz.*

§. 169.

Singulare eſt, quod de tumulo *S. Johannis* memorat (*Theatr. Terr. Sanct. p. 285.*), *Adrichom.* : Splendor tumulo *S. Johannis Apoſtoli* circumfuſus loci hominisque aſpectum circumſtantibus ademit, quo poſtmodum remittente inane apparuit conditorium, Manna ſcaturiens. De igne viſo ſuper Antrum *Joh. Anachoretæ*, in quo ſeptem annos latuerat, è *Sophronio* (*prat. Spirit. c. 87.*) *Henric. Kornnmann.* (*p. 4. de m. m. c. 133.*), dixi *ſupra* (*§. 118.*), coruſcationes & ignes fatuos in Cœmiteris ob copiam pinguium & oleoſorum vaporum, aut etiam alias rationes ſæpius videri. Idem flammas è ſepulchris emicare aliquando animadverſum eſt. De Flamma è ſepulchro *Davidis* iterum *Adrichomius* (*c. l. p. 152.*). Ego non ſemel in Cœmiteriis, *tradit Athan. Kircher.* (*l. 8. M. S. ſ. 3. c. 1. p. 73.*), quam Roman ſubterraneam vocant, experientia didici, eos vid. qui abdita, & undique immemorabili tempore clauſa veterum ſacella per exiguum foramen ſudore madidi ingrediuntur, veluti flammulas quasdam ſeu luculas ex capite, ad inſtar fatuorum ignium, emittere ; & quotidiana experientia in Cœmiteriis loco aprico expoſitis, ſat ſuperque docet, non ſine Simplicium ſuperſtitione, qui hujusmodi flammulas ſpectantes, hominum ibidem terræ mandatorum Animas eſſe, ſibi perperam imaginantur.

§. 170.

Nec ſemper pingues & Cadaveribus fumos & exhalationes id præſtare, ſed etiam ignes ſubterraneos, comprimis in poroſa Italiæ terra, *ſecundum Andr. Baccium* (*l. 4. de Therm. c. 4. p. 199.*). Flamma è puteo emergens, de qua obſervationem *Laurent. Wolffſtriegel* (*M. C. Dec. 1. Ann. 1. obſ. 23. p. 109.*) *Jacob. Phil. Sachſ.* (*ex Aliis in Scholio*), communicant, evincit. Quodſi igitur talis vapor lucens in quodam ſepulchri loco inſtar ignis lambentis, aut fatui hæreat, & vitra lacrymalia aut alia ejusmodi vaſa circa cadaver locata inveniamus, viſus poteſt decipi, ut putet lucem illam inhæſiſſe ejusmodi vitris, & humoribus in iisdem contentis, & poſtmodum aëre accedente & moto fuiſſe extinctam.

§. 171.

Quomodo verò ab oleo, vel alia pinguitudine lampadibus infuſa, tamdiu ignis conſervari potuerit, addere placet. A cauſa ſuperiore id factum aliquando ſunt, qui exiſtimant. De Lucernis perpetuis in Baptiſterio *Conſtantini* diſpoſitis, *in vita Sylveſtri I. Pontif.* narratum *Athan. Kircher.* (*c. l. p. 72.*) citat & è

Nicephoro de Lucerna Antiochiæ, Syriæ urbe, supra Ecclesiæ portam posita. Ita de Lampade ad corpus *S. Ansberti* collocata, quod oleum ejus non imminutum, sed auctum fuerit (*è Laurent. Surio T. 1. allegavit*) *Jacob. Gretser.* (*l. 1. de Fun. Christian. c. 10. p. 45.*). Ad Dæmonem harum perpetuitatem *retulit Augustin.* (*c. l.*), quem præducem sequitur *Martin. Delrius*, qui magica arte, uti *Memnonis* statuam, ita & Lucernas perpetuas igne flagrantes confecisse, conjectura: Cum Diabolo nihil facilius fuerit, quam lucernis hujusmodi novam semper & novam materiam, sive veram, sive apparentem administrare. Aggregare se his videtur *Athan. Kircher.* (*c. l. p. 71.*). Ita in *Merlini Magi* tumulo lucernam inextinguibilem repertam, cecinit *Ludov. Ariostus* (*Cantic. 3.*). Potuit tamen contingere, ut Dæmon potius harum lucernarum repertoribus talem obtulerit speciem.

§. 172.

Non ineptit *Kircher.* (*c. l. p. 72.*), dum ad harum constitutionem requisivit, ut primo Ellychnium in lucernis sit incorruptibile, & oleum, quo fovetur, durabile & irresolubile: Secundo, ut oleum, vel quicunque inflammabilis liquor, ita sit constitutus, ut tantum semper novi acquirat liquoris, quantum exhalatione evanuit, fiatque perpetuò liquoris consumti & de novo advenientis perpetua περικύλωσις. Tertio, ut Lucerna ita sit ab externo aëre defensa, ut ne minimum quid cum ea commercii habeat aër. Sed hæc impossibilia existere ipse demonstrat, & nemo sanæ mentis ambigit. Quod ad primum, *incomparabilis Herman. Conring* (*l. de Calid. Innat. s. Ing. Animal. c. 8. p. 70.*), rectè judicabat, qui flammam perpetuam ex Oleo quodam incombustibili construere nituntur, idem est, acsi quis velit fluvium sine fonte, aut aliunde affluente aqua conficere. Sanè incombustibile oleum, si quod est, quod poterit nutrire flammam, nec flamma in aprico quidem posita sine perpetuo potest alimento conservari. Et quomodo Ellychnium inconsumtibile sit, si accendatur, edoceri optarem.

§. 173.

Quod ad secundum, si arsissent illæ lucernæ, vix aliter flammam illam perennare potuisse intelligo, quam si fieret quidam materiæ in orbem reditus, quemadmodum in vasis Chymistarum circulatoriis, ut in Pelicano. Ascendens scilicet fumus ad summum vasis apicem ibi iterum cogeretur in liquorem, qui per recurva vasis brachia descendens ad lucernæ fundum fomitem flammæ denuò subministraret. Sed hic exardescentis atque postmodum concrescentis materiæ circuitus suis, *judice Paulo Casato* (*c. l. p. 246.*), non caret dif-

fi-

ficultatibus. Et quamvis varia figura fuerit lucernis figura, de qua curiosus *Fort. Licetus* (*passim & imprimis l.3. de Lucern. Vet. p. 190.202.212.213.214.*) & *Ulyss. Aldrov.* (*l.1. Ornithol. p. 73. & 78.*) evolvendus, quas in nuce dedit *Joach. Feller.* (*c.l.c. 2. n.1.2.3.*), nullas tamen Pelecanis Chemicis similes deprehendes, & mihi ægrè *cum Casato* persuadeo, illo tempore, quo Pallas (cum Aliis) extinctus est, tantam fuisse in Latio Artis Chemicæ notitiam, ut liquorem ex salibus volatilibus condensatum pararent, aut materiam aliquam lucibibulam, ex quibus lumen perpetuò emicaret.

§. 174.

Nec omnibus forsan probabitur *Wolferdi Senguerdi* (*p.3. Philos. Vet. c. 12.n.14.p.246.*) acumen, quando suspicatur, perennem flammam complures emisisse, ob nutrimenti subtilitatem & puritatem, aërisque ambientis minorem agitationem, propter sepulchrorum occlusionem. Quibus effectum, ut ramosæ & fuliginosæ particulæ superstites in materia flammæ nutrimentum suppeditante, versus superficiem ejus propulsæ, mediantibus ramulis sibi invicem fuerint implicitæ, macula vel tenui tunica eandem obduxerint, quæ cum subtiliores flammæ particulas repercuteret, ejusque dissipationem sisteret, in gyrum eædem particulæ motum continuavere, à superiore Ellychnii parte versus inferiorem processere, ut eædem numero particulæ sæpius luminis productioni inservire, quemadmodum idem in particulis solis & sanguinis obtinere, *alibi* (*p.2.c.4.p.131. & p.4.c.5.p.295.*) ostendimus, donec tandem reseratis sepulchris ab aëre foras accedente, ac magis agitato macula dissolveretur, lumen quod subobscurum anteà fuerat à motu aëris intenderetur, & pabulo insumto mox extingueretur. *Hactenus Senguerd.*

§. 175.

Omnium harum narrationum fidem in dubium trahere, religionem duco. Varia tamen commenta his affricta, oculorumque ludibria accessisse juxta hariolor. An forsan acies oculorum id sibi ob novitatem ac spem confinxit, *ipse Hier. Cardan.* (*c.l.*) quærit. Interim cum Ellychnii, & nutrimenti ratio portentosas difficultates suggerat, ut idcirco *Francisc. Baco Verulam.* (*Cent. 4. Sylv. n.326. col. 823.*) pronunciet: Commentum lapidis stultitiam sapit, illam, qui lucentem non urentem materiam probat, eligendam censeo, quippe qua istæ difficultates discutiuntur & enervantur. Qua arte id fieri poterit, nostrum non est diutius inquirere, profitetur *Jac. Guthier.* (*c.l.*). Alii hac in re philosophati sunt multis, qui accensis his luminibus alas ingenii combusserunt. Desinant viri diligentissimi, *consulit Petr. Petit.* (*Exerc. 11. de Nat.*

Ign. & Luc. p. 50.), Lucernarum semper ardentium historiis recitandis farcire conditores, qui si Naturam consuluissent, ut Philosophos decuit, eas historias castigare debuerunt.

§. 176.

De fine sollicitis, cur sepulchris additæ Lucernæ istæ, paucas saltem lineas destinavi. De ignis cultu apud Chaldæos res est confecta. Transiit ille ad Ægyptios & Persas *juxta Barnab. Brisson. (l. 2. de Regn. Persar. p. 163.)*, & demum ad Græcos, & Romanos. Inde in omnibus locis, quibus aliquid religionis tribuebant, lumina ponebant, annotat *Isaac. Casaubon. (in Sut. August. c. 98. p. 320.)*. Qua de Causa Deorum honori primum luxerunt lampades, Candelæ cereæ & hujusmodi alia in Templis, post Divorum quin & mortuorum circa & in sepulchris. De *Mycerini Persarum Regis* in lignea bove inaurata sepulta filia *Herod. (l. 2. s. Euterpe p. 61.)*, Huic singulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus autem perpetuo incensa lucerna astat. Et *apud Petron. (Satyr. p. m. 139.)*, in Conditorium prosecuta est defunctum maritum, positumque in hypogæo Græco more corpus custodire ac flere totis noctibus diebusque cœpit; Assidebat ægræ fidissima ancilla, simulque lacrymas commodabat lugenti, & quoties defecerat positum in monumento lumen renovabat. Mos hic demum etiam ad Christianos transiit, ideò & Martyrum conditoriis lumina admovebant, quod tamen malè habuit *Vigilantium*, cujus verba vide sis ap. *Joh. Kirchmann. (l. 4. de Funer. Roman. c. 4. p. 382.) & Jacob. Gretser. (l. 3. de Funer. Christian. c. 2. p. 147.)*, qui & quæ *Hieron. Vigilant.* reposuit, subjungit.

§. 177.

In testimonium immortalitatis Animæ lampades has resplenduisse, *cum Sebastian. Foxio Joseph. Laurent. (c. l.) Joh. Heinr. Ursin. (vol. 1. Anal. Sacr. l. 5. c. 42. p. 42. p. 308.) Joach. Feller Noster (obs. ad l. 1. Horat. Od. 24. p. 1109.)* opinantur. Lichnos veteres Janigenæ in sepulchris collocare consveverunt, *discurrit Joh. Gorop. Becan. (l. 15. Hieroglyph. p. 244.)*, ut indicarent corpus veluti nocturno somno oppressum dormire, & certam vitæ superesse, quæ flamma denotabatur. Neque flamma aliud, quam pyramides & obelisci & Cyparissi, sive Cupressi in sepulchris & bustis denotabat, & tantò quidem efficacius denotabat, quantum signatum, quam signum, propius ad rem accedit. Meta enim non alia ratione vitæ indices erant, quam quod flammæ formam imitarentur, quæ vitæ signum manifestum gerebat. Quid quod ab igne ad vitam crebro translatæ sint multæ ab antiquis scriptoribus voces, ut *Anton. Muret. (l. 7. var. lect. c. 6. p. 156.)* observavit, & ignem pronunciarent Animas immor-

mortales (*vid. l. 2. Tit. 9. §. 14.*) ideoque ignem veluti Animæ simulacrum cadaveri apponere consveverunt, neque bestiis id officii præstabant, quibus Animam mortalem contigisse noverant. Ita *Plutarchi* (*in quæst. Roman. n. 141.*) *testificatione* constat, lychnum esse similem corpori animum continenti, & flammam quidem animum esse, cui vita debetur. Cum vero post obitum duæ supersint facultates illæsæ, intellectus & voluntas illum argenteo latice; hunc aureo lumine repræsentarunt *Plutoni* in demortuos imperium exercenti hac via Animas seu manes commendantur, evolve *præclarum Polyhistorem Matthiam Zimmermann.* (*Analect. Miscell. 3. n. 9. p. 145. sq.*), in quibusdam sepulchris, quia lucernæ perpetuæ comparari non poterant, ignis imago sculpta loco veri ignis ponebatur, cujus multa marmora, quod notavit *Joseph. Laurent* (*c. l.*), testimonium faciunt luculentissimum. Nec dubito, quin Pyramidum ædificium huc supersternatur basi.

§. 178.

Gentilium etiam persvasionem Animas separatas circa cadavera versari, *supra* (§. 19.) traditum est. Ne igitur diu miserè in tenebris versentur, lucernarum splendore his lucem fœnerari Antiquis placuit, quod etiam *J. B. Porta* (*c. l. p. 489.*) & *Feller.* (*Flor. Philos. Ex Æneid. Virgil. c. 16. p. 291.*) animadversione dignum judicarunt. Idem etiam monuit *Andr. Chiocus* (*s. 6. Mus. Calceolar. p. 716.*), qui & has lucernas nobilitatis signum è *Liceto* professus est.

§. 179.

Tandem & *Robert. Fluddum* (*Histor. Utriusque Cosmi tr. 1. l. 6. c. 8. p. 179. sq.*) audire hunc in modum differentem è re erit. Manifestum est ignem inferiorem non modo cum luce supra cœlesti participationem habere, sed etiam quondam ipsius Lucis increatæ similitudinem & præsentiam, cum ipsi Cacodæmones ignis accessione debilitentur & fugentur, quemadmodum Dæmones boni ejus intuitu reficiuntur & fortiores redduntur. Hinc enim veteres candelas & lampades accensas juxta cadavera mortuorum posuerunt, ut scilicet lucifugas & malos spiritus cacomagis inservientes pellerent, aut eorum accessus impedirent, ut *in Apuleji aureo Asino* reperitur. Quin *Francis. Venetus* (*T. 2. problem. s. 2. probl. 79.*) tradidit, mortuorum cadavera à Dæmonibus frequentari, atque hanc esse causam, cur terrorem incutiant, ideoque lumina incendi solere, quod mali Genii lucem oderint, veluti vespertiliones. Contrarium evincere nititur *Petr. Thyræus* (*p. 3. de loc. infest. c. 59. p. 194.*), eosque in multis errare. Cereos autem in purificatæ virginis matris festo consecratos (*c. l. c. 69. n. 35. sq. & n. 39. p. 241. & 242.*) eligit & commendat.

§. 160.

§. 180.

Coronidis loco sit brevis de Spectris in humoribus cum alimentariis, tum excrementiciis corporis humani apparentibus, recensio. In alimentitiis eminet sangvis, quamvis soli sero aut Chylo id muneris detulerint Alii. Vanus erat ille phreneticus, qui in sangvine in Cephalica emisso sui peccati expressam figuram repræsentari & cognosci delirabat, quod *Casp. à Reies* (*Camp. Elys. Jucund. quæst. 62. n. 13. p. 824.*) commemorat. Exactiorem trutinam meretur illud Phænomenon, de quo *Th. Barthol.* (*Cent. 4. Epist. 24. p. 101.*), In sangvine puella hoc ipso anno (1662.) mense Junio visa est, à Chirurgo quodam Hafniensi species hominis capillati fœminæ coronatæ sibi obversa, quæ tertia hora evanuit. Suspicor verò, *scribit*, à sangvine vario efformatas fibras variam speciem oculis exhibuisse. Varius autem hujusmodi sangvis plerumque in scorbuticis nostris observatur, quorum ingens apud nos numerus.

§. 181.

Straminea stipula, spicam vocat *Joh. Argent.* (*de reb. Societ. in Polon. c. 25. p. 349.*) *Garneti Jesuitæ*, & ut putabatur (revera erat) conjurationis in Regem Angliæ Autoris, aut saltem socii, & ideò publicè à carnifice trucidati sangvine tincta Catholicis (cur non & Reformatis?) *Garneti* effigiem repræsentabat. Hæc *Henric. Kornmannn.* (*p. 4. de m. m. c. 46.*) *Apologiam pro Henrico Garnetto titulo Andr. Eudemon. script à Joh. Cydonio Jesuita*, quem (*Ex. de Sangu. Prodig. c. 4. §. 7. p. 48.*) allegat *Joh. Christoph. Becmann*, mihi non visam, qui poterit, evolvat. Ejus etiam mentionem fecisse *Cornel. à Laè Joh. Conrad. Danhauer.* (*in Valer. Magn. Rediv. p. 179.*) *constat.* Lusit in hunc aliquot Epigrammatis *Albert. Ines* (*Cent. 5. Epigr. 66. 67. 68. 69. 70. p. 100.*) è quibus *sequens* (*68.*) insero:

Qui vacuum, qui jure queant hunc dicere culmum,
In quo beatum conditum granum fuit.
Nam si frumentum CHRISTI se dixerat esse,
Ignatiani nominis typus prior:
Quin Garnette tibi frumenti nomen & omen
Ignatiana deferat Colonia

Stramineo vanæ persuasionis fundamento superstructa videtur hæc imago. Si imaginem in gutta viderunt, propriam viderunt. Radiata regeris fuit. Falsam figuram istam pingi, *respondet Becmann* (*c. l.*), teste vel ipsa *Jesuitæ* relatione, quæ certe hanc circumstantiam non tacuisset. Fabulam hanc inter ali-

os

os examinarunt *Thom. Füller.* (*Histor. Eccles. ad Ann. 1610.*). *Joh. Hülsemann.* (*Manual. A. C. contr. Jesuit. Hager. p. 998. sq.*). *Dannhauer.* (*c. l.*). *Andr. Carol.* (*l. 1. Memor. Eccl. c. 41. p. 142. sq.*) *Becmann.* (*c. l.*) in superficie sanguinis è vena communi viri mihi amicissimi varias sceleti seu Mortis, ut vulgò pingitur, effigies cum aliis se vidisse sanctè asseverebat, quæ post horam mutatis sanguinis fibris, seroque superficiem petente disparuerunt.

§. 182.

In excrementiciis urina habetur. Hydrophobia detentos urinam mingere, in qua Catellorum simulacra se visui offerant, etiam Antiquos non latuit, quos *Casp. à Rejes* (*c. l. n. 2. p. 806.*) citat. Add. *Cornel. Agripp.* (*l. 1. Philos. occult. c. 15.*), sed nec Idola sola, carnes seu vermiculos catellorum figura in illa reperiri, juxtim observarunt quidam. Causam hujus phænomeni explicare *Joh. Marc. Marci* (*p. 4. Philos. Vet. Restit. s. 3. p. 439.*) contendit. Si saliva canis rabidi, *inquit Dn. D. Paul. Ammann.* (*Posit. Medic. de Hydrophob.* §. *31.*), hoc seminium ad verminationem in se continet, ut peculiari observatione *Philipp. Salmuth. Cent. 2. obs. 83. p. 99.*) confirmat, quidni etiam accedente phantasiæ vitio illud ulterius propagari, ulterius efformari, & urinæ communicari poterit? Seminis æstuantis proportionem quandam per canis spumam morsu communicatam, quæ etiam Cerebrum inficiens eos in earum naturas incitat, infert *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 28. p. 34.*), ut latrandi teneantur desiderio, ut idem (*c. l. obs. 74. p. 73.*) annotat, imò quod planè singulare etiam odoratu & sagacitate venatica polleant, ut quidam *ap. Eundem* (*Cent. 3. obs. 78. p. 250.*), qui licet amicos è longinquo non videret, olfactu venire perciperet.

§. 183.

Pulchrè tales canes esse intrinsecus, non autem in figura, judicabat *Thom. Campanell.* (*l. 4. de Sens. Rer. c. 11. p. 311.*), & hos catulos generare, quod spiritus eorum susceperit ideam caninam, & totus factus sit caninus (*p. 313.*), pronunciabat. *Rejes* tamen (*c. l. n. 6. p. 808.*) probabilius esse putat Hydrophobos in urina tantum non astantes canum idola vere percipere, quæ delirantium somnia vocat *Henric. Meibom. Epist. Consid. Corp. Glorios. Præfix.*), quod equidem non nego, nec inficior, astantes aliquando phantasiam non minus, quam oculos adhibere.

§. 184.

Interim carunculas aut vermiculos caniformes etiam inter ea, quæ Naturæ impossibilia, non reputo. De carunculis in urina aliquando se sistentibus neque *Hippocrates ipse* dubitavit, & jam olim prognosticon (*s. 4. Aph. 76*) de

iisdem consignavit, quorum ortum venatur *Henric. Martin.* (*Anat. Urin. Galen. Spagyr. c. 10. p. 217.*). Observavit easdem in sanguine *Joh. Jessen.* (*Judic. de Sangu. V. S. dimisso p. 24.*). De urina verminante *infra* (*l. 3. Tit. 1. §. 92.*)

§. 185.

Ne autem soli ineptire deprehendantur Galenistæ in urinoscopia, *Aurel. Theophr. Paracelf.* (*tr. 1. de Pestil. p. 335.*) Canes in vulneribus à Canibus rabiosis demorsorum crescere etiam narravit: *Nun sehet ihr, wie ein tobender wütender Hund einen Menschen beisset, nachmahls, als es offt erfahren ist, daß nachdem der Mensch ist gebissen worden, Hunde in der Wunde gewachsen sind.* Forsan id contingit, quod à morsu canis, inprimis halitu oris, imaginatio in hominem transplantatur, homoque canis per ideas seminales, quæ *Joh. Marci Marci Philosophia (p. 4. Philos. vet. Restit. s. 3. p. 439.) est.* Fit, ut *Idem (l. 1. Chirurg. Magn. tr. 3. c. 1. p. 46.)*, caninumque stomachum acquirit, quod iisdem verbis repetit *(l. 3. Chirurg. tr. 3. c. 2. p. 504.)* & ita hi libri parum à se discrepent. Aut supernaturaliter contingit, ab obsessione Dæmonum, qua canes rabiosi *juxta Eundem* tentantur *(Vid. l. 1. Chirurg. Magn. tr. 3. c. 2. p. 47.)*. Quare & homines ab iisdem in majus præcipitantur malum, periculosissimamque insaniam.

§. 186.

Spectat huc, quod, *referente Joh. Rhenano* (*Uracriter. c. 10. Aph. 57. p. 376.*), nonnulli in ipsis gravidarum mulierum Urinis imaginem quandam propè primis temporibus conspexerunt, quod jure meritò ridendum censuit, & intereà (conscientiam Paracelsistarum testatur), quæ nunquam à Paracelsistarum experientia comprobata numeranda *Dan. Sennert.* (*l. de Consens. Chym. c. Aristot. c. 17. p. 302.*)

§. 187.

De Tarantulis *Plin. (l. 29. c. 4.)* urina similis araneis textis. Hoc verò nemini mirum videatur, cum tale detentorum urinis pingvedo innotet telis aranearum similis, de qua multa *Henric. Martin.* (*c. l. p. 201.*). Inter præcipuos autem Tarantulæ effectus *à Wolferdo Sengverdio* (*Tr. Phys. de Tarant. c. 7. p. 40.*) etiam numerantur febres ardentes, quæ facile in hecticam transire potuerunt. Videant interim urinarum inspectores sagacissimi, ne illis, quod credulo isti, obveniat, de quo *Robert. Boyle* (*de Infid. Experiment. success. p. 99.*) memorat sequentia: Memini cum *D. R. Speculor. Dioptricorum confector meritò celeberrimus* cuidam, qui ipsum, ut Telescopium quoddam ingens trigin-

triginta pedes longum videret, adiverat, se ejus ope in molendina ad sex milliariorum intervallum remota araneam telæ suæ inhærentem conspicari diceret: Homo credulus primò quidem negare se tale quicquam videre, tandem verò araneam illam sibi conspectam confiteri, & tarditatem oculorum suorum accusare. Refero huc, quod de *Polo suo* facetè (*Colloqv. Exorcism. s. Spectr. p.m.394.*) *Erasm. Roterodam.*: *Polus* iter faciens defixis in cœlum oculis digito comitibus quendam cœli locum commonstrabat, nonne, *inquiens*, videtis illic immanemDraconem igneis armatum cornibus,& cauda in circulum retorta? Cum negarent se videre, atque ille jussisset oculos intenderent, ad locum subinde commonstrarent, tandem unus quispiam, ne videretur parum oculatus, affirmavit se quoque videre. Hunc imitatus est unus & alter: pudebat enim non videre, quod esset tàm perspicuum.

§. 188.

Ad Evestra pertinet eorum, qui mortui sunt, & nostro conspectui in somniis spiritualiter, etsi decesserint à quinquaginta vel centum annis se sistunt, Causam ut somniorum hominis corpori sidereo & Olympico, *supra* (§. 109.), descripto & proscripto, assignat (*T. 1. op. fragm. Med. p. 140.*) *Paracels.*; ita Evestra illa corpora demortuorum siderea esse proclamat, *&* (*l. de occult. Philos. p. 290.*) addit: Evestro apparentem suam necessarium est notare cum diligentia, quid nobis indicet, nobiscum loquatur, aut spiritualiter negotietur, idque non semper pro fabulis æstimemus. Nam si possibile foret hominem inter dormiendum tale obtinere posse rationis regimen, quam vigilans habet, ut ejusmodi Evestrum interrogaret, veritatem ab eo resciret, de eo quod inquireret. In genere de quibusvis

Visum Cadaver indicat necem gravem.

Judicat Anonym. ap. Hadrian. Jun. (*l. 1. Animadv. c. 18. p. 51.*). Quid somnia de mortuis præsagiant, collegit quædam *Christian. Moldenar.* (*l. 4. Exercit. Physiogn. c. 38. p. 385.*): Mortuos nitidos atque canditatos si quis viderit, bonæ valetudinis argumentum habet. Si quid puri ab his acceperis, ratio par, Sanum namque corpus dicitur, sanaque alimenta. Eosdem contrario habituri videas, nudos, aut atratos aut sordidatos, aut aliquid capientes, aut auferentes ex ædibus: minime commodum est: instat enim morbus, *Hippocrat. noster* dictitat (*l. de insomniis edit. Scalig. Apol. 43. & 44. p. 119. sq.*). Cum monstrosa corpora in somnis ostendunt sese, atque hominem territant; tum conjicimus

insuetis cibis, atque exuberantibus gravatos esse nos. *Idem (Apotelesm.45.p.121.)* De mortuis autem rara somnia, aut etiam nulla haberi, *Philippo Melanchthon.* quoad posterius, si verè hoc ipsi tribuit *Joh. Manl. (libell. Med. L. C. annexo p. m. 759.)*, experientia contraria motus, non assurgo.

§. 189.

Spectra verò, quæ à viventibus animadvertuntur, non rarò aliquid præsignificare, compertum. Ita Spectra, quasi ad sepulturam deferrerentur, quidam è domibus veracia deprehendit in peste Noviomagensi *Isbrand. à Diemerbræk. (l.4. de pest. Noviomag. hist.34. p.252. sq.)*, Quædam multorum Spiritus sine capite videns eos intra paucos menses morituros. Exemplis demonstravit *ap. Eund. (c. l. hist. 68. p.223.)* Fœminas Albas & alia Spectra Nobilium, Baronum, Comitum, Principum &c. in certis Arcibus & domibus prænunciare mortes nemini non constat. Friburgi apud Carelos assidui Spectrorum conspectus repentinum præsidis obitum portendit, ac Parma apud Cisalpinos, quadam in Tortellorum turri, ubi raro hæc phantasmata conspiciuntur, qui mors alicujus ejusdem familiæ intra paucos menses subsequatur. Ita *Joh. Laurent. Ananias. (l.4. de Nat. Dæmon. p.199.)*

§. 190.

Spectra à Papicolis ficta, fraudulenter producta, & pro defunctorum Animabus venditata non semel legas. Memorat *Erasm. (l.22. Epistol.)*, quod quidam Parochus sub die Parasceves clam immiserit in Cœmiterium vivos cancros, affixis ad latus cereolis ardentibus, qui cum reperent inter sepulchra, visum est nocte terribile spectaculum, nec quisquam ausus est accedere propius. Attonitis & consternatis omnibus Parochus è suggestu docet populum has esse defunctorum animas, quæ Missis Eleemosynis flagitarent à cruciatu purgatorii liberari. Fucus autem mane mox fuit proditus, quia unus & alter cancrorum cum extincta face repertus est, quos non collegerat Parochus. Idem fieri posse Testudinibus *Mart. Del-Rio (l.2. Disquis. Magic. qv.27. s.1. p.652.)* affirmat, quare, addit, nonnulli suspicantur *ab Homero (in Hymn. Mercur. v.37.)* Testudini tributum nomen armaturæ fallacis ἐπιλυσίας αἰχμα. Quomodo Abderitani juvenes conati sunt Democritum terrere, protulit *(in Philosopseude p.349.) Lucianus.*

§. 191.

§. 191.

Quosdam præ reliquis ſpectrorum apparitione tentari, vulgus credidit Dominica die natis id peculiare arbitratur. De Hiſpanis die Paraſceves natis retulit *Comitiſſa d' Aunoy (p. 1. Reiſe. durch Spanien Eiſt. 14. p. 478.)*, ſequentia: *Nobilis Hiſpanus erzehlete, daß alle Spanier, ſo auf den Charfreytag gebohren, wenn ſie bey einem Kirchhofe vorbey giengen, auf welchem ein Menſch, ſo eines gewaltſamen Todes geſtorben, begraben läge, oder wenn ſie auch an einen Ort kähmen, an welchen ein Mord begangen wäre worden, ungeachtet man den Ermordeten anders wohin begraben hätte, ſo ſähen ſie ſelbige allemal, und zwar eben in der Geſtalt, in welcher er ſich bey ſeinem Tod befunden, vor ihnen ſtehen, er möge ihn nun bey ſeinem Leben bekannt oder unbekannt geweſen ſeyn. Welches denn dieſen Leuten ein ſehr beſchwerlicher Zufall wäre. Es haben ſich vor dieſem, fuhr er fort, viel Leute verwundert, warum doch König Philipp. der IV. in Spanien ſeinen Kopff ſo hoch getragen, und das Geſichte allewege gen Himmel gerichtet, man hat aber nachgehends erfahren, daß es deswegen geſchehen, weil er am Charfreytag gebohren, und ihm daher in ſeiner Jugend öffters die Ermordeten erſchienen wären; weil er nun ſehr darüber erſchrocken, hätte er ſich angewöhnet, das Geſichte niemals gegen die Erde nieder zu ſchlagen.*

§. 192.

Joh. Laurent. Ananias (l. 3. de Nat. Dæmon. p. 92.), ex quorundam delira opinione retulit, Animas eorum, quibus exſpirantibus dextram porrexerint, & viciſſim porrectam receperint, ipſis poſt obitum apparituras. Nulla hujus rei, dictitat *Martin. Del-Rio, (l. 2. Diſquiſ. Mag. qu. 26. ſect. 7. p. 647.)*, vel ſcripto, vel non ſcripto DEI verbo nec hiſtoriarum verarum narrationibus autoritas huic opinioni adminiculatur. Paucis, pellucet ſuperſtitio.


§. 193.

Criſi imminente per ſanguinis eruptionem è naribus, quidam exiſtimabat ſe videre ſerpentem rubrum per impluvium ad ſeſe è tecto adrepentem atque appropinquantem, tam valida ſpecie, ut è loco repentè exiliret. Hiſtoriam leges *ap. Galen. (l. de prænot.)*, in quem locum, quæ ex Aliis congeſſit, & ipſe commentatus *Petr. Petit. (de Nepenth. Homer. c. 9. p. 112. ſq.)* digna, quæ legantur, puto.

§. 194.

Faba Græca & Lens, δυσόνειρος *Dioſcoridi* (*l.2. de re Med. c. 127. & c. 129. p.m. 130. & ſq.*) dicitur, quod tumultuoſa faciat ſomnia & terribiles viſiones. Quod cuivis proptum experiri, addit *Laudatus Petit.* (*c.l. c.8. p.109.*), ipſe quidem ſum olim, *pergit*, meo malo expertus, cum incautius me per aliquantum temporis ſpatium lentibus curioſiſſimè apparatis & conditis repleviſſem. Nam non multò poſt ex impuriore illo victu in morbum incidi contumacem, qui me duos menſes lecto affixum tenuit. *Et paulo poſt:* Cæterum toto morbi decurſu, ſi quid ſomni contigiſſet, adeo monſtrificis & terribilibus viſis inquietabar, ut meum cubiculum ſæpe larvis plenum eſſe crederem; me etiam aliquando putavi raptum in ignota loca, vagari inter umbras mortuorum & Lemurum catervas, & ſi quid portentoſius Poëtæ in ſuis νεκύαις deſcribunt. Quæ viſa horrenda adeò viva & expreſſa erant, ut etiam nunc in memoria hæreant. Adde quæ de Opio *ſupra* (*l.1. Tit.11. §.28.*) commemoravi.

LIBRI II. FINIS.



LIB. III.

LIB. III. TIT. I.

De
Putredine Cadaverum.

Summarium.

1. PRoœmium e Prudentio. 2. Circa putredinis naturam variæ philosophorum decertationes. 3. Aristotelis & Galeni definitio. 4. In quo conveniant & differant. 5. An putredo secundum, an contra naturam? 6. Transitio. 7. Balsamum naturale corporum. 8. Unde. 9. Sanguis & Semen. 10. Sanguis arterialis Balsami sedes. 11. Bilis quibusdam Balsamum. 12. Rejiciunt Aristotelici. 13. Bilis an primam juvet concoctionem. 14. Contrarium demonstratur. 15. Turbas enim primæ coctioni infert. 16. Bilis an Hepati & Sanguini infundatur. 17. Non omne amarum Balsamicum. 18. Balsamum Spiritus vitales. 19. Sanguinis motus necessitas. Gangræna. 20. Sanguinis στάσις 21. Morborum & mortis causa. 22. Putredo an fermentatio? Affirmantes. 23. Negantes. 24. in putredine calor. 25. Fermentatio duplex. 26. Subjectum putredinis & fermentationis, non Elementa. Ignis imprimis. Causæ. 27. Aliæ causæ. 28. Non aqua & terra. 29. Terra quando fermentetur. 30. Mineralia fermentationis productum. 31. Vegetabilia & animalia. 32. Putrefactioni motum inesse. 33. A Spiritu innato. 34. Putredinis causæ internæ. Temperamentum validum & humidum. 35. Frigidum & humidum Pisces. 36. cur a capite incipiant putrescere. 37. Alimentum quale exhibeant. 38. Pinguia. 39. Morbi. 40. Partium internarum putredo. 41. Sphacelus. 42. Θεῖόν τι. 43. Vulnera Sclopetorum. 44. Armorum intoxicatorum. 45. Ictus serpentum, Venena. 46. Seps serpens. 47. Anima Leonis, Lupi. 48. Ficus. 49. Fulmine

mine tacta. 50. Post mortem inventa putredo internarum, an fuerit in vivente? 51. Inter externas aër. 52. Non tamen omnis, comprimis montanus. 53. Athmosphæra calida & humida. 54. Calor vehemens. 55. Caro plantæ pedis febricitantis alligata. 56. Tincam Icterum non attrahere. 57. Fundulus piscis umbilico applicatus. 58. Frigiditas. 59. Congelata glacies. 60. Lunæ radii ad putredinem disponunt cadavera. 61. Humiditas & Frigiditas unde? 62. Experimenta circa frigiditatem. 63. Humiditatem. 64. An calefaciat & exsiccet? 65. Humiditatem favere putredini, non omnibus probatur. 66. Præservare à putredine juxta Paracelsum. 67. Conciliatio. 68. Terræ Cœmiteriorum contagium. 69. Terræ cadavera consumentes. 70. Terræ & lapides corrodentes. 71. Helmontii sententia. 72. Calx viva exsiccat, & corrumpit cadavera. 73. Sal ammoniacum corrumpit, spiritus conservat. 74. Scaphismus Persarum. 75. Mezentii & Hetruscorum truculentia. 76. Victus ratio. 77. Cibi e carnibus. 78. Venereo oestro corrumpuntur carnes. 79. Motus ante mortem excessivus, aut convulsiones. 80. Una pars citius corrumpitur præ altera. 81. Putredinis comes fœtor, in homine comprimis. 82. Fœtoris causa. 83. Noxa, flores & aromata Cadav. injecta. 84. Situs, vermes. 85. Vermes secundum naturam in sanguine. 86. In semine. 87. Ootociam in animalibus rejicit & Scolitociam substituit Lœwenbœck. 88. Dubia circa Microscopia. 89. De vermibus in semine. 90. Præter naturam vermes in sanguine V. S. emissi. 91. In aliis humoribus. 92. In urina. 93. In Cerebro. 94. Oculorum. 95. In & sub lingua. 96. In dentibus. 97. Cordis vermis, ut vulgo. 98. Ut à Benivenio depictus. 99. Veri cordis vermes. 100. Pulmonum. 101. Ventriculi. 102. Portentosi. 103. Hepatis & Vesicæ fellis. 104. Lienis. Pancreatis. Omenti. Renum. 105. Vesicæ. 106. Intestinorum. Teniæ. 107. Uteri. 108. Phtiriasis. 109. Pediculis Mumiale quid cum homine. 110. Phtiriasis diritas. 111. Pediculorum procreatio & prolificatio. 112. Climatum aëris & aquæ dispositio.

113.

113. *Pediculorum Encomium ex Heinsio.* 114. *Vermes in partibus exterioribus.* 115. *Mammillis.* 116. *Abscessus & tumores vermicondi.* 117. *Gangræna.* 118. *Dracunculi.* 119. *Insectorum & Vermium in Microcosmo varietas: Bufones, Lacertæ, Salamandræ.* 120. 121. *Pisces & alia animalia.* 122. *Miseria humana.* 123. *D. Augustini Paræneſis.* 124. *Viva mortis imago.* 125. *Putrefactio extemporanea.* 126. *Angues e Medulla hominis spinali.* 127. *E toto cadavere.* 128. *Majoli querela.* 129. *Fabulæ Rabbinicæ & Muhamedanæ.* 130. *Rationes Theologorum.* 131. *An secundum naturam contingat.* 132. *Affirmatur.* 133. *Serpentes in vivo generari posse.* 134. *Partu exclusi.* 135. *Fœtibus juncti.* 136. *Fœtus lædentes.* 137. *Serpentum cum fœminis coitus.* 138. *In homine e semine putrefacto.* 139. *Vomitu & per alvum excreti.* 140. *Pullities e corpore humano.* 141. *Pherecidis morbus.* 142. *Serpentes igniti apud Hebræos in deserto.* 143. *Capilli in Serpentes.* 144. *In mortuis unde?* 145. *Pisces è Cadaveribus in flumina projectis.* 146. *Hominum ortus è piscibus. Pisces carnivori.* 147. *Gammari in sepulchris.* 148. *Insecta è cadaveribus varia.* 149. *Apes.* 150. *Examina apum in sepulchris.* 151. *Insecta è vegetabilibus.* 152. *Quomodo producantur?* 153. *Calor putredinalis.* 154. *An homines spontaneo ortu è Terra.* 155. *Insecta ut è terra secundum Basil. Valentin.* 156. *Ut ex excrementis.* 157. *Seminalis materia latet in Cadaveribus.* 158. *Fermenti actio.* 159. *Fracedo.* 160. *Nulla hic naturæ aberratio.* 161. *Semen invisibile fermentatione emergit.* 162. *Anima his unde, an è cœlo?* 163. *Aëre.* 164. *Unumquodque suum cœlum in se habet.* 165. *Animæ residuum explicatur.* 166. *Quare non unum magnum animal è Cadavere, sed multa minora, cur non plantæ.* 167. *Authoris sententia. Omnia ex ovo.* 168. *Spontanea generatio Chimæra.* 169. *Ovula Putrido & Cadaveribus inferuntur.* 170. *Muscæ cur cadavera invadant?* 171. *Serpentes appetere carnem humanam, quomodo corporibus se insinuent?* 172. *Historiæ expenduntur.* 173. *Copia vermium unde?* 174. *Gradus resolutionis mortuorum.* 175. *Caro terra.*

ra. 176. *Vermes in Nitrum.* 177. *Nitrum ultimo in aquam sec. Helmont.* 178. *Thesis adversatur S. S.* 179. *Helmont. excusatio.* 180. *Homerus terram aquæ junxit. Nitri laxa acceptio.* 181. *Cœmeteria cur ab ingestis Cadaveribus non intumescant.* 182. *Jonstoni Simile.* 183. *Nitri cœmeteriorum usus Medicus.*

§. 1.



Uis nescit autem, quanta corruptela sit
Contaminatæ carnis ac solubilis?
Sordet, tumescit, liquitur, fœtet, dolet.
Inflatur ira, solvitur libidine:
Merumque felle tincta livores trahit.

Ita Prudentius (*Peristeph. in Martyrol. S. Roman. p. m. 716.*). Fragile & morbosum corpus circumferimus; Solubile & putredini obnoxium condimus. Putredo, dixi, pater meus, mater mea, & soror mea vermis. Homo putredo & filius hominis. Quam turpis Pater, quam turpis mater, quam abominabilis soror. Conceptus est homo de sanguine per ardorem libidinis putrefacto, cujus cadaveri quasi funebres vermes assistunt. Vivus generavit pediculos, mortuus generabit vermes & muscas. Vivus producit stercus & vomitum, mortuus producit putredinem & fœtorem. Vivus hominem unitum impinguavit, mortuus vermes plurimos impinguabit. Quid igitur fœdius Cadavere humano? quid horribilius homine mortuo? cujus gratissimus erat amplexus in vita, molestus etiam erit aspectus in morte, *ingeminat Innocentius III. Papa (lib. 3. de Miser. Hom. cap. 2.) ap. Henric. Kornmannum (p. 3. de m. m. c. 2.)*

§. 2.

Dum igitur ad putredinem Cadaverum devolvor, quid putredo, ejus causæ & gradus & reliqua huc spectantia exploranda. Rides, laboremque irritum exclamas, cum quid putredo sit vel è fece plebis lixæ, calones & pagani vel naso id dudum resciverint. Sed hæc gratis. Si superiorum seculorum Philosophos evolvas, quanto ardore prosecuti fuerint hoc thema cognosces & miraberis. *Aristoteles (4. Meteor. 1.)* putredinem caloris in humido existentis ab extranea caliditate corruptionem definit. Mutationem totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo. (*lib. 11. M. M. c. 8.*) *Galenus.* Quas turbas in scholis Peripateticorum hæ definitiones excitarint, historia Philosophica declarat. Videas in hac arena *Archangelum Mercenarium*

(*T. 1.*

(*T. 1. Dilucidat. Peripat. p. 143. & Disput. de Putred. adv. Th. Erastum*) *Th. Erastum* (*Responſ. ad Archang. Mercenarii Diſp. de Putred.*) *Erasti* & *Mercenarii* rationes examinat *Jacob Zabarella* (*l. 1. de Miſt. Generat. & Interitu c. 10. col. 549. ſq.*). *Melchiorem Oddum* (*Apolog. pro tutanda ſua ſententia adv. Ang. Mercen. & Th. Eraſt.*). *Simonem Simonium* (*Diſp. de Putredine adv. Th. Erastum.*). *Remigium Melioratum* (*de Putred. adv. Joh. Argenterium.*). Natæ inde de cauſis febrium putridarum Diſceptationes inter *Brunonem Seidelium* & *Laurent: Joubertum* (*vide T. 2. Op. Joubert. pag. 88. ſeq.*) inter *Simonem Simonium* (*de Febr. Putrid.*) & *Jacobum Scheckium* (*Confut. Error. Simon. de Febr. putrid. Cauſa contr. Galen. quæ eſt Diſput. Phyſ. & Med. l. 8. p. 623.*), ubi de putredine multa inſperſa deprehendes. Volvit etiam hoc ſaxum *Archangel. Piccolhomineus* (*l. de Putredine*), *Nicolaus Taurellus* (*Diatrib. de Putredine.*)

§. 3.

Imprimis definitio *Aristotelica* & *Galenica* pomum Eridos extitit. *Aristotelem* nil plus dixiſſe, quam quod ſciunt Ruſtici, *Hieron. Cardan.* (*lib. 6. de Variet. Rer. c. 26. p. 243.*) ſcribere non erubuit, quem putredinem à corruptione diſtinguere neſcium (*Ann. 1. Noct. Genial. 7. p. 459. ſq.*) *Johann. Nardius* caſtigavit. *Barthol. Kekermann.* (*l. 3. Syſtem. Phyſ. c. 3. p. 213.*) *Aristoteli* pollicem presſit, totamque putredinis doctrinam illum eâ definitione complexum demonſtrat. *Dan. Sennert.* (*l. 3. Epit. Nat. Scient. c. 3. p. 257.*), ideoque convenientem nominat *Mart. Schoock.* (*de Ferment. & Fermentat. c. 13. p. 115.*), *Aristotelem* & *Galenum* ut conciliaret *Anton. Santorellus* (*Postprax. Med. c. 37. p. 110. ſq.*). Nullum eſſe diſcrimen inter *Galenum* & *Aristotelem* opinatur. Nam quid ſitus, putredo, *Galenus* dixit formaliter. Eſt autem formaliter corruptio mixti, quod Galenus vocat putreſcentem ſubſtantiam. Ariſtoteles cauſam putredinis explicuit. Quum completam deſideras definitionem, facile illam aſſequeris, ſi utramque jungas *Aristotelis & Galeni*, hunc in modum: Putredo eſt interitus mixti ab externo calore ambientis proprium & naturalem corrumpente. *Franciſcus Piccolhomineus* (*l. de Putred. cap. 11. p. m. 985.*) dixit in attinentibus ad conſtitutionem & conditionem propriam putredinis, *Galenum ab Aristotele* non disſentire, ſed ſolum diſſentire in connexis cum ea. Hos invicem non diſſentire etiam *Dan. Sennert.* (*l. 2. de Febrib. c. 1. p. 50.*) demonſtrat.

§. 4.

Dum inter *Th. Erastum* & *Simon. Simonium* in hac Controverſia contentionum ſerra reciprocabatur, affirmativam tuebatur *Eraſtus* (*Dial. de Putred. p. 43.*); negativam contra *Simon Simonius* (*Diſp. de Putred. Commentar. 81. p. 290.*),

qui *Galenum* æquè in imitanda definitione putredinis *Aristotelem* atq; in multis aliis ejusdem Philosophi placitis reprehendendis hallucinatum esse præfatur, & quomodo *Aristotelea à Galenica* differat, diducit. Verba ejus, quia multa, paucis comprehendam, in gratiam Tyronum & eorum, quibus vasta commentaria excutere nec tempus, nec lubentia sufficit, addere non pigebit. *Aristoteles inquit*, putredinem naturalem definit, maximè oppositam generationi simplici mixti, quatenus mixtum est; *Galenus* non naturalem, sed violentam; non simplici sed particulari generationi mixti oppositam; *Ille* putredinem, qua mixtum in sua principia dissolvitur; *Hic* putredinem, quæ fit caloris interni defectu; *Hic* eam, qua idem calor augetur; *Ille* putredinem, quæ fit per caloris efflationem; *Hic* quæ fit ejusdem coctione; *Ille* putredinem, quæ fit transpiratione libera. *Hic* non aliam, quam quæ fit eadem impedita; *Ille* putredinem, cujus prima causa est calor extra ambientis; *Hic* cujus duplex est causa, calor quicunque cum humido: Nam putrescentia omnia ab humiditate & caliditate putrescere, testatur *Galenus* (*l.3. de Compos. Med. sec. loca c. 2.*) *ille* putredinem, quam frigus internum promovet. *Hic* illam, quam frigus retardat, *ille* putredinem, quæ sensim diffluente humido tandem in terram desinit. *Hic* eam vi caloris exurentis absumto humido in cineres terminatur. *Ille* putredinem dicit esse corruptionem; *Hic* mutationem ad corruptionem. *Ille* qui suæ putredinis causalem definitionem proponit, corruptionem interni caloris intelligit, id est, diminutionem. *Hic* qui suæ item definitionem quidditativam à latinis appellatam profert, corruptionem totius substantiæ corporis putrescentis intellexit. *Ille* calorem externum ambientis aëris & aquæ adduxit pro autore corruptionis illius; *Hic* alium, ut suo loco videbimus. *Hactenus Simonius.* Contulit & has definitiones *Zabarella*, Aristotelicam recipit, Galenicamque confutat (*l.3. Mist. Generat. & Inter c. 1. & 2. col. 593.*)

§. 5.

An putredo sit secundum naturam, an præter eandem, & an interitus via ad putredinem ex mente Aristotelis sit? controvertunt Philosophi. Prolixus est in horum sententiis declarandum *Francisc. Piccolhomineus* (*l. de Putred. c. 2. p. 971. & c. 3. p. 973.*) decernitque (*c. 5. p. 975.*) (1.) interitum dupliciter posse considerari vel secundum comparationem cum ortu vel facta comparatione inter interitus ad invicem: Dum interitus comparatur cum ortu, dicitur præter naturam, quia ortus aptatur â natura, interitus autem per consecutionem & ex accidenti. At comparatis interitibus ad invicem, quoniam quidam fiunt secundum Naturæ cursum, alii nequa-

quam

quam, jure nonnulli præter, alii ſecundum naturam ab *Ariſtotele* dicuntur. Altera (2.) diſtinctio eſt, interitum ad duo poſſe referri, vel ad inſtitutum Naturæ, vel ad modum & principia. Omnis interitus ſenium & imbecillitas dicuntur eſſe præter naturam, cum â natura non per ſe operentur: at ſi referatur ad modum & principia, ſic datur interitus hominis præter naturam, dum gladio vel laqueo perit, & ſecundum naturam, dum perit in fine periodi ſuæ vitæ per interna pincipia, ſecundum naturam operantia. Miſtum quodlibet ex inimicitiis irreconciliabilibus eſt, ſentit *Joh. Sperling. (l.6. Inſt. Phyſ. c.6. p. 1021.)*, ignis contra aquam & aqua contra ignem, quæ diverſa & adverſa corpora mire connexa fœdere, proprio motu tandem ſolvuntur, & finitis induciis ſecum trahunt interitum. Omnium optime id explicatum dedit *Th. Willis.* (*tr. de Fermentat. c. 8. p. m. 48.*), dum perhibet: Corpora naturalia, in quibus Spiritus Sal & Sulphur in quantitate vel mediocri reperiuntur, in eodem ſtatu non diu permanent: etenim activa hæc principia perpetim in motu verſantur. Cum primo conveniunt, â Cruditate & confuſione verſus perfectionem contendunt: cujus gratia, quando ſummum, quo pervenire datur, attigerint; minime in hoc puncto quieſcunt: verum exinde verſus diſſolutionem iſtius rei feſtinant. Quæ magis volatilia ſunt, ſoluto mixtionis vinculo, primo erumpunt, dein cætera in partes ſecedunt, donec forma mixti penitus diſpereat. Spiritus ad ſummum evectus cum aqua & priore ſulphure primo avolat & expiratu ſuo odorem ſatis gratum diffundit; poſtea ſulphur craſſius cum ſale, à vinculo, quo ligabantur, ſoluta & fluorem adepta, ſenſim evaporant, ſimulque fœtorem valde tetrum diſpergunt. Una cum his partes aquæ difflantur atque in terram ſeu caput mortuum corruit ſubjecti compages.

§. 6.

Libatis his controverſiis in foro Medico conſtitutus, relictisque problematibus variis otioſisque inde deductis, corporis humani reſolutionem, quam putrefactio infert, cum *Joh. Joach. Becchero* (*l. 1 Phyſ. ſubterran. ſ. 5. c. 1. n. 10. p. 302.*) conſiderationi præſenti ſubjicio. Quod, ut commodius fiat, ejusdem conſervationem prius trutinandam & examinandam arbitror, quid nempe ſit illud, quod corpus ejusque partes ſervet & à putredine conſervet, ut inde putredinis genius eò clarius eluceſcat.

§. 7.

Corpori animali ejusque partibus Balſamum quoddam à Natura quaſi inſtillatum, quod idcirco Balſamum vocant naturale, Chemici aſtruunt. Finem

si quæris, ut in æquilibrio partium servet temperiem & humores, easque à putredine & corruptione defendat, respondent: Unum est in corpore, diversum tamen, si determinationem ad hanc vel illam partem consideres. Acute de illo *J. P. Faber (S. 1, Chirurg. Spagyr. c. 2. p. 953.)* ἐνεργειακῶς Mercurius dicitur, quia cum Mercurius Planeta Soli connectitur est Sol, cum vero Lunæ copulatur est Luna, &c. Sic humor iste vitæ Mercurius ob Sympathiam, quam cum Mercurio cœlesti habet, dicitur, dum carni annectitur caro fit, dum ossi os, &c. Hoc est illa facultas, qua corpus perficitur, ut optime *A. Theophr. Paracelsus (libr. 1. Chirurg. Mag. c. 2. p. 3.): Also soll ein ieglicher Wundartzt wissen, daß er nicht der ist, der da heilet. So aber der Arzt vermeinet, er sey der da heilet, so verführet er sich selbst, und erkennet seine Kunst nicht. Aber damit du wissest, wozu du den Wundarzt gut heist, und nüzlich, und worzu die Kunst ist, also, daß du der Natur an dem verlezten Schaden Schirm und Schüzzung tragest für widerwärtigen Feinden, damit, daß die äusserlichen Feinde den Balsam der Natur nicht zurücke schlagen, nicht vergifften, noch verderben, sondern, daß sie bleibe in ihrer Balsamischen Krafft und Wirckung durch Bewahrung ihres Schirms. Scimus scribit idem (l. 1. de vit. long. c. 3. p. 839.):* Physicum corpus sustentari posse & illud ipsum ex vi suæ Mumiæ innatæ. *Mumia ist der Mensch selbst. Mumia ist der Balsam der die Wunden heilt. Der Mastix, die Gummi, die Glett &c. vermögen nicht einen Tropffen Fleisch zu geben, aber zu defendiren die Natur, daß ihr Fürnehmen abstatt gefördert werde. Das Fleisch (in der Wunden) muß von innen heraus wachsen, und nicht von aussen hinein. (l. 2. Paramir. c. 2. p. 41.) Dieweil der Mensch Fleisch und Blut ist, so muß er auch einen besondern Balsam haben, der ihn erhält, dasselbe ist in das Corpus Sal gesezt. (l. de morb. Tartar. c. 21. p. 314.)*

§. 8.

Balsamum illud aut est productum calidi & humidi corporis nostri, sive influum sit, sive radicale, seu insitum, aut est ipsum calidum & humidum. Inde pro uno eodemque habet *Dan. Sennert. (l. 5. instit. Medic. p. 1. s. 1. c. 2. p. 847.)*, Spiritus insitus, humidum symphitum & radicale, calidum nativum. Sulphur vitale aliquando dicitur *Helmontio*, aliquando sub Larva Archei ab eodem absconditur, vocaturque Archeus & Gas de natura salis balsamici, *(tr. complex. atque Element. mistion. figm. n. 41. p. 89.)*, Vulcanus etiam, *(tr. Phys. Aristot. & Galen. ignara n. 14. p. 41.)*, quo nomine etiam Archeum salutat *A. Th. Paracels. (Labyrinth. Med. c. 5. p. m. 272.)*. Hic balsamus corporis vita est & astrum, quo corporis membra vitalibus radiis illuminantur, perinde, ut Solis lumine tota

ma-

magni mundi machina illustrari solet, *docuit Joh. Bicker.* (*Hermet. Rediv. s. 1. c. 3. p. 42.*)

§. 9.

Cum autem, si negotium comprimis generationis consideramus, calidum innatum, seu primo natus calor animalis, nil aliud sit, quam sangvis, ex mente *Guilh. Harvei* (*Exerc. de gen. Animal. 71. p. m. 314.*); humidum autem radicale & primigenium colliquamentum crystallinum, ex quo fœtus ejusque partes primæ immediate oriuntur. (*Vid. Eund. Exerc. 72. p. 325.*), Colliquamento isti, aut si mavis, semini & sangvini multum inerit balsami, si non ipsum erit Balsamum. Ad eundem ferè modum *Joh. Joach. Becher.* (*c. l.*) semen consistit ex unctuoso humido, seu humido radicali, cui balsaminum quoddam calidum innatum est. De sangvine hæc (*c. l. n. 20. p. 308.*) prodidit: Sangvini occultum, subtilem ac valde balsamicum spiritum inesse, spiritui ardenti in vegetabilibus analogum nemo dubitat, cum arte ex sangvine quocunque præparari possit. Balsaminum autem voco, *pergit,* quia oleosus est, quod non incredibile erit, si consideremus siccum sangvinem in igne, ut lardum flagrare & absumi non minori celeritate, quam ipsum oleum, aut vini spiritus (*adde Supr. l. 1. Tit. 2. §. 32.*), & in hoc balsamino spiritu & igne totius sangvinis vis & bonitas consistit.

§. 10.

Spiritus iste balsaminus, aut sulphur vitale, quomodo elaboretur, si scire desideras, modum sequentem dictitat Helmont. (*tr. in Sole Tabernaculum p. 621.*): Sangvis arterialis (hic namque vera balsami sedes,) cum sit partim salsus, partimque pingvis, aut Sulphureus, inde debuit esse pulsuum concussio, non quidem ad refrigerium, (ut alioquin somniant scholæ,) sed scilicet, ut sicut butyrum ex lacte fit per concussionem: Conf. *egregium Illustris Georg. Wolfgang. Wedelii* (*M. C. D. 1. Ann. 6. obs. 2. p. 1.*) de sangvinis conquassatione *discursum,* & quæ alibi (*tr. Blas. human. n. 23. p. 247.*) tradidit *Helmont.* Ita, *pergit,* ex sangvine sulphur vitale, quod deinde per ejusdem operæ concussionem in Spiritu volatili lumen concipit, propagatumque formale seu vitale lumen; tanquam lumen de lumine sumtum. Spiritus salsi nimirum & sulphur sangvineum in theca cordis per pulsum se confricant, & accenditur tanquam lumen formale cum calore in Spiritu vitali.

§. 11.

Sunt prætereà, qui bilem balsami naturalis vice in corpore nostro fungi volunt, & prædictum sulphur sanguinis vitale de throno suo deturbare nituntur.

tur. Balsamicum quoddam Chyli condimentum eandem vocat *Præceptor colendus Dn. D. Godofred Mœbius* (*Fundam. Med. Physiol. c. 15. p. 367.*). Fermentum fellis perfectivum cremoris, præservativum cruoris & corruptivum seri est *Helmontio* (*tr. Sextupl. Digest. Alim. Human. n. 27. p. 170. & n. 34. p. 171.*). Cum succo Pancreatico in Ventriculum ascendere *Cornel. Bontekoe* (*p. 1. de Vit. & Sanit. Hom. §. 12. p. 18.*) & ad Chylosin concurrere acidum temperando (*§. 58. p. 109.*) suspicatur. Assumta ore alimenta in lacteum, mediante ea, quæ fit in ventriculo attenuatione, liquorem, Chylum dictum, redacta & per venas lacteas ad cor transmissa post novas in hoc attenuationes mixtionesque massam suppeditare illam rubicundam, quæ sanguinis nomine vulgo venire solet, extra omnem dubitationis aleam posuit *Joh. Broën.* (*Exercit. de Dupl. Bil. Vet. c. 1. §. 4. p. 7.*). Balsamum sanguinis *Augusto Hauptmanno*, *Amico olim honorando* (*Discurs. Inaugur. de Bile c. 2.*), Jecur à putredine eandem præservare quidam è veteribus, inter quos *Gabriel de Zerbis* (*ap. Mœbium c. l. p. 365.*) perhibuerunt. Hepar præprimis, adversus putredinem bilis, præsidio indiguisse, *censuit Francisc. Glisson.* (*Anat. Hepat. c. 20. p. 185.*), quoniam reliquæ omnes partes sanguinem suum immediatè ab arteriis excipiunt; Hepar vero canalem amplissimum habet à vena portæ, qui cum exilis ejus arteria minimè comparari queat: quia etiam hæc sanguinem non in ipsum Hepatis Parenchyma, sed in vasorum illius tunicas distribuit. Balsamum totius corporis, eò quod Sal lixivum obtineat, declaravit *David Beckius* (*Experim. circ. rer. nat. princip. p. 120.*), & Sal volatile oleosum experimentis quibusdam animatus *Johan. Broën.* (*c. l. c. 2. §. 5. p. 42.*)

§. 12.

Contrarium sustinet *Aristoteles*, qui (*l. 4. de part. Animal. c. 2.*) fel esse purgamentum (ἀποκάθαρμα & paulò post περίττωμα), non alicujus gratia, sed inutilem esse materiam, pronunciavit, & qui hunc sequitur *Plinius*, (*l. 11. c. 37.*) pessimi sangvinis purgamentum, Ex genere quadrupedum, quæ Animal generant cervo & damæ deesse notatum est: etque etiam aquo, mulo, asino, vitulo marino & murium nonnullis. Cervis Achainis cognomine, sed contineri creditur, *inquit iterum Philosophus* (*l. 2. de hist. anim. c. 15.*). Etiam cervi fel in intestinis habent, *juxta Plinium* (*c. l.*), ob quorum amaritudinem non attingantur à canibus, quod tamen falsum venatores compererunt, *teste Jacobo Dalechampio* (*in not. ad h. l. Plin. p. 541.*), qui capto cervo in more habent ejus visceribus, intestinis, & sangvine canes cibare, id quod dicunt apud Gallos: Faire la carée. Carere eo etiam animalia in Ponto, qui absinthio vescuntur, *iterum Plinius* (*c. l.*) *autor habet.* In parte quadam agri Chalcidici Eubœæ fel

fel nunquam pecori esse, *Aristoteles* (*l. 1. hist. animal. c. 17.*) narrat. Quamobrem pulchre *Aristotelis judicio* (*l. 4. de part. Anim. c. 2.*) à Veteribus dicitur illis, qui causam cur diutius vivatur, fellis vacuitatem esse ajunt. Inter Leonis tamen longævitatis causas bilis abundantiam allegavit *de la Chambre* (*Vid. T. 3. Ephemer. Curios. 14. p. 226.*). Et bilis in corporis œconomia non est tanta necessitas, solumque ferè sangvinis excrementum & spumam ideò proclamat *Joh. Viridatus* (*p. 2. de prim. coctione c. 5. p. 281.*). Pro spuma sangvinis venditavit *Steph. Rod. Castrens.* (*l. 2. de Meteor. Microc. c. 13. p. 83.*)

§. 13.

Neque bilem cremori misceri, ut præservet eundem à putredine, (cum in loco naturali constituti humores non facile putrescant,) sed ut sale volatili & oleo abundante incidat, attenuet, fluidumque eundem reddat, ut benè *Regner. de Graaf* (*de nat. & usu succ. Pancreat. §. 95. p. 45.*) ratiocinatur, qui sui effati testes vocat solos pictores, qui hunc in finem coloribus suis immiscent bilem, recitat id etiam *è Graafio forsan Joh. Broën.* (*c. l.*), qui & mulieres in eluendis pannorum maculis bovinam bilem applicare novit. Et hinc in altera digestione, in qua gracilia intestina sunt stomachus, fermentum à felle inspirari, monuit *Joh. Bapt. Helmont.* ad corruptionem & separationem aqueæ partis, utque mutetur acidum volatile in salsum volatile, (*tr. Sextupl. digest. alim. human. n. 29. p. 171.*)

§. 14.

Nec moror *Mœbii* obicem, dum ad stomachum delatam bilem virtutem digestivam Exemplis quorundam voracium brutorum imprimis Lupi corroborare satagit. Et in his naturaliter dari *Martin. Acachias* (*in Act. Med. Galen.*), ut in Avibus rapacibus falcone, Accipitre &c. quæ crudis carnibus vescuntur, quia majore calore ad coctionem indigeant. De fermento lupino res probatione non indiget & aliam eamque plane novam rationem olim prodidit *Celeberr. D. Simon. Pauli* (*Quadripart. Botan. f. 2. p. 86.*). *Johann. Argenter.* in lupo & vulpe hunc canalem invenire non potuit. *Vide Casp. Bauhin.* (*l. 1. Theat. Anat. c. 45. p. 158.*). Jungunt his quidam Pontificis triremium Remigem, de quo *Andr. Vesalius* (*l. 5. de Fabr. hum. corp. c. 8. p. m. 351.*), quem voracissimum indigitat *Magnif. Joh. Bohnius* (*circul. Anatom. Physiolog. Progymn. 10. p. 153.*), cum *Vesalius* eundem robustissimum nunquam in procellis etiam nauseam marinam passum & longissimo spiritu extitisse saltem, testetur. Interim amara appetitum augere, quatenus calorem & fermentum restituunt, *Exc. Georg. Wolfg. Wedelio* (*l. 1. de Facult. Med. c. 3. p. 13.*) obloqui, religionem duco, dummodo fermenta

acute distingvantur & bilis in stomachum effusio non sit nimia, omnem fermenti texturam infringens & vim resolventem evertens.

§. 15.

Quantas nempe turbas det concoctioni primæ bilis, πικρόχολοι ἄνω & κάτω edicent, choleraque inde emergens loquetur. Tantopere aliquando aberrat Natura, *Casp. Hofmann.* (*l. 2. instit. Med. c. 36. §. 7. p. 94.*) *meminit*, ut alter & superior (*bilis meatus πόρος χοληδόχος*,) ne attingat quidem intestinum (duodenum, ni tu mavis tenue,) sed ingrediatur Ventriculum. Et hi demum sunt πικρόχολοι ἄνω veteribus dicti, homines miserrimi quippe nisi bilem evomant ante mensam, quies nulla superest illis, usque dum cibus ingestus sit expulsus. Imò coctioni plurimum adversatur bilis: Nam omnibus hunc succum vomiturientibus appetitus dejicitur, & Ventriculus debilissimus existit, ructusque nidorosi ipsis sunt frequentissimi, notat *Joh. Viridet.* (*p. 1. c. l. c. 3. p. 16.*). Conf. *Anut. Foësium* (*Oeconom. Hippocr. p. 507.*). Vomitu rejectam bilem instar aquæ fortis bulliisse, *Petr. Borellus* (*Cent. 2. obs. 1. p. 104.*) annotavit. Qui vero πικρόχολοι κάτω, continuis biliosis dejectionibus exercentur.

§. 16.

An bilis Hepati & sangvini infundatur, inter se *Palæphatus & Neochm. apud Bernhardum Sualben* (*tr. Alcali & Acidum p. 204. & sq.*) disceptant, ubi hic affirmativam, ille negativam tuetur, & contentione factâ, experimentorum & rationum armis, ut Acidum & Alcali, inter se collidunt. Præcedere Hepatis actionem generationem bilis, Embryones docent, in quibus Hepar sangvine abundat, antequam bile turgeat vesicula, vel leviter tingatur. Quomodo in Hepar perveniret, quærit *Th. Bartholin.* (*l. 1. Anat. Reform. c. 15. p. m. 96.*). Siquidem Anatome docet, hunc ferri humorem non referri? Per Mesenterium longa nimis via, in qua propter acrimoniam ad exitum properat, & obtunditur vis. Unde autem generabitur, si sangvinis præcedat coctionem? Arteriæ & venæ paucæ ibi dispersæ, bilis autem copiose colligitur, imprimis *Aristot. testimonio* (*l. 1. Hist. animal. c. 17.*). In Naxo omnibus fermè quadrupedibus adeò grande, ut qui sacra fecerint advenæ stupescant, rem scilicet prodigii loco sibi arbitrantes.

§. 17.

Omne autem amarum esse balsamicum, non ita simpliciter verum reputandum, cum dentur balsamica non amara, & amara balsamum nostrum corrumpentia, inter quæ Opium crudum merito refertur, quod crebro assumtum pallorem, sangvinis resolutionem, ipsamque adeò cachexiam, quin & Hydropem causa-

causatur. Et qui tueretur à putredine Chylum, sangvinem & totum corpus, cum extra vesiculam facilis in putredinem sit bilis, nisi oppidò exsiccetur. Sicut & amarissima, ut Absinthium & Aloë, ipsa verminant, seipsasque ipsæ à putredine tueri nesciunt: Claudo *Andr. Vesalii* (*c. l. p. 355.*) verbis: Non ignarus interim subtilis Anatomicorum commenti, qui bilem in suam vesiculam asservari docent, ut jecur à putredine vindicet, non expendentes, quam innumeros bilis folliculos & Cerebro & Lieni, & pulmonibus, & plerisque aliis corporis partibus, ne ipsæ quoque putredinem contraherent, Naturam adhibere potuisset.

§. 18.

Balsamum igitur corruptionis in corporibus averruncus in sangvine hospitatur, spirituosum est & cum sangvine circulatur allapsuque & penetrativa sua spirituosa vi viscerum & reliquarum partium fibras, tubulos, & glandulas miliformes afflat & animat, tonumque earum servat & tuetur. Paucis, spiritus illi balsamici sunt spiritus vitales & animales à veteribus cognominati, quos & quintam Sangvinis Essentiam *Martin. Pansa* (*part. 1. de prorog. vit. c. 2. §. 4. p. 8.*) *appellare consuevit.* Spiritus sunt quasi sangvinis Anima, eundem moventes & circulantes. Balsamus sunt à putredine conservans & grumescentia sangvinem *profitetur Sebast. Wirdig.* (*l. 2. Med. Spir. c. 6. §. 1. p. 85.*) & universalis quædam Mumia in omnibus corporibus *Eduardo Bolnesto* (*Præfat. in Auror. Chymic.*). His in vigore & debito motu constitutis putredinis tyrannis in exilium proscribitur.

§. 19.

Ne igitur genio, quin & vita sua defraudentur partes corporis quædam aut etiam corpus totum, mortisque & putredinis subjiciatur tyrannidi, ut sangvis & cum eo spiritus assiduè motu circulari agitentur, necessitas imperat. Et hinc partes Gangræna afficiuntur, cum ipsarum tubuli ita sunt obstructi, ut paucissimus sit sangvinis (& Spirituum insitorum) & humorum in illos influxus aut per illos transcursus. Ita *Joh. Broën.* (*c. l. c. 12. p. 168.*), Dixi, *subdit*, paucissimum in Gangræna esse influxum ad differentiam scilicet indicandam, quæ est inter ipsam & Sphacelum, in quo nullus plane adest sangvinis & humorum influxus. Nam in Gangræna relicti adhuc sunt tubuli, quidam aperti, in quos Spiritus & humores aliquatenus possunt influere, hinc quoque vita illius partis ad breve aliquod conservatur tempus, nec tam difficilis est hæc curatu, quam quidem Sphacelus. Vidi, testatur *Mart. Kergerus* (*de Fermentat. s. 2. c. 9. p. 162.*) totum crus unica nocte gangræna corruptum & putredinem sangvini tàm cito communicatam, ut & pollex sinistræ manus & gingivæ nigrescerent. Hujus-

modi Exempla multa in Praxi quotidie obſervanda occurrunt. Hoc ipſo (1704) quo hæc revideo anno, in oppido Zſchopa Pannifex è Nundinis Numburgenſibus itinere pedeſtri omni ex parte ſanus redux circa veſperam extra hypocauſtum dum pedem dextrum poſuerat, dolorem pungentem ſentit, ita ut non ſine moleſtia eundem reducere valeret. Friget pes, per noctem dolores ingraveſcunt. Manè advocatus Balneator pedem rigidum & frigidum advertit, quidq; agendum ſit ſe ignorare fatetur, meque advocandum ſvadet, interim pedem fomentationibus calidis tractat. Advolo, pedem frigidum ſcarificare jubeo, nihil inde cruoris, etiam cuſpide lancettæ ſuæ tentatæ ἀναίσθητος pes & ad motum impotens (ἀκίνητος) usque ad Genu deprehenditur. Στάσιν ſangvinis & ſpirituum à tubulorum obſtructione ſangvinis concretione judico, idque Gangrænæ ad Sphacelum jam inclinantis cauſam, adeoque ut pedem à ſana parte ſeparare permitteret. Surdo fabula, mortem eligebat, vocabat uxorem, ſed & hæc ſurda. Toto namque corpore ſanus, animo ſaltem ægrotabat. Sphacelo paulo pôſt corripiebatur putreſcebatque pes, ut tandem fœtoris nauſeabundi pertæſus æger ſectioni annueret. Quâ facta, os quin & medulla oſſis corrupta & nigra apparebat, adhibitisque adhibendis vulnere curato unipes bene habet.

§. 20.

Stat & aliquando rigida tota corporis machina in momento ſanguinis motus & ſpirituum absque ulla prægreſſa mentis aut animi alteratione, talesque aut Apoplectici concidunt, aut Lethargici ad plures abeunt. Ante multos annos pannifex Chemnitii poſt Cœnam dormiturus in ſcamnum decumbit. Poſt ſemihoram ſtertere incipit, poſt rhonchiſſare Spiritumque difficulter ducere. Excitatur etiam cum ſtrepitu, omnium ignarus, rationis vacuus deprehenditur,

Nec facit officium pesque manusque ſuum.

Vocatus in Plethorico & carnoſo venam ſecare jubeo Medianam, qua aperta ſanguis non effluit, grumoſus tamen exprimitur. Cephalica & Salvatella aciem Phlebotomi experiuntur fruſtra ſanguinis effluxus expectatur, ſoli quidam grumi valida facta expreſſione deprehenduntur. Pulſus penitus obſcurabatur. Contigere hæc circa noctem mediam, ingruente crepuſculo omni motu & ſenſu deſtitutum corpus exanimabatur.

§. 21.

Στάσιν igitur ſanguinis aliorumque humorum & ſpirituum à quacunque demum cauſa proveniat, morbum & mortem prænunciare, comprimis Neoterici proclamarunt; Circulum contra ad naturalis mechaniſmi leges inſtitu-

tum

tum vitam & sanitatem. Ita *Joh. Broën.* (*c. l. c. 12. §. 2. p. 169.*) *dixit*, vitam corporis, sive quæ huic soli propria est, & à vita mentis diversissima, consistere saltim in locali & automatico sangvinis & humorum motu, & circulatione, qua cessante, vita quoque corporis cessat & habitaculum suum relinquit Anima, quia factum est inidoneum ad commercium motuum, cum ipsa ulterius continuandum.

§. 22.

Sunt, qui putredinem aut putrefactionem potius per fermentationem definunt, qua misti compages lentè dissolvitur. Extiterunt non pauci Philosophi, *differit Magnif. Dn. D. Joh. Bohnius* (*Differt. Chymic. Phys. 10. §. 1.*), qui aut fermentationem (quam coctionis termino innuebant,) putrefactionis notione exprimebant, dum *v. g. Empedocles* vinum Aquam in vite putrefactam definivit, *Plutarchus* idem putrescentem sub cortice lympham pronunciavit, aut qui putredinem fermenti insimulant, fermentumque per putrefactionis modum agere suspicantur *v. g. Mercurialis & Fernelius*, aut qui tandem putrefactionem & fermentationem notionibus distinxerunt, re ipsa vero confundunt, ejusdemque naturæ & unam plane operationem Chymicarum utramque autumant, *v. g. Sennertus, Duncanus, Bornettus & Davissonius*, sed hos omnes egregiè cœcutivisse, optimo jure *Vir sagacissimus* censuit. *Jacobum Zieglerum* etiam fermentationem cum putredine confudisse (*tr. de Ferment. c 2. p. 6.*) *cum Joh. Fernelio* (*l. 6. M. M. c. 9. p. 296.*) *& ipso Joh. B. van Helmont.* (*tr. Spir. Vit. n. 8. 9. p. 158.*). *Martin. Kerger.* (*l. de Fermentat. f. 2. c. 9. p. 161.*) probat, eosque reprehendit. Idem Chymicos fecisse, imprimis *Th. Willisium* (*tr. de Fermentat. c. 8. p. 48. & c. 9. p. 56.*) *Martin Schoock.* (*de Fermentat. c. 13. p. 120.*) *astruxit.*

§. 23.

Opposuit se his *Anton. Günther. Billichius* (*Anat. Ferment. Platon. c. 4. §. 29. p. 487.*), cujus rationes recitat *Martin. Schoock.* (*c. l. p. 117.*) *& laudatus noster Bohnius* (*c. l. §. 2.*); Sed quos nec *Hermann. Conring.* (*Exercit. in Billich. p. 577.*), nec *Martin. Kerger.* (*c. l. p. 562.*), nec *accuratus Bohnius* (*c. l.*) approbare potuerunt. Multis de harum differentia egit *Kergerus* (*c. l.*), *Schoock.* (*c. l. p. 115.*) quos vide. Revera, *inquit supra laudes nostras positus Dn. D. Bohnius* (*c. l. §. 3.*), diversisque phænomenis putrefactionem inter se differre ipsa nostra sensoria minus oscitanter applicata, & primo quidem Nares & Lingua nobis persuadent: quatenus vegetabilia sive fermentationi, sive putredini subjiciantur, quem in principio utriusque odorem & saporem aliquandiu sibi specificum servant, successive cum peregrino quodam immutant, ita tamen, ut ille sub

putredine fracidus, nauseabundus & urinosus; Sub fermentatione acidulus magis minusque nigratus percipiatur, odoremque alium spiret absinthium, Mentha & Chelidonium fermentatum ac putrefactum; Animalia vero horumque partes, quia fermentationi nunquam, sed soli putrefactioni auscultant, putrescentibus etiam vegetabilibus modò similem, modò peculiarem fracedinem olent.

§. 24.

Manus, *pergit* (§.5.), si putrescentibus vegetabilibus admoveas, præprimis humidioribus arctiusque compressis, aut densius cumulatis sine calore sensibili illa vix deprehendes, qui interdum inurentem & luculentum ignem, ut in fœno humidiore contingit, (quod quidem olim cumulos fœni amplos in pratis non semel ignem & flammas emisisse & in cineres desedisse me conspexisse recordor, *Conf. Th. Willis. c.l. c. 10. p. 69.*), degenerat, aut si forsan manibus palpare illum haud liceat, quod lenta nimium sit putredo, obstetricante Thermometro (in fermentescentibus vix) eum experiri licebit. Facere huc, non sine causa judicat *Nobilissimi Dn. D. G. W. Wedelii* Nobilissimum experimentum, dum Glasti præparationem mechanicam curiose lustraret & in parandi modum inquireret, fumantes acervos vidit urinosasque particulas exhalantes percepit, toto eò quo conficiebatur loco imò tota domo nares vellicantes. Consecutus inde imposito instrumento, sine sumtibus, sine cura & quod maximum est, sine igne notabilem quantitatem Salis volatilis in liquore urinoso sponte prolecto *Vid. laudati Wedelii (Experim. Chym. nov. de Sal. Volat. Plant. c. 4. p. 39. & sq.)*. Præterea *juxta Bohnium* (§. 6.) & hoc putredo sibi peculiare facit, quod sine ulla molis expansione & rarefactione fiat: Fermentatio contra cum turgescentia notabili & receptacula frangente. Fermentanda frequentius fermento indigent, (§. 7.) quod eorum particulas torpidiores aut firmiores nexu sibi implicatas exagitet & divellat. Sine tamen ejusmodi motore externo putredinem concipere potest quodvis mixtum, ad putrescendum aliàs aptum.

§. 25.

Non hic negligenda illa distinctio, qua *laudatus Vir (Specim. Experiment. Chym. de Sal. Volat. Plantar. c. 5. p. 44.)* aliam facit destructivam, qua mixti forma penitus perit & hæc ad putredinem tendit, aliam excitativam, quæ latentia evolvit, in conspectum sistit, & sejunctis à se invicem vinculis seu Elementis nova producit corpora. Illam destructivam, hanc perfectivam vocare soleo. Destructoriæ etiam meminit *nunquam satis laudandus Bohn. (Exerc. Chym. 9. §. 23.)* qui & (*Exerc. 10. §. 10.*) retulit, quosdam fermentationis perfectivæ & destructivæ notionibus id indigitari contendere; ita ut per priorem mustum

mustum in vinum exaltetur; per posteriorem in acetum degeneret. Fermentatio autem est *juxta Dn. de Stair.* (*Physiol. nov. Experiment. Explorat. 14. n. 1. p. 454.*) vehementior motus, unde rarefactio, tumescentia, ebullitio seu effervescentia. Ubi rectè notat *Joh. Dav. Portzius* (*Vin. Rhenan. Anat. Chym. c. 2. p. 14.*), quod quidem omnis fermentatio sit cum effervescentia, sed non contra omnis effervescentia cum fermentatione, qui & mustum effervescere, non fermentari (*p. 15.*) dictitavit. Effervescentiam fermentationem subitaneam vocat *Jacob le More* (*Chym. Med. Phys. c. 4. p. 28.*), ortam ex occursu duorum corporum, poros & meatus mutuos occupantium; unde aër undiquaque pressus angustia loci sibi viam parare solet cum sibilis, strepitu & guttulis in altum elevatis sese manifestans; posteà Aëre de loco deturbato, placidum & sæpius inseparabile ineunt consortium hi duo liquores, qui fluiditatem suam derelinquentes rigidam & duram plerumque asciscunt consistentiam. De differentia fermentationis & effervescentiæ *idem* (§. *16.*) plura. Corruptionem igitur fermentationis speciem vocare non erubuit *Wolferd. Senguerd.* (*p. 1. Philos. Nat. n. 10. p. 72.*), *Nosterq; Bohnius* (*c. l.* §. *11.*). Fermentationem quandam quasi viam ad putrefactionem seu hujus quoddam incitamentum indigitavit.

§. 26.

Subjiciuntur putredini non simplicia corpora, qualia Elementa vulgaria reputantur, imprimis ignis. Autoritas quidem *Aristotelis* pro Igne militat, non pro reliquis Elementis, dum (*l. 4. Meteor. c. l.*) scripsit: Σήπεται πάντα τὰ ἄλλα πλὴν πυρός. καὶ γὰρ γῆ καὶ ὕδωρ καὶ ἀὴρ σήπεται. Putrescunt omnia alia excepto igne; Etenim terra & aqua & Aër putrescunt. Idem de Igne alibi (*de long. & brev. Vitæ c. 5.*). Reliqua namque Elementa à calore externo contra naturam possunt affici, ratiocinatur *Jacob. Scheckius* (*l. de Calor. Vi & Efficac. c. 4. p. 407.*) & quodammodo fieri sterilia. Sed igneum Elementum, (volumus autem intelligi ignem, non in alia materia incensum,) ut alia Elementa vernacula & ἀιχεῖα mixtorum corporum alium extra se ignem non habent, qui possit ipsius natura affici. Quamdiu vernaculus ignis in mixtis substantiis exsuperat & stabilis manet, tantisper enim putredine substantia talis non afficitur, ut propter ignem etiam, & non tantum ignis ipse putredinis non patiens esse corpus existimandum sit. Ignis lucet & est immaterialis & habet rationem formæ, comparatione ad alia Elementa, *Simplicius* (*in 4. Phys. t. 49.*) concludit, qui addit, ignis purissimus omnium corporum & magis expers materiæ, quam cætera Elementa, & potius lumen quàm ignis. Quocirca & proportione ignis ad reliqua Elementa proportioni formæ ad materiam assimilavit *Averroës* (*2. de*

(*2. de Generat. & Corrupt. c.50.*). Hæc ratio eſt, quod ignis nequeat putreſcere, quia ſemper humorem in ſe incluſum, à quo accenditur, habet pro materia, quæ nunquam rebellis ipſi eſſe poteſt, niſi ſuffocetur: poteſt igitur ſuffocari extinguique, ſed non putreſcere, *judicat Joh. Argenterius* (*Comment.3.in Art. Med. Galen.p.149.*). Et hoc ignis à putredine privilegium, quamvis ſibi firmiter perſuadeant Ariſtotelici, tamen duplicem corruptionem eidem aſſignaſſe Philoſophum legimus. Duobus modis videmus corrumpi ignem, (*philoſophatur l.3. de Cœlo c.6.p.52.*): Nam & à contrario corrumpitur extinctus, & ipſe à ſe ipſo marceſcens. μάρανσιν & σβέσιν marcorem & extinctionem vocavit *alibi* (*l. de Juv. & Seneɛt. c.5. & de Reſpirat. c.8.*). Cur calorem corporis noſtri corrumpi indeque putredinem inferri in ipſa putredinis definitione dictitant, quod fecit *Jacob. Zabarella* (*l.2. de Miſt. Generat. & Interit. c.6. col. 562.ſq.*). Cur quidam ſpiritus corrumpi & putreſcere poſſe cum *Franc.Valeſio* (*l.5. Controv. Med. & Phil.c.19.p.m.260.*)ſtatuerunt? cum ex & ab igne microcoſmico ſit calor & ſpiritus, imò ipſe ignis. (*Vid. l.2. Tit.9. §.18.ſq.*). Et ex hac ignis natura & conſtitutione calorem ἔμφυτον & σύμφυτον putredini non eſſe obnoxium per ſe concluſit (*c.l.c.4.p.424.*) *Jacob. Schegkius*. Quod ſi corruptionis notione ludere Philoſophum, cum ſociennis regeras, ἀφιλοσόφως id fieri cogites.

§. 27.

Poſſent & aliæ rationes in medium afferri, cur iginis fermentationi aut putredini herbam non porrigat, v. g. *ex Ariſtotele* (*ſ.20.probl.25.*), & *Franciſc. Picolhomineo* (*l.c. c.8. p.m. 980.*) refrigerari oportet illud, quod putredinem eſt concepturum. Ignis autem, ubi refrigeratur, ignis eſſe deſinit. Ignis nihil patitur ſecum commiſceri, ut reliqua Elementa, iterum ex *Ariſtotele Jac. Zabarella* (*c.l. c.14. col. 584.*). Neque ignis efficientiæ potentioris cujusdam, cum ſit efficaciſſimus, eſt obnoxius, *ut loquitur Jacob. Schegkius* (*Confutat. Error. Simon. Simonii c.1.p.636.*), ſufficiat hæc à motu ignis rapidiſſimo, quæ deſumitur. Flammam Ariſtoteli nil aliud eſſe quam ῥεῦμα exhalationis quoddam, *Jacob. Schegkius* (*de Color. Vi & effic. in nat. c.2.p.312.*) dixit, & *Th. Williſ.* (*c.l. c.10. p.67.*) ignem ſulphurearum particularum in ſubjecto impetuoſius concitatum motum & eruptionem. Credendum ignem particularum ſubtilium rapidiſſimo in motu conſtitutarum congeriem eſſe, *ſtatuit Wolferd. Sengverd.* (*p.3. Philoſ.nat.c.12.p.241.*), inde flammam fluorem dicendam ex celerrima particularum liberè tranſeuntium ſucceſſione *Joh. Dan. Major* (*in Gen. Errant. c.14.*) reputavit. Quæ rapidisſimo motu feruntur corpora, motibus prædictis vix auſcultabunt. Exemplo ſit aër ventorum turbini-

binibus motus, ut venti ea propter Aëris everricula quibusdam nuncupentur. *Vide Athanaſ. Kircher.* (*l.4. M.S. S.2. c.8. p.237.*). Et ſi ignis ſubterraneus nullas emitteret halitus ventorum materiem: Mare velut torpidum penè motus expers facilè in putredinem cum Geocoſmi ruinâ abiret, *juxta Eundem.* (*c. l. c.1. p.212.*). Qua de cauſa motus *Joh. Conr. Barchuſen.* (*l. 2. Pyroſoph. c. 1. Tit.14. p.90.*), intrepidè decrevit: Stante circulatione (M.S.), tunc nec in corde, neque in ipſa maſſa ſanguinea fit ulla fermentatio.

§. 28.

Reliqua Elementa, quatenus ſunt ſimplicia, itidem fermentationi & putredini obluctantur, quatenus verò mixta, ſubjacent. Ita *Avicenna* (*l.4. Canon. fen. 1. tr.4. v.1.*): Non terra, *Anton. Santorell.* (*Poſt prax. Med. c.37. p. 113.*) Contrarius *Lucretius* iſta (*l.5. de Nat. rer. v.241.*) intonat:

Illud in his rebus ne arripuiſſe rearis,
Memini, quod terram atque ignem mortalia ſumſi
Eſſe neque humorem dubitavi auraſque perire.

Aër ferè nunquam purus habetur. Naturæ namque eſt cribrum, ut eleganter *J. B. du Hamel.* (*l.3. de Conſenſ. Vet. & Nov. Philoſ. c.3. p. 723.*), quo cœleſtes influxus ad terram usque demittuntur, illiusque interjectu terra cum cœlo nundinationes ſuas & commercium exercet. Sphæra præterea eſt Atomorum è maris & teræ abyſſis ſurgentium &, cum ſit de genere fluidorum, ubicunque allidit in corpus ſolidum, de ejus effluviis quædam excipit. Craſſeſcit igitur & caliginem concipit: Caliginoſum autem aërem eſſe velut terræ & aquæ lanuginem, *iterum Hamel.* (*c.l. n.2. p.715.*) prodidit. De Aqua autem ſe reſcire fatetur, (*Idem. c.4. n.1. p.738.*), an aqua in rerum natura omninò pura ab omni alio ſecreta elemento inveniri poſſit. Quanta eſt in aquis ſaporum diverſitas? quid? quod aliæ ſunt limpidæ & graves, aliæ lutoſæ & leviores, atque ex omnibus fere triplex ſalis genus, fixi, nitroſi, & volatilis elicitur.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus
Et vitium capiant, ni moveantur, aquæ.

(*Ovid. l. 1. de Pont. Eleg. 5. v. 5.*). Motu namque abſente, Aquæ craſſeſcunt, muceſcuntque, quod optimè in ſtagnis animadvertere cuique liberum eſt.

§. 29.

Cum etiam fermentatio & putredo ſuccedens fluidorum ſit, Terra & terrea, utpote ſicca, fermentationibus & putrefactionibus non facile obnoxia. Quod ſi tamen Terra pluviis irrigetur, in tumorem quaſi agitatur, totaque in fer-

fermento est. Egregie id expressit *divinus Poëta, Virgilius (l. 1. Georgic. v. 43.)*, dum cecinit:

Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit.

Tersius & ad Philosophiam etiam modernam accommodatum (*l. 2. v. 331.*)

Vere tument terræ & gentilia semina poscunt,
Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.

§. 30.

De Mineralium in terra productione *Th. Willis. (c. l. c. 3. p. 18.)* ista: Licet in visceribus terræ fermentatio sit minus conspicua, quam superficie; tamen facilè constat particulas Elementares, seu principia fermentativa in profundo telluris, velut utero quodam prægnanti, includi: quæ ibidem concreta & strictis amplexibus Colligata mineralium productiones constituunt: soluta autem & in telluris gremio commota, aut sursum exhalantia μετεώρων apparentias faciunt. Utut vero hæc ita se habeant, ubi compactiorem firmioremque texturam mineralia obtinuerunt, in illa putredini nullum conceditur jus. Rubiginem putredinem metallorum signare & mortem *Paracelso (l. 6. de Rer. Natur. p. 896.)*: *So ein Metall sterben will, scribit, hebt es an zu rosten, und was verrostet, das ist auch gestorben, und also, wenn es gar zerrostet, so ist es gar abgestorben, und zu einen faulen Cadaver worden, und solcher Rost mag nimmermehr reduciret werden in ein recht Metall, sondern giebt allein ein Schlacken und kein Metall mehr. Es ist auch, pergit alibi, (T. 1. op. Cœl. Philos. s. liber vexat. p. 932.), daß sich die Metallen, wenn sie lange in der Erden liegen, nicht allein verkehren, daß sie gar zu Rost und Schimmel werden, sondern sie werden auch durch grosse Verlängerung in der Erden gar wiederum zu einen rechten natürlichen Stein: Der man nun viel findet, man hat aber nicht Achtung darauf. Denn man findet ganz steinerne heydnische Pfennig mit alten Gepräg, sind aber am ersten Metallen gewesen, und durch die Verwesung Stein worden.* Hic vero idiotismo suo indulget Bombastus, cui regerendum illud *Bohnii (c. l. §. 13.)*: Qui Metallorum per rubiginem corrosionem putredinem vocant, aut in notionibus imponendis valde luxuriant, aut crassiorem Philosophiam colunt. Quomodo corrumpi posse dicantur, explicat *Joh. Joach. Becher. (l. 1. Phys. subterr. s. 5. c. 1. n. 60. p. 334.)*, qui & quid Metallariis *Tod Metall* vocitetur (*c. l. s. 4. c. 7. n. 9. p. 292.*) tradidit. Vetustate Lapides quidem rubiginem contrahere,

here, *Plinius* (*l. c.*) scripsit, & ex hoc *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 137. f. 1. p. 464.*) unde & Poëta:

Mors etiam saxis Marmoribusque venit,

Assentire videtur *Lucretius* (*l. 5. de Nat. Rer. v. 307.*)

Denique non lapides quoque vinci cernis ab ævo?
Non altas turres ruere & putrescere saxa,
Non delubra Deum simulacraque fessa fatisci?

Sed hæc poëticè & catachresticè. *Contrarium Galenus* (*l. 3. de morb. vulg. comm. 1.*) docuit, & ipsa firmat experientia. Metalla, in contrarium urget *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Hist. Med. Princip. hist. 84. qu. 51. p. 152.*), putrescunt, quoniam aquea sunt: quare *Plato* ea dicit aquarum genera, id est, corpora ad aquam pertinentia & frigore magis, quam igne, durata. *Platonem* (*in Timæo f. m. 295. a.*) evolventi liquet, illum non metalla aquea, sed aquas fusiles appellasse, quod Aquarum instar fluant, ut ego interpretor, calefacta. Nec è sola aqua, sed metallico seminio imprægnata, Spiritu, s. Archeo metallico cooperante illa fingi, nulli non ignotum. Lapides etiam per putredinem h. e. dissolutionem humidi à sicco veniunt ad interitum, & cinis fiunt, pergit Zacutus. Credat id, cui aquam è pumice elicere non impossibile videtur.

§. 31.

Promtius verò in vegetabilia & Animalia suum imperium exercere valent fermentatio & putredo. Succulenta namque sunt & humida herbæ, flores, fructus, ligna, radices, humiditate etiam pollent non mediocri viscera, carnes & aliæ partes animalium, nec poris destituuntur, quibus vapores rarefacti egredi aërque ingredi possit, quia & soluto animæ & corporis vinculo statim spiritus cum sale & sulphure in sangvine conflui, nec non cujusque partis insiti è motu suo regulari cessant & in confusionem aguntur: deinde, partim è poris cum calore evanescente exhalant, partim intus in cavitatibus conclusi, cum reliquis particulis inordinatè fermentescunt & corporis totius ac viscerum intumescentias faciunt. Posteà verò partium solidarum compages sensim laxari, & particulæ sulphureæ una cum salinis fluorem adeptis, evaporare incipiunt; hinc fœtor summa & putredo oriuntur. Et hæc est genuina putredinis scena, penicillo *Thom. Willisii* (*c. l. c. 8. p. 50.*) delineata.

§. 32.

Omni putrefactioni inesse motum internum, non secus, ac igni, aut lumini, *argutè censuit Francisc. Baco de Verulam.* (*Sylv. Sylv. c. 4. n. 352. col. 827.*). Ad hanc autem illustrandam facit desiccationis processus & progressus, qui tribus

 actio-

actionibus perficitur, eodem interprete (*Hist. vit. & Mort. col. 49.*), atque actiones istæ originem ducunt à spiritu innato corporum. *Prima* est attenuatio humidi in spiritum, inde, quæ plurimum siccantur, pondere minuuntur. Certissimum autem est, spiritum rei præinexistentem ad pondus nihil conferre, sed illud levare potius, ergò necesse est, ut spiritus præinexistens humidum & succum corporis, quæ anteà ponderaverant, in se verteret, quo facto, pondus minuitur. *Secunda* actio est exitus, seu evolatio Spiritus. Illa evolatio cum sit confertim, etiam sensui patet; in vaporibus aspectui, in odoribus olfactui; Verum si sensim fiat evolatio, ut fit per ætatem, tum demum peragitur sine sensu, sed eadem res est. *Tertia* Est contractio partium crassiorum post Spiritum emissum, unde videas manifestò arctari & minorem locum complere, ut fit in nucleis nucum, qui siccati non implent testam. Secundo patet ex rugis exsiccatorum. Tertio se contractio in illis, quæ à calore non tantum corrugantur, verum etiam complicantur & in se vertuntur & quasi rotulantur, ut cernere est in Membranis & papyris & foliis ad ignem admotis. At in plurimis, ubi non datur corrugatio, aut complicatio, fit simplex contractio, angustiatio & induratio & desiccatio. Quodsi eousque invalescat evolatio spiritus & absumtio humidi & non relinquatur satis corporis, ad se uniendum & contrahendum, tum vero cessat contractio ex necessitate & corpus fit putre & nihil aliud est, quam pulvisculus cohærens, qui levi tactu dissipatur, & abit in aërem: ut fit in corporibus cunctis valde absumtis, & papyro & linteo ad ultimum combustis: & cadaveribus inbalsamatis post plura secula. *Hactenus è Verulamio.*

§. 33.

Certum est etiam, *pergit* (*col. 499.*), putrefactionem non minus, quam Arefactionem à spiritu innato originem ducere, sed longè alia via incedere. Nam in putrefactione spiritus non emittitur simpliciter, sed ex parte detentus mira comminiscitur: atque etiam partes crassiores, non tam localiter contrahuntur, quam coëunt singulæ ad Homogeniam. Putrefactioni autem inesse motum internum, non secus ac lumini & igni, argutè censuit *Idem.* (*Syl. Sylv. Cent. 4. n. 352. col. 827.*). Dixit autem hanc (*Hist. Vit. & Mort. col. 563.*), opus mixtum spiritus & partium crassiorum. Etenim spiritu (qui partes rei continebat & frænabat,) partim emisso, partim langvescente, omnia solvuntur & redeunt in Heterogeneitates suas, sive (si placet), Elementa sua. Quod spiritus inerat rei, congregatur ad se, (unde putrefacta sunt gravis odoris,) oleosa ad se, (unde putrefacta habent nonnihil lævoris & unctuositatis); Aquea itidem ad se; Feces ad se, (unde fit confusio illa in putrefactis). Usque adeò Cadaveri convenit, ut

ut diſſolvatur, concidat, diffluat, nihil tamen horum ſubitò patiatur, *Socrates ap. Platonem* (*in Phædon. f. m. 204. a.*) diſcurrit.

§. 34.

Ut putrefactionis negotium procedat, cauſæ tum intra Cadaver, tum extra illud quærendæ. Quod ad cauſas coadjuvantes internas, Corporis ſana & firma conſtitutio putredinis jugum non ita facile ſubit. Teſtatur id iterum (*c. l.*) *ap. Platonem Socrates*, ubi cadavera aliquando multum tempus ſupereſſe putat, ſi quis corpore perbellè affecto deceſſerit. Temperamentum conſiderandum venit. Calidum & humidum accuſat *Joh. Joach. Beccher.* (*l. 1. Phyſ. ſubt. ſ. 5. c. 1. n. 25. p. 311.*), partes enim aqueæ, quæ ſuperſunt, facile augentur, ſi novæ accedant. Clarius: (*c. l. n. 42. p. 323.*) In animali, *inquit*, cadavere ſpiritus balſaminus exulat & abeſt, hinc mixtum animale ab humiditate quidem partium alterationem patitur, ſed defectu ignis vitalis reagere & vincere nequit, hinc totius mixti deturbatio ſequitur, imprimis unctuoſitatis, ſeu glutinis ſangvinis (lymphæ) alteratio fit. Nam cum iſtæ partes unctuoſæ ſint, in quas humiditas primò agit, tanquam in ſubjectum putrefactionis, neceſſario ſequitur eas, præ reliquis alterari, hinc experientia docet, pingvia, præſertim ſangvinem & cadavera ſangvinea ac corpulenta, pingvia, facillime putrefieri. Scripſerat dudum *Ariſtoteles* (*l. 3. hiſt. Animal. c. 19.*), quem etiam ſequitur *Steph. Roderic. Caſtrenſ.* (*l. 3. de Met. Microcoſm. c. 4. p. 102.*) & *Paul. Zacchias* (*c. l. n. 22. p. 363.*). Sangvis & quæ ſangvinea facile putreſcunt. Sangvineos ideò peſti obnoxios, judicavit *Jac. Schegkius.* (*confut. Error. Sim. Simon. p. 710.*). Hinc fieri etiam autumat *Thom. Bartholin.* (*l. 3. de Luce c. 7. probl. 3. p. 422. & Diſquiſ. med. de ſanguine vetit. p. 7.*), quod animal mactatum ab homine Chriſtiano citius putreſcat, quam quod mactat Judæus, quia per mactationem quæ fit à Chriſtiano, non effluit univerſus animalis ſangvis. Vetitum proinde, quod *Idem* adduxit, Judæis mactare cultro obtuſo, non alio fine, niſi ut ipſi prorſus liberentur omni ſangvinis eſu: obtuſo enim cultro mactando animali incutitur terror, quò fit, ut ſangvis ad vitæ conſervationem in princeps membrum cor confluat, unde mox venis frigore obſtructis protinus effluere nequit. Ita quibus cadavera condiendi cura commiſſa, vaſa à ſangvine, qua poſſunt diligentia, deplent (*Vid. infra l. h. Tit. 2. §. 152.*). Cum etiam in à vulneribus occiſis, ut plurimum totus ſangvis effluat, magis rationi conſonum videtur, *concludit* (*c. l.*) *Zachias*, diutius incorrupta ſervari.

§. 35.

Temperamentum frigidum & humidum allegant Alii. Hinc fœminea ca-

cadavera, quod masculeis, quæ ficciora sunt promtius, quantum est ex hoc, corrumpuntur, *juxta Paul. Zacchiam (l.c.n. 20.)*. Non mirum etiam videri cuipiam posset, Neptuni pecudes, ut vocantur *Plauto (Pseudol. A.3. sc.2. v.45.)* pisces, extinctos nequam esse (*Vid. Paul. Neucranz. de Hareng. p. 47.*) & putredini etiam in Machina Boyleana, aëre exhausto *(vid. infra §. 51.)* facile obsequi, *juxta J. B. Helmont. (tr. Schol. Humorist. pass. Decept. c. 2. n. 24. p. 108.)*, cum materialiter nil nisi Aqua transmutata sint & per Artem facilè in Aquam redeant, ut *idem (tr. compl. atque mistion. Elem. Figm. n. 12. p. 86. & n. 32. p. 88. Add. David von der Becke Experim. circa rer. nat. princip. p. 22.)*. Comprimis glaciati in loca tepediora translati, *iterum Helmont. (tr. Blas. human. n. 35. p. 150.)*. Temperamento propterea gaudent frigido & humido, adeoque putredini faventi, ut conclusit *Melch. Sebizius (l.3. de Alim. c. 13. p. 912.)*, accedit in his laxior carnis textura, quæ ipsis præ aliorum animantium carne contigit. (*Vid. Joh. Bohnius Exerc. Chym. 4. §. 8. Et Exerc. 10. §. 18.)*. Recte proinde *Comicus (Asinar. Act. 1. sc 3. v. 26.)*

Quasi piscis, itidem est amator Lenæ: nequam est nisi recens.

Minimos pisciculos, & qui cum spinis comeduntur, ferè brevi corrumpi, etiam in Ventriculo *ap. Athenæum (l. 8. Dipnosophist. p. 357.)* differitur. Vastæ contra molis caro est durior durabiliorque, judicio *Avicennæ (l.2. tr. 2. c. 553.)*, quod tamen Cete ob pingvedinem non probat. De eo namque *Friedr. Martens (Spizberg. Reisebeschreib. p. 4. c. 8. p. 114.)*: *Er wird von Stund an übel stinckend, und wachsen weisse länglichte Maden, wie Regenwürmer gestalt, in ihrem Fleisch, sind glatt wie die platten Spulwürme im menschlichen Leibe.* Breve spatium piscium, Corvorum durationi determinat *Ausonius (Epist. 21. v. 62.)*

Non duraturi post bina triboria Corvi.

De Capitone (*in Mosella. s. Idyll. 9. v. 87.*).

Nec duraturus post bina triboria mensis..

Triduum iisdem tritum:

Post tres sæpe dies vilescit piscis & hospes.

Collimat eò *ap. Terent. (Adelph. a.3. sc. 4. v. 58.) Syrus*, dum *inquit:*

Pisces ex sententia
Nactus sum: hi mihi ne corrumpantur cautio est.

Et *ap. Plautum*, ut Comicum Comico jungam, (*Mil. Glorios. a.3. sc. 1. v. 116.*)

- Hospes nullus tam in amici hospitium diverti potest,
Quin ubi triduum continuo fuerit jam odiosus fiet.
Verum ubi dies decem continuos iterasti domum illius,
Jam etsi Dominus non invitus patitur, servi murmurant.

§. 36.

§. 36.

Piscis autem à capite incipit putrescere, Cognatus (*ap. Erasm. edit. ult. Adag. p. 518.*) annotat, quod in piscibus à prædonibus piscibus deglutitis liquido apparet. Imputabat id aëri *Joh. Bodinus (l. 3. Theatr. Nat. p. 401.)*, cum sit inimica mollissimo animanti, (cujus caput plenum aëre, Cerebro contra vacuum), aëris calefacti & omnia corrumpentis natura eoque subdit, celerius si aër albæ spinæ, aut Naporum florentium odore imbuatur: tunc enim pisces celerrimè corrumpuntur, ac propterea Piscarii mercatores ac piscium vectores, quam longissime possunt, ab alba spina & Napis florentibus recedunt. Benè aëri calenti id imputat *Bodinus*, Alba Spina autem & Napi mihi absolvendi videntur, cum ipsis florentibus aër omninò, calidissimus existat. Deglutiti ab aliis piscibus pisces corrumpuntur. Capitetenus eò quod in frigido animali lux frigida ejus cuticulam minimè squamosam, quæ ex se facilè atteritur, abradat ob subjectæ carnis carentiam facilè invadat. Interim pisces in aëre exsiccari & perennare, *infra* (*l. h. Tit. 2. §. 6.*) notatum.

§. 37.

Ob prædictum Temperamentum evenit, ut pisces suggerant corpori nostro alimentum frigidum & humidum, aut potius Chylum mucilaginosum, talemque sanguinem, quod tamen cum distinctione rectè admittendum monuit *Melchior Sebizius* (*c. l. p. 952.*), qui ea propter Crebrum illorum usum phlegma, humorem frigidum & actu potestateque humidum gignere prodidit. Et ex hoc ideò Catharros, tusses, febres quotidianas, Apoplexiam, paralysin, cruditates, etiam Hydropem inducit. Quis verò dubitet hujusmodi alimento etiam post mortem corruptioni velificari.

§. 58.

Τὰ λιπαρὰ ἄσηπτα dixit *Aristoteles* (*de Longit. & Brevit. Vit. c. 5.*), quia humidum hujusmodi non facile explicabile sit. *Conf. infr.* (*l. h. Tit. 2. §. 38.*). Contra corpora pinguia facilè putrescere, asseruerunt *Wolffg. Franzius* (*p. 1. Hist. Animal. Sacr. c. 22. p. 288.*). *Gerh. Joh. Vossius* (*l. 3. de Idololat. c. 77. p. 1148.*). *Joh. Joachim. Beccher.* (*c. l. n. 42. p. 323.*). De pinguedine autem proprè dicta, quæ πιμελὴ Aristoteli vocatur (*l. 3. Hist. Animal. c. 17.*) & male à *Theod. Gaza* adeps vertitur, non de adipe, absque dubio loquuntur, cum pinguedo sit humidior & mollior adipe, *secundum Casp. Bauhin.* (*l. 1. Theatr. Anat. c. 4. p. 20.*), ideoque & facilè in laticem resolvitur, quod in viventibus adhuc animadvertit *J. B. Helmont.* (*tr. Jus Duum Vir. n. 59. p. 249. & tr. Asthma & Tussis n. 44. p. 306.*). Præterea sub pingui aqualiculo viscerum κακοπραγία & la-

labes utplurimum latet, *juxta Laur. Giseler. (de Peste Brunsuicens. obs. 46.)* & obesi suspecta sua bona habere debent, quod in Peste patet, quæ obesas præ macilentis invadere & perimere solet, quod *idem (c.l.obs.40.)* in peste Brunsuicensi notavit. Nata hinc illa pinguedinis in saginosam & adiposam distinctio, *ap. Petr. Forest. l.31. obs. med. 10. p. 60.*): Adeps contra sepum & sevum dictum, cum è sanguine generetur crasso magisque terreno, ut pinguedo ex tenuiore, siccius est, (*Vid. Melch. Sebizius l.3. de Aliment. c. 6. p. 733.*) & difficulter in saniem diffluit.

§. 39.

Morbi fatum antecedentes ad putredinem non raro corpora insigniter disponere, compertum est. Hinc spirantes adhuc ægri putrilaginem pulmonum tussi everrunt Phtisici, cadaveroso halitu abominabiles. Quid de Sphacelatis dicam? Cuidam fœminæ nobili non solum pedem putredinis dominio subjecit Sphacelus, sed & abdomen ita corrupit, ut *referente Phil. Salmutho (Cent. 1. obs. med. 29. p. 25.)*, si per biduum adhuc vixisset peritonæo putrefacto intestina illis ad pedes procidissent. In Febre maligna quandoque integros artus corrumpi, *Dominic. Panarolo (Pentecost. 5. obs. med. 48. p. 174.) autore* scimus. De mira cadaveris morbo maligno extincti fragilitate *Dn. D. Salomon Reisselius (M. C. D. 1. Ann. 3. obs. 127. p. 200.)*. In à febri maligna oppresso & mortuo Abbate fœtorem corpus citum habuisse visum est, nam octava à nece hora ferri odor ejus non poterat, *annotante Christoph. Guarinonio (Consultat. 141. p. 157.)*. Variolis correpti ante mortem morticinum quoddam toto corpore exhibent, *annotat Stephan. Rod. Castrensis (l.3. quæ ex quibus c. 16. p. 207.)*. In viventibus ab ingenito veneno fœtida respiratio *(id. l. 3. de Meteor. Microc. c. 4. p. 103.)*. *Paul. Zacchias (T. 3. Quæst. Med. Legal. Consil. 16. n. 8. p. 29.)*, quod & in Peste apparet. *(Ambros. Paræus l. 21. Chir. c. 10. p. 464.)*. In Peste Anni 1349. aut igne fero, ut vocabant extinctis, in sepultis caro seipsam relictis ossibus consumere videbatur. (*Joh. Trithem. Chronic. Hirsaugiens.*). Cadavera duorum pestiferorum, perhibet *Isbrand. à Diemerbroeck (l. 4. de Pest. Hist. 84. p. 302.)* tertio post mortem die horribiliter immutata, valdè tumida & instar Carbonis vel atramenti tota nigricantia visa sunt. *Conf. Valentin. Heinrich Vogler (de Reb. Natur. & Med. in SS. p. 338.)* Non tamen omnibus accidit. Nam multa non minus, quam ab aliis morbis immortua corpora per aliquot dies absque manifesta putredine servari potuerunt. Nempe illa, quæ absque magna febre enecata fuerant: quibus verò ægris pestiferis gravis febris adfuerat, eorum cadavera, propter malignam humorum putredinem, citò computruerunt. Et quanto humorum

rum putredo cum febre morbo durante gravior fuerat, tanto post mortem aptior & malignior, magisque horribilis cadaverum putredo sequebatur in peste Noviomagensi. Pestiferos enectos oppido intolerabilem naribus afflare pestem, *Laur. Jouberti* (*T. 2. op. l. d. Peste c. 8. p. 283.*) testimonium prostat. Periculi ergo Magistratus admonet *Ambr. Pareus.* (*l. 21. Op. Chirurg. c. 10. p. 464.*) & ut cadavera hujusmodi quam primum inhumentur, seriò suadet.

§. 40.

Plerique ex aliis morbis decumbunt, quibus omnes partes internæ ferè putrent. Exemplum tale observavit *Rembert. Dodoneus.* (*obs. med. c. 29. p. 61.*) in Cerevisæ coctore, cujus omnia viscera, quæ aperto corpore in conspectum venere, corruptissima fuere, multo ponè consistente pure: quorum tantus fœtor, adeoque gravis ac molestus, ut diutius hærere non fuerit possibile, multo minus singulas partes lustrare & tam fœdum corpus necessum fuerit mox sepulturæ committere, alioquin universæ familiæ gravem molestiam allaturum. Multi, quibus sanæ sunt aut videntur partes, oborto morbo facile intereunt. Declaravit id. *Dn. de Hedoville & uxor Dn. Merlæi*, *scribit* (*l. 1. Epid. & Ephem. p. 57.*). *Guilh. Bellonius*, cui utrique partes & earum parenchymata computruerunt. Idem uxori *Putrini Nosarii* contigerat & nesciebant, quomodo tum valetudinaria foret, cum speciosa satis esset. Totum internum corpus putruerat, & ferè sepulchrum erat dealbatum. Horum morbus non ægrotatio, sed languor. Declarat facilis eorum ἔκλυσις. Ab ejusmodi autem cadaveribus quis diuturnitatem compagis corporei expectabit?

§. 41.

Referendi huc ante mortem Sphacelo internarum partium succumbentes, v. g. Sphacelo Cerebri, aut exulceratione pulmonum, Cordis ulceribus, cum etiam cor in vivo putrescere possit, si *Zacutum* (*l. 1. Histor. Med. princip. 84. qv. 53. p. 152.*) evolvamus. In febre maligna mortuo viscera omnia nigra & quasi sphacelata inventa. Ventriculus vix tangi poterat, quin in frustra discederet, annotat *Stephan. Blanckard.* (*Anat. pract. ration. Cent. 2. obs. 66. p. 281.*). Abscessu tentantur & inflammatione Mediastinum, Diaphragma, Epar, Lien, Mesenterium etiam cum Glandulis Scyrrhosis, exulceratis & Sphacelatis. Diarrhoën è materia septica & exulcerante Dysenteriaque purulenta huc suum conferunt Symbolum.

§. 42.

Θεῖόν τι aliquando subest in partium externarum enormi putrefactione,

 id-

idque fateri cogebatur *Rex Antiochus Epiphanes*, *Seleuci filius*, de cujus corpore scaturiebant, ac viventes in doloribus carnis ejus effluebant vermes, odore etiam illius ac fœtore exercitus gravabatur & qui paulò ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam corporis portare, ut *Biblia vulgata* (*l. 2. Maccab. c. 9. v. 9. & 10.*) habent. Flebile & notabile hoc Tyranni fatum, cur suis non inseruerit *Fl. Josephus* (*l. 12. Antiquit. Judaic. c. 13. & 14. p. m. 418.*), ubi obitus ejus mentionem fecit, demiror. Hic in Herodis morbo recensendo prolixiori usus est narratione (*l. 17. Antiqu. Judaic. c. 8. p. 597. & l. 1. de Bell. Judaic. c. 21. p. 772.*), cujus verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda nec minus molesta tentigine non sine fœtore gravissimo. Ex intestinis à Lumbricis erosis mors in propinquo est, quamvis non semper, ut (*M. C. D. 2. A. 5. obs. 45. p. 87.*) demonstravit. *Grassius*, quod exemplis infinitis docent ægri. Hinc torminum *Herodis* causam repetiit *Joh. de Mey* (*l. 3. Comment. Phys. c. 4.*). Cæterum si quis phtiriasin *Herodi* assignaverit, non repugnarim, *judicat Th. Bartholin.* (*de Morb. Bibl. n. 23. p. 105.*), qui tamen ante verminationem allegavit, quod σκώληξ vermem notat, non pediculum, quod & (*in Inserendis p. 313.*) repetiit, quod magnum errorem vocat *Sam. Bochart.* (*Tr. Hieroz. l. 4. c. 36. col. 631.*). Plura habet *Christ. Fr. Paulinius Noster* (*Disquis. de Mort. verminos. §. 61. p. 125. & §. 4. Cynogr. c. 7. p. 181.*). Pheretina ob acres admodum & invidiosas ultiones Deorum in homines vivens vermibus computruit, quod narrat *Herodotus* (*l. 4. p. m. 127.*), Græciæ Ducis Veneti Sylvii uxor delicatissima undique scatens ac delibuta Balsamis adeò computruit viva, ut nemo fœtorem posset tolerare, narrat *Dan. Beckher.* (*l. 2. Microcosm. Med. c. 7. p. 276.*)

§. 43.

De vulneratis quidem idem *Alphonsus Ferrus* (*l. 1. de Sclopet. vulner. c. 2. sq. Petr. Uffenbach. Thesaur. Chirurg. p. 987.*); ita & mala discissa & perforata celeriorem experiuntur corruptionem, (*Vid. Fr. Bac. de Verulam. Cent. 4. Sylv. Sylv. n. 332. probl. 824.*), idvero cum distinctione accipiendum erit. Quibus namque sangvis omnis, aut saltem maximam partem, effluxit, durant, ut rectè *Stephan. Rod. à Castro* (*l. 4. de Met. Microcosm. c. 41. p. 103.*), & horum corpora dispositione ad putredinem destituuntur: Vulnerum ratio insuper habenda. Corpora, inquit *Petrus Pigræus* (*l. 4. Chirurg. c. 18. p. 400.*), qui sclopoum ictu intereunt, omnia putrefactioni ac corruptioni magis obnoxia sunt, quam cætera quocunque tandem morbi genere pereant. Unde vero hoc? quærit *P. Zacchias* (*l. 4. Tit. 1. qv. med. legal. 10. n. 23. p. 363.*), & respondet, an

an quia per hujusmodi instrumenta communicatio fit cum ipsis corporibus extranei caloris & sic facilè putredinem concipiunt? an potius ob contusionem facillime corruptio sequatur, quod singulari observatione illustrat *Gvilh. Fabric. Hildan. (Cent. 2. obs. Chirurg. 83. p. 157.)*. Glans Bombardæ sive Musquetti facit contusionem, dein partem secum aufert, quare foramen parit patulum ac tandem simul venenosam fuliginis impressionem patrat, unde mox caro circumcirca gangræna quadam nigricat, facilèque venenum in se assumit, si non in vita saltem mox à morte, dum nempe carnis festina putrilagine in terram combibita, fracedo cadaverosa oboritur, *perhibet J. B. Helmont. (Tumul. pest. p. 873.)*. Utrumque admittendum censeo, & venenatam qualitatem, quam spirare credidit *Francisc. Plazzonus (de vuln. Sclopet. c. 8. add. T. 4. Ephemer. Erud. 8. p. 115.)*, exsibilo. Corruptio tandem illa de læsa parte magis, quam de toto corpore intelligenda, quamvis ultrò dem *Zacchiæ (c. l.)*, communicationem putredinis ex una parte in aliam, & ad corpus universum facillimam esse. Præcipue autem putredinem sequi, si brevi post vulnerationem tempore vulneratus moriatur, advertit *Petr. Pigræus (c. l.)*, eò quod ob vulnerationis vehementiam, & sangvis & spiritus ita agitati fuerunt, ut partes externæ propriis suis facultatibus, quæ ab illis conservabantur etiam ante solitam earum, quæ ad totum corpus attinent, extinctionem destitutæ manserint. Si demum loci vulnerati natura & constitutio ad putredinem inclinent, & illa citius sese cadaveri, aut loco saltim afflicto insinuat. Sic in capite graviter vulnerato post mortem solutis Cerebri fasciis tam fœtidus ac teter odor inde exhalavit, quam astantium nullus ferè sufferre posset, vel saltem demortui Cadaver appropinquare ausus fuisset. Postera die mane cum denuo prædicta vulnera inspicerent, maximam effervescentiam & agitationem sangvinis serosi, putridi ac fœtidi animadverterunt, ut mirum dictu sit, quanta humorum fuerit in Cerebro ebullitio. Totum deinde caput, facies, brachia & venter in tantum intumuerant, (imprimis scrotum in magnitudinem capitis infantis alicujus elevabatur,) ut cadaver aspectum horridum omnino appareret. Ita *ad Hildan. (c. l. obs. 25. p. 103.) Emanuel Urstisius*. De ulceribus putridis & æschiomenis idem expectandum. Glandulam scirrhosam in axilla post mortem partes vicinas infecisse, recordor.

§. 44.

Idem de vulneribus ab armis intoxicatis inflictis sperandum. Ita *Aristoles & qui alius forsan autor (de mirab. auscult.)*, apud Celtas venenum reperiri tradunt, quod Xenium appellant, tanta celeritate interficiens necansque, ut venatores Celtæ, cum cervum jaculo tinctæ carni percusserint, festinato accurrant,

eandemque vulneratam exſecent, ne veneno properante animal putrefiat. Ejusdem tyrannidis forſan eſt illud, cujus antea mentionem fecerat. Fertur, circa Italiam in Cyrceo monte Lethale venenum naſci, tanta vi, ut ſumtum mox pilis totum corpus nudet, ac ſolvat adeò membra cuncta, ut velut liqueſcentia cadaverum ſpeciem miſerabilem tota ſuperficie præbeant. Ex Aſpide Angve medicamentum putrificum (τὸ σηπτικόν) comparari, idem (*l. 8. Hiſt. animal. p. 29.*) docuit.

§. 45.

Animalia à ſerpentibus icta vel veneno interemta facile corrumpi, & præſertim ubi Aconitum, cui magna vis ineſt putrefactoria, devoraverint, ſtatuit *Petr. Andr. Matthiol.* (*l. 4. Epiſt. Med. p. 302.*). Quin & omnium venenatorum morſus graviores, ſi alterum ederit alterum, ut ſcorpium à vipera edi certum eſt, inculcat (*c. l.*) *Ariſtoteles.* Qui & ſequens addit: Serpens quidam minutus eſt, quem aliqui ſacrum appellant, quem angves præmagni fugiunt. Magnitudo huic ad cubitum, ſpecies hirſuta. Quicquid momorderit continuo circiter putreſcit.

§. 46.

Sepis ſerpentis morſus vivum corpus in putrilaginem reſolvit. Eleganter de eodem *Lucanus* (*l. 9. Pharſalid. v. 766.*)

Miſerique in crure ſabelli
Seps ſtetit exiguus, quem flexo dente tenacem
Avulſitque manu, piloque affixit arenis.
Parva modo ſerpens, ſed qua non ulla cruenta
Tantum mortis habet, nam plagæ proxima circum
Fugit rapta cutis, pallentiaque oſſa retexit,
Jamque ſinu laxo nudum eſt ſine corpore vulnus,
Membra natant ſanie, ſuræ fluxere ſine ullo
Tegmine poples erat, femorum quoque muſculus omnis
Linquitur, & nigra diſtillant ingvina tabe.
Diſſiluit ſtringens uterum membrana, fluuntque
Viſcera, nec quantum toto de corpore debet
Effluit in terras, ſævum ſed membra venenum
Decoquit, in minimum mors contrahit omnia virus.
Vincula nervorum, & laterum textura, cavumque
Pectus & obſtruſum fibris vitalibus omne,
Quicquid homo eſt, aperit peſtis, natura profana

Morte

Morte patet, manant humidi fortesque lacerti,
Colla, caputque fluunt, calido non ocyus austro:
Nix resoluta cadit, nec Solem cera sequetur:
Parva loquor, corpus sanie stillasse perustum,
Hoc & flamma potest, sed quis rogus abstulit ossa?
Hæc quoque discedunt, putresque secuta medullas
Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.

§. 47.

Animæ Leonis virus grave, Ursi pestilens. Contacto halitu ejus nulla fera attingit, citiusque putrescunt afflata reliquis, *memorat (l. 10. c. 53.) Plinius.* De Leone etiam *Aristoteles (l. 8. hist. animal. c. 5.)*: Fœdum odorem in cibis relinquit ex suo halitu: præsciſſo namque Leone interiora graviter olent. Et *alibi (c. l. l. 9. c. 44.)*, quæcunque vel momorderit vel ungvibus lacerarit, sanies pallens admodum de his ulceribus effluit, etiam per fascias atque Spongias, neque reprimi ullo modo potest. Causam in voracitatem ejus rejecit *Hier. Reusnerus (Exerc. 5. de Scorbut. p. 204.)*. Narrationis veritatem firmat *ap. Ambrosium Pareum (l. 9. Chirurg. c. 15. p. 212.)*, quod ad Leonis graveolentiam respondet *O. Borrichius (l. 1. Hermet. Ægypt. c. 10. p 246.)*. Nam olent graviter interiora, nisi à morte animalis putruerint. In disserto nullum odorem gravem, sed ferè qualis dissecti canis robustioris esse solet, observavit *Idem (p. 247.)*. Inde Leonem sanum nunquam aperuisse *Aristotelem*, concludit, sed nec illud virus in- ex morbo mortuo secantium nares feriit. *Vid. M. C. (D. 1. A. 3. obs. 14. p. 225.)* & *infra (l. h. Tit. 2. §. 28.)*, inter carnes minus putrescibiles leonina numerata. Nec alterum effatum experientiæ respondere, eadem edoctus *(c. l.)* asserit. Utraque *Aristotelis* & *Borrichii* assertio firmo talo stare potest, si dicam *Aristotelem* incidisse Leonem ferum è sylvis translatum; Borrichium in Theriotrophio nutritum. Ut hic præ illo aliquo modo mansvetior, ita ob alimenta diversa, diverso odore distingvi possunt, ille viroso; hic naribus minimè infesto. Carnem ovis à lupo discerptæ etiam ob spiritum lupi ignitum & fervidum colliquari, lanam autem pediculos gignere, *Patrocles apud Plutarchum (l. 2. Sympos. probl. 9. p. m. 202.)* & *Hieron. Mercurial. (l. 1. Var. lection. c. 24. p. 60.)* asseruit. *Add. Ulyss. Aldrovand. (l. 5. de insect. c. 46. p. 217.)*. Canem à morsu lupi ulcus verminosum reportasse, *ap. Lazar. River. (obs. 32. p. 699.) Anonymus* retulit.

§. 48.

Sed & vis illa septica plantis quibusdam ascribitur. Inter cœnandum lau-

laudabatur *Aristionis Cocus notat Plutarchus* (*l. 6. Sympos. probl. 10. p. 296.*), quod cum alia obsonia eleganter paravisset, tum recens jugulatum *Herculi* Gallum apposuisset ita tenerum, cum tamen recens adhuc esset & pridie vixisset. Hoc cum *Aristio* dixisset, celeriter hoc effici, si mactatum animal de ficu suspenderetur. Consentit (*l. 23. c. 7.*) *Plinius*: Bubulas carnes additi Caprifici caules magno ligni compendio percoqvunt. Causam hujus operationis *apud Plutarchum* (*c. l.*) convivæ quærebant. Et quidem Spiritum, *subjungit*, validum & vehementem à ficu exhalare, cum visus plane testatur, tum id, quod de Tauris fertur: Scilicet ficui alligatum Taurum etiam ferocissimum quiescere, tactumque admittere, & omninò ferociam quasi elangventem deponere. In acrimoniam tamen arboris major pars causæ collata est. Hæc vero omnia sunt caloris. Ficum etiam inter calidas reposuit Arbores *Aristot.* (*s. 20. probl. 18. p. 954.*). Spiritum igitur *concludit Plutarchus* (*c. l. p. 299.*) calidum, arcem, incidendique vi præditum ficus emittit, isque incidit & concoquit carnem Avis. Idem fit, si frumenti acervo imponatur, aut juxta Nitrum, calore id efficiente. Esse autem Triticum calidum, colligunt ex amphoris, quibus in tritico positis, vinum celeriter consumitur.

§. 49.

Nullum venenatum verminat, nisi fulmine tangatur, *Senecæ* (*l. 2. qu. nat. c. 31.*) effatum est. Siccitatem venenorum quidam pro causa allegant. Hanc reddidit (*part. 1. Meteorol. Curios. c. 10. §. 6. p. 32.*) *Adalbertus Tylkowsky*, quia ignis venena tollit & corrigit, non aliter, ut aër pestilens igne purgatur. Sed viperarum stomacho intestinis & asperæ arteriæ innasci vermes quamplurimos propria fultus experientia *Fr. Redi* (*de Viper. p. m. 29.*) *testatur*. Cadavera (*pergit p. 30.*) demortuorum vermibus scatent, licet fulmine non sint tacta & non solum verminosa fiunt illa, quando putrefiunt, sed & processu temporis aridi pulveres viperini verminationem experiuntur, licet sicci & cum Elexir vitæ spirituoso (ut ita dicam) balsamati sint. Suffragatur *Viri Nobilissimi* experientiæ propria experientia conspicuus *Athanas. Kircherus* (*p. 1. Scrutin. Pest. c. 7. Experim. 2. p. 70.*): Si serpentem, *ait*, in minutas partes conscissum pluviali aqua maceratum soli ad nonnullas dies exposueris, deinde in terra per integrum diem & noctem sepelieris & posteà exceptas putredine flaccidas partes Microscopio examinaveris, invenies totam illam putredinem tanta serpentulorum pullulantium multitudine scatere, ut nemo adeò Lynceus sit, qui eas numerare possit; quod idem subinde sensibili intuitu comperies in serpentibus occisis & putrefactis, idque de omni serpentum genere verissimum esse, jam olim fuse docui.

docuimus, (*l.3. Art.Magnet.p.3. c.1. Consect.2. & p.5.c.3. p.496.*). *Hæc Kircherus.* Magisterium è carne serpentum & viperarum in vivas illas Atomos subtiles acaros (*Mülben*) tractu temporis fatiscere, non semel comperi. Salvari posset *Senecæ* autoritas, si decerneres nullam bestiam post mortem esse venenatam, ut egregie *Fautor olim & Amicus Noster colendus Dn. D. Mich. Etmüllerus* (*Disc. Inaugural. de Morf. Viper. c.1. punct. 3.*) demonstrat, easque vivas solo furore venenatos inferre morsus (*p.5.*)

§. 50.

Dixi *supra* (*§. 40.*) de ulceribus & abscessibus parenchymatum, eorumq; in corpore vivo præsentia & putrilagine. Incido in locum *Jacobi Thevarti* (*Not. in Guilh. Ballon. l. 2. Epid. & Ephemer. p. 165.*): Quidam magni nominis Medicus de *Caroli IX. Gallorum Regis* morbo astruebat, non esse mirum, si pulmo corruptus aperto cadavere reperiatur. Nec propterea esse ante mortem, qualem Anatome ostendit. Succinit *J. B. Helmont.* (*tr. ignotus hospes morbus n.90. p.408.*), quando localem Anatomiam destructurus, his utitur arietibus: Vix post mille annorum Anatomen, *infit*, moderni aut melius morbos agnoscunt, aut felicius abigunt. Gaudent quidem, imminentem in parte cujuspiam corruptionis notam offendisse, in fide illorum subsidia impossibilitatis clypeo tegentem. Mundo scilicet sic imponitur alto supercilio. Nec enim ista corruptio ante biduum ibidem erat, & si locus doleret dudum ante, (*Vid. Somnium tr. Præfatio n.14. p.359.*), tantum abest, quod medentem tempestivè accersitum excuset: quin potius ejusdem culpam pandat: qui scilicet alligatum excrementum oportunè discusissset. Nihil enim partium continentium destruitur in vivis, quin vitæ comercio prius sit orbatum. Quin etiam nec potest vitæ Balsamo dudum privari, nec pars demortua multas expectat horas in corporis tepore, quæ non pariter festinanter putreat, fœteat, atque totum in sui conspirationem trahat. Liquet itaque inde quod corruptio in dissecto cadavere obvia paucis sit horis ante facta, paucisque ante obitum diebus inceperit. Vomicæ enim malignis conciliabulis excitatæ in pulmone morborum quidem continent semina; at partium internarum mortificatio obitus diem non multis passibus anticipat. Eadem ferè mens erat Empiricorum turbæ, *teste Celso* (*l.1. de Re Med. Præfat. p. m. 20.*) asserentium: Nihil esse stultius, quam quale quicquam vivo homine est, tale existimare esse moriente, imò & mortuò. Boni isti Viri non distinxerunt inter partium internarum & viscerum exulcerationem & putredinem. Illam contingere, vel soli Phtisici, pleuritici, & qui non calamitates evincunt, testantur Symptomata, dolores, tusses, excretiones per tussim, san-

ſanguineæ & purulentæ vomicæ, egeſtiones per alvum &c. confirmant exteriorum partium ulcera, iisdem ſymptomatibus comitata & hæc in vivis corporibus Spirituum ope coqvuntur, & coctione debita in pus vertuntur & excernuntur. Quod ſi putredo invadat partes, id non à ſpirituum præſentia, ſed abſentia contingit, ideoque nulla cooperante in ſaniem fœtidam, non in pus coctum diffluunt partes affectæ, quod Gangræna ſatis ſuperque teſtatur. Quis vidit Cadaver violenta morte extinctum in pus deſinere? quis exulcerationes in eodem advertit unquam? Temerarii igitur eſt id negare & irridere, quod ipſa dictitat praxis & experientia, quibus contradicere inſignis ignorantiæ nota eſt. Et quis ignorat putredines & exulcerationes non ſimul, ſed ſucceſſive fieri, de quo *Laurent. Joubert.* (*T. 2. op. p. 96.*)

§. 51.

Quod ad cauſas externas, Aër in putredinis negotio concurrit adeò, ut abſque aëre nec fermentatio, nec putrefactio procedere poſſit, adeoque efficienter concurrat. (*Evolv. Dn. D. Joh. Bohnius Exercit. Chymic. 10. §. 17.*). Aër enim eſt, iterum eſt (*Id. Exerc. 4. §. 8.*) cujus partes nobis inſenſibiles ſe in corporum poros inſinuant, motuque & vibratione ſua mobiliore minusque implicata illorum minima expellunt & ſecum rapiunt, aut harum ſitum & figuram, hinc totius texturam ita immutant, ut iſta novas & priſtinæ formæ incongruas. Hinc quorundam corporum putrefactionem, intra tempus, quod Natura definivit vel decuplo etiam majus procurari non poſſe, ſi aëris acceſſus ſollicite prohibeatur, experimentis edoctus *Rob. Boyle* (*de Coſmic. Rer. Qualit. c. 5. p. 24.*) ſcripſit. Teſtatur id præ reliquis machina aëre exhauſta, in qua vegetabilia æquè ac animalia corruptionem vix, aut poſt longum tempus demum experiuntur, quamvis de piſcibus contrarium teſtetur experientia. Ab his namque in vacuo aſſervatis putredo vix arceri queat, quatenus hi laxioris ac aliorum animalium carnes, texturæ extra medium ſui craſſius, aquam nempè conſtituti ac tenuiori multo ſc. ætheri, ſ. aëri rarefacto illati copioſiores mox exhalationes ſpargunt, adeoque celeriter & luxurioſè admodum vacuum aëre novo & craſſiore repleat & ſui corruptionem ſibi pariunt. Addo his *J. B. Helmont.* (*tr. Magnum oportet n. 16. p. 173.*), hunc in modum differentem: Jura carnium, fructuum prout & decocta quævis, citò alioquin putreſcibilia, præſervo à putredine per annos, modò aëri fermentum balſamicum infudero & continuatum cohibuero.

§. 52.

Sed nec omnis aër putrefactioni favet. In montibus namque, qui fluctuas

ctuat, excelsioribus propter puritatem & subtilitatem putredinem ob occisis corporibus exulare facit, ut infrà (*h. l. T. 2. §. 44.*) notatum. In Montibus namque est locus, secundum *J. B. Helmont. (tr. Mons Domini p. 629.)*, quorsum per magnetis continuitatem expedissima cœlestium irradiatio est: quia ætheris purissimi potatio. Memini enim, *pergit*, uno mane me jejunum sensisse in Alpibus svavitatem inspirati aëris, quem ante vel post tota vita nunquam. Certum est etenim, quod omnipotens tantum Gibbum in natura non frustra condiderit. Benedictio ergò ascendentibus in montem Domini, juxta literam, in natura ad vitæ longæ dotes spectare Ipsi videtur. Et qui singulis annis circa festum Scenopegiæ in monte quietis continuo morari per quadraginta dies posset, accersitis sibi aliunde vivendi commoditatibus, multum auguratur ipsi profuturum in vitam longam, si ibidem præsertim medicamento ex arbore vitæ parato, quotidie refocilletur: eò quod tali monte ob insignem aëres puritatem major sit commistio alimenti ad alitum, & penitior ad prima constitutiva accessus. *(p. 630.)* Contrarium in Cœnobio in monte Cybiles tractus Neapolitani, in quo & prope milliare circa hoc omnes carnes, ova, lacticinia &c. oppido verminare incipiunt. *Vid. Paulinius Noster (f. 4. Cynogr. c. 3. §. 3. p. 170.)*. Carnes intra Tropicum captas sale duratas minime durare posse, *Vid. Histor. Antipod. (part. 3. p. 603.)*

§. 53.

Athmosphæra autem humida & calida imprimis malè audit. Hæc namque particulas putrescibiles (*verba sunt J. J. Beccheri c. l. n. 23. p. 311.*) emortuarum partium modicè rarefacit, humectat, & partes oleosas insitas superat, unde eas resolvi necesse est, magna resolutorum putridorum corpusculorum emanatione, tanquam vinculo suo solutorum, quæ proinde in hac operatione longe alias qualitates acquirunt atque præter statum convenientem suo corpori naturalem rarefiunt, unde gravis & penetrans putrescentium fœtor. Confer. *infra (Tit. 2. §. 40.)*, de Austri nequitia prolata.

§. 54.

A calore vehemente putredinem deduxit *Joh. Argenterius (in Art. Galen. proœm. comment. 3. p. 144.)*. Calidior athmosphæra non tantum per raritatem propriam expansioni fermentescentium locum concedit, sed rarefaciendo quoque eorum interiora vehementius impellit, argute ratiocinatur *Bohnius (Exerc. Chym. 9. §. 15.)*. Hinc æstate defuncta cadavera citius putrescere, quam hyeme *Th. Bartholin. (Cent. 1. hist anat. 62. p. 109.)*. Et hanc causam assignavit *Phil. Melanchthon, (l. 3. init. Phys. f. 193. b.)*, cur in Italia citò frumentum corrumpa-

tur. Cum Principum & Regum Galliæ Cadavera, multa quamvis arte & impensa condita intra sex aut septem dies, quibus post conditaram populo spectanda servantur, antequam inhumentur, adeò gravem odorem spirent, ut eum nemo ferre possit, sic ut necesse habeant plumbeo feretro recondi, hanc proposuit causam *Ambros. Pareus (de Cadav. Embammat. p. m. 657.)* dum scribit: Confluentis ad spectaculum populi multitudine & funeralium diu noctuque incensorum calore adeò circumfusus incalescit aër, ut dissipato, quod restabat, nativi caloris vestigio facile putrescant. Sed & hic cum calore humidum connectitur, nec solum aër calidus ab astantibus exspiratur, sed & sordes pectoris & pulmonum humidiores aëri impactu.

§. 55.

Quærunt cur caro plantæ febricitantis alligata, aut Tinca viva Icterici Umbilico, aut Epati, juxta monitum *Joh. Phar. Rhumelij (Mell. Milit. c. 15.)* & *Joh. Schrœderi (l. 5. Pharmacop. cl. 3. c. 92. p. 334.)*, aut secundum Alios pedum plantis & ossi Sterno (*Vid. B. Dn. D. Joh. Michaëlis Præceptoris æstumatissimi Discurs. Doctoral. de Icter.* §. *80.*), statim putreat, fœtidumque spargit halidum? Primas hic calori *cum acutissimo Joh. Theod. Schenckio (l. 1. Exerc. Anat. 2. s. 1. c. 30. p. 180.)* tribuo. Videntur huc conducere, *addit*, quæ commento inclusit *Galenus (in s. 4. Aph. 26.)* Carnium ἐκθηλύνσιν, effœminationem à calido oriri, quæ nihil aliud est, quam earum imbecillitas. Quod verò *Vir celeberrimus Helmontium* castigat, quod in absentiam fermenti causam rejecerit, in eo humani quid passus est. Cur carnes &c. à febricitantibus comestæ in ventriculo putrescant & cadaverentur, fermenti Stomachici digerentis absentiam incusat *Helmont. (tr. calor efficienter non digerit, sed tantum excitativè n. 18. p. 163.)* & ut fermentum suum stabiliret, caloris verò Stomachici in conficiendo cremore impotentiam sisteret, ad ventriculum febricitantium provocat, (*c. l. n. 16.*) adeoque idem carni, ovis, piscibus &c. ingestis contingere, quod carni crudæ, carpioni, plantis pedum vel Cervici superligatis. *Alibi* (*tr. Potest. Medicam. n. 48. p. 385.*) clarius mentem explicat: Carnem sensi externis applicatam mox putrere, quæ intus à fermentis resolvitur & assimilatur nostris. Cur caro externis applicata non Chylus fit, sed putret? quærit *Helmont.* & respondet, quia ob defectum fermenti, (addo etiam loci congrui & antegressæ necessariæ præparationis,) non potest.

§. 56.

Vulgi hic errorem libare animus est, quod & ille Medicos credulos, inter quos etiam *Joh. Bapt. Sitonus. (Iatros. Misc. tr. 27. p. 140.) cum Aliis*, quos alle-

allegat, dementarit sciam. Tincam pedibus aut Umbilico Ictorici applicatam colore flavo conspicuam dum vident, piscem è corpore Icterico Magnetis instar Icterum attraxisse gloriantur, cum putredini potius Trincæ color iste assignandus veniat, utpote quo omnes pisces, comprimis squamis destituti majoribus, dum putrescunt signantur. Quod vel Anguillæ post mortem in aqua detentæ probant. Ut etiam de Squamigeris id addam, de lucio pisce vivo in dorso à capite ad caudam aperto superligato transversim in regione Stomachi *idem* (*tr. Schol. Humorist. passiv. decept. c. 5. n. 35. p. 824.*) *protulit Helmont.* Idem tamen non semper obtingere *Carol' Rayger.* (*D. 1. M. C. A. 6. & 7. obs. 205. p. 303.*) probat. Ita hujusmodi colorem non raro humana funera ostentant, idque insigni historia firmat *Emanuel Urstisius* (*ap. Gvilh. Fabric. Hildan. c. 1. obs. Chirurg. 25. p. 125.*) de quodam, cujus partes tumidæ omnes adeò flavescebant, ac si Croco omnimode infecta fuissent. Flavedini huic in Cadaveribus medicandis, ut prospiciant Medici, vernice certo *infra Tit. 2.* (§. 151.) allegando utuntur.

§. 57.

Pariliter decipiuntur, qui fundulos pisces infantum umbilicis applicantes, si portionem eorum in Ventre absumtam, aut etiam Sceleton (*Vid. observationem ap. Experientiss. Dn. D. Michaëlis, Disp. de Verm. in Hom. th. 130.*), oculis usurpent, vermi illi, quem *den Veixwurm, Nabelwurm, Geizwurm &c.* piscem rodenti acceptum ferunt, (*Vid. Phil. Hechsteter. p. 2. Dec. 6. obs. 6.*). Quomodo quæso per intestina, omentum, Peritoneum ad umbilici Centrum penetraret vermis, intestinorum incola, appetitui satisfacturus? Putredo lambit, imo consumit pisciculum, non vermis ille. Nec massa illa è melle contuso vitro & aliis parata putamini nucis inclusa & umbilico applicata vermen illum profligabit. Nunquam cura successit, nisi simul interna vermes necantia & expellentia fuerint adhibita. Stigma illud quod vermem gustasse massam illam minuere videtur, ab umbilici centro prominente massæ infligitur.

§. 58.

Frigiditatem hic etiam pro causa allegant quidam, quod à nugis non abesse *recte judicat Fr. B. Verulam.* (*Sylv. Sylv. c. 9. n. 836. col. 930.*), cum frigus comprimendo & condensando putredini potius frænum injicere deprehendatur. Frigus namque, ut *Joh. Conr. Barchysen.* (*l. 2. Pyrosoph. c. 1. Tit. 13. n. 5. p. 85.*) pronunciat nil aliud, quam omnium partium quies. Frigoris propria ἐνέργεια est, ut in unum colligat τὰ ἀλλόφυλα, cui oppositus est externus ca-

lor, qui, ut congregat svavi & efficacia ὁμόφυλα, si fuerit σύμφυτος calor, ita si fuerit externus, proprium illius est contrarium frigori, ut videlicet τὰ ἀλλόφυλα separet & distrahat vinculum συμφύτου caloris perimendo corrumpendoque, *monet Jac. Schegkius* (*de Calor. vi & effic. c.5. p. 448.*). Inde aquilone vento, qui refrigerando exsiccat, flante, incorrupta multum durant, *juxta Laurent. Joubert.* (*l. de Quart. Febr. c.12. p.m.325.*); quod si ab occursu ambiente frigidi, calefacientis tamen per accidens putrescat mistum, non putrescet â frigido ambiente, sed â detentâ fuligine, ob addensationem inductam in mixto, ut v. g. in cadavere, & consequenter â calore ambiente, *philosophatur Anton. Santorellus* (*Postprax. Med. c.37. p.119.*). Distinguendum puto inter frigidum humidum & siccum, illud non hoc corruptioni confert.

§. 59.

Aliter etiam se habent frigida, aliter congelata & conglaciata; utraque corruptione non facile cedunt, imprimis si in isto statu permaneant, *Vid. supra* (*l. 2. Tit. 4. §. 9.*). Congelata tamen in locum calidum translata, dum spiritibus mortificatis, aut abactis calor excussus, humoribusque & textura partium â frigore scindente pessundata ab ambientis caloris vi deficiunt & possum eunt. Ita membra vivorum glaciata siderantur & sphacelum incurrunt. Fœmina melancholica intenso hyemis frigore excurrit in sylvam, aquas quæsitura, in quibus se suffocet, frigore & nivibus prohibetur. Undecim igitur dies & noctes in uno loco in sylva sedens, reperta in pagum portatur, cui pedes usq ad genua à frigore emortua serra abscindere jussi, quæ à Melancholia curata aliquot annos adhuc sana peregit. Frigoris opus etiam est densatio; Ut mirus sit *Galil. Galilei* (*nel Discorso interno alle cose que stanno sopra l'aqua. p. 4.*), qui glaciem aquam rarefactam non condensatam voluit, *à Kenelm. Digby* (*tr. de Nat. Corp. c.17, n. 6. p.190.*) castigatus. Ita in viventibus ab obstructione pororum & cohibita transpiratione facilè inflammationes excitari putredinesque partium consequi possunt. *Vid. Jac. Zabarell.* (*l. 2. de Mist. Gener. & inter c. 7. col.566.*). *Zacut. Lusitan.* (*l. 4. Med. Princ. Hist. qu. 11. p. 644.*). *Jul. Cæs. Claudin.* (*Respons. 1. p.37.*)

§. 60.

Lunæ radios putredinis promovere impetum, jam olim *Galen.* (*l.3. de Dieb. Decret. s. Critic. c. 2. add. Joh. Ant. Magin. in h. l. f. 8. b.*) advertit, & ex eo *Oribasius* (*l.9. Collect. c.3.*) *Plinius* (*l. 2. c. 104*). *Ptolomeus* (*l. 1. Apotelesmat. c. 2.*). De lignis ad Lunæ splendorem cæsis *Daphnus Medicus* (*ap. Athenæum & Anton. Mizald. Cent. 4. Memor. 5. p. 71.*), inde conclavia tempore noctis propter

pter splendorem Lunæ munire & claudere præcipiunt *Joh. Fincelius* (*de Pest. B. 6. a.*). *Petr. Sibyllen* (*de Pest. f. 16.*). *Matth. Martin.* (*Bericht von Sterbensläufften §. 16.*) & ne quis Luna plena noctu iter faciat, monet *David Herlicius* (*Cons. Polit. Phys. de Pest. p. 2. c. 1. p. 280.*). Natos Luna plena vel nova, peste facilius corripi, *Phil. Grüling.* (*Med. Pract. Vid. Ephem. Erud. T. 2. Eph. 39. p. 451.*) eaq; Novi- & plenilunio sævit, (*Laur. Joubert. l. de Pest. c. 9. p. 284.*), quod in Francofurtensi *observavit Lud. von Hornig* (*Würg-Engel qu. 106. p. 181.*) & ego in Chemnicensi 1680. Si sæpe modicum vulnus curatu difficile fit, quod inflictum sit membro Luna existente, & si Luna super vulnus splenduerit, mox labra livescunt, ut observavit *J. B. Helmont.* (*tr. Formar. Ortus n. 54. & 55. p. 115.*). Quid non mortuo accidet corpori? Sub Linea æquinoctii, pergit *per ignem Philosophus*, citò putent omnia, non quidem ob caloris excessum, (quia alibi major & constantior subinde est: Si quidem sub Linea pluit aliquoties,) at bene ob lunæ continuam propinquitatem, & teretem globi figuram. Si homo vel brutum una saltem nocte sub Luna (pleno namque radio icit ibi vicina,) mortuum pernoctavit, sequenti mane cadaver putrilagine diffluit, imò Microscopium si consulas, in vivam putredinem *teste Athan. Kirchero* (*Scrutin. Pest. f. 1. c. 6. §. 2. Experim. 1. p. 70.*) *add. Fr. Bacon. Verulam.* (*c. 9. Sylv. Sylv. n. 891. col. 944.*) & *Laurent. Joubert.* (*T. 1. op. quæst. de Paralys. p. 329.*), ita Buso ejusdem radiis,

dum plenum colligit orbem,

expositus una nocte, *referente Joh. Marco Marci* (*p. 5. Philos. Restitut. subs. 8. p. 522.*) computrescit. Causam hanc (*c. l.*) dat *Helmont.* Sol provocat fluxum seminum ad terminum vitæ ultimæ. Luna verò trahit in adversum ad materiam rei primam (*n. 57.*). Luna præest nocti, tenebris, quieti, morti & aquis, quatenus omnia ad mortem quietem & aquam redeunt. Atque eadem Luna transitum ad transmutationem inducit. Aspicit nimirum & afficit primariò potius potestates seminales, quam earundem materiam primam. (*n. 59.*) Analoga multum est hæc Helmontiana Philosophia, cùm Veterum, tùm modernorum decretis, quæ Lunam frigidam & humidam asserunt. Frigus autem mortem, humiditas vero putredinem & tendentiam rei ad materiam primam inducit.

§. 61.

Humiditatem & frigiditatem illam à vaporibus terreis ad altiores Aëris partes elevatis *Ptolomeus cum Aliis* somniavit, quos notat & refutat *Joh. Jovian. Pontanus* (*l. 1. de Reb. Cœlest. c. 7. p. 13.*). Luna potius cum sit telluri nostræ

 pror-

prorsus similis, corpus videlicet ex aqua & terra constitutum, æthercam terram dixit *Xenophanes*, eamque esse multarum urbium, & habitari *ap. Ciceron.* (*l. 4. Quæst. Tuscul.*). Adde *Joh. Bapt. Crispin.* (*de Ethnic. Philos. caute legenda f. 45.*). Si sequimur *Kircherum* (*l. 1. Art. Magn. Luc. & Umbr. p. 1. c. 4. p. 16.*) & *Casp. Schottum* (*in Not. ad Itinerar. Kircher. Ecstat. Diat. 1. c. 1. §. 4. p. 71.*) corpus frigidæ & humidæ complexionis habebit.

§. 62.

Experimentis id confirmari nullus ambigo. Plenilunio majus frigus sensimus etiam æstivo tempore, imò circa canicularium æstum, quia medium collatum ad unum extremorum rationem habet, alterius extremi, non aliter, ut in balneo tepida, frigida sentitur ob majoris circumstantiis caloris efficaciam. Vid. omnino *Kircherus* (*c. l. c. 14. p. 20.*). Probat hanc frigiditatem *Helmontianam:* (*c. l. n. 55. p. 115.*) Si quis namque verrucas, melicerides, Nattas, similesque excrescentias collecto in conum Lunæ lumine per vitrum superradiet, donec frigus introsenserint, facile deinceps sua sponte evanescunt. Egregium quoque est *Stephani Spleissii, Gymnasiarchæ Scaphusiani, Joh. Jac. Wepfero* (*Exerc. de loc. aff. in Apopl. p. 260.*) communicatum, quod in gratiam Lectoris ascribo: Cum aliquando inter naturæ secreta relatam legissem generationem glaciei tempore æstivo, ope patinæ stanneæ, in qua infuso prius Hydrargyro aqua superfusa, Lunæque radiis exposita congelasceret: Idem Experimentum tempestate minimè glaciali absque Hydrargyro aggressus sum speculo vitreo concavo; cujus jacturam; si quod fractionis periculum à congelatione immineret non magni æstimabam, eò quod non ex coni, sed rudi sphæræ sectione confectum esset. Huic igitur aquam infusam Lunæque plenilunio proximæ cœlo nubibus purgato exposui; Interea somnum lumine ac libro fallens sæpius fidem eventus exploravi, donec tandem aqua superficietenus constricta fuisset. Inde facile est judicare, Lunæ radios non debili calore infectos, sed potius insigni frigefaciendi facultate præditos esse. Faciliori negotio, *Idem subjungit*, hoc modo expertus fui; Eodem speculo Lunaribus radiis collectis (ut aliàs in combustione Solis radiis) sinistræque manus vola aliquandiu exceptis primò punctiunculas frigidas sensi ac deinceps frigore invalescente manum horror occupavit, ut quasi tota obtorpesceret. Idem tentavi conspicillo vitreo utrinque concavo bipalmaris fere latitudinis ad trium pedum intervallum vehementer urente, eundemque à Luna in manu frigidum torporem observavi. Non igitur ambigendum est, quin præter reliquas Lunaris luminis facultates nobis nondum satis perspectus, Solis radii calidissimi à Lunæ superficie reflexi, ejusdem frigore imbu-

buantur, & apud nos validè frigefaciant, (ne nimio radiorum ſolarium æſtu terra diſſolvatur, à Lunaribus ſolares imbibi & frangi, *Athan. Kircher.* (*c. l. p. 14. & 15.*) cenſuit, idque maximè, ſi luna plena terrisque proxima in extremo ſuo Septentrionis termino conſtituta fuerit; quia tunc & lumine fortior eſt, & radios rectiores, id eſt, fortiores ad nos emittit, ſed minus quo magis ab ejusmodi ſitu ac conſtitutione digreſſa fuerit. Plura deſideranti ſiſtet (*l. 1. Medic. Spirit. curioſ. c. 10. §. 1. ſq. p. 25.*) *Sebaſtian. Wirdig. & D. Andr. Rivinus* (*in notis ad illud Dracontii de luna, mentiturque diem lux frigida ſolis imago. l. 1. Hexaem. v. 546.*)

§. 63.

De humiditate Lunari ne dubites, Experimentum *Kenelm. Digbæi* (*orat. de pulv. Sympath. p. 91.*) proſtat. Si radii, *inquit*, in ſpeculo concavo vel ſplendido pelvi colligantur, & in conum deſinant, illicò videbitis loco, quo radii ſolares urere verumque ignem producere ſolent, hosce contrario planè modo valdè frigefacere atque humectare: imò etiam ſupra ſpeculum ſubſtantiam quandam aquoſam, viſcoſam, glutinoſamque relinquere. Res vana, *addit*, & ridicula videri poſſet, lavare manus in pollubro argenteo ſplendido, in quo neque aquam neque quicquam aliud præter reflexos Lunæ radios conſpicere liceret & nihilominus tamen, ſi per aliquod tempus actio hæc continuetur, manus planè humectatæ deprehenduntur. Quod ſi inferas, manuum poros ſudore humiditatem prodere, frigiditas lunæ obſtabit. Conſtituta proinde luna generatorium humiditatis, quo tota univerſitas irroratur *Joh. Schrödero*, (*l. 1. Pharmacop. c. 9. p. 26.*), Matrem & Dominam Aquarum *Paracelſus* (*de Secret. Creat. p. 113.*) appellavit, & *Helmontii edicto* (*c. l. n. 94. p. 120.*), Luna præſit motricibus aquis. Fecerunt ea de cauſa Antiqui Lunam aëris uxorem, è qua copula exſurgit puella pulcherrima, Ros dicta, ceu *Joh. Petr. Faber* (*l. 2. Panchym. ſ. 5. c. 18. p. 280.*) animadvertit, ubi plura in hanc ſententiam annotat.

§. 64.

Sunt qui Lunam calefacere & mixta & carnes exſiccare tradiderunt, adeoque à putredine inducta ſiccitate præſervare. Prolixo id thema ſtylo proſecutus eſt *Laurent. Joubert.* (*l. de Paralyſ. T. 1. op. p. 332.*). Corpus Lunæ quale ſit, explicare non poſſumus: imò neque qualitate ulla nobis manifeſta præditum eſſe, aſſeverare audemus, qvum non ſit ex Elementis, & calorem ex Sole una cum lumine habere, certiſſimum eſt: quia inſeparabilia hæc ſunt. Nam ſol etſi calorem, quem in inferiora mittit, in ſe actu non habeat, calefacit nihilominus per ſe radiorum ſui luminis propinquitate, directione & motu. Qvum igi-

igitur mutuo ſumtam lucem comitetur caliditas, quo major apparebit, hujus quoque major erit efficacia. Atqui calorem ſiccitas etiam comitatur in ſole, erit itaque ex lunæ ſplendore ſimul caliditas & ſiccitas, niſi quid impediat: & ipſa, qvum plena erit, nos integro vultu reſpiciens, calfaciet & exſiccabit: tanto quidem minus, quam Sol, quanto minor & non innata ei lux eſt. Qvum falcata apparebit, quia tota ſplendens medietas nobis non videtur, langvidiores erunt affectus: ſcilicet minus calefaciet, minusque exſiccabit. Latens omnino frigidum & humidum aëra eſſe ſinet, quæ ſuapte natura ſpectatur. *Hæc Joubertus.* Ea vero ſpeculatio contra naturam Lunæ expoſita & applicata inanis videtur. Siquidem id contingat, ex accidente contingere *è Kirchero (l. c. p. 41.)* dicendum, dum humiditatem ex iis effluere facit. Quod ſi verò exſiccentur carnes, id aëri prædoni humorum aſcribendum, dum poros pervadens aquea ſecum rapit effluvia & poſtmodum diſſipat.

§. 65.

Humiditatem putredinis genio maximè eſſe congruam aliquoties dictum, imprimis modò (§. 52.), Et inter putrefactionis adjumenta repoſuit *Fr. B. Verulam. (l. 4. Sylv. Sylv. n. 329. col. 824.)*. Si humor aquoſus vel crudus mixto putrefaciendo addatur, teſte humectatione cujuslibet carnis, pomi, ligni in aqua, cum debeatur unctiuſculis oleoſisque conſervatio. Fermentationem aqua facilitat concreti texturam laxando, ex mente *laudandi Bohnii (c. l. Ex. 10. §. 14.)*, adeoque putredini viam parat. Contrarii tamen videntur *Joh. Bodin. (l. 3. Theatr. Nat. p. 401.)*, qui in aqua nihil putreſcere affirmavit, & *Joachim. Beccher. (c. l. n. 26. p. 312.)*, dum aſſerit, nimiam humiditatem à putredine impedire, prout nimius calor, cum corpora in Aqua potius gradatim conſumi, quam putreſcere, ſi non nova ſemper affluens ſit, experientia doceat, unde longo tempore integros interdum ſubmerſos prorſus à putredine immunes vidit, adeò, ut ipſi aliquando ſpeculatio occurrerit, tractanda tali modo cadavera Anatomiæ ſubjicienda, quo diutius à fœtore & putrefactione immunia forent.

§. 66.

Audiamus *Paracelſum (l. 3. de Nat. Rer. p. m. 886.): Es bleiben die Kräuter, Blumen und alles Gewächs im Waſſer bey ihrer Grüne und unverdorben. Alſo auch vielerley andere Früchte und Obſt im Waſſer mögen præſerviret und conſerviret werden für allerley Fäule, biß daß ein andres wächſt. Alſo auch Fleiſch und Bluth, welches doch gar bald faul und ſtinckendt wird, im friſchen Brunnen-Waſſer mag conſerviret werden: und nicht alleine conſerviret, ſondern durch cohobiren des renovirten und friſchen Brunnen-Waſſers in quintam Eſſentiam transmutirt,*

tirt, also, daß es ewige Zeit ohne alles Balsamiren mag für Fäule und Gestanck conserviret werden, und nicht alleine für sich selber, sondern erhält auch ander Fleisch und Bluth, darzu auch den Leib des Menschen für allerley Fäulung und vielen dergleichen Kranckheiten, die aus Fäulung entspringen, vielmehr als eine gemeine Mumia. Ita Embryonem per aliquot menses in Aqua frigida natantem citra corruptionem se servasse, *Guilh. Harveus* (*Exerc. de Partu p.347.*) asserit.

§. 67.

Hæc facile conciliabuntur, si dicas, (α) id fieri in aqua non stante sed peremniflua, (β) Solis radiis non exposita, sed frigida. (γ) Ut aqua non immediate attingat cadavera, aut alia mixta, sed vasis vitreis, terreis, aut stanneis plumbeisque inclusa, ita me olim in libro manu scripto legisse memini, herbas & flores urceo vitreo inditos & urceo optime clauso scaturienti aquæ frigidæ admoto, per aliquot menses virides & floridos conservari & demum sensim in aquam primaterialem magnarum virium resolvi, & hæc destillatio plantarum naturalis audiebat. Secus contingit, si immediate tangat aqua mixtum, corruptioni namque subjacet, quod vel cadavera submersorum firmant, post aliquot à morte dies ob putredinem incipientem intumescentia & aquas supernatantia, de quibus (*l.2. T.3. §.42.sq.*), pluribus supra. Quod si verò in fundo aquarum fluitantium ad menses aliquot perennarint, id non aquæ proprietati peculiari, sed aëris exclusioni, ut corpora ferire non potuerit, & afficere, & sic internum exagitandi aërem præscindatur occisio, erit ascribendum. Et ob hanc rationem cadavera etiam profundius Terræ immersa tardius corrumpuntur & resolvuntur. Conf. *J. Bohni.* (*Exerc. Chym. phys. 4. §.8.*) Distinguendum demum (δ) inter humidum vaporosum, quale in aëre, & verè tale, qualis ipsa aqua. Primum cum penetret cum aëre poros putredini viam monstrat; non ita alterum, quod frigiditate poros constringit.

§. 68.

De omni Cœmeteriorum Terra, in qua jacuere & computruere corpora, asseveravit *Fr. Baco. Verulam.* (*c. l. n. 330.*) eandem quasi contagium, quod invitationem & excitationem vocat acquirere, ut cadaver aliquod recens impositum consumat longe citius, quam terra pura. Edax istud Terræ fermentum vocavit argute *Nathan. Highmor.* (*de Affect. hypochondr. c. 5. p. 197.*). Sunt variæ interim Terræ Cadaveribus infestæ. Est Romæ, è *Petro Brinsfeldio* (*tr. de Confess. malef. dub. 4. Concl. 2. p. 134.*) recitat *Henr. Kornmann.* (*p.3. de m. m. c.26.*), è regione S. Petri in Vadiano Cœmeterium, quod

campus ſanctus dicitur, ubi corpora peregrinorum breviſſimo tempore, ſpatio 24. horarum conſumuntur, quamvis non in profunda ſepeliantur terrâ, ut in aliis cœmeteriis contingit, ſed leviter tantum ſolo tegantur, ut etiam articuli pedum parum eminere aliquando conſpiciantur. Vidi, *addit*, ego ſæpius cum Romæ eſſem, *ſub Pontifice Clemente VIII.* Madriti cadavera & ſordes citò in nihilum redigi à *P. Zacchia* (*c.l.*) relatum. Talis eſt campus in via S. Dionyſii à la Trinitè, ut iterum *Kornmann.* (*c.l.c.27.*) & *Simon. Schamberg.* (*in Delic. Gall.p.370.*) & Piſis (*Kornm.c.28. quod & Templ. Nat. Conſid.41. concluſ.1.2.&3.p.317.repetiit*). De Area ad Hilarii paupera dicata ſepulturæ, in qua defoſſa Cadavera poſt octavum, ut ajunt, diem nuda carne reperiuntur *J. C. Scaliger* (*Exerc.132. p.456.*)

§. 69.

De Terra ſancta, ſ.Paleſtinæ idem refertur, eaque præprimis in Hakeldama, cujus meminere *Petr. Bellonius.* (*l.2. obſ. c.84.p.335.*) *Princeps Nicol. Chriſtoph. Radzivil.* (*Itiner. Hieroſol. Epiſt. 2. p.67.*) recitari idem audiit *Fr. à Troilo* (*Itiner.p.265.*) Add. *Frid. Hoffmann.* (*Clav. in Schrœder. Pharmac.p.137.*). Effectum hunc (*præced. §.*) recenſitis Terris, comprimis Romæ in Campo ſacro terræ ex agro Hakeldama Romam translatæ, *J. B. Helmont.* (*tr. demonſtratur theſis n.54.p.532.*), eumque ſupra naturalem venditat. Sed forſan hic fallitur *Helmont.* Vocatur, *referente Carolo Muſitano*, (*T.4. Trutin. Chirurg. l.3. c.18. p.115.*), quod tot Martyrum ſangvine decorata fuit, non quia cadaverum carnes exedit, neque hoc, *addit*, quod naturale eſt, pro miraculo Sancta declaravit Eccleſia, ut rude vulgus ſentit. Terra Palæſtinæ grande illud cœmeterium Sedlicenſe (in Bohemia) non quacunque ratione conſperſum, ſed prorſus impletum, unde pro miraculo habebant corpora mortuorum intra naturalem diem conſumi, relictis oſſibus, quæ candore Cretam imitarentur, quod hodieque in iis quæ compoſita ſunt oſſibus videmus, memorat *Bohuſl. Balbin.* (*Dec.1. l.3. Miſcell. Bohem. c.11. §.2.p.449.*). Sed nec pro miraculo etiam agnovit *Gabriel d' Emiliane* (*Itinerar. Epiſt.3. p.252.*), ut hanc virtutem omnium cœmeteriorum terram, in qua computruerunt cadavera obtinere, modo (§.*68.*) animadverſum. Ita & id forſan obtigit Terræ Sanctæ, non tantum, quod in illa Martyrum millena pro Chriſtianæ fidei confeſſione ſangvinem ſuum veluti Aquam fuderunt, dum ſangvis præcipue humanus ſale ammoniaco ſcatet, quod è Salis ammoniaci è ſangvine & aliorum animalium compoſitione, ipſoque è Terra Sancta Experimento deſumto *Carolus Muſitanus* (*c.l.*) probat, ſed & quod inſimul hujusmodi ſale etiam carnes turgeant, cujus excretio-

ne

ne urina animalium turget, ejusdemque arte dum paratur, urina Camelorum & Aliorum animalium ingreditur. Quælibet igitur Terra, humano ſangvine fœta ut in prælio, ubi multorum millium militum interfectio obtigit, ſi in eâ ſepeliantur mortui, carnes abſumendi energiam habeat.

§. 70.

Sed hæc energia cum è dote naturali non profluat, perpetua non erit, æque ut à fimo, urina largiter imprægnata, agrorum fœcunditas poſt unum aut alium annum elapſum terminabitur. Naturale igitur donum influum ſimul ſuberit, idque à vaporum perennifluorum mixtione. Dari autem hujusmodi minerales terras Mineralium Scriptores abundè teſtantur. *Georgio Agricola teſte* (*l. 4. de Cauſ. & ort. ſubterran. p. 518.*), foditur Cadmia foſſilis, quæ udas manus & pedes operariorum exedit. Præſto eſt lapis Aſius (aut Aſſius), ut alii ſcribunt, ab Aſſo monte Troadis, ubi naſcitur & non tantum in Aſia, *Vid. citatus Agricola* (*c. l. p. 521. & lib. 10. de Natur. Foſſib. p. 669.*) *Chriſt. Encel. de Re metall.* (*l. 3. c. 5. p. 166.*) vi pollet corroſiva eque eodem fiunt loculi, qui defunctorum carnes exedunt, *juxta Dioſcor.* (*l. 5. de mat. med. c. 142. p. m. 384.*) & quidem intra quadraginta dies exceptis dentibus *juxta Plinium* (*l. 36. c. 17.*), ob quam cauſam etiam Sarcophagi (quamvis ab Aſio Sarcophagum ſ. Aſſium diſtingvat *Plinius* (*l. 2. c. 97.*), quem tamen, cùm omnia corpora conſumere dicatur, potius παμφάγον, quam σαρκόφαγον nominandum cenſuit *Jacob. Dalechampius* (*in c. l. Plinii p. 121.*), ſed perperam ita judicantibus *Georg. Agricola*, *Chriſtoph. Encelio c. c. l. l. & Joh. Anton. Saracen.* (*Schol. in l. 5. Dioſcor. c. 142. p. 121.*) nomen κατ' ἐξοχὴν adeptus. Quocirca minus eorum admittendam Cacozeliam, tradit *J. C. Scaliger* (*c. l.*), qui Sarcophagi titulo appellant & inſcribunt marmoreos tumulos, quod tamen feciſſe videtur (*Satyr. 10. v. 168. & 172.*) *Juvenalis*:

Unus Pelleo juveni non ſufficit orbis,
Sarcophago contentus erit.

Ejus generis & in Lycia ſaxa ſunt, & in Oriente, quæ corporibus quoque ad alligata erodunt corpora. Mitior autem ſervandis nec abſumendis corporibus eſt Cherniteo ebori ſimillimus, in quo Darium conditum ferunt, iterum *Plinius* (*l. 36. c. 17.*) docuit, & Aſſium hodie vix dignoſci *Anshelm. Boëtius* (*l. 2. de Lapid. & Gemm. c. 220. p. 199.*) confirmat.

§. 71.

Non moror hic *J. B. Helmont.* (*tr. Scholarum Humoriſt. paſſiv. decept. c. 1. n. 78. p. 880.*), qui terras non per ſe eſſe fermentabiles concludit, cum omnia fermenta ſint Elementis inadæquata, quia carent transmutatione, ſeminibusque ſibi

adæquatis. Alioquin si terra esset fermentabilis, cadavera inhumari non possent, quin totus mox terræ globus lethifero tabo nobis fieret deleterius. Loquitur de Terra originali, elementi, virginei, quam *Quellen* vocat, arenamque (*tr. Terra n.3.p.44.*). Sed & hanc non intendo, sed hanc, quæ in oculos occurrit nostros, & reliquam omnigenam terram, terræ fructum de Sobole minerali appellitat (*c.l.*) *Pyrosophus*. Etiam Terram *quellen* non esse sui natura verè primigenium (*tr. Elementa n.12.p.43.*) aperte prodidit.

§. 72.

De calce viva asserunt eandem cadavera exsiccare absumta humiditate, si viva calx ferali arcæ injiciatur. Novit id vulgus Patavinum, *scribit Th. Bartholin.* (*Cent.3.histor: Anat.54.p.107.*), quod hybernis mensibus, ut cadavera suorum amicorum à Scholaribus vindicet, simulac animam exhalarunt, calce viva ita exsiccat corpora defunctorum, ut ad sectiones Anatomicas prorsus reddantur inutilia. Verum non exsiccat tantum, sed & consumit vi salis caustici, quod probat *Laudatus Helmont.* (*tr. Ignotus hospes morbus n.76.p.400.*), quando Caustica absumere cadaver non effectu proprii ardoris: sed sola vi salis caustici, qui partes solidas resolvit in salem absque calore, prout nimirum calx viva resolvit caseum in mucilaginem. Eodem modo & Cantharidem cadaver dissolvere. (*tr. potest. med. n. 60. p.386.*). In calce viva autem esse sal fixum, probat *Illustris Georg. Wolffg. Wedelius Noster* (*Specim. Sal volat. plant. c.5. p.39.*). Sal acidum fixum, *Otto Tachen.* (*Clav. Hipp. c.2.p.42.*). Alcali & Acidum simul *David von der Becke* (*Experim. circ. rer. nat. princip. p.329.*). De Alcali lixiviali Igneo, quod bulliens in momento consumsit ebrium hominem cum laneis vestibus, ut nil repertum fuerit præter linteum indusium & duriora ossa, *iterum Tachen.* (*Hippocr. Chymic. c.4.p.19.*). Calx autem uti Sal, acumine & rigidis suis particulis viciniam corporum lædit, continui solutionem deturbat, putrefactionem accelerat, corpora implicata ramosa subit, aliisque corporibus sua dilatione ingressum præbere ac exaltationem promovere solet, ut benè *Gotzchalcus Tennæus* (*Diss. Chymic. Med. Inaugural. de Calc. Viv. §. 12.*)

§. 73.

Dices: Si à sale ammoniaco carnes absumuntur, cur spiritui salis istius cadavera immergit & illa à putredine præservare intendit *Gabr. Clauderus?* secundum infra (*Tit. 2. §. 77.*) breviter recensita & *Steph. Blancard.* (*Vid. 159.*) Repono: Non semper eadem præstant Spiritus Chymici minerales, quæ ipsa mineralia, quibus adhæc sua est terra, quod multis spiritus vitrioli evincit. Deinde sangvis animalium putrefactus potius armoniacale quid suggerit, quam perfectum

ctum ammoniacum quid? quod terra iſta à putredine iſta contagium ſumſerit, (*vid.* §. *68.*) illudque cadaveribus affricet ſaniemque inſtantem moveat & promoveat. Concurrit terræ humiditas cum aliis ſordibus combinata. In fimo & ſterquilinio, cum corpora mortua haud majoris, quam ſtercus putarent Nabathæi, Reges ſuos ſepelierunt, *ut Strabo* (*l. 16. Geograph. p. m. 539.*) memorat, & in paludibus multos Aſſyriorum Regum poſt fata repoſitas *Arrianus* (*l. 7.*) teſtatur. Ita, quamvis negandum non ſit, certis circumſtantiis ritè ſe habentibus, Embryonem mortuum in Matrice in loco clauſo innatare aquis, quæ Muriæ loco ipſi ſunt, ut in matrice minus corrumpatur integro menſe, quam extra uno die, ſecundum pronunciatum *Dionis*, (*Hiſt. Anat. de dupl. uter. M. C. D 3. A. 2. p. 482.*), attamen penitus incorruptus ibidem non perſeverat, ſed & fœtus in utero matris mortui intra ſtercus & urinam ſepulti putruiſſe leguntur. *Evolv. Joh. Schenckius*, (*l. 4. obſerv. med. p. 590.*) *M. C.* (*D. 1. Ann. 1. obſ. 1. p. 3. Ann. 11. obſ. 256. p. 382. & Ann. 111. obſ. 80. p. 137.*)

§. 74.

Et ſi viva corpora inficiuntur à putridis, ut *juxta Juvenal.* (*Satyr. 2. v. 81.*)

Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva,

Cur non cadaver à loco putrilagine infecto in ſe derivabit putrilaginem. Scaphiſmus, crudele illud apud Perſas uſitatum ſupplicium, prius in menſa ſolis exponet. Deſcriptionem vis? E *Plutarcho* id (*in Artaxerx. p. m. 267.*) delineabo. Duas Scaphas quæ mutuo quadrent accipiunt, in alterum harum is, qui plectendus eſt, ſupinus collocatur, alteram imponunt, itaque aptant, ut caput, manus, pedesque promineant, totum alioquin corpus occultetur. Ita incluſo cibus præbetur, ac ſi edere nolit, oculos compungendo eum cogunt, cum edit mel lacti mixtum, ei potus loco infundunt, ita vero ſemper eum collocant, ut adverſus Solem oculos habeat. Porro autem muſcarum identidem aſſidentium multitudine facies ejus tota obtegitur, & cum in Scaphis interius ea faciat, quæ neceſſe eſt hominem cibo potuque fruentem, ex putrefactione & corruptione excrementorum vermes pullulant, qui inteſtina ſubrepentes corpus conſumunt. Cum enim jam conſtat mortuum eſſe, remota ſuperiori ſcapha intuentur quidem carnes devoratas, inteſtinis autem inhærentia hujusmodi animalculorum examina. Hoc modo *Mithridates* ſeptendecim dies cruciatus lenta morte abſumtus eſt. Deſcribit id etiam (*l. 1. Annal.*) *Zonaras* & *ex Eo Mart. Piccart*, (*Decur. 4. obſ. Hiſtor. Polit. 6.*). *J. H Urſinus* (*l 3. Acerr. Philol. n. 148. p. 318.*). Martyres id genus mortis ſubiiſſe, *Anton. Gallon.* (*de Martyr. c. 1. p. 21.*) notavit.

§. 75.

Quid *Etruriæ Regis Mezentii* crudelitas & sævitia in humanam perniciem excogitarit, *Maro*, (*l. 8. Æneid. v. 482.*) his exposuit: Gentem Lydiam

Imperio & sævis tenuit Mezentius armis,
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus atque oribus ora,
(Tormenti genus!) & sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Non minori truculentia prædones Hedruscorum posteritati se commendarunt in Regis exemplum compositi. Hi namque *ex recensione Divi Augustini (l. 5. contr. Petilian. c. 15.)* viatores, quos exspoliarant trucidabant & ad exaggeratam crudelitatis rabiem exsaturandam viva corpora mortuis colligabant, ita ut singula viventis membra mortuis ipsius cadaveris corresponderent. Amaros igitur vitæ pariter ac mortis tortores, Etruscos vocabat *Valer. Max.* (*l. 9. memorab. c. 2. n. 10.*), qui & barbarorum meminit (*n. 11.*), quos ferunt mactatarum pecudum intestinis & visceribus egestis homines inserere, ita ut capitibus tantum emineant, atque ut diutius pœnæ sufficiant cibo ac potione infelicem spiritum prærogare: donec intus putrefacti laniatui sint animalibus, quæ tabidis corporibus innasci solent. Idem *Empectæ Luciani* Asinus (*T. 2. Oper. p. 93.*) testatur. Quosdam animalibus nuper occisis inclusisse *Maximinum Patrem Imp. Julius Capitolin.* (*in Vit. Ej. p. 252.*) memorat. Singulare plane est, quod de Ducissa Veneta *Petr. Damian. Cardinal.* (*Epist. 3. ad Blancam Comit. c. 11.*) in literas retulit: Hæc tâm tenerè, tam delicatè vivebat, & non modo superstitiosa, sed artificiosa, ut ita loquar, sese jucunditate mulcebat, ut etiam communibus se aquis dedignaretur abluere, sed ejus servi rorem cœli satagebant undiquaque colligere, ex quo sibi laboriosum satis balneum procuraret; Cibos quoque suos manibus non tangebat, sed ab Evnuchis ejus alimenta quæque minutius concidebantur in frusta, quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis atque bidentibus ori suo guriens adhibebat. Ejus porro cubiculum tot thymiamatum aromatumque generibus redolebat, ut & nobis narrare tantum dedecus fœteat & auditor forte non credat. Atque inter hos aggestos suffitus, corpus ejus omne computruit, ita, ut membra corporis undique cuncta marcescerent, totumque cubiculum intolerabili prorsus fœtore complerent, nec quisquam tantam perferre narium injuriam potuit, non cosmeta, non servulus, vix una duntaxat ancilla: eadem tamen raptim accedebat. & protinus fugiens abscedebat. Diutius igitur hoc languore decocta & misera-

ſerabiliter cruciata amicis quoque lætantibus diem clauſit extremum. *Hæc Damianus.*

§. 76.

Quo victu in vita fuerint uſi demortui multum refert. Egregiè, ut multa, *Joh. Marc. Marci* (*p. 4. Philoſ. Vet. Reſtitut. ſ. 6. p. 467.*). Plures Ideæ vermiformes accedunt cum alimento, nobisque implantantur, quandoquidem univerſa vegetabilia ſui generis vermiculos procreant. Sunt (è principiis Anatomicis diſputat *Joh. Cryſoſt. Magnen. in Democrit. Reviviſcent. Diſput. 2. c. 4. propoſ. 34. p. 293.*) hujuscemodi vermium & lumbricorum minima tertii ordinis, (*Vid. c. l. p. 289.*), quæ cum alimentis aſſumta vim concoctricem ſubterfugerunt, atque quod debilior eſſet, non potuerunt edomari, quin ſervarent ſpiritus, formamque partialem, unde ex aliqua horum copia, quæ tanto facilius cumulantur, quo Sympathia ea ad ſe invicem trahit & jungit, fit ut excitati Spiritus, qui in minimis diutiſſime conſervantur, ſe paulatim perficiant & abducto ad ſe alimento creſcant. Adde hic *Georg. Hieron. Velſchium* (*de Ven. Medin. c. 7. p. 194. ſq.*)

§. 77.

Carnium cibos diſponere ad putredinem, *Jul. Cæſ. Claudin.* (*Reſſion. Med. 1. p. 41.*) affirmavit; Rationes varias propinat *Th. Bartholin.* (*Diſſ. de Sangv. Vetit.*), è quibus, quæ ſequitur, etiam eſt (*p. 64.*): Ex carnium eſu copia excrementorum major colligitur, quam eduliis aliis, quæ vel terra vel mare ſubminiſtrat. Facilè illæ putreſcunt & vermes generant. Hinc excrementa animalium, quæ fœno herbisque paſcuntur, non ita fœtent, ſicut illorum, quæ carnivora appellantur. Carthuſianos ob iſtam à carne abſtinentiam veneranda canitie vivere. Quæ ipſa tamen vix applauſum merentur cum κρεοφαγία, ſed intempeſtiva, immodica & varietate peccans nimia inordinataque deteſtanda veniat. Semiputrida etiam veſcentes Feroenſes nihil incommodi ob id ſentiunt, ſenecta ſine ſenio conſpicui, quod ipſe *Th. Bartholin.* (*Vol. 1. Act. med. Hafnienſ. obſ. 49. p. 96.*) annotatum reliquit. Subitanei & inſignis fœtoris cauſa in Apoplectico an fuerit, quod putreſcentium ferinarum carnium eſu delectaretur? aliis inquirendum reliquit *Joh. Bauhinus* (*ap. Joh. Schenck. l. 1. obſ. med. p. 88.*). Exemplum egregium ſuis inſeruit *Ammian. Marcellin.* (*l. 19. Rer. geſtar. p. m. 159.*). Cum Rex Perſarum ſeptuaginta tresque dies Amidam multitudine circumſediſſet, Armatorum triginta millia perdidit bellatorum, quæ paulò poſteà per *Diſcenem Tribunum & Notarium* numerata ſunt hac diſcretione facilius, quod noſtrorum (Romanorum) cadavera mox cæſorum

fatiſcunt

fatiſcunt & defluunt: adeò ut nullius mortui facies poſt quatriduum agnoſcatur. Interfectorum verò Perſarum inareſcunt in modum ſtipitum corpora, ut nec liquentibus membris nec ſanie perfuſa madeſcant: quod parcior vita facit, & ubi naſcuntur caloribus terræ. Arabes & Lybiæ populi ſiccatas locuſtas redigunt in panes: recentes quoque edunt, ut *Hieron. Cardan.* (*l. 9. de Subtil. p. 506.*), fumo & ſale duratis Æthyopes, ſed quadrageſimum vitæ annum non excedunt, *juxta Plinium* (*l. 6. c. 36.*). Addunt quidam, iisdem viventibus carnes corrumpi & in locuſtas transmutari. Si hoc, quid mortuis non eveniet? Carnem muſculoſam in Leæna morbo extincta flaccidam & putredini obnoxiam deprehendit *D. Joh. Georg. Greiſſelius* (*M. C. D. 1. A. 2. obſ. 5. p. 7.*), cujus portione Cani juniori famelico porrecta (Alii enim eam faſtidiebant,) devoranda, is ſequenti die vomitu & ſeceſſu meros vermes excrevit.

§. 78.

Quo tempore Apri in Venerem furiosè ruunt, aprugnam multos ante dies vel menſes ſalitam colorem ac ſaporem mutare, ab experto venatore acceptum in literas retulit *Anton. Mizaldus* (*cent. 9. memor. n. 93. p. m. 208.*). Conſonum his, quod *Generoſus Kenelm. Digbæus* (*orat de Pulv. Sympath p. m. 102.*) diſſeruit: In Patria mea (idem & hic fieri credo,) cellam penuariam pro toto anno copia carnis cervinæ & damarum adornant, idque eò tempore, quo carnes hæ ſvavi & ſaporis bonitate excellunt, quod quidem Menſe Julio & Auguſto accidit, facere ſolent: Modus parandi hic eſt: poſtquam optime conditæ ſaleque conſperſæ fuerunt in olla fictili aut cruſta ſecalina dura coquuntur, & quando refriguere, butyro recenti cocto ad ſex digitorum eminentiam, ne ſc. aër illas perdat, conteguntur. Nihilominus tamen, utut maxima adhibita fuerit diligentia tempore quo ejusdem naturæ & ſpecie animalia libidinantur, carnes in illis ollis aſſervatas rancere magnamque ſubiiſſe alterationem animadvertitur, ob ſpiritus hircoſos, qui ea tempeſtate ex brutis viventibus erumpunt, atque à carne mortua ejusdem naturæ attrahuntur, & tum quidem, quin caro illa corrumpatur vix prohiberi poteſt. Prælapſa autem ea anni tempeſtate nihil iſtiusmodi toto reliquo anno timendum venit. Ita carnem cervinam in artocreationibus ſervatam in ὀχείᾳ Cervorum putreſcere audivit *Laur. Strauſſ.* (*Epiſt. ad Kenel. Digb. de Pulv. Symp. p. m. 137.*). De Gemellis obſervationibus dudum (*l. 1. Tit. 2. §. 25. ſq.*) egi, ubi tamen potius de principio horum phænomenorum interno, quam externo probando (§. *35. ſq.*) ſollicitus fui. Viam igitur ad putredinem ſternet

net Venus. Sacræ non repugnant literæ, quæ ſcortatoribus præmii loco vermes promittunt. Vid. *Auguſt. Hauptmann. (de Therm. Wolckenſtein. c. 8. p. 208.)*. Fluxit forſan ex hoc fonte illud Rabinorum: Femur incipit ex ſe ipſo putreſcere. In ſacris autem ad femora generatio refertur. Cauſas recenſent *Fr. Valleſius (de Sacr. Philoſ. c. 13. p. 109.) Cornel. à Lapide (Comment. in Geneſ. c. 46. v. 26. p. 103.)*. Femur etiam pro partibus, quibus viri ſumus, non raro poni, *Gerh. Joh. Voſſius (l. 1. Idolol. c. 19. p. 146.)* obſervavit. Lumbos à libidine dici, *ex Iſidoro (opuſc. Philol. p. 202.) B. Martin. Geier.* Qua de cauſa apud Romanos, quod *è Plutarcho recitat Joh. Bened. Sinibald. (l. 9. Geneanthrop. tr. 2. c. 5. p. 755.)*. Sola involucra illa vilia funebreſque lacernæ, quibus cadavera defodiebantur apud Veneris templum, vendi ſolebant.

§. 79.

Motus ante mortem laborioſus inſignis & diuturnus mixtionis principia laxare creditur. Ita obſervamus de carne animalium longo itinere delaſſatorum & oppido mactatorum, ut & ferarum, quæ curſu diuturno fatigatæ, (*beym par force Jagen, oder beym Ausſchieſſen,*) idem fatum manet ſcuticis vexata aut fuſtibus contuſa crebra fuſtigatione & contuſione laceratis & contuſis vaſis capillaribus, ſanguis tenuior, motu accedente, evacuatur & intra Cutem & cuticulam, etiam muſculos congrumatur. Facit ad conſervandam partis integritatem balſamus naturalis, ad balſami autem conſervationem partis integritas, quâ ſublata, & ille cruori congrumato confuſus corrumpitur & fatiſcit. Ita ſolutis & laxatis mixtionis principiis, poſt obitum mox ab invicem decedunt, quod ſi & ante mortem diutino cruciatu exagitentur bruta, idem eos manet fatum, contrarium, ſi ſtatu tranquillo & ſedato mactentur & uno ictu pereant carnes ſolidiores & coria validiora & nervoſiora ſuggerunt, quod ex Homero docuit *Plutarch. (l. 2. Sympoſ. probl. 9. p. m. 203.)* & ex hoc forſan *(l. 5. de Inſect. c. 4. p. 217.) Ulyſſ. Aldrovandus.* Egregie id illuſtrat *Thom. Willis (de Morb. Conv. c. 10. p. 180.)* exemplo Dominæ illuſtriſſimæ in Anglia, cujus cadaver propter muſculos ſpaſmis perpetuis exercitos, utut valdè emaciatum & viſcera omnia inanita fuerint citiſſimè computruerat. Nam intra 40. horas cutis per totum diſcolor in hac parte livida, in iſta viridis inque alia ſubnigra apparebat & corpus tam ſubito putreſcens odorem ſumme tetrum expirabat. Idem phænomenon ob hanc cauſam, quamvis & aliæ concurrant in partu difficili extinctis non ſemel conſpectum. Quod *Anton. Santorellus (c. l. c. 28. p. 99.)* advertit, ſi cadavera moveantur poſt mortem & de

loco in alium locum transferantur ad citam putredinem conferre, id de motu vehementiore & longo itinere curru facto saltem concedendum reor.

§. 80.

Unum autem corporis membrum, viscus aut pars corporis præ alia in putredinis censum venit. De oculis *supra* (*l.1. Tit.5. §.2. & 13.*) dictum, eos primum mori & putrescere inter partes. Aves mortuas ab oculorum nitore discernes, commonefacit *Hieron. Cardan.* (*l.13. de Rer. Variet. c. 64. p. 808.*), nihil enim celerius in mortuis contabescit: quæ ratio etiam in feris observanda. Hinc nostri Alaudas ad terras remotiores transmissuri capite truncant. *Add. Paul. Zacch.* (*l.4. Tit.1. qu. med. leg. 11. n. 56. p. 374.*). Cum partes omnes corporis sint incorruptæ, narrat *Ant. Santorell.* (*c. l. c. 42. p. 140.*) extrema tamen pars narium (Nasi) ferè semper desideratur, ut observavimus in corpore *B. Jacobi de Marchia Neapoli in Templo S. Mariæ della nova*; in corpore *Borbonii* in Castro Cajetæ & Venetiis in corpore *S. Helenæ*. Negat tamen partem illam corruptam, quanquam videatur corrupta. Videtur enim deficere, *pergit*, quia extrema pars narium cartilagini hæret, non alicui ossi. Cartilago autem exsiccata facilè contrahitur; contracta illa, contrahitur caro cutisque illi innixa: unde cum non extendatur ad eam usque spatii partem, ad quam anteà videtur defecisse, & corrupta, cum tantum sit illa contracta ob siccitatem, sicut observamus in corio & pellibus. Interim Julium Cæsarem Alexandri Magni cadavere conspecto id attrectasse, nasique partem ex attrectatione cadaveris fregisse, *Dio Cassius* (*l.51. Histor.*) notavit, & ex illo *Joh. Xiphilinus* (*p.458.*) excerpit. In frigore enectis mortis initium à genitalibus *Henric. Ranzov.* (*l.5. Comment. Bellicor. c. 9. p. 325.*) è *Paulo Ægineta* narrat, & in his inter alia membra pudenda sanie diffluere in viris me conspexisse memini. In infimo ventre cum colligatur excrementorum setina, etiam ab hac partibus continentibus facilè imprimitur post mortem putredo. Femur ex se ipso putrescere, *nuper* (*§.78.*) pronunciatum. *Vid. B. Martin. Geier.* (*Opusc. Philolog. p. 202.*)

§. 81.

Ut umbra corpus; ita putredinem comitatur fœtor. Angelum mortis finxere *Rabbini*, qui totus oculus stet ad Cervical, in agone constitui stricto gladio. Videns eundem homo trepidat, aperitque os suum in quod ei guttam infundit. Abea gutta moritur homo, fitque fœtidus & pallet. *Vid. R. Abenesra* (*ad Proverb. c.16. v.14.*). Sed hæc figmenta Physicus non curat. Humanum cadaver omnium pessime olere, qua corpus, quia hominis corpus

pus omnium temperatissimum, (quam quidem rationem me non capere, profiteor,) disseruit *Augustin. de Laurentio* (*Decad.1. Discept. Med. 2.p.20.*). Cadavera magis ejicienda quam fimum; *teste Plutarcho* (*l. 3. Sympos. probl. 4. p.m. 249.*), ajebat. *Heracletus.* Quocirca & hominis carnem, quæ omnium perfectissima, summe putrefactam in pestiferam causam degenerare, reputabat *Jac. Aubert.* (*in Fernel. de Abdit. Rer. Caus. Progym. 39.p. 20.*). Et præsentissima occidentalium Indorum venena ex sanguinis, pinguedinis aut carnis humanæ miscela constare, sagasque & veneficas pasci humana carne pro corroborandis imaginationis fœdis vaporibus, *Fr. Baco de Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 1.n.26. col.758.*) *recitat.* Istum fœtorem certum mortis indicium reputat *Paul. Zacchias* (*l. 4.n.58.*), nisi ab excrementis proveniat, quod monet *Anton. Santorell.* (*c.l.c.40.p.132.*). Fulguriti imprimis exquisitissimo fœtore naribus molesti, quod ipse deprehendi, & ex aliis annotat *Erasm. Francisci* (*p. 2. Theatr. Curios.p.710.*). In uno tamen Cadavere putrescente sævior, in alio mitior pro constitutione ætatis, temperamenti, morbi, &c. naribus offertur. Cadaver à volvulo enectum tantum fœtorem emittebat, qui Cadaveris putrefacti graveolentiam superaret, *Dominic. Panarol.* (*Pentecost. 4. obs. Med. 16. p. 121.*). *Regis Angliæ Henrici I. Clerici* cadaver mirum in modum fœtebat, ita ut Chirurgus capiti aperiendo destinatus ob fœtorem animam exhalaret. (*Vid. Joh. Hübner p. 2. problem. Polit. Hist. l.3.p.224.*)

§. 82.

Fœtor iste, si *Georg. Hornium* (*in Arca Mosis p. 13.*) audias, debetur particulis sulphureis male coctis vel in defectu, unde putredo; vel in excessu unde adustio. Cum partium solidarum compages sensim laxari & particulæ sulphureæ unà cum salinis fluorem adeptis evaporare fœtor summus & putredo oriuntur, decidit *Th. Willis* (*de Ferment. c. 8. p. 50.*). Fœtorem in pure ex particularum sulphurearum præcipitatione oriri, pronunciat *David von der Becke* (*c. l. p. 46.*), idque docere sulphurum solutiones omnes. Sulphuri etiam communi in lixivio quovis soluto si affuderis acetum, protinus fœtor gravis odoratus organa feriet, cum ante aceti additionem odoris plane expers esset. Idem observatur in præcipitatione sulphuris Antimonii ex Scoriis Reguli ejusdem cum Aceto facta. Confer. iterum *Willis.* (*p. 2. Pharmac. Ration. s. 1. c. 7. p. 174.*)

§. 83.

A carnibus & Caseis putrefactis in propinquo positis Cerevisiam fermentantem corrumpi, *Isaac. Schoock.* (*Cent. probl. Rar. probl. 15. p. 15.*) docuit. Sed & abominabilis est ille astantibus & aliquando exitialis, de quo *supra*

(*l. 2. Tit. 2. §. 36.*) actum. Ut igitur halitum illum præpedirent Judæi, aromata & unguenta cadaveribus apponebant & accendebant, prout locum de Regis Assæ cadavere (*l. 2. Paralip. c. 16. v. 14.* cui adde *Ejusd. libri c. 21. v. 19. & Jerem. c. 34. v. 5.*) explicare nititur *Jac. Tirinus* (*in Comment. p. 302.*). An ideò & flores sparserint, pronunciare non ausim, cum alias rationes suggerat *Joh. Mich. Dilherr.* (*T. 1. Diss. Acad. p. 461.*). Ob quem fœtorem cryptis subterraneis includebant funera, & specubus subterraneis lapide structis, prout notat (*ad Solin. Polyhist. c. 55. p. 850.*) *Claud. Salmas.*

§. 84.

Odore quæcunque situm aut fracedinem contrahunt etiam vermes mox concipiun *Helmontii* statuto (*tr. imago fermenti impragn. sem. n. 13. p. 92.*), ubi tamen notandum, non omnem putredinem animatam, quæ post mortem circa Cadaver hæret, post mortem demum animam recepisse, cum in corpore vivo adhuc genita post mortem domicilium, ob causas *supra* (*l. 2. Tit. 4. §. 32.*) relatas, mutare sæpius cogatur. Tales fuere illi vermes in phtisico demortuo, qui ex ore ejus prodibant, adeò ut ferali arcæ concreditum cadaver scateret iisdem, cunctis stupentibus. Hos è pulmonibus corruptis vel vesicula singulari cui in vivo homine inclusi erant, prodiisse divinabat *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Hist. 46. p. 73.*). De Struma & abscessu pediculis referto *Petr. Forest.* (*l. 8. obs. Med. 15 p. 245.*)

§. 85.

Quod si â vivente corpore ad mortuum transeamus, sunt, qui vermes hujusmodi vivo congenitos & naturales statuunt. Sanguis nobilissimus vitæ thesaurus, Nectar Animæ, spirituum sacellum, secundum naturam quibusdam videtur verminare. Res huc usque inaudita & certe stupenda est, scribit *Petr. Borellus* (*Cent. 3. obs. Med. phys. 4. p. 198.*), naturæque lusus vel providentiæ ejusdem admirandum argumentum. Ceti seu Balenimorpha animalia in sanguine humano, tanquam in rubro oceano natant, & quemadmodum Muscilionibus Elephantorum proboscides DEUS concessit, sic istis Syphones retrò capita ad sanguinem eructandum, tanquam balenis non denegavit, cucurbitæ semen, seu myrti folium æmulantur, venis etiam scatent, ita dispositis, ut nervos foliorum referant. Observasse se in sanguine Ranarum magnum numerum vivorum animalculorum literis prodidiit *Anton. ab Leeuwenhœck* (*p. 1. Anat. s. intern. rer. contempl. p. 68.*), cui nec displicebat credere, quamlibet particulam sanguinis arenulam æquantis 50. animalcula in se continere. Observavit etiam *sagacissimus Prosector. Theod. Kerkring.* (*Spicil.*

cil. obs. 93. p. 178.): Epar hominis & reliqua parenchymata scatere animalculis minutissimis, quæ an perpetuo motu ea corrumpant an conservent? (utpote pravum sanguinem hauriendo, quæ *Borelli* conjectura,) censet dubium videri posse ei, qui considerat domum, dum incolitur, nitere & splendescere, eadem tamen atteri continuâ inhabitantium cura. Allegata hæc etiam *alibi* (*Oolog. General. Diss. 2. §. 139. p. 167.*) leges.

§. 86.

In semine virili etiam animalculorum s. vermiculorum stupendum agmen, secundum Naturam se observasse Lectoribus suis persuadere totis insudat viribus *memoratus Anton. à Leewenhoeck.* Vidit eadem in Testiculis Ranarum (*c. l. p. 63.*), in lactibus Aselli, piscis (*p. 65.*), in lactibus percarum, Cyprinorum, Truttarum, Tincarum (*p. 2. p. 24.*) in Cane (*p. 149. & 160.*), in semine Viri, ubi etiam ex defectu horum in semine animalculorum dominum quendam veteranum sive emeritum militem in militia Veneris esse conclusum (*p. 163.*). Ab his animalculis eorumque multitudine seminis albedinem deduxit. (*p. 151.*) Animalia ista, etsi duntaxat anguillarum habent figuram, attamen corpora in permutatione suæ cuticulæ tam densa sive brevia contrahi possunt, ut rotundam quoque concipiant figuram (*p. 5.*), prout in diversis fieri videmus vermibus, (*p. 162.*) ut anguiculas deprehendit in testiculo è vivo glire exemto (*p. 25.*), quoad originem & generationem eorum dubius est, dum (*p. 26.*) quærit, an animo nostro concipiemus horum animalculorum semen jam procreatum esse in ipsa generatione, hocque semen tamdiu in testiculis hominum hærere usque dum ad annum ætatis decimum quartum, vel decimum quintum, aut sextum pervenerit eademque animalia tum demum vita donari, vel in justam staturam excrevisse, illoque temporis articulo generandi maturitatem adesse. Sed concludit, hæc lampada aliis trado. Vidit interim quædam justam staturam non habentia, vitaque nondum prædita, quædam etiam inter illa magnitudine sua eminebant. Non omnia etiam vivere simul, sed quæ exitui s. partui viciniora animadvertit (*part. 1. p. 64.*). Numerus eorum autem visus ipsi innumerus & exiguitas indicibilis. In Gallo Gallinaceo unius arenulæ magnitudinem capiente plusquam quinquaginta millia animalcula viva fuisse memorat, quæ vehementissima agitatione commovebantur, multisque in locis tam tàm spisse & densè conglomerabantur, ut opacum aliquod efficeret, sed paulò post ab agmine condensato se rursus segregabant. (*p. 5.*) In Masculo canis semine tàm exilia, ut judicaret decem centena millia eorundem non complere magnitudinem unius arenæ crassæ. (*p. 2. p. 153. 160. & 165.*) Et hinc animalcula

in lactibus aselli majoris plus decies superare homines in terrarum orbe vi-ventes computavit (*p. 1. p. 11.*) ad Ranæ & aselli majoris ovulum à masculo emitti fortè 10000. talium animalculorum credidit (*p. 164.*)

§. 87.

Omnes igitur erraſſe dicit & adhuc dum errare, qui dicunt, homines animalia ex ovo prognaſci. (*part. 2. p. 152.*) ovaria vocat (*p. 154.*) imaginaria & efficta, eaque duntaxat eſſe organa, ſive inſtrumenta quædam exonerationi quarundam particularum ibidem collocatarum inſervientia. (*p. 174.*) Supponit igitur & aſſumit pro rato, ſi nullum ex ſemine maſculo animalculum (eorum ſc. animalium, quæ ova pariunt,) contingat, locum ſeu ſedem, ſive punctum illud vitelli ovi, (quod ſolum animalculum excipiendi & primum alimentum in legitimum tempus præbendi, aut à principio ad id tempus donec vitello alligatum annexumque ſit, in ſtatu, ut foveatur ovum continendi ponit idoneum,) ovum fore ſterile: & quod hac de cauſa tot millia animalculorum in maſculo ſemine animalium vel piſcium, quorum ſexus fœmineus ova parit, requiratur ad quodvis ovum aut granum ejus, quo uni ex multis animaculis punctum illud vitelli ovi contingendi poteſtas fiat. In aliquis animalibus non oviparis animalcula illa in utero fluctuant & hærent, quod in utero cains vidit (*p. 153.*) & diutius in Tuba ſive Matrice poſſe vivere animo præſumit (*p. 150.*) ac noſtras mulieres non præciſſe eò tempore & die, quo cum viro rem habuerunt fœcundas ſive gravidas fieri, ſed easdem poſt octo aut decem imò plures quoque dies, poſtquam coiverunt, gravidas poſſe fieri, poſt aliquot coitus dies ex multis ſaltem animalculis unum iſtud punctulum, animalculum fovendo aptum attingat. Concludit hinc Gallo ſemel tantum ineunde Gallinam multa fœcundari ova: ea de cauſa, quod multi vitelli futuris ovis deſtinati ovarioque annexi ſinguli ſingula animalcula ex ſemine maſculino acceperint, quæ animalcula ovo incubato mox pulli figuram aſſumere, ſed inordinate, in quantum oculis apparet, creſcunt, ut credamus, primum omnium nos videre cor generari (*p. 1. p. 65.*). Hæc animalcula ex tanto numerum partium conſtare, quanto ejusmodi homines ſibi fingere poſſunt, numeroſas corporis noſtri partes eſſe compoſitas. (*p. 2. p. 7.*) Si unum aut plura animalcula generis maſculini ex ſemine maſculo ſe in matrice collocent, ac ibidem enutriantur exinde maſculæ prodeunt creaturæ. Et rurſus ſi animalcula generis fœminini ex ſemine maſculo ſe in matrice collocent ac ibidem enutriantur exinde fœmineas prodire creaturas neceſſe eſt, (*p. 163. ſq.*). In Matrice ovilla, quæ ante tres dies cum ariete coiviſſet, exile reperit

reperit corpus magnitudinis ad instar arenæ crassæ, quod exilem admodum esse agnellum capite atque dorso incurvatum jacentem tuitus est. (*p. 173.*) De matrice ovis, quæ ante septendecim dies cum ariete coiverat aliam observationem (*p. 164.*) recensuit, & concludit ex solo masculino semine fructum prodire, fœminam vero instar naturæ agri fructum tantum fovere, alere, atque augere. (*p. 1. p. 66.*)

§. 88.

Quæ de vermibus sangvini inquilinis adduxit, alibi (*Ool. gener. Differt. 2. §. 218. p. 231.*), ut suspecta in foro Physico & Medico exulare volui, cum in minimis Microscopiorum fides vacillet. Artificia Dioptrica visum decipiunt, ut *Gvilh. Harveus*, (*Ant. curand. per expect. c. 23. p. 145.*) & quamvis exquisita haud faciunt satis, *teste optimo Microscopiorum Artifice & Censore Philipp. Bonanno* (*Micrograph. c. 3. p. 16.*), qui idcirco in observationibus faciendis unicum non sufficere, sed diversa requiri judiciose svasit. (*c. l. p. 20.*) Quæ de vermiculis in Ranarum sanguine prodidit *Leewenhoeck*, corrigit (*p. 70.*), dum ex excrementis Ranarum verminosis casu in sangvinem ex intestino vulnerato delapsos suspicatur. Sal in superficie ubi sangvis perfrixit efflorescens, non vermes esse conjicit *Sim. Pauli* (*Cl. 3. Quadrip. Botan. p. 243.*) & sangvinem multo muco tenacissimo mixtum, verminosum glaucoma inspicientibus obtulisse *Dan. Wincler.* (*M. C. D. 1. Ann. VI. & VII. obs. 56. p. 88.*) confirmavit. Microscopiorum fides sublesta est *Idoin & Joh. Christ. Wolfiis* (*l. 2. obs. Chirurg. Med. 4. p. 184.*) cum ludibrium partium motu adhuc propter calorem gaudentium fuisse credendum potius sit. Usque adeò veritate sua micat illud *Petronii* (*in fragment. p. m. 209.*)

Fallunt nos oculi vagique sensus
Oppressa ratione mentiuntur.

§. 89.

Quæ de vermiculis in semine animalium protulit *Leewenhæck*, hactenus in Microscopiis exercitatissimos fugerunt oculos; Myssenbruchium si excipias, qui Microscopii ope semen humanum animalculis multorum generum, quod attendi velim, & inde ad generationem hominis nihil conferre concludi, repletum idque verissimum esse postea dixit *D. Voller. Th. Bartholino* (*Th. F. V. 5. Act. Hafn. obs. 7. p. 24.*) & *Hamium & Frider. Schrader.* (*Epist. de Microscop. p. 34.*) *Fr. Ign. Thirmaier.* (*l. 1. Consil. Med. c. 7. in schol.*) *Lœwe* (*tr. de variol. & morbill. c. 5. p. 59.*), cum contra ovorum, è quibus bruta, conspectus vel lippos non lateat, eaque oculo non armato conspici valeant, & demonstrari. An præjudicium

dicium occœcarit Lynceum, non dicam, an ſtrias & ſtamina aut aliud quiddam armatum confuderit oculum, nec mihi ſatis conſtat. Talia verò ſtamina in chylo, lacte & ſemine facile viſui ſe objiciunt, quod ſi moveri videntur à motu humorum inteſtino, in mortuo etiam ad aliquale tempus perennante oculos faſcinante continget. Quâ ratione autem numerum iniverit animalculorum, etiam mentis acrimonia vix poterit eruere:

Quem maris & terræ numeroque carentis arenæ
Menſorem cohibent Archytas.

(*Horat.l.1, Carm.od.28.*). Cur hominem ᾠοτόκον fecit σκωληκοτόκον, & ſi dantur hujusmodi animalcula oviparorum ova impraegnantia, cur hominum & brutorum ova explodendo non eandem methodum naturam ſervare in brutis & hominibus contendit? Demum cum impraegnando ovo aut utero unus ſufficiat vermiculus, cur tot mille, in quibus etiam idea animalis, peſſum eunt, dumque unum generatur lucemque videt, centena millia orcum ſubeunt & tenebras? Quæ deſunt *Oologia Specialis* (*Diſſ.3.*) ſuppeditabit.

§. 90.

Secundum naturam hominis & animalium humores addo & excrementa vermibus hoſpitium ſuggerere abſurdum, in conſtitutione autem præternaturali id obſervatum obſervationes evincunt. Naſcuntur quoque in ſanguine ipſo hominis animalia exeſura corpus, jam olim *Plinius* (*l.26. c.13.*) commentatus eſt. De ſangvine verminante obſervationem *illuſtris Th. Bartholin.* (*M.C.D.1. Ann.1.obſ.50.p.147. & Miſcell.de Morb. Bibl. n. 23. p.103.*) Vermem è vena brachii ſectâ extractum vidit *Joh. Renodæus* (*l.3. Pharmac. c.33.*) *Joh. Riolan.* (*l.2. Enchirid. Anat. Pathol. c.7.*) *Doct. Manche* (*ap. Nicol. Blegny Zodiac. Gallic. Ann.1. M. Maj. obſ.7.p.95.*), in factâ à ſe venæ ſectione in Brachio Cœmentarii ex vena aperta prodiiſſe vermem craſſum & longum, inſtar ferri ligulæ extremum armantis. *D. Caronius* (*ap. Eund. c.l. M. Aug. obſ.7. p.129.*) eduxit è mulieris brachio unum tres digitos transverſos longum, ad proportionem longitudinis craſſum *D. de la Garoſſy* (*ap. Eund. c.l. M. Decembr. obſ.7.p.184.*) pleuritico è vena brachii dextri baſilica vermem lampetræ forma, craſſitie tubuli pennæ ſcriptoriæ, longitudine ſex vel ſeptem digitorum transverſorum. In vena emulgente ſiniſtra *teſte Joh. Rhodio* (*Cent.3. obſ.61. p.153.*) reperit vermem *Joh. Prævotius*; in ramis iliacis *laudatus Rhodius.* (*c.l. obſ.62. p.154.*), in vena malleoli *Zacut. Luſitan.* (*l.3. Prax. adm. obſ.99. p.119.*). Vermem inſignem & duos transverſos digitos longum in cavæ trunco deſcendente non longè à renibus emulgentibus Patavii in frequentiſſimo theatro demonſtravit

Andr.

Andr. Spigelius (*l.5. de fabr. corp. hum. c. 13. p. 184.*). De ſangvine febricitantium verminoſo *Athan. Kircherus* (*l. 10. Art. magn. Luc. & umbr. p. 2. c. 8. §. 5. l. 12. M. S. ſ. 1. c. 10. p. 372. & Scrutin. Peſt. ſ. 2. c. 4. p. 240.*). Idem ſe expertum ſcribit *Petr. è Caſtro* (*de Febr. malign. ſ. 1. aph. 15. p. 13.*). Menſtrui loco ſine ullo dolore egeſſit vermes fœmina, *Dominic. Panarol.* (*Pentec. 4. obſ. 12.*) *memorat.* Menſtruum verminoſum, (*obſ. Med. 15. p. 13. in App. M. C. D. 2. An. 5.*) *D. Chriſt. Fr. Paulini* recenſuit. Ranunculas cum menſtruo excretas prodidit *Iſibord. ab Amelunxen* (*Breviar. rer. memor. n. 64. Vid. M. C. D. 2. Ann. 4. Append. p. 216.*). Puerperium verminoſum, (*ex Progr. D. Auguſt. Faſch.*) *recitat Paulinius noſter* (*de mort. verminoſ. §. 37. p. 75.*)

§. 91.

Nec aliis noſtri corporis humoribus defuiſſe vermes, obſervationes loqvuntur. Lac nutricum febricitantium verminoſum propinat *Petr. à Caſtro* (*c. l.*). E mammis cum lacte vermis ſerpentiformis 4. digitos longus, craſſitie mediocris Bombycis (*Vid. T. 2. Ephemer. Carioſ. p. 1. Ephem. 20. p. 232.*). *Add. Paulin.* (*c. l. §. 31. p. 64 & §. 443. p. 85.*). Lac acidum vermibus ſcatet, *Athanaſ. Kircheri* (*l. 12. M. S. ſ. 1. c. 10. p. 372.*) *teſtimonio.* Id verò à muſcis eſſe nemo ignorat, ideò caſei vermium patria. Lacrymas verminoſas in anu lippiente *Jacob. Auguſtin. Hünerwolff. noſter* (*M. C. D. 2. Ann. 5. obſ. 20. p. 32.*) vidit. Aliud Exemplum habet (*c. l. §. 38. p. 76.*) *Paulinus.* De Saliva verminoſa ne dubites, certiorem te reddet *idem*, quando ſputi verminoſi (*ibid. & Iſibord. ab Amelunxen c. l. n. 14. p. 195.*) mentionem fecit, Exemplisque rem illuſtrat. *Conf. M. C.* (*D. 1. A. 9. & 10. obſ. 130. p. 305.*), in ipſo fellis folliculo vermes reperit, (*ap. Guilh. Fabric. Hildan. Cent. 1. obſ. 54. p. 45.*) *Galen. Wierus. Proſper. Martian.* (*Notat. in Hipp. p. 518.*). In ductibus bilem ad ſuam veſiculam vehentibus. In bove, *Joh. Faber.* (*Not. in Recch. p. 610.*) *Frid. Ruyſch.* (*obſ. anat. 18. p. 75.*). In homine Belgicè *botten* vocant. De vermibus ſemini virili ſecundum Naturam implantatis, ut fœcundetur, *modo* (*§. 86.*) *è Leewenhœckio dictum*, videas tamen & illud contra naturam verminare in Gonorrheâ virulenta, *quod Petr. Borell.* (*obſ. Microſcop. 53. p. 19.*) advertit. Quendam Athenis cum multo ſemine ejeciſſe beſtiolam aſperam multis diebus celeriter ambulantem *Plutarch.* (*l. 8. Sympoſ. probl. 9. p. m 362.*) autor eſt.

§. 92.

Vermes cum urina emictos de ſe *Hier. Cardan.* (*Comment. in ſ. 4. Aph. Hipp. 76.*) primus, quod ſciam, prodidit, eoſque albos, breves, tenuiſſimos, qui nec pediculi dimidium æquarent, & diu viverent, *inquit Henric. Martinius*

Anat. urin. Galeno-Spagyr. c. 10. p. 221.). Aſcaridibus ſimiles vivos & numeroſos in urina calculoſi, qui unius horæ ſpatio 50. calculos egeſſerat, hoc anno (1706.) tuitus ſum. De urina verminoſa *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hiſt. 89. p. 144.*) evolvendus. Inſecta in hâc nigricantia, forma Scorpionis magnitudine minima (*ap. Eund. Cent. 4. hiſt. 72. p. 378.*) deprehendit *Chriſtoph. Tinctorius.* Cognovit Briſtoliæ pauperculæ mulieris filium duodecennem *Edmund de Meara* (*hiſt. med. rar. p. 132.*), qui ſemel in menſe & aliquando ſæpius poſt duorum aut trium dierum Dyſuriam multos Lumbricos per virgæ canalem ſolebat excernere. Quidam duos eminxit vermes; alius unum; duos vermiculos cum calculis & arenulis Hiſpanus. (*Jacob. Holler. l. 1. de morb. int. c. 50. p. 536.*). Dum calculum expectabant Lumbricum longitudine dodrantem ferè excedentem excrevit quidam, alius in fontibus *Schwalbacenſibus* vermiculos 30. his, qui in Caſeo, ſimiles (*Joh. Matth. obſ. med. caſ. 3. p. 130.*). Mille pedum forma quidam (*Phil. Salmuth. Cent. 1. obſ. 49. p. 32.*). Animal parvæ viperæ inſtar (*Nicol. Blegny Zod. Gall. Ann. 1. M. April. obſ. 2. p. 72.*). *Plura Marcell. Donat.* (*l. 4. Hiſt. Med. mir. c. 24. p. 486.*) *Joh. Schenck.* (*l. 3. obſ. Med. p. 500.*) *Felix Plater.* (*tr. 3. Med. Pr. l. 2. c. 3. p. 964.*) *Henric. ab Heer* (*Spadacren c. 9.*) *Nicol. Tulp.* (*l. 2. obſ. med. c. 50. p. 184. & c. 51. p. 185.*) *Joh. Rhodius* (*Cent. 3. obſ. 35. p. 36.*) *Gerh. Joh. Voſſius* (*l. 4. Idolol. c. 67. p. 1524.*) *Phil. Jac. Sachſ* (*M. C. D. 1. A. 1. obſ. 50. p. 149.*) *Georg. Franc. à Franckenau* (*M. C. D. 3. A. 4. obſ. 2. p. 4. & 5.*). Piſciculum vivum cum urina excretum, *Chriſt. Franc. Paulin.* (*obſ. med. ſelect. p. 35.*); Excrementa alvi vermibus ſcatere, obſervarunt multi, ſed de his (*§. 106.*) infra.

§. 93.

Dan. Sennert. inſignis Medicinæ Doctor, cum in omnibus ferè corporis partibus materia reperiri poſſit, è qua vermes generantur, in omnibus partibus vermes prognaſci poſſe non dubitat, (*l. 2. Inſtit. Med. p. 2. c. 9. p. 232.*). *Add. J. C. Claudin.* (*Reſponſ. Med. 4. p. 240.*). An in capite vel potius intra caput & in ipſo Cerebro generentur, diſquirit *Idem Sennert.* (*l. 4. de Febr. c. 14. p. 549.*) & contra *Volcher. Coiterum* affirmat. Contrarium etiam ſuſtinuit *Joh. Sophron. à Kozack.* (*de Sale c. 2. ſ. 8. p. 74.*) & aliunde protrudi ex inteſtinis proprie ſic dictis vel ex venis meſeraicis, vel in ipſo Hepate radicatis, credat, cui pepo pro Cerebro eſt, aliquando vermes in Cerebro non localem habent generationem, ſed per aures irrepunt, quod aliquot hiſtoriis roborat *Theophil. Bonet* (*l. 1. Med. Pract. ſ. 1. obſ. 119. p. 73.*); ſed vermes intra Cerebrum excluſi, *Avicennæ* non gnoti (*l. 3. Canon. fen. 1. tr. 2.*). In Cerebro repertos *Ant. Benivenius* (*l. de Abd.*

Abd.

Abd. Morb. Cauſ. obſ. 100.) Petr. Foreſt. (l. 9. obſ. Med. 3.). Cornel. Gemma (l. 2. Coſmocrit. c. 4.). Th. à Vega (Comm. ſup. Galen. l. 1. de Loc. Aff. c. 5.). Balth. Conradin. (de Febr. Malign. c. 11.). Franciſc. Hildesheim (Spicileg de Morb. Capit. ſ. Cerebr. Intern. p. 45.). Dan. Sennert. (c. l. add. l. 1. Med. Pract. p. 1. c. 18. p. 133.). Guilh. Fabr. Hildan. (Cent. 1. obſ. 16. p. 24.). Guerner. Rolfinck. (l. 1. Diſſ. Anatom. c. 13. p. 178.). Joh. Ferdinand. Hertod. (M. C. D. 1. A. 2. obſ. 147. p. 231.). Phil. Jacob Sachſ. (è M.S. Scholzianis Schol. in h. l.). Guido Patin. (ap. Thom. Bartholin. Exerc. de Angin. pueror. Epidem. 3. & Cent. 1. Hiſt. Anat. 64. p. 113.). Stephan. Blancard. (Cent. 2. obſ. 45. p. 262.). Chriſt. Franc. Paulin. (Cynogr. ſ. 4. c. 8. §. 2. p. 183.). Theoph. Bonet. (c. l. obſ. 116. p. 71.). De Vermibus in Cerebro Cervi Caſp. Bauhin. (de Lap. Bezoar. c. 7. p. 37. ſq.) ſed & hos obſervaſſe Ariſtotelem (l. 2. Hiſt. Animal. c. 15.) evolventi patebit. Hos aliquando per nares projectos viderunt *Jacob. Holler. (l. 1. de Morb. Int. c. 54. p. 561.). Petr. Foreſt. (l. 21. obſ. med. 28.). Joh. Fernel. (l. 5. Pathol. c. 7. p. 275.). Hercul. Saxon. (l. 1. Med. Pract. c. 2.). Guilh. Fabr. Hild. (c. l.). Zacut. Luſitan. (l. 1. Prax. admir. obſ. 6.). Nicol. Tulp. (l. 4. obſ. med. c. 11. p. 315.). Conrad. Victor. Schneid. (de Oſſ. Cribriſ. p. 440.). Bernh. Verzaſcha. (Cent. obſ. med. 6. p. 6.). Petr. Borell. (Cent. 2. obſ. & Cent. 4. in Epilog.). Bartholom. de Moor. (l. 2. Cogit. de Inſtaur. Med. p. 132.). Theod. Kenckring. (Spicil. obſ. Anat. 43. p. 97.). Joël Langelott. (ap. Thom. Bartholin. Cent. 2. Epiſt. 74. p. 641). Nicol. Blegny (Zodiac. Gall. A. 1. M. Apr. obſ. 3. p. 73.)* Varias mirandasque aliquando obtinuerunt figuras, v. g. Salamandræ, de qua *Felix Platerus (tr. 3. Prax. Med. l. 2. c. 13. p. 964.).* De verme admirando per nares egreſſo commentariolum *Fulvius Angelicus Cæſenatenſis* Ravennæ una cum Vincentii Alfaravii libello luci expoſuit publicæ. Mortuis aliquando exeunt: Notabile ſequens, quod communicat *Th. Bartholin. (Diſſ. de Med. Poët. p. 24.)*: Nobilis quidam Danus in Templo Hageſtedano ſepultus dolore capitis confectus fuerat à verme longo, qui ex naribus mortui prodiit & tumbæ ferali ſua pyxide incluſus ſervatur in tumulo.

§. 94.

Sed nec vermes ab oculorum orbiculis exulant. Exemplum affert *Amat. Luſitan. (Cent. 7. c. 63.)*: Cuidam nobili de Capellen, qui Patrem ſuum (horrendum dictu) verberibus impetiverat, in morbo ex oculis vermes ſerpere viſi, quod ad ultionem divinam retulit *Reiner. Solenander (ſ. 5. Conſil. 15. p. 488.)* In oculis Bufonum vermes invenit *J. B. Helmont. (tr. Tum. Peſt. p. 884.) add. Paulin. Noſtrum (ſ. 1. de Bufon. c. 3. §. 5. p. 26.)*; in angulis oculorum *Gilb. Anglicus (l. 3. Compend. Med. ap. Joh. Schenck. l. 1, obſ. med. pag. 165.)*; in palpebris *Simon*

mon Scholzius (*M. C. D. 1. Ann. 2. obs. 24. p. 43.*). Deprehensi etiam in Auribus *à Celso* (*l. 6. c. 7.*). *Petr. Foresto* (*l. 12. obs. 8. p. 66. & l. 21. obs. 26. p. 349.*). *Valesco de Taranta* (*l. 4. Philon. cap. 30.*). *Arnoldo de VillaNova* (*l. 3. c. 32.*). De insigni vermium alborum, quales è cadaveribus equorum nascuntur, in aure sinistra inventis, *Wilhelm. Davisson. Adumbrat.* (*Comment. in Med. Severin. p. 597.*). De Narium vermibus, jam (*præcedenti* §.) actum. In Ozæna narium vermes prodiisse fidem fecit *Th. Bartholin.* (*V. 5. Act. Hafn. obs. 31. p. 83.*)

§. 95.

In & sub lingua natos, observationes promunt. Linguam *Nestorii* à vermibus erosam, propalat *Evagrius* (*l. 1. Hist. Eccles. c. 7.*). *De Diocletiano Eutychius Alexandrinus* (*p. 406. ap. Sam. Bochard. l. 4. Hierozoic. c. 26. col. 620.*), ita verminavit corpus ejus, ut vermes ex ipsius carne in terram caderent & lingua quoque cum faucibus decidit & mortuus est. Aliud exemplum suggerit *Hieron. Montuus* (*l. 4. Anasceuv. Morb. c. 19.*). De Vermibus intra linguæ venam stabulantibus *M. C.* (*D. 1. A. 8. obs. 100. p. 187.*). De Vermibus sub lingua canis rabie detenti *ex Aliis honorandus noster Paulinius* (*c. l. c. 11. §. 4. p. 216.*). At canem rabie percitum cognosces sic, *scripsit Phæmon.* (*Cynoph. s. de Cura Canum c. 8. p. m. 5.*) in inferiore parte nodis, qua lingua tenacibus hæret, accrescit lues vermiformis nervo candido non absimilis. γίνεται δὲ εἶδος εἰς ἐκτύπωμα σκώληκος. Nec veros vermes agnoscit *Gratius* (*Cynæget. v. 385.*) dum cecinit:

Namque subit nodis, qua Lingua tenacius hæret,
(Vermiculum dixere) mala atque incondita pestis.

Add. *Andr. Rivin.* (*in Phæmon. c. l. p. 19. & 35.*). Vermiculum s. lyttam vocavit (*l. 29. c. 5.*) *Plinius*, quo exemto rabidos non fieri vulgò sentiunt. Junge *Levin. Lemn.* (*l. 3. de Occult. Nat. Mir. c. 5. p. 304. sq.*). Inde de stultis & rixosis nostri: *Der Kerl hat einen Wurm. Der Wurm ist ihm noch nicht genommen. Man muß ihm den Wurm nehmen oder schneiden.* Gulæ adnatas glandulas majusculas vermibus refertas in cane conspexit *Th. Consentin.* (*Progymn. Phys. 6. p. 261.*) & in medio gulæ Lumbricum vivum animadvertit *Ol. Borrichius* (*ap. Th. Bartholin. L. 3. Epist. 93. p. 420.*), in tumore in amygdalis *Idem* (*Cent. 2. Hist. Anat. 23. p. 209.*)

§. 96.

In dentibus an generentur, dubitavit *Fel. Platerus* (*l. 3. Med. prax. c. 13. p. 963.*) & qui historias tales condiderunt, fortè fibris dentium, (mallem gingivarum,) deceptos conjicit, quæ uti in majorum ossium cavitatibus, sic & in dentibus confractis inveniuntur, & alii nervos, alii vermes esse crediderunt: Nisi

fortè,

fortè, *subjicit*, in excavatis & putridis dentibus hoc accidat. Hoc verò est, quod volunt Medici observationum Eclogarii. Habent tales historias *Alex. Bened.* (*l. 6. de Cogn. & Cur. Morb. c. 13.*). *Rembert. Dodonæus* (*ad Anton. Beniven. de Abd. Morb. Caus. c. 10. Schol.*). *Petr. Forest.* (*l. 14. obs. Med. 7. p. 109.*). *Phil. Salmuth.* (*Cent. 3. obs. 32. p. 125.*). *Goth. Mœbius* (*Fund. Med. Physiol. c. 10. §. 12.*). *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Hist. Anat. 96. b. p. 191.*). *Oliger. Jacobæus* (*ap. Eund. Vol. 5. Act. Hafn. obs. 108. p 281.*). Cur in vivis verminent ossa & dentes, non in cadaveribus, Vid. *Francisc. Ranchin.* (*de Morb. Pueror. s. 2. c. 7. p. 325.*).

§. 97.

Hospitantur & in media corporis regione pudenda illa insectorum examina, utut privilegio certo gaudere partes vitales asserat *Joh. Albert. Urbanus, Medicus Parmensis* (*ap. J. C. Claudin. Respons. Med. 40. p. 246.*), cui assentitur *Fel. Platerus* (*c. l. p. 965.*). In pestilente constitutione advertit circa pericardium *Petr. à Castro* (*de Pest. Roman. & Genuens. p. 71.*). Morsus cordis & puncturæ acerbissimæ, quæ solent in febre pestilenti observari, plerumque provenire à verme pernicioso vel pericardio, vel ipsis ventriculis (Cordis) inhærente, *Idem* (*c. l. p. 137.*) expertus *scribit*. Quin & cordis vermem in ore sæpius habet vulgus. *Inde dicunt: Der Hertzwurm naget, beisset mich, beseicht s. v. mir das Hertze, daß mir übel wird.* Dicitur, quod aliquando vermis ad cor graditur, & continuò, cum mordet, interficit, scripsit *Petr. de Abano s. Aponus* (*addit. ad Mes. de Ægritud. Corp. partic. 2. s. l. summ. 4. c. 1. f. 219. a.*). Vermis unus putatur, & si talem evomant febricitantes, aut aliæ ægritudine detenti, malum signum arbitrantur & extrema minari, exclamantque: *Er hat den Hertzwurm weggebrochen*, vermemque vitæ vel corporis viventis nuncupant, *teste P. Foresto* (*l. 2. obs. Med. 6. p. 28.*). Audiamus *Fel. Platerum* (*c. l. p. 965.*): sub corde illiusque involucro, sic vermes generari, illicque latere & punctione aliqua molestiam exhibere, aliqui prodiderunt, sed locum aliter non exprimunt, falsi fortè, quod cum, si lumbrici ad orificium ventriculi usque adscendant, & statim sub corde illud occurrat, & proin cor dicatur, illudque vellicent, eos sub corde consistere existimarunt. Neque enim alibi, vel in ipso pericardio minusque sub eo, cum septo connatum sit generari aut subsistere possent. Hæc *Platerus*. Scilicet idiotismo suo indulget vulgus, ut huic Cardialgia morbus ventriculi cordis; Ita Cordis vermis ventriculi vermis nomine designatur. Et sanè accidentia ista lympha nauseabunda, subsequens vomitus, capitis dolor, & vertigo aliquando, de ventriculo affecto indicium exhibent, & vermes, vomitu rejecti, quos quidem videri mihi contigit, Lumbrici teretes fuerunt.

§. 98.

Alio penicillo vultuque cordis vermem depinxit *Anton. Beniven.* (*de Abdit. Morb. Cauſ. c. 2. p. 131. edit. Dodon.*), dum ſcribit: Vomitu concitato expulſa eſt craſſior pituita, & cum ea vermis longitudinis digitorum quatuor ſatis plenior, capite rubro, levi, rotundoque, quo piſi magnitudinem non excederet, cætero corpore lanugine quadam contecto, cauda furcata ad ſimilitudinem novæ Lunæ pedibus nixus quatuor, duobus in dexteriorem, totidem in ſiniſteriorem partem cooptatis. Admiratus vermis, formam Medicis eruditioribus oſtendo. Nullum invenio, qui monſtrum ſimile ſe vidiſſe unquam fateretur. Aderat tamen ſenior quidam, ſed Medicæ Artis imperitus, qui teſtatus, ſimilem ſe vidiſſe vermem, vomitu quoque propulſum ab Alexandro quodam cœnobita: qui ſtatim, ut ille ajebat, projecto eo mortuus eſt. (Vocitabat autem hoc monſtrum, mortis vermem. Sed iterum minus curatè, cum vomitus eum, aut ventriculi aut inteſtinorum incolam declaret.

§. 99.

Sepoſitis imaginariis ſpuriisque ad veros vermes Cardiacos tranſeo, etiam veteribus non ignotos. Ad Phtiſin cordis Raphani ſuccum commendavit *Plinius* (*l. 19. c. 5.*). Phitiriaſin pro phtiſi legit *Ol. Borrichius* (*l. 1. Hermet. Ægypt. c. 5. §. 4. p. 143.*), & vermes in cordis ſinubus hærentes intelligit, hujusque remedii veritatem *Wolfg. Gabelchoveri* (*Cent. 3. obſ. med. 1.*) experientia firmat. Vermes Pericardii in lucem protruſit *Joh. Riolan.* (*l. 2. Enchirid. Anat. Pathol. c. 4.*). *Richard. Lower.* (*de Corde c. 2. p. 101.*). *Paul à Sorbait* (*de Peſt. Viennenſ. qu. 13.*). De Cardiacis, quæ recenſuit & citavit *Joh. Schenck.* (*l. 2. obſ. med. p. 272.*) vide. Adde huic *Zacut. Luſitan.* (*l. 1. Prax. admir. obſ. 139. p. 37.*) ex antiquis etiam obſervavit *Joh. Meſues*, (*c. de Tremore Cordis*). In cordis ventriculis peſtifera febre correptorum, *Vidus Vidius* (*l. 7. de Cur. Morb. c. 1.*). *Jul. Cæſ. Baricellus* (*Hortul. Genial. p. m. 303.*). In ſepto cordis minutos offendit *Guerner. Rolfinck.* (*de Corde c. 7. p. 45.*). *Th. Conſentin.* (*Progymn. Phyſ. 6. p. 260.*). *Godofr. Mœbius* (*fund. med. Phyſiol. c. 12. p. 283.*). *Philipp. Jac. Sachſ.* (*Ocean. Macromicroc. §. 39. p. 38.*). *Joh. Dan. Horſt.* (*p. 1. Manud. ad Med. c. 1. ſ. 2. §. 3. p. m. 43.*). Obſervavit in Corde vermem alatum *Georg. Hieron. Velſchius* (*Chil. Exot. Curat. & obſ. n. 398. p. 101.*). Intra venas genitos in dextram Cordis auriculam confluentes cor eroſiſſe, è *Joh. Riolano* (*c. l. c. 17.*) patet. Vermes lumbricis ſimiles cordis vaſa in puella exediſſe, *Th. Cornel. Conſentin.* (*Progymn. Phyſ. p. 261.*) retulit.

§. 100.

§. 100.

Pulmonum cuniculati anfractus verminosæ progeniei etiam auscultare coguntur. Vidit, & notavit id ipsum *Zoar.* (*l.1. tr.2. c.3.*) *Anton. Beniven.* (*c.l. obs.77. p.m.278.*) *Th. â Veiga* (*l.1. de Loc. Aff. c.5.*) *Hieron. Brassavol.* (*in 4. Aph. Hipp. 49.*) Plura *Joh. Schenck.* (*c.l.p.229.*). Tussi è pulmone excretus Bombyci majusculo similis, sed ruber *Isbr. â Diemerbrœck* (*l. 2. Anat. c.13. p.44.*) *testis est.* De vermibus â Pleuritico tussi rejectis *Vit. Riedlin.* (*Lin. Med. A. 96. M. April. obs.29. p.201.*). De vermibus è vulnerato Thorace erumpentibus insignis est *ap. Nicol. Blegny* (*Zodiac. Gall. Ann.1. Mens. Jun. obs.1. p.111.*) observatio. In Extremis suillorum pulmonum fibris teretes vermiculos in cincinni modum intortos sæpe vidit *Th. Corn. Consentin.* (*c.l.*)

§.101.

An etiam in ventriculo vermium erit patria? Quæstionem elegantem & perdifficilem vocat *Ulyss. Aldrovandus* (*l.2. de Insect. c. 2. p.264.*), & negativam amplectitur (*p.265.*). Rationes, quas allegat Aliorum, mucidi vini vappam nominat. (*p.265.*) Fecerat id etiam ante *Aristoteles*, eò quod in ventriculo alimenti fit coctio, de quo *Th. Erastus* (*Disp. de Putred. p.86.*), *add. Petr. Forestum* (*l.18. obs. med.19. p.161.*) *Rembertum Dodoneum* (*in not. ad Beniv. de Abd. Morb. Caus. c.2. p.131.*) *Hieron. Gabucinum Fanensem & Hippolit. Brillum,* qui *teste Marcello Donato* (*l.4. hist. mir. med. c.26. p.483.*). De hac re integros edidere libros, communiter in ventriculo non generari Lumbricos, quod si illud accidat aliquando, rarum esse, & in ventriculo admodum intemperato & impuro atque â Natura quasi derelicto accidere, *Aldrovandus* (*c.l.*) conclusit, & *Franc. Ranchinus* (*tr. de Morb. Pueror. s. 2. c.6. p.327.*). Si diutius in Stomacho persisterent per modum cibi conficerentur, ratiocinatur *Helmont.* (*tr. sext. digest. alim. hum. n.82. p.180.*). Prolixus etiam in hac controversia *Simon. Simonius.* (*de Putred. Contr. Th. Erast. comm.708. p.285.*), frequens id esse, *Alex. Trallian.* (*l.7. c.9.*) autumat. Digestio omnis talis mutationis (materiæ in vermes) hostis est; sed hac abolita omnium noxiorum humorum imminet procreatio, judicat *Joh. Sophron. Kozack.* (*tr. de Sale. c.2. s.8. p.75.*) Ex intestinis ad ventriculum ascendere, *Galen.* (*in S.3. aph. 26.*) dictitat. *Zacut. Lusitan.* (*l.2. Med. Princ. hist. 68. obs. 11. p.304.*). Contrarium cum Aliis sustinent *Marcellus Donatus* (*c. l.*). Non quidem inficior, per vomitum non raro rejici animalcula, quorum sedes natalis in intestinorum spiris, eaque aut fame (*Conf. Levin. Lemnium l.1. de Occult. Nat. mirac. c.22. p.1331. & Joh. Fernel. l.6. Pathol.*

thol. c. 10. p. 308.), aut lacticiniorum mellitorum & aliorum dulcium, v. g. Decocto siliquæ, quo de supra (*l. 1. Tit. 5. §. 38.*) allici, aut etiam venenatis aut nauseabundis ex intestinorum canalibus sursum ad ventriculi cavitatem propelli. Ita de rotundis Lumbricis *Galen.* (*in s. 3. Aph. Hipp. 26. p. 909.*) Succinit *G. Serenus Sammonicus* (*de remed. c. 29. v. 5.*)

Quod Genus (*Lumbricorum*) *assiduo laniat præcordia morsu*
Sæpe etiam scandens oppletis faucibus hæret,
Obsessaque vias vitæ concludit anhelæ.

Ita & quos mutus iste *apud Joh. Ulric. Rumlerum* (*obs. à Velsch. edit. 79. p. 45.*) per supremum guttur exploserat, huc spectant.

§. 102.

Verum cum præter Lumbricos teretes intestinis familiares singulares & non raro portentosos vermes rejecerint alii, aut etiam in ventriculo repererint, illos ibidem prognatos indubium est. In Peste Viennensi vermes in ventriculo reperti, quod Novellæ nunciarunt, quos succus citri interemit, quod *Sorbaitum* præteriisse miror, qui in principio multos vermes è corporibus prodiisse saltem (*de Pest. Viennens. qu. 49.*) narrat, quod etiam in alia se notasse *Domin. Panaroll.* (*Pentecost. 5. obs. 53. p. 149.*) asseverat. De vermium lanuginosorum vomitu excussorum copia *Th. Bartolin.* (*Vol. 5. Act. Hafn. Obs. 34. p. 218. add. obs. 21. p. 83.*). De fœmina *Exc. Joh. Lud. Hanneman.* (*ap. Eund. Volum. 3. obs. 11. p. 21.*) *Marc. Anton. Alaym.* (*Consult. de Ulc. Syriac. p. 59.*). Quin & Raanas, Gyrimos, Bufones, Serpentes, Lacertos, & alia vermium monstra notarunt *Joh. Schenck.* (*l. 3. obs. med. p. 337.*) *Phil. Salmuth.* (*Cent. 2. obs. med. 40. p. 77.* (*Cent. 2. hist. anat. 23. p. 209.*). Vermes habentes aculeos pungentes orificium stomachi syncopis & mortis caussas communicat *Mesues*, (*de Ægritud. Corp. s. 4. c. 1. f. 219. a.*) *J. C. Scaliger.* (*Comm. in l. 5. hist. animal. Arist.*) se observasse vermem serpentiformem in Ventriculo genitum, tradidit. Insectum singulare suppeditat *Petr. Borell.* (*l. 2. obs. 79. p. 173.*) *Theod. Kerckring.* (*c. A. obs. 6. p. 19.*) *Dan. Hartnacc.* (*l. 9. Admirand. Phys. c. 3. §. 7. p. 651.*). Ranas projici ipsus vidi. De pisce evomito *Petr. Borell.* (*cent. 1. obs. 9. p. 13.*) *Frater Th. Bartholini M. Albertus Bartholinus* ipsi narravit de fele quadam, quæ in prædio arcis Fridericiburgensis suos fœtus evomit summa astantium admiratione, qui sancte affirmarunt, felem nihil devorasse, nec alia via rejecisse. (*Cent. 3. Epist. med. 8. p. 37. Cent. 5. hist. Anat. 98. p. 151. & de Insol. part. viis c. 9. p. 59.*). Gemellam *Collega quondam & amicus suavissimus Dn. D. Valent. Andr. Mollenbroccius M. C.* (*D. 1. Ann. 1. obs. 109. p. 251.*) inseruit. De Catello

lo ex *Henrici Meibomii p.3. Chronic. Brunſvic. p. 548.*) addidit *nunquam ſatis laudandus Phoſphorus* (*c.l.p.253.*). De cani marino non abſimili animali *Matthias Tillingius Collega Noſter* (*ſ. 2. de Tub. Uter.* §. *7. p. 90.*). Inter miracula meritò reponenda fœtus humani ex ore & ventriculo nativitas, *à Phil. Salmutho* (*Cent.3. obſ.94. p.156.*) communicata. Quod ſi hoc, cur non & ignobilioris proſapiæ animalia à cibis, præprimis putrefactis, provenire poterunt? quod *Th. Bartholin.* de bobus illuſtrat, (*Cent. 2. hiſt. 32. p.225. & l.4. hiſt.76. p.387.*). Debentur his forſan etiam vermes in ventriculis equinis, de quibus *Frederic. Ruyſch.* (*obſ. anat.3.p.48.*). *Joh. Conrad. Peier.* (*Exerc. Anat. & Med. 28. p.152.*). Diabolum aliquando technas ſuas hic miſcere, *J. B. Helmont.* (*tr. de Inject. Mater. n. 6. p.476.*). Bruxellæ vidi anno 1599. quod bos ſumtis tribus herbis evomerit Draconem cauda anguillari, corpore coreaceo, capite ſerpentino perdice non minorem. Vidimus referunt *Wolfii* (*c. l.*) in cane ante aliquot annos myriades vermiculorum, Aſcaridum formâ in proprio & anguſto folliculo incluſos inter tunicas ventriculi. Rectè autem de ſano non ægro ſtomacho *Ariſtotelem* explicat *Mich. Savonarola* (*tr. 6. Pract. c.16.f.214.*) & *Conciliator.* (*Vid. Greg. Horſt. Concil. diff. 101. p.140.*)

§. 103.

Hepati etiam ſunt proprii vermes, quod aſſumunt *Kozack.* (*c.l.*), *Marcell. Malpigh.* (*de Epat. c.3.p.256.*), quamvis rariores. Imprimis in brutis frequentius obſervati. Boves, vaccæ, & oves in peſte Delphenſi cum aperirentur, in illorum pulmonibus, hepate ac viſceribus internis vivi piſciculi, ſimilitudinem habentes cum ſoleis aut paſſerculis, (qui vulgò *Schollen* vel *Botten* dicuntur,) minutiſſimi tamen, inventi ſunt, ut ipſi ſpectavimus, prodidit *Petr. Foreſt.* (*l. 6. obſ.med.10. in Schol. p.167.*). *Bot* in ovibus hydropiſin & tumores ſtrumoſos *Lev. Lemnius* (*l.3. de occult. Nat. mirac. c.7. p.326.*) interpretatus eſt. Epar leporinum veſiculis magnitudine lentis undiquaque refertum, quæ apertæ vermiculos convolutos jam integrè efformatos, oculis exhibebant, obſervavit *Daniel Stolcius.* (*Vid. Sebaſt. Stromaier. Epiſt. ap. Gregor. Horſt. Epiſt. Med. ſ.18. p.591.*) De hirundinibus ſ. ſangviſugis in bobus & ovibus *Aug. Hauptmann.* (*de Therm. Wolckenſtein. c. 8. p.201.*). Plura eaque egregia de hac verminatione *Dn. D. Joh. Chriſt. Fromman. Noſter* (*M. C. D. 2. A. 7. obſ.188.189.p.249.ſq.*) *Conf. & Franciſc. Gliſſon.* (*Anat. Hepat. c.7. p.81.*). Si Sideriti glabra paſcantur, id contingere, *Ephemerid. Erudit.* (*T.4. n. 6. p. 60. ſq.*) memorant. Ita *Freder. Ruyſch.* (*obſ. anat. 9. p 54.*) murem diſſecans in Hepatis cavo veſiculam pendulam reperit, quâ apertâ ob oculos venit vermis ſatis gracilis ſpithami longitu-

dinem superans. Vermes in ipsa Hepatis Aselli majoris substantia repertas delineari fecit *Idem* (*obs. anat. Chirurg. 64. p. 84.*). De vermibus in bile ejusque ductibus *supra* (*§. 91.*) quædam tradita. Vermes è ductu cystico & poro bilari ovis itidem *laudandus Ruyschius* (*c. l.*) meminit. Nexus portæ cum poro bilario in ovibus agnisque magnâ sæpenumero multitudine vermium replentur, qua ratione à ductibus sanguineis distingvi apertissimè possunt, commonefacit iterum *Th. Cornel. Consentin.* (*c. l. p. 258.*), & ex Eo *Marc. Malpigh.* (*de Hepat. c. 2. p. 255.*), ut ideo vacillare illud Helmontianum (*tr. sext. digest. alim. human. n. 82. p. 258.*) Quo fermentum fellis non attingit, ibi Lumbricorum est patria, in mensa Solis positum noscas.

§. 104.

Lienis animalcula rariora, nec observationem de his me legisse memini, nisi quod *Th. Cornel. Consentin.* (*c. l.*) se eosdem vermes, quos in Hepate se modo invenisse dixerat, interdum etiam in Liene deprehendisse mentionem faciat. In Pancreate vermem non parvum invenit *Cæcil. Folius* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 1. Epist. 62. p. 263.*). In venis Mesenterii eosdem radicari voluit (*c. l.*) *Kozack.* & à prægnante vomitu rejectum vermem in Mesenterio vitio alimentorum natum & ab utero tumido sursum protrusum, infeliciter suspicabatur *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. hist. anat. 14. p. 34.*). In Mesenterio equino ejusque arteriis ter quaterque oculis conspexit *Fred. Ruysch.* (*obs. 6. p. 51.*). Vermes vesiculares in Caprearum omentis (*M. C. D. 2. A. 4. obs. 73. p. 152.*). Lumbricum renalem depinxit *Gerb. Blasius* (*obs. anat. in Hom. p. 125. 139.*). Egit etiam de his *J. C. Claudin.* (*c. l. p. 240.*) *Aloys. Mundella* (*Dial. 4.*). In Renibus *Ernesti Archiduc. Austr. Pro-Reg. Belg.* vivus vermis lustratus (*Janson. T. 2. Mercur. Belg. ad Ann. 1595.*). Canibus hoc malum familiare, observationibus patescit *ap. Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Epist. 2. p. 5.*) *Isbrand à Diemerbroek* (*l. 1. Anat. c. 17. p. 153.*) *Carol. Rayger.* (*M. C. D. 1. A. 6. obs. 215. p. 315. add. D. 2. A. 4. obs. 69. p. 146. & obs. 182. p. 286.*) *G. W. Wedel. ap. Th. Bartholin. V. 3. A. H. obs. 58. p. 96.*) *Th. Kerckring.* (*Spicileg. obs. Anat. 79. p. 153.*), qui etiam alicujus meminit, qui simul totum ureterem occupabat, (*obs. 59. p. 121.*) *Steph. Blancard.* (*p. 1. Med. Pract. c. 62. p. 424.*) & *Collect. Med. Phys. Cent. 7. obs. 57. p. 82.*) *D. Bonel.* (*ap. Nicol. Blegny. Zod. Med. Gall. M. Jun. obs. 2. p. 98.*) *D. Landovilette* (*ap. Eund. c. l. M. August. obs. 14. p. 134.*). In Renibus Lupi Serpentes, *Joh. Clamorgan.* (*l. de Lup. venat. c. 1. f. 44.*) *Joh. Bauhin.* (*de Lup. Rab. p. 77.*) *Carol. Stephan.* (*l. 7. Agricult. c. 1.*) *Casp. Bauhin.* (*l. 1. Theatr. Anat. c. 17.*) *Plura Christ. Franc. Paulini* (*Lycograph. s. 1. c. 3. §. 7. p. 43.*). Non probandum igitur

Para-

Paracelsicum (*l.2. Paragr.* §. 2. *p.* 454.) *In Renibus mag kein Wurm werden, propter Urinam.*

§. 105.

Et si illud *Paracelsi* decretum valeret, nec vesica vermium esset cubile, ut ut id etiam fidem difficilius mereatur *O. Borrichio.* (*ap. Th. Bartholin. V. 5. Act. Hafn. obs.* 70.), ob luci inquietudinem, experientiam tamen experitur adversam. De urina verminosa (*modo* §. 90.) actum, nec de Vesicæ Vermibus apud Curiosos Medicos desunt observationes. Has evolventibus suggerunt *Rembert. Dodoneus* (*in Beniven. de abd. morb. caus. c.* 77. *p.* 222.) *Felix Platerus* (*c. l. p.* 968.) *Th. Rheines.* (*Epist. ad Nester.* 50. *p.* 94. & 52. *p.* 97.). De tubulis vermiformibus ejectis *Edmund. de Meara.* (*hist. Med. p.* 128.) *Conf. Balthas. Tim. à Güldenklee* (*l.* 3. *Cas. Medic.* 39. *p.* 175.). Quotidianum vermium mictum suppeditat *Nicol. Tulpius* (*l.* 2. *obs. med. c.* 51. *p.* 185.), alium, (*c. l. c.* 50. *p.* 184.) vermis cruenti, (*c.* 49. *p.* 183.) vermiculorum crinitorum atro-virescentium, *Frid. Lossius* (*l.* 3. *obs. med.* 58. *p.* 310.). Vermen nonnihil alatum in viro quodam nobili vidit *Gottofred. Mœbius* (*c. l. c.* 17. *p.* 442.). Muscam *Zacut.* (*l.* 2. *Pr. adm. obs.* 110. *p.* 69.). Circa fundum vesicæ urinariæ tumorem quendam & hoc aperto lumbricos minores numero septem deprehendit *Benjam. Bened. Petermann.* (*D.* 1. *obs.* 7. *p.* 11.). Puellus septem annorum per penem exclusit vermem hirsutum longum, septem aut octo digitos transversos. Ita *D. Manche* (*ap. Nicol. Blegny Ann.* 1. *Zod. Gall. M. Julio. obs.* 8. *p.* 122.). Angvem pater cucullatus, ut *ex relatione Pisauri in Ducatu Hetruriæ edita recensuit*, & angvis iconem addidit *citatus Blegny* (*c. l. Mens. April. obs.* 2. *p.* 71. *sq. Vid. & infra* §. 140.

§. 106.

Nec intestinorum vermes, quos à similitudine Lumbricos vocant, quempiam latere possunt, cum vel simplicissimis de istis constet. Delirat *Paracelsus* (*l.* 2. *Paragr.* §. 1. *p.* 433.) dum *inquit: Nequaquam in intestinis nascuntur vermes, sondern die Würmer steigen durch Stomachum ad intestina: Dann in intestinis ist nicht matrix vermium.* Corrigit tamen se (§. 2. *p.* 454.) & solos lumbricos in illis existimat, in ano autem Ascarides. Tæniæ mentionem neglexit, aut forsan eandem ignoravit, observationes minus necessariæ cum in trivio prostent. *Helmont.* (*tr. sextupl. dig. alim. hum. n.* 82. *p.* 180.) Paracelso contrarius, quo fermentum bilis non pertingit, ibi Lumbricorum patriam statuit. Fiunt, *addit*, ex alimento semidigesto, quod dum ad loca sua delatum est, tanquam lac tepidum pelle incrustatur palpitatque ac sensim vita donatur. Longitudo tamen eorum, inprimis Tæniarum, non rarò nos in admirationem rapit.

Præter exempla *ab Adriano Spigelio* (*l. de Lumbric. lat. c. 5. p. 9. & illustri Georg. Hieron. Veschio. de ven. Medinens. c. 4. p. 130. sq.*) recensita paucula addo. Quendam 12. cubitorum excrevit Bulimia laborans, *ap. Alexandr. Tullian.* (*l. 7. c. 4.*) *Plinius* (*l. 11. c. 33.*), tricenum pedum pluriumve longitudinem mensuravit. Procul dubio recentiores multos mendosè legisse trecenum, hoc est, tricentenum, pro tricenum i. e. triginta, monstrumque hunc vermem dixisse suspicatur *Andr. Spigelius* (*c. l. p. 11.*). Quinque ulnarum oculis usurpavit *Sebast. Stromaier.* (*ap. Gregor. Horst. c. l. p. 500.*), duodecim cubitorum *Casp. Schwenckfeld.* (*l. 6. Theriotroph. Siles. p. 543.*). Quadraginta pedes plus minusve longos, ut intestina simul omnia se profundere patientes crederent. Retulit prætereà *Guilh. Fabr. Hildanus.* (*c. 2. obs. Chirurg. 72. p. 147.*), fœminam Lausanensem per intervalla aliquot talis vermis particulas excrevisse, quæ si conjunctæ essent, longitudinem ulnarum viginti Lausanensium facilè excedere posse. Continet autem una ulna Lausanensis spithamas circiter sex. *Add. Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. med. 45. p. 29. & Cent. 3. obs. 19. p. 120.*) *Franc. Joël.* (*T. 3. op. Med. l. 4. s. 3. n. 8. p. 182.*), ubi in margine lumbricum sex ulnarum adjecit. *Christianus, Dux Brunsvicensis*, ante mortem quatuor ulnarum longitudine, duorum digitorum latitudine vermem emisit, *testimonio Everh. Wassenbergii* (*p. 2. Flor. German. p. 101.*). Tæniam instar membranæ latæ palmos viginti quinque longam observavit *Zacutus* (*l. 2. hist. Med. Princ. 11. p. 303.*). In cane macie confecto Tæniam à duodeno ad coli medietatem pertingentem olim juvenis conspexi. Fuere, qui Tæniam non inter animalia numerarunt, effato Hippocratis moti (l. de morbis), qui illam ἐκοῖον περὶ ἐντέρου ξύσμα λευκόν, circa intestinum ramentum album pronunciavit, eundemque secuti *Aëtius & Ægineta.* Verum cum gustet, quia nutritur, & sentiat moveaturque sanè animal erit, nisi forte velis referri ad genus illud, quod affixum petris & ζωόφυτον *Aristoteles* nuncupat: Plant-animalia Barbari, quando etiam *Albertus M.* (*l. 21. de animal. c. 9. f. 172. b.*) videtur affirmare, his duobus tantum sensibus esse præditum *Lælius Bisciola* (*l. 20. hor. subs. c. 1. col. 1502. sq.*) profitetur. Plura huc spectantia *Adrian. Spigelius* (*l. de Lumbric. lat. c. 7. p. 19.*). Lumbricum gentium nonnullis natura inesse percipitur, ubi Filicis radicem ad lumbricum latum expellendum laudasset *Theophrastus Eresius* (*l. 9. de plant. histor. c. 22.*) memorat. Habent enim omni ex parte Ægyptii, Arabes, Armenii, Syri, Cilices, è diverso Thracibus & Phrygibus nullo pacto enasci enarrant. Inter Græcos Thebanis, scilicet versari in Gymnasiis solitis. Et ad summam Bœotiis innasci Lumbricum novimus: Athenienſibus nullo pacto. Singularis est *Adrian. Spigelii* (*l. 8.*

(*l. 8. de fabr. corp. human. c. 9. p. 249.*) De Lumbrico rotundo in inteſtino cœco obſervatio. Ranam habentem in ſuis inteſtinis vermes ſimiles infantum Lumbricis aperuit *Antonius à Leewenhöck* (*Anatom. Rer. p. 1. pag. 67.*), qui & offendit Ranas, in quarum ſtercore ex inteſtinis extracto incomprehenſibilis numerus vivorum animalculorum diverſæ magnitudinis & figuræ extabat (*p. 69.*)

§. 107.

Per uterum prodigioſa animalia etiam exire docuit eventus, *Franc. Ranchin.* (*tr. de morb. puer or. ſ. 2. c. 6. p. 326. & 332.*). Retulit id dudum *Hippocrates* (*l. 2. de morb. mulier.*), quos tamen in inteſtinis fieri *Galenus* (*l. 1. de Loc. aff.*) maluit. In utero procreari & inde prodire confirmant *Lud. Mercatus* (*l. 2. de Affect. Mulier. c. 28.*) *Simon. Simonius* (*c. l. p. 387.*) *Gabriel Hummelberg.* (*in not. ad l. Apulei de med. Herb. c. 1. p. 28.*) Mundella (Dial. 4.) *Hieron. Mercurial.* (*l. 4. de morb. Mulier. c. 12.*) *Petr. Foreſt.* (*l. 21. obſ. med. 37. p. 362.*). Vermem ex utero prodiiſſe uteri ſtrangulationis ferociſſimam cauſam, *Zacutus* (*l. 3. Prax. Hiſtor. c. 16. obſ. 1. p. 505.*) *commemorat.* In Vetula ſeptuagenariâ, ſalaciori quondam *Meſſalinæ*, non abſimili *D. Nicol. Guilhelm. Beckers* (*M. C. D. 1. Ann. 8. obſ. 75. p. 121.*) *Dn. D. Vito Riedlino* mulier ſanctè affirmavit, ſæpius ex ejus utero prodire vermes longitudine dimidiam ulnam ſuperantes, imò niſi rumperentur, ſe credere multò longiores eſſe (*Cent. obſ. med. 11. p. 27.*). De Aſcaridibus (*M. C. D. 1. A. 10. obſ. 7. p. 44.*) *Dn. L. Benjamin. Scharff. Eliſabeth Tomboy, obſtetrix Hagienſis* è mulieris cujusdam, poſtquam pepererat, utero vivum quendam vermem ultra ulnæ quadrantem longum vidiſſe prodeuntem, qui ſe circa funiculum infantis umbilicalem convolverat. Retulit eadem ſe paulò poſt præſentibus mulieribus ſecundum, ſed minorem monſtraſſe in ipſa placenta locatum: cumque eadem puerpera de dolore ventris per aliquot dies continuato conqueſta fuiſſet, remedio quodam contra vermes uſa magnam cum lochiis vermiculorum exerevit quantitatem. Hæc *Cornel. Stalpart von der Wiel* (*Cent. poſt. obſ. 29. p. 311.*), qui in Scholio plura de uteri vermibus teſtimonia citat. Vermem è locellis fœminæ Erucæ ſimilem prodiiſſe, *Reines Solenander* (*ſ. 5. Conſil. Med. 14. p. 488.*). *Elben* vocant hujusmodi creaturas, & impuro cum Dæmone concubitui Lamiarum harum ortum transſcribunt. *Vid. Auguſt. Carpzov.* (*p. 1. Prax. Criminal. quæſt. 5. n. 66. ſentent. 20. ſq.*)

§. 108.

In Exterioribus partibus quis non turpia beſtiolarum oculis uſurpavit agmina?

Et quis non paveat Pherecidis fata Tragœdi?
Qui nimio sudore fluens animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt.
Sic est Phtiriasis species fœdissima morbi,
Quæ fuit exitio multis: Heu morte pudendâ.
Sylla quoque infelix tali langvore peresus
Corruit & fœdo se vidit ab agmine vinci.

Qvint. Serenus (*de re Med. c.5.*). De Pherecide etiam *Ælianus* (*l.4. var. histor. c.28.*). Epistola ad Thaletem scripta inter alia id exprimit (*ap. Diogen. Laërt. l.1. de Vit. Phil. in Pherecyd. p.m.86.*) dum scribit: Morbus me invaserat, qvum tuas accepi literas, pediculis operiebar & febri quatiebar totus. A Diis id mali retulisse dicebatur Deliis, quod nulli Deo rem sacram faceret jactitando nihilo injucundius neque tristius vitam ageret, quam qui hecatombas sacrificarent (*Ælianus c.l.*). *De Sylla & Alcmano Plinius* (*l.11. c.33.*) Syllæ calamitatis causam violati supplicis vindicem Deum pronunciat *Pausanias* (*in Attic. s. l.1. c.20. p.48.*), Quod *Aristionem*, qui in *Minervæ* Templum confugerat, vi extractum interfici jussisset. *Add. Rob. Keuchen.* (*in not. ad Sammonic. p.106 sq.*) De *Platone Diog. Laërtius* (*l.3. de vit. Philos. p. m.167.*) Jobum hoc malo laborasse è *Tertull. Balthas. Schuppius* (*tr. der gedultige Hiob p. 165.*) tradidit. Eodem malo & Herodem correptum, quidam asserunt, sed verò vermes fuisse, *Sam. Bochart.* (*part. post Hierozoic. l.4. c.18. col.584.*) probat. De *Maximiniano Imperatore Eusebius* (*l. 8. Hist. Eccles. c.18.*). De *Juliano Apostata Sozomen.* (*c.8.*). De *Hunnerico Vandalorum Rege Cornel. à Lapide* (*Comment. in l. 2. Macchab. c.9. p.290.*) qui idem de *Joh. Calvino.* cui subscribit *Mich. Baldit.* (*Spec. Sacr. Med. Angul.4. p.139.*). Parentum ætate Rex quidam in Europa sic vitam finivit, scribit (ad *Joh. Beverovic. Epist.1. de Calcul. p. 62.*) *Cl. Salmasius.* Digitum forsan intendit in *Philippum II. Hisp. Regem* è cujus tamen ulceribus saltem vermes prodiisse narrat, eundemque cum *Jobo* confert *Eman. Metteran.* (*l. 29. Hist. Belg. p.1185.*). Phtiriasi etiam interiisse ferunt *Acestum Peliæ filium*, *Helladius* (*ap. Photium Bibl. p. 870.*) & *Epaphroditum, Alcmæonem, Callistonem, Olynthum, Mutium J. C.* (*Gregor. Tholozan. l.34. Art. Mirab. c.9. p.644.*), idem de *Plotino Cornel. Agrippa* (*l.3. c.2.*). Plura collegerunt *Amat. Lusitan.* (*Cent. 3. Curat. 58. p. m. 439. sq.*). *Marcell. Donat.* (*l.1. Hist. Med. Mirab. c.5. p.50.*). *Hieron. Mercurial.* (*l.5. Var. Lect. c.6. p.253.*). *Theod. Zwinger.* (*l.18. Theatr. Vit. Hum. col. 823.*). *Ulyss. Aldrovand.* (*l.5. de Insect. c.4. p.217.*). *Ezechiel s. Petrus à Castro* (*l.1. de Ign. Lambent. c.9.*). *Georg. Hieron. Velsch.* (*de Ven. Medinens. c.2. p.42.*). Ra-

ra eſt illa *Edmund. de Meara* (*c. l. p. 132.*) hiſtoria. Nobilis quidam Camber fluxu alvi nunc cruento, nunc ſanguinis experte, cum gravibus torminibus laboraverat, qui ſi aliquando ſiſteretur, quantumvis præparato corpore identidem recurrebat. Hic curatus pediculorum gregem in capite ſenſit, redeunte autem fluxu, pediculi amplius non viſi. Quidam poſt morbum Chronicum convaleſcens veſicis per totum corpus ſcatuit, quibus apertis parvi pediculi innumeri ab iis exire viſi ſunt, obſervat *P. Borell.* (*Cent. 1. obſ. 20. p. 26.*). In ſpecie in palpebris morantur, *Vid. Corn. Celſus* (*l. 6. c. 6. p. m. 346.*). In Barba, ſub axillis, in partibus pudendis, pectine, de Morpione cuti ad nato *Nicol. Tulpius* (*l. 4. obſ. Med. c. 17. p. 322.*)

§. 109.

Mumiale autem quoddam homini cum pediculis intercedere Symbolum, ſunt qui ſe perſpexiſſe gloriantur. Chymicos vidit *Petr. Borell.* (*Cent. 3. obſ. 50. p. 236.*), qui ſperma & ſanguinem humanum coctione in pediculos muſcasque convertebant. Pediculos generari ex carne hominis, *Hier. Hirnheim* (*de Typh. Gen. human. c. 9. n. 6. p. 102.*) ſequenti probavit relatione. Fuit quidam, qui artocreata & farcimina ex humanis carnibus conficere ſolebat, quæ cum aliquando paucis ſervata diebus, pediculis ſcatere deprehenderentur, autorem ſceleris prodiderunt. *Add. Theoph. Bonet.* (*l. 1. Anat. Pract. obſ. 115. p. 70.*). *Vit. Rietlin. Ann. 2. lin. med. Menſ. Sept. obſ. 27. p. 462.*). Egregia *apud. Petrum Foreſtum* (*l. 8. obſ. 15. in Schol. p. 245.*) proſtat obſervationum triga de ſtruma pediculis referta, de gibbo pediculorum foco & nido, pediculis tandem in dorſo ſub cute latentibus & calore admoto veſiculis erumpentibus inciſis in lucem protractis. In quadam dolore capitis putriginoſo mortua, diviſis capitis integumentis, ſub pericranio pediculorum myriades deprehenſæ: diſſecto verò cranio ejus meditullium iisdem ſcatens animadverſum, qui viam vi procul dubio perſuturas ſibi fecerunt, prodidit *Theophil. Bonet.* (*l. c. p. 69.*). Dicerem hos phtiriaſi internâ laboraſſe & abſcondita, ut de Cordis phtiriaſi è *Plinio* non ita pridem (§. 97.) Si quidem Borrichiana lectio approbationem merebitur, *Helmontii* Philoſophiam lege (*Tum. Peſt. p. 269.*)

§. 110.

De diritate hujus mali teſtabuntur milites, mendici & qui non? *Pharao Rex Ægypti* cum ſuis id ſenſit (*Exod. c. 8. v. 18.*). De pediculorum Pharaonis dictorum truculentia & virulentia in Judæa, evolvatur *Fr. à Troilo* (*Itiner. orient. p. 331.*). Recentiſſimum exemplum ſuppeditavit Anno 1673. exeunte hyeme, narrat iterum (*c. l.*) *Bonet.* Ex ſexcentis Equitibus, agmen Generoſiſſ. *Marchio-*

chionis de Lussinge Allobrogis castra maximi Regum (Gallorum) seqvuti componentibus vix decima pars superstes evasit; plerique non armis cecidere sed Dysenteria: Reduces vel pedum Gangræna confecit à diutina in paludoso solo mora, indesinentique ocrearum gestatione vel φθειρίασις: Adeo ingens pediculorum numerus corpus occupabat, ut paucis diebus fœde & miserè illi interirent: Ne ipsis thoracibus bubalinis (familiari Equitum vestimento pepercerunt, in quibus domicilium quæsiverunt crebrisque effossis cuniculis perterebrarunt & eroserunt. Morbi autem pedicularis speciatim caput invadentis nullus, quod sciam, meminit, *pergit Bonetus*, præter unum *Hartmannum*, *qui* (*Prax. Chymiatr. l. 2. c. 17. p. m. 24.*) de pediculis Cerebri agit: à se autem visos, aut ab alio non memorat. Exederunt sub crusta lactea in capite puellæ quatuor menses natæ non solum cutem & pericranium, sed & ipsam calvariam cum menyngibus ad cerebrum usque, ut idem *(c. l. §. 2. p. 70.)*

§. III.

Unde vero horum animalculorum numerus innumerus. Vulgò jactari solet, sed vulgò, scis, quali magistro *addidit* (*s. 4. Histor. Insect. General. p. 64.*) *Joh. Schwammerdamm.* Pediculum viginti horarum spatio abavi ac tritavi personam posse sustinere. Citò sanè & mirum in modum fœcunda prole luxuriant, & augentur, quoniam generatio pediculi ex lende seu ovo brevissimè procedit. Contrarium tamen experientiâ doctus censuit *Anton. ab Leewenhœck* (*Contin. Arcan. Nat. Epist. 98. p. 62.*) ab eo tempore, quo ovum est partum, antequam ex eo prodeat pediculus & is eò progrediatur, ut ipse iterum ova pariat, quatuor quidem requiri dierum hebdomadas. Et paulò post *(p. 68.)*: Cum videamus pediculum bis trium dierum spatio plura quinquaginta ovis parere posse, ac tum plura etiam quam quinquaginta intra corpus habere, non est, quod miremur ex uno pediculo tot alios posse oriri. Qvumque ab alia parte videamus pediculorum ova octo quidem requirere dies, antequam ex iis novi pediculi prodeant, potius credendum est, ovum recens partum tribus quidem indigere hebdomatibus, antequam ex eo oriatur pediculus aptus ad genus suum propagandum, quam cum vulgò dicendum, pediculos intra paucos dies multorum posse esse abavos (*p. 69.*) Faciamus, discurrit (*p. 77.*) aliquem corpori suo adhærentes habere binos mares totidemque pediculorum fœmellas, easque intra duodecim dies ducenta parere ova ac sex diebus post ex illis ovis prodiisse centum mares, totidemque fœmellas, quæ post alios octodecim dies plerique ovis ponendis sunt idonei, atque etiam singulos ex illis fœmellis duodecim dierum spatio iterum centum parere ova, ex quibus post aliud sex dierum

rum spatium iterum recentes prodeant pediculi; quod si ita ponamus, numerus pediculorum ex duabus illis fœmellis ortorum ad decem millia ascendet; atq; ita patebit duas fœmellas intra octo hebdomadas posse videre decem millia pediculorum ex se ortorum, quid, nisi experientia doctus, *addit Leewenhœck*, non facilè alias credidissem, & quid si eorum generatio tempore caloris æstivi duplo quidem celerius peragatur? Facilè percipimus, *concludit*, egenum quendam, cujus corpus centum pediculorum fœmellis est obsitum, quique vestes ac lintea non aliquando mutare potest, ac præterea pediculorum occidendorum præ pigritia curam non gerit, aliquot mensibus à pediculis, ut ajunt, posse devorari.

§. 112.

Favent bestiolarum harum productioni, ut vulgo credunt, certa climata, aërisque & Aquæ dispositio. De Hungariæ Regno *Tobias Coberus* (*Dec. 1. obs. med. Castrens. 9. p. 49.*). Frustra horum nebulonum (pediculorum) ictus effugeris: cum jure quasi municipali in castris gaudeant. Tantus enim tepor, mollities & crassities est aëris illius, ut si linteolum aquâ, stagnante præsertim lotum ad solem siccandum exposueris, totum vermibus syllanis scatere videris. Non est igitur, quod his assiduis futuris comitibus sociisque temet subtracturum speres? cum vel ex ipso corporis madore promtè progenerentur. Putabam quidem primo novis semper indusiis linteis hasce pestes eludi posse: quæ tamen re ipsa plures attraxisse, nedum profligasse, sum expertus. Repetit hæc. *Thom. Lansius* (*Orat. contr. Hungar. p. m. 566.*). De se ipso *Joh. Helwigius* (*obs. Phys. Med. 39. p. 143.*): Cum ego studii Medici gratia Patavii in Italia versarer, contigit, ut quoties nocturno tempore sub Lunæ lumine per Brentæ seu Medraci fluminis canalem navigio vehebar, capilli capitis pediculis parvis & lendibus sesamini seminis magnitudine copiose opplerentur, sed sub solis exorientis calore, aut fricatu lintei calidi statim evanescerent. Ita *Doctor Stubbes* observavit, antequam navigantes pervenissent ad Tropicum, omnes pediculis caruisse, cum ante nemo inter illos ambulare posset, nisi exceptis per vestimenta pediculis. In Indiis neminem quantumcunque sordidum alere pedicos, nisi in capite, ubi plurimi foventur: sed nunquam observavit vel sordidissimum eos habentem in indusiis vel vestibus. Et in reditu domum observabat eos demum multiplicari, simul ac pervenerant ad latitudinem Maderensem. Optarent tales se habere *Thom. Campanellæ* peculiarem diathesin, de qua (*l. 2. de Sens. Rer. c. 5. p. 57.*) memorat; se unum non producere pediculos, ac ipsi oppositos aut fugere, aut citò perire. Ita

cum per mare Liguſticum Marſilia Genuam verſus navigaret *Joh. Helwigius*, malo hac alias navigantibus non inconſveto non tentabatur, & cum ſociorum quidam tentaret illius humeros lacerna ſ. pallio contegere, pediculi ſub lacerna latentes mox prorepſerint & aufugerint (*c. l.*)

§. 113.

Sed de vituperio beſtiolarum illarum ſatis. In elegantiſſimi *Dan. Heinſii* orationes incido & quam (*Orat. 35. p. 590. ſq.*) de laude pediculorum ad conſcriptos Mendicorum patres concepit, luſtro elegantiſſimam, ejusque ſciagraphiam his *L. B.* depingo. Laudat hos â nomine & parte nobiliſſima, quæ eſt pes. A corporis parvâ, mirabili tamen, ſtructura. A patria, quæ eſt homo. Aſinus, quia obtuſum animal, ſolus pediculos non habere creditur, (rectè creditur, Aſini namque pediculum depinxit *Fr. Redi* (*de Inſect. Tab. XXI.*) A Loco, in capite & barba habitant. Antiquitas, cœpere dum homo cœpit. Materia è qua, ſanguis & caro. Corruptio dat formam, ut ſemen hominis corrumpitur, ut fiat homo. Actio; in domeſticis utilibus verſatur. Genus vivendi; placidum & tranquillum. Paſſu tardo incedit. Silentium amat Phythagoricum. Sociale animal eſt, ut homo. Amicitiam colit & in omni fortuna ſequitur hominem. A morituris diſcedunt, unde Arioli. Facta heroica; Heroës trucidarunt *Syllam*, *Arnulphum*, *Antiochos*, *Herodes*, *Maximinianos*, *Pheretimos*, *Honorios*, *Caſſandros*. Voluptate hominem afficiunt, Medici (Chirurgi) officio funguntur, in morte conſtantiam, licet innocentes perimantur, exerunt. Lenius igitur â Conſcriptis Medicorum Patribus eas tractari debere, perſuadere intendit *feſtiviſſimus Orator*. Ineffabiles in pediculo animadvertit perfectiones *Leeuwenhœck* (*c. l. p. 78.*)

§. 114.

Puero cuidam ex univerſo corporis ambitu innumeri vermes extrahendi inſtar pennularum anſerinarum ex cutis poris ſudoris loco quaſi prodierunt, *Conr. Redekker*. (*Deſcript. Font. Bilfeld. Exempl. 8. p. 71.*) annotatum reliquit. *Juxta Joh. Dolæum* (*l. 1. (Chir. rat. Encyclop. c. 2. p. 12.)*: in Tincâ capitis conſpiciuntur vermiculi per optimum Microſcopium inſtar tinearum, quæ animalcula producuntur ex minutiſſimis ovulis in capillis obſervatis, quæ pilos corrodant conſumuntque, prout Erucæ ſolent conſumere arborum fruticumq; folia. Spectant huc Cridones, aut rectius Crinones (*vid. G. H. Velſch. Exerc. de Verm. inſ, Capill. §. 1. p. 356.*), quia crines repræſentare videntur, inde vermes capillares *Fr. Joëli* (*l. 10. Prax. ſ. 3. §. 11. p. 44.*), & pilaris morbus *Herculi Saxonia* (*l. 10. Panth. Med. c. 41.*) audit. Vulgò, *Mit-Eſſer*, Comeſtores

res Latinis. Hos non vermes, ſed excrementa tertiæ concoctionis voluit *Joh. Theod. Schenck.* (*l. 1. Exerc. Anat. ſ. 2. c. 3 p. 213.*). Vermes tamen eſſe, *αὐτοψίᾳ*, imprimis ſi oculus Microſcopio armetur, evincit. Iconem dedit *Mich. Ettmüller.* (*Valetud. infant.*). Deſcripſit etiam (*Cent. 1. obſ. 80. p. 80.*) *Petr. Borellus*, Galliſque Maſclous vocari teſtatur. De Dorſi vermibus *Vit. Riethlin.* (*Lin. Med.*). De verme prope ſpinam dorſi extracto. *Joh. Pillas* (*M. C. Dec. A. 2. obſ. 109. p. 180.*). De vermibus capitis pericranium arrodentibus & inciſione extractis *Ido Wolfius* (*c. l. p. 183.*). De vermibus naſicolis *Borellus* (*c. l. & C. 3. obſ. 45. p. 231. ſq. & obſ. Microſcop. 31. p. 21.*). Stasfurti apud fontem ſoterium vermes monſtrati ſunt *Wolfiis* (*c. l. p. 185.*), articulum digiti amplius longi, nigricantes, piloſi ex brachio & manu pueri, ut ferebatur, excreti. In Paronychia ſeu Panaritio vermis dentibus digitum tentari vulgi ſententia eſt, ab omnibus ferè Medicis deriſa & exploſa, qui vermi acrimoniam bilioſam ſeroſamque ſubſtituunt, cum *Paulo Barbette* (*Chirurg. p. m. 154.*). Interim *Marcellus Cumanus* (*obſ. Med. 9. p. m. 39.*), ſe vermem extraxiſſe fatetur; quod *Paracelſi* ſententiæ conforme, qui reduviam paſſam dixit, & (*l. de ulcer. c. 17. p. 439.*) verum vivumque vermem profeſſus eſt, ab aliis Medicis ludibrio habitus, *Johannis* tamen *Agricolæ* (*Chirurg. parv. tr. 5. p. 554.*) *αὐτοψία* evincit, qui itidem è digito pueri, præſente *Zacch. Brendelio*, Chirurgum extraxiſſe vidit *einen braunen natürlichen Wurm, war rauch, ungefehr ſo groß, als ein kleiner Haſelwurm, doch war er nicht ſo rund, ſondern war breit wie eine Aſſel.*). *Vid. G. H. Velsch.* (*in not. ad Marcell. Cuman. & l. de vena Medin. c. 2. p. 53.*). Unde etiam *Noſtris, der Wurm, der Nagelwurm.* Hinc illi, qui vermem habent, non debent eſſe *wo eine Mühl iſt oder Waſſer, vel, viel Gethön* & quando pluit, *denn ie mehr es dönet*, vermis ſentit & audit & magis ſævit, *pergit Paracelſus* (*von offnen Schäden und Geſchwären. c. 13. p. 586.* qui tr. cum ſuperiori convenit.). Experimento id evincere nititur *Agricola* (*c. l. p. 560.*). Verum tamen vermem non eſſe, ſed ſaltem ita dici, quia humor acris & nitroſus, qui panaritium gignit quodam dolore digitum rodit, haud ſecus atque vermis quiſpiam ſubeſſet, judicat *Matthias Glandorp.* (*Meth. Med. Paronych. c. 6. p. 23.*), qui idcircò *Paracelſi* de verme opinionem anilem (*præf. ad L.*) nuncupat.

§. 115.

Vermibus in Mammillis aliquando, licet rarò officina & culina deſtinata. Binas hiſtorias communicat *Joh. Schenck.* (*l. 2. obſ. med. p. 399.*) *Paulinius* (*obſ. Med. Phyſ. 109. M. C. D. 2. A. 5. App. p. 65.*). Adde quæ ſupra de lacte verminante (§. 89.) prolata. De verme umbilicali Idem *Vir. Excell.* (*c. l. obſ.*

 94.

94.p.58.). Vermes ex umbilico prodeuntes annotant *Fel. Plater.(tr.3. Prax. Med.l.2.c.12.p.964.) P. Borell.(C.1.obs.40.p.44.) Phil. Salmuth.(c.2.obs. 61.p.87.) Andr. Spigel.(l.c.c.5.p.12.) & Boiret. (ap. Nic. de Blegny Ann.1. Zod. Gall.m. Jun.obs.3.p.98.)*. Inteſtinum duodenum perforaſſe, *Frid. Losſius.(l.3.obs.23.p.250.)*. Vermes ex ingvinibus habet idem *Boiret. (c.l.p.99.)* quas obſervationes collectaneis ſuis inſeruit *Steph. Blanckard. inſignis plagiarius (cent.1.obs.n.57.& 58.)*, non nominato, ex quo exſcripſit, autore. Recitat *idem*, *(Cent.4.n.15.p.498.)* vermem brachii longitudine eroſis muſculis abdominis & panniculo carnoſo circa umbilicum erupiſſe. Ex umbilici tumore tres vermes, *Bartholin. Cabrolio (obs. 19.)* teſte, egreſſi: ſub umbilico egreſſi, *(Henric. Smetius. l.10. Miſc. p.566.)*. De Lumbricis in ingvine erumpentibus alibi *(M.C.D.1.A.1.obs.145.p.321.). Dn. D. Henric. Vollgnad. (c.l. obs.46.p.322.) Joh. Lud. Hannemann.(D.2.A.3.obs.55.p.143.) Günth. Chriſtoph. Schelhammer.(A.5.obs.10.p.29.) Chriſt. Ludov. Gœckel. (ib. Ann.4.obs. 112.p.219.)*. Fœminæ Ruſticæ longi teretes palmares & longiores noveni per intervalla intra ilia & umbilicum dextrâ abdominis parte ſponte prorupere, *narrat Caſp. Schwenckfeld. (l.6. Theriotroph. Sileſ. p.543.)*

§. 116.

Abſceſſus non rarò vermium eſſe latibula, *Marc. Aurel. Severin. (l.3. de Abſceſſ.c.16.p.114.)* non diffitetur. Talismodi abſceſſus *Barth. Cabrol. (obs. 27. p.16.) meminit*, variæque abſceſſuum vermicondorum hiſtoriæ patent in curioſis miſcellaneis, *(v.g. D.2.A.5.obs.10.p.19.) & alibi*, quas modò excerpere otium non eſt. *Vid. Index in hæc generalis.* De tumoribus verminoſis *Petr. Poterius (Cent.1.cur.47.) & Franc. Mercur. Helmont. (Alphab. Nat. coll.5.)* Quod autem perforare poſſunt partes corporis, mirum non eſt, cum os & dentes habeant, *(Joh. Bapt. Condronch. l. de morb. vulgar. c.14.) & roſtra acutiſſima (Dominic. Panarol. Pentecoſt.5.obs.13.p.149.) & Th. Bartholin. (Cent.3. hiſt.14.p.36.)*. In ſerpiginibus, ſcabiebus aliisque morbis cutaneis Acoros, ſeu Cyrones depinxit *Auguſt. Hauptm. (de Therm. Wolckenſtein. c.8.p.200.)*, & plerisque ulceribus ac Emplaſtris impoſitis vermiculos Microſcopii ſubſidio animadvertit *P. Borell. (obs. Microſcop.47.p.27.)*. Ex ulcere pudendi vermium innumera multitudo *in Juliano Juliani Apoſtatæ patruo (Sozomen. l.5. Hiſt. Eccleſ.c.8.) in Luciani Pſeudomante* impoſtor Alexander obiit, ut *Podalirii filius* pede ad ingven usque putrefacto & vermibus ebulliens. Vermis ex venâ apertâ prodiit, legitur *ap. Nic. Blegny (Zodiac. Gall. A.1. M. Majo obs.7.p.95.)* In variolis & morbillis vermiculos viſui offert Microſcopium, ut *Preceptor Veneran-*

nerandus Dn. D. Christ. Lange. (*Diss. de morbill.* §. 55. *p. m.* 124.), *Amicus* etiam *Noster Christ. Fr. Paulini* (*M. C. D.* 1. *A.* 6. & 7. *obs.* 8. *p.* 8.), & *alibi passim in aliis opusculis.* Microscopio non armati deprehenderunt in his vermes, *Fr. Joël* (*T.* 5. *Prax. l.* 9. *n.* 2. *p.* 360.) *Zacut. Lusit.* (*l.* 3. *Prax. adm. obs.* 47. *p.* 107.) *Joh. Rhod.* (*Cent.* 3. *obs.* 64. *p.* 155.), qui addit *Horat. Augenium* (*Comment. in Galen. l.* 1. *Art. cur. ad Glaucon. inedito.*). Vermes duos & septuaginta è puellæ pustulis erumpentes notasse. Urinam post variolas verminantem *recensuit Ehrenfr. Hagedorn.* (*M. C. D.* 1. *A.* 3. *obs.* 28. *p.* 44.). De Lue Venerea verminosa *Exc. Christ. Francisc. Paulin.* (*s.* 4. *Cynogr. c.* 9. *p.* 192.). In Cancrosis ulceribus idem deprehendi posse, minimè dubitandum.

§. 117.

De Gangrænâ *Ath. Kircher.* (*l.* 9. *M. S. s.* 1. *c.* 3. *p.* 129.). Mirantur Medici, *inquit*, cur Gangræna tam difficilem curam admittat, cujus causam si scirent, forsan congruis remediis facilè tanto malo occurrere possent. Sunt enim vermiculi Arsenicali quadam vi imbuti, qui sub insensibili mole vicinas vivæ carnis partes rodere non cessant & rodendo carnes in tabum malignitate suâ convertunt. Ex recentioribus non pauci sunt, *scribit Joh. Muys*, qui Gangrænam nil aliud esse existimant, quam innumeros exiguos vermiculos & quidem venenatos, qui carnem dentibus mirum in modum dilacerent, & si ipsos interroges, quare Gangræna brevi temporis intervallo tàm longè proserpat, hoc minimè mirandum esse respondebunt, ob incredibilem multiplicationem harum bestiolarum, & si verum est, quod narrat, unus talis vermiculus chartæ candidæ impositus intra pauca horæ momenta producet quinquaginta alios. Bestiolas has venenatas esse ipsi confitentur, sed in quo consistit hoc venenum? procul dubio in humore acido corrosivo, qui vera Gangrænæ causa est, illique temperando gnaviter incumbendum. (*Podalir. Rediv. p.* 25. *sq.*). Quare & contagium è corpore mortuo in transitu istarum bestiarum in corpus vivum ex mente *Caroli Raygeri* migrare poterit, quod historia firmat *Paul. Spindler.* (*obs. med.* 54. *p.* 100.). Adde *laudati Raygeri Scholium* (*c. l. p.* 101.). Et hic putredo inchoata post animæ secessum augebitur. Habet & huc spectantia (*de mort. vermin.* §. 35. *p.* 71.) *Christ. Fr. Paulini.*

§. 118.

Dracunculos Ægyptiorum, Indorum & Arabum se vidisse, negat *Galenus ipse* (*l.* 6. *de Loc. aff. c.* 2.), audivit tamen multos, qui se vidisse dicerent. Testimonium *Agatarchidis recitat Plutarch.* (*l.* 8. *Sympos. probl.* 9. *p. m.* 362.). Mentionem horum fecit *Avicenna* (*l.* 4. *f.* 3. *Canon. tr.* 5. *c.* 21. & 22.) & *Paulus* (*l.* 4.

 c. 38.)

c. 38.). Vidit & descripsit *Amat. Lusitan.* (*Cent.* 7. *cur.* 64.) Venam Medinensem vocari pluribus & veterum inde deducta nomina ridicula expungit *Exc. G. Hieron. Velschius* (*de Ven. Medinens. c.* 1. *p.* 2. *& sq.*) *Passio Bovina Alzaravio* (*l.* 17. *Prax. tr.* 12.) dicta putatur, quam tamen cum vena Medina minimè confundendam censuit (*Laudatus Velschius* (*c. l. c.* 2. *p.* 46.). Vermem Theon Americanum à *Theveto* (*l.* 2. *Hist. Americ.*), cujus futilitatem tetigit *Idem.* (*c. l. p.* 53.). Est & vermis Atum à *Leonhard. Thurneissero* (*l.* 1. *de Plant. c.* 30. *f.* 123.) memoratus. De ortu Dracunculorum egerunt *Fortun. Licet.* (*l.* 3. *de Spontan. viv. ort. c.* 11.) *& Lazar. Meyssoner.* (*l. de morb. nov. c.* 5.). In urbe Persiæ Lar intra cutem & carnem vermes duarum ulnarum nasci incolis & peregrinis *J. J. Strauß.* (*l.* 3. *Itinerar. c.* 35. *p.* 196.) testis est, & ab aquâ verminosa ex Indiis reduci vermes duarum cum dimidia ulnarum & Alii dimidiæ ulnæ è pede prorumpere vidit *Joh. Bapt. Tavernier.* (*l.* 5. *Itiner. Persic. c.* 22. *p.* 182.). Vermes in plantis pedum prognatos recensuit *J. N. Binninger.* (*Cent.* 4. *obs. med.* 8. *p.* 384.)

§. 119.

Ut insectorum & vermium varietate luxuriat Megacosmus, ita &, magno quamvis suo detrimento, eidem cedere noluit Microcosmus. De Cimicibus in fœminæ Calvaria intra menynges natis αὐτόπτης *Cornel. Gemma* testatur (*l.* 2. *Cosmocrit. c.* 4.). Vermem instar Bombycis per nares rejectum, *M. C.* (*D.* 1. *A.* 2. *obs.* 147. *p.* 231.). Vermem instar Girculionis *P. Forest.* (*l.* 9. *obs. med.* 2. *p.* 255.). Bruchum siliquæ carneæ inclusum vomitu rejecit quidam *ap. Eundem* (*l.* 28. *med. obs.* 19. *p.* 161.). Erucas alius (*l.* 21. *obs. med.* 26. *p.* 349.). Vermis Erucæ similis è locellis fœminæ prodiit. (*Reiner. Solenander f.* 5. *Cons. Med.* 14. *p.* 488.) Vidit *apud Sebizium* ejusmodi Erucas *Velschius* (*Cent. obs. Med. Episagm.* 76. *p.* 50.). Erucam vomitu rejectam notavit *Phil. Jac. Schenfelder* (*l.* 1. *Hist. med.* 2. *p.* 6.). Ex auribus vermes undecim instar Erucarum prodierunt *Phil. Salmuth.* (*Cent.* 2. *obs.* 39. *p.* 76.) per alvum *Idem* (*c. l. obs.* 51. *p.* 82.). Musciliones evomuit quidam *P. Borell.* (*Cent.* 3. *obs.* 50. *p.* 236.), qui & de Muscis è sangvine & sudore hominis (*ib. p.* 236.) egit. Millepedes vomuit alius, *J. N. Binninger* (*Cent.* 4. *obs.* 3. *p.* 378.), minxit quidam *Phil. Salmuth.* (*Cent.* 1. *obs.* 49. *p.* 32.). *Olig. Jacobæus* (*ap. Th. Bartholin. Vol.* 5. *Act. Hafn. obs.* 105. *p.* 276.), cum crepitu per alvum ejecit non nemo, *Joh. Sophron. Kozack* (*l.* 2. *de Hæmorrhag. c.* 6. *p.* 491.) *Philoxenus* dixit, se aliquando reperisse in Atheromatum tumore animalia culicibus & parvis muscis similia, *retulit Fr. Peccet.* (*l.* 1. *Chirurg. c.* 25. *p.* 127.). De Musca per urinam ejecta, *Zacut. Lusitan.* (*l.* 2. *Prax. adm. obs.* 110. *p.* 69.), Aranea vomitu excussa *P. Borell. Cent.* 3. *obs.* 19. *p.* 212.). Vermem & Scarabæ-

um, *P. Foreſt.* (*l. 18. obſ. med. 19. p. 161.*). Scarabæos ſolares (*Ros-Kæfer*) figulus quidam per alvum excluſit, *Balthaſ. Tim. à Güldenklee* (*l. 3. Caſ. med. 20. p. 120.*). Scarabæos cornutos referentem molam excrevit mulier, *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obſ. 65. p. 42.*). In Silicia ſub ſervile bellum cum ſanguinis multum, & inſepulta cadavera computruiſſent in terra copia Bruchorum erupit, qui per totam diſperſi Inſulam frumentum corruperunt, *Plutarchus* (*l. 2. Sympoſ. probl. 3. p. 193.*) *autor eſt.* Carnes etiam in tineas tranſire *J. J. Beccher.* (*Suppl. in Phyſ. Subt. 2. th. 1. n. 8. p. 5.*) prodidit, Limacem vivum, *J. N. Binninger* (*Cent. 5. obſ. med. 63. p. 563.*). De Cochleis in Cerebro inventis, *M. C.* (*Dec. 2. Ann. 2. obſ. 137. p. 304.*). Vomitorium exilio multavit Hirundinem *Petr. Foreſt.* (*l. 21. obſ. med. 26. p. 350.*)

§. 120.

De Bufonibus res confecta eſt. Bufones & Lacertas toties rejecit Ancilla Altenburgenſis, de qua pluribus *Th. Bartholin.* (*Cent. 4. hiſt. anat. 19. p. 254.*). *Dn. D Henric. Vollgnad. Collega & Amicus ſummus* (*M. C. D. 1. A. 2. obſ. 103. p. 236.*) & Lanio Thorunenſis, de quo *Georg. Seger.* (*M. C. D. 1. A. 2. obſ. 56. p. 113.*). De puero decenni *Joh. Freitag.* (*Catalog. teſt. verit. Chymiatr. obſ. 94.*). *Rembert. Dodoneus* (*obſ. med. c. 15. p. 73.*), Adde quos allegat *Chr. Fr. Paulini Noſter* (*de Bufone ſ. 1. c. 3. §. 51. p. 38. ſq.*). De Bufone multi pede *Lazar. River.* (*Cent. 2. obſ. 100. p. 612.*). De Bufone è tumore dorſuali *Athanaſ. Kircher.* (*ſ. 3. Scrutin. de Peſt. c. 3. p. 308. ſq.*). *Laurent. Strauſ.* (*de Fœt. Muſſip. p. 95.*). De Ranis in homine *Andr. Libavius* (*l. 2. Batrach. c. 15. p. 356. & 358.*). *Martin. Ruland.* (*C. 7. Curat. 28.*). *Joh. Dolæus* (*l. 3. Encyclop. Med. §. 20. p. 377.*). *Athanaſ. Kircher.* (*l. 9. M. S. ſ. 1. c. 3. p. 129.*). Scorpiones in Cerebro naſci poſſe *J. P. Fabro* (*l. 3. Panchym. c. 2. p. 470.*) placuit. Fidem facit aſſerto *Jac. Holler.* (*l. 1. de Morb. Int. c. 1. p. 3.*) dum ex Crebro ocymi olfactu Italo Scorpionem in Cerebro genitum aſtruxit, quem depingi curavit *Ambroſ. Paræus* (*l. 19. op. Chirurg. c. 3.*). Id etiam confirmaſſe *Meditum incomparabilem, Præceptorem honorandum Dn. D. Joh. Michaël.* in Cathedra non ſemel audivi. Add. *Athanaſ. Kircher.* (*l. 3. Art. Magnet. p. 3. c. 1. Conſect. 2. p. 499.*). Plura in hanc rem exhibui non ita pridem (*Ool. General. Diſſ. 2. §. 214.*), quæ reſtant, proſtant *ap. illuſtrem Fr. Redi* (*Tr. de Inſect. p. 106. ſq.*), qui tamen contrarium rectius ſuſtinet, experientia cum propria, tùm Aliorum animatus (*p. 110.*). Ita ſpe ſua circa hoc experimentum etiam *ab Helmontio* (*tr Imago Ferm. impr. maſſ. ſem n. 13. p. 92. Poteſt. Medic. n. 37. p. 384.*) confirmatum excidit *Excell. Noſter G. W. Wedelius* (*M. C. D. 1. A. 3. obſ. 79. p. 137. ſq.*). De verme Salamandram referente per nares exturbato *Fel. Platerus*

rerus (*l.3. Prax. med. l.2. c.13. p.964.*), quem etiam Erucam villosam paulò post (*p. 968.*) vocavit. Veram Salamandram (*Molch* nostris,) vomitu excussam *Mich. Crügner*, (*de Mat. Perlat. Epist. 9. p.16.*). De vomitu Lacerti *Th. Bartholin*, (*c.5. hist. 94. p.175.*). Lacertas per os, Salamandras per superiora & inferiora prodeuntes vide sis *ap. Gregor. Horst.* (*l.1. Epist. med. s.6. p.409.*). Plusquam centum lacertas vomitu reddebat fœmina, & statim mortua est *Joh. Dolæus* (*c.l.*) Lacertæ satis magnæ per urinam excretæ è Comitis Luxenburgi Filio *narrat Martin. Delrio* (*l.3. Disquisit. Mag. p.1. qu. 4. s. 6. p.96.*). De serpentibus *infra* (*§.125.*), Animalculum parvum, vivum tamen, Draconis parvi figura exclusit mulier Noviomagensis, *Isbrand. à Diemerbroeck* (*l. 4. de Pest. Noviomag. Hist. 70.*). De vermibus monstrosis *Joh. Wier.* (*l.3. de Præstig. Dæmon. c.15. p. 430.*)

§. 121.

Fundulum vivum evomuit fœmina, *Georg. Seger.* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 227. p. 415.*). Anguillam cubiti longitudine propriis obvolutam involucris quatuordecim annorum puella per alvum egessit. *Cornel. Gemma* (*c. l. c. 2. p. 74. & c. 4. p. 200. sq.*) allegat *Delrio* (*c. l. s. 5. p. 407.*). Aliud Exemplum *Nicol. Fontan. ap. Zacut.* (*l. 2. Prax. adm. obs. 140.*). Tincam ad instar Erinacei se contrahentem *Marcus Gatinaria* (*in 9. Rhas. c. 71.*), urticam marinam *Lev. Lemnius* (*l.1. de Occult. Nat. Nat. mir. c. 8. p.37*). Polypum *Alex. Benedict.* (*l. 25. de Cogn. & Cur. Morb. c. 29. p. 987.*). Duos pisciculos à muliere editos, qui simul ac ex utero prodiissent, in aquis vicinis aliorum piscium more natabant, *Joh. Novorowsky, Nobilis Polonus Th. Bartholino* (*Cent. 1. Hist. 10. p. 13.*) *retulit*. De verme Cancro simili *Joh. Rhodius* (*Cent. 3. obs. 66. p. 156.*). De Mustela *Aristoteles* (*cit. Joh. Dolæoc. l. p.377.*). Muris domestici à muliere non sine magno conatu & dolore cum fecibus alvinis Anno 1662. d. 25. Maj. excreti, *Venerandus Noster Præses Laur. Bauschius* (*Schediasm. de Cœrul. Proœm. p. 23.*) mentionem fecit. De Musculo evomito alibi, (*M. C. D. 2. A. 8. p. 341. & 343.*). Animalcula muribus s. soricibus similia è mulieris corpore exempta, *Lev. Lemnius* (*l. 2. de Occult. Nat. Mirac. c. 40. p. 237.*). Mures vivos à gravida editos, *narrat Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. 62. p. 39.*). *P. Borellus* (*Cent. 3. obs. 73. p. 254. & Cent. 4. obs. 100. p. 353.*). In Ongersheyn fuit Anno 1279. mulier tabernaria, de qua Physicus ejecit intra decennium tres Cattas, (*Joh. Wolff. Centen. 13. Lect. Memorab. & Recond. p. 555.*). De Glire *Th. Bartholin.* (*c. l. p. 12.*). De Catellis duobus vomitu rejectis, *Martin. Zeiler.* (*Cent. 3. Epist. 9. 2. p. 860.*). Cati & mustelæ in hominis ventriculo, Anseres in utero memorat *Hier. Hirnheim* (*Typh. Gen. Human. c. 9. n. 5. p. 191.*). De Anserculis exclusis, *Tob. Mat-*

thai

thæi (*M. C. D. 1. A. 1. p. 251.*). De Avi rostrate, *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. 66. p. 42.*). De mola volatili, *Th. Bartholin.* (*Act. Hafn.*). Harpyiæ Elephantis formam referentis mentionem facit (*c. l.*) *Velschius*, & addit, nec dubium, quin huc pertineat Elephas, quem olim enixa *Alcippe apud Plinium* (*l. 7. hist. nat. c. 3.*), quamvis inter ostenta numeratus. De fœtu humano per os egresso, alibi fusius.

§. 122.

Et hi sunt corporis cives, ô Homo, quid? cum corporeæ Machinæ compagem solvere gestiant, antequam solvitur, tyranni, & post mortem viscerum & membrorum striges & harpyæ. Hos purpurissos, hos auro argentoque, gemmis tegis, hos cupediis Apicianis cibas, hos Ambrosia & siquid hâc svavius inebrias. Tu mundi; illi corporis tui incolæ. Iter facis? Te comitantur: Dormis? Somnum increpant. Luxu diffluis? vires sumunt & incrementa. Mors tua, his vita. Putredo & generatio, mors & vita sic pari ambulant passu. Vivere dum aspiras, exspiras; Hostem quæris, de quo triumphes? Triumphantem præstolantur agmina, vermina, Cohortes, vermes tæniæque. Triumphum ducis de aliis, illi de Te. Sic crocodilus orbis terror Ichneumoni succumbit. Moreris? Cadaver habet vermes, & ab iis habetur. Tunc dies *cum Jobo:* Foveæ dixi, pater meus & vermi mater & soror mea es. In pulvere jacebis, vermis te operiet, substernetur tibi Lumbricus. Ἄνθρωπος σαπρία καὶ υἱὸς ἀνθρώπου σκώληξ. Homo est putredo & filius hominis vermis. Optima supercilii Medicina, viva mortis imago.

§. 123.

Id commodius animo ut imprimas, expediasque, age feretra inspiciamus, sepulchra adaperiamus, visitemus cœmeteria *cum D. Augustino* in periculoso hoc itinere. *Ita* autem *ille*, (*Sermon. 48. ad Fratr. in Eremo,*) cum essemus apud ostia Tiberina matre charitatis sociati, expectandi temporis tranquillitatem, causa remeandi ad Africam & gratia illius, cui terra & mare obediunt, compulsi *à Pontiano Præfecto, Viro Clarissimo*, qui de Româ ad nos videndum venerat, cum eodem iterum reversi sumus Romam ad intuendum diligentius magnifica ædificia & opera paganorum. Et ductus sum cum cæteris ad videndum cadaver Cæsaris in sepulchro, & vidi, quod omninò esset livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus disruptum & vermium per illum catervas transeuntes perspexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur, crines ejus omnes adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labris absumtis, & revelatum erat narium fundamentum. Et intuens matrem

Christianissimam, dixi: ubi nam est *Cæsaris* corpus præclarum? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus delitiarum? ubi multitudo Dominorum? ubi caterva Baronum? ubi acies militum? ubi canes venatici? ubi equi veloces? ubi aves cantantes? ubi thalamus pictus? ubi lectus eburneus? ubi thorus regalis? ubi thronus imperialis? ubi mutatoria vestimentorum? ubi capilli solares? ubi facies decora? ubi omnia, quæ sub cœlo sunt, Te namque verebantur homines, Te timebant Principes, Te colebant urbes. Te timebant omnes, ubinam quæso hæc sunt omnia. A quo recessit tanta potentia? quo ivit tua magnificentia? *Hactenus Augustus ille Patrum Augustinus.*

§. 124.

Quod si metro vivam mortis imaginem depictam legere gestias, eâ è *Job. Bapt. Mantuano* (*l. 2. de Gest. Alphons.*) eandem vivis, truculentis quamvis, coloribus depictam:

Monstrum ingens cui flexilibus frons orba colubris
Et cui truncatis deformia naribus ora,
Ostendunt inhonesta cavi duo verticis antra,
Occiput aure caret, geminæ sed utrinque cavernæ.
Semper hiant atroque fluunt in pectore tabo.
Verticis os glabrum, cervix nodosa, lacertos
Nulla ligat junctura, humeris sine viscere costæ,
Arida membra sonant mota collisa sub alvo
Tecta sepulchrales hydri posuere, cubantq;
In Thorace cavo coluber, nepa, vipera, bufo.
Stant famulæ circum Dominum pallorque timorque,
Et dolor & pestis, quæ nigro armata veneno,
Obvia transadigit lethalibus inguina telis.

Addam, quod de vivo adhuc gregario Sigismundi Imperatoris in Alpibus bellum gerentis *Jac. Bidermannus* (*Acroamat. 3. §. 47.*) poëtica magis fictione, quam fide historica recensuit. Jacebat, inquit, putore, sanie, fœtore horridum monstrum jam plurimum annorum nive, humore & ipso si hæc defuissent, tempore consumtum. Increverant latè circum & per totum adeò cadaver paliuri, sentes, junci, spinæ, nihil ex homine præter animum vocemque hominis remanserat, nullum neque cordis vestigium, nec cerebri indicium, nec pulmonis hepatisque signum exstabat. Unde verò tali per plures annos alimenta? unde eviscerato vita? unde absente pulmone vox? Evestrum hominis fuit, non homo. Quid locutum fuerit scire aves? Dicam, expavescite:

Vos,

Vos, quibus Rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus.

(*Senec. in Thyeste Act. 3. v. 608.*) *Add. Sam. Bochart.* (*T. 2. Hieroz. l. 4. c. 26. p. 621.*)

§. 125.

Id verò Cæsari contigisse mirum non est, si perpendas tot annorum, spatium, quod *Cæsaris & Augustini* intercessit tempora. Majorem admirationem meretur violenta illa Metamorphosis, quam his descriptam dedit (*Cent. 3. obs. 80. p. 150.*) *Philippus Salmuth.* Nobilis ille à Schleiniz, ob formosam & eximiam pulchritudinem, *der schöne Schleiniz* dictus, adeò ut *Hyacinthus*, aliquis aut *Damocles* (*ut loquitur Hieron. Drexelius* (*l. 2. de Cult. Corp. c. 9. §. 6. p. m. 657.*) haberi poterat, Magdeburgi moriturus petierat, ut post triduum atque in sepulchro delituisset, Sandapilam inspicerent, & qualis tum esset agnoscerent. Aliter paulò hanc historiam recitat *Philipp. Camerarius* (*Cent. 1. hist. subcis. c. 11. p. 73.*). Factum, & omnia serpentibus planè referta fuerunt. Macellum dixisses, è quo carnes emerent esurientes colubri, iterum (*c. l.*) *Hieron. Drexelius.* Usque adeo

Corpora vertuntur, nec quod fuimusve sumusve
Cras erimus.

(*Ovid. l. 15. Metam. v. 215.*). Invenio & alias partium Cadaveris metamorphoses literis traditas: Mihi experto credite, iterum *concionatur* (*c. l.*) *D. Augustinus*, quod in apertis sepulchris in capitibus invenietis bufones saltantes & generatos ex Cerebro, in Renibus serpentes generatos, in lumbis ambulantes, in ventre vermes scaturientes generatos ex visceribus. Sic de *Rege Babyloniæ Esaias* (*c. 14. v. 11.*), substernetur tibi Lumbricus & vermis te operiet. *Plura Joh. Rudolph. Camerar.* (*Cent. 15. Syllog. Memorab. n. 42. p. 1241.*)

§. 126.

Revocant hæc in memoriam illud *Plinii* (*l. 10. c. 66.*). Anguem ex medulla hominis spinæ gigni accepimus à multis. Suffragatur *Ælianus* (*l. 1. Hist. Anim. c. 51. p. m. 56.*). Hominis mortui, *scribit*, spinæ gigni medullam putrescentem in Serpentem converti ajunt, exoririque feram & serpere animantem immanissimam ex mansuetissimo. Succinit *apud Ovidium* (*c. l. v. 389.*) *Pythagoras*, Metempsychosi suæ lucem fœneraturus:

Sunt qui cum clausa putrefacta est spina sepulchro
Mutari credant humanas angue medullas.

Antigonus ex ſpina parvos ſerpentes naſci his, qui ante obitum ſerpentis cadaver odorati fuerint, protulit. Unde *Archelaus* hoc Epigramma confecit *ap. Bald. Angel. Abbat.* (*de Viper. Nat. & Facultat. c. 11. p. 61.*)

Cuncta in ſe alter in ævi vis longa revolvit,
Et vicibus certis omnia mundus alit.
Et curvæ ſpinæ ſerpens, res mira, medullis
Naſcitur, hoc monſtrum putre cadaver habet.
Traxerat exanimi vivus ſerpentis odorem &c.

Habet & in hanc rem ſequens *Plutarchus* (*T. 2. Vit. Parall. in Cleomen. p. m. 220.*): Poſt dies haud multos, ii, qui in crucem (*juſſu Ptolomæi*) actum corpus *Cleomenis* cuſtodiebant, juſtæ magnitudinis Draconem viderunt caput ejus circumplicaſſe faciemque operiiſſe, ita ut nulla Carnivora avis advolaret. Id ſuperſtitionem regi injecit metusque expirationum novarum cauſam mulieribus præbuit: quod vir Diis charus & præſtantioris humanæ naturæ interfectus videbatur. Alexandrini etiam frequenter ad eum locum commeantes, Heroëm *Clemonem* & Deorum filium appellaverunt tantiſper, dum eis errorem doctiores minuerunt, docentes ex putrefacto bovis cadavere apes, equi veſpas, aſini Scarabæos generari: In humano autem corpore, confluente ſanie, quæ eſt circa medullam & in unum coaleſcente angues naſci, id quod intelligentes antiqui, ex omnibus animantibus Draconem potiſſimum Heroibus conſecraverunt. Supereſſe animam in cadaveribus, conjectatur *Hieron. Cardanus* (*l. 3. de Util. Ex inim. Capiend. p. m. 727.*), quod Serpentes ex dorſi ſpina ſepulchris naſcuntur. *Idem* (*l. 1. de Venen. c. 7. p. 20.*) dicit, Mediolani in æde *B. Simpliciani* Cadaver hominis fuiſſe repertum, in quo bufones & ſerpentes fuerint geniti. Adde *Joh. Bapt. Portam.* (*l. 2. Mag. Natur. c. 2. p. m. 51.*). *Levin. Lemnium* (*l. 4. de Occult. Natur. Mirac. p. 403.*)

§. 127.

Non ſpinæ tantum medullam; ſed & totum corpus in ſerpentes mutari exempla ab Aliis literis excepta declarant. *Caroli Martelli* Mauſolæum ſive Conditorium vacuum ſine cadavere repertum & pro eo ſerpens, aut Draco, quod è *Gaguino recitat* (*c. l.*) *Phil. Camerarius*, idque inter fabulas recenſuit *Chriſtoph. Lehmann.* (*l. 3. Chronic. Spirenſ. c. 20. p. 193.*). Spectat huc Schleinizii & Cardani hiſtoria (§. *præced.*) in medium allata. Idem in Principe quodam Haſſiæ obſervatum Epitaphium Ejus Marpurgi teſtatur & notat *Conrad. Dieteric.* (*p. 1. in l. Sapient. c. 7. conc. 2. p. 705.*). Trahunt huc quidam è tumulo Murri prodeuntem *ad Eumenidis* verba colubrum, de quo *Silius Ital.* (*l. 2. de Bell. Punic. v. 575.*) *Eumenis:*

His

His ubi turbatus hortatibus impulit aures
Inde petit tumulum: summo quem vertice montis
Amphitryoniades spectandum ex æquore nautis
Struxerat & grato cineres decorarat honore
Excitus sede, horrendum prorupit ab una
Cæruleis maculis auro squallentibus anguis.
Ignem sanguinea radiabant lumina flamma
Oraque vibranti strepebant sibila lingua
Isque inter trepidos cœtus, mediamque per urbem
Volvitur & muris properè delabitur altis
Ac similis profugo vicina ad littora tendit
Spumantisque freti præceps immergitur undis.

Pluribus curioso satisfaciet animo *Fortun. Licetus* (*l. 6. de Lucern. Antiqv. c. 28. f. 725. sq.*)

§. 128.

Qua de causa motus, cum ferarum in puteos certos decidentium medullas in lapidem specularem densari scribat *Plinius* (*l. 36. c. 22.*) ingemiscit *Simon. Majolus* (*Dier. Canic. Colloqu. 18. p. m. 570.*), quod longe deterior sit hominis defuncti putrescens medulla, quam beluæ, cum ex beluina nascatur Gemma, ex humanâ verò diri serpentes.

§. 129.

Fluxit inde dubio procul Magistrorum apud Hebræos de Serpente Azazel, cujus etiam *supra* (*l. 1. Tit. 3. §. 32.*) mentio facta, quem Dominum carnis & sanguinis propterea vocarunt, de quo *Cornel. Agrippa* (*l. de Vanitat. Scient. c. 45. p. 76.*) consignavit & quædam (*l. 7. Hexaëm. p. 729. sq.*) *Andr. Libavius*, aut de verme, quem mortuis impiis graviorem esse credunt, quam acum carni viventi; aut quod de xcix. Serpentibus Muhamedani, quod etiam *supra* (*c. l. §. 33.*) tactum, ineptiunt de Medea, quæ Absoritanorum serpentes in tumulum fratris Absyrti conjecit, quæ adhuc ibi permanent, siquæ autem extra tumulum exit, debitum naturæ persolvit. *C. Jul. Hyginus* (*l. Fabular. c. 26. p. m. 41.*)

§. 130.

Cur autem Terræ commissum cadaver in tàm horrendam degeneret putredinem, varia à variis proferuntur ratiocinia. Theologi seductionis à serpente factæ memores, antiquum suum obtinere serpentem asserunt, eundemque non solum viventibus nobis insidiari, verum etiam mortuos laniare & de-

depaſcere non ceſſare, de quo *Johann. Heidfeld.* (*Sphing. Theolog. Philoſ. c. 39. p. m. 1242.*). Prævaricationis igitur memoriam ſic inculcare & refricari quidam ſtatuunt. Serpens initio generi humano ſummum infudit virus, itaque non mirum eſt, ſi ex medulla humanâ ſerpentes generentur, propter hoc contagium, verba *Georgii Sabini* (*in l. 15. Metamorph. ſ. 36.*) ſonant. Iræ divinæ, ſive irreconciliabilis odii ſerpentini erga genus humanum argumentum explicat *Gerhard. Joh. Voſſius* (*l. 4. de Idolol. c. 51. p. 1480.*). Si homo, ſubjicit *Simon. Majolus* (*colloq. 8. p. 291.*), irrationali vitæ vivens tantummodo in terrâ ſerpit venenoſis afflatibus humanam ſocietatem corrumpens tortuoſis cogitationibus dolos machinando in latibulis turpitudinem ſemper exercens, æquum judicium eſt, ut defuncta caro, quales fuerunt ſerpentini mores tale animal gignat: ut in Scholam humilitatis diſcedamus, aurem pariter id nobis vellicare nonnullis perſuaſum eſt.

§. 131.

Trado hanc lampadem Theologis, quod ſi id contingat, ut multis placuit, id an præter Naturam, an ſecundum Naturam fiat? Phyſicorum plutei ſunt excutiendi. *Rudolph. Goclenius* (*Diſp. Phyſ. 13. th. 42.*) reſpondet, id παρὰ φύσιν eſſe, quod in cadavere humano non δυνάμει inſit forma ſerpentis, neque vi ſolis in id invehatur, ſed lapſus hominis ænigmaticè ſignificetur, h. e. quod fraus ſerpentis hominis cauſa mortis extiterit. Quam *Gocleni* aſſertionem pluribus refutavit *Caſp. Finckius* (*p. 2. Schediaſm. 19. p. 174.*) & *Goclenium* duplicem oppoſitorum committere Elenchum demonſtrat. Porro enim *inſit*, poteſt aliquid eſſe naturale & ſimul etiam παρὰ φύσιν præter naturam, imò etiam contra naturam. Deinde Elenchum oppoſitorum committit, quando â fine argumentatur. Poteſt enim (*pergit p. 125.*) finis alicujus rei eſſe hyperphyſicus & ænigmaticus & tamen res, cujus finis eſt, eſſe naturalis. Quod verò addit, (*p. 176.*) medullæ in ſpina dorſi formam ſerpentis non ineſſe vix admitti poteſt. In generatione enim æquivoca hoc non eodem jure requiritur, ut forma δυνάμει inſit, quo aliàs requiritur in generatione univocâ. Virtute vero Solis ſerpentem generari dicitur tantum, non probatur. Quare eadem facilitate, qua docetur, â nobis rejicitur. Nam ſi ex terrâ virtute Solis generari poſſent ſerpentes, vermes, Talpæ, &c. quidni ex corpore etiam, quod terra conſtat & jam per putredinem in terram redigitur. Quid? ſicut mors materiæ ratione naturalis eſt poſt lapſum; ita etiam generatio hæc Serpentis ex medulla. *Hactenus Finckius.* Naturalis dicitur, quia poſt lapſum, ut mors, ita & putredo &c, naturæ debitum. Deinde ut hoc modo â violenta corporis

ris resolutione, quæ fit per ignem & combustio dicitur, distingvatur. Ita de morte *Polyhistor J. H. Ursinus* (*p. 1. Analect. Sacror. l. 6. c. 13. p. 348.*) : Putredo violenta est & præter naturam, quatenus rei naturam destruit, & non fit secundum naturæ intentionem, est tamen & secundum naturam, quia convenit misto ut mistum est & secundum naturalem ejus constitutionem, depinxit & conciliavit *Rudolph. Goclen.* (*p. 1. Concil. Philos. p. 425.*)

§. 132.

Naturaliter id evenire, *quidam* (*T. M. R. Z. apud Camerar. c. l. n. 42. p. 1240.*) putabat, quod Cerebrum sit pravæ atque excrementitiæ qualitatis, secundum ea, quæ habet *Galenus* (*l. 3. de Alim. facult. c. 8.*), adeòque dum ejus putredo venenata per medullam spinalem diffundatur, eadem non tantum in serpentem facessit, sed & vena, paucis hactenus deprehensa, juxta spinæ meatum descendit, receptaculum virulentæ & melancholicæ saniei, è cujus vaporibus caput haud secus feriatur, ac si hypochondriacus, aut planè hemicranicus morbus cerebrum obsideret, cujus venæ incisione Baronem quendam Austriacum à morbo, quem omnes Medici Maniam dixerant, brevi curatum adjicit. Verum cerebrum non facile putrescere, sed potius in liquorem diaphanum & limpidum resolvi, qui patibulo addictis per nares exstillat, experientia fidem facit. Venam vero illam nullus Anatomicorum aut Prosectorum vidit aut descripsit.

§. 133.

Et cur in dubium id vocemus, cum serpentes naturaliter in corpore gigni posse, multa persvadeant. Londini anno 1637. die 7. Octobris Eduardus Majus in *Joh. Penanti*, juvenis XXI. annor. sinistro cordis sinu angvem bifidum flagellosum observavit, qui & eundem lingva Britannica descripsit, latinè verò *Riccardus London londinensis*, *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Prax. admir. obs. 140. p. 37.*) *Petr. Servius* (*tr. de Ungv. Armor. in Theatr. Sympath. & Antipath. p. 543.*). Depingi etiam curavit *Marc. Aurel. Severin.* (*l. 4. de recond. abscess. nat. p. 200.*). Quod ipsum cordis Epigenomenon, cum verus non fuerit serpens, sed carnea quædam substantia, in gyros collecta, de cujus genesi *Richard. Lowerus* (*tr. de Cord. c. 2. p. 13.*). Serpentem tantum referens, ad alia potius transeo.

§. 134.

Quoties partu Serpentes aut solos, aut fœtui junctos, mulieres exclusisse à Medicis & historicis annotatum est? Serpentem, *annotante Plinio* (*l. 7. c. 3.*) peperit inter initia Persici belli ancilla, & Sullanis temporibus Clusia Mater familias, *teste Jul. Obsequente* (*de prodig. c. 118. p. m. 64.*) & *Appiano Alexandri-*

no (*l.1. de Bell. civil. p. m. 411.*). Angvem enixa mulier *Corn. Tacitus* (*l.14. Annal. c.12.*) prodidit. Mulier Genuensis, de qua *Petr. Bizarrus* (*Hist. & Annal. Genuens. p.369.*). Add. *Conrad. Lycosthen.* (*Chronic. prodig. p. 210.*) *Justin. Episcop.* (*l.5. Annal. Januens.*). De vipera pro fœtu enixa, iterum *Lycosthenes* (*c. l. p. 209.*). Plura huc spectantia commodat *Johann. Schenckius* (*l.4. obs. med. p. 625.*)

§. 135.

Cum fœtu gemelli aliquando deprehensi serpentes, cui tamen hæc fraternitas non semper secura, *juxta Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. juc. quæst. 36. n. 25. p. 433.*). Caput membrana involutum una cum serpente edidit mulier Augustana, de quo *Fortun. Licetus* (*l. 2. de Monstr. c. 5. p. 62. & sq.*). Idvero pro puro capite minimè agnovit, quia caput sine corde & Hepate vivere non potest multum temporis nec in utero, pars autem omnis formata est vivens *Aristoteli*, Sed in ea mole cor & Hepar etiam fuere, aliaque principalia viscera, licet facies totam materiam extrinsecus in formam capitis occuparent. Reliquæ autem partes deerant in monstro, deficiente materia spermatica & sangvinea, ex qua determinatè generari debebant, utpote originem trahens ab eo, quod redundare consvevit nutricatui eorundem partuum in corpore parentum. Defecit autem, quia consumta est in ortum spontaneum serpentis & constitutionem animalis alterius bruti, quod post serpentem edidit, porcelli. *Et hæc Licetus.* Quid, si Mola fuisset caput illud membranis involutum, quod auguror, idque neutiquam impossibile videbitur ei, qui varias molarum figuras *à Joh. Schenkio* (*c. l. p. 613. sq.*), & Aliis collectas & annotatas examinabit. Si in ovo caput humanum Medusæum (*ex Ulyss. Aldrovand. P. Borell. Cent. 4. obs. 1. p. 280. add. Licet. c. l. c. 87. p. 252.*) potuit à Natura s. Spiritibus mechanicis fingi; in Natta autem capitis tumore casu, ut judicat *Th. Bartholin.* (*de insol. part. viis c. 8. p. 55.*) perfecta infantis effigies; *Minervæ è Jovis* Cerebro nativitatem è fabularum numero eximere, ut loquitur *Henric. Moinichenius.* (*ap. Eund. cent. 2. Epist. 97. p. 726.*) in molis capitiformibus effingendis impotentiæ cujusdam immeritò accusabitur. Sed hæc obiter.

§. 136.

Narrat *ex Rubenquense* (*l. 4. Chronic. Polon. c. 77.*), cui junge *Cromer.* (*l. 30. de Rebus Polon. p. 644.*) *citatus Licetus* (*c. l. c. 61. p. 201.*), anno 1494. (annum 1404. alii habent, errore forsan Typographi decepti,) Cracoviæ mulierem quandam in platea, quæ à S. Sancto nomen obtinuit, infantem exanimem peperisse, cujus dorso serpens vivus inhærebat, arrodens & depascens in-

infantis cadaver. Adde *Joh. Bodinum (l.3. Theatr. Nat. p. 392.)*, & *Ulyss. Aldrovand. (Hist. Monstr. p. 654.)*. Alius natus cum angve in humero, omnes à serpentibus demorsos vel saliva tantum sanitati restituit, *teste Laurent. Anania (l. 4. de Nat. Dæmon. p. 169.)*. Firmat hoc phænomenon existentiam serpentum in humeris *Sabaci Persarum Regis*, quos Cerebro humano pascere oportebat, quæ relatio fabulæ propior videbatur, quam historiæ *G. H. Velschio (c. l. c. 2. p. 51.)*. Duos serpentes ulnæ longitudine, crassitudine brachii ipsius infantis cum infante eductos, insigni historia memorat *Casp. Bauhin. (Append. ad Franc. Rousset. de part. Cæsar. hist. 6.)*

§. 137.

Retulerunt historici, Serpentes aut Dracones, aut Ethnicorum persvasione, Deos sub serpentum specie fœminas aliquando iniisse & ex eorum cum illis concubitu partum emersisse, *Vid. Phil. Camerar. (Cent. 1. hor. subcis. c. 69. p. 307.) Joh. Bodin. (l. 2. Dæmonom. c. 1.)*, è tali concubitu *Alexandrum Magnum (Plutarch. in Vit. Alex. M. p. m. 446.) Scipionem Africanum (A. Gellius l. 7. noct. Attic. c. 1.) Cæsarem, Augustum (Sveton. in August. c. 94. p. m. 87.)* & *Galerium Imperatores* prognatos fingunt. Unde insignia *Alexandri Magni* fuere angvis, vix natum & adhuc madentem sangvine ore evomens, quale, teste *Simon. Majoli Continuatore (T. 2. Dier. Canicul. Colloqv. 1. p. 37.)*, è Veteribus numismatibus sigillum reperitur. Idem *de Aristomene Messenio Pausanias (l. 4. s. in Messeniac. p. 154.)*. Addere his quosdam *Neronem*, *Merlinum Britannorum & Xacan Japoniorum* firmat *Laur. Ananias (c. l. p. 142.)*. Ipse verò his associat Idololatriæ & Hæresium Autores *Lutherum Hæresiarchum & Maumethem*. Fabulam hæc si non saperent, quæ aut Magnatum arrogantiæ & fastui, aut Parasitorum vaniloquentiæ, aut demum ludibriis Dæmoniacis ortum deberet suum, ut non dicam *Ananiam*, qui de *Luthero* idem pronunciat, Eundemque *Maumetho* (quem paulò *antè p. 139.* omnium Magorum sceleratissimum dixerat) præponit, frontem posuisse & viperina sanie caput inebriatum habuisse, cum de *Viro Dei* ista scriberet, indubium est, cur monstrosum hunc partum luci donaret aliquando sequior sexus, facillimè causa determinari posset.

§. 138.

Causam hujus productionis redditurus *Licetus (c. l. c. 60. p. 198.)* semen in scenam producit & inter semen corruptum & putrefactum distinxit. E semine corrupto, cum in eo langveat, propter imbecillitatem, virtus speciei, vigeatque saltem generica, *cum Aristotele (s. 4. probl. 14.)* monstra generari asseruit; è putrefacto autem, ranas & serpentes (*c. l. p. 99. & c. 87. p. 252.*)

§. 139.

Quidam *Joh. Roth. Lauteburgensis* quinque Serpentes ex ore reddidit, prolectos lactis calentis vapore, qui correpti è vestigio prorsus sunt detracti: cumque datum esset purgans, excrevit plures vermiculos, pullitiem sc. natricum, literis mandavit *Andr. Libavius* (*p. 4. Singular. l. 2. Batrachior. c. 15. p. 360.*). De muliere, quæ vivum & mortuum serpentem à medicamento exhibito per alvum rejecit, *Joh. Rud. Camerar.* (*Cent. 17. Syllog. memorab. n. 64. p. 1410.*). De Serpente à puero Monspeliensi per inferiora expulso, *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 23.*). De è corpore rejectis Serpentibus *Hieron. Tragus.* (*l. 2. Hist. Plant. c. 114.*) *Joh. Schenckius* (*l. 3. obs. med. p. 337.*) *Joh. Christ. Frommann.* (*D. 1. M. C. A. 6. & 7. obs. 190. p. 262.*). In India orientali refert *Philipp. de SS. Trinitate* (*cit. Joh. Marc. Marci p. 4. Phil. vet. restitut. s. 2. p. 434.*) esse Serpentes, qui si super lintea seu indusia humi strata, dum ad Solem siccantur, transeant, tum circa lumbos eorum, qui linteis illis s. indusiis utuntur, extrinsecus nascuntur in eorum carne serpentes sensimque increscentes eorum corpus circumplectuntur. Capite autem & cauda unitis statim mors sequitur. Historiam *ex Agatharchide* aliam, quam *ex Moyse* hausisse *Euseb. Nieremberg.* (*l. 12. hist. nat. c. 33.*) suspicatur, his consignavit *Plutarch.* (*l. 8. Sympos. probl. 9. p. m. 362.*): Circa rubrum mare morbo correpti cum aliis inauditis accidentibus sunt vexati, tum angves (*δρακόντια* Græcus textus habet,) exigui, qui nati sunt exertis capitibus suras & brachia perederent, & tacti rursum carnem subirent, ac per musculosa serpentes inflammationum vim intolerabilem excitarent. Qui si tangebantur, statim emergebant, vertit *Hieron. Mercurial.* (*l. 2. var. lect. c. 20. p. 116.*), quod repetiit (*l. 1. de art. Gymnast. c. 1. p. 5.*), quam versionem damnat *Georg. Hieron. Velschius* (*l. de ven. Medinens. c. 3. p. 106.*) & *Joh. Langii* (*l. 2. Epist. 42. p. 756.*) præfert. Contrectata vero rursus fugiunt.

§. 140.

Cœterum & prætereà Serpentes ex ægrotantium corporibus pullulasse etiam asseruit, & ex variis docuit *citatus Mercurialis* (*l. 5. Var. lect. c. 6. p. 255.*) In Lue illa Hungarica circa festum Margarethæ anno 1549. (annum 1551 ponit *Mich. Neander. p. 1. Phys. Philos. p. 365.*) & narrationem eodem anno Viennæ impressam allegat Natrices & Serpentes in corporibus ægrotantium ad Solem conversis deprehensos testatur *Jobus Fincelius* (*l. 1. von Wunder-Zeichen*) *Cornel: Gemma* (*l. 1. Cosmocrit. c. 8. p. 190.*) *Joh. Wolffius* (*Centen. 26. Lect. memorabil. & recondit. p. 561.*) Idem *è Conrado Gesnero* (*l. de Quadrup. Ovipar.*) *Anton. Mizaldus* (*centur. 5. memor. n. 1. p. m. 92.*) excerpsit & addit, quibusdam

humi

humi ad solem jacentibus serpentes & lacerti per os aliquatenus emerserunt, sed mox iterum in ventrem sese abdiderunt. Nobili cuidam puellæ diris cruciatibus mortuæ cum venter incideretur, serpentes duo prodierunt. *Add. Melch. Sebiz.* (*l. 5. de Alim. probl. 90. p. 1442.*). In peste anno 1020. & 1022. in demortuorum cadaveribus & alterius generis abominanda insecta emigrabant, ita ut idcircò vix absque periculo terræ mandari potuerint, ut *ex Aliis Cyriac. Spangenberg.* (*p. 1. Chron. Mansfeld. c. 166.*) *Tob. Schmid.* (*Annal. Zwiccav. p. 58.*) *J. C. Hahn* (*Gottes Hand und Geissel p. 56.*). Quidam ex ordine Capucinorum per meatum urinarium emisisse serpentem, quam historiam Italico sermone descriptam dedit *Alexander Coccius*, ex quo narrat *Athan. Kircher.* (*l. 9. M. S. s. 2. c. 7. p. 160.*) *vide supra* (*§. 105.*)

§. 141.

Phærecides Syrius copia serpentium ex corpore ejus erumpente expirasse, *Plinio* (*l. 7. c. 51.*) *fertur*, quem *Pythagoras*, ut Magistrum infandi morbi in Serpentium scabiem solutum, religiosè *juxta Apulejum* (*l. 2. Florid. p. m. 17.*) humavit. Phtiriasi tamen hunc vitam finiisse, *supra* (*§. 106.*) allegatum. *Plinium* ex malè intellecta relatione *Æliani* (*l. 5. var. hist. c. 5.* decepum putat *Jacob. Dalechampius in h. l. Plin. p. 333.*) cumque vocem θηριώδη ad serpentes retulisse suspicatur, cum potius eo loco significet sudorem noxiorum animalium fœcundum genitorem & effectorem, quæ statim pediculos fuisse declarat, quamvis *Gesnerus* fœtidum & virosum interpretatus sit. Pediculos inconsvetos & simplicis formæ & ignotos, hoc est, latiores & duros magis ac sævientes morsibus vehementer, quos quidam ferales appellant, *Aristoteli* (*l. 5. hist. animal. c. 26.*) ἄγριοι *Cœlius Aurelianus* (*l. 3. Chronic. c. 2. p. m. 86.*) distinxit. Nec pediculos Dracunculos vocari posse, censuit *Dalechampius* (*c. l.*), quod non serpant anguium modo, sed multis pedibus ambulent. Docuit tamen *Ulyss. Aldrovand.* (*l. 5. de Insect. p. 544.*) serpentes illos generaliori significatu *apud Plinium* & *Apulejum* pro ipsis pediculis sumi, in quam sententiam etiam inclinant, qui Thesaurum eruditionis Scholasticæ *Basilii Fabri* auxerunt *Viri Clarissimi* (*col. 2163.*), ita & inter serpentium genera retulisse videtur scorpiones & araneos *Corn. Celsus* (*l. 5. de re Med. c. 27. p. m. 300.*), de quo & *Vid. Aldrovandus* (*c. l. in Proœm. p. 13.*). Quod si nec hoc probetur τῶν ἑρπυτῶν nomine forsan ulcera à pediculis serpentia innuunt, cum ferales isti sæpè sub capillis, quin & in reliqvis corporis partibus inveniantur, corpora penetrasse, ut apud *Cœlium* (*c. l.*) est; Inde à pediculis corrosus dicitur *Heraclidi* (*de Politiis*), qui & *Pythagoræ* ad se accedenti digitum per foramen ostendit carne undiq; nudatum.

§. 142.

Serpentes in Hebræos ad condignam eorum punitionem immissos (*Num. 21. v. 6.*), natos fuisse ex ipsis Hebræorum corporibus, *Fortun. Licetus* (*l. 3. de spont. viv. ortu. c. 51.*) somniavit. Quo circâ & non veros serpentes, sed Dracunculorum morbum fuisse, conjecturantur quidam. *Vid. Th. Bartholin.* (*Cent. 1. Epist. med. 32. p. 129.*). Sed non opus illa sine judicio Crisi, reclamat textus sacer: DOMINUM immisisse ignitos serpentes expressè inculcans; inde concludendum, quod à Serpentibus extrinsecus adorti fuerint Israëlitæ. Patere id etiam ex alia Legiferi sententia (*Deuter. c. 8. v. 15.*) poterat. Et morsibus serpentum immorigeros periisse, alia Scripturæ loca (*Sapient. c. 16. v. 5. 1. Corinth. 10. v. 9.*) intimant. Rejecit igitur hanc *Liceti* Philosophiam *Dan. Sennert.* (*Hypomn. Phys. 5. c. 8.*) *Ezechiel à Castro* (*l. 1. de ign. lambent. c. 6.*) *Paul. Zacchius* (*l. 4. quæst. med. legal. Tit. 1. qu. 8. n. 73. p. 351.*). Liceti opinionem non omnino rejecit *Casp. à Rejes* (*c. l. n. 5. & 6. p. 427.*), & concludit: Quare Israëlitico populo extrinsecus, an intrinsecus advenisse Serpentes illos, non video, unde facile dignosci possit. Add. *Th. Bartholin.* (*l. de Luc. Brutor. c. 10. p. 266.*), quod etiam repetiit (*de morb. Bibl. n. 6. p. 32.*). Ambiguum videas etiam *Gerh. Joh. Vossium* (*l. 6. Idolol. c. 56.*) omnium optime hoc saxum volvit *celeberrimus Georg. Hier. Velschius* (*c. l. c. 2. p. 57. & sq.*), quem, si libet, evolve.

§. 143.

Innumeros mulierum capillos animatos vidit *Petr. Borellus* (*Cent 1. obs. 23. p. 29.*), & formas serpentum optimè referentes. In veros serpentes degenerare, pronunciavit ex *Avicennâ Cœl. Lud. Rhodiginus* (*l. 2. Lect. antiqu. c. 2. col. 85.*) *Petr. de Apono* (*Comm. in 10. partic. Aristot. probl. 13. f. 86. b.*) *P. Joh. Faber.* (*l. 4. Panch. s. 4. c. 4. p. 467.*) *J. C. Baricell.* (*Thes. Secret. c. 312.*). Inprimis id de menstruatarum capillis affirmavit *Joh. Dan. Horst.* (*p. 1. Manuduct. ad. Med. c. 1. p. 11.*), quod tamen se frustra tentasse fatetur *Christ. Franc. Paulini* (*de mort. vermin.* §. *27. p. 55.*). Ita Equorum pili, si ponantur in aquâ stagnante seu pluviali non putrescunt, sed vitam & spiritum accipiunt & sponte moventur. *Vid. Sim. Majol.* (*Colloqv. 7. p. 287.*) *Athan. Kircher.* (*l. 3. Art. magnet. p. 3. c. 1. consect. 2. p. 449.*), quod se sæpe expertum tradit *Albert. M.* (*l. 26. hist. Animal. f. 105. a.*), in animali cui nomen Seta, quod nunquam augetur ultra capilli magnitudinem licet sit longitudine cubitali. Hos in serpentes etiam transire Alii volunt, quod *Comes à Leiningen* retulit *J. C. Steebio* (*Cœl. Sephirot. c. 6. s. 1. n. 1228. p. 167.*), & sæpè se vidisse testatur *Th. Campanella* (*l. 2. de sensu Rer. c. 5. p. 58.*), in Angvillis. Quare si capilli muliebres deglutiantur, eosdem in cor-

corpore in Serpentes transformari posse *Borell.* (*c. l.*) conjecturatur, quamvis hic imperiti facilè decipi possint, ut *Felix Platerus.* (*tr. 3. Prax. Med. l. 2. t. 16. p. 1020.*) monuit. Add. *Oolog. General.* (*Disc. 2. §. 149. p. 176.*)

§. 144.

Quid si dicamus nonnunquam in corpore vivo aut etiam mortuo serpentiformes generari vermes, quod de Serpente mortuo tradit *Sylv. Ratray.* (*Adit. ad Sympath. & Antip. p. m. 20.*), hujusque experimentum propinat *Athanas. Kircher.* (*s. 1. Scrutin. Pest. c. 6. §. 2. Experiment. 1. p. 69.*) *J. C. Steebius* (*c. l. n. 1219. p. 168.*), qui cadavere, sanie diffluente, postmodum lautius & copiosius acquirentes nutrimentum tandem in grandiores migrarent serpentes. Experimentum olim datum, (*Oolog. General. Diss. 2. §. 133. p. 158. & §. 175. p. 193.*). De verme Corylino lacte nutrito & in Serpentem mutato huic experientiæ sufficeret, credulitate facili si quis fascinaretur, sed illud inter ἄπιστα non immeritò reponendum, de quo, si Deus voluerit, *in Coryleto Curioso & de Plantis Monstrosis fusius.*

§. 145.

E cadaveribus militum superioris seculi Bello tricennali ob continuatas strages in flumina præjectorum copiam piscium, imprimis eorum, fundulos quos vocitant, emersisse & rusticos & piscatores sæpius retulisse memini, quia illis aqua extractis in cavitatibus corporum gregatim natare visi sunt. *Guilhelm. Rondeletius* (*cit. Hieron. Cardan. l. 3. de Sanit. tuend. c. 43. p. 246.*) tradidit, in stagno Magalore projecto equi cadavere innumeras Angvillas procreatas. Oblectemus Lectorem *cum Andr. Libavio* (*l. 6. Hexaëm. p. 515.*) Japonico Acroamate. Anno 1566. *Aloysius Almeida* ex Japonia scripsit in Regno Gotho Sylvam esse, in qua Caninæ magnitudinis quadrupes brevibus cruribus, molli villo auricolor, quando senectutis limen attingit, mare, desertis terris, ingreditur, ibique paulatim per singulas corporis partes in piscem mutatur, ita, ut aliquando captus sit ex dimidio tantum mutatus piscis, squamis pinnisque instructus. Ne putes esse fabulam, compertissimum appellatur. Aliàs, *subdit Libavius*, ex putrefacto cadavere pisciculos nasci persvaderi poteramus. Nam si ista credimus, putandum est ex verme fieri quadrupedem, inde piscem, ut solent mutari bombyces. *Hæc ille.*

§. 146.

Revocat hæc relatio in memoriam *Anaximandri Milesii*, cujus etiam *alibi* (*Ool. General. Diss. 2. §. 138. p. 167.*) mentio facta, de ortu hominum, opinionem. Asserebat ille, ex aquâ terraque calefactis exortos esse sive pisces, sive pi-

ſcibus ſimilia animalia, in his homines concreviſſe, fœtusque usque ad pubertatem intus retentos; dum demum, ruptis illis, viros mulieresque, qui jam ſe alere poſſent, proceſſiſſe, *referente Plutarcho* (*l. 8. Sympoſ. qu. 8. p. 358.*), & *Cenſorino* (*l. de die natali c. 4.*). Fabulam de primo homine piſciformi recenſuit *J. H. Urſinus* (*p. 1. Anal. Sacr. l. 4. c. 2.*). Siccine circulum facit Natura, ut ortum repetat, unde prodiit homo. Fundulum verum vivumque quendam vomitu rejeciſſe, qui & firmiter credebat ſimilem piſcem adhuc in lumbis latere, *annotat Georg. Segerus* (*D. 1. M. C. obſ. 227. p. 415.*), vide *ſupra* (§. 119.). Piſcem anonymum Veſicæ incluſum netrix quædam, de qua Medicus quidam, *ap. Mich. Crügner.* (*de mat. perlat. Epiſt. 11. p. 32.*). De piſce in viventis digito genito *Petr. Borell.* (*cent. 1. obſ. 28. p. 33.*). De duobus piſcibus ex utero mulieris prodeuntibus *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hiſt. anat. 10. p. 23.*). De his ut difficile eſt arbitrari, ita piſces ex humana carne generari impoſſibile. Id verò admitto, piſcibus inter Anthropophagos locum eſſe, eosque carne humana tanquam grato obſonio delectari:

ἅπας τὲ
ἰχθὺς σάρκα φιλεῖ βροτέαν, ἄν του περικύρσῃ.
omnis enim
Piſcis humana delectatur carne ubicunque occurrat.

ap. Athenæum (*l. 7. Dipnoſoph. c. 17.*) legitur:

In Prælio navali mortui piſcium eſca.

Nonnus (*l. 31. Dionyſ. p. 1007.*)

Trigla vorat fœdas ſordes, & mergit in alvum
Omnes illuvies ponti, non ulla natantum
Agmina tàm turpi victus maculata pedore,
Infectas & ſola eſcas malè gliſcit olentes.
Atque hominum cupidè corrupta cadavera paſcit,
Obruta cum vaſto fluctu volvuntur in æquor.

Ita *Oppian.* (*l. 3. Hallieut. v. 392. interprete Laurentio Lippio.*). Æthiopes igitur Ichthyophagi mortuos in paludes conjiciebant, piſcibus eſca futuros (*Vid. Sextus. Empyr. l. 3. Pyrrhon. Hypoteſ. c. 24.*). Quidam *Renatus Campanus* Piſcarii in profundiſſimum vivarium, quod majus ſuum poculum per jocum appellabat, Proteſtantes, quos per dolum aut vim nanciſci poterat, ad Lucios ſaginandos præcipitabat, *Jacobo Auguſto Thuano* (*l. 30. hiſtor. p. 576.*) *annotante*. Secutus *hic Vedii Pollionis Equitis Romani* ſævitiam, qui vivariis Murænarum damnata mancipia immergebat, ut homines diſtrahi ſpectaret. (*Joh. Bruyerin, l. 19. de re cibar.*

cibar. c. 17. p. 793.). De aliis piscibus Anthropophagis *Petr. Petitus* (*l. 3. de Anthropoph. c. 9. p. 126. sq.*) varia & jucunda apposuit.

§. 147.

Gammaros etiam esse carnivoros, nemini ferè ignotum, cui piscatio cordi, imprimis carne raninâ assatâ delectari, eoque capi & irretiri *Andr. Libav.* (*p. 4. Singul. l. 2. Batrach. c. 11. p. 319.*) accuratè descripsit. An etiam humana delectentur, non liquet. Persuadet illa *Jac. Bontii* (*l. 5. Hist. Indic. c. 29.*) narratio, qui in Insula Jara ad littus deambulans vidit circa mare fluctuans Javani occisi cadaver plenissimum magnis squillis, qui lauissimum ex hoc cadavere habuerunt convivium. Chamberii, ut è *Jacobo Delexio* (*p. 1. Choragraph. Saband. f. 2.*) allegat *Henricus Kornmann.* (*p. 3. de m. m. c. 30.*), est urbs Sabaudiæ, Franciscano in templo sunt sepulchra quæ internè cancros nutriunt. Unde vero & quomodo in sepulchra deveniant Cancri, Lectori explicabo, si problema *Dn. D. Joh. Dan. Majoris* (*Epist. de Cancr. & Serpent. Petref. §. 63. p. 48.*), de cancro vivo marino in montis fissura (*teste Adamo Oleario l. 4. Itiner. Muscov. Persic. c. 21. p. 450.*) reperto, prius elucidabit quispiam. Conjecturas aliquas prodidit *laudatus Jac. Philipp. Sachsius* (*l. 1. Gammarol. c. 7. §. 15. p. 141.*), ubi ut pisces terrestres & fossiles; ita & dari subterraneos cancros, *conjicit*, potissimum, cum illi non solum extra aquam diu vivant, sed & terrenam vitam victumque in terra quæritando agere possint, aut terræ cavernas locis paludosis vicinas instar cuniculorum suffodere & non rarò crusta sua armati, velut novi Cadmei milites, licet non seminati, ex terra emergant. Alias suspiciones (*in Epist. de Mirand. Lap. Hatur. p. 61. sq.*) proposuit.

§. 148.

Et

Si qua fides rebus tamen est addenda probatis,
Nonne vides quæcunque mora fluidoque colore
Corpora tabuerint in parva animalia verti?
I quoque delectos mactatos obrue tauros
(Cognita res usu) de putri viscere passim
Florilegæ nascuntur Apes quæ more parentum
Rura colunt, operique favent in spemque laborant.
Pressus humo bellator eqvus crabronis origo est,
Concava littoreo si demas brachia cancro

Cætera

Cætera ſupponas terræ de parte ſepultæ.
Scorpius exibit caudaque minabitur unca,

Hæc *ap. Ovidium (c. l. v. 361.)* profitetur Pythagoras.

§. 149.

Apes è Tauri cadavere modò *Pythagoras* docuit, idem cecinit *Virgilius (l. 4. Georg. v. 295.)*, notavit *Plinius (l. 2. c. 20.)* & varia ex Variis collegit *Ulyſſ. Aldrovand. (l. 1. de Inſect. c. 1. p. 17.)*. E vitulo ſtrangulato & rore nativitatem harum deduxit *J. B. Helmont. (tr. poteſtas medicaminum n. 37. p. 354.)* & *(tr. Schol. Humor. Paſſ. Dec. n. 67. p. 797.)* etiam ex Excrementis Tauri, imprimis ſi herba Cerinthe paſtus fuerit, *Ath. Kircherus (l. 12. M. S. S. 2. c. 2. Experimento 1. p. 378.)*. Notat hic *M. Chriſtoph. Schrot. (in Not. ad M. Caſp. Hœfleri Bienen-Kunſt l. 2. c. 1. p. 96.)*: *Virgilium* & veteres non cadaver fœtens innuiſſe, cum illud maximoperè fugiant Apes, ſed materiam putridam & ingratam, quam circa fœturam occupatæ appetunt, ita ut fœtus inde easdem colligere, ſcribere veritus non fuerit *Nicol. Jacob. (tr. de Apum Nat. & Cult. German. Bienenbuch.)*. Singulare eſt, quod obſervavit *Bernardin. Gomeſius (l. 1. de Sale)*: Captus, ſcribit, Sagunti à me fucus, digitis atque ungue cum medius premeretur, ſi forte aliquid vice aculei emitteret: Ecce ruptis viſceribus atque poſterioris partis pellicula album ſeu Croceum caput Bovis expanſis & tortuoſis carnibus roſtroque adunco affabrè formatum emerſit, quod & Aliis quinque vicibus tentavi & vidi.

§. 150.

Quamvis verò è humano cadavere illas ortas non facilè legas, easdem tamen humana cadavera non aſpernari, prout viventia innata gratioſitate ſua oſculari illis libuit, ut de *Platone & Pindaro Plinius (l. 11. c. 17.) Ælian. (l. 12. Var. Hiſt. c. 44.)* & *de St. Ambroſio Paulinus (in Vit. Ambroſ.)* retulerunt. De examine Apum, quo caput *Oneſili* exinanitum & ſuſpenſum favo referſit, *Herodot. (l. 5. p. m. 522.)* & in ſepulchro *Hippocratis* Apes longo tempore mellificaſſe, quo melle infantium oris ulcuſculis (*Aphtis vid. Hieron. Mercurial. l. 2. Lect. Patavin. c. 2. p. 190.*) juxta tumulum illitò, nutrices ea perſanabant, ut *Soranus (in Vit. Hippocrat.)* recitat ex *Auguſtino Gallo Joh. Jonſton. (Cl. 8. Thaumatogr. Nat. c. 2. p. 348.)*. Veronæ in ſepulchrum duarum Sororum Virginum *CLmi JCti. Bartholomæi Vitalis* filiarum non tantum per rimas horti contigui irrepſiſſe, ſed etiam copioſè favos inter utrumque confeciſſe cadaver. Res biennio ab inchoato opere fulminis abſque ulla cadaverum vel favorum læſione lapſu detecta omnibus admirationem incuſſit. Add. *Eraſm. Franciſci (p. 3. Theatr.*

Theatr. Curiof. p. 1120.) *Leonis* cadaver, in quo mellificarunt Apes, de Sceleto ejus explicat *Samuel. Bochart.* (*l. 4. Hierozoic. c. 10. col. 505.*), cum poſt dies aliquot, i. e. annum demum illud viſitavit. Amplectitur hanc *Bocharti* ſententiam *Fr. Redi* (*l. de Inſect. p. 84.*), qui (*pag. 86.*) *addit*, quod ex *Franciſco Albergotto* ſæpius audiverit, viſum ſibi quoque haud exiguum examen ſuſpenſum in cranio equi. Mortuo Domino aut Dominâ, niſi in alium locum transferantur, propria morte funeſtum Domini lugent fatum, (*Vid. Pſeudo-Majol. T. 2. Dier. Canicul. Colloqv. 3. p. 167.*), quæ miranda ſanè Sympathia, quam iis, de quibus ratio reddi nequit, annumeravit (*Cent. 1. hor. ſubciſiv. c. 73. p. 336.*) *Phil. Camerarius.*

§. 151.

Ut regnum vegetabile paucis tangam, nulla ferè planta eſt, quæ putreſcendo & verminando non producat peculiarem vermis ſpeciem, quod ſi Deo meo placuerit, pluribus *in tr. de plantis monſtroſis* declarabo. *Vide interim Athan. Kircher.* (*Scrutin. peſt. ſ. 1. p. 66. l. 12. M. S. ſ. 1. c. 9. p. 367.*). Addunt quidam vermibus iſtis ſerpentem, nec deſunt, qui Diabolum ex putrefactis virgis Majorum coram Pharaone ſerpentes produxiſſe augurantur, inter quos *Martin. Del-Rio* (*l. 2. Diſquiſ. Mag. qv. 6. p. m. 244.*). Quam benè *Jacob. Martini* (*Cent. 10. quæſt. illuſtr. Diſp. 5. qu. 4. p. 100. Tob. Tandlerus* (*orat. de Faſcin. & incant. p. 72.*) cum Theologis nos informant. Semina Tamariſci & ſilicis à vermiculis in iis deliteſcentibus inſtar illorum caſei & Aſcaridum arcum è corpore facientes ſaltitant, obſervante *P. Borello* (*Cent. 3. obſ. 54. p. 238.*) Extat & *Helmontianum* (*tr. imago Ferm. imprægn. Maſſ. ſemine n. 9. p. 92.*) quod repetiit (*tr. Scholar. Humor. paſſiv. decepit. c. 1. n. 65. p. 797.*). Si induſium (ſudore humano) ſordidum intra os vaſis, in quo triticum comprimatur, intra paucos dies *juxta Mart. Kerger.* (*de Ferment. ſ. 1. c. 6. p. 61.*) fermentum induſio hauſtum & odore granorum mutatum ipſum triticum cum pelle incruſtatum in mures transmutat. Quod mirabilius eſt, *pergit*, è frumento & induſio mures, non quidem parvuli, aut lactantes, nec minutuli, aut abortivi, ſed prorſus formati exiliunt. Sed hæc murium geneſis æquali ambulat paſſu cum illa, quæ fit è nubium vaporibus, ſecundum *O. Wormium* (*l. 3. Muſ. c. 23. p. 327.*), aut e Roris humiditate, quæ teſte *J. P. Fabro* (*l. 5. Panchym. ſ. 1. c. 12. p. 604.*) anno 1639. contigit, aut è navium ſentinâ *juxta Ant. Deuſing.* (*Vindic. fœt. extr. uter. genit. ſ. 1. p. 30.*). Abſonum eſt illud *Mart. Schoockij* (*tr. de Anim. Belluar. Diſp. 11. diſt. 44.*) mures provenire in navibus à pice, qui eſt ſuccus arboreus. Iſta pix multis ignibus excocta ejusmodi ſemina exanimaret, atque de arboribus piceis ne-

mo unquam vidit mures progeneratos, *regerit Henric. Kipping.* (*l. 7. Instit. Phys. c.3. §.24. p.276.*). Quod vero è cadaveribus Patruorum *Popieli junioris Regis Poloniæ,* poculo medicato extinctorum, putrefactis mures inusitatæ magnitudinis enati, impium Parricidam cum scelerata uxore & liberis absumserunt, testantibus id *Vincentio* (*l.25. Specul. Histor. c.17.*) & *Martin. Cromero* (*l. 2. de Reb. Polon. p. 38. & l. 4. p. 380.*). Digitus Dei fuit, non aliter, ut *Hattonis Episcopi Moguntini* interitum per mures interpretatur *Gisb. Voëtius* (*p. 2. disp. select. p. 934.*). Plura collegerunt *Samuel. Bochart.* (*l.4. Hierozoic c.27. col.622.*) & *Phil. Jac. Sachsius* (*l. 1. Gammarol. c.13. p. 271. §. 12.*)

§. 152.

Quomodo verò producantur & à quo animentur animalcula illa? ardua & spinosa quæstio extitit veteribus & recentioribus. Calori cum solari tum putredinali productionem hanc adscripserunt Veteres. *Vid. Jacob. Scheckius* (*de Calor. vi & effic. p. 409.*): Addamus, *inquit*, ad mentem *Aristotelis Mart. Weinreich.* (*p. 1. de Monstr. c. 12. f. 103. a.*) etiam ortum muscarum, ranarum, insectorum, reptilium, & si quid est hujus generis, quod è nullo propemodum certo semine, sed cœno & cadaveribus & simili materiâ oritur, in quam cum se solis calor insinuat, infinita numero ea animalcula prodeunt. Quamvis in his effectricem etiam aliam causam agnovit (*Aristoteles*), nimirum mixti putrescentis calorem residuum, qui materiam disponit, formamque ex materia traducit, virtute tamen cœlestis corporis. Nam ut in perfectis animantibus, cum generantur, calor agit quidem, sed animæ beneficio; ita mixti calor in putrescente vi cœli substantias producit. Referri huc possunt, quæ porro (*c. l. c. 15. f. 136. b.*) subjunxit: Insecta suam seminalem materiam in terra & aquis, quæ cum calore cœlesti & quodam etiam proprio excitatur magno numero & differentibus formis pro materiæ diversitate certis quidem temporibus nascuntur, unde nullus annus sine muscis, lumbricis, papilionibus: & & spuma quidem Aqua, è situ araneus, è fimeto muscæ, è rore vermiculis exit. *Dan. Sennert.* (*de Morb. Infant. p. 2. c. 5. p. 35.*) his se explicuit: Putredo sola nullam speciem producere potest, & siquid omninò ad generationem, (insectorum &c.) facit, non facit id quatenus putredo, sed quatenus cum ea est calor quidam benignus à quo vis seminalis excitatur. Calorem producere animalia, & non ex materiæ gremio, quod ex materia attenuatâ & calore constitui animam *Th. Campanella* (*l. 2. de Sens. Rer. c. 5. p. 58.*) docuit, & ex generatione vermium in cadavere sensum & calorem cadaveri esse conclusit.

§. 153.

§. 153.

Calorem putredinalem parvi æstimat *Hieron. Mercurialis* (*l. 1. de Morb. cutan. c. 7. p. 64.*), eò quod rem ad vitam & formam disponere, sit solius caloris nativi. Caloris igitur nativi reliquiis transcribit id, quod calori putredinali Alii. Interim causæ saltem efficientis secundariæ & adjuvantis vice fungeretur, si daretur. Cum namque careat fermento rerum transmutativo, separaret saltem partes, non trasmutaret, secundum *Joh. B. Helmontium* (*tr. imago fermenti transm. mass. sen. n. 5. p. 91.*). De alio igitur efficiente cogitare cœpit *Joh. Thom. Minadous* (*l. 2. de Corp. Hum. turpitud c. 9.*) dum scribit: Cum formæ introductio totiusque animalis elaboratio non simplicem unius caloris actionem sequi posse videatur, sed ex provida quadam actione cujusdam opificis cum discursu & prudentia operantis pendere mens ulterius præter calorem aliud quoddam agens cogitur inquirere, quod cum consilio & delectu singula in animalis fabricâ deponat ac moderetur. Præficit igitur & his animalibus generandis eandem mentem, quæ grandioribus gignendis præest. Et hoc ita se habere patet, quia pediculi, qui ex humore excrementicio sunt, ejusdem speciei existunt cum iis, qui è propagatione nati. Naturam dixere quidam, Archeum alii, aut fermentum, Spiritum mundi, lucem primigeniam, Animam denique, ut è sequentibus patet.

§. 154.

An è terrâ prodierint spontaneo ortu homines, *alibi* (*Oolog. Gener. Diss. 2. §. 112. p. 138.*) disceptatum & è *Censorino* (*l. de Die Natali c. 4.*) allegatum, ubi & vide *Henric. Lindenbrog.* (*in h. l. p. 28. sq.*) & *Francisc. Piccolomin.* (*l. de Ortis è putri c. 8. p. 1011.*), qui & *Aristotelem & Platonem* cum aliis Philosophis id asseruisse demonstrant, quamvis *Aristotelis* sententiam explicet *Idem* (*c. 12. p. 1017*). E Terra & putredine (*Evolv. Ool. c. l. §. 116. p. 142.*), in qua hæresi etiam fuit *Andr. Cæsalpinus*, quem plures refutarunt *in Oolog.* (*§. 209. p. 223.*), præprimis autem *Nicol. Taurell.* (*in Alpib. Cæs. p. 797. sq.*) qui concludit (*p. 806.*): quid his Cæsalpine? Mundo statim condito primum movens motu Solis materiam putrefactam calefaciens primos homines eduxit & extulit. Dispeream, ni sit hæreticus, qui ita sentiat: Absurda etiam hæc est hæresis. Cum enim primum movens cœlum movendo & nunc ab initio agat eodem modo: quid causæ est: cur procreatis ex putredine primis nostris parentibus homines ex putrefacta materia desierunt. Insimulat etiam hujus erroris *Hieron. Cardan.* *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 193. s. 1. p. 687.*), eamque vocem impiam & nefariam indigitat, sed in toto *Cardani* (*de Subtilitate*) *libro* me verba, quæ allegat, non

reperire potuisse, candidè fateor, benè verò illa, quæ sequenti sectione protulit, quod omnia animalia è putredine nata dolores finiant, (*l.9.p.507.*) nisi huc trahere velis illud (*c.l.p.486.*): Ex putredine perfectum animal oriri, haud est conveniens, quæ ipsa tamen verba à Scaligero allegata non animadverto. E carne humana sub terra defossa putrefacta homines redituros, fuere, qui dictitarunt, (*vid. Ool. c.l. §.152. p.178.*). Miratur *Avicennam* (*tr. de Diluviis*) astruere ausum: post immensas terrarum inundationes humano semine nullo, tabidis tantum cadaveribus seminii ubertatem præstante cœlestium corporum affluentia hominem & solere & posse reparari, & proinde colligere non videri ad generationis necessitatem vulvam requiri, aut locum, nisi, ut melius formetur infans, *Cœl. Lud. Rhodigin.* (*l.2. Ant. Lect. c.19. col.84.*). Benè *Guilielm. Clarke* (*Nat. Hist. c.1. p.17.*): Non conjungere possumus eadem materialia violenter separata, ut fiant unum corpus & habeant idem principium motus naturale, quod præstari poterit in operibus artis, at non naturæ, per solum Autorem Naturæ.

§. 155.

Basilius Valentinus Aristotelicorum ferè legit vestigia, dum Terram (& alia corpora) beneficio conclusæ humiditatis putrescere, putredinem factam ab igne accendi & explicari, ab aëre verò animari censuit, (*vom grossen Steine der uhralten Weisen 8. Schl. p.m.96.*). Hanc transmutationem miraculum miraculorum vocat (*c.l.p.91.*) & productionem Adami (*p.97.*), hac ipsa doctrina illustrare conatur *Monachus in Chemicis, quam sacrarum literarum lectione magis versatus exercitatusq́;*. Non distinxit sc. inter ortum verum supranaturalem s. divinum, quem creationem, & naturalem, quem generationem vocant, (*Vid. Weinrich. p.2. de Monstr. c.28. f.11. a.*), cum secundum hunc homines è terra produci nequeant.

§. 156.

Paracelsum si audiamus, iste de vermibus s. scarabæis è fimo aut luto emergentibus (*T.1. op. tr. Labyrinth. Med. c.11. p.280.*) sequentia in medium protulit: *Aus dem Kothe wachsen Kafer, Würme &c., nicht daß sich der Koth in Würme verwandelt, sondern es gebiehret sich ein Samen im Koth, aus welchen die Würme im Koth wachsen durch die Vulcanische* (Archeus autem est generationum Vulcanus *J. B. Helmont. tr. Archeus Faber n.1. p.34.*) *digestion. Also ist der Kafer anders als der Roßkoth, wäre er ein Roßkoth, wäre er wie derselbe.* Et alibi (*l.7. Paragr. §.3. p.454.*): *Alle Würme wachsen ex spermate, und nicht ex putrefactione, denn ein jeglich Ding wächst ex semine, denn aus dem Semine oder in den Sperma wächst noch ein Sperma, das ist sperma monstruosum, daraus denn alle*

faule Würme wachsen im Holz, und im Menschen dergleichen. In homine, wenn er stirbt, so hebt denn sperma monstruosum an, daraus denn alle faule Würme wachsen in dem Cadavere. Omne igitur semen duplicem habere substantiam (*Schol. in l. de Vermibus p. 181.*), Ex una fit simile illius, cujus est sperma, alia quoque in illud transit; sed ex hac nascuntur vermes & monstra &c. ex vero spermate semen, ex monstruoso spermate alia.

§. 157.

Seminalem materiam igitur in cadaveribus latere, accuratiores judicant Philosophi, secundum illud in Scholis receptum: Quicquid fit, ex suo semine fit. Semen autem distingvunt invisibile & invisibile. Comperi imprimis, *infit Helmont. (tr. Butler. p. 470.)* res omnes in natura constare semine invisibili. Oriri, *inquam*, sustentari, ac regi ab Ente, quod primum ab imaginante libidine, vel traducta potentia magnus incepit, ac stat deinde per totam sui esse durationem. Fieri dein visibilia seu hoc aliquid, solo vestitu & apparatu corporum sibi desponsatorum. Est namque semen visibile Archei, (qui est causa efficiens interna) tantum siliqua *(tr. Archeus Faber n. 4. p. 32.)*. Ex semine ejusmodi invisibili partim via ordinaria, partim via extraordinaria triumRegnorum cives excluduntur. Via ordinaria ita proveniunt mineralia, metalla & quicquid subterraneorum est. Habitat nempe (*pergit tr. magnum Oportet n. 2. p. 121.*) suus, ubique peregrinus & fermentaceus (de quo mox §. *157. & 158.*) qui sulphur aquæ ingravidet inibique sopitus tandem concrescat, ut in mineralibus. Via autem extraordinaria s. singulari, naturali tamen (licet namque monstrosa & anomala generatio fit respectu nostri, est tamen naturalis & ordinaria in ordine ad causas (*tr. imago ferm. impraegn. Mass. Sem. n. 10. p. 92.*) etiam ex ejusmodi seminibus propullulant plantæ & animalia comprimis, quæ vocant imperfecta, insecta, fermentationis & putredinis subsidio.

§. 158.

Omnium namque rerum naturalium vicissitudines & transmutationes non per somniatum appetitum hyles, (materiæ primæ Aristotelicæ,) sed duntaxat fermenti ope contingere *Helmont.* (*c. l. n. 1. p. 90.*) contendit, multorumque semina, non tam è parentibus, quam fermentis petit. (*n. 8. p. 91.*) Duplicia igitur fermenta in natura constituit. Unum quidem in se continet auram fluxibilem, Archeum seminalem, qui suo influxu in animam viventem inspirat. Alterùm verò saltem continet initium motus seu generationis rei in rem. Quod quidem licet sui initio non haberet auram seminalem, quæ scopos rerum agendarum complectatur, mox tamen vapore potitur, quem fermenta

tàm localia quam quæ ipſamet materiæ diſpoſitio externis fomentis acquirit, ſuſcitant. Unde Archeo aliquid ſimile fit, quod ſe ſuumque ſenſim hoſpitium transmutat, aptat adaugetque, agit porrò deinceps reliqua ad proportionem perfectionis & requiſitum auræ illius. Hoc nempè ſemen quadam primum & genericâ amplitudine luxuriat. Nam tametſi gaudent ſubſtratam ſibi maſſam ad fermenti concepti ſcopum direxiſſe, non rarò tamen aliundè fomites occultioris luminis ſuſcipit, ſumtoque temerario auſu etiam in animam viventem aſpirat. Hinc enim pediculi, cimices, pulices & lumbrici hoſpites ac vicini fiunt noſtræ miſeriæ. In prioribus (generationibus univocis) *pergit*, (*n. 11. p. 92.*) & vitalibus ſeminibus generans inſpirat Archeum cum ſui ſimilitudine & auram vitalem unà cum ſeminis maſſa. In poſterioribus verò (æquivocis) inſufflatur tantum fermenti odor à vaſis continentibus aut ambientis contagio. Quæ ubi ritè copulata fuerint, mox in plantam vel inſectum formantur, excitata nimirum aura ab odore & fermento fracedinis, quæ dein in Archeum rectorem exaltatur. Neque enim (*concludit n. 14.*) unum in aliud mutatur absque fermento & ſemine.

§. 159.

Ut igitur aqua fracido vaſis fermento muceſcit, antequam vermes concipiat & Cyniphes pariat (*id. ib. n. 31. p. 94.*). Ita & animalium corpora in ejusmodi mucilaginem, tanquam fracidi odoris â fermento inducti commodum hoſpitium abeunt, non aliter ut aqua ſuccus Leffas, (ita namque Aquam terræ fracedine infectam, veramque plantarum ſpontanearum materiam, perfectarum autem & ſemine productarum certum alimentum appellat *Helmont. (tr. Elementa. n. 13. p. 43.)*. Fumum ſeu vaporem vocat *Paracelſ. (l. 3. Philoſ. ad Athenienſ. t. 3. p. 17. add. Martin. Ruland. lex. Chym. p. 302.)*, aut Bur (ita ſuccum mineralem vocare libuit *Helmontio c. l.* Stannar autem *Paracelſ. c. l.*) facta ſpiſſiori gaudent conſiſtentia, ubi notandum illud *Helmontianum* (*tr. Blas human. n. 35. p. 150.*). Omnis terræ mucilago, quæ aliàs facile vertitur in vermes, item Amylum, carnes, piſces &c. ſemel glaciata mucilaginem amittunt & in aquam redeunt.

§. 160.

Eſt tamen & hic Naturæ lex nullaque aberratio, ut *αὐτόματα* illa neque prodeant è quovis animali, neque in eo lateant aut alantur, *inquit cit. Weinrich.* (*p. 1. de Monſt. c. 18. f. 181. a.*), quod ex ſupra allatis exemplis patuit. Cauſam ex hypotheſi allegat *Simon Simonius (Diſp. de putred. com. 94. p. 211.)*, quia per ſegregatum miſti calorem calor cœli vegetabilis, qui cum omni efficiente ca-

calore coëfficit, in hac & tali materia ad hanc & talem augustatur formam. Sed hæc rem non exhauriunt. Rectius *Martin. Weinrich.* (*c. l. b.*): diversitas naturam materiæ sequitur. Nam agens idem pro subjecta materiæ conditione nunc nobiliora, nunc ignobiliora producit. Non igitur ita lascivit natura, ut ex qualibet materia puodlibet gignat. Idem ex loci natura colligitur fieri vix posse. Ea ipsa etiam αὐτοφυὴ ita producit illa, ut non quovis loco omnia, non ubique sordes vivificat, ut ranas quidem in loco stagnoso tantum, non arenoso, neque minus locum, quam materiam convenientem desiderat: neque licentiose officinas transfert, sed æquabiliter, ubi fieri unum quodque debet, ibi exsequitur, & ne potest quidem ex se aliter.

§. 161.

Egregiè hæc ad mentem *Helmontii.* quæ paucis quidem ex ipso *Helmontio* illustranda. Quod ad materiam, illa vel in se continet semen ejus, quod mediante putredine aut fermentatione emergit in visibile (*juxta §. 157.*), quod ipsi inest natura prout cuivis animantium speciei peculiares esse pediculos *ex Aristotele* (*l. 5. hist. Anim. c. 31.*); addo & pulices, ut è *Fr. Redi* (*de ins. Tabul.*) didicimus, aut assumtorum & externe applicatorum usu continuo talismodi aptitudo individuo implantatur, ut tale semen inde propullulet, prout sunt, qui ex esu Ficuum s. caricarum pediculos in homine provenire credunt. Vitam namque sui mediam ingestorum quædam conservant pertinaciter & difficulter ab Archeo superantur (*Vid. l. 2. Tit. 8. §. 42.*). Ita Anates sub limo in Bufones mutari, Ardeas Luciis nutritas in Lucios, Carpionibus in Carpiones *Petr. Borell.* (*cent. 4. obs. 34. p. 304. & obs. 62. p. 326.*). Equorum cadavera in gramen, si *J. P. Fabro* (*l. 5. Panchym. s. 1. c. 2. p. 595.*) credimus. E juvenco mori foliis nutrito Bombyces. Ita *Hieron. Vida* (*l. 2. Bombyc. v. 334.*)

Quod si spes generis (Bombycum) *defecerit omnis ubique*
Seminaque aruerint Jovis implacabilis ira,
Sicut Apes, teneri reparantur cæde juvenci.

Add. Andr. Libav. (*p. 2. Singul. p. 372.*), quod ad fermenta localia, eadem esse totidem, quot fructuum expectationes iterum *Helmont.* (*tr. Caus. & init. rer. natur. n. 25. p. 30. & tr. Magnum oportet n. 38. p. 126.*) ratiocinatur, quod etiam commode huc trahere possumus. Videmus namque lumbricos teretes patriam habere intestina tenuia: Intestinum rectum & Sphincterem ani Ascarides. Ita aliud genus pediculorum caput infestat, aliud alas & partes pudendas, aliud partes alias. *V. Petr. Forest.* (*l. 8. obs. med. 14. p. 245.*) & *Sam. Hafenreffer.* (*l. 1. de cutan. affect. c. 10. p. 73.*). Hæc cum rationi sint consentanea quam maximè,

eur

cur improbet *Casp. à Rejes* (*Camp. Elys. qu. 36. n. 31. p. 436.*) non assequor. Multò frequentius monstra illa, si hoc esset apparerent, quidam *objicit*, sed, qui quàm facilè ejusmodi generatio impediri queat, expendit, argumenti infirmitatem inde concludet oppidò.

§. 162.

Unde verò his anima? Viventia cum sint. Ad casum & fortunam confugit *Hieronym. Cardanus*, ad Deum, *Joh. Duns Scotus*, ad intelligentiam Cholcodeam Pantamorpham *Avicenna*. E cœlo derivant quidam, calore nempe solari, ab influentis cœlestibus, *Complutenses* (*Disput. 8. qu. 3.*) *Huntard. à Mendoza* (*disp. 10. f. 4.*). De cœli calore *Averroës*, de lumine cœlesti *Alb. Magnus*, de motu cœli *Thomas* varia somniant. A Spiritu mundi & salino madore vivæ mortis formam derivabat *August. Hauptmann.* (*Epist. prælim. de vivo. mort. imag. p. 18.*). Formas seu Animas scintillulas animæ mundi *Henric. Kunrad.* (*de Ign. Philos. ext. p. 21.*) interpretabatur; Animam universi etiam introduxit *Steph. Rod. Castrens.* (*l. 1. de Meteor. Microc. c. 15. p. 33.*), cum Platonicis & Thomistis, & Animam Terræ & Aquæ cum *Cicerone & Seneca. Add. Oolog. Cur.* (*Diss. 2. §. 193. p. 203.*). A cœlo tanquam à causa universali hanc aut illam formam pro materiæ dispositione necessariò introduci, itidem arbitratur (*c. l. n. 27. p. 434.*) *Rejes*. Sed in Scholis jam olim obtinuit axioma, nullum agens universale producere effectum particularem, ut de eô, quod à multis æstimatur, non dicam, cum cœlum sit inanimatum, quid inde animati? nisi detur effectum posse esse nobiliorem causâ suâ. *Vid. Ulyss. Aldrovand.* (*l. 3. de Testac. c. 1. p. 80.*) *Joh. Sperling.* (*l. 6. instit. Phys. c. 2. qu. 2. p. 1077.*). Donum multiplicationis aut generationis effusum erat ante natas stellas regerit *Helmont.* (*tr. Formar. Ortus. n. 1. p. 105.*), & absurditatem hujus opinionis pluribus Soli exponere occupatur, tandemque concludit (*c. l. n. 14. p. 107.*): Cœlum vel astra nullo intellectus modo per motum, lumen, influentiam, concurrentiam, cooperationem aut copulationem producunt efficienter & immediate formas essentiales rerum. Quæ duntaxat tantum nobis sunt in signa & tempora, dies & annos, quorumque munia nemini licet in novas servitutes compellere. Juxta vias gentium nolite discedere, & à signis cœli nolite timere, quæ timent Gentes. Si non signa, multò minus astra, quia non habent rationem causarum, nisi ut sint in tempora, dies & annos. Nec potest Christianus sine scelere illis dare alia officia. *Conf. Dan. Sennert.* (*de Cons. & diss. Chym. cum Aristot. c. 9. p. 92.*) *& Sylv. Ratmy* (*adit. ad Sympath. & Antip. p. 42.*), qui Spiritum mundi Theatro Physico introducunt, videant prius quomodo

modo ejus exiſtentiam felicius atque hactenus factum & ſolidius probent demonſtrentque, & annon aëri ejus excellentiæ Luci aut Ætheri quod debetur, eidem aſſignent, adeoque Entia præter neceſſitatem multiplicent, probe diſpiciant. Semper ridiculum fuit, *judicat* (*c. l. n. 32. p. 436.*) *Rejes*, in ſuperioribus cauſam quærere, ubi ſufficienter in inferioribus apparet.

§. 163.

Pro aëre militant Alii. Immortales eſſe Animas etiam rerum minimarum, (*de materialibus loquitur*,) nullumque in mundo eſſe angulum animis deſtitutum, aſtruit (*Cent. 4. obſ. 34. p. 304.*) *Petr. Borellus.* Corporibus autem ſ. animarum ergaſtulis corruptis avolant per aëra & ſic errant, donec ſibi novum aliquod corpus ipſæmet progenerent, magneticâ attractione ſubſtantiæ ſibi neceſſariæ ad corpus ſibi prædeſtinatum, & juxta ſuam ſcientiam architectonicè conſtruendum. Hinc fit, quod in turribus naſcantur plantæ & in locis inacceſſis & in terris è profundo erutis. Alia huc ſpectantia habet *Idem* (*c. l. obſ. 62. p. 325.*). Aliter paulò ratiocinatur *Beccherus* (*l. 1. Phyſ. ſubt. S. 5. c. 1. n. 44. p. 325.*). In Aëre animale quoddam & ſeminale Chaos latet, (quo cum *& Paracelſus l. 4. de Nat. rer. p. 889.* idem ferè ſenſit,) quod animali magnete attrahitur, quare neceſſariò hoc novum ſeminale attractum objectum in ſubjecto animali putrido operatur & novas ſpecies profert, inſectorum & omnium generatio, quæ ex putridis oriuntur. Et paulò poſt: infallibili conſequentia concludimus, ſubjecta animalia ſui ſimile quoque ex aëre attrahere, nempè animalem quandam virtutem licet imperfectam ob receptaculi corruptionem. Hinc inſecta tantum prodire neceſſe eſt: Tandem (*p. 326.*) Animationem inſectorum ex Aëre provenire concludimus, freti per alias rationes experimento Herbipolenſi, quod *Eminentiſſimus Elector Moguntinus* Herbipoli in arce fieri curavit, pro convincendo *P. Valeriani* vacuo. Nam ſi vacuum daretur, nulla intus putrefactio aut corruptio contingere poſſet vaſe recipienti, *juxta Gericken Magdeburgenſis cujusdam Civis* inſtructionem per Anthliam pnevmaticam optime evacuato, impoſitæ ſunt carnes & optimè lutatæ intra paucos dies inceperunt tandem putrefieri & tandem vermes creſcere, ſed non viventes, neque ſe moventes, vaſe tandem aperto illicò vivere & ſe movere inceperant, quod etiam *Glauberus* affirmat, putrida nempe non in viva animalcula abire, niſi Aërem ſentiant apertum, unde clarè conſtat, vivacitatem ex aëre provenire tanquam communi ſeminario & panſermiæ receptaculo. *Hæc Beccherus.* A quo verò formabuntur vermes ſ. machinæ corporum? quomodo creſcent vermes absque animæ communione & præſentia? quæreret non ſine ratione quispiam cum

Mart. Kergero (*de Ferment. s. 1. c. 4. p. 37.*) cum Anima sit domicilii sui Architecta.

§. 164.

Materiam aliunde fomites occultioris luminis suscipere, sumtoque temerario ausu etiam in animam viventem aspirare *dixit. Helmont.* unicuique rei, etiam demortuæ, suum esse cœlum sive partem puriorem lucidam, quæ â putredine educitur & manifestatur. (*Vid. suprà l. 2. Tit. 8. §. 74. sq.*). Ab illa luce s. cœlo formas deduxit *Christian. Lang.* (*Pathol. Animat. c. 54. §. 1. p. 573.*) Insecta, quæ ex putredine mixtorum originem habent, (verba sunt *Athan. Kircher.* (*Itiner. Ecstat. Dial. 2. c. 5. p. 122.*) nascuntur vel ex vegetabilibus, vel ex animalibus vel ex putridis terrestris materiæ quisquiliis, quæ in aëre, aquâ & terrâ confluxerunt, & hoc modo animantur: quoniam putredo nihil aliud est, quam indigesti humoris confluxus, sive is fiat in vegetabilibus, sive animalibus, sive in quacunque Elementorum misturâ, quæ uti pinguedine & calore pollet; ita lux primigenia seu semen mundi in eâ materia individuatâ calore suo interno derepentè ob proximas ad generationem dispositiones animal excludit, juxta eam materiam è cujus putredine educitur.

§. 165.

Animæ nonnihil in omnibus & singulis viventibus remanet, etiam post mortem, *alibi* (*l. 12. M. S. s. 1. c. 6. p. 357.*) laudatus dictitat *Kircher.* una cum seminali virtute, non ut forma, sed velut in vase. Formæ, *inquit*, subordinatæ aut subjugatæ non otiantur fermentationis tempore, sed vitam nobiliorem etiam affectantes ex subjectionis carcere erumpunt, quarum aliæ imbecilliores & commodis adminiculis distitutæ in ordinem quidem â specificâ redigi nolunt, sed ipsæ tamen fiunt specificæ, nec tamen corpus suum reædificare possunt, & â fortiori cum tantillo suæ materiæ non sine luctâ aut ejiciuntur, aut fecis quantitatem augere coguntur, aliæ veluti temporibus insidiantes, ex quo forma princeps solio cessit vita ultima formarum specificarum non sunt contentæ, sed mediam quoque prætergressæ ad primam aspirant. Ideoque ad se rapiunt, quodcunque ad sui corporis constructionem congruit: hinc in diuturniore fermentatione quandoque vermes nascuntur. Adde, quæ habet *Isaac. Zabanius* (*de Epist. Atom. Argum. 7. p. 53.*) Si per animæ reliquias, ut videtur, formas subordinatas intelligit, non omninò absurdus multis videbitur *Kircherus.* Illustrant illa, quæ de Fermentatione (*c. l. c. 10. p. 94.*) *Kergerus* commentatur. Affinis huic illa *Joh. Amos. Comenii* (*Phys. Reform. c. 10. p. 172.*) asserentis Spiritum animalem potius, quam planè materiam putrescentem deserat, alterius generis animalcula formare.

§. 166.

§. 166.

Quare ex putridis potius plura animalia, quam unum magnum generatur? quærit *Casp. Schottus (l. 12. Phys. Curios. c. 12. p. 1566.)* & respondet, quia materia est siccioribus partibus interrupta, per quas partes ficciores fit discontinuatio. Si audias *Hieron. Cardan. (l. 9. de Subtil. p. 408.)* ista protulit: Hoc differunt generatione ex semine & putri materiâ, quæ calorem excipit semper similem ei, ex quo semen generatur, in aliis calor quidam est, sed materiam contingit hic vel illic esse, ut sit generatio talium fortuita: Ob id ergo pleraque pusilla sunt & imperfecta. Pusilla quidem, quia parum materiæ adest generationi aptæ, cum fortuitò collecta sit: imperfecta autem, quia parvam habet quietem talis generatio, & ob id brevi perficitur, ut in operibus etiam Artis perfectum esse nequit. Ob id nullum penitus animal ex putredine genitum, quamvis omnes habeat sensus, potest illos habere perfectos & absolutos. Ex *Helmontio (tr. imago fermenti n. 23. p. 93.)* diceres, putrefactione præmissa, & accepto fermento partes dehiscere in minima. In ficciorum locum mucilaginis relollaceæ interpositionem substituere frivolum est, cum sciamus in semine ob prædestinationem Naturæ singularem ejusmodi imagines s. ideas latere. Cur verò animalia potius quam plantæ? (quamvis & sint, qui ex animalibus corruptis etiam plantas provenire putent,) iterum quærit *Schottus* & regerit; quia plantæ amant locum ficciorem. Sed ex eodem fonte hausta ratio forsan magis ad rem. Eadem etiam forsan militabit in illo *Kircheri (c. l.)* problemate, cur animal plerumque in pejus mutetur? ad quod reponit, quod in morte pristini viventis calore paulatim deficiente materialis anima labefactata in pejorem imperfectioremque tendat, specie prorsus mutatâ.

§. 167.

Et hæ sunt potiores de Vermium in corporibus vivis & mortuis putredinisque fræno subjugatis, cum veterum, tum recentiorum sententiæ, inter quas olim elegi & publicè exhibui (*in Oolog. General. Diss. 2. §. 195. p. 206.*) illam, quam *Paracelsus (Vid. supra §. 156.)* fovit. Hæc verò cogitationibus posterioribus examinata basi destituta cum deprehenderetur, cum *Augusti Cæsaris Ajace* in Spongiam incubuit. Quid namque demonstrari poterit, quod materiam incultam in semen transmutat? Vulcaniam digestionem allegat *Bombastus.* Digestio etiam ab igne solari facta cum sit externum quid & accidentale instrumenti vices tantum sustinet, adeoque ad illam corporis automati productionem minus sufficit, (*Vid. Joh. Sperling. l. 1. instit. Phys. c. 3. ad praec. 3. p. 84. & Ool. c. l. §. 162. p. 184.*), hinc non attendenda. Vulcanum allegas? rectè,

unde verò hic? è Spiritu Mundi infers? hic ebriosi Cerebri Phantasma, nihil operabitur, cum nihil sit. Motore interno opus est, eoque scientia mechanica conspicuo, sed qui nullibi, nisi in semine habitat. Fiunt autem *juxta Helmont.* (*tr. Imag. Ferment. Impr. Sem. Mass. n. 12. p. 92.*) à conceptu generantis, facientis imaginem sui per libidinem, vel ab odore fermenti, quod materiam disponit ad ideam rei possibilis. Semen autem fit substantia, in qua Archeus inest, qui est Gas spirituale, continens in se fermentum imaginem rei, atque insuper notitiam dispositivam rerum agendarum. Semina igitur pensum suum in generatione absolvunt scientia ingenita vitali, ipsa denique Essentia, ceu *Petrus Severin.* (*Idea Med. Philos. c. 18. p. m. 91.*) demonstrare satagit, adeoque generationem & corruptionem fluxus & refluxus seminum dictitat (*p. 89.*) quæ dum fluunt augentur, minuuntur verò dum refluunt, qui & spiritus artificiosa scientia non instructos sine Mechanica arte nudos vapores, fumos inanes & fugaces umbras, non sine ratione reputat. Semen facere ea, quæ ab Arte sunt jam olim *Aristot.* (*l. 7. Metaph. c. 9.*) mens fuit. De Architectonicis spiritibus & eorum prædestinatione *Petr. Borell.* (*c. 2. obs. 1. p. 104.*). *Add. Diss. de Gemell. & part. numeros. c. 3. §. 8.*)

§. 168.

Spontaneam igitur generationem, communiore nomine æquivocam nuncupatam, somnium & suave Philosophorum delirium, (*c. l. §. 81. p. 113.*) & Chimæricam, (§. *164. p. 285.*) forsan non sine ratione proclamavi, omniumque mixtorum ortum ex ovo deducendum intrepidus (*§. 77. & 78. p. 111.*) asserui. Unde verò & quomodo in humanum corpus ova transferantur, etiam ibidem quædam sparsi. Ovula volitant in aëre (§. *167. p. 187.*) & ab homine attrahuntur (*§. 168. p. 188.*), quin & vermes meri mixti (*§. 174. p. 192.*), parva etiam animalia cum Aqua absorberi (§. *178. p. 195.*). Quin & majorum animalium semina, v. g. Ranarum Bufonum &c. aliquando cum aqua deglutiri experientia magistra rerum docuit. Deponunt ova sua in Lacticinia, pultes, quin & carnes vermes & Muscæ, adeoque cum his ventriculo inferuntur, *juxta Joh. Sperling.* (*tr. de Orig. Formar. p. 33.*), quam sententiam etiam multi Recentiorum Philosophorum non postremi seqvuntur. Addam & hoc à paucis, aut forsan nemine adhuc animadversum; vermes terrestres, imprimis Lumbricos, in Lactucam, Brassicam & alias herbas, quas etiam crudas mensis inferre solent coqui, illinere & infigere ovula, unde Lumbricorum intestinalium, teretum & aliorum vermium in humano corpore proventus. Ita in fructibus, siliquis, cerasis, prunis, pyris, malis, avellanis vermes latere neminem latet

tet, quin & in raphanis, rapis & aliis radicibus isti sua invenerunt habitacula. Qui herbas comedit semine Ranarum turgentes, Ranas evomuit, (*Th. Bartholin. Cent. 2. Hist. 23. p. 209.*). Hirudinem cum aqua absorptam vomitu rejecerat Neapolitanus Princeps. (*id ib.*) Nec minus compertum est per os, nares, &c. dormientibus irrepsisse hujusmodi animalcula, quæ fœtura gravida ova in ventriculum deponunt, in cujus cavitate cum Chylo primum & cum hoc sanguini miscentur, & per vasorum anfractus modò in hanc, modo illam partem deportantur & deponuntur & excluduntur, (*Vid. Ool. c. l.* §. *168. p. 188.*), quod quidem impossibile *Friderico Ruyschio* (*obs. Anat. Chirurg. 64. p. 83*) *Anatomico Amstelodamensium incomparabili* visum. Nec annuit *Helmont*, dum (*tr. Sext. digest. alim. hum. n. 82. p. 180.*) Lumbricos in ventriculo si diutius persistant, per modum cibi confici propalavit, cui effato ipsa repugnat experientia.

§. 169.

Quod ad vermes in Cadaveribus & in aliis putridis spectat, ovula putrido & cadaveribus inferuntur, unde verminare incipiunt, (*Vid. Ool. c. l.* §. *166. p. 187.*). Novit id *Divinus vates Homerus* (*l. 19. Iliad.*) quando (*v. 23.*) *Achillem Thetidem* his alloquentem introduxit:

valde graviter
Timeo, ne mihi intereà Menoetii fortem filium
Muscæ ingressæ in impressa ære vulnera
Vermes generent, deturpentque cadaver
- - - - inque corpore toto putrescat.

Cæterum, nisi horum animalculorum fœtus accedat, putrescent quidem cadavera, nunquam verminabunt. Experimenta habet *Fr. Redi* (*de Generat. Insect. p. 46.*), ex quo hoc allego: Medio mense Julio in lagenas quatuor orificii amplioris misi serpentem unum, pisces aliquot fluviatiles & frustum lactantis vitulinæ occlusisque posteà & optime obsignatis Chartâ & funiculo orificiis: nec multum temporis abiit, quin pisces & carnes horum vasorum reliquæ verminàre inciperent; muscis cum luberet intrantibus & exeuntibus. At verò in lagenis occlusis nullum unquam vermem natum vidi, utut non unus mensis abierit, ex quo cadavera inserta erant. Nonnunquam tamen foris, in chartâ excrementorum aliquid, vel vermiculus inveniebatur, (muscarum absque dubio fœtura,) qui omni conatu & sollicitudine id agebat, ut inventâ aliquâ rimâ intrare in lagenam & victum sibi quærere posset, omnibus quæ intus erant, jam putrefactis, fracidis & corruptis. Plura si expetis, Autorem evolve.

Rectè igitur *Henric. Kipping*, (*l. 7. Instit. Phys. c. 3. n. 17. p. 274.*) ostendit. Experientia rerum magistra, quod cadavera in tumulis deposita resolvantur in principia sua, ut ne minimi vermiculi indicium aliquod comperiatur. Quid quod hyeme, quo tempore insecta, aut sopore corripiuntur, aut uterum non ferunt, carnes, casei & reliqua, utut putrida, verminationi minimè subjaceant.

§. 170.

Cur vero carnes & cadavera invadant muscæ cum aliis insectis, iisque posteà ovula & semina affricent, si conteris

Θεὰ θέτις ἀργυρόπεζα

Apud allegatum Poëtarum Principem (*l. c. v. 31.*), respondebit, improba examina, muscas, viros bello-necatos comedere. Vidi id ante annos non ita multos in cadavere Rustici in sylva prope pagum *Erlebach* occisi & inventi, cui cum Cerebrum cranio denudatum erat, dimidia cerebri pars â muscis absumta deprehendebatur. Ita Muscæ saccharum & Saccharata liguriunt iisque suas inferunt fœturas, è quibus, non ex excrementis, ut voluit *Joh. Sperling.* (*l. 1. Instit. Phys. c. 3. p. 85.*), verminatio procedit. Ita pisces cadavera aquis injecta appetunt & devorant, ut *è supra dictis* (§. *46.*) claret.

§. 171.

Ita serpentes appetere carnem humanam, adeoque ad cadavera adrepere, multis indubium videtur. Propter hanc dulcedinem caro humana optime nutrire dicitur *Joh. Æliano* (*Histor. natur. de Ruminant. Syntagm. 3. p. 64.*), si igitur alicubi in Cadaveribus, aut potius circa illa in bustis inventi cibum quæsiverunt, odorum svavitate allecti, *Vid. Joh. Sperling.* (*l. 6. Zoolog. c. 1. Axiom. 3. p. 403. Add. l. 2. c. 8. Axiom. 4. p. 188. & c. 9. Ax. 3. p. 193.*). Quosdam equidem serpentes in corpore aluisse, historiæ & observationes intimant. Sed hos ova serpentum cum aqua degluriisse, tales suspicantur, puod rationi adversum videtur *Melch. Sebizio* (*ap. Gregor. Horst. l. 1. Epist. Med. s. 6. p. m. 412.*), quia (α) ova eorum, *secundum Aristotelem & Plinium*, in aquis minime reperiuntur. Descripsit tamen serpentem, qui

Stagna colit: ripisque habitans, hic piscibus atram
Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet.

Virgilius (*l. 3. Georg. v. 430.*) (β) Majora sunt, quam ut citra difficultatem deglutiri possint. (γ) Neminem nisi cœcum fugiunt. (δ) Membrana connectuntur & ut *Aristoteles scribit*, monile referunt, quo mulieres collum ornare solent, quod & *Guilhelm. Harveus* (*Exerc. de Generat. Animal. 3. p. m. 48.*) observavit. Contra tales aliquando in somno ore aperto, dum dormiunt, in

os

os irrepere & deglutiri possunt. Exemplum notabile suggerit (*c. l. p. 390.*) *Gregor. Horstius*, quod impossibile non videtur *citato Sebizio (c. l. p. 411.)* (α) Quod non omnimodè animales functiones in somno cessant. (β) Serpentibus nulla sunt obstacula, ut etiam in angustos meatus se intrudere possint, (γ) Reptatio serpentis organa ad deglutitionem irritat. (δ) Deglutitio prompta, dum serpens se ad sui deglutitionem reptando disponit ac promovet. (ε) Facilius res succedit, si serpens minor sit, ut hariolatur *Gregor. Horst. (c. l. p. 391.)*

§. 172.

Quod ad serpentes cum in fœtu in lucem editos spectat, molæ fuerunt serpentiformes motum aliquem, ut molæ obtinentes, qui verò è morbidis hominum corporibus egressi Naturæ Sphæram transcendunt, morbumque θεῖλαῶν confirmarunt. Draco Cleomenis in crucem acti custos, spectrum fuit Diabolum, quamvis carnis dulcedine instigatum hunc declarat *Henr. Kipping.* (*l. 7. instit. Phys. c. 3. §. 19. p. 174.*). Quod de serpente è medulla cadaveris spinali dicunt Autores, dicunt, non probant, & perinde facile dicitur, quod è medulla ista procreetur Elephas, aut Camelus, *laudatus Kipping.* (*c. l. §. 18.*) decidit. Lacertarum aquaticarum (*Wasser Moll, Wasser Eidexen*) ova facilè cum aqua ingurgitari, experientia jam dudum docuit, cum ova pisi solùm magnitudine edant. Conf. iterum *Sebizium* (*c. l. p. 412.*). De aliis insectis idem esto judicium. Monstrositas animalculorum non admiranda, cum ea extra corpus etiam in insectis, quamvis rarò visa fuerit. Plura, Deo dante, *in Exercitationibus Anti-Bonnanianis.*

§. 173.

Unde verò tanta in vivis & mortuis corporibus vermium copia? De intestinorum vermibus *olim Hippocrates (l. 4. de Morb. s. 5. op. p. m. 71.)*: Teretes quidem pariunt, lati vero non amplius, etsi eos parare dicant. Firmat id observationum Sylloge, ut observavit *Amatus* (*Cent. 5. Curat. 46. p. 81.*) Vermem crassum ab hominis corpore eductum, forteque pedibus exenteratum, *narrat Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 89. p. 88.*), non sine admiratione vidi vermiculis innumeris refertum esse, quare non mirum, si in corpore nostro tanta copia generentur, cum & ipsi sibi generent similes. De alio verme capsulæ ligneæ incluso *Theod. Kerckring.* (*Spicil. obs. anat. 43. p. 98.*), dum capsulam aperio ipsum jam mortuum, sed ante mortem peperisse, reperio. Adjacebat enim vermiculus vivus & mortua genetrix quæ tumorem circa ventrem manifestum viva ostenderat, jam parte ista detumuerat. Lumbricos esse

in

in nobis absque prolificatione, Ascarides autem pariunt ova, *Helmont.* (*tr. Sextupl. digest. alim. human. n. 82. p. 180.*) docuit. Et hoc est, quod veteribus & Recentioribus, inter quos *Kircherus* eminet, imposuit, quando è corruptione insectorum & reptilium alia insecta & reptilia prodiisse crederent, cum non ex eorum cadaveribus, sed ovis maturis horum proventus promanaverit.

§. 174.

Morte nostra vivunt insecta, morti mox mox tradenda. Parum namque est, quod his vivitur, quæ vix spirarunt, mox exspirant. Mira in mentem venit Sylvestrium hominum in Regno Dragoiam simplicitas & persvasio à *M. Paulo Veneto* (*l. 3. de Region. orient. c. 17. p. 139.*) notata, quid esperatos infirmos occidunt, carnes eorum incidunt, coqvunt, devorant & id potissimum faciunt propinqui & consanguinei simul congregat. Ajunt enim, si carnes putrescerent & verterentur in vermes & illi tandem fame morerentur, de quo defuncti anima gravissimas passura esset pœnas. Sed hoc obiter. Non in vermium morte acquiescit natura, prout gradatim coagulat, etiam sensim resolvit. Ut igitur veritas effati divini: Terra es & in Terram reverteris: etiam in absconditis luceat cryptis naturali inclinatione reductio in terram putrefactionis ope contingit. *Adi J. Joach. Beccher.* (*l. 1. Phys. subterran. s. 5. c. 1. n. 9. p. 301.*). Et ita.

- *Cedit retro de Terra quod fuit ante*
In Terras. (*Lucret. l. 2. de Nat. Rer. v. 1175.*)

§. 175.

Quid caro? quam Terra conversa in figuras suas, quærit & respondet (*l. de carn. Christi p. 22.*) *Tertullianus.* Quod è Terra conformatus sit homo, *Homerus* id quoque ex veteri & divina cognovit Historia; Terra es, & in terram reverteris, dicente. Exanimum is *Hectoris* corpus surdam vocat Terram. Alicubi namque (*l. 23. Iliad. v. 54.*) contra *Achillem Hectoris* post mortem corpus raptantem dicit:

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων.
Insanus terram properabat lædere surdam.

scripsit & Justinus Martyr. (*orat. ad Gent. cohortat. p. m. 29.*), insensibilem terram, verterunt Alii. Mutam, vertit *Anton. Riccobonus ap. Aristot.* (*l. 2. Rhetor. c. 3.*), qui & hoc Homericum laude prosequitur. Quid vermes? stercora potius, quam quicquam ex nobilioribus, opinatur *Martin. Weinrich.* (*c. l. c. 18. f. 179. b.*). In Pulverem vertitur & caro & vermis, in terram vertuntur nitro-

fam.

ſam. Id autem, *Becchero (c. l. n. 50. p. 329.) judice*, neceſſe eſt, ſi conſideremus particulas ignearum vivificantium Atomorum talium inſectorum morte partim evaporare, partim volatilibus ſalinis, ſeu potius inverſis oleoſis partibus inhærere atque novum mixtum conſtituere, quod nitrum vocamus, idque claro Experimento demonſtratur, ſi lumbrici capiantur, in Nitrum ponantur, in aquam ſolvantur, hæc ad tertias inſpiſſetur, concreſcent flagrabiles cryſtalli Nitri.

§. 176.

Sed nec ipſum Nitrum ultima, in quam reſolvitur corpus putridum, materia. Dum namque ejusdem partes (*Idem pergit p. 330.*) igne ſeparantur, reliquæ in terram convertuntur prorſus puram & inſipidam, ſed ſingulari magnetiſmo præditam novum Spiritum aëreum attrahendi, rurſusque Nitrum fiendi, talis quoque terra in putrefactione remanet, nempe ex partibus corporis fixioribus, quæ non ita citò reſolvi & volatiliſari poterant, nec proinde per Spiritum aëreum mundi vificari aut nitrificari, abſente ergò & abacto hoc Spiritu, ipſum quoque Nitrum in terram convertitur, ſcribitque *Helmontius*, ſe omne Nitrum in Terram convertere ſcire elementalem. Hæc nitroſa Terra ſivè à nitrificatione ſive putrefactione reſidua, elementalis quidem, ſed non adeò ſimplex eſt Terra, nam novum Spiritum attrahit, ac proinde fertilis eſt & vegetationi plantarum valde conducibilis, quibus attractum Spiritum communicat, atque ita fertilis redditur. Semper ergò attrahendo novum Spiritum & Nitrum fiendo, rurſusque Spiritum amittendo ac emoriendo, ſemper, inquam, cum abeunte Spiritu in tali operatione particulæ quædam terreæ abeunt, atque ita gradatim omnis ſuperſtes terra, quam mortuam vocare licet, conſumitur, donec omnis vacuas evaneſcit in auras.

§. 177.

In aquam ultimo cadavera migrare, nam ſi in cinerem & terram migrarent, cœmeteria in immenſum creſcerent, quod experientiæ quotidianæ repugnat, perhibet *Sylveſter Ratray (in adit. ad Sympath. & Antipath. p. m. 34.)* hauſit id ex *Helmontio*, qui (*tr. Cauſæ & init. natural. n. 31. p. 30. & alibi paſſim,*) Aquam venditat initium corporum univerſale, & eam unicam rerum cauſam materialem, in modo, puritate, ſimplicitate, progreſſu, prout & in termino diſſolutionis ad quem cuncta corpora per materiæ ultimæ reductionem redeunt. Omnis Terra (*idem aſſerit tr. Terra, n. 13. p. 45.*) lutum ac omne corpus tangibile verè & materialiter eſt ſolius Aquæ progenies & in aquam iterum reducitur per Naturam & artem. Etenim (*concludit ib. n. 10.*) ex homine, ligno &c. eſto pulvis, cinisve per ignem relinquatur, nunquam tamen terra elicitur, aliàs

mox nostra intumescerent Cœmeteria. *Add. Dav. von der Becke (Exper. circ. rer. nat. princip. p. 285.)*

§. 178.

At illa *doctissimi Viri* thesis *oraculo divino* adversatur, objicit *Ant. Deusing. (fœt. Mussip. secundin. s. 21. p. 145.)*, cui cur non subscribam, causas habeo sonticas: Deus ipse (*Genes. 3. v. 19.*) ad *Adamum Protoplastum*: Donec revertaris in humum, cum ex ea sumtus sis, nam pulvis es & in pulverem reverteris. Ipsi Experientiæ id reclamat, quæ cinerem ex Cadaveribus superesse testatur. Liquescit equidem corpus demortuum in locis humidioribus; at liquor iste non magis pura est aqua, quam vel lixivium, vel saponaria aqua, aut similis alia miscella, quæcunque pro aquâ pura habenda sit. Quod ad rationem ejus attinet, eadem urgeri posset, ligneos cadaverum capulos in aquam migrare, non in terram. Utique ex terra molliore, ac quæ identidem vertitur, (ut in Cœmeteriis contingit,) multum exhalat non modo vaporum aqueorum, sed & terrestrium fuliginum.

§. 179.

Prævidisse videtur hanc objectionem *Helmont*, inde respondet (*tr. Complex. atque mistion. Elem. figm. n. 43. p. 90.*), quod terra in sacris non sit primarium Elementum, sed quodvis coagulatum ex aqua terra dicatur, eò quod plus per sui consistentiam terræ assimiletur, quam aquæ. Adeoque (*concludit*), ipsissima terra naturæ fulcrum, ex aqua est non minus quam homo, lignum, cinis, lapis &c. An felicem egerit Interpretem *Helmont*, fontes docere poterunt, ideoque id potius excutiant Theologi.

§. 180.

Homerus, ut ex infra dicendis (*l. h. Tit. 2.* §. *55.*) clarum evadet, aquam & terram conjunxit, quod ipsum *Beccheriano* fovet dicterio, qui Nitrum proposuit, cum nitrum sit ferè nihil aliud, quam aqua concentrata, terræ mixta, inde glacies Paradisi *Henning. Scheunemanno* (*Paracels. ad morb. lagastr. s. 4.*). Quamvis & condensatum aërem reputarit *Robert. Fludd.* (*tr. 2. Hist. utriusque Cosm. cl. 2. c. 6. p. 193. & c. 9. p. 202.*), & Auram inferiorem coagulatam, seu magneticam Sapientum ebuccinet *Balduin.* (*tr. Aur. Auræ c. 3. p. 28. & c. 5. p. 70.*) *Guilielm. Clarcke* (*Natur. hist. Nitr. c. 4. p. 62.*). Notandum interim in laxiori significatu Nitri nomen huc referri, cum id, quod è cadaveribus in terra superstes manet etiam Sal ammoniacum nuncuparit *Carol Musitanus*, ut ex superioribus (*§. 69.*) claret. Nitrum autem non solum in terrâ Cœmeteriorum, sed omni alia terra reperitur. Argute *Guilielm. Clarke.* (*c. l. c. 2. p. 26.*)

Nitrum

Nitrum non est uno Elemento circumscriptum; amphibion est, inhabitans aquas æquè ac terras. Aëri etiam inest; & in illo volitat, ut *idem (p. 27.)*, adde *Balduin. (c. l. c. 2. p. 9. & c. 3. p. 29.)*, quo circa & nomen Avis Hermetis reportavit. Etiam in igne huic locus, ut ejusdem matrem quoad partem fixam dixerit terram, quoad volatilem ignem *Joh. Mayow. (tr. de Sal. nitr. c. 1. p. 4.)*, & ideo ubiquitarium non tantum ratione terræ à *citato Clarke (c. l. p. 24.)*; sed & aliorum Elementorum vocitetur. Quod si verò ab aqua nitrum illud è terræ poris elutriatur, sola terra remanet. Placuit igitur dudum (§. 5.) Willisianum, quando cum sulphure crassiori & Sale partes aqueæ difflantur, in terram, seu caput mortuum corruit subjecti compages.

§. 181.

Cur Cœmeteria ab ingestis Cadaveribus non turgeant, causam modo ex *J. B. Helmont. & Sylv. Ratray (§. 177. sqq.)* exhibui. Canalibus Aquarum subterraneis assignavit *Dominic. Panarolus. (Fascic. 1. Arcan. §. 2. p. 202.) & ex Eô Ph. J. Sachsius (Ocean. Macro-Microc. §. 56. p. 55.)* & id esse Experimentum *Illustriss. Ghesieri Gall. Reg. Romæ Residentis* de Sepulchro Parisiensi, cujus terra nunquam crescat, etiamsi de quoquo anno hominum millia ibi sepeliantur, quia humor per viscera terræ fluens erodit, & licet crescat per cadavera in pulverem redacta, tellus per erosionem decrescat, atque in eodem statu & mensura semper permanere videtur. Nota hic *Ghesierium* non negasse terram humano pulvere non accrescere, sed accrementum illud canalium subterraneorum accessu sensim iterum minui & amoveri. Istos autem canales raro & non omni terræ sub & inesse, adeoque relationem istam causæ nomen non mereri. *Becherus* sæpius memoratus hanc suggerit *(c. l. n. 54. p. 330.)*. Si Animam excipias, veterum transmutatio corporum in varias species non adeò absona est. Nam nisi unum fieret aliud, sequeretur totum orbem cadaveribus impleri, cujus contrarium praxis demonstrat. Videmus enim cœmeteria, aliquibus seculis usurpata, semper eandem locationem, quantitatem & molem servare, quod esse non posset, si corpora tantummodo in terram mutarentur eaq; non evaporet, & cum aëre aveheretur.

§. 182.

Addo è *Joh. Jonstono (de Natur. Constant. Propos. 3. Artic. 4. p. 29.)* quemadmodum nil mari decedit egressu fluviorum, quia redeunt iterum; Sic terræ rebus, quæ inde crescunt & nutriuntur, quia revertuntur in illam, & vice versa; Apposite igitur tellurem mortis stomachum dixit *Plato*, quia, quos mors devorat, Tellus stomachi in morem conceptos tumulatosque concoquit,

quit, &, ut ita dicam, digerit, de quo evolv. *Ferdinand. Quirin. de Salazar.* (*Comment. in Proverb. Salom. c. 30. v. 26. n. 130. p. 460.*). Terræ superficiem tantum ex cadaveribus humanis constare cecinit, quisquis fuit *ille Poëta Arabs* citatus *à M. Joh. Heinrico Hænero* (*obs. Philol. Critic. in Coroll.*)

Molliter incede, non enim credo superficiem Terræ (ex alio constare) quam istis corporibus.

Et turpe nobis est, & si pridem fluxerit tempus, contemptui (habere) patres & avos,


Incede igitur, si potes in aëre leniter & non fastuosè super colla servorum Dei (i. e. hominum)

§. 183.

Nitri Cœmeteriorum mentionem feci, & quod ad Terræ fertilitatem faciat *juxtim è Becchero* recensui. Sed & id de omni Nitro jam Veteribus compertum. Hinc *Virgil. (l. 1. Georg. v. 193.)*

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius & nigrâ perfundere amurcâ.

Quid Microcosmo conferat *è Rob. Boyleo (de Insid. Exper. Success. p. 75.)* in medium paucis affero, *ita verò ille:* Olim à Nobili & ingenioso mihi narratum, quendam è primariis Medicis Londinensibus Halinitrum è terra Cœmeteriorum prolectum medicamentis suis selectioribus pro eximio arcano immiscere consuevisse. Narrat tamen & *Paracelsus (tr. 2. Pestilent. c. 4. p. 350.)* Villachi & in urbe S. Viti experientia cognitum fuisse, Veneficos aliquot pulvere seu terrâ illa de sepulchris mortuorum peste detracta seu abrasa, certoque modo posteà præparata multa millia hominum infecisse. Claudo hunc titulum verbis, quibus (*l. de Ortis ex putri c. 12. p. 1018.*) clausit *Franciscus Piccollomineus:* Versati diu sumus in ortis ex putri, tanquam in prole nostræ materiæ partis consimili, quam cum apprimè vitem & fœtidam noverimus, monemur teneri esse solicitos de prole animorum, cujus beneficio servamur incolumes, & neglectâ terrâ elevamur in cœlum.



LIB. III. TIT. II.

De

Cadaverum Incorruptibilitate & Mumiis.

Summarium.

1. *Duplici modo Cadavera perennare.* 2. *Perfectè imputrescibilia quæ censeantur.* 3. *Inter hæc solum SERVATORIS J. C. corpus eminet.* 4. *Sanguis etiam secus ac Calvinistæ* 5. *Vana Sanguinis J. C. à Papicolis facto demonstratio.* 6. *Dannhaueri Judicium de eo, qui è latere &* 7. *Qui è consecrato pane & vino fluxit.* 8. *Piis & virtuosis licuit aliquando incorruptibiles esse, sed non sunt cum Salvatore comparandi.* 9. *Rabbinorum fabulæ.* 10. *Sancti Papicolarum.* 11. 12. 13. *Exempla virorum.* 14. *Mulierum.* 15. *Nec apud hos solos stetit hoc miraculi genus, sed & tales Græci, Reformati.* 16. *Virtuosi apud Ethnicos.* 17. *Caroli V. Imperat. Cadaver.* 18. *Aliorum Regum & Principum.* 19. *Eorum, qui neque Sancti neque virtuosi. Mumiæ Danicæ.* 20. *Mirabilis de Metallifossore historia.* 21. *Mulierum Cadavera incorrupta.* 22. *Singulare militis è Pausania exemplum.* 23. *Impiis in pœnam cessit incorruptibilitas. Excommunicatis.* 24. *Certæ partes incorruptibiles; apud Hebræos ossiculum Lus.* 25. *Alia membra Sanctorum.* 26. *Virtuosorum.* 27. *Malè feriatorum.* 28. *Dæmonis concursus Magos aliquando non putrescere.* 29. *Caro in urna sub terra. Fossilis. Meteorica.* 30. *Causæ naturales.* 31. *Naturæ benignitas sive temperamentum arithmeticum.* 32. *Calidum & siccum.* 33. 34. *Caro Pavonis.* 35. *Ferina & Avium.* 36. *Temperamentum frigidum & siccum.* 37. *Exempla.* 38. *Medio modo se habentia.* 39. *Ætas & sexus.* 40. *Pinguedo. Cerebrum.* 41. *Astrorum influxus.* 42. *Aër.* 43. *Frigidus & siccus.* 44. *Fri-*

gus sufficit. 45. *Sepulchrorum plaga. Auster.* 46. *Locus. Templa.* 47. *Montes.* 48. *Terra.* 49. *Aër calidus & siccus.* 50. *Sol, Fulminata.* 51. *Experientia contrariatur.* 52. *Aëris tenuitas & salsedo.* 53. *Assumta. Persarum & Romanorum diversitas.* 54. *Crania Persarum & Ægyptiorum.* 55. *Venena.* 56. *Quædam non omnia. Morbi.* 57. *Ad speciem visa incorruptibilitas.* 58. *De Tulliolæ cadavere observatio.* 59. *Homerica mortis Periphrasis.* 60. *Vitra è cineribus humanis.* 61. *Exsiccatio Cadav. duplex.* 62. *Simplex.* 63. *Ægyptiorum.* 64. *Æthyopum.* 65. *Observationes aliæ.* 66. *Pisces in aëre exsiccantur.* 67. *Varia in usum officinarum exsiccata.* 68. *Sumtuosior conditura. Aurum ornatus causa additum.* 69. *Æs.* 70. *Vis hujus medicamentosa.* 71. *Varia ex ære in officinis.* 72. *Plumbum. Stannum.* 73. *Salis præstantia.* 74. *Animæ comparatur.* 75. *Sacrificiis additum* 76. *Partes & corpora salita.* 77. *Salituræ Harengorum inventores.* 78. 79. *Unde Sali vires.* 80. *Vapores Salis exinde parata Chemica.* 81. *Sal enixum Paracelsi: mirabile Glauberi.* 82. *Conditura Salina Bilsii.* 83. *Observatio singularis.* 84. *Salammoniacum & Spiritus ejus.* 85. *Vitriolum.* 86. *Sulphur.* 87. *Alumen.* 88. *Nitrum.* 89. *Calx. Gypsum. Lapis Chernites &c.* 90. *Bitumen, Succinum. Varia huic inclusa.* 91. *Cadavera Magnatum Succino obduci posse.* 92. *Vegetabilium facultas.* 93. *Cadavera uncta & coronata* 94. *An medicorum curare cadavera, & de condituris Cadaverum Scriptores.* 95. *Scordium, Vinca per Vinca.* 96. *Plures herbæ, flores, fructus, radices.* 97. *Ligna imprimis Cedri.* 98. *Amomum.* 99. *Succi. Lacrymæ. Gummata Arborum. Aloë.* 100. *Asa dulcis. Asphaltum, Camphora.* 101. *Cedri succus & Resina.* 102. *Gummata alia.* 103. *Saccharum.* 104. *Resinæ.* 105. *Vinum & Acetum.* 106. *Fumi e lignis.* 107. *Aquæ destillatæ.* 108. *Spiritus vini.* 109. *Aquæ spirituosæ.* 110. *Olea.* 111. *Castoreum, Adeps Suillus. Mel.* 112. *Unde Melli facultas conservativa.* 113. *Florum. Corporum.* 114. *Cadaveribus quis primus adhibuerit.* 115. *In Melle condita.* 116. *Quædam melli mixta.* 117. *Cera.* 118. *Butyrum. Moschus.* 119. *Mumiæ*

vox

vox unde. 120. *Mumia Homonymia.* 121. *Mumia duplex. Naturalis seu Arenaria.* 122. *Artificialis.* 123. *Exotica & nostras. Mumia Arabum.* 124. *Conditura Ægyptiorum pretiosa.* 125. *Mediocris.* 126. *Vilissima.* 127. 128. 129. 130. 131. 132. *Cryptarum & Mumiæ virilis descriptio è Petro de la Valle.* 133. *Mumia fœminea.* 134. *Loculi mortuorum è variis. Isidis imagunculæ.* 135. *Supplementum Herodoti è Diodoro Siculo.* 136. *Cerebri per uncum extractio falsa.* 137. *Ut ex alvi inflicto circa Ilia vulnere extractio.* 138. *Thure cur abstinuerint.* 139. Ταριχευσις. 140. *Injectio unguenti Cedrini expenditur. Josephi Patriarchæ Cadaver.* 141. *Ægyptii hi an inter Anatomicos referendi.* 142. *Cultus brutorum, ap. Ægyptios & sumtuosa eorundem sepultura.* 143. *Ortus hujus conditura nescitur.* 144. *Fasciarum numerosarum applicatio cur facta conjectura.* 145. *Quando desierit illa condiendi ratio.* 146. *Inter Ægyptiorum & Judæorum condituram discrepantia.* 147. *Græcorum, Romanorum, Gallorum pollinctura.* 148. *Pollinctores.* 149. *Septem dies in ædibus servabatur cadaver, octavo cremabatur.* 150. *Cremandi cur ap. Romanos uncti.* 151. *Ab Ethnicis Balsamatio ad Christianos transiit.* 152. *Mumia Bohemica.* 153. *Variæ Mumiæ apud Chemicos acceptiones. Spiritualis.* 154. *Corporalis. Constellata.* 155. *Ut paretur.* 156. *Ante Paracelsum pararunt Æthiopes.* 157. *Compositio Chemica.* 158. *Præparatio ad Condituram nostratem quoad instrumenta.* 159. *Quoad medicamenta.* 160. *Exenteratio ipsa.* 161. *Partes & viscera exenterata.* 162. *Monita varia.* 163. *Quædam de Bilsio Ejusque conditura.* 164. *Mumiarum excellentia & pretium.* 165. *Variæ de Methodo conjecturæ.* 166. *Invidiosa artis occultatio.* 167. *Joh. Hornii conatus.* 168. *Nicolai Stenonis.* 169. *Gabr. Clauderi.* 170. *Brevis & minus sumtuosa Stephan. Blancardi via humida.* 171. *Via sicca.* 172. *Finis conditura ap. Veteres Gentiles.* 173. *Ap. Christianos.* 174. *Usus Politicus & Medicus.* 175. *Anatomicus Bilsii. Hildani. Quid desideret Bartholinus.* 176. *Viscerum conditura specialis. Cutis huma-*

manæ præparatio. 177. 178. *Mumiarum duratio apud Veteres.* 179. *De nostris balsamatis.* 180. *Condituram neglexerunt Monarchæ.* 181. *Christianorum Enconium.* 182. *Mumiarum vires.* 183. *Incertæ adeoque in medicina exulent.* 184. *Errores circa hanc variorum.* 185. *Turcæ nos Magiæ insimulant.* 186. *Naufragium à Mumiis in navi.* 187. *Causæ.* 188. *Bodini sententia.* 189. *Rationes examinantur.* 190. *Tranquillitas maris à Cadavere.* 191. *Cur ad littora Cadavera propellat.* 192. *Fœtores cadaverum nautæ abominantur.* 193. *Brutorum Balsamatio.* 194. *Animi medicamentum Bibliotheca. Eruditorum Balsamum.*

§. 1.



Relicto tandem putredinis Gymnasio videndum, annon è cadaveribus quædam sint, quæ nec vetustati auscultent, nec vermінationi. Quod dum intendo, varia occurrunt, in quæ nihil juris fuit putredini. In duplici autem illa sunt differentia, aut enim immutata, aut mutata in Lapides, petras, sal aut cineres, servata tamen Cadaveris humani figura corruptionis legi universalitatem detraxerunt. De prioribus præsens, de posterioribus sequens Titulus perorabit.

§. 2.

Inter ista corpora, quædam sunt perfectè imputrescibilia, quæ nullo tempore, nulloque jure resolutioni in deterius subjacent, taliaque censentur (α) quæ secundum omnes partes, non tantum secundum durabiliores, sed etiam corruptibiliores, talia, *prout concludit P. Zacchias (lib. 4. quæst. med. Legal. Tit. 1. qu. 10. n. 24. p. 364.)*, (β) quibus adhuc est vividus calor, flexilis ac tractabilis artuum compages, odorque qui erat vivorum, *juxta Casp. à Rejes. (Camp. Elys. jucund. quæst. qu. 34. n. 8. p. 405.)*, (γ) quæ exsiccationi non debent perpetuitatem. Cadavera namque paulatim & longo annorum cursu siccata, etiam putrescibilibus annumeranda, cum exsiccatio etiam quædam putrefactionis species sit, exsiccata igitur talia vulgari sensu & impropriè inter corrupta recensentur.

§. 3.

Inter perfectè imputrescibilia unicum fere est corpus Sacrosanctum dilectis-

ctissimi nostri SERVATORIS, & idcirco merito agmen ducit. ἄσηπτον plane illud fuit & ab omni corruptione immune, ipsis *id attestantibus Sacris literis* (*Psal. 16. v. 10. Act. 2. v. 27. & c. 13. v. 37.*). Unio namque personalis in triduo mortis inter λόγον & carnem non minus, quam inter λόγον & animam CHRISTI duravit mortique datus non ψιλάνθρωπος, sed revera θεάνθρωπος extitit permansitque. Et cum non lege Naturæ mors & per consequens corruptio homini obtingat, sed in pœnam prævaricationis eundem corripiat, quî separatum à peccatoribus, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, dicemus putredinis sensisse cariem? Benè *Thomas* (*p. 3. qu. 51. Art. 3.*): Corpus CHRISTI non fuit conveniens putrefieri vel quocunque modo incinerari, quia putrefactio cujusque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quod non potest corpus amplius continere in unum. Mors autem Christi non debuit esse ex naturæ infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria, & ideò non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit spontè. Et ideò CHRISTUS, ne mors ejus naturæ infirmitati ascriberetur, noluit corpus suum qualitercunque putrefieri, aut qualitercunque resolvi: sed ad ostensionem virtutis divinæ voluit corpus illud incorruptum permanere. Minus igitur piè sentiunt Calviniani & Sociniani, qui Corpus CHRISTI mortuum cadaver appellare non horrent. Sed de hoc plura Theologi. *Vide Joh. Andr. Scherzer.* (*Syst. Theol. Loc. 8. §. 28. p. 241.*)

§. 4.

Ut autem totum Christi corpus ita & sangvis ejus fuit imputrescibilis. Horret animus ad quorundam Calvinianorum blasphemiam, qua Carnem Christi putredinis tyrannidem non effugere potuisse decreverunt, quantum ad causas inferiores, naturales attinet, si non fuissent prohibitæ, quia habuit causam intrinsecam resolutionis, nempè calorem & humorem, ut *Andreas Rivetus* (*Comment. in Ps. 16. p. 76.*) ratiocinatur. Hi etiam Sangvinem Christi in cruce effusum computruisse asserunt; quos apud *Henric. Eccardum* (*Fascic. Controv. c. Calvin. c. 3. qu. 2. p. 67.*) vide citatos. Miraculi loco habent Rabbini, quod recitat *Petr. Galatin.* (*l. 4. de Arcan. Cathol. verit. c. 8.*): Carnes sanctuarii nunquam fœtebant, neque inventa est corruptio in manipulo aut in duobus panibus, aut in panibus facierum, ut Antitypo typus responderet. Ruborem his incutiat vel ex Ethnicis *Homerus*, qui (*Iliad. 2. v. 339.*) Veneris à Diomede vulneratæ sangvinem vocavit:

ἄμβροτον αἷμα θεοῖο.

§. 5.

Doleo insuper etiam credulam stoliditatem & fatuam Papicolarum superstitionem, qui sangvinis Christi incorruptibilitatem demonstraturi, quasdam particulas & guttulas se adhuc possidere asserunt, easdem cultui Laicorum exponunt publico. Duplex autem illis est, alius qui in crucifixione ejus effluxit, quem *à Maria matre & Johanne* honorificè vasculo exceptum, *Niceph.* (*l. 1. Hist. Eccles. c. 30.*) scripsit, cujus reliquias se possidere gloriantur *Bruxellenses*, *Romani*, *Veneti*, *Taurinenses*, *Trevirenses*; Alius, qui aut ex vino, aut hostia transsubstantiata alicubi asservatur. Talem colunt *Antwerpiæ*, *Lovanii*, *Bruxellis*, *Boxtelæ in agro Sylvæ-Ducensi*, *Sylvæ-Isaci in Hannonia*, *in Rollensi Monasterio prope Osnaburgum*, & ante hac *Middelburgi in Zelandia*. *Vid. Gisbert. Voët.* (*p. 2. Disput. Theol. Select. 13. p. 221.*), & quos citat, *Chiftetium* (*de lint. Christ. Sepulchr. c. 25. & 31.*) & *Bresserum* (*l. 6. de Conscient. c. 22.*)

§. 6.

Reponendum his *è B. Joh. Conr. Dannhauero* (*p. 1. Homil. Sacr. 14. p. 411. & seq.*) censeo: Nec potuisse divinissimum istud nostræ Redemtionis pretium in his terris ad hunc usque diem eò modo, qui jactari solet, relinqui, nec id voluisse divinam pronœam, nec esse sangvinem CHRISTI verum. Non potuit relinqui, aut enim à corruptione immunis, igitur corpori suo ac λόγῳ unitus, & à λόγῳ reassumtus & non amplius in his terris residuus, si putredini obnoxius non erit verus sangvis. Finge easdem reliquias, *pergit*, ad conflagrationem mundi usque duraturas, num perituræ, in fatali illo igne, an tanquam Salamandra illæsæ futuræ? Si perituræ denuò non sunt, quod esse perhibentur Redemtionis pretium; Sin vim ignis elusuræ, ad quod in triumpho cœlitum profuturæ? an tum resumendæ in CHRISTO? Iterum non potuit SALVATOR plus sangvinis reliquisse, quam pro genere humano effudit. Nunc colligamus omnia vascula, omnes thecas, omnes sindones, quibus ille continetur *in Cœnobio Weingartensi apud Venetos*, *Brugas*, *Flandriæ* & alibi, immane quantum? plus erit sangvinis in terra, quam vel effusum, vel CHRISTUS resurgens sibimet restituere, jam vacuus ab omni sangvine, si is omnis, qui ostentatur, verus sit. Si id voluisset divina providentia in certissimo λειψανολατρείᾳ Scriptura sacra id prodidisset. Censor sangvinis istius, Papa Romanus, nobis suspectus. *Ipsi Francisco Collio*, *Collegii Ambrosiani in Mediolano Doctori* res est suspecta (*tr. de Sangv. Christi*), cujus verba citat *Dannhauerus laudatus* (*c. l. p. 474.*), quique *teste Gisb. Voëtio* (*p. 3. Disp. Select. Theol. p. 511.*), illum factitium & Chimæricum vocavit. Et si totum corpus Christi exaltatum & glo-

& glorificatum, cur non eadem felicitas ſangvini in terris relicto contigerit, reliquiarum admiratores dicant. Referantur huc, quæ collegit *J. Chriſt. Becmann.* (*Diſſ. de prodig. Sangv. c. 4. §. 5. p. 4.*)

§. 7.

Ad Sangvinem, qui è conſecrato pane & vino ſtillavit regerit *Dannhauerus* (*p. 479.*): Adhuc ſub judice lis eſt, quis ſit ille ſangvis, qui quandoque, ut ajunt miraculosè apparuit? Antiqvus ille verus, an recens & nuper creatus? Annon τεχνίτης Satan aquæ mutationem in ſanguinem imitatus eſt?

§. 8.

Hanc incorruptionem corporis iis etiam ferè ſolis contingere, qui piam & ſanctam vitam duxerunt, reputabat *Bohuslaus Balbinus* (*Decad. 1. Miſcell. Bohem. c. 18. §. 2. p. 214.*). Virtuoſos etiam, quamvis extra Eccleſiam, his jungunt Alii. Quicquid verò ſit, hi minime cum SALVATORE noſtro comparandi. Peccatum his eſt originale & actuale adeoque & mors inde reſultat, & hinc conſequens cadaveris in cinerem & terram διάλυσις. Quod ſi ad tempus durat, perpetuo vix duraturum credo cadaver. Et iſta ἀφθαρσία corruptionem habet comitem, dum cadaver exſiccatur ſudore, madore & ſitu diffluit, atque ita tandem marceſcit, colorem atrum aſciſcit, adeoque multum de priſtina figura deperdit & niſi ab iſta eluvie purgetur, à putredine ſubigitur. Quicquid dicant, nullum cadaver eſt, quod perfectè ἄφθαρτον & de putredine verè triumphat.

§. 9.

Interim Rabbinorum ſcrinia ſi excutimus, non ſolum inter miracula Sanctuarii numerantur, quod carnes Sanctuarii fœtuerint nunquam, neque muſca viſa fuerit in macello Templi, quod (*è Thalmud Babylon.*) *recitat Joh. Wolfius* (*lect. memorab. & recondit. Centen. 3. p. 91.*), ſed & (*in l. Jalkut*) ſeptem inveniuntur Sancti, quibus vermis non eſt dominatus *Abraham*, *Iſaac*, *Jacob*, *Moſes*, *Aaron*, *Mirjam*, *Benjamin*. Addere liceat fabulæ *è Joh. Hornbeckio* (*l. 3. Controv. Judaic. c. 2. p. 250.*) fabulam. Foſſores quidam fodientes terram *R. Nahmann*, offenderunt cadaver defuncti *R. Abay* flentis atque ejulantis. Venerunt hi & dixerunt id *R. Nahmann*, qui adveniens ex illo quæſivit, quid eſſet? Reſpondit: Ego ſum *Abay bar Zoſatuya*. Dixit illi *R. Nahmann*, annon *à R. Mary* dictum eſt, quod juſti non convertantur in pulverem? Reſpondit ille, quis eſt ille *Mary*; egone illum novi? Rurſus *R. Nahmann inquit:* ita perſcriptum eſt, & revertatur pulvis in terram ſicuti fuit. Hinc *R. Abay inquit*, quamvis legeris *Eccleſiaſtem*, tamen non legiſti *Proverbia*, in iis namque habe-

 tur,

tur, & putredo ossium invidia, i. e. hominis invidi ossa non tantum putrescent, non vero illius, qui invidia non laborat. Deinde cum *R. Nahmann* tetigit & comperit corpus vegetum & validum esse, dixitque illi, erige Te, Domine, & ito domum, tum illi respondet *R. Abay*, nunc ostendis Te non legisse Prophetas, nam à quodam dictum est (*Ezech. 37. v. 12.*), & sciatis, quod ego Dominus aperiens sepulchra vestra & faciens ascendere vos è sepulchris vestris. Deus igitur est, qui hoc facit. Sed, *inquit alter*, scriptum est: pulvis es, & in pulverem converteris. Imò, *inquit ille*, hoc intelligendum est de una hora ante resurrectionem. Illud *Menassè* (*l. 2. de Resurrect. c. 17.*) ita exponit: Dato, at non concesso fabulam esse, eo Antiqui docere voluerunt, quod in eorum cadaveribus, qui recte & honestè vixissent, nihil juris vermes habituri sint: & quod tamen cadavera eorum hora una antè resurrectionem mortuorum convertenda sint in pulverem.

§. 10.

Quod de Judæis Rabbini, id de Sanctis suis Papicolæ, quorundam nempè corpora vi divina adhuc à tabo perdurare libera. Attribuit τεκμήρια *supra* (*§. 2*) recitata. Sanctis illis *Rejes* (*c. l.*). illosque insuper peregrino & cœlesti odore in circumstantium nares se diffundere dictitat, proque probabili quod cœlo scriptum nomen signo ponit, de quo *alibi l. 2. Tit. 8* quædam sparsi, à quibus conclusu facilè est, etiam paganos hac odoris suavitate de putrefactione triumphasse. In subsequentibus tamen *citatus Rejes* (*c. l. n. 76. p. 412.*) corporis hanc post mortem durationem tanquam proprium sanctimoniæ virtutis & inculpatæ vitæ indicem perpetuo venditandum minime existimat, nisi ex aliis actis & notis prævisisque aliis rebus probitas & morum integritas constet, cum in paucissimis inveniatur. Nam putrefacto licet corpore, potest quis Deo maxime gratus esse; Sancti enim non abhorrent fœtorem Naturæ, sed culpæ, disserit *Idem* (*c. l. p. 413.*)

§. 11.

Exempla Sanctorum, qui toto corpore incorrupti durarunt apud varios extant varia. *Zaccharia Propheta* corpus tempore *Theodosii Junioris* cum multis hominum ætatibus in terrâ jacuisset nihil tamen in corpore ejus deficere visum, *Nicephori* (*l. 14. Histor. Eccles. c. 8. p. 712.*) *testimonio*. *Jadera B. Simeonis Propheta* corpus (ut Jadertini multis testimoniis probant,) honorificè sepultum & adhuc integrum salutavi, *scribit Petr. Martyr.* (*l. 2. Legal. Babylon. f. 81. b.*) admiratusque sum tanto tempore simplex sine Myrrha aut balsamo cadaver, quod nullo medicamento fucatum est, potuisse incorruptum servari. De innocen-

nocentibus pueris *ab Herode* trucidatis *Henr. Kornmann.* (*p. 1. de Mir. Mort. c. 18.*) *Anton. Santorell.* (*Postprax. med. c. 42. p. 141.*). Tria Magorum corpora sepulta & incorrupta Coloniæ Agrippinæ servari olim plebeculæ persuadebatur. Verum non ibidem tria corpora, sed tria solummodo crania in tribus thecis aureis cum inscriptione: *Caspar, Melchior, Balthasar* esse, *Joh. Herbinius* (*de Crypt. Kijoviens. c. 11. §. 8. p. 117.*) comperit. Ridet simplicitatem Monachorum *Anonym.* (*part. 1. Descript. Ital. p. 65.*), quod unum ex his cranium nigro colore tinxerint, quasi Æthiopes non æquè, ut nostri albis gaudeant ossibus, quod vel dentium albedo de nostris triumphans satis evincit. Forsan *Herodoti* illud ipsis in mentem venit Æthiopibus nigrum esse semen *ab Aristotele* (*l. 3. Hist. Animal. c. 22.*) exsibilatum, quasi necesse sit omnia nigra esse eorum, quorum cutis nigricat (*l. 2. de Generat. Animal. c. 6.*)

§. 12.

De reliquis suis Sanctis idem testantur Papicolæ. De *S. Antonio* iterum *Kornmann.* (*c. l. p. 3. c. 19. add. Olear. l. 2. Itinerar. Muscov. Persic. c. 14. p. 124.*) De *Theodulpho Idem Kornmann.* (*c. l. c. 14.*). De *Lamberto* (*c. 15.*). De *Protasii* & *Gervasii* corporibus post ducentos & amplius annos, ut computat *Lud. Granatensis* (*l. 2. de Relig. Christian. Præstant. c. 27. p. 372.*) *Ambrosii* & *Augustini* temporibus adhuc integris Mediolani visis *Augustin.* (*l. 9. Confess. c. 7. p. m. 208.*). De *S. Severino Andr. Brunner.* (*p. 1. l. 1. Annal. Bojor. p. 499.*), quod sexto, postquam terræ mandatum ejus fuerat corpus, anno, humo à Lucillo levatum nullo tabis indicio deforme, sed ipsissimum virtutis odorem naribus afflans, adeoque sincerè integrum, ut ne pilus quidem defluxisset deprehensus sit. *S. Corbiniani* corpus sine ulla tabis nota, aut vestigio mortalitatis *teste Eodem* (*c. l. l. 5. p. 719.*) inventum. Idem de *S. Othmaro Walefridus Strabus* (*in Vit. Ejus ap. Melch. Goldast. T. 1. Rer. Alemannic. p. 2. p. 280. add. Ison. Magistrum l. 1. de Mirac. S. Othmar. c. 3. ap. Eundem c. l. p. 286.*). De *Spiridione Petr. de la Valle* (*p. 1. Itinerar. Epist. 1. p. 3. edit. Germ.*) sequentia: *Man verehret in Corfu den Leichnam des H. Spiridions, dessen Fleisch annoch so lebhafft und frisch ist, daß wenn man das dicke Fleisch am Schenckel angreifft dasselbe den Fingern etwas nachgiebt und alsbald wieder in seine vorige Stelle kömmt.*

§. 13.

De *Alberti M.* cadavere *Alb. Kranz.* (*l. 8. Metropolit. c. 51. p. 160.*): Extraxere Fratres ætate nostra reliquias & in medio choro extructo tumulo supra pavimentum collocavere admittentes viros graves, ut cernerent integrum corpus, nulla reformatione, nisi quod mandibula parum videretur collapsa: sive Bal-

Balsami beneficio, sive DEI miraculo, DEUS novit. Ducentos annos duravit in Sarcophago. Quæ oculis conspexi hac scriptura testor. *Hactenus Kranz.* Mortuus autem est *Albert. M.* A. C. 1280. tumba autem *A. 1483.* aperta (*Vid. Centur. Magdeb. Cent. 13. c. 10. p. 1026.*) *P. Dominici* cadaver est inventum integrum nihilque labefactatum, *Paul. Zacchias* (*c. l. n. 13. p. 362.*) tradidit. De *Francisci* Cadavere in Italia memorant Assisii, quod incorruptum adhuc stet in subterranea crypta *Joh. Dan. Horst. ap. cit. Zacch.* (*c. l. n. 38. p. 366.*) *Francisci Xaverii* corpus quamvis calce obrutum multis mensibus incorruptum sanguine manavit, (*Breviar. Roman. in Festo Ejus 2. Decembr.*). Hoc Malaccam, post Goam translatum fœtoris loco suaveolentia fumabat, & de putredine triumphabat. *Vid. Philipp. Baldeus* (*Descr. Malacc. & Coromandel. c. 13. p. 74.*). In *Bonifacii VIII.* corpore, cum vetustissimum *S. Petri* Templum demoliretur, idem deprehensum (*Zacch. n. 13. p. 363.*). De *Ignatio Lojola* simile *Petr. Ribadeneira* (*in Vit. Ejus*), quem defendit *Jac. Gretser.* (*Apol. 2. & 3. pro Vit. Ignat. & l. 1. de Funer. Christian. c. 4. p. 14.*). Superioribus annis (*iterum memorat Zacch. c. l. p. 363.*) in Templo *D. Cæciliæ*, trans Tiberim cum resarciretur inventum est corpus cujusdam Cardinalis Angli, qui jam abhinc trecentis annis decesserat, undequaque integrum, nullaque labe contaminatum, ut retulerunt, qui illud viderunt, & contrectarunt.

§. 14.

Quod ad sequioris sexus Exempla, in primâ acie stat *Maria Deipara*, de quâ *Didac. Stella* (*Comment. in Luc. c. 10 p. 52.*) & *Henric. Kornmann.* (*p. 1. de m. m. c. 18.*). Et qui illa putredini litare corpus potuit, quæ tertiò à compositione cadaveris die resurgens cœlicam subiit ædem, id quidem *Nicephoro* (*l. 2. Hist. Eccles. c. 23. p. 114.*) *commemorante*. De putredine etiam triumphos duxere *S. Lucia* (*Kornmann. c. l. c. 17.*). *S. Rosa Viterbiensis*, *Clara Malcofanensis & Catharina Bononiensis* (*Gabr. d' Æmiliane Itiner. Epist. 4. p. 392.*). *Kornmann.* (*c. l. c. 13.*) & *qui Catharinæ Bononiensis* vitam ex Italico in Latinum transtulit Idioma *Matth. Thanner.* De *Ludomilla Joh. Dubravius* (*l. 5. Hist. Bohem. p. 133.*). Plura Exempla in manipulos redegit *Henric. Engelgrave* (*part. 1. Cæl. Empyr. p. 552.*) ubi & virorum, puellarum & virginum incorruptibilitatem à castitate deduxit.

§. 15.

Sed ne soli Romanæ Aulæ Gnathones gloriam hanc ἀφθαρσίας vindicare sibi videantur, alius religionis Exemplis id illustrare decrevi. De terrestrium Angelorum in *Kyovia* cryptis & eorundem corporibus, quæ propter sancti-

ctitatem vitæ & singularem in Deum pietatem incorruptibilitate dotata reperiuntur, extat *Innocentii Gizieli Archymanditæ* (*Piec Zano- Kijoviensis* anno 1674. d. 2. Martii scripta Epistola *apud Joh. Herbinium* (*c. l. c. 6. p. 43.*). Eminent inter illas cryptas præprimis Antonia & Theodosia, quarum illa plurimorum Divorum Ruthenorum corpora, hæc pauciora continet (*id. ib. c. 9. p. 76. sq.*). Sanctitati id beneficii genus imputat *Gizel.* (*c. l. p. 45.*), quod sano sensu intellectum, haud usque adeò absurdum reputat *Herbinius* (*c. l. §. 7. p. 47.*). Id vero, nec injuriâ, ferre potest, quod excluso CHRISTI merito omnia meritis humanis attribuunt (*c. 12. §. 7. p. 115. & c. 13. p. 137. sq.*). De Martyrum cadaveribus *Phil. Camerarius* (*Cent. 2. op. subcisiv. c. 70. p. 283.*): *Ich habe in Franckreich den Leichnam der so genannten Jeanna d' Albert gesehen, welche als eine überaus eyffrige Protestantin gestorben, vor mehr als hundert Jahren scripsit Gabriel d' Æmiliane Itinerar. Epist. 4. p. 395.*). Observatum non semel *notat iterum Camerar.* (*Cent. 3. op. subscesiv. c. 99. p. 370.*), cadavera piorum hominum in fossis & lacunis projecta cum deinde completo furore post plures dies extraherentur, adhuc recenti cruore absque tabe; Papistarum verò mox fœda tabe putrida conspecta fuisse, non sine admiratione omnium. *Ita Jacob. August. Thuan* (*l. 25. hist. p. 494.*). Protestantium corpora per trimestre in loco durasse, in quem unus percussorum sepultus intra viginti quatuor horarum spatium computruit. Loci quidem proprietati id ascripsit *Thuanus*, cui tamen rectè opponit *Camerarius*: Si naturalis causa id concitavit, cur non eadem Papistarum atque Reformatorum sors atque conditio mansit? ubi par eademque subfuit causa.

§. 16.

Virtuosos virtute divina etiam conservatos aliquando legimus. E paganis *Hector* in bello Trojano occisus ejusdem beneficii particeps fuisse prædicatur *à Mercurio* his (*ap. Homer. l. 23. Iliad. v. 361.*) Priamum alloquente:

O Senex nondum hunc canes comederunt, neque alites,
Sed adhuc jacet Achilles apud navem
Neglectim in tentoriis, duodecima autem Ei dies
Jacenti, neque tamen ejus corpus putrescit, neque ipsum vermes
Edunt, qui sane viros in bello occisos edunt.

Subjicit tandem:

Adeò tibi curant Beati Dii filium tuum
Et mortuum licet existentem, quoniam ipsis carus erat ex animo.

Ita

Ita *Thetis Patrocli* cadaver à muscarum invasione & putredine se servaturam *Achilli* (*ap. Eund. l. 19. v. 29.*) promisit:

Ab hoc quidem ego conabor arcere improba examina
Muscas, quæ viros bello necatos comedunt.
Etsi enim jaceret solidum per annum,
Semper huic erit corpus integrum vel etiam melius.

Cum vero hanc relationem ad hyperbolica Poëtarum figmenta referat *Rejes* (*c. l. n. 7. p. 405.*), quod *de Alexandro M.* annotarunt Historici subjungere juvabit. Hujus cadaver per multos dies (septem numerat *Q. Curtius l. 10. c. 10.*) de summa rerum contendentibus principibus insepultum jacens in æstuoso Mesopotamiæ regionis loco, nullum corruptionis signum habuit, sed purum atque veluti recens, *teste Plutarcho* (*in Vit. Alex. M. p. m. 503.*) permansit. Vigor quoque, addit *Curtius* (*c. l.*), qui constat ex spiritu non destituerat vultum. Itaque Ægyptii Chaldæique jussi corpus suo more odoribus curare, primò non sunt ausi admovere veluti spiranti manus. Subjungum & hoc, quod *de Pallante Evandri filio è Martinio* (*l. qui Martiniana vocatur*) excerpsit (*l. 12. de Geneal. Deor. c. 60. p. 311. & c. 67. p. 315.*) *Joh. Bocatius.* Hujus corpus imperante Romanis *Henrico III. Imp.* haud longè ab urbe (Roma) à quodam agricola altius solito fodiente agellum compertum est, adhuc adeò integrum, ut nuperrimè videretur infossum, & statura adeò ingens, ut murorum altitudinem longitudine superaret. Et quod longè magis mirandum refert, sic in illo hiatus illati à *Turno* vulneris apparebat permaximus, ut longitudinem quatuor pedum excederet, addens supra caput ejus lucernam perpetuo igne ardentem compertam, nec ullo poterat extingvi spiritu, vel liquore, tandem facto infundo foforamine extincta est. Insuper dicit sepulchro tale fuisse Epitaphium scriptum:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

Add. Raphaël Volaterran. (*l. 23. f. 382.*) & *Fortun. Licet.* (*l. 1. de Lucern. Antiqu. c. 10.*)

§. 17.

Aliud, idque memoria dignum è *Casp. Rejes* (*c. l. n. 26. p. 413.*) produco. Anno 1656. memorat, cum *potentissimi Regis nostri Philippi jussu* antecessorum suorum regia cadavera ad insigne illud Pantheonis monumentum traducerentur, *Invictissimi Caroli* cadaver adhuc incorruptum repertum est, labe nulla, nulla temporis edacitate, aut putredinis carie infectum; Spectaculum sanè mirificum & plane admirandum post annos 96. incorruptum permansisse (ut tradi-

tradidit *P. F. Francisc. de Las Sanctos in Descript. Fabric. D. Laurent. & Panthe-on.*) & cum nullis balsamis aut medicamentis pollinctum fuerit regale cadaver, quæ à corruptione præservare potuissent, Ipso Imperatore sic ante obitum jubente, quid aliud dicere possumus, nisi eximium illius animi candorem & virtutis splendorem, cujus ingens semper dedit specimem posteris Deum ostendere voluisse? cujus adhuc multò ante certissima indicia præstolatus fuerat. Nam cum anno 14. ab illius obitu in cœnobio *S. Justi* corpus exhumaretur, non solum integrum & incorruptum inventum est, sed Thymi quoque ramusculi, quibus Monachorum more respersus fuerat, virides & optimum odorem adhuc spirantes apparuerunt. *Hactenus Rejes.*

§. 18.

De Regibus Bohemiæ & Ungaricæ *Ladislao* & *Carolo IV.* Gemella, *Bobusl. Balbinus* (*Decad. 1. Misc. Bohem. l. 3. c. 17. §. 1. p. 210. & 211. & l. 4. p. 2. Tit. 40. p. 89.*) post annos trecentos hic incorruptus (*l. 7. f. 2. c. 2. p. 162.*) inventus memoratur. Post 140. annos *Sigismundus Episcopus Labacensis* sine tabo deprehensus, *Joh. Weikkard. Valvasor.* (*l. 8. Descript. Carinth. f. 3. p. 659.*) Post 80. annos *Jacobus à Lamberg. Carinthiæ præfectus* (*Id l. 9. c. 4. p. 64. & l. 11. p. 419.*) *Alexandri Tartagni Imolensis JCti* cadaver effossum, qui plusquam centum & quiquaginta annos jam decesserat, eodem miraculo inclaruit. (*Vid. P. Zacch. c. l.*) *Petrus Torrextinus quondam Collegij & Tyrocinij Brunensis Rector* in subterrannea crypta in singulari arca compositus spectatur tanta integritate corporis, ut etiam ungues & barba excrescant & vulnus viventi factum in pede hodie obligari possit, recitat *Bohusl. Balbinus* (*c. l. l. 3. c. 13. §. 2. p. 213.*) De cadavere pueri à Judæis trucidati *Jac. Masenius* (*util. Curios. de Hum. vita select. p. 436.*)

§. 19.

Sunt & alia Exempla in promtu eorum, qui an Sancti, pii, aut virtuosi fuerint, non constat. *Nobilis Jobi de Muschel filiolus* mortuus (*scribit Phil. Salmuth. Cent. 3. obs. med. 80. p. 149.*) & in templo sepultus, integer post quadriennium, consumta saltim prima Narium & præcordiis circa costas, repertus est. Mumiam Danicam Naturalem *Nobilis Wenstermanni* descriptam dedit *Th. Bartholin.* (*cent. 1. hist. anat. 62. p. 107. & diss. 5. de Med. Dan. domest. p. 270.*), qui dum ejus Sepulchrum adperuit, invenit Catavér integrum & Mumiæ instar induratum pernæ fumo induratæ simile carne cum cute exsiccata firmissimè salvis ossibus adhærente. Ex illo tempore uxoris quoque Wenstermannianæ loculus feralis fuit apertus, Idem *ad Anton. Deusingium* perscri-

(Fff fff) bit

bit (*tr. de Hepat. defunct. p. 552.*), à milite spe prædæ & defossi thesauri, repertumque cadaver prorsus integrum, aridum & omnibus suis partibus illæsum. Sedula opera utriusque cadaver iterum perlustravi. Effluxerunt anni LXX. & amplius post illius sepulturam, post hujus verò obitum anni XXXII. utriusque tamen jam eadem siccitas, magnitudo, forma, color idem, pernæ fumo induratæ similis, sed pondus adhuc diversum. Quanquam enim facilè utraque Mumia à nobis portari manibusque elevari possit, fœmina tamen gravior est, forsan quod inconspicua oculis nostris humiditas adhuc intus lateat. In viro crinium rubrorum vestigia conservantur. Vespillo Templi rogatus negavit vel in Cœmiterio vicino, vel sepulchris Templi aliis præter ossa ex cadaveribus quicquam comparere.

§. 20.

De Metalli fossore *Oswaldo Barthels* post sexaginta annorum decursum incorruptum propè metalli fodinis olim & nunc celebre Ehrenfriedersdorff invento, videatur Ejus concio funebris habita à *M. Georgio Ruta, prædicti oppidi t. t. Pastore & postmodum Superintendente Chemnicensi*, Fribergæ anno 1588. impressa, cujus etiam mentionem fecit *D. Andreas Mollerus* (*in Annalibus Freibergens. p. 293.*) sequentibus: *Den 20. Septembris 1568. hat man zu Ehrenfriedersdorff Oswald Barthels, einen Bergmannn, welcher für 61. Jahren anno 1507. im Berge, der Seuberg genannt, verfallen, noch gantz und unverwehset in seiner ledernen Bergkappe und Kleidern mit dem Grubenbeile, Unscheltasche und Zscherper unversehener Weise wiedergefunden, und ihn mit gewöhnlichen Ceremonien bestattet.* Subjicere his verba prædicti *M. Georgii Rutæ* (*in Concionis funebris Exordio*) operæ puto pretium, dum concionatur: Mirabilis Dominus in operibus suis, *und wird diß forthin wunderbarlich und unglaublich zu sagen und zu hören seyn, zumahl an fremden Orten, daß man eine Leiche eines Bergmanns zur Erden bestætiget, auch darbey eine Leichenpredigt gethan, der 30. Jahr zuvor verstorben, ehe denn der Prediger gebohren, denn ich itzo, Gott Lob 31. Jahr alt bin. Hæc ille.* Refert & *H. Ansh. Ziegler.* (*Histor. Labyrinth. der Zeit. n. 619. p. 1175.*)

§. 21.

Ne sequior sexus de hac perpetuitatis privilegio se non exclusum conqueratur, singulare subdo Exemplum. Carpentorati anno 1642. (*E Theophil. Raynaudo l. de incorr. Cadav. c. 2. recitat Thom. Bartholin. Respons. de Experim. Bilsian. p. 535.*), refossum corpus fœmineum post aliquot secula incorruptum. Aptè enim commissa inter se erant membra, carne tamen sua & cute, arida tamen & subfusca, bellè vestita. Sua uberibus inerat mollitudo, collo lenitas, nec

nec non coxendicibus & posticæ pedis dextri parti planè integræ, & post scapulas insveta cadaveri teneritas. Capilli capitis cuti tenaciter adhærebant, aures integræ, lingva arida, laryngis cartilago sana & vegeta, carne & cute nudata facies, dum vi exhumatum corpus per imprudentiam concisa. Humor oculorum orbibus continebatur, *Chirurgusque* Rollerius vulnerariam bolidem capiti immissam humore glutinoso & obscuro madidam eduxit. Pilosa erant genitalia. Qvum ex mulierculis, quæ tum in Templo laboribus occupabantur, fortè una ex genitalibus pilos avulsisset, tamdiu insaniit, donec, jubente Confessionario, pilis restitutis sanam mentem reciperet. Stupæ, quibus vulva obducebatur integræ visebantur. Dextram mammam aperuit Chirurgus, digitoque in vulnus immisso carnem glandulosam candidam & humidam invenit planè incorruptam, sine ullo fœtore. In pago quodam Zatecensi in eodem tumulo una jacentes conjuges ad invidiam viventium incorrupti ab annis amplius octoginta inventi, memorante *Joh. Balbino* (*Dec. 1. l. 3. Misc. Bohem. c. 15. §. 2. p. 213.*). Est in Bohemia pagus (*narrat Joh. Marcus Marci p. 4. Phil. Vet. restit. subs. 2. p. 399.*), nomine Pressen, in districtu Zatecensis, ditionis Marchionissæ Badensis, ubi mulier nobilis annis abhinc 40. mortua tota etiamnum incorrupta manet & in cryptâ subterraneâ tumbæ quernæ inclusa. Pupilla oculi omninò integra, nec mutatio habitus quoad colorem, præterquam in iis partibus, quæ nivibus conspersæ erant; dum cadaver à militibus spoliatum aëris injuriis expositum & aliquandiu relictum fuit. Tum enim nigredinem & livorem quendam in aliquibus partibus superficialiter duntaxat contraxit.

§. 22.

Miraculo proximum, quod *Pausanias* (*in Eliac. s. l. 5. c. 20. p. 418.*) retulit, cujus verba ita habent: Sed, quæ *Aristarchus Olympiorum Interpres* narravit, præterire me non fuit integrum. Is sua ætate dixit, cum Templi Junonii tectum ruinosum ab Eleis reficeretur, inter conclave illud ornatus causa extructum & alterum lateritium repertum fuisse armati militis cadaver vulneribus laceratum. Pugnasse hunc unà cum Eleis intra Altem adversus Lacedæmonios. Resistebant enim Elei conscensis Deorum immortalium Templis atq; omnibus simul locis editioribus. Hic itaque vir succubuisse nobis est visus, cum ob vulnera defecisset anima. At postquam exspiravit, futurum erat, ut nec æstus veris noceret cadaveri, nec frigus hyemis, quippe quod tectum undique jacebat. Dixit idem Aristarchus in loca extra Altem fuisse cadaver ab eis elatum & una cum armis terra obrutum. Mentionem hujus etiam fecit *paulò post* (*c. 27. p. 450.*). Causam incorruptibilitatis assignavit temperiem loci, quæ sanè

non rejicienda, si Naturæ benignitatem addas, quodque ex vulneribus magnis sangvis penè omnis fuerit evacuatus.

§. 23.

Impiis aliquando in pœnam cessisse videtur incorruptibilitas. De Excommunicatis *Leo Allatius* (*l. de Græcor. opinion. §. 12. p. 142.*), & *Joh. Henric. Hottinger.* (*p. 3. Histor. Eccles. s. 1. p. 170.*) retulerunt, quod eorum cadavera durante Excommunicatione non resolvantur in pulverem, sed tympani instar intumescant & noctu potissimum à Satana induantur, homines ut terreant. Inde tale Cadaver ob tumorem τυμπανιᾶιον dici. Idem Caloyeros Monachos in Insula credere *Thevenot.* (*p. 1. Itiner. Orient. l. 1. c. 62. p. 132. edit. Germ.*) meminit. Exempla communicat *Albin. Kranz.* (*l. 3. Metropolit. c. 42. p. 96.*) *Libentius Archi-Episcopus* in malis temporibus fecit quod potuit. Nam gladium Ecclesiæ distringens in Piratas, effecit ut princeps ejus vastationis per septuaginta annos sit integer in sepulchro repertus, donec *Adelwardi* ministerio, quem *Albertus, Hamburgensis Episcopus,* misit, solveretur à vinculis tamdiu sepultus, nam illicò in cineres redactus. De alio prædicti Principis Socio idem (*l. 4. c. 33. p. 124.*) eadem consignavit. De *Carolo Rege Hungariæ ab Urbano VI.* excommunicato *Henr. Kornmann.* (*p. 7. d. m. m. c. 63.*), in corpore *Abæ, Ungarorum Tyranni,* non tantum incorruptibilitas, sed & vulnera cicatrice obducta deprehensa, notata à *Bonfinio* (*l. 2. decad. 2. Hung.*)

§. 24.

Quod si non totum corpus corruptionis eludat imperium, certas partes id præstitisse aliquando in historiis est. Gerræ Judæorum de officulo Lus vel Luz (Albadaran vocant Arabes, Al-Aibi Mahomedistæ) inserendæ, quod non solum Ignibus invictum proclamant, *Vid. supra* (*l. 1. Tit. 7.*), sed & adversus putrilaginem singulari gaudere privilegio. Fabulæ hujus Patrem esse *R. Uschaja*, qui ut è *Casp. Bauhino* (*l. 1. Theatr. Anat. c. 48. p. 167.*) recitat *Joh. Tackius* (*Phas. Philosoph. 3. p. 25.*) Anno Christi CCX. vixit, circa quod tempus conscripsit librum qui *Bereschit Rabba* i. e. *Glossa magna in Pentateuchum* vocatur, unde sequentes Rabbini hoc figmentum hauserunt. Meminit etiam hujus *Cornel. Agrippa* (*l. 1. de occult. Philos. c. 20.*). Post decimam octavam vertebram ad os femoris quidam ipsi locum assignant, ad primum pollicis articulum spectare Aliis placuit. Situm esse juxta Calvariæ basin, seu in ipsa basi aut nuchâ Thalmudistæ *teste Hieron. Magio* (*l. 5. de mund. exust. & die judicii c. 1. p. 170.*), quem citat *Henric. Kornmann. p. 8. de m. m. c. 59.*), officulum Cranii circa principium suturæ Lambdoidis triquetrum sunt, qui exponunt, de quo

D. Mar-

D. Martin. Bernh. à Berniz (M. C. D. 1. Ann. 11. obs. 53. pag. 100.). Alii primam è duodecim vertebris à qua Thorax initium habet, quæ cum caput collumque inclinamus, maxime eminet atque extuberat. Præfati ossis perennitas contigit, non tantum quia radix ejus ex ipso cœlo, neque percipiat gustum alimentorum hominis, ut reliqua ossa, verum ut materia sit, unde in die novissimo tanquam è semine aut massa, ut loqvuntur, fermenti homines iterum producat omnium Creator. Ossiculum autem illud emollietur rore, post extendetur in quatuor partes, atque hinc corpus, ejusque membra fient, tum DEUS benedictus illi infundet Animam, ut è *R. Hay, & R. Ethazar. Theoph. Spizel. (Consid. Corp. glorios. §. 16. p. 41.)* ubi plura.

§. 25.

De certis Sanctorum partibus, reliquo corpore in cineres verso, constantibus, celebratur digitus *S. Johannis*, quo monstravit Christum (*Henric. Kornmann. p. 3. de m. m. c. 10.*), *Oculus Ludovici*, quo Galliarum Reginæ blanditias oculo torvo despexerat, *Idem (c: 12. è Thom. Cantipratan. l. 2. mirac. & Exempl. s. 3. c. 30. n. 33. p. 340.).* Adamantis instar lucem sparsisse, *Henric. Engelgrave (p. 1. Luc. Evang. p. 162.).* Lingva *Ferdinandi Ulysiponensis*, postmodum *Antonii de Padua* dicti, anno post obitum XXXII. recens, rubra & vivida adhuc inventa, quam manu tenens *Bonaventura* exclamavit: O lingva benedicta, quæ DEUM semper celebrasti & alios celebrare docuisti, quàm perspicuè cernimus, quanti meriti fueris apud DEUM. Ita *Laurent. Surius (in probat. Sanct. vit. d. 13. Jul.) Ignatius Martinez* hanc lingvam post CCCXX. adhuc integram exosculatus. Evolv. *Ignat. Solwell. (Bibl. Script. Sacr. p. 395.)* adde *B. J. C. Dannhauer. (T. 1. Theol. Conscient. p. 2. Dial. 3. qu. 16. p. 1071.).* De *Ludovici Medinæ* Lingva *Theoph. Raynaud. (T. XIII. op. tr. de incorrupt. Cadav. p. 69.)* & *Henric. Engelgrav. (p. 2. Luc. Evang. Embl. 20. p. 172.).* Addunt his Bracchium *Georgii (H. Kornmann. c. l. c. 20.).* Pollicem *Sacræ Virginis*, quo sæpius signo crucis pectus muniit. (*Id. c. 16.*). Pollex *P. Nicolai Lancicii* multis post mortem annis tam vividus & carne tam plena succi vitalis inventus, ut nihil à viventis hominis pollice differret, etiam pingvedinem exsudabat, madente in quam involvebatur papyro, (*Bohusl. Balbin. Misc. Bohem. c. 3. §. 2. p. 214.*). S. Corbiniani sangvis incorruptus visus, *narrante* id *Andr. Brunnero (p. 1. Annal. Bojor. l. 5. c. 13. p. 719. sq.)*

§. 26.

De Virtuosis & piis sequentia accipe. *Regis Hungariæ Stephani* dextra munificentia singulari celebris, reliquo corpore absumto integra mansit & in-

corrupta, (*Vid. Bonfin. l. 2. Decad. Hung. 2.*). *Adrianus*, *Episcopus Indeframensis*, *Regis Britanniæ Oswaldi* dexteram in egenos liberalem exosculabatur cum voto: Nunquam marcescet manus ista! & ita factum est, (*Vid. Beda l. 3. Histor. Anglic. c. 6.*). De Bracchio Boni pueri è *Joh. Tanner.* (*Bohem. pia. c. 5. in Auctuar.*) *vid. Bohusl. Balbin.* (*c. l. l. 3. c. 17. §. 2. p. 212.*). *Editæ Virginis Edgari Anglorum Regis filiæ* venter & genitalia, singulari castitate & abstinentia sanctificata, incorrupta, *Marco Marulo teste* (*l. 4. c. 8. p. 360.*), apparuerunt.

§. 27.

Digitos perjurorum non corrumpi *Christoph. Vischer* (*Conc. in II. præcept. 5. p. 82.*) & *Conrad. Dieteric.* (*p. 2. Conc. in Lib. Sapient. p. 738.*) observarunt. Eorum etiam, qui Duellis crebro interfuerunt ex *J. D. Ernestii* (*p. 3. Bilderhaus. p. 341. & die Hist. Blumen-Lehse p. 1. Epist. 17. n. 3. p. 267.*). De manibus proditorum incorruptis *H. Kornmann.* (*c. l. c. 48. 49. 50.*). Manum, qua filii parentes verberant, non putrescere, (*recensente Th. Bartholino. Cent. 3. hist. anat. 54. p. 160.*), opinatur vulgus. Huic talis manus exsiccata in pago Seelandiæ Weiby irsa, qualem quoque in Palatinatu non longe à S. Goar in pago Werle ad S. Ællem in lucerna suspensam se olim vidisse, *J. D. Horstius ap. P. Zacchiam* (*l. 4. Quæst. Med. Legal. Tit. 1. qu. 10. n. 38. p. 366.*) profitetur. Vidit autem *Anton. Deusing.* (*de Fœt. Mussipont. s. 4. §. 99. p. 39.*). De filio perdidissimis moribus, qui Patrem ad Duellum secum ineundum provocaret è familia antiquæ nobilitatis in Pilsnensi districtu & à patre manuali sclopi ictu ad Orcum misso cujus cadaver insepultum lupis usque ad quartam partem in cibum cessit, quod illa pars residua incorrupta permanserit, *ex P. Edm. Warneri* relatione, qui illam vidit & tractavit *Balbinus* (*in Paralip. ad Dec. 1. Misc. Bohem. l. 3. c. 18.*) testatur, & addit: Hanc verò incorruptionem scelerato cadaveri DEUM præstare existimo, ut omnes, quæ pœnæ divinitus parricidio constitutæ sint, intelligant, & qui vident, & narrantes audiunt, perhorrescant.

§. 28.

Et circa hos vitiis deditos non raro Dæmonem huic negotio se immiscere, *Dan. Sennertus* (*de Cons. & Diss. Chym. c. Aristot. c. 18.*). *Martin. Delrio* (*l. 2. Disquisit. Magic. qu. 25. p. 445.*). *Joh. Christ. Frommann.* (*l. 3. de Fascinat. p. 6. c. 6. §. 3. p. 753.*) ostendunt, idque *secundum Zacchiam* (*c. l. n. 25. p. 364.*) non solum, dum præsidia sibi notissima contra putredinem admovet, sed & quascunque naturales causas, quæ cadaveribus putredinem conciliare possunt amovet. Quid si putredo cadaver jam subierit, præstigiis utitur, *ut infra* patescet. Ante hos ista (*l. 4. Philos. Sagac. c. 10. p. 482.*) *A. Theophrastus Paracelsus: Der Teuf-*

Teuffel kan auch Heiligen machen in seinem Reich: Er weiß womit die Cörper zu erhalten seyn von der Fäule, baß, denn der Mensch, er weiß, den rechten Balsam, darüm, so mag er wohl einen von den seinen nehmen, und ihn also erhalten und den Lebendigen die auch sein seynd eine Verführung zu richten. Spectat huc de incorruptis Heroum Sardorum corporibus è *Nicol. Leoniceno* (*l. 2. Var. Hist. c. 17. p. 149.*) historia, quæ omnibus membris integra & illæsa usque ad *Aristotelis* tempora (*Simplicius Comment. in t. 8. l. Arist. de Phys. Auscultat. c. Henric. Kornmann. c. l. c. 8.*) dormientium præ se ferebant speciem. Ad quos responsorum prœdictionumque gratia, quæ per insomnia dabantur & Sardiniæ accolæ & multi etiam convenæ exterique accedebant. Eidem etiam *Tirib-Abbæ* incorruptibilitas debetur, si vera est, quam *Adam Olear.* (*l. 4. Itin. Muscov. Pers. c. 17. p. 422.*) recensuit relatio, & quod apud Troadem Minervæ sacra non putruerint, de quo (*l. 16. de Rer. Var. c. 90. p. 1040.*) *Hieron. Cardan. & Laurent. Ananias* (*l. 4. de Nat. Dæmon. p. 266.*). Refert huc etiam *Cor Johannæ Virginis Anglicæ* (*de quo supra l. 1. Tit. 7. §. 14.*) & Cæsaris Germanici (*ibid.* §. *25.*) & decantatum illum Pyrrhi pollicem (*Vid. Plutarch. in Vit. Pyrrh. p. m. 5.*), in quæ nihil valuit ignis violentia, *Caspar Rejes* (*c. l. n. 5. p. 404.*). De Francisci Xaverii corpore incorrupto, *J. C. Dannhauer.* (*p. 2. Homiliar. Sacr. Orat. Doctor. 3. p. 699.*). Nimis simplex es, si omnia credis, quæ Lojola imponit. Fabula est vel artis stygiæ opus. Magum fuisse *J. D. Ernst.* (*Bluhmenlese. p. 2. Epist. 12. n. 1. p. 941.*) tradidit. Et Magorum corpora non rarò sine ulla corruptione inventa historicæ narrationes persuadent. *Vid. Martin. Weinrich.* (*de Spectr. Strigon. & Pentsch.*). De Sutore Strigoniensi & *Joh. Cuntio.*

§. 29.

Forsan & huc referre debuit caro, de quâ *Joh. Ristius* (*in der aller edelsten Zeit Verkürtzung der gantzen Welt p. 82.*): *Es ist einsmahls nahe bey dem Schloß Pinneberg, wovon diese Graffschafft den Nahmen führet, ein schöner grosser Topff* (urna feralis) *ausgegraben, in welchem noch ein grosses Stück unverwesetes Fleisch, das gantz bluthig gewesen, ward gefunden, welches wir aber für ein sonderliches Wunderwerck gehalten, zumahlen wir ganz keine Ursache erdencken konnten, warüm ein solches Stück Fleisch, das so gar lange Zeit unter den verbrenneten Knochen und Asche gelegen, nicht hätte können verfaulen.* Quæ relatio in memoriam mihi revocat carnem fossilem ad vallem Erffurtinam, juxta Portam *D. Andreæ* repertam, de qua *Andr. Libavius* (*P. 1. Singul. p. 282. & sq.*), sed quia die Jovis illam tantum visui se offerre garriebant, suspicio fraudis in prudentiorum animis orta est & posteà astu detecto impostores carceri mancipati. Quamvis

autem

autem carnem fossilem hic impostura suspectam reddidit, non tamen absurdum putant, eandem dari, *cum Libavio Joh. Jonston.* (*Class. 4. Thaumaturg. Nat. Artic. 2. c.32.p.147.*) & *Th. Bartholin.* (*l.3. de Luc. probl.1. p. 398.*). Imprimis id evincere svadet caro Meteorica imputrescibilis, quæ aliquando *Livio* (*Decad.1.l.3.c.10.*) *Dionysio Halicarnasseo* (*l.10.Rom.Antiqu.p.m.867.*). *Plinio* (*l. 2.c.58.*). *Valerio Maximo* (*l. 1. c. 6.*). *Conrad Lycosthene* (*Suppl. in Jul. Obsequ. c. 6.p. 8.*) testibus, cum pluvia & Nive cecidisse perhibetur. Ita molæ carneæ arenosæ historiam evulgavit *Paul. Spindler* (*obs. 74. p. 138.*)

§. 30.

Jam à miraculis & prodigiis ad Naturam, aut potius causas naturales, quæ etiam ad tempus, breve quamvis interdum, cadavera servant ἄσηπτα. Quodnam autem tempus secundum naturam assignandum principio corruptionis demortuis? si scisciteris, respondet *P. Zacchias* (*c. l. n. 27. p. 364.*) distinguendo inter occultam & manifestam putrefactionem. Illam ab ipsa animæ (quæ veluti Sal corpori, *juxta Anton. Santorell. Post-prax. Med. c. 4. p.132.* quod tamen *Joh. Broën. de Dupl. Bil. Vet. c.12.p.169.* cum Cartesianis inficiatur,) prima exhalatione incipere, hanc verò, ubi corruptionis signa apparent, quod utplurimum *secundum Eundem Zacchiam*, tertio die, ut Exemplo *Lazari* (*Joh.12. v. 40.*) probat, contingere asserit. Mortuis Græcis, *scribit ad Martin. Crusium Steph. Gerlachius* (*l. 2. Turco-Græc. in annotat. p. 203.*) persolvuntur Tertia, Nona & quadragesima. Tertia, quod mortuus die tertio immutatur agnitione faciei amissâ? Nona, quod nono die totum corpus diffluit præter Cor: Quadragesima, quod quadragesimo ipsum quoque Cor perit. Sed hoc forsan in calido Græciæ climate. In frigidioribus locis diversum contingere, quilibet animadvertit. Impossibile proinde esse omnibus unum terminum assignari, cum variæ causæ assignari possint, cur quædam citius, quædam tardius corrumpantur, ipsæque particulares hominum constitutiones & temperamenta multum hic valeant, rectè *laudatus concludit Zacchias.*

§. 31.

Naturæ illa benignitas, ut loquitur *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hist. 62. p. 109.*), in quo consistat, *supra* (*T. 1. §. 7. 8.*) demonstratum & discussum. Ad occultas etiam qualitates quidam ex antiquioribus devolvuntur, & hoc ipso & rei causas & modum ignorare candidè quidem, sed minus philosophicè fatentur. Occurrunt namque & prostant manifestæ, quibus phænomena ista aliquo modo commode explicari possunt. Multum aliquando tempus corpus

pus supereſſe, ſiquis corpore perbellè affecto deceſſerit, *Socrates* (*ap. Platonem in Phædone f. 203. a.*) *docuit.*

§. 32.

Temperamentum calidum & ſiccum in cauſarum ſerie optimo jure primum ſuſtinet locum. Calida & ſicca difficulter, imò aliqua prorſus non putreſcunt, quæ ab imperitis proinde pro ſanctis habita fuere, *Joh. Joach. Becher.* (*l. 1. Phyſ. ſubt. ſ. 5. c. 1. n. 25. p. 311.*) obſervat. Cum namque, *juxta Anton. Santorell.* (*c. l. c. 21. p. 135.*) & omnes ſuperiorum ſeculorum ferè Philoſophos & Medicos (*Vid. Tit. præced. paſſim*) humeditas putredinis mater, calor genitor exiſtat, humiditasque potiſſimas obtineat partes, ſiccitas huic oppoſita & calori combinata perennitati favebit. Bili multum tribuunt, igitur ſiccitatis promam condam, quidam Balſamum illam, ſed malè, *ſupra* (*Tit. præced.* §. *12.* & §. *17.*) proclamarunt. Ita hac de cauſa carnem Leonis putredinis expertem Galli (*Tit. 3. Ephem. Erud. 14. p. 227. add. M. C. Dec. 1. Ann. 2. obſ. 4. p. 21.*) divinarunt Tangit hoc etiam cadaver *Alexandri M.* biloſi namque fuit temperamenti (*Conf. l. 2. Tit. 8.* §. *37.*)

§. 33.

De Pavonis carne ut quædam inſpergam, inſtituti ratio monet. *Kirani Kiranides* (*p. 2. p. m. 133.*) hæc dictitat: Si mortuus fuerit pavo, non marceſcit ejus caro, nec fœtidum dat odorem, ſed manet, tanquam condita aromatibus. Movit id *D. Auguſtinum* (*l. 21. de Civit. DEI c. 2. & 7. cit. Simon. Majolo Dier. Canicul. Colloqu. 6. p. 215.*), ut exclamaret: quis enim niſi DEUS Creator omnium dedit carni Pavonis mortui ne putreſceret? Quod cum auditu incredibile videretur, evenit, ut apud Carthaginem nobis cocta apponeretur hæc Avis, de cujus pectore pulparum quantum viſum eſt decerptum aſſervari juſſimus, quod poſt dierum tantum ſpatium, quanto alia caro quæcunque cocta putreſceret prolatum & oblatum, nihil noſtrum offendit olfactum, itemque repoſitum poſt dies amplius, quam quadraginta, idem quod erat, inventum eſt: itemque poſt annum, niſi quod aliquantum corpulentiæ ſuccioris & contractioris fuit. Fidem huic facit *Uliſſes Aldrovandus* (*l. 13. ornithol. c. 1.*) dum ſcribit: Fuiſſe ſibi *ab Antonio Gigante* datum fruſtulum Pavoniæ carnis coctæ Anno 1598. quæ cocta fuerat Anno 1592. & gratiam tamen odoris non amiſerit, ſed proximè acceſſerit & Fœniculum. Fuiſſe tamen quibusdam foraminibus rotundis cribri in modum pervium, ex quibus ſi leviter percuteretur caro pulvis exierit, non ſecus atque ex carioſis lignis & arboribus pulvis exire ſolet, cum quatiuntur. Add. *Laurent. Caſtellan.* (*l. 4. de Uſ. Carn. c. 9.*). *Conrad. Geſner. l. 3. de*

Avibus p. 656.). *Conr. Vict. Schneider.* (*l. 5. de Catharr. s. 1. c. 2. p. 63.*), Caliditati id carnis *Wolffg. Franzius* (*p. 2. Hist. Anim. Sacr. c. 5. p. 388.*) transscripsit, qui rectius fecisset, si juxtim siccitatem addidisset: quis namque ad tantum temporis spatium caloris vim in subjecto dominari posse aliis persuadebit.

§. 34.

Ἄσηπτον tamen simpliciter & absolute pavoniam esse, negat *Melch. Sebizius* (*l. 3. de Alim. c. 9. p. 810. sq.*), sed saltem comparativè ob ἰδιοσυγκρασίαν & proprietatem certam temperamenti sui longiori temporis spatio incorrupta manet, quam aliarum Alitum carnes. Quod autem computrescere possit, observatio *Aldrovandi* prodidit. Cariosa enim tandem facta est & foraminulenta, propterea etiam concussa pulverem ex se fundebat cariosum, quem forsan acaros, aut Acarorum excrementa interpretari licebit. Carni præterea assatæ id tribuit *Hier. Cardan.* (*l. 7. de Rer. Var. c. 35. p. 363.*) & tantum per mensem, non crudæ, quam tamen tandem post annum spatium contabuisse retulit.

§. 35.

De ferinâ & aliarum Avium carne è *Th. Browne* (*l. 3. Pseudodox. Epidem c. 27. p. 690. Edit. German.*) non potui non hæc subnectere; *Wir haben probirt und beobachtet, daß sich das Fleisch von Indianischen Hühnern, Cappaunen, Hasen, Rebhünern und andern Wildpræt, wenn es frey in der Lufft hænget, eben so lange hælt und nach andert halb Jahren annoch so gut gewesen, daß die Hunde keinen Eckel gehabt, solches zu fressen.*

§. 36.

In considerationem etiam trahitur Temperamentum frigidum & siccum. Quocirca *J. J. Becchero* (*l. c.*) corpora frigida & sicca difficulter, imò aliqua prorsus non putrescunt. Et *Cardanus* (*c. l.*) non negat quidem in Pavoniâ carne occultam proprietatem, sed tamen manifestas simul qualitates non rejicit. Pavoni igitur temperiem frigidam siccamquè tribuit, ob hoc, exhausto exiguo illo humido, quod superest, putredini resistit. Præterea caro densa est & Melancholica seu terrena, adeoquè sicca. De siccis *Gerhard. Joh. Vos.* (*l. 3. Idolol. c. 77. p. 1148.*) evolvendus.

§. 37.

Ob præfatam siccitatem variæ corporis partes putredini reluctantur. Exemplo sint Capilli & Pili (*l. 1. Tit. 1. §. 15.*); Dentes (*c. l. Tit 6. §. 12.*); Ossa & nervos ferè immortalia permanere Socrates apud Platonem (*in Phædone f. 204.*) tradidit. Pari passu ambulant cornua & ungues (*l. 2. Tit. 10. passim*). Ad-

do

do his membranas, tendines, Nervos & in quibusdam cartilagines, viſcera itidem ſolida & denſa, Cor, Epar, Renes, cumprimis ſi aliqualis accedat præparatio, ut mox patebit.

§. 38.

Medio modo ſe habere pinguia, ut lardum, oleum, Nuces, Amygdalas, farcimina *Hier. Cardan.* (*l. 2. de Subtil. p. 109.*) aſtruxit. Cæterum nec in adipem aut pingvedinem facilè vim ſuam in ſubterraneis locis exercet διάλυσις. Ita non ſemel olim à noſtris veſpillonibus audivi, quod invenerint adipis & pingvedinis à Cadaveribus putrefactis relictam in noſtro Cœmeterio copiam. Succurrit illud *Dn. D. Joh. Theodori Schenckii fidiſſimi olim in alma Salanâ Præceptoris.* (*l. 1. Exerc. Anat. 2. ſ. 1. c. 31. p. 284.*). Inventa fuit Rochlitii à Veſpillone, cum ſepulchrum conficeret, notabilis pinguedinis ſelectæ quantitas, reliquis omnibus, oſſibus exceptis, conſumtis, quæ in uſum tam internum, quam externum ſæpius tum temporis recipiebatur. Conſtabat autem hominum memoria annos ante aliquot ibidem corpus cujusdam adipoſi ventricoſique hominis depoſitum fuiſſe. Diſtingvunt tamen quidam, ut iterum *Vir de arte benè meritus*, inter pinguia aërea & aquea *cum Gabr. Fallopio*, illaque minus liquari & putrefieri exiſtimant; hæc autem citius.

§. 39.

Ætatis & ſexus ratio etiam habenda. Embryones in utero & παίδια σμικρὰ καὶ νεόγονα Hippocrati (*ſ. 3. aph. 24.*) dicta, ſi caloris in his gradum metiaris, extat laudati Dictatoris (*l. 1. de Diæt.*) effatum: quo unumquodque generationi vicinius eò humidius & calidius. Quod ad humiditatem, litem ipſi non movebo, cum ſero magis nutriatur in utero fœtus, adeoque dilutione gaudeat ſanguine. Quod ad calorem verò, ipſa repugnare videtur & ratio ex hypotheſi modo dicta propullulans, & experientia. Qua de cauſa *Galenus* (*in Comm. ad Aph. 14. ſ. 1.*) pueris calorem tribuit, qui eſt benignus & vaporoſus, qualis aquæ dulcis,; adoleſcentibus autem, qui eſt acris & fuliginoſus, qualis in igne. In qua igitur ætate humidum luxuriat, calidumque frangit, in eâ corpus citius invadit & inficit. Ita in utero fœtum in gelatinoſam amurcam diffluere videmus, eundemque in utero mortuum & editum nigreſcere, & ſi forte per aliquot horas brachium, aut pes extra uterum ſe exerat, ſphacelari & corrumpi. *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obſ. 100.*). Curioſi abortus in Spiritu Vini aut Therebintinæ ſervare (*Vid. infra* §. *109.*) norunt, eosdemque demonſtrant. Eſſe aliquando abortus illos mangonum opus & pro abortu ceream puellæ figuram liquori inditam, olim didici. Addo, quod olim (*l. 1. Tit. 6.* §.

30.) in Corollario *è Plinio* (*l. 7. c. 16.*) citavi: Hominem priusquam genito dente cremari mos gentium non est. Sepeliebantur igitur, si nec dum quadraginta dies adimplessent, infantes, sepulchraque suggrundia dicebantur. Causam *è Fulgentio Placiade* (*de Prisc. Sermon.*) afferunt. *Jacob. Guther.* (*l. 1. de Jur. Man. c. 29. p. 177.*). *Joh. Kirchmann.* (*l. 1. de Fun. Rom. c. 3. p. 11.*). *Casp. Barth.* (*l. 11. Adv. c. 21. col. 550. & l. 24. c. 3. col. 1176.*), quia (quæ, legit *Barth.*) nec busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur non erant, nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret. Tumulus namque à tumore terræ nomen accepisse *ab Isiodoro* (*l. 15. Etymol. c. 11.*) annotatum. Unde *Rutilius Geminus* (*in Astyanact.*): Melius suggrundarium quæres, quam sepulchrum. Fœminam viro frigidiorem volunt, vide ad quos *Paul. Zacch.* (*l. 1. Tit. 1. Med. Leg. Quæst. 6. n. 51. p. 21.*) provocat. Addo & secundum naturalem statum humidiorem, quod adduxit *cit. Zacchias* (*l. 4. Tit. 1. quæst. 10. n. 20. p. 363.*). Corporis igitur defuncti in putredinem proclivitatem, inde facilè concludere licet. Dantur tamen & Mumiæ infantum & fœminarum, & utriusque Exemplum *supra* (§. *19.*) exhibitum.

§. 40.

An huc spectet Cerebri in cryptis subterraneis conservatio, me dubitare non sinit ejus unctuosa & oleosa substantia, secundum quam etiam superiorem occupavit tractum, ut *Fr. Joseph. Burrhus Epist. ad Th. Bartholin. de Cerebr. 2. p. 8.*) statuit, & id inde cerni candidissimum, cum videas ab alcalinis liquoribus apud Smegmatistas omnes pinguedines transmutari in album saponem (*Id. ib. p. 13.*). De illo autem perennante historiæ prostant sequentes. In Cranio quinquaginta annos sub terra reposito Cerebrum plane crudum, incorruptum, nullique putredini obnoxium, sed albicans & instar olei diffluens, neq; fœtens invenit *D. Georg. Faber*, quod an viribus balsamicis externè adhibitis ascribendum sit, dubitat *Guilh. Fabric. Hildanus* (*Cent. 5. obs. Chirurg. 4. p. 386*). Pariter & Avenione Cerebrum post multos annos molle, humens & tabis expers reperit *Theophil. Raynaudus* (*c. l. c. 6. n. 21.*). Nuper è puteo Dominicanorum Castrensium (*insit Petr. Borellus Cent. 2. obs. med. phys. 36. p. 133.*) sexaginta circiter hominum olim jugulatorum ossa eruta fuere, ubi octuaginta circiter annis delituerant, in horum autem craniis Cerebri medulla reperta est, adhuc mollis & non fœtens. Cerebrum vitelinum (vitulinum forsan) destillatum insigne ad dolores podagricos leniendos extra applicatum recommendat *Birrhus* (*c. l. p. 15.*) & addit: Aqua hæc insipida clausa hermeticè in vitro incorrupta seculum durabit.

§. 41.

§. 41.

Internam Naturæ benignitatem firmant externa, tum corpus ambientia, tum intrò ſumta. Ab Aſtris firmitatem hanc derivavit *Rays de Fontecha* (*de Privil. prægn.*), mortis tempore talem aliquando influxum dari contendens, qui corpori influens putrefactioni ineptum reddat, unde poſt multum annorum decurſum absque ullo miraculo integrum reperiatur. Pollicem huic premit *Caſp. à Rejes* (*c. l. p. 411.*). Superſtitionem ſpirat illud venerabilis *Bedæ* (*de Nat. Inſt.*) dicterium: In anno tres eſſe dies ac noctes, in quibus, qui nati fuerunt, corpora illorum absque dubio integra & incorrupta manebunt usque in diem judicii. Sunt verò dies 27. & 30. Januarii & 13. Februarii, de quibus inquit: Suum myſterium mirabile valdè. Die 1. & 2. Februarii natos non putreſcere *Anton. Paluan.* (*caten. Tempor. Annul. 16. p. 53.*)

§. 42.

Multum in putredinis negotio valet Aër. Benè igitur ſe res habet, ſi illius acceſſus ſolicitè prohibeatur, ut etiam modo (*praced. Tit. §. 51.*) traditum. Ita Cerebrum ſine putredine cur in puteis tamdiu duraverit, *ut modò* (§. *40.*) *narratum*, cauſam *Petr. Borellus* (*c. l. p. 134.*) in aëris privationem & putei humiditatem (rectius forſan frigiditatem) rejecit. Diutius in fluminibus carnem mortuam novo ſemper gurgite dilutam balſami Naturam induere *J. B. Helmont.* (*tr. Poteſtas medicam. n. 48. p. 385.*). Infantum Spithamæ longitudine ſublatis interraneis per aliquot menſes in Aqua frigida natantem citra corruptionem (*Exerc. de Partu p. 347.*) *Guilhelm. Harveus* ſervavit. Eadem de carnibus & fructibus Arborum utribus inflatis concreditis eſt ratio, quamvis aliam comminiſcatur *Ariſtoteles* (*ſ. 22. Probl. 4.*)

§. 43.

Aëris præterea qualitas examinanda. Ab ambiente calido mixta eſſe vidicanda, monuit *Anton. Santorell.* (*Poſtprax. med. c. 38. p. 127.*). Contra incorruptibilitati velificatur Athmoſphæra frigida & ſicca. Nive carnes multum tempus â putrefactione vindicari, *è Plutarcho* (*l. 8. Sympoſ. probl. 5. p. m. 398.*) diſcere poſſumus. Vidimus ipſi (*obſervat. Th. Bartholin. tr. de Nivis uſu Med. c. 12. p. 79.*) hoc ſpectaculum & *Nicol. de Monardis* (*tr. de Nive*) tradidit in montibus corpora humana & animantium congelata ſub nive reperta, adeo incorrupta, ut viderentur condita. Qui Spizberga (*ſubjungit Bartholin. c. l. p. 80.*) Grœnlandiæ parte ad nos redeunt mercatores Hafnienſes, teſtantur, nihil ibi ob frigus intenſum putreſcere aut corrumpi, ut etiam ſepulta cadavera per tringinta annos inviolata & integra ſine putredine conſerventur.

Regii Mutinenses nivem hoc fine arctè compactam servant in cellis nivariis, in quibus fervente æstate vidi carnes mactatorum animalium à putredine diu se conservasse. In rimis nivis antiquæ glaciatæ (*Glettscher*, Helvetiis dictæ) ferinam & alias carnes à putredine protegere Alpium incolas *Joh. Stumphius* (*l. 9. Chronic. Helvet. c. 12. f. 280.*) prodidit. Tales carnes nive circumposita & injectis paleis suaviores reddi *Constantin. Cæsar.* (*l. 19. Geopon. c. 9.*) Quæ de nive protuli, etiam de aqua frigidâ & glaciatâ, cùm à se invicem non nisi forma externa discrepent, valent.

§. 44.

Etiam sine nive Animalium corpora à frigore conservantur, *Vid. Iterum Th. Bartholin.* (*c. l. p. 83.*) & æstate defuncta citius putrescere, quam quæ hyeme terræ mandantur, vespillorum narratione *idem* (*Cent. 1. hist. 62. p. 109.*) accepit. Qui hyeme literam longam repræsentare coguntur, diutius in furcâ durare etiam vulgò innotuit. Corpora Stockholmiis totâ hyeme in patibulo suspensa sine putredine deprehendit *Joh. Joach. Beccherus* (*c. l. n. 25. p. 312.*) cum unum casu decidisset. In Scythia gens parentum cadavera inter nives & glaciem truncis affixa detinet, de quo *Alex. ab Alexandro* (*l. 3. Genial. Dier. c. 2. f. 115. b.*). Et hæc ipsa causa est, cur Anatomicis demonstrationibus tempus hyemale potissimum destinetur, *Vid. Alexand. Benedict.* (*l. 1. de Fabr. Corp. Human. c. l.*) & *Thom. Bartholin.* (*l. de Niv. Us. Med. p. 83.*) ut & (*in Respons. ad Experim. Bils. ad. Zass. p. 537.*). Contingit autem hæc προφύλαξις, dum frigus indurando siccitatem inducit & instar aromatum & arenarum Ægypti siccando defendit, ut iterum *Bartholin.* (*de Niv. p. 81.*)

§. 45.

Sepulchrorum etiam plagam in hoc argumento non parum præstare nemo non videt. *Wenstermanni* Cryptæ subterraneæ fenestra patuit meridiem versus, ut *Th. Bartholin.* (*de Hepat. defunct. p. 552.*) tradidit. Aquilo est frigidus & siccus, aut, ut cum Hermeticis *Joh. Bickerus* (*T. 1. Hermet. Rediv. p. 2. s. 1. c. 13. probl. 1. p. 372.*) loquitur, ex Sale, Sulphure & Mercurio coagulato constat, qui ideo putredinis adversarius. Auster contra cum sit calidus & humidus, *testibus Hippocrat.* (*l. 2. de Diæt. p. m. 21.*) *Aristot.* (*l. 2. Meteor. c. 3. & s. 1. probl. 23.*) & *Plin.* (*l. 2. hist. nat. c. 47.*), eò quod in Græciam vel Italiam per mare mediterraneum, ut *Gerh. Joh. Vossius* (*l. 3. Idolol. p. 1. c. 4. p. 746.*) notavit, delatus, humores eò trahens fit ὑδατωδέστερος. Quare Austri exhalationem, Sal, Sulphur, & Mercurium caducum secum vehere *cit. Bicker.* (*c. l. p. 371.*), & *ap. Hippocratem* Austrinæ constitutiones dissolvunt corpora & humectant (*s. 3. aph.*

aph.17.), vires laxant (*Aristot.c.l.probl.24.* & *f.26.probl.45. Reiner. Solenand. f.1. Consil.Med.11.p.47.)*, corpori & capiti graviditatem inducunt, quo sensu *ap.Horatium* (*l.2. Satyr.6. v.28.*)

- - - - - - *plumbeus Auster*,

quod gravem noxium & pestilentem *apud Cruquium* exposuit *Commentator* (*in h.l.p.483.*), & *Eilhard. Lubinus* (*paraphr. in h.l.*). Clarius verò mentem Poëtæ exposuit *Vossius* (*c.l.p.750.*), quod non tantum vividum corporis colorem in plumbeum & cachecticum mutet, sed & plumbeum corpus faciat. Alibi (*l.2. Od.14.*) iterum *Horatius:*

Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

Pestem igitur dicitur advehere, quod de Austro non omni, sed infecta loca lambentè rectè interpretatur *Athanas. Kircher.* (*f.1. Scrutin. de Pest.c.11.§.3.p.269.*). Narrat *Hieron. Mercurial.* (*l.de Peste c.20.p.93.*), quod *Marcus Varro* Corcyram insulam ab imminente peste liberarit obstructis iis fenestris, quæ ad Austrum spectabant & apertis iis, quæ ad Aquilonem vergebant. Et hinc est, pergit ille, quod *secundum Plinium* (*l.7. c.50.*), pestis semper à meridionalibus partibus (perpetuum non esse Exemplis demonstratum dedit *l.1. de Pest.p.19. Georg. Agricola*) in occidentem eat. Quomodo vero contingat, ut ad siccitatem inclinet Auster, *Jacob. Milichius* (*comment. in l.2. Plin.c.47.f.175.*) exponere conatur. Si igitur ea Austri vis est, ut corpora spirantia invadat & corrumpat, quid de mortuis non sperandum?

§. 46.

Locum commendat, qui minimè omnium putredini sit expositus, (*Post prax.Med.c.5.p.12.*) *Anton. Santorellus.* Qua de causa sepulchris templa accommodata, laudavit *Idem* (*c.l.c.27.p.87.*), ubi ab externis injuriis magis tuta, & ita præservantur à putredine, imprimis si templa sint alta, lata, nec ab hominibus noctu diuque ibi versantibus calefiunt. Fallitur autem *Santorellus*, si calorem hunc non sursum, sed deorsum ad cryptas ferales penetrasse, credidit. Laudo, *concludit*, in iis templis præcipuè condantur defuncti, quæ in loco sublimi sunt reposita, ventis perflata salubrioribus. Nam hæc aptiora esse servandis cadaveribus, experientia quoque est compertum. Idcircò enim corpora, quæ in Templo *D. Mariæ Montis Virginis* & sanctissimæ Trinitati (*Mariam* S.S. Trinitati præponunt Mariolatræ, quod detestandum,) dicato Monachorum S. Benedicti in Civitate Cavæ sunt sepulta, ad multa annorum secula videmus perseverasse incorrupta.

§. 47.

§. 47.

Sepulchra olim Principum in montibus aut circa eorundem radices extruebantur. Vid. *Servius* (*ad l. 11. Æneid. p. 907.*), & ex eo *Isidorus Hispalensis* (*l. 15. Etymol. c. 11.*) ad illud (*l. 11. Æneid. v. 849.*) *Virgilii:*

Fuit ingens monte sub alto
Regis Decenni terrendo ex aggere bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice bustum.

Circa Radices montis *Aventinus Sylvius*, *teste Aurelio* (*l. de Orig. Gent. Rom.*) monti nomen dedit sepultus. In memoriam defunctorum id factum, posteà ad ostentationem res devenit, ut primò acervos Lapidum, ceu *Absolonis* id testari poterit monumentum (*2. Samuel. c. 18. v. 12.*), postmodum montes factitios extruerent, & impositis exornarent columnis. Quæ ipsæ tandem in stupendas Pyramidum excrevere moles, ut (*c. l.*) *Servius* & *Alex. ab Alex.* (*l. 3. Genial. Dier. c. 2. f. 116. a.*). Allegat *Servius* illud *Lucani:*

Et Regum cineres extructo monte quiescant.

His ipsis sepulchris illata cadavera oblocorum sabulosorum frigiditatem & siccitatem, ea utique à corruptionis intemperie vindicare valuerunt. Eandem sortem subeunt locis petrosis inclusa, cujusmodi sepulchris superbiebant Hierosolymitani, taleque SERVATORI nostro O. M. contigit. Observat namque è *Strabone Vir illustris Isaac. Casaubon.* (*in Baron. annal. Exerc. 2. n. 5. p. 145.*), totam regionem circa urbem laudatam ad sexagesimum usque lapidem esse petrosam. Scissis proinde sub obitum SERVATORIS petris aperta monumenta. (*Matth. 27. v. 52.*)

§. 48.

Cum etiam Terra frigida sit & sicca (qui calidam eam dixerunt, eos ridet & refutat *Bartholin. Keckermann.* (*l. 2. Syst. Phys. c. 13. p. 173.*), non mirum est, quod eidem cadavera concredita in putredinem non ita prona offendantur. Movit id *Fel. Platerum*, ut scriberet, corpora Terræ mandata, si alte defossa fuerint, minimè putrescere, adeoque à Terræ siccitate rectius, quam pice aut sale præservari. (*Cent. probl. posthum. qv. 9.*). Increpat igitur Magnates, quod neglecto hoc vindicandi à putredine tam facili modo artificialibus aliis utantur. Frigidiorem autem reliquis terræ regionibus secundam putat *Rob. Boyle* (*de Temper. Subterr. Reg. c. 5. propos. 1. p. 24.*), quæ ipsa frigiditas à salibus frigidorum contactu (*Idem c. 6. prop. 2. p. 31.*) augetur. Et hac ratione ille Metallurgus (*Vid. §. 20.*) corruptionis resistire potuit imperio. Habet & quædam (*c. l. c. 41. p. 137.*) *Anton. Santorellus.*

§. 49.

§. 49.

Ejusdem efficaciæ dicitur Aër calidus & ſiccus. Abſumta namque humiditate ſenſim ſenſimque exſiccantur corpora. Tales plagæ orientales. Illa minus putreſcunt, quam quod noſtra faciunt. Verum aſſeveranter affirmamus illa etiam putreſcere, qua propter aromatibus & ſale condiuntur. (*Th. Groſſius. lect. de Febr. qu. 4. p. 28.*). Ita Solem putredinem impedire, *Albert. M.* (*in 4. Meteor. tr. 1. c. 20.*) ſtatuit, & ſuſpenſos ab Aëre & ſole exſiccari, *Th. Bartholin.* (*l. 1. hiſt. 62. p. 108.*) teſtis eſt. Videmus id in Hiſpania (*inquit J. J. Beccherus c. l. n. 25. p. 311.*), & in aliis locis calidis orientalibus, ubi cadavera non reſolvuntur, ſed exſiccantur. Audivi, *notat Caſp. à Rejes* (*c. l. n. 14. p. 408.*), à viro fide digno, qui occidentalem Indiarum plagam diutius frequentavit, ſe vidiſſe in arenoſa planitie, quæ inter Limam & Truſilum poſita eſt, multa Indorum corpora ſub dio expoſita, quæ è ſepulchris eruta fuerunt exſiccata & nulla putredine corrupta. In occidentali Conactiæ ſolo Inſula eſt Arnan dicta (*ut è Gyraldo Cambienſi c. 6. H. Kornmann. p. 3. d. m. m. c. 4.*), in qua hominum corpora nec humantur, nec putreſcunt, hic homines Avos, Atavos & Tritavos longamque ſtirpis retrò ſeriem mirantes conſpiciunt & cognoſcunt. Gemella de Coromandel Jürgen Anderſen (*l. 2. Itin. orient. c. 15. p. 57.*) retulit exempla. In Periacca novi orbis monte corpora demortua non tabeſcunt, neque tetrum odorem expirant, ſed veluti ſomno profundo detinerentur absq; corruptione permanent, quod *ex P. Acoſta* (*l. de Nat. nov. Orbis*) *Joh. Marc. Marci* (*l. de Id. operatric. c. 8.*) retulit. Id verò ad Aëris ſubtilitatem reſtrinxit *Acoſta*. Junge *Joh. Sperling.* (*l. 4. Inſtit. Phyſ. c. 21. qu. 5. p. 636.*). Cauſa hæc etiam eſt, quod in Machina Boyliana carnes poſitæ nec ſanie, nec putrilagine diffluant. Aquiloni aut alio rigido vento expoſitas carnes & piſces exſiccari & & in multam æſtatem aſſervari à Belgis *Levin. Lemnius* (*l. 4. de O. N. M. c. 11. p. 400.*) autor eſt. Cum & Ægyptiorum cadavera in locis adeò ſiccis aſſerventur, ut ad illa nulla humiditas pervenire poſſit, loci ſiccitati plus quam Balſamationi tribuit *Blum.* (*p. 1. Itiner. Orient. p. 52. ſeq.*)

§. 50.

Fulmine tacta cadavera *ἄσηπτα Plutarchus* (*l. 5. Sympoſ. qu. 10. p. m. 297.*) pronunciavit, quem multi ex Recentioribus ſeqvuntur, inter quos etiam *Rejes* (*c. l. p. 410.*), ideò damnari dixit *Jun. Paul. Craſſus* (*quæſt. Med. & nat. 34.*) *Euripidis Poëtæ Clymenem*, quæ *Phaëtontem* de cœlo tactum in vallibus putreſcere cecinit. Debent id exſiccationi humorum facile corruptibilium à fulmine factæ, ut ratiocinatur *Anton. Santorell.* (*c. l. c. 42. p. 138.*) prætereaque à fulmi-

ne f. sulphure fulminis tanquam sale condiuntur, ut habet *P. Zacchias (l. 4. Tit. 1. qv. med. 10. n. 3. p. 318. & l. 5. Tit. 2. qu. 11. n. 9. p. 395.)* potest, *addit Rejes*, occulta vis fulminis corporis substantiam ita fixam ac indissolubilem reddere, ut non solum putredini, sed defluxioni quoque resistat. Constat etiam inde nec cremasse nec inhumasse veteres fulguritos, ut tradidit ex Nostris *Ambros. Pareus (in Renunciat. Op. p. 656.)*, de quo tamen multa disputant *Joh. Gutierius (l. 1. de Jur. Man. c. 3. p. 12. & sq.)* & *Joh. Kirchmann. (l. 1. de Funer. Roman. c. 3. p. 10. sq.)*, quos, si evolvere gestias, per me licet. An fulminati ἱεροὶ νεκροὶ sint appellati, *(Vid. Joh. Gutier. c. l. p. 26.)*. An etiam hanc ob causam consecrati? Philologi disquirant. Conf. interim *Joh. Henric. Ursin. (p. 1. Annal. Sacr. p. 153. & de Zoroastr. p. 20.)*

§. 51.

Id vero, quod *Seneca* in contrarium astruit, *(l. 2. qu. nat. c. 31.)* fulminata corpora verminare quam facillime, & ex cum *Fortun. Fideli (l. 4. de Relat. Med. f. 4. c. 2. p. 599.)* concludere cœpi, quod Experientia & αὐτοψία me satis docuit. Cum namque Anno 1679. post visitationem Pharmacopœæ Annæbergensis de 21. Maj. iter institueram versus Chemnicium, Dei fulminatoris Majestatem in medio viæ in pago Galenau in Juvene etiam Chemnicium pergente perspexi. Hic in medio duorum juvenum ambulans fulminis sentit asperitatem, Comites turbantur, & animum post resumunt. In corpore fulminato statim eximius tumor advertitur, sed & nares odore sulphureo & putrido nauseabundoque vulnerabantur. Ita prope pagum Henersdorff novem, si recte memini, vaccæ fulminis ictu unico peribant, omnes circa abdomen mirum in modum increscebant, & putridum spirabant odorem. Puella præsens perculsa & resuscitata etiam ventrem tumidum monstrabat, cujus restitutioni non parvam impendi operam. Alius juvenis ante Portam, qua ad monasterium itur (*Klosterthor*) fulmine peremtus sulphureum putredinosumque cum tumore totius abdominis naribus suggerebat odorem. De aliis plura non addo Exempla & mecum reputo, antiquos fulminatos non curiosè lustrasse, sed tanquam in numerum felicium receptos magis coluisse, quam phænomena in ipsis conspicua explorasse.

§. 52.

Ad alias Aëris affectiones adhuc respexit *Hier. Cardan. (l. 7. de Var. Rer. c. 3. p. 489.)*, tenuitatem nempe & salsedinem. Ita juxta Cozorum urbem equos post quartum mensem occisos, licet adeò recentes ac sine tetro odore velut si nuper essent occisi deprehendi, asseruit. De aura Chiloniensi & aliis

reci-

recitat *Phil. Camerar.* (*Cent. 2. op. subscisiv. c. 70. p. 252.*), quod subtilitate tali nobilitetur, ut ad intima præcordia penetret, vitalemque calorem suffocet & restingat, & cum in ultimo siccitatis gradu constituatur, neque corruptionem, neque putrefactionem admittat aut inducat. Retulit Eidem *D. Paludanus Medicus*, se domi suæ habere tales Indos, duos integerrimos, neque odore tetro, pallido emortuove colore luridos, sed procul aspicientibus cute rubicunda & in aliis omnibus, excepto solo motu viventibus similes. De Aëre præservante in Finmarchiâ parte Norwegiæ *ex Olao Magno* (*l. 1. de Hist. de Gent. Septentr. c. 2. p. 3.*) *Martin. Zeilerus* (*T. 2. Epist. 422. p. 401.*). Specus Tholusæ reperitur, in qua corpora ante 200. annos sepulta adhuc incorrupta servantur. *Vid. Georg. Phipp. Harsdörffer.* (*Specul. Histor. c. 4. §. 17. p. 27.*)

§. 53.

Quod ad Assumta, quod parcior vivendi modus efficiat, ne liquescant membra, aut sanie perfusa madescant, compertum, (*Anton. Santorell. c. l. p. 139.*). Persæ, non quibus volebant, cibis, *teste Herodoto* (*l. 1. p. 46.*) vescebantur, sed quos habebant, nec vini, sed Aquæ potu utebantur, & quod refert *Xenophan.* (*l. 1. de Pæd. Cyr. p. 6.*), ferunt, domo pro cibo panem, pro obsonio nasturtium, ad potum vero capedinem, ut ex flumine Aquam hauriant, sicca inde ipsis corpora, adeo, ut apud eos turpe sit, & spuere, & emungi & flatu videri plenus. Turpe item ducitur, si quis appareat quoquam ire, aut mejendi aut cujusquam hujusmodi rei gratia. Quæ quidem facere nullo pacto possent, nisi & victu modico uterentur & humiditatem per laborem consumerent, pergit (*c. l. p. 9.*) *Musa Attica.* Inde factum, ut cum circa Amidam civitatem, quam Sapor, Persarum Rex, oppugnaverat, Romanorum & Persarum corpora ad sepulturam requirerentur, *per Descennium Tribunum* animadversum sit, Romanos cæterosque Europæos quatriduo putrefactos & corruptos, ut non facilè dignoscerentur, cum e contra Persarum cadavera velut siccata ligna indurescere invenirentur: Quæ *Ammian. Marcellin.* (*l. 19. p. m. 159.*), & ex hoc *Cæl. Lud. Rhodigin.* (*l. 26. Antiq. lect. c. 24. col. 1466.*) & *Henric. Kornmann.* (*p. 3. de m. m. c. 1.*) prodiderunt. De patris cadavere post 20. annos adhuc incorrupto *Hieron. Cardan.* (*l. 8. de var. rer. c. 48. p. 507.*). Abstinentia extenuata, ut puellæ corpus, quod attenuatum solis nervis & ossibus cohærebat. (*vid. Albert. Kranz. l. 11. Wandal. c. 3. p. 250.*), ad tempus durare, nullus dubito, ob quam etiam Sancti *supra* (*§. 19. sq.*) forsan perennarunt.

§. 54.

Persarum mentio, de craniis eorundem non ignobilem *Herodoti* paucis

subjungere suadet observationem (*l 3. p. 269.*) Rem mirandam vidi, *insit*, ab indigenis edoctus. Ossa Persarum & Ægyptiorum, qui in acie ceciderunt, cum jacerent fusa, ut ab initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, deorsum Ægyptiorum. Sed Persarum capita adeò fragilia sunt, ut si velis ferire vel solo calculo perforare possis. Ægyptiorum autem ita firma, ut ea vix ictu lapidis elidas. Cujus rei causam hanc illi reddebant, facile mihi persvadentes, quod Ægyptii statim à pueris radere capita incipiunt & os capitis ad solem redditur compactum. Quæ eadem causa est non calvescendi. Nam ex omnibus indigenis paucissimos quis Ægyptios calvos videat, cujus rei causa est, quod robusta capita gestant. Ac Persis cur fragilia sint capita, id in causa est, quod à principiis imbuuntur operire capita, gestantes pilea tiarasque, hæc ego hujuscemodi ossa vidi. Vidi item alia istis similia in Papremi, eorum, qui unà cum *Achæmene Darii ab Inaro Afro* sunt cæsi. *Hactenus Herodotus.* Eadem capitis duritie Germanos olim excelluisse, eò quod à tegumentis capitis (*ut supra l. 1. Tit. 1. §. 8. annotatum*) abstinuerint, probabile est. Fluxit inde forsan illud *Varronis apud Plinium*: (*l. 28. c. 6.*) Capita aperiri aspectu Magistratuum non venerationis causa jussere: sed, ut *Varro* autor est, valetudinis, quo firmiora consvetudine ea fierent. Non venerationis ergò, (*commentatur Claud. Salmas. l. 1. Epist. 117. p. 269.*), nam si hoc spectassent non aperiri, sed operiri jubere debuerant. Nam Deos adoraturi caput velabant. Sed hæc obiter.

§. 55.

A venenis assumtis cadavera non liquescere nec verminationem pati *Seneca* (*l. 2. Nat. quæst. c. 31.*) scripsit. Provocat ad hoc signum & pro notâ genuinà veneni assumti agnoscit *P. Zacchias* (*T. 3. qu. med. legal. Consil. 17. n. 8. p. 23.*), qua de causa etiam quidam *Alexandrum Magnum* (*de quo supra §. 16. & l. 2. Tit. 8.*), veneno sublatum arguebant. Siccitati à veneno introductæ id imputabat *Idem* (*l. 2. Tit. 2. qu. 8. n. 20. p. 221.*), quanquam enim *scribit*, non omnia venena sicca sunt ex sua natura, aut naturaliter siccitatem inducere apta, omnia tamen habent id proprium, ut sua contrarietate Spiritus omnes quos inimicos præcipue habent, dissipent & absumant, unde corpus absque dubio siccum magis evadit, & ex consequenti putrefactioni minus obnoxium. Historiam mulieris Venetæ pro rei confirmarione insuper affert, mox (*l. 3. Tit. 3. §. 65.*) citandam: Spectant huc de cordis in igne durabilitate (*l. 1. Tit. 7. §. 25.*) ventilata. Cum etiam fulmen sit venenatum, veneno isti constantiam fulminatorum corporum (*de quâ modo §. 50.*) ascribunt Alii.

§. 56.

Ego verò de omni veneno id pronunciare vereor, cum constet venena in genere esse colliquativa spirituum, ut loquitur *Seb. Wirdig.* (*l. 2. Med. Spirit. Curios. c. 5. §. 3. & 4. p. 48.*), exemplisque id fuerit demonstratum (*Tit. praeced. §. 44. 45. 46.*) pingue, oleosum, sulphureum in serositates resolventia, unde flatus & cadaveris intumescentia (*Vid. l. 1. Tit. 8. §. 6. & 7.*). Color partium lividus & πελιδνὸς maculæ & vibices (*l. 2. Tit. 1. §. 17.*). Viscerum nigredo, corrosio & corruptio (*ib. §. 22.*). De certa autem veneni specie id verificari, non diffiteor, quæ forsan sulphure exsiccante turget, quale etiam fulminis esse videtur. Conf. *Harsdörfer* (*c. l. §. 19. p. 28.*). De venenis ad tempus dictis seu lentis humidum radicale sensim sensimque exsiccantibus tabemq; inducentibus idem forsan edicere poterimus. Parili modo morbi huc suum conferunt symbolum. Si namque sicci, ut Marasmus, Tabes, hectica, febris ardentissima &c. tota penè corporis humiditas caloris & siccitatis vi depascitur & absumitur, quocirca quod residuum carnis relinquitur siccum & humoris expers non aliter, quam si fumo aut igne tostum fuisset, ad longiusculum tempus servari ratio suadet. Ita *P. Zacchias* (*l. 4. Tit. 1. qv. 10. n. 18. p. 365.*) & *Casp. Rejes* (*c. l.*). De vulneratis *supra* (*h. l. Tit. 1. §. 44.*)

§. 57.

Aliquando autem ad speciem tantum fuit talis incorruptibilitas, inque momento corpora solida adhuc visa in cineres & pulverem ob aëris impulsum desedisse animadversum. Non rarò visa sunt cadavera in sepulchris bene tecta & conclusa, (*scribit Laurent. Joubert. T. 2. op. provoc. à sent. Brunon Seidel. p. 126.*) per ducentos trecentosque annos asservata integra singulis membris suum situm retinentibus: quæ apertis sepulchris contacta mox in cineres diffluerent. Singulare, & quod hic recenseri meretur, habet *Joh. Boccatius* (*l. 4. Geneal. Deor. c. 68. p. 114.*), quod etiam citat *Joh. Goropius Becanus* (*l. 2. Origin. Antwerp. s. Gigantomach. p. 223.*). Relatio hæc est: Cum apud Drepanum Siciliæ oppidum in radicibus montis nonnulli agrestes ad construendam pastoralem domum fundamenta foderent, apparuit cavernæ cujusdam introitus. Quam cum visuri essent, quidnam intus esset, faculis incensis fossores intrassent avidi, antrum summæ altitudinis atque amplitudinis invenere, per quod incedentes in oppositum introitus ingentis magnitudinis sedentem viderunt hominem, ex quo terrefacti, repente fugam arripientes exivere antrum, nec ante tenuere cursum, quam in oppidum devenissent, occurrentibus, quid viderant, nunciantes. Mirabundi autem cives visuri, quidnam mali hoc esset, incensis funalibus, ar-

misque ſumtis, quaſi in hoſtem unanimes exivere civitatem, & ultra trecentos intravere ſpecum videruntque non minus, quam primi ſtupidi, quem retulerant villici. Tandem proximiores facti, poſtquam non vivum eſſe hominem norunt, viderunt ſedentem quendam in ſede & ſiniſtra manu innixum baculo tantæ altitudinis & groſſitiei, ut excederet quemcunque prægrandis navigii malum, ſic & hominem inviſum, atque inauditæ amplitudinis nulla ex parte corroſum aut diminutum. Et cum ex eis unus porrecta manu tetigiſſet ſtantem malum, è veſtigio manus ſoluta in cinerem corruit remanſitque veſte nudatus baculus, alter plumbeus ad manum uſque tenentis aſcendens, & ut ſatis adverterunt plumbum erat ad augendam gravedinem malo infuſum, quod poſtea ponderantes aſſerunt fuiſſe ponderis XV. Centariorum (centenariorum) Drepanenſium, quorum unus quiſque ponderis eſt librarum communium centum. Demum hominis ſtatura tacta æquè corruit, & in pulverem omnis ferè verſa fuit. *Hæc Boccatius.* Vidi (Symbolum ſuum adjicit *Bohuslaus Balbinus Decad. 1. l. 4. Miſcell. Bohem. p. 2. T. 53. p. 109.*) A. C. 1635. in Collegii Olomucenſis funerali crypta (*Wenceslai Pillar*) ſenis optimi corpus, capillis & barba ex ruffo jam caneſcentibus, plena & rotunda facie, quod integrum eſſe exiſtimabam, cum, neſcio quo (qui mecum aderant,) ſatis leniter ſpirante, propè totum corpus in albos cineres mutatum & momento difflatum avolavit in auras, ſolis oſſibus remanentibus. Idem ſe cum *Platero* ſæpius obſervaſſe *D. Emanuel Kœnig* (*in Regn. Mineral. ſ. 1. c. 3. p. 10.*) fatetur. Hujusmodi fragilitatis humanæ Emblemati aſcribendum cenſerem Lemma: Pulvis & oſſa ſumus.

§. 58.

De *Tulliolæ* cadavere, quod ſe vidiſſe & tetigiſſe memorat *Gabr. Zerbus* (*Anat. corp. hum. f. 105.*) & *Alexand. ab Alexandro* (*l. 3. Gen. dier. c. 2. f. 116. b.*) teſtatur Idem, quod tumulo extractum & Romam aſportatum in tribus diebus computruerit. Rationem addit, quod unguento, quo conſervabatur, ſpoliatum fuerit, quod ex Mumia & Myrrha paratum crediderat. Sed illo tempore condiiſſe mortuos, ut conſerventur cadavera, exactè non conſtat, neque quomodo in Mumiæ notitiam venerint quis divinaret, neque qui hiſtoriam iſtam deſcripſerunt conditturæ iſtius mentionem fecerunt Aëris vis & mutatio, ſi vera eſt relatio, multum hic valuit, & obſervavit *Anton. Santorell. (c. l. c. 28. p. 90.)* putredini aptiores evadere mortuos, ſi de loco in locum transferantur. Quid verò hoc ſibi velit, Cadaver Romam tranſlatum computruiſſe, cum Romæ in via Appia inventum fuerit, non capio.

§. 59.

§. 59.

Homerus cum ex Elementis duo, quæ tenuissima & levissima sunt, Ignem & Aërem in morte, aut post mortem abire & evanescere cecinisset; duoque reliqua manere in corporibus mortuis nosset, deprecatus in hunc modum est:

Sed Dii vos omnes faciant undamque solumque.

Ita *Alexander Aphrodis.* (*l. 1. probl. 70.*), intendit autem absque dubio digitum ad verba *Menelai ap. Homer.* (*l. 7. Iliad. v. 99.*), ubi ita Menelaus, cum nullus Danaûm *gloriabundo Hectori* obviam ire contendebat:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένεσθε

Sed vos quidem omnes, aqua & terra fiatis.

Mortis hoc esse *ap. Homerum* periphrasin, agnovit *Joh. Kühnius* (*in Pausan. Eliac. post f. l. 6. c. 24. not.*). Et cum mortales ortu silenos esse ex eo facilè conjiciat *Pausanias* (*c. l.*), quod apud Hebræos & Pergamenos monstrentur *Silenorum* sepulchræ. Addit *Kühnius apud Nonnum* (*l. 19. Dyonisiac. v. 284.*) *Silenus* abit in flumen, vel quod idem, ὕδωρ καὶ γαῖα ἐγένετο. Probat demum ex supplicio *Marsiæ Sileni*, cui *Apollo* victor corium detraxit, fuitque è Silenorum numero. Cadevera proin jam putrescentia fluere dicuntur, cum tabo solvuntur, *Casp. Barth.* (*l. 23. Adv. c. 27. col. 1163.*) *citat. Petr. Anton. Collat.* (*l. 1. de Excid. Hierosol.*)

quarta confectus in umbra
Jamque fluens nigro revocatur Lazarus orco.

addit Lucan. (*l. 2. v. 164.*

nec Græcia mœrens
Tot Laceros ortus Pisæâ flevit in aula
Cum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas.

§. 60.

Pergit autem *Emanuel. König* (*c. l.*) & addit: Ex polline isto ossium calcinatorum saleque forti cum Spititu volatili quis post mortem in tremuli Narcissuli Ideam lacteam substantiam, vitrum sc. omnium vitrorum nobilissimum, redigi potest, prout hoc optavit *experientissimus Beccherus.* Hic ubi contendit, (*l. 1. Phys. Subt. f. 3. c. 3. n. 1. p. 104.*) terram fusilem, vitrescibilem, imò omnium nobilissimam, adeò ut vel totus Sinensium apparatus cum ea comparari nequeat, animalibus inesse, *subdens*, ô utinam itaque consvetum foret, ut amicos haberem, qui ultimam istam opellam, siccis & multis laboribus exhaustis ossibus aliquando præstarent, qui, inquam, eâ in diaphanam illam

lam nullis seculis corruptibilem substantiam redigerent, suavissimum sui generis colorem, non quidem vegetabilium virorem tremuli tamen Narcissuli ideam lacteam præsentantem, quod paucis quidem horis fieri posset, ut argumentum fierent divinæ omnipotentiæ in die resurrectionis nobis obventuræ. Expendit hoc desiderium *Erasmus Francisci* (*Lust- und Schaubühne 3. Th.2. Versicul. p. 070. sq.*), quem, si libet evolve, & Beccherianum votum vide.

§. 61.

Cum igitur animadverterent Veteres, à calidis & siccis aëre, locis, victu, venenis & morbis quandam perennitatem Consequi Cadavera, calidis & exsiccantibus putredini (loquor ex mente vulgi, cum etiam, ut monitum supra §. 2. putrefactionis species sit exsiccatio,) remoram & obicem injicere tentarunt. Fecerunt id duplici via, simplici nempè & cuivis nota, exsiccatione facta per ignem & aërem, abstrusiori deinde & sumptuosiori per medicamenta, cum simplicia, tum composita.

§. 62.

De Exsiccatione per ignem facta, ita *Petr. Martyr.* (*Ocean. Decat. 1. l. 8. f. 200.*) Pariæ Incolæ è Cannitalibus primatum, cadavera super Cratibus lento igni supposito distendunt, ut paulatim consumtis carnibus, ossa pelle inclusa, detineantur, quæ postmodum in honore habent, servantque tanquam Penates. Pari modo Comogræ Regulorum Cadavera pensilia siccata gossampinis funibus appensa in Camera singulari venerabantur, ut *Idem* (*Decat. 2. l. 3. f. 31. a.*). Exsiccabant & suspendebant eadem Phœnices, ut habet *Georg. Hornius* (*l. de Orig. Americ. p. 218.*)

§. 63.

Ægyptii ita siccabant cadavera, ut quasi ænea redderentur, quæ & Linguâ suâ Gabaras appellabant, ut *tradit D. Augustin.* (*Serm 120. de Divers. c. 22.*) ex Eo *Cæsar Baronius* (*ad Ann. CHRISTI 34. n. 69. p. 222.*) Domi autem *Ciceronis testimonio* (*l. 1. Tuscul. qu.*) servabant. Add. *Phil. Camerar.* (*Cent. 2. op. subcisiv. c. 70. p. 280. & Cent. 3. p. 290.*) *Andr. Gryph.* (*de Mum. Wratisl. p. 74.*). Fit ita frequenter, ut Ægyptium aliquem indigentem pecunia liberet egestate oppignoratus in tempore vel frater vel pater, ut *Lucian.* (*T. 2. op. l. de Luctu p. 306.*) argutatur. Nos à conspectu tactuque mortuorum abhorremus: alii vero exsiccata cadavera, ceu quippiam egregium domi servant & loco pignorum mortuos accipiunt, (*Sermon. 38. p. 234.*) *Joh. Stobæus disseruit.* Zeilani (*ut Benjam. Tudelens. in Itiner. & Arias. Montan. & Const. L' Empereur in not. p. 244.*) mortuos suos non sepeliunt, sed variis aromatibus condiunt ac in

sca-

scamnis secundum distinctas familias sepositos sindonibus obtegunt, ut exsiccata carne & ossibus hominibus vivis similes videantur, adeò ut hic illorum singuli suos parentes totamque familiam retro annis multis dignoscant. *Josephi* cadaver fuisse fumo tostum & in Aquis Nili contra putredinem diutissime asservatum, donec universus populus ex Ægypto egressus id secum in Terram Canaan asportasset, Judæi tradunt, è quibus id *Wilhelm. Schikkard.* (*de Jur. Reg. Hebr. c. 6. p. 413.*) memorat.

§. 64.

Æthiopes postquam mortuum, seu Ægyptiorum, seu aliorum more arefecerunt, totum Gypso inducunt: picturâque exornantes repræsentant, quoad potest, Effigiem Ejus. Deinde Cippum è vitro Ei, quod apud illos multum est, & facile effoditur, circumdant: In cujus medio mortuus interjacet, nihil æque odoris ingrati, neque fœditatis ullius exhibens, sed omnia illi ipsi mortuo similia habens. Hunc cippum maxime propinqui intra ædes annum tenent, offerentes ei omnium rerum primitias hostiasque. Anno exacto efferunt, circaque urbem sepelliunt, quod *Herodotus* (*l. 3. p. 270.*) tradidit.

§. 65.

Callimachus Hetruscus Semi Exul, ut & hoc è *Paulo Jovio* (*Elog. Doct. viror. n. 41. p. 87.*) addam, in villa Sarmatica apud veterem Amicum fato cessit, Ita, ut morte celata seu funere arefactus tepore Clibani in armario servaretur. De fœtu in utero putrefacto *M. C. (D. 1. A. 1. obs. 1. p. 13.)*. De vituli sceleto in utero vaccæ reperto *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. Hist. 2. p. 173.*) ita judicat: Caro vel per putredinem absumta vitulo mortuo, vel si gravia Symptomata metuimus per vulvæ calidioris exsiccationem, Leporinos uteros fœtus suos aliquando consumere *ap. Th. Bartholin.* (*V. 1. Act. Hafn. obs. 3. p. 203.*) *Nicol. Steno* notavit. De vitulo in utero in pulverem redacto, supra quædam sparsa. Acutum est illud Tertulliani (*l. de Anim. c. 32.*) in *Empedoclen* dicterium: *Empedocles, scribit*, quia se DEUM delirarat, idcirco opinor dedignatus aliquem se Heroum recordari, thamnus & piscis fuit, inquit, Cur non magis pepo tam insulsus & Chamæleon tàm inflatus? plane ut piscis, ne aliqua sepultura putresceret, assum se maluit, in Ætnam se præcipitando, atque exinde in illo finita sit metasomatosis, ut æstiva cœna post assum.

§. 66.

In Aëre videas exsiccari pisces in regione Biarmiæ nullo sale conditos toto decennio à putrefactione immunes servari *Ol. Magnus* (*l. 1. de Gent. Septembr. c. 2.*) disserit. Ita & carnes & pisces ad usus ut perdurent siccare in Aëre Fero-

ensses meminit *Th. Bartholin.* (*V. 1. Act. Med. Hafn. obs. 49. p. 96.*). Lucios exenteratos in aëre suspensos exsiccari apud nos non semel vidi. Auratas, carpiones, percas marinas & alios forsan pisces in aëre fumoso siccitatem perennantem acquirere mulierculæ non ignorant.

§. 67.

Exsiccationi prædictæ etiam multæ corporis nostri partes suam debent durationem. Cor humanum cum sit musculus validus densus & compactus. (*Conf. l. 1. T. 7. §. 23.*) nullo negotio conservatur. In Aëre exsiccabat, *refert Th. Bartholin. Resp. de Experim. Bilsian. ad Zass. p. 544.*) Empiricus noster rusticus, ex quo deinde pro febrientibus pulverem abrasit. Nollem tamen (*adjicit Diss. 5. de Re Med. Danor. Domest. p. 223.*) ad hoc remedii genus libenter descendere, quia nefandæ tyrannidi occasionem subministrat, si quando apud assuetos deficiat. Eodem modo paratum cor leporis durat ad affectus *à Wolffgango Waldungo* (*Lagograph. c. 51. p. 83.*) citatos, ad quartanam commendat *Diomed. Cornarius.* Epar maximè vetustatis patiens asseruit *Plinius* (*l. 11. c. 37.*) centenis annis durare obsidionum exempla prodiderunt, vitio laborare hanc scriptionem plurimi viri docti subolfecerunt, quorum conjecturas alibi (*M. C. D. 3. Ann. 7. & 8. obs. 137. p. 254.*) collegi; & pro centenis, denis, pro obsidionum, observationum Exempla reposui. Ab anno elixatum Epar humanum, quod sub scamnis scholæ Medicæ asservabant nullo modo corruptum & rancidum, sed eo odore, qui est in recenter elixato, *Joh. Riolan.* (*l. 2. Anthrop. c. 21.*) deprehendit. Ad corii humani præparationem exsiccatio etiam facit, *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Hist. p. 179.*) prodidit. Penes nos, *scribit Idem* (*Resp. de Experim. Bilsian. ad Zass. p. 544.*), opera & beneficio Consobrini nostri desideratissimi *Dn. Henric. Fuiren* in Musæo Academico asservantur quatuor tabulæ venarum, arteriarum & nervorum ex uno cadavere humano *à D. Leoniceno*, me præsente, Patavii sectorum. Secundinæ & umbilici infantum eadem facilitate in usum servantur. In Pharmacopœis exsiccata habentur animalia integra v. g. Apes, Bufones, Cantharides, Coccionellæ, Lumbrici, Millepedes, Serpentes, Stinci marini. Inter partes eorundem Lupi Epar, Ventriculus, intestina, Apri & Equi Testiculi, Castoreum, Cervi, Tauri, Vulpis Priapi, & alia, de quibus Pharmacopœæ & Dispensatoria. De Eorundem usu & necessitate in Pharmacopoliis *Vid. Exc. Dn. D. August. Quirin. Rivin.*

§. 68.

Quæ sumtuosiorem & abstrusiorem spectant condituram depromuntur, partim è Regno, s. ut *J. B. Helmont.* (*tr. Tartar. non in potu n. 3. p. 202.*) loqui amat

mat, minerali, partim vegetabili, animali denique prosapiâ. E minerali de Auri & Argenti efficacia nil proditum invenio, quamvis Auro aliquando obducta fuerint cadavera, ut *Andreas Gryphius (c. l. p. 112.)* annotavit. *In der Anatomie zu Leiden in Holland werden noch zwo verguldete Hände von einer Ægyptischen Mumie gewiesen (Christoph. Arnold. an Abr. Rogers Thür zum verb. Heidenthum, Zugaben c. 33. p. 911.).* Id namque elegantiæ saltem causa oblitum. Ita Essedones purgatum defuncti caput *Herodoti (l. 4. s. Melpom.)* inaurabant. Ipse prætereà *Gryphius (c. l. p. 46.)* reperit in Mumiæ Uratislaviensis auribus inter unguenta complicatum purissimo ex Auro folium crenis insigne & mirandæ tenuitatis decem granorum. Inauratam cutem *Philipp. Camerar. Cent. 2. H. S. c. 70. p. 282.)* notavit. Et hoc forte illustrium nobiliorum personarum insigne.

§. 69.

Æs verò non semel laudatum & adhibitum invenio. De nullo metallo salubrior spirat aura, *Joh. Langius (l. 2. Epist. med. 36. p. 153.)*, quam de Ære ex Chalcitide conflato, qui viridi ærugine quoque scatet: de quo clavus suillæ aut cervorum quoque carnibus infixus eas à putredine illibatas sua stiptica vi exsiccandi diu conservat: quod hi quoque fossores Metallorum, qui in Scaptensulis, Græcis χαλκυεργχίοις dictis, Chalcitidem cum ærugine scrutantur, fatentur. Experientia id confirmat *Evangeli apud Macrobium (l. 7. Saturnal. c. 16. p. 550.)*. Adde *Plutarchum (l. 3. Sympos. probl. 10. p. m. 232.)*. *Hieron. Cardan. (l. 7. de Var. Rer. c. 39. p. 459.)* & *Anton. Mizald. (Cent. 4. Memorab. Aph. 65. p. 83.)*, qui in illam siccanti sulphuri imputant. Acutos mucrones æreos olim cadaveribus infixos fuisse, *testatur Joh. Valer. Pierius (l. 14. Hierogl. p. 179.)* & ejusmodi clavos & fibulas Mumiis implicatas & inter ossa mortuorum repertas asservavit *Philipp. Camerar. Cent. 1. op. subcisio c. 14. p. 85.)*

§. 70.

Tribuit igitur æri vim medicamenti in vulneribus & ære inflicta vulnera, citius quam ferro sanescere, annotavit *Aristoteles (s. 1. probl. 35. & 36.)*, & in Chirurgos calamum stringit *Joh. Bodinus (l. 2. Theatr. Natur. p. 266.)*, quod instrumentis ferreis ænea non substituant, utpote cujus usum ferro anteponunt *Celsus (l. 3. de re med. c. 6.)* *Oribasius (l. de Machin. Chirurg. c. 3.)* *Vegetius (l. 1. Art. veterin. c. 14. & 28. & l. 2. c. 6.)*. Plura *Joh. Rhodius (Dissert. de Acia c. 6. p. 78.)*. Contrarium igitur sustinere videas Chirurgos æreis capsulis instrumenta ferrea includentibus cum ferro ærea includere prudentia & necessitas exigant. *Citatus Joh. Bodinus* etiam æneum serpentem jussu divino à *Mose* erectum

ctum citat, ut vi sanandi vulnera Israëlitis mederentur, de quo quidem miraculosis naturalia miscentem illibenter audiens, quid sentiendum è Theologis *Gasp. Finckius* (*Explic. Dict. SS. Conc. 26. p. 367.*) edixit.

§. 71.

Inter Epulotica primatum æris squamæ lotæ, eò quod modicè astringat & desiccet, detulit dudum *Galen.* (*l. 5. de Simpl. med. facult. c. 14.*), ad pessos & suppositoria uterum purgantia adhibuit *Hippoc.* (*s. 3. Op. l. de Superfœt. p. 47.*), & ungvento Ægyptiaco, putrilagini, Gangrænæ & consequenter sphacelo subjacentibus partibus summè proficuo (*Vid. Guilh. Fabr. Hildan. l. de Gangræn. & Sphacel. c. 13. p. 789.*). Vitriolum Veneris aut viride Æris miscuit antiquitas. *Conf. Ludov. Cœl. Rhodigin.* (*l. 29. Antiqu. lect. c. 6. col. 1616.*). Eodem venenato æris spiritu (pro veneno namque reputabat *Gabr. Fallopius tr. de Metall. & fossil. c. 15.* forsan, quod crudè adhibitum ventriculum vomitu turbaret, & corrosivâ operatione urgeret quam maximè), quo fuit enectus Metalli fossor (*supra §. 20.*) à putredine vacuum obtinuit corpus. Ea quippe vis est metalli in corpore oppresso atque aëris putrefacientis contagio immuni sentit *Dn. D. J. C. Dannhauer.* (*p. 2. Homil. sacr. orat. Doctoral. 3. p. 700.*). Causa hinc facilè eruitur, cur, *teste Plinio* (*l. 34. c. 9.*), usus æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus fuerit, dum tabulis æreis publicæ constitutiones inciderentur. Hinc *apud Horatium* (*Carm. l. 3. Od. 30.*)

Monumentum ære perennius.

Confer. *Philipp. Camerar.* (*Cent. 2. H. S. c. 71. p. 285.*). Leonem viridem è Vitriolo Veneris contra putredinem commendat (*Thes. Thesaur. Alchym. p. 935.*) *Paracels.*

§. 72.

Gemellam ferè laudem meretur Plumbum, ut inde plumbei Sarcophagi in usum venerint, tum apud Gallos, tum apud nostros, apud quos & album seu stannum rarius nigrum seu communiter dictum plumbum recipitur. Joh. Engolismæ Comitis Francisci cadaver, capsulâ plumbeâ refractâ aridum, sed adhuc integrum inventum, ut è *Jac. August. Thuano* (*l. 30. Histor.*) *Th. Lansius* (*Orat. contra Gall. p. m. 244.*). Temperamentum hujus frigidum & siccum id operari perhibent, qua de causa etiam terrestris Saturnus *P. Joh. Fabro* (*l. 4. Panchym. s. 7. c. 32. p. 561.*) audit, æstusque Venereos sua temperat frigiditate, si lumborum & Renum parti alligatur lamina plumbea, quod Catonem Oratorem fecisse viresque corporis studiorum labore custodisse tradidit (*c. l. c. 18.*) *Plinius.* Add. *Avicennam.* (*Fen. 20. c. 3. tr. 2.*) *Paul. Æginet.* (*l. 1. c. 38.*). Collegit

git & quædam *Joh. Henric. Meibom.* (*Epist. de flagr. us. in re vener. p. 56.*), quod tamen non semper sine noxa fieri (*l. 5. Geneanthr. tr. 2. c. 3. p. 556.*) suspicatur *Joh. Bened. Sinibald.* Prohibet etiam Plumbum, ut aërem externum attrahat & ab ejusdem crassitie augeatur, de quo *Rob. Boyle* (*p. 6. Chym. scept. p. 236.*), sua etiam densitate, ne aër externus illabatur, & si aromatibus illita cadavera, ne odor internus effluat ac dissipetur. Singularem sympathiam comminiscitur *Petr. Borell.* (*cent. 2. obs. 9. p. 113.*) plumbi cum corpore nostro, cum reliqua Metalla non ita facile ferat, ut plumbeos bombardarum globulos, qui sæpius per aliquot annos in corpore sine dolore & noxa gestantur. *Sennertus* tamen in æruginis & rubiginis carentiam potius causam rejicit (*l. 5. Med. Pract. p. 4. c. 20. p. 497.*), quæ ferro & aëre immisso corpori nostro dolorem creat & molestiam. Stannea interim etiam prostant, & in usu apud Magnates sunt & cuprea mortuorum receptacula. Marmoream etiam laudat Arcam, nisi quis vitream eligat (*c. l. c. 43. p. 142.*) *Anton. Santorellus.*

§. 73.

Salis præstantia in trivio nota. Sal in subsidium advocant dum Carnes, Butyrum, Caseos, & quid non? contra putredinem armare satagunt Oeconomi. Sol in cœlis, in terris sal. Animam fatuis esse pro sale non illepidè olim pronunciavere Rabbini, quod etiam ad sues applicavit (*l. 8. c. 51.*) *Plinius*, & de omni Animalium spiritu (*Anat. Hepat. c. 35. p. 301.*) edixit *Franc. Glissonius.* Ἅλας θεῖας appellabat *Homerus* (*l. 1. Iliad. v. 214.*); idcirco notante (*l. 5. Sympos. probl. 10. p. m. 278. & 7. in præfat. p. 300.*) *Plutarcho.* Communius quidem (*commentatur in locum prædictum Homeri Eustathius*) divinum salem vocat, aut quia conciliator amicitiæ & benevolentiæ Symbolum hospitibus in mensâ apponebatur: aut quia sale conspersa plerumque durare facit. Condimentorum itaque condimentum appellatur (*c. l.*) *Plutarcho & Henric. Nollio.* (*Prodr. Phys. Hermet. c. 6. Axiom. 2. p. 36.*), quo factum est, ut iterum *Plutarchus* (*c. l. p. 278.*), ut gratiarum nomen salibus imponeretur à quibusdam, videlicet sale necessitatem cibi in svavitatem convertente. Animam mundi dictum putat *Platoni Philipp. Bonannus* (*p. 1. obs. de vivent. in non vivent. c. 63. p. 271.*), quod servet corpus à putredine, sicut anima cui unitur. Spiritus universalis terrificatus *Christ. Adolph. Balduino* (*tr. Aur. Auræ. c. 5. p. 64.*), qui & salem paucis horis in Spiritum mundi mutari posse (*c. l. c. 11. p. 145.*) prodidit. Conservat terrestria, *ut Hippocrates* (*de Nat. human.*), & ex hoc *Stephan. Rod. Castrens.* (*l. 2. de Met. Microcos. c. 11. p. 78.*). Naturæ balsamum venit *Christ. Langio* (*Miscell. Curios. 30. p. 89.*)

§. 74.

Planius (*c. l.*) *Plutarchus* & plenius, quemadmodum Anima nostrarum rerum divinissima diffluere non sinit molem animalis, sed eam continet: Ita Salis natura imitatur animæ opus, dum Cadavera arripiens, id quod ad interitum pergebat, constringit atque cohibet partibus quandam inter se concinnitatem atque amicitiam indens. Itaque Stoicorum etiam nonnulli carnem dum demum veram ajunt esse carnem, quando anima salis instar per eam diffusa facit ut consistat & permaneat. Neque nescis ignem fulminis quoque sacrum dici & divinum, quod corpora de cœlo tactorum per multum temporis putrefactioni resistere videmus. Quid ergò miri? si & salem prisci divinum suspicati sunt, quando ejusdem cum divino igne est naturæ.

§. 75.

Neque nescimus Sacrificii salem mysticum esse tanquam incorruptæ symbolum integritatis, ut *idem* (*c. l. p. 91.*), imò æternitatis & immortalitatis. Sacrificium absque Sale maleficium. (*Vid. Levit. c. 2. v. 13. Ezech. 43. v. 24. Marc. 9. v. 49.*). Nec id gentilibus ignotum. (*Evolv. Athenæus l. 14. Dipnosoph. c. 93. & Plin. l. 31. c. 7.*), ut sal sit θεοφιλὲς σῶμα *Platoni* (*in Timæo*), aut θεοφιλέστατον, ut habet (*c. l. p. 277.*) *Plutarchus*. Profluxit inde *Numæ* lex: DIS FRUGE ET MOLA SALSA SUPPLICANT. Fiebant hæ molæ ex fruge horni & horno sale, quod *Servius* ad illud *Virgilii* (*Eclog. 8. v. 81. p. 135.*)

Sparge molam & fragiles incende bitumine Lauros.

docuit. Add. *Eund.* (*ad l. 2. Æneid. v. 133. p. 755.*). Missos hic facere jussit Ægyptios *Florus* (*ap. Plutarch. c. l.*), propter castimoniæ professionem Sal abominantes, eumque spumam *Typhonis*, ut iterum *Plutarchus* (*l. de Isid. & Osirid. p. m. 55.*), reputantes, Pythagoreis autem *Typho* vis Dæmoniaca erat, *Conf. Joh. Petr. Lotich.* (*l. 3. Comment. in Petron. Satyr. c. 1. p. 338.*). Dæmonifugum celebrat *Joh. Bodinus* (*l. 2. Dæmonoman. c. 2. & l. 3. c. 5.*), eò quod Sal neque putredine, neque corruptione infestus unquam; sed ipse à corruptione aut putredine omnia defendens. Diabolus verò nihil procurat aliud, quam rerum creatarum corruptionem & dissolutionem, ut generationem Deus. Inculcant id *sacræ literæ*, in quibus Διαθήκη ἁλὸς non semel perpetuitatem designat, de quo etiam *infra* (*Tit. 3. §. 152.*)

§. 76.

ταρίχευσιν Ægyptiorum *infra* (§. 139.) delineatam reperies *Histiæi* caput Sale conditum *ad Regem Darium* detulerunt, *Herodoti* (*l. 6. s. Erato*) *testimonio* qui & *Protesilaum* sale conditum (*l. 9. s. Calliop.*) intimat. De Trothonis III. Regis

Regis Danorum cadavere ſequentia (*l.5. Hiſt. Danic.p.96.*) *Saxo Grammaticus.* Hujus egeſtis viſceribus ſalitum corpus triennio Proceres aſſervandum curabant, provinciarum defectionem vulgato Regis obitu formidantes mortemque ejus ob hoc maximè clam exteris cupientes, ut vitæ ſimulatione propagati jam pridem imperii terminos tuerentur, priſtinæque Ducis autoritate ſubnixi conſvetam à ſubjectis penſionem elicerent. Deportabatur itaque ab eis exanimum corpus, ut jam non funebri lecto, ſed regali vehiculo geſtaii videretur, tanquam invalido Seni, nec ſatis virium compoti id muneris à milite deberetur. Martyrum capita etiam ſalita ex *Eunapio Sardiniano* (*in Vit. Ædeſii p. m. 65.*) conſtat, qui eosdem his injurioſis proſequitur verbis: Illi (viri egregii & belliroſi) Monachos Canobi collocarunt, ut pro Diis, qui animo cernuntur, ſervos & quidem flagitioſos (ita Martyres appellat,) divinis honoribus percolerent hominum mentibus ad cultum ceremoniasque obligatis. Ii namque condita &ſalita eorumq; capita, qui ob ſcelerum multitudinem à Judicibus extremo judicio fuerant affecti, pro divis oſtentabant, iis genua ſubmittebant, eos in Deorum numerum receptabant, ad illorum ſepulchra pulvere ſordibusque conſpurcati. De Brutorum carnium ſalitura ejusque antiquitate nemo dubitat. Melius autem condituram hanc procedere hyeme ac æſtate, *Fr. Baco Verulam.* (*l.5. de Augment, Scient. c. 2. col. 130.*) non ſine ratione inculcat.

§. 77.

De piſcium imprimis Harengorum conditura diſceptantes videas autores. Primus inter Belgas condiendi & in Tonnis conſervandi Harengi rationem excogitaſſe fertur *Guilielmus Beuckelius*, aliis *Belckeldius magni nominis Piſcator*, qui anno 1347. Biervliti extremum vitæ diem clauſit. Ob quod momentoſum inventum poſteritas etiam nunc reveretur Viri memoriam. *Carolus V. Imp.* tanti hoc inventum fecit, ut Biervlitum una cum *ſorore Maria Hungariæ Reginâ* adpellens ſepulchrum *Beukeldij* adierit veneratuſque ſit haud ſine memoria ejus, tantique ad omnem poſteritatem profecti beneficii celebratione, ut *Joh. Iſaac. Pontanus* (*l. 1. Hiſt. Diſquiſ. c. 14.*) *Martin Schookius* (*l. 8. Belg. fœderat. c. 2.*) cum Aliis perhibent. Nomen forſan à *Beukelio* ſeu *Beukeldio* Harengi paſſi, dum *Bœkling*, ſive *Beuckling*, *Bückling*, (quamvis ab hircoſo odore nominis impoſitionem derivet *Mart. Martinius in lex. Philol.*) dicuntur, & caro muria condita Noſtris *Böckel-Fleiſch*, Muria verò *Böckel ſeu Bükel* appellatur. Illud conceſſum, *inquit Paul. Neucranz* (*Exerc. Med. de Hareng. c. 13. p. 74.*), Salſuras piſcium plurimis ſeculis fuiſſe cognitas ipſorumque Harengorum condituram multò eſſe antiquiorem: quod Lubeccenſes aliiq; Merca-

catores ex Vandalicis urbibus piſcandis & ſaliendis Harengis dudum ante in Scaniam quotannis conceſſerint; Poſtèa vertente ſe hoc Naturæ munere ad Flandros *Beuckelium* primum eos candiendi modum docuiſſe credo, non ſine peculiari invento, quo commodius ſervari, atque in diſſita loco in cadis tranſportari poſſent. Eodem modo in Norwegia Salmones ſaliuntur & in Daniam tranſportantur copiosè. Teſtatur *Petrus Claud. Undalin.* (*in M. S. Hiſt. Animal. Norweg.*), retulit *Thom. Bartholin.* (*Diſſ. 6. de Medic. Danor. domeſt. p. 286.*) anno 1550. & nonnullis annis præcedentibus ex Mandol Exportatas fuiſſe ſaliti Salmonis Tonnas noſtras ultra 1200. præter Salmones recentes, qui domi comedebantur, & alios, qui in uſum familiæ cujusque ſaliti cuſtodiebantur. Eſſe enim inter ruſticos cujusdam loci, qui in familia ſua ſingulis annis Tonnas ſex vel octo ſaliti Salmonis conſumant. Si igitur Salis auxilio & piſces & carnes porcinæ, quæ ſunt paratæ apprimè ad prutredinem optimè conſervantur, quæ intemperies ad indaganda alia nos impellet? quærit (*Poſtprax. med. c. 41. p. 137.*) *Anton. Santorell.*

§. 78.

Qua ratione Sal id præſtet *Avienus ap. Macrobium* (*l. 7. Saturnal. c. 12. p. 518.*) quærit, cui hunc in modum reſpondet *Diaſarius*: omne corpus ſuapte natura diſſolubile & marcidum eſt, & niſi quodam vinculo contineatur facilè defluit. Continetur autem quamdiu ineſt anima reciprocatione aëris, qua vegetantur conceptacula Spiritus, dum ſemper novo ſpirandi nutriuntur alimento. Hoc ceſſante per Animæ diſceſſum membra marceſcunt; & omne pondere ſuo conflictum corpus obteritur tum ſanguis etiam, qui quamdiu fuit compos caloris, dabat membris vigorem, calore diſcendente, verſus in ſaniem non manet intra venas, ſed foras eprimitur: atque ita laxatis ſpiramentis effluit tabes feculenta. Id fieri Sal admixtus corpori prohibet. Eſt enim naturâ ſiccus & calidus: & fluxum quidem corporis calore contulit; humorem verò ſiccitate vel coërcet vel exſorbet. Certè, *pergit*, humorem ſale differri ſeu conſumi, fit hinc cognitu facilè: quod ſi duos panes pari magnitudine feceris unum ſale aſperſum, ſine ſale alterum invenies indigentem ſalis pondere propenſiorem, ſc. humore in eo per Salis penuriam permanente. *Hæc ille. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus* (*comment. in Matth. c. 4.*) iſta habet: Sal eſt in ſe uno continens aquæ & ignes Elementum, & hoc eſt ex duobus unum; hic igitur in omnem uſum humani generis effectus incorruptionem corporibus, quibus fuit aſperſus impertit. Salis natura eadem ſemper eſt, nec immutari unquam poteſt.

§. 79.

§. 79.

Sal id præstare virtute Spiritus Mundi *P. Joh. Faber* (*tr. Alchimist. Christian. c.6.p.229.*) asseruit. Conf. *supra* (*§.75.*). Muria seu conditura salina, *conjicit Thom. Willisius* (*tr. de Ferment. c.8. p.51.*), sulphuris eruptionem prohibet, & implexu suo ipsum figit & retinet. Multa abundat terra, pronunciat *Joh. Bapt. du Hamel* (*l.2. de Fossil. c.3. p.380.*), si quidem ex humore aquoso cum terra combusta coaluit, hinc astringentem & exsiccantem obtinet facultatem. Ideo sal fossile durius cum sit magis astringit & carnes à corruptione vindicat. Quin & longiore paulò morâ non tantum in extimis, sed etiam profundo exsiccat, inde carnes & pisces per diuturnam salitionem manifesto indurantur, *observat. Francisc. Baco. Verulam.* (*Hist. vit. & mort. col. 494.*). Ita aqua salita infantum corpora perlui *Galenus teste Lud. Cœl. Rhodigino* (*l.6. Lect. Antiq. c.2. col.268.*) jussit, ut salis potestate callus cuti sic inducatur, quamvis & *Capite præcedenti* pelles sale emolliri & laxiores fieri è *Dioscoride* tradiderit. *Es ist ein irrdischer Balsam &c. Er ist gleich dem Balsam in der Conservation und mehr, denn es macht alle Dinge mit der Zeit in eine Congelation auf steinische Art*, *scribit Paracelsus* (*T.1. Op. in Herbar. p.1012.*) Salem fermentationi resistere *Martin. Schoockius* (*de Ferment. c.9. p.284.*) *annotavit.*

§. 80.

Quod sal, item exhalationes salinæ, & sal influorem, arte Chemica transmutatus, vulgò Spiritus Salis præstare perhibentur, quamvis etiam fortissimum salis spiritum debita operatione tractatum in summam putredinem, ut atramanti in calore putrescat, cadaverisque instar fœteat, duci posse, deprehenderit *Joh. Joach. Beccherus* (*l.1. Physic. subterr. s.2. c.2. n.11. p.71.*) Putredinem in fœtu Mussipontano spiritum, seu vaporem salinum arcuisse *Th. Bartholin.* (*Cent.3. Epist. Med.8. p.27.*) hariolatur. In eandem sententiam secessit *Anton. Deusingius* (*s.6. Vindic. fœt. extra uter. genit. p.115.*) & *Laurent. Straussius* (*Hist. fœt. Mussipont. p.8.*), qui Lugduni Gallorum aliquot Embryones in istiusmodi liquore vidit natantes, quod ipsum fortassis de spiritu salis cum Spiritu Vini cohobato & maritato intelligendum, quod etiam textus innuere videtur, membranosas namque partes quin & musculosas & carneas spiritus acidi corrodunt, ut quilibet experiri poterit seque in membranosis expertum (*ap. Thom. Barthol. Cent.4. Epist.53. p.343.*) fatetur *Matth. Jacob. Matthiades.* Salis aquam sangvinem emissum conservare *A. Theophr. Paracels.* (*l.3. de nat. rer. p.887.*) *comperit*, hujusque descriptionem (*in Herbar. T.1. op.*

p. 1013. & L. 2. Chirurg. mag. c. 2. p. 102.) tradidit. De sale volatili (Sylviano forsan) affirmat etiam Matthiades, quod bilis & sangvis eodem aspersi non facile corrumpantur *(c. l. p. 342.)*

§. 81.

De Sale enixo sesquipedalia jactat *Paracelsus* (*in Herbar. p. 1012.*). Audiamus ipsum: *So sal enixum wird, alsdenn behält es alle Dinge in eine ungläubliche Zeit: Auch das Holz wird Stein darinnen, Leimen wird Stein, Blätter von Bäumen bleiben grün, und was durch Sal enixum aspergiret wird, das empfähet keine Veränderung.* Sal mirabile *Glauberi* propter vim exsiccantem & astringentem, ut ipse fatetur (*Append. General. Cent. 2. obs. 55. p. 85. & p. 2. Mirac. Mund. de Us. Sal. Mir. in med. n. 20. 21. 22.*) magnam hac in parte consecutum famam, quia non tantum fructus Arborum & ova gallinacea sine putredinis labe ad tempus notabile sistit (*c. l. obs. 52. p. 84.*), sed & eo in aqua dissoluto, *notante O. Borrichio (ap. Th. Bartholin. Cent. 3. Epist. med. 89. p. 385.).* Embryonem humanum servavit *Sylvius*, & glandulas aliquot in cardilaginis æmulam substantiam convertit *Oswaldus Dantiscanus, juvenis ingeniosissimus.* Id ex sale & vitriolo parari experientia comprobatum est, *scripsit Phil. Jacob. Sachsius noster* (*Ocean. Macro-Microcosm. §. 52. p. 50.*) & inde vitriolatum (*Resp. de Exper. Bils. ad Zass. p. 33.*) *Th. Bartholin.* appellitat. E residuo à destillatione Spiritus Salis more Glauberiano concinnat *Joh. Conr. Barckhusen* (*l. 3. Pyrosoph. S. 5. c. 1. Artic. 1. p. 277.*), qui tamen justam quantitatem Spiritus Vitrioli in hunc processum ingredi residuumque sal nil aliud esse, quam Tartarum vitriolatum non dissimulat.

§. 82.

Suspicio inde quibusdam orta, ac si Bilsius ejusdem adminiculo cadavera sua à corruptione defenderet, quod tamen citatus (*c. l.*) refutat *Borrichius*, quod *Bilsio* cum *Glaubero* nihil fuit commune præter illos verborum fumos, quibus ad immortalitatem uterque contendit, neque salem illum supra communem salium purgatorum sortem eminere. *Idem* putat, quid, quod subjecta à putredine beneficio salis mirabilis vindicanda liquori huic falso innatare debeant, Bilsianis Mumiis non contingit. Mumias Bilsianas interim sali suam debere durationem *Beati Gabrielis Clauderi* (*tr. Method. Balsam. Corp. Human. p. 5. p. 137.*) testis *Oculati* testimonio convincimur. Hic namque Mumias Bilsianas propriis lustrans oculis, odorem balsamicum nullum, multo minus gravedinem inde ortam, de qua alii scripsere in Camera percepit, ut proinde hactenus in mentem ipsi venerit conjectura, odorem accusatum per suffumigium pene-

penetrans *à Bilsio* fuisse excitatum, quotiescunque admittendi fuerint Anatomici, noti atque curiosi, perspicaces, ut ita eos in invenienda condiendi materia eo facilius seduceret & confunderet. Nullum alium præter Salinum haurire potuit saporem; ut proinde condituram dictam per salina nonnulla perfici nullus quasi dubitet, præcipue cum partium neutri quicquam rei balsamantis adhæserit. (*add. c. 6. p. 151.*)

§. 83.

A salitura ista tamen corpora incorruptionis donum non consequi, cum salita corpora facilè diffluant, credidit *Athanas. Kircherus* (*T. 2. Oedip. Ægyptiac. Syntagm. 13. c. 2. p. 398.*). Firmat id Experimento *è Baronii Annalibus* exscripto, quod etiam *alibi* (*l. 10. M. S. s. 4. c. 11. p. 244.*) repetiit: Dum Salisburgi in montibus sale fossili prægnantibus fossores inciderent in antris subterraneis in fossam aqua salina tepletam & satis profundam, aquamque in usum salis coquendi derivarent, contingit, ut inter evacuandum in eâ corpus humanum detegerent prorsus integrum incorruptumque, cutis colore prorsus niveo candebat, oculi ipsam vitam spirabant aperti, capilli pilique ab omni corruptione immunes, cæterùm totum corpus rigidum instar saxi. Stupefactis ad tàm inusitatum Naturæ prodigium fossoribus res ad Bavariæ Ducem delata, qui & ipse rei novitate attonitus portentique videndi desiderio percitus illud propediem ad se deferri præcepit. Quod ubi factum, & jam triduo hoc salis figmentum oculis omnium expositum, ecce! id tandem aëris veluti impatiens intra paucos dies in aquam resolutum suoque Elemento restitutum prorsus defluxit. Assentior Kircheriano decreto, id tamen addo, si præfatum Cadaver parum exsiccatum fuisset, quod Ægyptiis salitoribus in usu est, diutius putredinis elusisset imperium.

§. 84.

Ad Salis ammoniaci virtutem & efficaciam in hoc adversus putredinem conatu manu quasi me ducit *prælaudatus Dn. D. Clauderus Collega & Fautor dum viveret maxime colendus.* Hic ut suam curiositatem docto orbi etiam probaret, de Methodo Balsamandi corpora humana aliaque majora sine evisceratione & sectione huc usque solita laudabilem navavit operam. Exercetur autem hoc conamen per Sal Ammoniacum ejusque spiritum (*c. l. c. 6. p. 156.*) descriptum. Huic immergit cadaver majus per tres menses, minora verò per duos, vel sex septimanas, imò quædam per unicum solum mensem. Maceratum per hoc temporis spatium corpus eximitur, & leniter exsiccatum reponitur, ut multis hunc operandi modum (*c. l. p. 157. sq.*) prosequitur.

§. 85.

Non inferius Sale in hoc vitriolum *scribit Paul. Zacchias (c. l. p. 367.)* cujus virtutem in carnibus à putrefactione conservandis admirabatur *Galenus (l. 9. de Simpl. Med. Facult. p. m. 951.)* caliditate namque secundum Eundem humiditatem absumit atque astrictione substantiam contrahit atque constipat. Hoc in opere nonnihil etiam humiditatis ipsius exprimit. Constringit verò, desiccat atque contrahit in sese totius substantiam carnis. Valet astringere calefacere & crustas inducere etiam *Dioscorides (l. 5. c. 113.)* asseruit. Magno igitur encomio Vitriolum mactat *Joh. Joach. Becher. (l. 1. Phys. Subterr. s. 5. c. 1. n. 31. p. 315.)* & ob balsamicam vim miris modis chirurgis commendat, cui *Christ. Langius (Miscell. Curios. 33. p. 105. sq.)* adstipulatur. Firmat etiam effatum pulvis Sympatheticus, cujus materia vitriolum Romanum, secundum *Nicol. Pap. (de Pulv. Sympathet. qu. 2. in Theatr. Sympath. & Antipath. p. 148.)*, qui à multis adhuc magni æstimatur. Paratur ex Eodem etiam liquor Stypticus præsentissimum in Hæmorrhagiis externis remedium, de quo *J. Conr. Weberus (de Liqu. Stypt. p. 124.)* pulvisque sanguinis affluxum coërcens mihi usualis. Coagulationem autem sanguinis & aliorum humorum oriri existimat *Joh. Conr. Barckhusen (c. l. c. 3. p. 294.)*, quod particulæ salinæ vitrioli unionem ineunt, cum cæteris salinis in istiusmodi humore existentibus, qua de causa solidæ utrique intermixtæ particulæ suæ spontis factæ crassitiem isti humori inducunt.

§. 86.

Sulphur vitriolo, cum ex eodem paretur Minerva, affine juratum etiam putredinis se exhibet hostem. *Paracelsus (l. 3. de Vit. Long. c. 7.)* asserit, in sulphure esse virtutes Balsami, qui neque vivum, neque mortuum quicquam putrere sinunt, sed corpus ita conservant, ut nulla neque influentia, neque naturalis, vel impressa corruptio in corpore deprehendi possit. Varia sunt, quæ id ut credamus movent. Vinum à putredine servat sulphuris odor (*Idem l. 3. de Nat. Rer. p. 889. & l. de Rebus Natur. c. 7.*), ratus ideò *J. B. Helmont. (tr. Arbor Vitæ p. 636.)*, quod cruor noster esset vinum vitæ nostræ illoque præservato, si non vitam daret longam, saltem à multis morbis corruptionem tutaretur. Experimento id explanavit *Joh. Takius (in Epist. de Chirurg. Infus. ap. Joh. Dan. Major. de Chirurg. Infus. Epist. 5. §. 15. p. 56.)*. Si stagma sulphuris, quod per campanam paratur quotidie detur ad duas tresve guttas in jure carnis aut cerevisiæ illis, qui ex Venæ sectione putrescere sanguinem suum compertum habent, illi post exiguum temporis spatium deprehendent, ex usu illius stagmatis omnem pu-

putredinem à sanguine recessisse, totumque liquorem vitalem primævæ puritati sinceritatique restitutum. Plura de sulphuris excellentiâ præconia habet *Idem* (*Phasid. Philos. 1. p. 13. & Phasid. 2. p. 35.*) ejusque miram in peste excellentiam extollit *J. B. Helmont.* (*tr. Tumul. Pest. p. 888.*) & *Athanas. Kircher.* (*s. 3. Scrutin. Pest. c. 8. p. 374.*). Quod Vapor Thermarum Wisbadensium incorrupta servat Gas Sulphuris, ut causam prædicat *Joh. Joach. Becher.* (*c. l. s. 2. c. 4. n. 20. p. 201.*)

§. 87.

Succedit Alumen, quod Sali associabat *Anton. Santorell.* (*Postpr. med. c. 41. p. 137.*). Experientia docet, notat iterum *Becher.* (*c. l. s. 5. c. 1. p. 320.*) modicum Aluminis in Aqua etiam limosa positum, eam ab omni putredine præservare. Corticum quercus pulvere & Aluminis aspersione pelliones & Coriarios Coria & pelles condire & densare in *M. C.* (*Dec. 1. A. 9. & 10. obs. 1. p. 10.*), annotatum leges. Id verò ne demireris Alumen cum Vitriolo id commune habere, utrumque namque eundem parentem habuit pyritem nempè. Si enim dura pyritæ vena coloris argentei in locum apricum contrita & macerata ponatur, non multò post & vitriolum & Alumen efflorescere videbis, hoc tamen discrimine, quod vitriolum magis, terrestrem sapiat substantiam, minus alumen, retulit iterum *Kircher.* (*l. 6. M. S. s. 3. c. 3. p. 337.*). Et si lutum vitrioli aqua vitrioli diluatur, alumen ex eo efflorescere comperies *idem profitetur* (*c. l. s. 4. c. 3. p. 343.*)

§. 88.

Nitrum in hoc agmine etiam reperias. Id vero carnes tabefacere, ita ut mortui cutis & ossa tantum relinquantur, *Herodotus* (*l. 2. s. Euterp. c. 85.*), & ex hoc *Joh. Chokier de Surlet.* (*Fac. Histor. Cent. 2. c. 41. p. 260.*). Ob copiam Spiritus mundi id præstare, qua nitrum turgere putatur, *Petr. Joh. Fabro* (*l. 4. Panchym. s. 7. c. 40. p. 574.*). Et si terra Ægyptiaca nitrosa glebis ferè omnibus in locis nitrum sudantibus, ut notat *Kircher.* (*c. l. s. 2. c. 1. p. 325.*) Nilusque exundans in areolas nitrosas, quas Nitrarias vocant, deductus, vel inundatione in concavis camporum fossis remanens, Solis efficacia in nitrum concrescit, attenuatis in vaporem aquis dulcibus. Quam ob causam Nili fœcunditatem non sine causa à Nitro derivant *de la Chambre* (*Disc. de caus. inund. Nil. Vid. Tom. 2. p. 1. Ephem. Erudit. 25. p. 282.*), & cur aqua Nili corpora à putredine servet, non multis inquirendum, idque si vera est *supra* (*§. 63.*) allegata de *Josephi* cadavere, Nilo occultato, relatio, causam dicere arduum non erit, quamvis aquas Nili nitrosas esse contra *Andr. Libavium* (*p. 4. Singular. l. 1. de Ferin.*

rin. Tuberan. c. 12. p. 74.) inficietur *Marc. Frider. Wendelin.* (*l. de Admir. Nil. c. 24. §. 6. p. 201.*)

§. 89.

Calcis usum huic fini non ineptum, sunt qui tradunt. *Vid. Joh. Kirchman.* (*l. 1. de Funer. Roman. c. 8. p. 42.*), quod si id præstat, siccando præstat. Ita Patavini hybernis mensibus mortuos calce vivâ exsiccant, ut ad Sectiones Anatomicas reddantur inutiles, referentibus id *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. hist. 54. p. 107.*) *Joh. Theodor. Schenckio* (*l. 5. Med. Disput. p. 1. s. 1. art. 1. §. 20. p. 113.*) *Joh. Zwölfero.* (*Pharmacop. Reg. Cl. 1. p. 23.*). Gypso aliquando fuisse obducta arefacta Æthiopum corpora picturaque exornata & cippo vitreo circumdata *ex Herodoto* (*l. 3. hist. s. Thalia*) & *Phil. Camerario* (*cent. 2. op. subcisiv. c. 70.*) scimus. De Pissasphalto infra (§ 120.) servandis non absumendis corporibus favet Chernites Lapis Ebori simillimus, *in quo Darium, referente Plinio (l. 36. c. 17.)* conditum ferunt. Cur igitur Lapidem hunc Sarcophagi speciem putet *Anshelmus Boëtius de Boodt* (*l. 2. de Lap. & Gem. c. 229. p. 198.*), cum Sarcophago hunc (*c. l.*) *Plinius* opponat miror. Jungunt his Terram sigillatam, Bolum Armen. Cretam &c. Alii. Turfarum pulverem sulphureum & bituminosum putredinem arcere & verminosæ progeniei resistere *Martin. Schoockius* (*tr. de Turf. c. 19. p. 149.*), non ineptè colligit.

§. 90.

Bitumen in hunc numerum etiam aggregatur cum Succino, quod est de genere Bituminum *juxta Andr. Libav. p. 3. Singul. l. 5. de Succin. c. 9. p. 467.*). Musca Electro inclusa aëre destituta durabilior est, quam Rex in suo Mausoleo, declamat *Joh. Conr. Dannhauer.* (*c. l. p. 700.*). De vipera *Martialis* (*l. 4. Epigr. 59.*)

Ne tibi regali placeat Cleopatra sepulchro
Vipera si tumulo nobiliore jacet.

De Ape *Idem* (*c. l. Epigr. 32.*)

Et latet & lucet Phaëtontide condita gutta,
Ut videatur Apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum
Credibile est illam sic voluisse mori.

De Formica verò (*l. 6. Epigr. 15.*) Ranam & Lacertam sequentibus metris dignatus est anno 1583. Romæ *Anton. Queringus Patavius allegante Mich. Geblero* (*Epist. de Germ. Formicin.*)

For-

Fortunatæ ambæ quibus ipsa in morte perennem
Insigni vitam licuit reparare sepulchro.

Add. *Andr. Libav.* (*c. l. c. 35. p. 700.*). Ranulam viridem arboream vidit in massa Succini *Wigandus* (*de Succin. p. 27.*). Araneam *Rob. Boyle* (*Hist. fluid. & firmitat. s. 68. p. 144.*). Gryllum integrum expansum *Th. Bartholin.* (*T. 1. Act. Med. Hafn. obs. 57. p. 112.*). Pisces & ova piscium, *Andr. Aurifaber.* (*de Succin. c. 1.*). Viperam, *Athan. Kircher.* cum aliis è *Manfredi Septalii* Museo communicatis delineavit (*l. 8. M. S. s. 3. c. 4. p. 79. sq.*), & *ipse* elegantia succini frustula ex liberalitate *Excell. Dn. D. Philippi Jacobi Hartmanni, Medicin. Profess. Regiomontani, celeberrimi*, νῦν ἐν ἁγίοις, quibus Muscæ, Formicæ & alia hujusmodi insecta inclusa possideo, quod data occasione gratus publicè prædico.

§. 91.

Cum vero talia animalcula aliquando saltim inclusa videantur, sique succinum confringatur nullum eorum appareat vestigium, ut *Galenus Bellobonus* (*apud Melich. Dispensat. Schol. in Trochisc. de Carab. Mes.*) animadvertit, aliam Experientiam afferre commodum duco. Vidi (*testatur D. Dan. Georg. Morhof. Epist. de Metall. transmutat. p. 49.*) apud *Kerckringium* Amstelodami insigne artificium, solo ignis ministerio, nec ulla alia re addita solvendi succinum. Nam ostendit mihi cadavera infantum Succino obducta, ut omnia membra transparerent. Monstravit etiam phialam vitream tali succino soluto iterumque congelato impletam. Quam splendidè jam (*subjicit p. 50.*) Magnatum cadavera condi ac à putredine conservari possent: nam citra ullam corporum eviscerationem, contra omnem injuriam aëris & humorum nova hac è succino tunica quasi cathaphracti jacerent. Add. *Rob. Boyle* (*p. 2. de us. Experim. Philos. Exerc. 1. n. 37. p. 119.*). Sepulchrum tale Auro nitidius, Mumiisque quibusvis facilè pretiosius æstimabat *Dn. D. Joh. Dan. Major.* (*Gen. Errans. c. 11.*)

§. 92.

A minerali Regno ad vegetabile transeo. Ut autem calida ferè omnia putredini resistunt, prout effatur *J. B. Helmont.* (*tr. de Febr. c. 2. n. 35. p. 745.*), ita calidæ herbæ & species hic ut plurimum adhibentur. Suspecta quidem *Antonio Santorello* (*c. l. c. 41. p. 135.*), sunt aromata & quæcunque vim habent calefaciendi. Nam quanquam siccent, calefaciunt eadem, ut propterea credat, usurpata ea potius ad conciliandum gratum cadaverum odorem, quam vindicandum illud à putredine conferre. Quæ ipsius ratio, quod non valeat, quilibet videt, qui inter calorem potentialem & actualem distingvere novit. Id vero, *quod addit* (*p. 137.*), non sicco pede prætereundum posthabendumq;

quod

quod nostro tempore aut non habeamus vera simplicia, quæ tantum ad hanc rem valuisse docuit Antiquitas, aut si adhuc conservantur, perveniunt ad nos confractis jam viribus.

§. 93.

Herbis & Aromatibus incolæ Chili provinciæ cadavera implicata servare *Casp. Barlæus* (*Histor. Brasil. p. 751.*) autor est. Aromata olim sepulchris illata, probat *Joh. Chokier.* (*Fac. Histor. p. 327.*), & *Nic. Füllerus* (*l. 6. Miscell. c. 18. p. 753.*). Floribus & Corollis lectum, quo cadaver efferebatur, spargebant *Joh. Kirchmann.* (*c. l. c. 11. p. 57.*) notat. Coronabant & ungebant etiam cadavera partim ut fœtorem usque dum cremarentur removerent, ut *Lucianus* (*de Luctu*) prodidit, partim, quia ad convivia proficisci mortuum, illorum erat persvasio, quod è *Stobæo Conrad. Rittershusius* (*l. 7. lect. Sacrar. c. 1.*), aut ut ex intentione Christianorum loquitur *Clemens Alexandrinus* (*l. 2. Stromat. c. 8.*) à turba & negotio remotæ securitatis signum est corona; quare & mortuos coronant.

§. 94.

An Medicorum sit curare cadavera, quærit *Anton. Santorell.* (*Postprax. med. c. 4. p. 11. 12.*), & respondet: Tria necessaria curando cadaveri, (α) indagare medicamentum scopo huic consequendo, (β) invenire materiam remediorum, quæ Medicus censuit opportuna. (γ) admovere remedia & consulta quæque festinanter & dextrè exequi. Primum do medicis, concludit, non ut primarium, sed secundarium. Secundum, quod libitinariis antiqui dabant, dandum hodiè aromatariis. Tertium quod antiquitus pollinctores præstabant concedendum Chirurgis. Ex his qui condituras (Embammationes etiam vocat *Ambros. Pareus in op. Chirurg.*) Cadaverum descripserunt, est *Petr. Forestus* (*l. 30. obs. med. 29. p. 826.*) *Reiner. Solenander* (*s. 5. Consil. Med. 14. p. 487.*) *Nicol. Reusner.* (*observ. med. à Nobiliss. G. H. Velschio edit. 200. p. 108.*) *Petr. Pigræus* (*l. 4. Chirurg. c. 18. p. 401.*) *Anton. Santorellus* (*in Postpraxi Medica s. de Medicando defuncto*) *Petr. Bellonius* (*de Medicato funere.*) *Balthasar Timæus à Güldenklee.* (*l. 6. Epist. Med. 10. p. 413.*) *Gabr. Clauder.* (*Meth. Bals. cad.*) *Joseph. Lanzonii* (*de pollinct.*)

§. 95.

Scordio singularem dotem ascribit *Galenus* (*l. 1. de Antidot. c. 12.*), Literarum monumentis traditum est à quibusdam celebribus viris, cum in prælio cadavera multos dies insepulta jacuissent, quæcunque supra scordium fortè fortuna ceciderant multo minus aliis computruisse ac præsertim eà parte, qua her-

herbam tetigerant. Contra internam humorum putredinem etiam luctatur. Conf. *Hermann. Gruben.* (*comment. de Simp. Med. facultat. f. 4. Art. 1. p. 110.*) Accensent huic Vincam per Vincam quæ & clematis Daphnoides audit, ex qua defunctis juvenibus & virginibus serta conficiunt. Hanc in capite exhumato viridem adhuc reperit *Hieron. Tragus*, (*part. 1. Herbar. c. 130. p. 149.*) quod quidem non mirandum cum facilè fibras emittant & radiculas figant plantæ istius partes. Addit *Henric. Kornmann.* (*p. 3. de M. M. in præfat.*) Caput ipsum etiam incorruptum servatum fuisse. Vocant vulgò, quia cadaveribus ad constantiam vigoris & viridis coloris additur sæpissimè, *Todenkraut.*

§. 96.

Præter has herbas prostant Abrotanum, Absinthium, Anthos, Basilicon, Calamentha, Hyssopus, Laurus, Majorana, Melissa, Mentha. Sola Nardus pistica Antiquorum conservabat cadavera ad multa annorum secula, cum modo exenterata & condita paucis diebus serventur (*Anton. Santorell. c. l. c. 41. p. 137.*) Nepeta, Olea, à Spartanis æstimata (*Vid. Plin. l. 35. c. 12. Cæl. Rhodigin. l. 17. c. 9.*) foliis olivæ cadaver involutum componi jussit *Lycurgus* (*Plutarch. in Vit. Lycurg. p. m. 98. & in Apopht. Lacon. f. m. 114.*) oleaque coronabantur mortui imprimis in bello fato functi, de quo *Ælian.* (*l. 6. var. hist. c. 6.*) Origanum, Pulegium, Ruta, (*Vid. Joachim. Camerar. in not. ad. P. A. Mathiol. Herbar. German.* (*l. 3. c. 46. f. 255. b.*) Salvia, Satureja, Savina, Serpillum, Thymus: Ex floribus Chamœmelum utrumque, Crocus, ut est *ap. Diotor. Sicul.* (*l. 1. Biblioth. n. 21.*) Lavendulæ, Rosæ rubræ, Nardus f. Spica Celthica, Indica, Stœchas Arabica. Ex Seminibus Semen Angelicæ, Anisi & Petroselini, quibus Scythæ Regum suorum cadavera, *teste Herodoto* (*l. 4.*) infarciebant. E fructibus Caryophylli aromatici, Cuminum, Cupressi Nux, Macis, Juniperi & Lauri Baccæ. E Fructuum corticicus Aurantiorum & Citri. E Radicibus Angelica, Calamus aromaticus, Cyperus, Galanga, Iris florentina (de quâ *Simon. Pauli Quadrip. Botan. Cl. 2. p. 71.*) Zedoaria.

§. 97.

Inter Ligna habetur Lignum Aloës. Cedri imputribilibus annumeratur, quod & rem sibi creditam in immensum tuetur & conservat, *juxta Plinium* (*c. l.*) Ligna Sittim, è quibus arca fœderis compacta, quæque *à Josepho* (*l. 3. Archæolog. Jud. c. 6.*) ἰσχυρὰ τὴν φύσιν καὶ σῆψιν οὐ παθεῖν δυνάμενα vocantur, esse speciem Cedri quidam opinantur, quod ipsum tamen non admittit

Joh. Henric. Ursin. (*Arboret. Bibl. c. 22. §. 7. p. 316.*) Add. *B. Joh. Benedict. Carpzov.* (*Diatr. Philol. de Arc. fœderis c.3. §.3. p.17.*) Deorum etiam ex hoc fabricata simulacra, ut docuit *Vitruvius.* (*l.2. c.9. p.m. 185.*) De succo Cedri *mox* (§. *101.*) plura. De ligno Cupressi idem *Nicol. Füllerus* (*l. 4. Miscell. Sacror. c. 5. p. 439.*) Carmina Cedro linenda in capsa è Cupresso arbore bene olenti confecta asservabantur. Quo circa *Horatius* (*de Art. Poët. v. 330.*)

Speramus carmina fingi
Posse linenda Cedro & levi servanda Cupresso.

Add. *Joh. Bond.* (*in h. l. p. 418.*) Nec contemnenda habet *Joh. Bapt. Porta* (*Physognom. l.5. c.1. p.200.*), Et ex hoc etiam Lacunaria in Templis. Vid. *Joh. Meursius* (*l.1. Arboret. Sacr. c.7. p.42.*) & Deorum simulacra varià. v. g. *Vejovis in Arce, Junonis Rheginæ, Orphei in Libetris*, quod allegat *laudatus Ursin.* (*c. l. c.7. §.5. p.130.*). Narrat *Thucydides*, (*l. 2. de Bell. Peloponeſ. p.m.184.*) scribit *citatus Porta* (*l. c. p. 301.*), arcas fuisse è Cupresso, quibus eorum asservantur ossa, qui in bello fuissent cæsi, quod solitum fieri astruunt, quod putredinem nesciat. De Arcis hujusmodi etiam *Ludov. Cœl. Rhodigin.* (*l. 25. Lect. Antiqu. c.2.*) *Anton. Santorell.* (*c. l. c.43. p.142.*). De aliis incorruptibilibus lignis *Plinius* (*l.16. c.40.*), quale etiam Juniperi. Spectat huc lignum Rhodium, Santalorum omnium comprimis flavum. Sassafras, è quò feretrum Mumiæ, quæ in Senatoriâ Lipsiensi Bibliotheca asservatur, constare creditur, *testimonio V. Cl. Dn. Frider Gottl. Ketneri* (*Schediasm. Hist. de Mum. Ægypt. c.2. §. 8.*). Inter Lignorum Cortices cinnamonum primatum tenet. Quercus medius Cortex aliquando in usum venit.

§. 98.

Amomo utpl. Veteres condiebant Cadavera *Cl. Salmasius* (*de Homonym. Art. Iatr. c. 101. p.160.*). Unde triste Amomum *Statio*, & crassis lutatus amomis *ap. Persium*, de collocatis (*vid. §.119.*), item *apud Ovidium* ossa pulvere Amomi condita. Quid verò Amomum sit, non tantum ambigitur, sed & an omnino nunc sit. Amomum quippe illud vetus, quod olim fuisse non dubitamus, certatim hodiè eruditi plantarum quærunt nec inveniunt, ut iterum *Salmas.* (*c. l. c.91. p. 135. & Exerc. Plin. ad Solin. c. 30. p. 284.*); Non amplius haberi in Arabia, *ipse Petr. della Valle* (*p. Itinerar. Orient. Epist. 18. p.172.*) fatetur; quin & Medis, apud quos nasci fertur, nesciri, (*p.3. Epist.14. p.107.*) prodidit. Autorum Veterum de hoc dissensum vide sis *ap. laudatum Salmas.* (*de Homonym. Art. Iatr. c. l. p.136.*). Sub nomine Camaca descripsit *Guilb.*

Piso

Piso (*l. 4. de Hist. Natur. & Med. Basil. p. 177.*). Ramum ex Asia, quamvis siccum allatum, respondisse descriptioni *Dioscoridis* (*l. 1. c. 14.*) *notat Fragosus* (*Hist. Med. Ind. c. 20. f. 58. a.*). Apud Poëtas *Virgilium, Ovidium, Statium, Persium & Dracontium loca* (*l. 1. de Coron. c. 12. p. 181.*) *Carol. Paschal.* collegit & allegavit. Memorabilia imprimis sunt illa *Statii* (*l. 1. Sylv. 2. v. 111.*)

pingui crinem deducere amomo,

& (*l. 3. Sylv. 4. v. 82.*) de coma *Flavii Evini*, quam

multa Paphie saturabat amomo.

Pingvem fuisse succum, concludit (*c. l.*) *Paschalius*, quando verò *Papinius* (*c. l. Sylv. 3. v. 131.*) in Lacrymis *Etrusci* ad *Cupidines*:

Illa Sagittiferi circumvolitastis Amores
Funera maternoque rogos unxistis Amomo.

Non solum *cum Paschalio* assero Amomi odorem & suffumigationem funeribus adhiberi solitam, sed etiam succum pro inunctione, aut si rectè conjecturo, ungventum ob odorem Amomi simile, adeoque ἄμυμον. Ita Amomum *illustris Casp. Barthius* (*in Stat. h. l. p. 332.*) interpretatur ungventum *Veneri* gratum. Pretiosissimis namque ungventis quibusdam Amomum miscebatur, v. g. Nardino s. Foliato Regioque, quod *Plinius* (*l. 13. c. 1. & 2.*) testatur. In Funeribus quoque locum habebat. Ita Amomum pro unguentis ex sententia *Salmasii* (*Exercit. Plinian. in Solin. c. 30. p. 283.*) posuit *Persius* quibuslibet, quibus inungebant corpora mortuorum. Inde Amomiam vocarunt recentiores id omne, quo medicabantur corpora defunctorum & condiebantur. Momiam & Mumiam hodie vocat Europa nomine inde ducto. *Hæc Salmasius.* Vetus Scholion in antiquissimo *Pauli Æginetæ libro* (*forsan ad l. 7. c. 3.*), ad vocem ἄμωμον notat id esse, quod vulgò momia ab Arabibus dicitur. Ἄμωμον ὃ λέγεται μόμις. Apud *Myrepsum* μωμία pro tabo hominis mortui, in Antidoto Athanasia: αἷμα ἀνθρώπου τεθνεῶτος ἐν τῷ νένληται παρ᾽ ἰλαλοῖς μουμία, ut iterum (*de Homonym. Hyl. Iatr. c. 101. p. 160.*) *Salmasius.*

§. 99.

Quod ad succos Arborum concretos, Lacrymas, Gummata & Resinas, inter succos agmen ducit Aloë, ob vim balsamicam à Sale nitroso, seu amaro putredinis vindice acerrimo, ut *Magnificus Noster Argonauta* (*in Hier. picr. p. 171.*) commentatur: Ob quam causam Medicamenta ex eodem confecta, v. g. Elix. proprietat. Pilul. Aloëticæ &c. corpus vivum à putredine præservare in ore omnium est. Quo circà *Hieron. Fabric. ab Aquapendente in Consultationibus* aliquoties ob multiplicem, imò ferè quotidianum usum insemet probatum,

proverbii modo effabatur: qui optat vivere annos *Noë*, multum utatur Pilulis de Aloë. Evolv. *Andr. Tenzel.* (*Exeges. Chymiatr. p. 2. s. 4. p. 585. junge huic Chr. Lang. de Elix. propr.* §. *41. p. m. 131.*). Dum Aloës ligni pulverem non succum ad pollincturam adhibitum fuisse tricatur *Cl. Salmasius* (*Exerc. in Solin. Polybist. c. 52. p. 744.*), cum *Homero* dormitavit & obelum *Joh. Bodæi à Stapel* (*Comm. in l. 7. Theophrast. c. l. p. 902.*) *Valent. Henric. Vogler.* (*in Physiol. pass. Hist. J. C. c. 13. p. 57.*) & *Joh. Henric. Ursini* (*l. 3. Hort. Aromat. c. 2.* §. *5. p. 198.*), non sine sontica causâ & ratione sensit.

§. 100.

Asam dulcem s. Benzoën, & Asphaltum non parvo usui esse conservandis cadaveribus reputavit (*l. 16. Geograph.*) *Strabo.* Plura *Anton. Musa Brassavolus* (*in Exam. Terrar. p. 444.*), ubi edixit, quod vos Mumiam nuncupatis, Asphaltum Judaicum esse certus sum. Camphora Aquæ Cœlesti commixta, illa à putredine tuetur & præservat odoris fragrantia: Similiter & Myrrha atque Agallochum vulgò Lignum Aloës observat *Lev. Lemnius* (*l. 2. de occult. Nat. mirac. c. 52. p. 265.*). Aliis etiam rebus additur, ut eas à putredine servet, tradit *Godofr. Mœbius* (*Anat. Camphor. c. 27. p. 104.*). Inde dilectam suam Maani eadem condire jubebat & Romam ex Oriente deferebat *P. della Valle* (*p. 3. Itiner. Epist. 25. p. 161.*)

§. 101.

Cedri succus, seu Resina spontè fluens, non igne, ut pix, excocta, de qua *Claud. Salmasius* (*de Homonym. Hyl. Iatr. c. 102. p. 168. sq.*) evolvi meretur. De illa *Plinius* (*l. 16. c. 2.*). Ejus tanta vis est, ut in Ægypto corpora hominum defunctorum eâ perfusa sanentur. Et (*l. 24. c. 5.*). Defuncta corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit. *Castor Durantes* (*in Herbar.*) cecinit:

Cedrus & exsiccat & calfacit ordine terno
Major Resina illius, quæ Cedria dicta est,
Corpora conservat defuncta putredine viva
Conficit infusa.

At id, judicat *Paul. Zacchias* (*c. l. n. 7. p. 361.*), commune habet Cedri cum aliis venenis, quæ vivis & ipsa mortem afferunt, mortuis pro vita sunt, quod cadavera eis sublata non putrefiant Cedriam inde quidam vitam mortuorum *juxta Andr. Libav.* (*l. 7. de Bitum. c. 15. p. 910.*). Opinionis autem de vi venenorum conservativa falsitatem alibi demonstravit *Zacchias.* Ingeniosè & piè *J. H. Ursinus* (*c. l. c. 20.* §. *6. p. 298.*)

Cedria

Cedria viva necat, defunctaque corpora servat
Vivere vis semper, fac moriare prius.

Add. *Aëtium* (*Tetr. 1. Sermon. 1. col. m. 31.*) *Petrus Bellonius l. 3. Medicat. funer. & l. de coniferis Arboribus l. 1. obs. 18. p. 47. & l. 2. c. 3. p. 186.*) scripserat, non tantum Cedrium esse ex Cedro, sed & picea, tæda, larice, Cupresso, Junipero, Betula: & tribuerat ei easdem dotes, quas Autores Cedriæ in conservandis cadaveribus. Opposuit verò se huic *Pet. Andreas Matthiolus* (*Comment. in l. 1. Dioscor. c. 89. p. 95.*), idque magnum & ridendum errorem vocat; cui pollicem premit *Bodæus à Stapel* (*Comment. in Theophrast. Eres. l. 9. hist. plant. c. 3.* *Andr.* tamen *Libavius in Bellonii* partes secessit, & *Matthioli in Bellonium* tela irrita reddere conatus est (*p. 3. Singular. l. 7. de Bitum. c. 15. in Schol. p. 911.*), quem, si lubet, inspice, ubi dictitat, nimium suæ facundiæ indulsisse disputatorem. Sueco hoc ipso Cedrati & candelis involuti Numæ Libri sub terra defossi durarunt annis IↃXXXV. *teste Livio* (*Decad. 4. l. 40. c. 29.*) *Plinio* (*l. 13. c. 13.*) *Melch. Guilandino* (*comm. de Papyr. m. 24. p. 200. sq.* ubi multa de Cedro), & *Henrico Salmutho* (*ad l. 1. Panciroll. Tit. 42. p. 144.*)

§. 102.

Gummate, quod è Cupresso, Anime aut Copaiva putat *Erasmus Francisci* (*l. 6. Ausländischer Kunst und Sitten-Spiegel p. 1493.*) Regum corpora in Peru præservabant, ut dudum mortua vivida gauderent facie. Jungunt his Ladanum, Myrrham, quæ *juxta J. B. Helmontium* (*tr. de Febr. c. 2. n. 35. p. 745. & tr. Ariana Paracelsi p. 626.*), jam è bis mille annis corpora Memphytica præservat.

Ora virûm longum myrrhata reponit in ævum.

Sil. Italicus (*l. 13. v. 472.*). Add. *Gilbert.* (*de Murrhin. c. 1.*): Opobalsamum, Carpobalsamum, Xylobalsamum. De Opobalsamo ista *Prosper Albinus* (*l. 4. Med. Ægypt. c. 15. f. 149.*). Apud Turcas & Nobiles Ægyptios ejus usus est frequentissimus, tantopere enim adversus omnem putredinem humorum præstat, ut eo inuncta cadaverum corpora diu imputria servari constet. Plura ex Aliis collecta suppeditabit (*Myrrholog. s. 4. c. 17. p. 331. sq.*) *Gottofr. Sam. Polisius*. Idem de Balsamo Peruviano vero opobalsami succedaneo *Mich. Døring* (*tr. de Opobalsamo s. 2. c. 1. p. 38. & c. 4. p. 48.*), & *Th. Bartholin.* (*Diss. 1. de Theriac p. 29.*) esto judicium. Picem liquidam propter Asphalti affinitatem substituendam cum *Joubrto* censuit *Idem* (*Diss. 5. de Med. Dan. domest. p. 222.*) Ne ἐξ σμύρνιον constitisse Aloë, Myrrhâ, Gummi, (Arabicum vel Thebaicum ex Acacia Spina Ægyptia, conjicit *Valent. Henr. Vogler. Physiol. Hist. pass. Christ. c. 13.*

c. 13. p. 51. Asphalticam picem extitisse, conjectura est *Wilh. Schickardi in Mischpath. Hammelech. c. 6. theor. 19. n. 158. p. 412.*) Sarcocolla, Acacia, Opobalsamo *Aëtius* (*l. 16. c. 123.*) prodidit.

§. 103.

Saccharum ipsi Sali prætulit *Joh. Joach. Beccherus* (*c. l. n. 33. p. 316.*) dum infit: Sicut inter vulneraria vitriolum facilè omnibus palmam præripit, ita in regno vegetabili reliquis Saccharum non cedit, cujus vis in glutinando & præservando à putredine ipsa experientia claret, vidique non modo, ut in Pharmacopeis vegetabilia, sed & varia Animalia Saccharo condiri & recentia & incorrupta longo tempore in statu naturali præservari. In statu naturali, dico, (*subjicit,*) nam etsi carnes quoque & pisces sale condiantur & longo tempore à putredine defendantur, tamen in statu suo mutantur ob admixtum salem, cujus acrimonia mortificantur ac corrosiva fiunt. Quæ verò (*pergit c. l. n. 35. p. 218.*) Saccharo præservantur, crasin suam servant, utpote quæ saccharo non alterantur, cum id in suis partibus temperatum existat, nullam in corporibus, prout Sal commune, reactionem aut intrinsecam mixtionem facit, sed tantum ea præservat humiditati influenti resistendo & internum balsamum confortando, quod à saccharo optimè quidem & sufficienter præstatur. Nam experientia docet integras Nefrendes, cum saccharum coqvunt & in officinis sacchararìis in magnis catinis depurant, intinctas & quasi in momento extractas, ita tamen saccharo penetratas esse, ut nunquam amplius putrescant, cum à saccharo partes ita obducantur, ut etiam in ipsis ossibus inveniatur, eaque condiat, aliàs facilè putrescibilia. Vidimus quoque carnem cervinam saccharo condiri, quæ summa in æstate putredini resistebat, possunt autem carnes taliter conditæ vel sic coqvi, vel si dulcedo nauseam pariat, edulcorari & saccharum rursus servari & ad similem usum adhiberi. *Hactenus ille.* Eadem ferè *J. B. Porta* (*l. 5. Phytognom. c. 1. p. 305.*) & qui Eundem citat *Joh. Takius* (*Phasid. Philos. 1. p. 13. & 14.*). Contrarium sustinet *Thom. de Garencire* (*in Flagell. Angliæ c. 5. p. 95.*), eò quod saccharum sit dulcissimum & ea propter fœcundus putredinis parens: Qui & privatum odium inter saccharum & corpus nostrum finxit. Quæ in alimentum alicujus cedunt, *rationatur,* id faciunt eò efficacius, quo efficacior fuerit eorum fermentatio. Certum autem est, nullam fieri fermentationem inter ea, quæ qualitatibus conveniunt, qualia saccharum & caro. Utraque namque dulcia, hoc patescit, si saccharo caro quædam condiatur, statim putrescit & corrumpitur. Sale verò condita diu perseverat incolumis, cum inter sal, quod acre, & carnem, quæ dulcis, propter dissidium qua

qualitatum quædam fiat fermentatio. Sic saccharum fructus acidos diu à putredine tutatur, quia ipsius dulcedo cum horum acerbitate fermentatur. Ita in Phtisicis saccharum, sal pulmonum & eorum unionem dissolvere voluit *Lazar. Meyssionerius ap. Th. Bartholin. (Cent. 2. Hist. Anat. 35. p. 228.).* Adde quæ de Sacchari in Scorbuticis noxa retulit *Th. Willis. (de Scorbut. c. 10. p. 324.)* & *David von der Becke (Experint. circ. Rer. Nat. Princip. p. 42.)* & quæ recitat *Tob. Dolæus (l. 3. Encyclop. Med. c. 7. p. 254.)*, quamvis caustica Sacchari vis mortuos non ita invadat ut vivos, quod ex *supra (l. 1. Tit. 7. §. 41.)* dictis claret, & quod Sacchari vis corrosiva adhuc non extra versa sit.

§. 104.

Nec silentio prætereundæ Resinæ v. g. Abietis, Laricis, Pineæ, Therebinthinæ &c. Vid. *Rob. Boyle (p. 2. Experim. Philos. Exerc. 1. n. 37. p. 119.)* De Laricea ne dubites, laricem olim Cedro magna convenire judicavit *Melch. Guilandin. (c. l. p. 207.)*, qui tamen mentem suam correxit & ait: tres esse arbores specie, parum differentes; Cedrum in Libano, Cedrum magnam Cedrelatem à *Plinio* dictam, à *Vitruvio Theophrasto, Plutarcho, Herodoto* aliis multis Cedrus absolute vocatur. Cedrus, qui una refertur ad Laricem oxycedrum, hoc est Cedrum acutam astruit *Guilandinus.* In hunc censum etiam venit Sandaracha, Styrax calamita & liquida, Thus à quo Mumias seu Momias dictas opinabatur *Cl. Salmasius referente Carolo du Fresne (Tom. 2. Glossar. col. 694.)* ἄμωμον aliquando ἄμωμον λιβάνιον audiat, & *Hesychius (in Lexic.)* id confirmet. *Evolv. laudatus Salmas. (ad Solin. Polyhist. c. 33. p. 284. & Homonym. Hyl. Iatric. c. 91. p. 136.)*, qui tamen quod mumiæ vocabulum inde deduxerit revocat sententiam.

§. 105.

Vinum demum austerum comprimis, quo Cadaverum loca interna lavare consueverunt cum aceto è vino etiam cerevisia aut Tritico facto ad hanc classem spectat. His namque tanquam fixis balsamus genialis sponte diffluens vel expirans imbutus associatus hæret, siccitatis repagulis coërcetur vel saltem prædominante fermento à balsami indole non alieno fovetur secundum *J. B. Helmont. (tr. Magnum Oportet n. 19. p. 124.).* Norunt id coqui & mulierculæ, carnes ne fœtorem contrahant & durent in aceto, etiam cerevisia secundaria acida macerant & à putredine vindicant.

§. 106.

Earundem virium celebrantur è prædictis vegetabilibus parata. Fumo lignorum resinosorum præprimis carnes condiri & indurari plebejis notum est.

Fumo

Fumo verò ex herbis & pulveribus aromaticis excitato cadavera putredinis vim non experiri *Rob. Boyle* (*c. l. n. 37. p. 121.*) propalavit. Curiosiores etiam & prudentiores Coqui & Mulierculæ carnibus infumandis Ligna Quercus, Juniperi & Piceæ adhibent, sicque carnes infumatas durabiles acquirunt verminationique minus auscultantes.

§. 107.

Aquæ destillatæ non solum ad certos annos non putrescunt, ut recitat *Levin. Lemnius* (*l. 2. de Nat. Mirac. c. 52. p. 260.*), sed & aliarum rerum faciunt conservationem, si spirituosæ aromaticæ & cum vino aut spiritu vini destillatæ. Turcæ siccatum cadaver aspergere aqua Rosacea, addito Thymiamate, *apud Philippum Lonicenum* (*T. 1. Hist. Turcic. p. 2. c. 19. cit. Th. Dempstero ad Joh. Rosin. l. 5. Rer. Roman. Paralip. ad c. 3. col. 1010.*)

§. 108.

Spiritus vini in usum etiam venit; *Vid. Rob. Boyle* (*c. l. n. 42. p. 121. & Exerc. 4. n. 29. p. 185.*). *Henric. Oldenburg* (*Act. Philos. Angl. M. Maj. 1666. n. 1. p. 150.*). *Laurent. Strauss.* (*de Fœt. Mussipont. p. 8.*). Ad vitandam putredinem post singulas demonstrationes Anatomicas corpus incisum haud inefficaciter irrorabat liquore conservativo facto ex vino & spiritu vini super herbas Majoranæ, Thymi, Serpilli, Origani, Radices Cyperi rotundi, Calami Aromatici, Angelicæ, Flores Lavendulæ, Chamœmeli Romani & Rasuram Ligni Sassafras per destillationem, prægressa digestione debita abstracto admista, dein Spiritus Nitri parte aliqua. *Dn. D. Joh. Dan. Major.* (*Anat. Kiloniens. 1. c. 1. §. 11. p. 5.*). *Magnus ille apud Gallos Prosector Joh. Riolan.* (*l. 1. Anthropogr. c. 18. p. 61.*) hæc habet: Cadaver pro Anatomia æstatis tempore ne putrescat supra scordium & Clematitem Daphnoidem recumbens administrabitur & peracta sectione iterum herbis sepelietur. Interiora tamen aquâ salsâ, aut aqua vitæ, aut aceto lavabuntur; atque in loco frigido sectio administrabitur & noctu corpus in loco subterraneo collocabitur.

§. 109.

Quo serpentes, Lacertæ & similia animalia serventur incorrupta, sequens communicat *Casp. Schottus* (*l. 11. Mirab. Technic. c. 20. p. 890.*): Vas vitreum amplum ac forte imple aquâ ardente, seu vino adusto, aut aceto fortissimo, & in vas injice vivos serpentes, lacertas aliaque similia reptilia, obduraque, vas ne clabantur. Mortua apparebunt viva, & manebunt perpetuò incorrupta. Vidit id Romæ in Ergasteriis sive Galeriis, ut vocant, Principum. Ita in aqua Imperiali serpentem conditum monstravit *suggerente Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 23. p. 29.*)

29.) Pharmacopoeus Monſpelienſis. Sive carnis fruſtum, ſive piſcis in hac madent aqua præſervabitur à putredine, *Anton. Fumanellus* (*l. de Compoſ. Medicam. c. 3. p. 269.*). Quintam ſuam Eſſentiam commendavit (*de Q. E. Canon. 2. p. 21.*) *Joh. de Rupeſciſſa.* An hic ſpiritus Ambroſia & Nectar rubeum, quod *Patrocli* naribus *Thetis* Dea *ap. Homer.* (*Iliad. 5. v. 39.*) inſtillabat? disquirant, quibus tempus ſuppetit. *Tamponetta Chirurgus obſtetricius* Pariſiis monſtravit *Olao Borrichio* varios infantes ex utero materno evulſos & in Spiritu Therebinthinæ vitreis vaſculis excepto natantes & inter alios etiam Satyrum humanum. Evolv. *Th. Bartholin.* (*V. 1. Act. Med. Hafn. obſ. 94. p. 184.*). Vidi non ſemel apud Medicos Embryones in liquore pellucido, quem ſpirirum vini reputavi, integros adhuc natantes, muco tamen aliquando obſitos.

§. 110.

Referenda huc olea, quorum uſus etiam in hoc opere locum invenit. Hectoris corpus à putredine vindicatura Venus

ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ

ἀμβροσίῳ

Roſaceo inunxit oleo

Divino.

ap. Homer. (*Iliad. ψ. v. 186.*) Et condiendi corpora rationem per coctionem & macerationem eorum in oleo Juglandis Nucis pro uſu ſpeciatim Anatomico propoſuit *Nehemias Grew.* (*Muſ. Regal. ſocietat. Angl. p. 2. Vid. Act. Erud. Lipſ. 1682. Menſ. Januar. p. 2.*). Chymici oleum ſ. balſamum ex ſulphure adeò efficax conficiunt (cum oleo Therebinthinæ), ut neque vivum corpus, neque mortuum ad putredinem tranſire ſinat: ſed adeo integrum tueatur, ut neque ulla cœleſtis impreſſio, vel ab Elementis profecta, vel ab ipſo ortu inducta obeſſe ei poſſit, ex Aliis memorat *Joh. Jacob. Wecker.* (*l. 1. Antid. Special. ſ. 5. p. 47.*)

§. 111.

Quod è regno Animali allegare poſſum, Caſtoreum eſt, quod aliis addidit ſpeciebus *Philipp. Grüling.* (*obſ. & curat. Centur. ſingul. obſ. 85. p. 84.*) Indos adipe ſuillo Cadaver oblinire (*Lucian. T. 2. op. de Luctu p. 305.*) autor eſt. Sed præ his laudem meruerunt Mel & Cera. De Melle *Plinius* (*l. 22. c. 24.*). Mellis quidem ipſius natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat, jucundo ſapore atque non aſpero, alia quam ſalis natura. Conf. & *Strabon.* (*l. 16. Georg. p. 746.*) *Diod. Sicul.* (*l. 15. Biblioth. p. 401.*). Eſt enim quinta quaſi florum eſſentia, unde balſamicam tenacitatem & naturalem quan-

dam incorruptibilitatem obtinet, ut multos annos durare possit, ceu *Joh. Zwölfer.* (*Pharmacop. Reg. cl. 1. p. 23.*) memorat. Balsamicam illam vim imprimis Melli aërio tribuit *P. J. Faber.* (*l. 3. Panchym. s. 5. c. 6. p. 360.*), sed mel non esse aëris & roris, sed vegetabilium partum, *Academici Galli ap. Joh. B. du Hamel.* (*l. 2. Reg. scient. Academ. Histor. c. 2. n. 4. p. 179.*) demonstrant. Singularis est illa *Dn. D. Christian. Franc. Paulini* (*de Mort. verminos. §. 14. p. 29.*) assertio, quando Spartanus & Assyrios Reges suos demortuos melle condiisse astruxit, ut citius putrescerent.

§. III.

Unde autem Melli ista à corruptione præservandi sit potestas, egregiè docuit olim *gratiosissimus Præceptor Dn. D. Joh. Theod. Schenckius* (*l. 4. Synops. Instit. Med. Diss. p. 1. Artic. 3. §. 19. p. 79.*). Vis ejus balsamica acido & alcali aëreo summe depurato constans præcavet internorum resolutionem, & ne quid peregrini externè intret ungvine suo figuras pororum oblinit, minime tamen destruens & corrumpens. Habet & quædam *Gerb. Joh. Vossius* (*l. 4. de Idolol. p. 1579.*). Quod si ita est, cur veteribus Mortis Symbolum Mel? sicut fel vitæ? Unde mellis libamina terrestribus infundebantur? regerit *Lud. Cæl. Rhodigin.* (*l. 28. c. 27. col. 1588.*), quoniam per voluptates obrepat Animæ mors, quæ per amaritudinem revivisçat: Nam & Diis offerebatur fel, aut quia mors malorum meta est, quibus exuberat vita.

§. 113.

Ex causis datis Mel conservativum est Florum & Plantarum & viviradicum, & plantarum dulce viaticum, ex mente *J. B. Ferrarii* (*l. 3. Floricult. c. 5. p. 300.*), quod nec *Hieron. Cardano* (*l. 8. de Subtilit. p. 480.*), nec *J. C. Scaligero* (*de subtil. Exerc. 179. p. 583.*) ignotum. Corporum vivorum etiam, quod Democriti Exemplo patet. Narrat namque *Athenæus* (*l. 2. Dipnos. c. 3.*), & *Diophanes* (*l. 15. Geopon. c. 7.*), eundem secutum morem Pythagoræorum aëreo melle fovisse vitam. Pythagoræi namque præter mel pani adhibebant omninò nihil, rogatusque *Democritus*, quomodo sanitati providendum esset? si exteriora, *inquit*, oleo, interiora melle irrigentur. Quam ipsam experientia valdè favorabili confirmavit opinionem, vitâ ad centesimum annum prorogata. Vid. *Joh. Chrysost. Magnen.* (*Prolegom. Democr. Revivisc. p. 11.*). Antidotorum hanc ob causam ingrediens & quasi basis, mel constitutum, v. g. Theriacæ & Mithridatii, ut pulveres & succos non solum uniat, sed & diutius

tius conservet. Evolv. *Marcus Oddus* (*Meditat. in Theriac. & Mithridat. serm. 1. c. 23. p. 89.*) & *Ulyss. Aldrovand.* (*l. 1. de insect. c. 2. p. 85.*)

§. 114.

Ut in sacris Mellis usum monstrasse Nympharum unam *Melissam* Græci produnt, (*Lud. Cœl. Rhodigin. c. l.*); Ita & Græci mortuos suos melle placasse legimus. *Iphigenia* (*ap. Eurip. in Iphigen. test. Ulyss. Aldrovando l. 1. de insect. c. 1. p. 28.*). Fratri inferias vovens promittit *sangvinem montanæ vitulæ Bacchiq; liquorem*:

> Ξανθῶν δὲ πόνημα μελισσῶν.
> *flavarumque labores Apum.*

sed & mortuis condituram præstare Mel, *Democritus* primus docuisse fertur. Cum enim doctrinam de mortuorum Resurrectione percepisset ab Ægyptiis, eamque asseveraret (qua de causa sale eundem fricat *Plinius l. 7. c. 55.*) videretque Balsamo condiri & asseverari cadavera antiquissimo more, deficiente in Thracia Balsamo mel adhiberi jussit, suumque in eodem conservari corpus. Testem hujus rei producit *allegatus Magnenus* (*c. l. Diss. 2. c. 2. p. 185.*) *Varronem apud Nonium Marcellum* (*c. 3. n. 261.*). Quare, *inquit*, *Heraclides Ponticus* (non Pontifex, ut bene *Nonium* corrigit *Petr. Victorius* (*l. 19. var. lect. c. 1. p. 285.*) plus sapit, qui præcepit, ut comburerent corpora, quam *Democritus*, qui ut in melle servarent, quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem Mulsi emere possimus. Quorsum & referenda illa *Lucretii* (*l. 3. de Nat. rer. v. 102.*) verba:

> *Nam si in morte malum est, malis, morsuque ferarum*
> *Tractari: non invenio qui non sit acerbum*
> *Ignibus impositum calidis horrescere flammis;*
> *Aut in melle situm suffocari atque rigere*
> *Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi;*
> *Urgerive supernè obtritum pondere terræ.*

§. 115.

Agesipoli melle curato domumque relato regia contigit sepultura, *narrat Xenophon.* (*l. 5. de reb. gest. Græc. p. m. 720.*). Tali modo etiam *Alexandrum M.* conditum indicat *Statius* (*l. 3. Sylv. 2. v. 117.*) dum canit;

> *Duc & ad Æmathios manes ubi belliger urbis*
> *Conditor Hyblæo perfusus Nectare durat.*

De Babyloniis & Persis *Herodotus* (*l. 1. p. 131.*) sepulchra eisdem in melle sunt. Junge *Strabon.* (*l. 16. p. 513.*) Idem & *Aristobuli à Pompejo* interfecti Cadaveri

teste Josepho (*l.1. de bello Judaico. c.7.*) contigit. Hippocentaurum in Thessalia notum & ex Ægypto sub principatu *Claudii* Cæsaris allatum in melle vidit *Plinius* (*l.7. c.3.*). Add. *Columellam* (*l.12. de R. R. c.45.*) *Ulyss. Aldrovand.* (*l.1. de insect. c.2. p.65.*) *Laurent. Pignor.* (*Epist.45.*). Viventium igitur, *memorante Rhodigino* (*c.l. col.1587.*), Symbolum fel erat, mel mortuorum. Vid. *supra* (§.*112.*)

§. 116.

Mel crudum id præstare disseruit *Plutarchus* (*l.8. Sympos. probl.5. p.m. 348.*), cum elixando ipsum mel perdatur. Miscebant tamen & melli subinde alia. Ita de *Justino Augusto minore* Avunculi funus curante (*l.3. de laud. Just.*) *Corippus*:

Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balsama succo,
Centum aliæ species ungventaque mira feruntur,
Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Combabus apud Lucian. (*de Dea Syria T.1. op. p.667.*), amputata virilia in vasculo cum Myrrha melle & aliis odoramentis recondidit. An melle oblita cadavera citius an tardius putrescant? quærit *Christ. Franc. Paulini* (*Disquis. de mort. Verminos.* §.*14. p.29.*) & respondet; *Plinio* (*l.22. c.24.*) placet posterius, mihi autem prius.

§. 117.

De Cera *Cicero* (*l.1. Tuscul. quæst. p.312.*): Persæ mortuos cerâ circumlitos condiunt, ut quam maximè diuturna permaneant corpora. Hausit id forsan ex *Herodoto* (*c.l. p.94.*), qui de Persarum Magis, quod mortuum cera involventes in terram condant. Scythæ Regis mortui corpus in ceratum alvo evulsà atque expurgatâ, quam silere contuso, thymiamate, Apiique Semine atque Anisi cum expleverunt, resuunt rursus, impositoque plaustro ad aliam gentem ferunt, ut *idem* (*l.4. f. Melpom.*) testatur. Add. *Alex. ab Alexandr.* (*l.2. Genial. dier. c.7. f.115. a.*). In mellis defectu etiam cera succedaneum. Ita Spartani cadaver Agesilai cera (non enim erat in promptu mel) colliquata circumfusum Lacedæmonem pervexerunt *Plutarchus* (*in vit. Agesil. p.m.371.*) & *Cornel. Nepos in Agesil. c.8. p.301.*) prodidit. Corpus equidem hujus in melle deportatum Spartam, fidem fecit (*l.17.*) *Diodor. Siculus*: *Plutarcho* tamen & *Æmilio Probo* assentitur *Th. Dempsterus* (*c.l. p.1009.*). Durare hujusmodi cadavera, sequens *Jacobi Gretseri* (*l.1. de Fun. Christian. c.5. p.18. & 19.*) relatio evincit: Chilias annorum excessit, *scribit*, ubi *Arnsberti*, *Rothomagensis* *Epi-*

Episcopi, cadaver linteis ceratis obvolutum, & *S. Uldarici* Comisale cera perfusum. Nos etiam putredini obicem posituri Sparadrapo condita cadavera involvimus.

§. 118.

Butyrum adjungo adhuc & Moschum. De Butyro *Rob. Boyle* (*p.2. de us. Experim. Philos. Exerc. 4. §. 28. p. 184.*). Norunt id coqui & mulierculæ, qui Alaudas, Turdos & alias Aves, ut & fungos vescos luteolos, & orbiculares fungi Capreoli *Casp. Schwenckfeld.* (*l. 1. de stirp. Siles. p. 78.*), vulgo *Reisken*, & quia cum butyro super cratem assantur, *Röstlinge* vocant, butyro liquato immersos diu à corruptione vindicare didicerunt. Durabilis tamen ista conditura non est, cum facilè rancorem contrahat butyrum & perdatur. De Moscho huc faciente itidem *Boyle* (*c. l. Exerc. 1. §. 41. p. 122.*); quamvis & hanc facultatem dubiam reddat *illustris Noster Lucas Schrœckius, Patronus summoperè colendus* (*Hist. Mosch. c. 44. p. 200.*), cum ipse humido aquoso solutus putredinis jugo facilè subigatur.

§. 119.

Jam ad Mumias seu corpora medicata ipsa, ut *Plinius* (*l. 11. c. 7.*) cum *Pompon. Mela.* (*l. 1. c. 9.*) appellitat. Mumiam autem ab Arabico Mum..., quod ceram exprimit & propolin, *juxta Avicennam* (*l. 2. Canon. tr. 2. c. 462. f. m. 147. a.*) deducunt *Valent. Schindlerus* (*in Lexic. pentaglott.*) *Martin. Martinius* (*in Lex. Philolog.*) *Jacob. Golius.* (*Lexic. Arab. Lat. p. 2278.*) & *Sam. Bochart.* (*T. 2. Hierozoic. p. 530.*). Persicum esse & exsiccatum cadaver certa ratione conditum putredinis expers exprimere *Athan. Kircher.* (*T. 3. Oedip. Ægypt. Syntagm. 13. c. 1. p. 396.*) *ex Rhase* forsan (*l. de Arab. nominibus Synonym.*), quem citat *Andr. Libav.* (*p. 3. singular. l. 7. de Bitum. c. 15. p. 906.*). Quamvis Mum Persis etiam Ceram denotet, *teste Andrea Bellumensi* (*interpretat. nom. Arab. p. 12.*) *ap. citat. Libav.* (*c. l. p. 908.*). Quid de his, qui ab Amomo deducunt? *supra* (*§. 98. & 104.*) quædam libata recordor. *Cl. Salmasii* conjecturâ (*in Solin. Exerc. c. 33. p. 284.*) ab Amomo deductum. Amomum namque omne Aroma sincerum, & inculpatum denotat, ut inde Amoma in plurali *ap. Persium* (*Satyr. 3. v. 104.*) legatur in illis:

Tandemque beatulus ille
Compositus lecto crassisque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Propterea Amomia id, quod condit corpus demortuum dicatur, facilè detruncato vocabulo Momiæ nomen provenit. Sed cum conditura ista Memphitica

tica sit & orientis fœtus, tutius è fonte Arabico id nominis derivamus, quare & mentem suam mutavit *laudatus Salmasius*, & à Persico Mum cera derivationem *(de Homonym. Art. Iatr. c. 101. p. 160.)* approbavit. Lutatum autem Satyricè dixit Poëta cum lutari, ut censet & demonstrat *Joh. Henr. Ursin. (l. 3. Hort. Aromat. c. 2. p. 200.)* summam spectaret ignominiam.

§. 120.

Varia autem vox Mumiæ denotat, succum partim, quibus condiuntur cadavera, partim cadavera ipsa condita & exsiccata. Pissasphaltum nativum à *Dioscoride (l. 1. de Mat. Med. c. 100. p. 54.)* & Mauritanis *Avicenna (Canon. Med. c. l. c. 464.) Serapione (l. de Simpl. Temper. c. 293.)* descriptum, quod *Joh. Schrödero (l. 4. Pharmacop. c. 396. p. m. 208.)* nil aliud esse videtur, quam Asphaltum, ut & factitium, quod ex bitumine & pisce simul constare voluit *Plinius (l. 24. c. 7.)* ex Apolloniatorum agro quidam pro Mumia venditant. Ipsam in virtute piscis & Asphalti esse, ipse *Avicenna (c. l.)* indicat. Pissasphaltum etiam amplectitur *Petr. Bellonius (l. 2. observ. c. 47. p. 277.)* & *(l. 1. Paradox. Med. c. 40. p. 75. sq.) Leonh. Fuchsius.* Hic etiam Arabes, ut nugivendulos *(p. 76.)* accusat, quod Mumiam cum succo Cyrenaico confuderint, adeoque Mesuah *κηρειναὶς* dictionem perperam pro Mumia vertisse. Dici etiam hoc nomen de Lapide levi nigroque, in quo liquor niger continetur, qui, dum frangitur lapis, vel bullit in oleo exit universus *ex Elkarasio commentatore Avicennæ Vopisc. Fortunat. Plempius (in h. l. Avic. Schol. p. 297.)* recitat. Sed hæ vocabuli Moumijæ explicationes scopo præsanti non inserviunt.

§. 121.

Quando verò Moumijæ vox Cadaver medicatum exprimit, distingvitur illa in naturalem & artificialem. Naturalis est, quæ fortuitò aut casu fit præter intentionem & arenaria audit Mumia. Ex Hammoniorum regione, quæ est inter Cyrenarum regionem & Alexandriam desertum ingens, ubi arenarum Syrtes (*Vid. Curt. l. 4. c. 7.*), aut sabulosum mare, ventorum turbine sublatorum incautos viatores obruunt, sicque arenarum quasi collibus & montibus obvoluti & sepulti indeque admodum citò flagrante Solis æstu torrentur, & exarescunt & hæ carnes ad nos afferuntur sine aliqua conditura aliquove liquamine. Conf. *Athanas. Kircher. (c. l. p. 397.) Andr. Tenzel. (p. 1. Med. Diastat. c. 1. p. 3.) Daniel. Beckher. (l. 2. Microcosm. Med. c. 7. p. 269.)* Mendacii hujus relationis conditores *Petr. Bellon. (l. 2. obs. 47. p. 278.)* arguit, dum memorat; qui ut mendacia de hac Mumiâ stabilirent arenosum mare finxe-

finxerunt, quod ventis agitatum eorum, qui per Libyæ aut Arabiæ ſolitudines iter faciunt, corpora arſorbeat, multis impoſuerunt: nam licet nonnulli in his arenis pereant, cum tamen putredini obnoxii ſint, non poſſunt eorum corpora non putreſcere. Multum interim arenoſo ſolo tribuit, ut id aptum putet, absque liquoribus conſervantibus id ob ſiccitatem putredini corporum obicem ponere, quod ex linteis albis adhuc & incorruptis poſt tot mille annos nullo ſucco imprægnatis repertis âque ſolâ ſiccitate ſervatis probare nititur *Blunt.* (*p.1. Itinerar. Orient. p.52. ſq.*) *Andr. Chiocus* (*ſ. 6. Muſ. Calceolar. p. 696.*)

§. 122.

Artificialis eſt vel Exotica vel noſtras. Exotica eſt, quæ apud Judæos, Syros, *Herod.* (*c.l.*) *Alex. ab Alex.* (*l.3. Gen. dier. c. 2.*), Perſas, *è Strabone*, Scythas & Gerras, *ex Herod. Lit. Cyrald.* (*de Sepel. var. rit. Vet. p.m. 654.*) & imprimis Ægyptios conditur & â multis Memphitica & Ægyptiaca appellatur. Et hæc eſt vel plebejorum vel Nobilium Magnatum & Regum. Plebejorum ſolo, Piſſaſphalto conſtabat (*Ol. Wormius l.3. Muſ. c.26. p.344.*) & hæc utplurimum ad nos defertur, quam non ſine causâ rejecerunt *Joh. Nardius* (*in Lucret. f. 635.*) *Athanaſ. Kircher.* (*c. l. c.3. §. 1.*) *Joh. Vesling.* (*obſ. & Epiſt.39. p.151.*) adeò nihil fragrantiæ in his deprehendere potuit unns vel alter ex Curioſis, neque ego ſi verum fateri expedit: Et hinc concludere *Joh. Nardius* (*c.l.*) non veretur: unica erat conditura, cujuscunque ſortis mortalibus diſpendioſior fraude libitinariorum. De hac verò ſequentia (*p. 1. Sphyng. Myſtagog. c. 2. p.7.*) *Athan. Kircherus.* Quandoquidem Aſphaltus liquabile miſtum eſt, caloreque præſente molleſcit, præſertim ſi congener accedat ſubſtantia auxiliares in partes, quale eſt fluidum Bitumen, quod Naphtam appellant, ut igitur congrue in lebete jungebantur hæc ſimul igne cogente bituminoſo immergebant balneo cadaver, macerabantque tamdiu donec altè imbibiſſe conjicerent contubernalem liqvorem, Neque controvertere fas eſt, dum hæc agerentur an pepercerit tunc ignis cadaveris adipi atque carnibus; par namque eſt credere liqveſcentibus his inſigne acceſſiſſe auctuarium areſcenti bitumini. *Hæc Kircherus.* Non ſine cauſa igitur pronunciavit *Caſp. Hoffmann.* (*Paralipom. Officinal. c. 7. p. 514.*): Condebantur olim corpora non carnes ipſæ. Aſphalti autem penetrabilitatem non tantum carnes eodem turgidæ, ſed & oſſa ipſa nigredinem ejus præ ſe ferentia ſatis evincunt, adeò ut illud oſſibus infundere, prout *Leonh. Fuchſio* (*l. 1. de Comp. Med. c. 20. p. 91.*) placuit, labor ſupervacaneus ſtultusque videatur. Add. *Andr. Gryph.* (*de Mum. Wratislao p. 21.*)

§. 123.

§. 123.

Nobilium, Magnatum & Regum conditura ex Myrrha, Aloë, Croco & Balsamo seu Opobalsamo, quæ sumtuosissima, constabat, ut è Medicis *Anton. Santorellus* (*Postprax. med. c. 4. p. 135.*) & *Anton. Musa Brassavolus* (*Exam. Terrar. p. 489.*) notarunt. An verò hæc ad eum contigerit modum, ut plebejorum, edicere non est meum, cum hactenus de eo nihil apud Autores invenerim. Dixerunt igitur quidem Mumiam Arabum esse liquamen, quod invenitur in terris, ubi mortuorum corpora Aloë & Myrrha (Thus addidit *Andr. Chiocus c. l. p. 697.*) condiuntur, cum quibus humor s. sanies mortui mixtus. *Ita Serapion.* (*c. l. c. 299.*). *Bene Razes* (*l. 5. c. 55. p. m. 134.*). *Bened. Cerut.* (*in Fr. Calceolar. Mus. s. 2. p. 17.*) & *Ol. Wormius* (*c. l.*)

§. 124.

Ne huic Commentario quid desit, varios variarum gentium cadavera condiendi modos cum omnibus circumstantiis recensere lubet. A Ægyptiis autem, quod hi à multis hujus Autores & inventores proclamentur, ordiri lubet. Ita autem (*l. 2. p. m. 190.*) *Herodotus*: Quibuscunque domesticis decessit homo alicujus momenti, ibi omnis muliebris sexus familia caput sibi & vultum oblinit luto. Deinde relicto domi cadavere ipsæ per urbem vagantes plangunt succinctæ nudatis mammillis & cum eis proximæ quæque. Altera ex parte viri & ipsi expectorati se verberant. His actis ita demum ad condiendum portant. Sunt autem certi ad hoc ipsum constituti, qui hoc artificium factitant. Qui cum ad ipsos cadaver portatum est, ostendunt his, qui portaverunt exemplaria mortuorum lignea pingendo assimilata. Et eorum unum accuratissimè fabrefactum esse ajunt, cujus nomen si nuncupavero haud faciam sanctè. Alterum illo inferius & vilioris pretii. Tertium vilissimi. Ea dicentes sciscitantur ab his ad quod exemplum velint effingi mortuum suum. Isti convento pretio illinc abeunt. At hi, qui relinqvuntur in ædibus, hunc in modum diligentissimè condiunt corpus. Ante omnia incurvo ferro Cerebrum per nares educunt, ut quamcunque partem educentes, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutissimo lapide Æthiopico circa ilia conscindunt, atque illac omnem alvum protrahunt. Quam ubi repurgarunt ac vino phænicio expleverunt rursus odoribus contusis refarciunt: tum omenta complententes contusa myrrha pura, & casia & cæteris odoribus (excepto thure) iterum consuunt. Ubi hæc fecere, saliunt intro abditum septuaginta dies. Nam diutius salire non licet. Exactis suptuaginta diebus cadaver, ubi abluerunt, sindone bysfinâ totum incisis locis involvunt, gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerumq;

rumque utuntur. Eo deinde recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciunt in quam mox inferunt mortuum inclusumque ita thesaurizant, id est, reponunt.

§. 125.

Hic autem qui mediocria volunt, nimium fugientes sumtum, ita comparant: Clysterem unguine, quod è Cedro gignitur, complent. Deinde ex hac alvum mortui ipsam neque scindentes neque extrahentes, sed per secessum prensæ viæ posterioris hiatu infarciunt: & tot quot dixi diebus sale condiunt: quorum dierum ultimo Cedrinum ungven, quod prius ingesserant, ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut una secum alvum atque intestina tabefacta, educat. Nitrum autem carnes tabefacit mortuique tantum cutis & ossa relinqvuntur.

§. 126.

Tertia conditura hæc est adornandi eorum mortuum: Qui tenuiori sunt fortuna, dilutionibus ventrem abstergunt arefaciuntque sale septuaginta per dies, deinde tradunt reportatum. *Hæc Herodotus.* In sumtuosa insumebatur talentûm argenti, in mediocri viginti minæ; pauciores sumtus in humili. Adi iterum *Ath. Kircher. (T. 1. Oedip. Ægypt. f. 123.).* Nec hi condiendi modi *Luciani* salem effugere potuerunt. Ita namque eos invadit. In Campo Acherusio cum semideos, tum heroinas aliamque simul mortuorum turbam in gentes tribusque dispositam invenit Menippus, alios quidem vetulos & marcidos, utq; dicit Homerus evanidos, alios quidem juvenes, & integros, maximè quidem Ægyptios, propter illam condiendi efficaciam. *(T. 1. Oper. Necyomant. p. 334.)*

§. 127.

Elegantia de his Mumiis & eorum cryptis subterraneis habet *solertissimus ille orientis Peragrator Petr. de la Valle (in Itinerar. Orient. Turc. Epist. 11. p. 309.)*, cujus verba ex Italico in Latinum traduxit & mecum olim communicavit, *Nobiliss. Dn. D. Jac. Phil. Sachsius*, quæ ita sonant: *Citatus Autor* cum magno hominum numero ex Cairo locum Mumiis propè Pyramides destinatum adibat, vidit planitiem spatiosissimam arenosam, in quâ Pyramides exsurgebant pro sepulturis, sed olim sub terra fabricatæ cavernæ seu putei profundissimi, in quorum fundo pariter ac in nostris cisternis videbantur sepulchra, aut humiles cavernulæ, in quibus reponebantur & subter terram tenebantur corpora, ut meliùs conservarentur in ista arenâ, cum quâ posteà etiam replebant puteos, & ita in altum tegebant, ut ne vestigium ullum effossi, loci appareret. Et in unum ex

his puteis reponebantur multa corpora, quæ fortè unius familiæ & consanguinitatis. Et quod res ita se habeat Autor tum *Petr. Bellonii* (*l. 2. Var. obs. c. 47. p. 228.*) testimonio comprobat, cum multorum puteorum apertorum in ista planitie ab ipso visorum, ex quibus Mumiæ seu corpora diversis temporibus ab accolis quotidiè ea quærentibus erant inventa & extracta. Ille autem in vacuos istos puteos nolebat descendere, ut plurimi faciunt & Bellonium in talem vacuum descendisse opinabatur, quia maximè desiderabat intrare, repletos ut videret, quomodo jacerent corpora, ne saltem de auditu perceptis loqueretur cum accolis istis ignaris. Itaque relictis istis puteis vacuis & exhaustis, cum adessent homines locorum gnari, jussit ut in novis locis, ubi terra esset plana quærerent. Quare distribuebat fossores hinc inde, ut ubi terra non videretur commota, aut tacta, inquirerent & tentorio ibi erecto promisit, se non inde discessurum, nisi prius aliquid invenissent. Et cum omnibus in locis præsens adesse non posset, disposuit familiares hinc inde ad factas aperturas, ne ulla fraudis esset suspicio, & ut inventa sepultura ipsum statim appellarent.

§. 128.

Interim ex incolis quidam interpreti in aurem susurrat, se habere Mumiam elegantissimam, quam si de la Valle emtam cuperet, possit impetrare & quia vicina possit conspici, se nolle tamen quempiam ex concivibus adesse, utpote qui vellent pretii participes fieri, more apud illos usitato, necessarium itaque, ut ipse sequeretur quorsum deduceretur. Annuit Valle & cum tribus è familiâ sociis secutus agricolam milliare ad minimum unum, si non duo, quia ipsi videbatur via longa licet agricola digitum semper intenderet & diceret, ibi ibi inveniemus. Tandem venerunt in locum, ubi ante triduum ex puteo ajebat effossam ex arena Mumiam, aut corpus integrum hominis mortui, quod cum esset optimè conservatum & curiosissimè compositum maximoperè placuit.

§. 129.

Videbatur itaque homo nudus & extensus, sed strictissimè fasciis involutus & cum maxima copia pannorum linteorum, balsamatum cum bitumine, & incorporatum posteà cum carne, quod à Nostris Mumia dicitur & ad usus Medicos adhibetur. Visis fasciis recordatio facta vinculorum Lazari, quod facillimè fieri potuerit, ut talimodo sepultus fuerit. Corpus undique ambiebat cooperculum ex iisdem pannis, depictum & inauratum, sigillatum undiqve cum sigillis plumbeis, quæ res significabant, fuisse hominem in honoris fastigio constitutum. Sed quod maximi momenti videbatur, in suprema parte corporis, quæ propter copiam pannorum involutorum fiebat plana, quasi cooperculum tum-

tumbæ videbatur depicta effigies ipsius demortui & erat in vestitu ornata à capite ad calcem cum tot variis ornamentis & picturis & auro, cum tot hieroglyphicis & characteribus & aliis lusibus, ut esset res amœnissima, quæ possit videri, eò magis quod homines curiosi literis dediti exinde millena argumenta deducere possint, de certitudine antiquitatis illorum temporum.

§. 130.

Vestitus ipsius hominis videbatur admodum longus, à collo usque ad pedes & ex pannis lineis quales, Ægyptios olim portasse *ex Herodoto* constat. In vestitu hujusmodi supra candorem linei panni videntur omnia conspersa particulis ex auro cum variis Gemmarum ornamentis & ignotis Characteribus illic impressis. Caput ornatum ornamento ex Auro & Gemmis, sub quo prominent capilli nigri, intorti & pariter nigra & retorta & pauca barba, unde sicut etiam ex colore faciei manuumque quæ brunei admodum sunt coloris & instar terræ, non dissimilis Æthiopum nitidorum, possumus credere, quod is fuerit oriundus ex partibus Ægypti superioribus & meridionalibus & non ex regione circa Delta, ubi homines non ita bruni existunt.

§. 131.

Clarè quoque cognoscitur personam fuisse honoratiorem non solum ex ornamentis Auri & Gemmarum, de quibus ante dixi, sed etiam ex sigillis plumbeis, quæ pendent undique circa latera involuti corporis, quibus apparet (quamvis aliquantulum difficulter possit cognosci,) impressa figura animalis. Indicium quoqve, personam fuisse magni æstimii, & torques aurea, quam collo portat ad modum aurei velleris, in cujus medio supra pectus annexa instar gemmæ particula grandis Auri, quæ repræsentat figuram Avis, in cujus medio varia signa incognita insculpta sunt. *Secundum Diodorum Siculum* (*l. 2. Antiqu. Rer. s. Biblioth. c. 3. p. m. 33.*) olim in Ægypto Prætores & judices talem Torquem portabant cum simulacro veritatis. Forsan hic demortuus unus ex illorum numero fuit & forsan avis efformata, quam pectore portat, aut signum veritatis est, aut similem rem significare videtur. In manu dextra tenet Scyphum aureum plenum liquore rubro, qui si aut sanguis sit, aut vinum (quanquam vinum potius credendum secundum dicta Herodoti) certe æstimo, quod denotat libationem in sacrificio. Cum sinistra manu (in cujus binis digitis, indice sc. & minimo annulum gerit in ultimis articulis circa ungues,) tenet fructum quendam figura ovalem, coloris obscuri, qui videtur esse fructus, qui Florentinis Petronciani, Lombardis Melanzano vocatur & quod hic fructus manu teneatur,

itidem mysterio non caret. Genua & pedes nudi sunt, præter santalia nigra, quæ saltem plantas pedum vestiunt.

§. 132.

Ex omnibus curiosis hoc notatu dignissimum, fascia scilicet, quasi cingulum, in qua nigra Tinctura literis Ægyptiis hæc verba scripta sunt:

EV†VXI,

hoc est *Eutychio*, quod Lingva Græca significat Fortunatum (Italis Bonaventuram) quod ipsius nomen proprium videtur esse, & quod scriptum per I, ultima syllabà & non per H S sicut Græca requireret, forte est corruptio Ægyptiaca. Sicut Ægyptiaca est litera † loco T. & sine dubio est famosum Tau Hebræorum in forma Crucis signum electorum.

§. 133.

Idem de la Valle (*c. l. p. 326.*) recenset, Mumiam fœmineam ibidem inventam, in qua præter alia variæ picturæ Leonum, Boum, in signum Isidis & in Catena signum solis. Aliam pluribus descripsit *Amplissimus Andr. Gryphius* (*de Mum. Wratislav. p. 27. sq.*). Semel observavi (*scribit Joh. Veslingius obs. & Epist. 39. p. 152.*) fasciis pretiosum ex serico textum ac veluti peplum Hieroglyphicis undique elaboratum circumdedisse *Penelopen* aliquam pendente à collo serico funiculo cum connexis aliquot gemmis.

§. 134.

Cura igitur circa singula atque ornatus omninò diversus deprehenditur. Cum *ipse de la Valle* in cavernam descendisset, invenit plurima corpora in ista arena aridissima contecta sine ordine disposita, non aliter ac vermes in caseo. Præter hæc duo & adhuc unicum corpus aureis laminis exornatum, reliqua corpora simplici fascia & bitumine sine auro sine pictura sine altero ornamento. Loculi Cadaverum (quam viri plerique comprimis in infimæ sortis demortuis iis destituantur) *Veslingio* (*c. l.*) *teste*, fere lignei sunt ex Ebeno, Cupresso, Cedro similibusque ad humani corporis figuram exactis. Memini tamen, subjicit ex integro Jaspide loculum me vidisse, apud Mercatorem Alexandrinum, *Isidis* Schemate artificioso & sacrarum notarum insigni varietate non minus quam materia sua pretiosum, sed jam ante Cadaver exemtum erat, quam è conditorio suo lapis auferebatur. Situs omnium in monumentis rectus est, inclinato ad parietem corpore: nisi exteriorum impulsu concidant. Ventorum præcipuè cryptas Mumiarum violenter subeuntium & vim arenarum, ne dicam montes inspirantium, quæ Cadaverum investigandorum præcipuam difficultatem parit. Isidis imagunculas ex ære conflatas *vidit Philipp. Camerar.*

rar. (*Cent. 1. Hor. succis. c. 14. p. 84. & Cent. 2. c. 70. p. 281.*). Ex Argilla subviridi *Andr. Gryphius* (*c. l. p. 52.*). Ex Argilla fictum simulacrum & glesto cœruleo possedit *Frid. Lachmund.* (*f. 1. Admir. Fossil. c. 2. p. 3.*). E ligno etiam vidit *Monconnys* (*Hodœpor. p. 215.*). Totam Mumiam Ægyptiacam cum capsa depictam dedit *Oliger. Jacobæus* (*Mus. Reg. f. 1. p. 1.*), quæ Hafniæ asservatur & aliam *Frid. Gottl. Ketner.* (*de Mum. Lipsiens. c. 2. §. 4. p. 106.*), quæ Lipsiæ in Senatoria Bibliotheca curiosis monstratur.

§. 135.

Antequam ad alia me convertam, quædam adhuc ad relationem *Herodoti* (*§. 124. sq.*) paralipomena adjicienda. Eandem fere recitat *Diodorus Siculus* (*l. 2. Biblioth. c. 5. p. m. 19.*), sed concisiori stylo, adjicit tamen quædam, quæ in *Herodoto* non invenias. Quando tres sepulchrorum species sumtuosam, mediocrem & humilem allegasset, addidit: In prima argenti talentum exponunt, in secunda minas viginti, in ultimâ parum quid sumtus irrogant.... Inter ministros primus ei Grammaticus vocatur, qui posito humi corpore, circa ilia describit, quantum à sinistra parte incidatur. Deinde qui dicitur scissor, habens lapidem Æthiopicum, quantum lex finit, latus aperit; subitoque cursu persequentibus, qui astabant, lapides cum execratione in eum jacientibus fugit. Existimant enim odium inhærere, quicunque amici corpus vulnere illato violavit. Curatores verò corporis hos salitores appellant, honore digni, existimationeque habentur. Utuntur enim Sacerdotibus & templa ingrediuntur.

§. 136.

Cerebrum incurvo ferro per nares salitores eduxisse, narrat *Herodotus*. Id vero quo modo contigerit me non capere, cum *Andr. Gryphio* (*c. l. p. 12.*) & *Gabriel. Clauder.* (*c. l. c. 4. p. 57.*) ingenue fateor. Nec per hanc viam internam capitis cavitatem à cerebro satis repurgari dudum credidit *P. Zacchias* (*l. 4. Tit. 1. quæst. med. legal. 10. n. 12. p. 362.*), si viam consideres angustior sane est, quam ut incurvo ferro adigendo pateat. Ob viæ angustiam hanc per membranas ac ossa cribriformia Aër ad Cerebrum ascendit defecatior illo, qui pulmonibus hauritur, *teste Carolo Fracassato* (*Epist. de Cerebr. ad Marcell. Malpigh. T. 2. op. p. 141.*). Et si ferrum uncinatum eò penetrare commodè nequit, qui cerebro impingetur & illud extrahet? Ipsa præprimis cerebri substantia ejusque textura uncinulas non sequetur ob medullare corpus ad pingvedinem inclinans. Inde è cerebro Vitulino tres partes Aquæ & partem massæ pingvem & flavescentem, à quâ prælum calidissimum expressit, oleum combustibile,

quod in modico frigore gelaſcebat, quaſi fuiſſet eductum à ſqvamis ſpermatis Ceti ingenioſus *Fr. Joſephus Burrhus* (*Vid. Ejus Epiſt. de Cerebr. ad Th. Bartholin. p. 15.*) autor eſt. Nec ignotum, poſt mortem cerebrum in aquam reſolvi pingvem, quod olim Auguſtoburgi comperi in milite poſt 4. ſeptimanas, è ſepulchro extracto, cujus cerebrum per bregmatis à percuſſione factam rimam cranio toto vacuo relicto in talismodi lympham reſolutum exierat. Aquam etiam hujus loco inventam *Theod. Kerckring.* (*Spicil. obſ. anat. 46. p. 102.*) annotavit. Moles inſuper cerebri, comprimis in Ægyptiis capitonibus (Conſul. iterum *Gryphius c. l. p. 46.*) impoſſibilitatem hujus operationis reddet irritam in homine, quâ cum brutis maxime certat, *Vid. Th. Bartholin.* (*Cent. 4. hiſt. anat. 94. p. 416.*), ut etiam Leonis humano comparatum vix decimam ejus partem æquet, ut *idem* (*c. l. hiſt. 100. p. 430.*) vidit. Cerebrum igitur in calcaneo geſtarunt ſalitores Memphitici, dum id tradiderunt, aut naſo adunco ſuſpenderunt credulos, qui ſe facilè traduci patiebantur. Αὐτοψία namque *ingenioſum Gryphium* (*c. l. p. 45.*) docuit aliud, dum in Mumia Wratislavienſi caput vacuum omni cerebro ſpectatum, ſed quod non per nares, ut olim credebatur, verum per foramen propè Atlantem Vertebram maximum expurgaverant.

§. 137.

Nec id veritati litat, quando circa Ilia inflicto cum lapide Æthyopico vulnere omnem alvum ſe protrahere gloriabantur. Tyro in Anatomicis id videbit locumque exenterandæ alvo, de Thorace nil dicam, incommodum aſſeverabit. Nec id à ſalitoribus obſervatum, probante id iterum *Gryphii* (*c. l. p. 36.*) ſuffragio. Huic enim patuit, non, quod creditum antiquis, viſcera per obliqvum lateris extracta, ſed inciſâ lineâ quam vocant albam, educta, quippe haud procul infra Sternum hiabat, & ultrà umbilicum vulnus rectum oblongum ſtrophiis, balſamo quodam aut non abſimili liquore arcendæ putredini imbutis obſtipatum tectumve. Ita in alia Mumia umbilicum ſupra foramen rotundum deprehendit, per quod inteſtina cum viſceribus educta, rationi ipſi haud abſonum (*p. 52.*)

§. 138.

Omni aromatum genere uſos Ægyptios, excepto Thure, *Herodotus pergit.* Hujus rationem primo intuitu reddere non ita facilè videtur. Conſiderandum verò Thus rem ſacram haberi, quod nec gentilibus ignotum. Hinc ad ſacrificia adhibitum tribus digitis in aram ſpargebatur. Vid. *Joh. Philipp. Pfeiffer.* (*l. 1. Antiqv. Græcar. c. 24. p. 39.*). Ut autem ſacra non profanâ & impurâ

purâ manu tractanda censebant, idque ministræ Bacchi sequenti juramento confirmare tenebantur, quod *ap. Demosthenem* (*Orat. in Neæram f.m. 873.*), his expeditur: Pia & pura & munda sum à cæteris immundis & à viri congressu. Ita & à puris & minimè inquinatis manibus thus colligi debere decreto cautum erat. Quo circa familias illas, quibus thura colligere jure successionis permissum, sacræ vocantur, ob id nec ullo congressu fœminarum funerumque cum indicant eas arbores aut metant pollui permittuntur, atque ita religione merces augeri. *Hæc Plinius* (*l. 12. c. 14.*). Assentitur *Simia Pliniana Solinus* (*Polyhist. c. 33.*), quicunque dominatum istius tenent nemoris (thuriferi) Arabicè sacri vocantur. Idem illi cum lucos istos vel metunt vel incidunt, non funeribus intersunt non congressionibus fœminarum polluuntur. Quod si hoc? thus funeribus additum polluetur & sacra res ab impuro incestabitur cadavere. Spectant huc *supra* (*l. 2. Tit. 2. §. 4. & 5.*) allegata. Damnatum igitur thus rogo illatum *Statio* (*l. 2. Sylv. 1. v. 20.*)

puerile feretrum
Produxi: & sævos damnati thuris acervos.

ut, *interprete Casp. Barthio* (*in h. l. p. 166.*) sejnngeret hoc à divino cultui debito thure.

§. 139.

Salituram s. ταρίχευσιν non nisi septuaginta præterlapsis diebus demum perfici docuit *Herodotus*. Quomodo verò tot dies servarunt corpus, ut putredinis vim intra hoc tempus satis longum non sentiret? Iterum hic à Tarichevtis delusos puto Ægyptios. Dum lucri gratia tot dies cadaver salire se ad superstitionem usque credulæ plebi persvaserunt, forte lento igne exsiccarunt post salituram, & ita à putredine sartum servarunt. An igitur jure erroris poscatur ab *Andr. Gryphio* (*c. l. p. 26.*) *Joh. Nardius*, non decernam. Nec feri & hunc quod regerit, quis *Josepho*, quis *Mosi*, qui omnes Ægyptiorum artes habuere perspectas, fucum potuisse fieri credat? (*p. 12.*) Non enim inter artes propriè ita dictas numerabatur condiendi artificium, sed servorum erat, & ex infimâ plebe hominum, quamvis sub sacerdotum directione, manualis operatio, adeoque illustrium Virorum scientia & cognitione indigna. Et cum Ægyptii in calidiori agant climate, aëre temperato *juxta Justin.* (*l. 2. hist. c. l.*) temperantiæ studentes sicciori habitu & calidiori sangvine gaudentes adeoque omnium hominum secundum Lybios maximè salubri corpore, non ita, ut humidi habitus & malæ notæ sangvinis corpora putredini obsequiosa apparebunt. Interim *de Jacobi Patriarchæ* cadavere *in sacris* (*Genes. c. 50. v. 3.*) legimus, *Josephum* medi-

medicis præcepisse, ut illud quadraginta dies condirent. Cur verò non septuaginta? Forsan, *inquit D. Georg. Calixtus* (*in not. ad h. l. p. 94.*) quadraginta dies ἐνταφιασμοῦ connumerantur, triginta fletus, ut junctim septuaginta constituant. Erat autem (*judicat Idem c. l. p. 92.*) id necessarium, quandoquidem cadaver ex Ægypto in Canaan haud modico itinere, & per regiones calidas transportari oportebat.

§. 140.

De Clystere ungvinis Cedrini, quo in mediocri conditura utuntur varia sunt, quefelicem hujus operationis successum dubium faciunt. Si namque vivis injectus Clyster, ultra intestina crassiora non ascendit, quomodo in mortuis continget nisi forsan singulari ad id adaplato folle & Siphone id præstiterunt. Dein cedrini ungventi corrosiva erit facultas, quam eidem tribuit *Galenus*, qua propter ex *Galeno & Plinio* non legendum esse apud Dioscoridem συπτικὴν sed σηπτικὴν, recte censuit *Andr. Libav.* (*l. 7. de Bitum. c. 15. p. 911.*) dum intestina exedit & corrumpit, ut tabefacta intestina cum eorum eluvie sic egerant. Quomodo verò intentionem istam etiam difficultatibus non carentem obtinuerint intestinis exesis & tabidis humore in abdominis cavo stagnante non video. Adde, quæ opposuit iterum *Clauderus Noster* (*c. l. p. 58.*), sed hæc forsan inter Isiaca sacra recondita habentur. *Paul. Zacchias* (*c. l. n. 11.*) in hâc operatione antiquiores Ægyptios in eo opere aliquid peccasse pronunciat, eo quod in intestinorum viscerumque exenteratione fuerunt nostris paulo negligentiores, exemploque Cadaveris *Josephi* in Ægypto conditi id probat, cujus ossium *in Sacris* (*Exod c. 17. v. 19.*) fit mentio, adeoque non longo annorum spatio nempè annis circiter 300. defecit. Non interim negat per ossa ipsum cadaver intelligi potuisse. An Ægyptiorum more conditum fuerit *Josephi* funus, non patet. De exsiccatione cadaveris *supra* (*§. 61.*) quædam sparsa. Condiebant illud & arcæ imponebant *in sacris* (*Gen. 50. v. 26.*) quidem perhibetur; Hoc vero non perpetuitatis, sed amoris & honoris causa factum. Israëlitæ forsan sancti viri exuvias at Ethnicis contrectari religionem duxerunt, ne Idola consueta Eidem addant veriti. Ipsi verò Judæi manus admovere vix ausi, quod cadaveris attuctu polluerentur. Brevissima igitur via fuit fumo aromatico facta exsiccatio. Aromata verò & unguenta Cadaveri prout & post Judæis in more fuit aspersa & addita non est cur negemus.

§. 141.

Ergone ex præfato condiendi artificio Anatomici evaserunt Ægyptii? Ne-

Negat id *Vir æstimandæ eruditionis Hermann. Conring. (l.1. de Med. Hermet. c.10. p.89.)*: Videntur (*scribit. p.90.*) suâ operâ parum hic profecisse. Nihil sanè observare est à veterum quoquam memoratum, quod cum *Herophili, Erasistrati & Aliorum*, multo minus cum *Galeni* doctrinâ conferri mereatur. Imò quæ tanquam ab Ægyptiis accepta narrantur planè stulta sunt & inepta. Probat id de Cordis in mortuis augmento adducta & *supra (l.1. Tit.2.)* explosa fabula. Similis farinæ est, quod de nervulo quodam à Corde in digitum sinistræ manus illum, qui proximè à minimo, tendente, ut inde à Græcis & Romanis annulo fuerit ornatus, quod *ex Appione* recensuit *A Gellius (l.10. c.20.)* & ab Ægyptiorum Sacerdotibus confectis odoribus illitus, *teste Macrobio (l.7. Saturnal. c.13. p.536.)*. Rudis præterea est, *inquit*, corporis humani in caput, manus, thoracem & crura divisio, quam Autor introductionis, (quæ *Galeno* vulgò inscribitur, fortè enim est *Herodoti*, ut *Conring. c. l. p.91.* suspicatur,) Ægyptiis fert acceptam. Nullo præterea nititur fundamento divisio partium corporis in trignita sex: totidem verò Dæmones esse, qui singularum partium singuli habeant curam, iisque totidem herbæ sacrari debeant, planè Ægyptiorum sacerdotum est impium commentum, de quo iterum *Conring. (c.l. c.8. p.69.)* Causam exigui in Anatomiâ profectus ponit *Idem, (c.l. c.10. p.91.)*, quod in usum condiendorum cadaverum saltim fuit instituta sectio, omissis, quæ ad magnitudinem, figuram, situm, constitutionemque partium spectant. Viscera exsecta statim recondebantur alibi & quidem singulari ritu, quem narrat *Porphyrius (testimonio Euphanti l.4. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων p.379.)*. Deinde sectioni non ipsi medici videntur præfuisse, sed Taricheutæ, quos Medicorum nomine neque *Herodotus*, neque *Diodorus* dignatur. Add. quæ *Conringio* reposuit (*l.1. Hermet. Ægypt. c.5. n.4. p.141*) *O Borrichius*, ubi etiam è *Plinio (l.19. c.5.)* in Ægypto Reges ad scrutandos morbos corpora mortuorum recensuit, & originem Anatomiæ à Regibus Ægyptiis oriundam, quam pauci hujus seculi Medicorum noverant, notandum inculcat *Casp. Barthius (l.3. Adversar. c.4. col.110.)*, quin Anatomicos libros ipsi scripsisse leguntur. Vide, quæ citat *elegantissimus & curiosissimus in Monte Regio Prosector Dn. D. Philipp. Jacob. Hartmann. Collega & Patronus æstimandus (Exerc. de Origin. Anat. Disp.3. c.6. §.2. p.36. sq.)*

§. 142.

Ægyptii colunt animantia quædam Diis sacra præter modum, non solum viva, sed etiam mortua: Sicut feles, Ichneumonas, canes, Accipitres, Ibides, lupos, Crocodilos & ejusmodi plura. Sustentant eadem magnâ curâ &

& sumtu. Locant insuper aquâ calida, ungventisque optimis odoriferisque. Lectos quoque illis sumtuosos sternunt, atque ornatos. Cum aliquod eorum moritur, eorum mortem æque ut filiorum lugent, sepeliuntque sumtuosius, quam eorum facultas ferat. Post *Alexandri* obitum cum *Ptolomæus Lagus Lapus* Ægyptum teneret, bove in Memphi ex senectâ mortuo, qui illius nutriendi curam ceperat, pecuniam quæ in ejus sumtum data erat permagnam, ac insuper quinquaginta talenta Argenti mutuo à *Ptolomæo* sumta in ejus sepulturam impendit. Nostra quoque ætate quidam, *testatur Diodor. Sicul.* (*l. 2. Bibliothec. c. 4. p. m. 36.*), qui ea animalia nutrierant, in illorum sepulchra haud minus centum talentis contulere. Cum aliquod eorum moritur, Sindone contectum sale liniunt, ac Cedri liquore, ungventisque odoriferis, quo diutius servetur corpus unctum in sacris locis sepeliunt. Τὲς ταῖς ταριχείαις τῶν ζώων ἐφεστάτας vocavit tales *Ælianus* (*l. 10. c. 20. p. m. 608.*), eos, qui præparandis ut inveterentur vel ad reservandum condiantur, bestiarum cadaveribus præsunt. Ex quo patescit alios Taricheutas hominibus, bestiis alios fuisse præfectos.

§. 143.

Unde vero hanc condiendi rationem acquisiverint, aut didicerint, an ab ipsis ex proprio ingenio fuerit instituta, non ita patet. *Zoroastres Philosophus, scribit*, & quo autore, non addit *Petr. Bellon.* (*l. 2. observat. c. 47. p. 277.*), eos docuerat ignem animatam quandam belluam esse, quæ omnia devoret & jam devorando saturam unà cum ipsa re devoratâ emori. Eandem ob causam corpora in Ægypto cremari vetuit, pro aliarum nationum consuetudine, neq; humari, sed condiri, ut à vermibus præservarentur. *(Add. c. 42. p. 267.)*. Vidisse autem se haud procul à Cairo Mumias *Chistoph. Furerus ab Hainendorff.* (*Itinerar. p. 55.*) meminit, quæ tempore Pharaonum, ad quorum posteros Pyramidum conditura quoque refertur, de quo evolv. *Joseph.* (*l. 2. Antiqv. Judaic. c. 5.*), & *Marscham (in Canon. Chronic. p. 48.)*, jam cryptis reconditæ fuissent.

§. 144.

Circa fasciarum circumligationem adhuc quædam monenda restant, *ab Aliis* forsan non animadversa. Cur earum copia tam necessaria judicata fuerit, non sine causa miraberis, cum vel dimidia pars suffecisse videatur. Si rectè conjecturo etiam harum apparatus & stricta circumligatio ad perennitatem fecit. Conservavit cadavera ab aëris illisu, & humorum inde ortâ agitatione, internum humorum motum, ne fermentatio oriretur, compescuit, hinc

intu-

intumescentia coërcebatur & putredini porta & via intercludebatur. Ita fructus conditos, olera itidem & carnes salitas ponderibus gravamus, impetum humorum ut inhibeamus; ita tumores pedum ligaturis arctissimis coërcemus, *wir binden die Geschwulst weg.* Et ne effluerent balsamici liquores & oleosi, & ita arctius cum carne & ossibus compingerentur, hoc ipso præcavere poterant. Cum etiam lucri cupiditate tenerentur quam maxime Ægyptii:

Quod si dolosi spes refulserit nummi

pro balsamo Asphaltum, proque succo Cedrino Myrrham, aut vilius aliquod medicamentum applicabant, & fasciarum exteriorum, quas forsan Cedrino succo liniverant mangonio dolosè cives circumveniebant. Et cum ventosa & insolens natio Ægyptii *Plinii junioris effato (Panegyr. c.21.)* sint, pomposo eloquio suas artes propalare norunt, fraudulento etiam occultare animo. Ne igitur istæ evisce rationes & conditurae cuivis pateant, tot fasciæ fasciis impositæ Artem tegere & abscondere debuerunt.

§. 145.

De duratione consvetudinis illius non possumus non *Kircheri* rursus facere mentionem, commentatur *laudatus Kettnerus (c.l. §.26. p. 122.)*, qui Cambysi Regi Persarum abrogationem earum vindicat, quippe qui postquam accessione Ægypti Imperium Persarum auxisset, veterrimi & hujus moris turbator factus esset novatorque alius cultus. Quantum vero *ex Dione (l.51.)* lucis fœnerari possimus pro defendenda pertinacia ritus hujus Ægyptiaci ad Romana tempora protracti inde patere potest, quod adhuc *Augusti* tempore cum Ægyptum Romanam provinciam constitueret, *Apis* miserè ejulaverit, quem cum *Serapide* ista superstitiosa gens ante alios coluit. Neque *Plutarchus librum, quem de Osiride & Iside conscripsit*, alio quodam, quam quo vixit tempore, nempe sub *Domitiano, Nerva*, & *Trajano* confecit; ubi verò Idololatria ista, ut ibidem ipse testatur omnia ad huc templa fanaque complebat. Etsi itaque, *concludit*, neque initia, neque finis, tàm exactè cognosci possunt, cautio tamen adhibenda erit, ne nimis angustis, quam par est, cancellis vel includamus hunc ritum, vel prolixiori quam decet cubito historiæ fidem metiamur. Tolerata fuit hæc condiendi funeris consvetudo, donec valescentibus Christianis Ægyptus omnis sese ritu tam operoso (addo & sumtuoso) exsolveret, *commentatur Andr. Gryphius (c. l. p. 80.)*. Gliscebat spes invicta reducis propediem vitæ; & vel in tenuissimum cinerem immutatos, superesse tamen & ruptâ tumuli custodiâ jam restitutos integritati ituros Domino obviam, haud segniter credebant, inde eviluit illud decus morti quæsitum per lanienam ac viscerationes,

(Ooo ooo) 2 quas

quas exigit pollinctor, habitumque immane & insigni dehonestamento pietatis famam affectantibus popæ alicujus, aut victimarii instar sævire in cadaver: solenne contra honorare functos quavis cura potius, & ingenti vel odorum ungventorumque apparatu credere sepulchris, sed non discissos.

§. 146.

Ab Ægyptiis ad Judæos manasse conditurae observantiam quibusdam probabile videtur, *Jacobi Patriarchæ* conditura id suadente (*Genes. c. 50. v. 3.*). Considerationem comprimis meretur in N. T. sacratissimi corporis *Salvatoris Nostri* conditura à *Nicodemo* instituta, ubi eum attulisse *Evangelista (Johannes c. 19. v. 39.)* mixturam Myrrhæ & Aloës ad libras fermè centum recitat. De ista sequentia *Joh. Henr. Ursinus* (*l. 3. Hort. Aromat. c. 2. §. 5. p. 198.*) *discurrit*: In Judæâ, *inquit*, ditiores qui dignitate præstabant Myrrhâ & Aloë mixtis condiebantur. Nec μίγμα hoc parce adhibitum, sed magnificè, ut corpora clarorum in eo quasi natarent, aut tota obducerentur. (*p. 199.*). Quærit porro, cur Myrrhæ fuerit addita Aloë? & respondet; (*p. 201.*) non tantum ut corpora à putredine tuerentur, sed etiam ut spissamentum esset & glutinum quasi, quo corpori adhæresceret: qua de causa Gummi quoque Sarcocollæ ferè duplum addi solebat cæteris aromatibus & ungventis. Cæterum inter Ægyptiorum & Judæorum conditurам magna intercessit differentia. Ægyptiorum conditura fiebat intrinsecus, judicat *Isaac. Casaubonus* (*Exerc. 16. ad Baron. Annal. Eccles. n. 112. p. 591.*), corpore exenterato & cerebro per nares extracto; atque hoc ταριχεύειν Græci dixerunt: Judæi ungvento, & corpori aromata extrinsecus applicando, deinceps fasciis involvendo mortuos suos curabant. Modus aut potius tempus pollingendi Ebræorum ab Ægyptiaco valde differt; siquidem horum conditura 30, 40, imò aliquando 70. diebus demum & quidem rebus balsamantibus cavitati corporis immissis exemptisque visceribus ac partibus interius hærentibus perficiebatur; insuper quotidiè nova aromata, modo hæc, modo illa certis ritibus adhibendo, ut conditurae vis ad omnes corporis partes penetraret. Ebræi autem hoc absolvebant unicâ eâque brevi unctione partibus externis saltem applicando species aromaticas & balsamica ungventa, non insimul institutâ Ægyptiis usuali & in similibus conditurіs necessaria evisceratione. Posteà linteis easdem involventes ad sepulchrum statim deferri curabant. *Adjicit D. Gabr. Clauderus.* (*c. l. c. 3. p. 44. sq.*). Conditurам apud Judæos magis venerandi mortuos gratia, quam ad putredinem diuturnam præcavendam fuisse adhibitam, *Claudero Nostro* (*c. l. p. 46.*) libenter assurgo. Eleganter *Francisc. Vavasseur* (*l. 4. Theurgic. n. 34. v. 7. p. 108.*), de mulieribus ad sepulchrum *Servatoris* properantibus:

Haud

Haud mora portatur benè olentis copia Nardi,
Myrrhaque mista Aloë quæ tingant ungvine Christum,
Instaurentque Viro exequias, ac rite parentent.

Judæi cum plurimis ungventis & Aromatibus defunctos suos sepeliebant, eodem prorsus more, qui apud Græcos & Romanos viguit: lavabant cadavera, ungebant pretiosis ungventis, cum fasciis involuta condebant monumento, docuit *Claud. Salmas.* (*Exerc. Plinian. in Solin. Polyh. c. 52. p. 744.*). Qui *addidit*, notandum, non dici Nicodemum illis aromatis unxisse corpus Domini, sed pollinxisse, hoc est, fasciis involvisse cum Aromatis. Pondus etiam aromatum, quæ *Nicodemus* attulisse fertur, nimis magnum est, quam ut unctioni paratum existimari queat, ὡσεὶ λίτρας ἑκατὸν. Centum libræ non paucis ungendis cadaveribus sufficiunt. Certè tres aut quatuor ad summum libras aromatum condiendo uni funeri impensas legimus *apud Aëtium*, ubi alvus exenterata odoribus farcienda erat. Ne Ægyptios quidem ad perennitatem semper adhibuisse σμύρνισιν, *Idem* (*p. 145.*) suspicabatur. Aliquando etiam uncturam hanc intermiserunt Judæi, quod è Lazari sepultura iterum conclusit *Salmasius* (*c. l. in c. 55. p. 850.*). Sumtu etiam differunt ab Ægyptiis Judæorum unctiones. Vestes sepulchrales lineas tales admittebant Judæi, quæ non sunt magni pretii, ut possit æqualitas servari inter divites & pauperes, ut è *Moyse Maimonide* constare (*tr. de Luctu c. 4.*) poterit. Quia & in plebejis & majoris dignitatis cadaveribus id observatum fuerit, nullus ambigo quamvis in Regibus & divitibus illustrioribus majorem sumtum in re peritura factam profusionem admittam. Quos *Josephus* & *Nicodemus* in sepulturam *optimi Servatoris* impenderunt sumtus magnificos, id exsuperantis amoris magis, quam luxus monumentum suspiciendum. Addebant & Ægyptii imagunculas Deorum & Dearum compositis, quod Judæi abominabantur & detestabantur. Plura in hanc rem collecta dabunt citati *Schikkardus, Ursinus, & Andr. Gryphius* (*c. l.*)

§. 147.

De Græcorum & Romanorum pollinctura quædam adhuc restant dicenda. Funerationem præcedebant lotio & unctura. De Græcis loca allegata vid. *ap. Joh. Kirchmann.* (*l. 1. de Fun. Rom. c. 7. p. 34.*). Hoc saltem ex *Homero* (*l. 18. Iliad. v. 356.*) *de Patrocli* cadavere,

postquam ferbuit aqua in nitido lebete
Et tunc quidem lavarunt, & unxerunt pingui oleo:
Vulnera autem impleverunt unguento novennali,
In lectis verò componentes linteo subtili texerunt

Ad pedes è capite, desuper autem veste alba:
Tota nocte quidem deinde pedibus celerem circa Achillem
Myrmidones Patroclum gemebant.

Dardanenses Illyricos ter tantum lavari audiit per universam vitam *Ælianus* (*l. 4. Var. Hist. c. 1.*) & post partum, & cum nuptias inirent, & post mortem: Lota & omni parte rasa sepulchris mandant Turcæ, *ut Chalcondylas* (*l. 9.*) autor est. Græci cadavera vino & ungvento inspergere solebant, cumque odoribus, effusi in lacrymas in urna condere *Alex. ab Alexandr.* (*l. 3. c. 7.*) *memorat.* Unctura ap. Romanos ne servis quidem principio denegata, ex l. XII. patet, quæ id posteà inhibuit *Joh. Rosin.* (*l. 8. Antiqv. Rom. c. 6. p. 865.*). Gallos olim illustrium virorum capita peregrinis odoribus condita monstrasse, *Strabo* (*l. 4. Georg.*) profitetur.

§. 148.

Familiares apud Romanos id aliquando præstitisse, *Apuleji* locus (*l. 8. Metamorph.*) firmat, & *Servii* (*l. 4. Æneid. v. 671. p. 424.*) testimonio, quædam *Anna Didonis Soror* Sororis vulnera lavare conabatur exclamans!

date vulnera lymphis
Abluam, & extremus si quis super halitus errat
Ore legam.

Poppeæ corpus non igni abolitum, ut Romanis mos, sed Regum externorum consvetudine differtum odoribus *memorante Tacito* (*l. 16. Annal. c. 6.*) condebatur, tumuloque Juliorum inferebatur. Aliàs, qui inungebant, Pollinctores vocabantur, quod essent pollutorium unctores, *secundum Fulgentium* (*l. de Prisc. Sermon.*). *Matth. Rader.* (*Comment. ad l. 10. Martial. Epigr. 98. p. 702.*) aut pellium unctores, *juxta Adrian. Turneb.* (*l. 28. Adversar. c. 31. p. 478.*) & *Marc. Zwer. Boxhorn.* (*in not. ad Plauti Pœnul. Prolog.*), quod non admisit *Joh. Kirchmann.* (*c. l. c. 9. p. 48.*), aut quod polirent aut pollincerent, secundum *Joh. Guther.* (*l. 1. de Jur. Man. c. 15. p. 91. & 92.*). Pollincere autem est funus curare, ut habet *Lil. Gyrald.* (*Syntagm. de Sepulchr. & Vario sepeliendi ritu c. 9. p. m. 654.*). Aliter paulò *Cl. Salmasius* (*c. l. ad c. 52. p. 745.*). Latini Grammatici polligere exponunt σπεςτολοκεῖν. Pollictores scribuntur in antiqvis Codicibus & sunt perlictores vel perligatores οἱ ἐνταφιασαί. Quâ verò arte, aut quibus medicamentis potuerint hi sine sectione corporis integrum illud & incorruptum ad dies octo in funestâ domo asservare mihi non satis compertum *scribit* (*c. l.*) *Gutherius.* Nec enim solebant veteres Romani corpora mortuorum dissecare, cum aliqvi elati, jamque rogo impositi revivixisse dicantur, Vide *infra* (*l. h.*

Tit.

Tit.4.). Thuris meminit *Plinius secundus f. Junior (l.5. Epist.16.)* crematuris additum memorat *Virgilius* (*l.6. Æneid. v.224.*). Casiam & Myrrham addit *Apulejus (Apol.1.)*. Hominem in rogum exportandum describit *(l. 4. Florid.)* jam miseri illius membra omnia aromatis persperfa, jam os ipsius ungvine odore delibutum, jam cum pollinctum, jam cœnæ paratum quibusdam signis animadvertit. Apud *Persium* (*Satyr.3. v.104.*) dicitur quidam

beatulus alto
Compositus lecto crassis lutatus amomis.

§. 149.

Ubi ita septem dies in ædibus cadaver servatum, octavo efferebatur, aut ad sepulturam, aut ad rogum. Cuique jam liberum id apud Romanos, *secundum Th. Dempsterum.* (*Paralip. ad Joh. Rosin. l.5. Antiqvit. Roman. c. 39.*) nec cadavera cremare apud Romanos Veteris (autoritate *Plinii l. 7. c. 54.* quod tamen non admittit *Hieron. Moggius l. 3. Miscell. c. 10.*) fuit instituti. Quæ sepelienda absque dubio diligentiori pollinctura (si quidem requirebatur contra cariem & putredinis saniem,) muniebantur, quod adolescentulæ cadaver in viâ Appiâ, cum ibidem (prout *Alex.ab Alexand. l.3. Dier. Genial. c.2. testatur)* degeret effossum crasso ungvento oblitum & incorruptum esse, quod quidam *Tulliolæ Ciceronis Filiolæ* fuisse augurabantur, quodque, ut ex vicinis erutis marmoribus docti colligebant, ante annos plus mille & trecentos depositum.

§. 150.

Si comburendum cadaver deportabatur in locum cremationi destinatum, certis Ceremoniis, quas hic recitare non fert institutum, in rogum delatum cremabatur. Quid verò Romanos impulerit, ut mortuos mox urendos ungerent, & odores acervatim in rogum conjicerent, ob quod & sumtuosam respersionem vocabat *(l.2. de Leg.) Cicero*, tres causas *Antonius Santorellus* (*Postprax. Med. c.39. p.128.*) in medium protulit: Prima, qvam & *Donatus* innuit, ut citius urerentur. Et ob hanc etiam causam denis virorum corporibus unum muliebre apponebant, ut (*ita decernente Macrobio l.7. Saturnal. c.7.p.514. aut potius Plutarcho l.3. Sympos. Probl.4.p.218. Vid. Hier. Mercurial. l. 3. Var. Lect. c.5. p. 147. & Neandr. Bacchanal. m. 11. f. 1. p.150.*) unius adjutu quasi naturâ flammei & ideò celeriter ardentis cætera conflagrarent. Quo desiderio acti ventos accenso rogo exoptabant. Undè *Propertius* (*l. 4. Eleg. 7. v.31.*)

Cur ventos non ipsa rogis ingrata petisti?
Cur Nardo flamma non oluere mea?

Quod

Quod & in funere *Patrocli Achillem* fecisse jam olim *Homerus* cecinit: (*l. 23. Iliad v. 193.*)

Divus Achilles

Stat procul à busto ventosque precatur amicos.

Eadem etiam de causa rogum vino aspergebant Romani, & pauperiores rogo apponere soliti picem & resinam. Altera ad fœtorem arcendum. Tertia ad inhibendam putredinem, cum post septem aut octo dies mortui cremarentur, ubi *ex Servio* (*ad l. 5. Æneid. v. 64.*) corrigendus *Santorellus*, non etenim septimo, sed octavo die in rogum depositum cadaver cremabatur, nono autem speliebatur (*p. 434.*). Spectat huc illud *Servii* (*ad l. 11. Æneid. v. 177. p. 848.*) *Heracletus*, qui vult ex Igne omnia constare, dicit debere in Ignem corpora resolvi. *Thales* verò, qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit, obruenda corpora, ut possint humore resolvi. Rogi autem pro qualitate fortunarum fiebant, ut iterum *Servius* (*ad l. 4. v. 650. p. 324.*) annotat.

§. 151.

Mutuati sunt ab Ethnicis multa Christiani, v. g. Apud Imperatores, Reges, Principes & illustris prosapiæ utriusque sexus homines aliquando mortuorum exenteratio & Balsamatio locum invenit, ut mox pluribus recensebitur. De Sanctorum corporibus *ap. Eusebium* (*l. 7. Hist. Eccles. c. 22.*) *Dionysius Sanctorum* corpora supinis manibus ac sinu exceperunt, oculos depresserunt, ora clauserunt unanimes & pariter affecti strictim complexi sunt, laverunt & ad sepulturam ornarunt. De unctura Sactorum corporum varia congessit *Jacob. Gretserus Jesuita* (*l. 1. de Fun. Christian. c. l.*), inter quæ memoriâ dignum, quod de *S. Cutberto Episcopo & Confessore* narrat (*p. 6.*), quod aqua, quæ sacrum corpus abluit, vel potius terra, quæ funebri illa lympha fuerat respersa aliis salutifera acciderit. Idem de corpore *B. Vincentij Ferrerij* Aquis loto è *Thom. 2. Surij* (*p. 5.*). Munus hoc lavandi plerumque obibant mulieres, (*Id. ibid. c. 2. p. 7.*). Duravit & illa mortuos ungendi apud Christianos Consuetudo, quam è priscis scriptoribus etiam in beatis martyribus & piis aliis probè exercitatem firmavit *Idem Gretserus* (*c. l. c. 3. p. 9. & sq.*) Nostro verò tempore eviluit ista consuetudo, sumtibus ut parcatur, luxuique habenæ injiciantur, imprimis cum aliis modis loculis terræ mortuorum corporibus infarciendis intentis loculi re pecuniaria expilentur.

§. 152.

Mumias exoticas hactenus consideravimus easque artificiales, quibus & appendicis loco unctiones & lotiones Christianorum veterum superadditi. Epi-

Epimetri loco addendum censeo Mumiam Bohemicam, de quâ sequentia *Bobuslaus Balbinus* (*Decad. 1. l. 2. Misc. Bohem. c. 8. §. 2. p. 86.*): In arce Bohemiæ Brundusio (*Brandeis*) mirabili eventu & nunquam satis explorato *Imperator Rudolphus* Mumiam humanam verissimam effodit.

§. 153.

Sed ad Mumias nostrates. Chemici Mumiæ nomine in alio significatu non raro utuntur. *Paracelsus* Mumiam aliam facit corporalem, aliam spiritualem. Corporalem vocat non ratione ipsius esse formalis, quatenus in se suâque Naturâ talis est: Nulla enim propriè Mumia est, nisi spiritualis, ut *Præceptoris* mentem explicat *Andr. Tenzelius* (*s. 1. Med. Diastat. c. 1. p. 9.*). Spiritualem autem, quæ propriè & substantialiter Mumia Spiritualis non est, sed duntaxat ejus proprietas (*ut idem ib. §. 10.*). Ita Spiritus Mechanicos corpora sed spiritualia, & spiritus rursus, sed corporeos nuncupabat *Petr. Severin.* (*Id. Medic. Philos. c. 8. p. 101.*). Mumiam igitur propriè sic dictam substantiam corporis tenuissimam, spiritualem ætheream, cuique pro sua naturâ & specie ingenitam, in morte & post mortem aliquatenus permanentem, cum affectionum, tum virtutum ejusdem intimarum & propriissimarum pl. abundantem, indeque cum sui met, tum proprietatum ejus ritè extructæ transplantationis constellatæ medio mirè prodiga & fœcunda, ad eum finem, ut vel in suo, vel in alieno subjecto natura, seu dispositio vitiosa morbidaque corrigatur integra & sana conservetur & roboretur, iterum *Tenzelius* (*c. l. p. 13. & 14.*) definivit. In eundem ferè sensum *Sebastian. Wirdig.* (*l. 2. Med. Spirit. Curios. c. 27. §. 2. p. 251.*) Mumiam vocat, & ad Transplantationem idoneum esse censet quodcunque vehiculum, quod spiritibus imprægnatum est, ut sunt sanguis extravenatus, sudores, urinæ, excreta, sputa, alvi feces, capilli, unguium segmenta, lac & aqua balnei, lotura sordium &c. Mumiam corpus, spiritum, balsamum vocat *Paracelsus* (*de Philos. tr. 4. p. 313.*) Quamcumque vitam corpus vivit, ex sola vivit Mumia pronunciat (*l. 4. de Vit. Long. c. 7. p. 854.*) *idem.* Mumiam & balsamum pro iisdem habuisse *Paracelsum*, retulit (*p. 2. Disp. Antiparac. p. 86.*) *Th. Erastus.* Unum & idem Paracelso extitisse Balsamum, Mumiam, Mercuriam, Quintam Essentiam, Arcanum, Elixir, materiam pelatam, Mannam, judicabat (*Id. Med. Philos. c. 2. p. 17.*) *Petr. Severin.* Quid aliud Mumia balsamita, conservans mortale corpus à vermibus, quam balsamum, quod pro Sale corpori datum, ne putresceret? *quærit Idem & respondet* (*c. l. p. 24.*). Qui & in eodem semina rerum collocavit, (*c. 8. p. 102.*). Virtutem Mumialem spiritum insitum & con-

(Ppp ppp) fer-

fermentatum interpretatur *J. B. Helmont.* (*tr. de Mag. Vuln. cur. n. 3. p. 595. & n. 95. p. 610.*)

§. 154.

An Mumiæ corporales apud nos parari possint, si quæras, affirmativam amplexus est *P. Andr. Matthiol.* (*comm. in l. 1. Dioscor. c. 85. p. 89.*), quam obelo notavit *Petr. Bellonius,* cui tamen (*l. 5. Epist. p. 392.*) ex parte respondit. Inter Mumias autem corporales medicata corpora ex Ægypto & aliunde translata non numerat (*l. de Philos. tr. 3. p. 311.*) *Paracelsus*, substituit his Mumias alias & quidem quadruplices: Terrestrem, Aquatilem, Aëream & Igneam; paulò post verò (*p. 312.*), tres allegat tantum, terrestremque excludit. *Der allerfürnehmste Mumia, der am höchsten zu loben ist, das ist der Mumia der Lufft, das ist der Leib der an der Lufft oder im Lufft zu einen Mumia ist worden, der Mensch der gehenckt, gespißt oder geradebrechet ist worden* (ex justitia peremtus, ut loquitur *P. Joh. Faber l. 2. Myrothec. Spagyr. c. 11. p. 515.* suspensus, vel rota contritus, vel hastatus, ut monet *Basil. Chym. p. 447. Oswald. Crollius,* in hoc enim vis mumialis adhuc. Super est *juxta J. B. Helmont. c. l. n. 3. p. 595.*) *Denn er stirbt am Lufft und in Lufft ist sein Grab und Verwesung. Und dieses sind die constellirten Mumia, darinnen das Obergestirn gewaltiglich imprimirt und influirt. Und so bald es Sonn und Mond überscheinet, ist er in seiner höchsten exaltation, und in Kräfften und Tugenden gar wunderbarlich. Und wann die Aerzt und sonst männiglich wüste, was mit diesem Mumia fürzunehmen, oder worzu er nüzet, würde kein Ubelthäter am Galgen, oder auff dem Rad liegen bleiben, sondern hinweg genommen, wo es anders müglich wäre. Also ist nun das ein Mumia des Wassers der ertruncken ist, oder ertränckt ist worden. Denn im Wasser hat er sein gesundes Leben verlohren, und ist zu Mumia worden. Also der Leib der mit Feur hingerichtet wird, oder umgebracht wird, ist Mumia des Feuers, denn er auch im Feur sein gesundes Leben verlohren und zu einer Mumia worden ist.* Mentionem etiam harum fecit *Joh. Ernest. Burggraff,* (*in Biolychn. App. de Mum. Theophrast. p. 117.*) Cum verò Mumias constellatas appellet Aureolos, cum constellatio sit siderum certus positus, quem nec indicat, nec describit Mumiater. Calorem autem, qualis in Sole, ad putredinem cadavera disponere nemini non constat. De lunæ lumine *supra* (*l. 3. Tit. 1. §. 60.*). Hoc verò non de combustis, sed adustis saltem, aut ab igne suffocandis interpretandum. De crematis nil præter ossa quædam restant calcinata, cinisque inter carbones latens à quo separabitur, neque linteum incombustibile ex Asbesto prostat, cui cadavera

vera inclusa comburebantur quidem, cinis tamen & ossa linteo inclusa servabantur.

§. 155.

Carnem autem s. Mumiam morte naturali defuncti optimo jure rejicit *Paracelsus* (*c. l. p. 311.*) & *Schelmen Mumiam* nominat: De cadavere enim sponte & fatiscente Naturâ mortuo tàm insitus, quam influens spiritus migrarunt simul, juxta *illum* (*l. 6. de Nat. Rer. p. 896.*) & *redivivum Paracelsum J. B. Helmont.* (*c. l. n. 96. p. 610.*). *Add. Nicol. Papin.* (*Diss. de Pulv. Sympath. in Theatr. Sympath. p. 2. p. 154.*). Ruffi hominis carnem eligit *Joh. Schræder* (*l. 5. Pharmacop. Cl. 1. c. 23. p. 294.*), quia in hoc sangvis tenuior, (sincerior *habet Dan. Beckherus c. l. p. 253.*), quod supra adductis (*l. 1. Tit. 3. §. 36.*) non videtur consonum, omnes namque ruffi sunt mercuriales & tendunt vel ad bonum vel ad malum, *ut observat Joh. Hartmann.* (*in Not. ad Basil. Chym. Croll. p. 449.*). Sit viginti quatuor annorum, perque diem & noctem in aëre relinquatur & luminarium radiis irradietur, ut inde titulum mumiæ constellatæ acquirat, ut (*§. præced.*) *Paracelsus & Andr. Tenzel.* (*c. l. p. 8.*) illam cognominarunt. Carnem musculosam, brachiorum, femoris & aliarum partium carnosarum (cur non & ipsius visceris cordis?) *Beckherus* (*c. l. p. 294.*) eligit, frustulatim conscindit & aspergit pulvere myrrhæ & tantillo saltem Aloës, posteà imbibit macerando aliquot dies in spiritu vini, suspendit per horas sex vel decem & iterum eodem S. V. imbibit, tandemque in aëre sicciori locoque umbroso, non verò sole illam suspensam siccat, tumque assimilatur carni fumo duratæ sine foetore. Prior igitur spiritualis erit, hæc corporea, sed non sine spiritu. Illa ad Transplantationem morborum; hæc ut medicamentum in variis morbis internè & externè exhibetur. Paratur ideò ex illa contra venena morbosque venenatos Alexipharmacum *à Paracelso* (*in libello aut potius Schedula de Mumia T. 2. op. p. 1070.*), qui & extractiones Mumiæ docuit (*l. 3. de Vit. Long. c. 10. p. 851.*), quam explicatam *Jacobus Lupius in der Schatzkammer der Natur* dedit. Theriacam inde paravit *Oswald. Crollius* (*c. l.*), quam laudat & reliqvis præfert *Joh. Hartmann.* (*c. l.*). Quintam ejus Essentiam descripsit (*c. l.*) *P. J. Faber.* Quæ desunt supplent *Dan. Beckherus* (*c. l. p. 279.*) & *Joh. Sckræder.* (*c. l. p. 295.*)

§. 156.

Ante *Paracelsum* hujusmodi Mumias exhibere Æthiopes consveverunt. Illi namque Mumiæ utilitatem vel experti sunt, vel ab aliis deprædicatam acceperunt, ne eâ destituantur, ita arte parare solent, sicut fidem facit *Fr. Alloysius de S. Raymundo* (*Hist. Æthyop. cit. Th. Bartholin. Diss. 5. de Med. Dan. Domest. p. 223.*).

p. 223.). Hominem bello mancipatum, optima valetudine præditum, ætate vigente jucundis poculis & epulis salutiferis alunt, donec opportunus ipsis videtur, ut juguletur & trucidetur. Hinc extractis visceribus partibusque putredini aptis myrrha, Aloë, Croco, aliisque aromatibus cadaver replentes suspendunt, quousqve humiditas omnis aquosior extillaverit, reliqvum pro Mumia ad varios affectus servant, vide *supra* (§. 64.) alium maximeque diversum modum. Et cum *secundum Eundem* non propter Aromata, sed propter sangvinis carnisque humanæ virtutem Mumia in pretio & honore Medicorum esse cœperit.

§. 157.

Mumiam artificialem composuit *Alaymus* (*c. 1. cit. Th. Bartholin. c. l. p. 222.*) ex sangvine humano optimo & ab omni corruptione alieno per Balneum Mariæ destillato, cui Myrrham, deinde Aloën & Crocum miscet & in Trochiscos efformat pro verâ Mumiâ ad usum servandos. Descripsit & Mumiam vitæ ex sangvine humano *Dan. Mylius* (*l. 5. Basil. Chym. p. 623.*), cujus descriptionem excerptam vide sis *apud Dan. Beckher.* (*l. 1. Med. Microcosm. c. 14. p. 158.*) Paracelsici loqvuntur omnium magnificentissimè. De Essentiis vel præparationibus Mumiæ ex carne sicca vel recente, vel sangvine disserit (*c. l. c. 23. p. 978.*) *Andr. Libavius.*

§. 158.

Magnatum cadavera etiam aliqvando apud nostros condiunt Medici & Chirurgi. Anteqvam ad ipsam Balsamationem, ut vocant, accedant, ut in promptu sint tum instrumenta & vascula & alia necessaria, cum compositiones Balsamorum, Pulverum & Specierum provident. Sunt autem cultelli Anatomici, novaculæ, vollsellæ, styli, unci, habenæ, syringa, serra, acus cum filis, forfex, siphones, scalper cum malleo ligneo aut plumbeo, capsula una aut plures ligneæ aut plumbeæ pro intestinis & visceribus, stuppæ cannabinæ, linteola, telæ, spongiæ, vasa lignea, aqva calida & frigida plena, stannea aut cuprea pro viscerum mundatione & ablutione, vasa etiam terrea, qvibus acetum, Sal aut Nitrum continetur, thuribulum unum vel alterum, Sparadrapum pro toto corpore involvendo, quod fit dum linteamen speciebus sequentibus liquatis immergitur. ℞. Cer. nov. ℔ij. Resin. Pin. Terebinth. ā ā. ℔j. Gumm. Arab. ℥vij, quæ est *Reineri Solenandri* (*l. c. p. 487.*) & hæc si non placet, illam, utpote elegantiorem, quam habet *Balth. Tim. à Güldenklee* (*c. l. p. 45.*) substituere poteris. Libram his addunt quidam, cum V. ponderibus, quibus viscera ad lancem examinare cura est, Mensa demum oblonga, & si haberi pote-

terit, versatilis in qvam debito modo cadaver condiendum reponitur & extenditur.

§. 159.

Quæ è Pharmacopoliis petuntur è supra memoratis simplicibus constant. Sunt autem partim pro toto corpore abluendo, v. g. Vinum simplex austerum aut myrrhatum, partim cavitatibus seu ventribus eluendis, qualia sunt iterum Vinum, Acetum Vini, Aqua Salsa, Vitriolata, Aluminosa, Spiritus Vini, s. Aqua Vitæ per se, aut si compositionem amas, Acetum Vini optimum, Myrrha rubra, Aloë succotrina & Camphora imprægnatum, aut etiam supra à *Dn. D. Joh. Majore* (§. *108.* & *l. 2. Tit. 2. §. 12.*) commendatum destillatum. Quos sumtuum & impensarum non pœnitet, Balsamo è Therebinth. Cypriâ, Storac. Liquid. Balsam. Peruv. de Tolu, de Cupaiva, Oleo Javin. & Spic. parato, aut Georgii Tobiæ ungventum ut vocat proprium, sive ad condituras destinatum è Therebinth. Cypr. ℥iiß. Ol. Cinamom ʒj. (aut, ut pretium minuatur ℈ß & ℅ ſt. Cort. Citr. ʒj.) Ol. Spic. ℥ß. Zibeth. ʒß. Mosch. ℈j. (*Vid. M. C. Dec. 2. A. 8. obs. 170. p. 423.*) aut Oleo Balsamino *Fumanelli* (*de Compos. Medicam. c. 6. p. 273.*) post ablutionem factam & aliquam exsiccationem interiores cavitatum parietes illinunt; Alii saltem Therebinthinam coctam in usum trahunt, sic namque tenacius pulveres inspersi iisdem adhærent, quod *Wolfg. Hœfer.* (*c. l. p. 248.*) monuit. Pro cavitatum corporis, Abdominis, Thoracis, Capitis conditura & repletione in usum *à Foresto, Solenandro, Reusnero, Pigræo, Aldrovando* (*l. 6. de Insect. c. 2. p. 270.*) *Hœfero, Timæo, à Güldenklee, Dürrio* &c. descripti revocantur pulveres. Et his quidem multi infimum, & medium ventrem solum farciunt, supremum verò, utpote eminentiorem Gummatibus aut succis nobilioribus replent & contra putredinem muniunt. Pro exteriorum partium odore svavi Linimentum *Dürrii*, si pro Oleo Nuc. Muschat. expr. Oleum Jasmini & Rosatum substituas adhibendum & ne flavedinem facies cum membris externis visum incurrentibus contrahat, & contra aëris injurias defendatur *Vernix Clauderi Nostri*, & qui cum eo ferè convenit *Stephan. Blancardi* (*Neue Art zu balsamiren* §. *10. p. 11.*) illinendus. Sunt qui Spiritu Vini Camphorato faciem irrorant, oleo autem spicæ cutim reliqvarum partium fricant.

§. 160.

Ubi in terranea exemturi sectioni accingimur ab imo ventre ordimur, vim putredinis ut eluctemur, *prout Joh. Vesling.* (*Syntagm. c. 1. p. 3.*) *loquitur*, seqvimur hac in operatione Anatomicos, qui longitudinaliter primo, latudinaliter dein, adeoque decussatim abdomen incidunt, cavendo, ne umbilicus rese-

resecetur, ligato propè ani sphincterem intestino recto, post intestina cum Peritonæo, Omento, Mesenterio & Ventriculo, Epate, Liene, Utero, Renibus, Vesicâ, Testiculis, Chirurgo ministrante exscinduntur. Remoto sterno more Anatomicis solenni Thorax aperitur, cor & pulmones cum Mediastino & Pericardio Venis & Arteriis, Diaphragmate & Oesophago ad epiglottida usque eximuntur, vasaque resecta exprimuntur & sangvine diligenter repurgantur. Cranio serra circulariter separato, Cerebrum emitur, faucesque cum Naribus per Syringam probè eluuntur, quamvis Principum capita aperiri non sit moris, si *Henric. Smetio (l. 10. Misc. p. 537.)* auscultes. Ita Ottonis III. Imperatoris Cadaver, *teste Alb. Kranzio (l. 4. Saxon. c. 26. p. 94.)* exsectis visceribus, ut imputribile maneret Roma, (ubi mortuus) reductum est in Germaniam. Tandem ad Artus pollinctoris convertitur labor, & partes musculosas, brachia, femora, suras, nates profundè secandum longitudinem incidit & dividit, omnes venas exteriores juxta monitum *Petr. Pigræi (l. 4. Chirurg. c. 18. p. 401.)* secat, totumque sangvinem qvoad fieri potest, inde extrahit.

§. 161.

Partes exemtæ à ministris purgatæ vasculo uni aut pluribus includuntur, pulveribus prædictis asperguntur & terræ committuntur. Intestina tamen *secundum Solenandri* consilium *(c. l.)* prius conscindantur. Abdominis & Thoracis cavitates primò Aquâ frigidâ lavantur, (calidam & Spiritum vini elegit *Steph. Blancardus c. l. §. 9. p. 9.*) spongiisque probè deterguntur, hinc aceto acerrimo, Aqua tandem vitæ, aut alio balsamico & therebinthinato liquore, tandem pulveribus fricantur, adimplentur, cutisque consuitur. Cor intra cadaver reponendum eodem modo præparat *Güldenklee*, aceto autem incoquit *Philipp. Hechsteterus (obs. med. Decad. 10. Cas. 9. p. 432.)*. Eodem modo etiam cranium elotum & spongiis, pulveribus, stuppisque repletur, artusque iisdem consperguntur. Postremo omnium cadaver linteo incerato calente adhuc obvolvendum & pice navali, vel resina pini & styrace liquida ad ignem fusis illinendum, juxtimque cavendum, ne brachia nudum cadaver attingant, aut digitum digitus.

§. 162.

Monet hic *Güldenklee (c. l. p. 414.)* (α) condituram à morte defuncti maturandam, nec ultra diem naturalem præsertim æstuante cœlo differendam. (β) Cadaver etiam post condituram loco frigido, nec radiis solaribus exposito asservandum. Nec (γ) cistæ ligneæ sed plumbeæ & suprà hanc stanneæ vel argenteæ id includendum. Lignum enim facilè teredinem vel cariem contra-

trahit, & in locis subterraneis & humidis protuberat, cistasque seu stanneas, seu argenteas, quâ parte ferruminatæ sunt, dissolvit, ut in sepulturâ hæreditariâ Ducum Brunsvicensium Wolfenbütelæ Anno 1644. videre ipsi contigit. (δ) Omnia circa condituram fideliter & summo studio peragenda, ne putridum quid posteà exhalet, & fœtore suo vel amicos, aut quibus custodia, aut funeris cura demandata est, offendat, id quod non sine ignominia magni cujusdam Medici factum Idem meminit, & mihi de glorioso Chirurgo idem narratum. Inde etiam prudentiores vestimenta cadaveris odoratis aspergunt pulveribus, Cervicalia pariter adimplent herbis odoratis, & aliquot earum comprimis viridium si tempus favet, fasciculos composito adjungunt Cadaveri. (ε) Æstate fiat hæc operatio in conclavi ventis pervio, & qua Boream spectat fenestris apertis. Hyeme lucente Camino accensis lignis fraxineis & quercinis aut Juniperinis minimè verò in hypocausto. Quod si loci commoditas, *addit* (*c. l.*) *Pigræus*, priusquam cadaver condiatur, unum aut duos aut tres etiam dies macerandum erit & imbuendum Muria, cui Aquæ vitæ & Aceti aliquantulum admiscebitur. Tunc enim cadaver multo melius à corruptione vindicabitur. Lixivium è Sale marino & Alumine parat *Blancard.* (*c. l.* §. *3. p. 4.*) eique immergit totum cadaver & addit: *Auf diese Weise können die Cörper aus fernen Ländern an andere Orthe, ohne einzigen Gestanck oder geringste Verderbung, geführet werden.*

§. 163.

Nobilis Ludovicus de Bils in Coppensdamme & Bonem civitatis & Territorii Ærdenburgici in Flandriâ Prætor superiori seculo non solum Anatomicis dissectionibus (*de quibus l. 2. Tit. 2. §. 10.*), sed & singulare cadaverum conditura inclaruit, quam nec quisquam hactenus, sunt verba *Joh. Henric. Pauli* (*Anat. Anatom. Bilsian. c. 2. p. 14.*) adæquare, multo minus superare nec inimici quidem ipsius potuerunt criminari. Is quinquaginta cadavera, (*scribit Laurent. Strausfius de fœt. Mussipont. p. 9.*), peculiari balsamo condita se monstraturum pollicebatur, ubi quidem æquè ac in vivis naturalis venarum, arteriarum nervorumque structura ad oculum pateat, musculorum item separatorum origo & nexus, Cor, Epar, Pulmones, viscera oculique cum Cerebro tam accuratè, ac si vita gauderent corpora conspici possint. Duratura quoque hæc cadavera balsami hujus beneficio omnis corruptionis expertia ad multa lustra una cum omnibus vasis & visceribus, quinimò etiam sangvinis circulationem, omnium valvularum differentias, quomodo insuper hæ claudantur aperianturque, qua ratione chylus ad cor perveniat, cordisque ventriculum ingrediatur: lacrymæ ad oculos deriventur; Saliva ad os profluat, vasa etiam lymphatica

tica Hepatis Parenchymati ſeſe oſtenſurum profitebatur. Integra autem abs-que eviſceratione balſamavit, ut nil minus eorum naturalis nexus remanſerit (*Vid. Act. Bilſian. p.39.*). Diſſecavit poſt diebus canicularibus in publico amphiteatro Sylvæ Ducis erecto (*Tob. Andreæ Bilanc. exact. Bilſian. & Clauder. Balſamat. p. 27.*), & in diſſectione illius ad 7. & 8. ſeptimanas continuavit (*p. 28.*). Eſtque *allegatus Tobias* ejuſdem cum Bilſio opinionis, quod etiam cadaver hominis peſte extincti; imò illud, quod per unum alterumve à morte diem ſepultum fuit & initium putredinis jam concepit, poſſit vi iſtius balſamationis in tantum conſervari, ut reliqvum, quod nondum corruptionem ſenſit, in ſuo ſtatu reſervetur (*p. 31.*). Quin ſi cadaver fœteat, principio balſamationis facto fœtor ſenſim imminuitur, usque dum penitus pereat, juxta Experimentum *Bilſii* in homine (*p. 33.*) & *T. Andreæ in porcello.* (*p. 34. & p. 66.*). Bilſium demum nullis ſtudiis doctorum tinctum artisque Chymicæ & Pharmacevticæ penitus ignarum extitiſſe non diffitetur (*p. 96.*). Plura Idem *ad Th. Bartholin.* (*Vol. 3. Act. Hafn. obſervat. c. 5. p. 9.*)

§. 164.

In ædibus Bilſii proſtant quinque ejusmodi Mumiæ pretio 40000. florenorum, nec ſine thalero Imperiali (*Vid. Claud. c. l. c. p.*), ullus ad videndas has merces admittitur, meminit *Th. Bartholin.* (*Reſponſ. ad Zaſſ. p. 530. & orat. 47. p. 331.*). Duo cadavera pollincta vendidiſſe fertur *Chriſtiano*, Duci Megapolitano 16000. fl. *O. Borrichius* (*ad Th. Barth. Cent. 3. Epiſt. 93. p. 402.*) *ſcripſit.* Ab Ordinibus Brabantiæ pro quinque cadaveribus ſceletisque octodecim millia florenorum accepit, *teſtimonio Balthaſ. von den Cruice* (*apud Piens. tr. de Febr. in gen. c. 3. p. 180.*), ſumtuoſam eſſe ejusmodi condituram Ipſe propalavit, & 40. cadavera non minori ſumtu quam 12000. florenorum confici poſſe dictitavit. *Vid. Th. Barthol.* (*Orat. 47. p. 325.*)

§. 165.

Quomodo verò, quibusve mediis & medicamentis corpora ſervet, nulli niſi vicies mille librarum Flandricarum Ipſi ſolvantur revelare hactenus voluit, *narrat Anton. Deuſing.* (*in Append. ad Exercit. de Nutrim. in corp. elaborat. p. 280. & vindic. fœt. Muſſipont. extra uter. genit. ſ. 6. p. 115.*). Si benè obſervavi, *meminit* (*ap. Th. Barthol. Cent. 3. Epiſt. 89. p. 385.*) *iterum O. Borrichius* in capaci aheno corpus jam artificiosè ſectum decoquit & quicquid aqueum, quicquid oleoſum eſt, nimis deſpumando & evaporando aufert, reliqua Piſſaſphalto aliisque putredini adverſis incoquit. Hæc videbar mihi, *pergit*, partim ex ipſius ore, partim ex propiori inſpectione cadaverum colligere. Nihil illi cum *Glaubero* com-

commune fuit, nihil in his ſalinum (contrarium habet *Clauderus (c.l. c.5. p.137.)* omnia moleſto Balſami odore plena. Præparatio Bilſiana (*judicat ipſe Th. Barthol. c. l. Epiſt. 95. p. 411.)* ingenioſa eſt, neque verò tota elixatione abſolvitur, neque olea & balſama alio ferè inſtituto inunguntur, niſi ut tegant artificium.

§. 166.

Mirum namque in modum illudere voluit curioſis operis indagatoribus, & Zelotypia arcanorum ſuorum, non tam correptus, ſed corruptus fuit, ut *Tob. Andreæ* (*c. l. p. 84.*) utar verbis. Et ne quidem ancillam, multò minus famulum ſuum admittebat, ut ſi lignum aut ceſpites ad ſtruendum à nobis in conclavi ſecretæ balſamationi aptato focum afferrent, illud transverſo oculo introſpicerent. Imò cum mihi ſoli oſtenderet, in alia camera modum, quo animal poteſt præparari, & poſtea ad vaſa capillaria & minutiſsima quævis alia (alias inviſibilia) benè perſpicienda, & absq; fuſione ſangvinis ſeparanda, detur acceſſus, non ſolum extra urbem famulum ablegavit, quo tanto minus ipſi eſſet occaſio quid de hoc negotio explorandi, ſed etiam nec ipſum filium ſuum adeſſe voluit. Vendidit autem viginti duobus florenorum millibus *(pergit Andreæ p. 88.)* & artem ſuam & quinque illa cadavera artificioſè condita Regi Hiſpaniarum & Brabantiæ Ordinibus. Adeoque nec vigeſies mille imperiales, uti *D. Clauder.* (*Method. Balſam. corp. c. 5. ſ. 3. p. 129.*) aſſeruit, Hiſpaniæ Monarchiæ mandato per *Brabantiæ Gubernatorem Marchionem de Caracena*, pro communicandis arcanis ſuis, arcanis ſuis nec bis mille imperiales ipſi pro annuo ſtipendio promiſſi, multò minus ſoluti, ſed tantum 2000. floreni.

§. 167.

Imitari auſus eſt *Bilſium Joh. van Horne* & de triumpho magnas cœpit cogitationes, (*ut prodidit ap. Bartholin. c. l. Epiſt. 22. p. 82.*), qui & Brachium humanum ad imitationem Bilſii præparavit (*Epiſt. 81. p. 347.*), ita conditum ſine balſamorum ulla mixtura, ut omnia vaſa apertiſſime oſtendantur non aliter, ac in recenti cadavere color nativus partium, ſed pallidior aliquanto, (id quod tamen facilè ſe emendaturum profitetur,) imò & mobilitas articulorum conſervetur. Sane ſi ita reliqvum corporis abſolveret, tradit *Ol. Borrich.* (*l. c. Epiſt. 91. p. 393.*), jam licebit *Bilſio* cœnas comedere & florenis 50000. fruſtrato (tanti enim mumias ſuas ſimul æſtimat,) parcius ſua laudare, cum infra Hornianum artificium videantur æſtimanda.

§. 168.

Poſt *Hornium Nicolaus Steno, inter nobiliores non ignobilis Proſector*, in eodem

dem opere indefeſſo ſtudio occupatus muriam in ſubſidium vocavit, verba *Th. Bartholini (Vol. 5. Act. Hafn. abſ. 5. p. 9.)* ſunt ſequentia: Cum *magnus Profeſſor. Nicol. Stenonius* ſtudioſorum commodis invigilaturus corpora humana & brutorum diutisſime muriâ condita conſervaret, & curioſis Artis datâ occaſione demonſtraret Hafniæ ſine ulla putredinis labe, continere me non potui, quin Stenonianam Artem & induſtriam Bilſianæ præferrem. Id cum ſignificaret *D. Tobiæ Andreæ, Medico Bremenſi*, contrarium ille aſſeruit in Reſponſoriis, qua *ap. Bartholinum. (c. l.)* & *Tobiam Andreæ (c. l. p. 45.)*, qui ipſe non ſolum Bilſiani ingenii, ſed & ingenuus veritatis fautor mihi videtur, imprimis ſi flexibilitatem partium, muſculorum & membranarum omnium attendas, cum muriatica rigida evadant & dura (*vid. §. 177.*), & tandem etiam in tabum diffluant.

§. 169.

De Balſamatione *Nobiliſſimi Gabr. Clauderi noſtri* jam *ſupra* (§. 84.) quædam in medium adduxi. Non omnia vana, quæ *Vir celeberrimus* docto orbi promiſit. Optaſſem eidem diuturniorem & quietiorem vitam, ſed praxis florentiſſima magnos interrumpebat auſus, tandemque ipſa mors beata. An illa cum Bilſianâ componenda ſit, docuit ſæpius *allegatus D. Tob. Andreæ (in Bilance exactâ, Bilſianæ & Clauderianæ balſamationis per modum Epiſtolæ patrueli ſuo D. Samueli Andreæ, Theologo communicata & Amſtelodami 1682. impreſſa)*, cujus mentem in Epitomen redactam exhibent *Acta Eruditorum Lipſienſia (Anno 1682. p. 270.)*

§. 170.

Breviorem minusque ſumtuoſum Balſamandi rationem & Methodum erudito orbi expoſuit ſcripto, (*Neue und beſondere Manier alle verſtorbene Cörper mit wenig Unkoſten dergeſtalt zu balſamiren, daß ſolche in etlichen hundert Jahren nicht verweſen, noch Farbe und Geſtalt verliehren können*), *Medicus Amſtelodamenſis, Stephanus Blancard.* Fecit autem condituram ſuam duplicem, humidam & ſiccam. Primam liquoris beneficio ſiſtit, v. g. Lixivio ſ. Muria è ſale marino & Alumine (*§. 3. p. 4.*), Oleo Terebinthinæ (*§. 4.*), Et Spiritu vini (*§. 5. p. 5.*) cum quintâ parte Spiritus ſalis ammoniaci, cum calce parati remixto (*p. 6.*). Idem de Spiritu matricali expectandum cenſuit (§. *6. p. 7.*), ut verò à ſordibus primæ & ſecundæ culinæ repurgetur Cadaver, primò Aquam, calidam Syringa per os injicit, usque dum per infimum guttur elabatur, & ſic quicquid eſt recrementorum eluatur, quo facto ſpiritu vini ventriculum & inteſtina explet, ne quid de aquâ remaneat. Hic verò Æthyopem dealbare *Blancar-*

cardum, cum ſpirituum pauperie laborent, hæ cavitates actionesque fibrarum & membranarum Stomachi & Inteſtinorum penitus ceſſent, facile concludes. *Vide ſupra* (*§.140.*). Vaſa præterea aperienda & ſiphone aqua calidâ omnem cruorem educendum ſvadet.

§. 171.

Via ſiccâ Balſamationem inſtituit, dum primò corpus aqua calida, dein ſpiritu vini lavat & purgat, poſt corpus faciem præprimis pigmento cum Therebinthinæ ſpiritu dealbat, ut colorem nativum mentiantur (§.*9.p.9.*), venasque & arterias cera rubra infarciendo colorem naturalem conſervare aut revocare tentat, corpus arcæ ferali includit & Mumia, (quam non exprimit,) quaſi ſepulchro condit, ne Atmoſphæra varietate ſua illud invadat lædatque (*§. 10. p.11.*). Et hæc de integro corpore, felicius tamen exenteratis viſceribus cadaverum integritatem promovere fatetur, (§.*11.p.12.*). Exemta verò viſcera condit exſiccando & variis balſamationibus putredinem corripiendo, quæ quia prolixiora ſunt, quam ut hic inſeri poſſint, ad ipſum Autorem Benevolum Lectorem amando. Iſta vero dum perlegit, multa in illis reperiri, quæ animadverſionem promerentur, attendat.

§. 172.

Quid veteres moverit, ut corpora condirent, non una à variis allegatur cauſa. Umbras circumvolitare corpora, donec conſumerentur, Ethnicis erat perſvaſum. Stoici, (*inquit Servius in l.3. Æneid. v. 67. p.319.*), tamdiu dicunt durare animas, quamdiu durat corpus. *Add. Caſpar. Barth. (T. 1. in Stat. p. 107. & T.3. p.2423.)*, omnium optimè nos Ægyptiorum inſtitutum edocere poterit *Herodotus* (*l.3. ſ. Thalia p.73.*): Ægyptii, quia perſvaſum habent, ignem animatam belluam eſſe, & omnia quæ naſcuntur devorare & poſtquam devorando fuerit expleta, unà cum ipſa re devorata emori, ideoque non eſt apud eos conſvetudo mortuum belluis tradendi, ſed ſaliendi, tum ob id, tum ne humatus devoretur à vermibus. Ægyptios reſurrectionem non ignoraſſe, ideoque corpora ne perirent hoc ipſo munere conſervare inſtituiſſe ſunt, qui aſtruunt. Ægyptii periti ſapientiæ, *pergit Servius* (*c. l.*), condita diutius reſervant cadavera, ſcilicet ut anima multò tempore perduret, & corpori ſit obnoxia, nec cito ad alia tranſeat. Romani contra faciebant, comburentes cadavera, ut ſtatim anima in generalitatem, id eſt in ſuam rediret naturam. Alii animas in corpore adhuc hærentes à putredine contaminari ſtatuebant, ut *Georg. Phil. Harsdörffer.* (*ſpec. hiſtor. hiſt. 4.* §.*17.p. 27.*) tradidit. Quaſi ad convivia proficiſceretur mortuus, ungebatur & coronabatur, quod è *Stobæo* docet (*l. 7.*

Sacrar. lect. c. 1.) Conrad. Rittershusius. Græci & Romani ut fœtorem, usque dum cremarentur, (*Vide supra* §. *148.*), removerent, & ne in rogum conjecta cadavera ustrinæ fœtore aërem conspurcarent, in ista ustrinâ adhuc immodici luxus cultores non parcâ manu ditiores odorata & Aromata flammis injecerunt.

§. 173.

Nos nostra condimus, (1.) ut elegantissima & perfectissima machina putredinis tyrannidem & inde emergentem deformitatem evadat & diutius conservetur. (2.) Fœtor inde surgens frangatur & exilio mulctetur. (3.) Æternitati sic præluditur, spesque resurrectionis apud superstites fovetur & stabilitur.

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur: Hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaque myrrha sabæo
Corpus medicamine servat.

Prudent. (*Hymn. Cathemerin. 10.*). Add. *Augustin.* (*l. 10. de Civit. Dei c. 12.*) & *Joh. Lohrin.* (*in Act. Apost. c. 9. p. 3.*). (4.) Accedit vivorum in defunctos veneratio, quorum ut memoria, ita exuviæ perpetuitati sacrantur. Æthiopum pietas laudatur, quod olim demortuos suos gypso obductos, picturaque exornatos ad accuratam illorum effigiem vitro indiderint, & solemni pompâ per urbem conspiciendos circumtuleirnt. Quia, *referente Alex. ab Alexandro* (*l. 5. Genial. Dier. c. 2. f. 297. a.*), Ægyptiorum usus erat, ut in solenni epulo propinqvorum & affinium, qui decessere, aromatibus referta corpora iisdem lineamentis & specie recentissima, ac si vivi essent, introducant, hisque præsentibus & qvasi convivis adhibitis epulentur, ad Magnates ea cadaverum cultura, ad nos exoticorum amasios transiit.

§. 174.

(5.) Aliquando & in Politicis commodum non spernendum hoc perennitatis præstitit subsidium. Ad civiles motus averruncandos defunctorum Regum conditura aliquando profuisse legitur, ut vivere adhuc & negotiis præesse persvasum fuerit & vulgo, & militi. Exemplum egregium *de Frothone III. Rege Danorum* memorat (*l. 5. Hist. Dan. p. 96.*) *Saxo Grammaticus.* (6.) Vel in

in pœnam vel in ſolatium nonnunquam diutius à putredine incorrupta corpora demortua vindicantur, recitat *Th. Bartholin. (de Experim. Bilſian. Reſp. p.534.)* Eruit è *Plutarcho immortalis memoriæ Iſ. Caſaubonus* cruci affixorum corpora aliqvando ad majorem infamiam ungventis farta, ſeu ungventata: nimirum, ut diutius manerent integra & facies agnoſci quiret. *Conſul. Joh. Mich. Dillher. (T.1. Diſp. Acad. Philol. p.406.)*; Ita *Joh. Bocold. Rex Iſraëlis*, ut ſe vocabat ejusque effigiem habet *Joh. Meurſius (l.1. Athen. Batav. c. 25. p. 71.)*, cum ſociis extinctus caveis ferreis (non quidem ungventati) illigabantur ſinguli & ad ſummam turrim urbis exponebantur penſiles, Rex quidem medius, & quanta eſt hominis ſtatura ſublimius, quod in commentarios retulit *Joh. Schleidan. (l.10. Comment. f. 111. a.)*. De impiorum corporibus & membris tempori & fato reluctantibus *ſupra* (§.23.). De poſteriore ſeqventia *Tertullian. (l.1. de Idolol. c.11.)*: Etiam (aromata) hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque inſuper ad ſolatia ſepulturæ uſui ſunt. De Mumiarum uſu in Medicina, quod addit (*c.l.p.540.) Th. Bartholin.* mox pluribus, idque ex accidenti eſt, non ex intentione pollinctorum primariâ, ſed Medicorum quorundam curioſitate & Mercatorum lucri cupiditate deductum. Ita etiam per accidens morborum ſedes partes affectas & cauſas eviſceratio illa conſpiciendas ſuggeſſit. Plura *Gabr. Clauder. (c. l. c.1. p.12.)*

§. 175.

Mumias ſuas etiam demonſtrationibus anatomicis deſtinavit *Lud. Bilſius. Bilſii* ſcopus fuit, ſcribit *Tob. Andreæ (c.l.p.51.)*, ut balſamata ſua cadavera prius ad minutiſſima quæque ab Eo diſſecentur & tunc demum in Mumias mutentur, quo & poſteris locus picturæ, & libri eſſent, ex quo diſpoſitionem fabricæ corporis noſtri multò accuratius diſcere poſſint, quam ex multis anatomicis libris & ſignis. Paulo antequam hæc ſcriberet, monuit, (*p.43.*): Talem exſiccationem cadaverum ſua balſamatione non intendebat *Bilſius*, nec ob cadavera Magnatum condienda illam invenit, ſed ut totum cadaver flexile & ad minutiſſima quoque diſſecanda aptum permaneret. Tentavit id ante Eum *Guilh. Fabric. Hildanus*, non infelici ſucceſſu. Habemus, *ſcribit ad Th. Bartholin. (Cent.4. Epiſt. med. 11. p.37.) Mart. Boydanus in Bongarſii* Bibliotheca, Mumiam *Fabricii Hildani*, quæ venas, Arterias cum valvulis, & nervos totius corporis non in tabula monſtrat, ſed libere cum Cerebro, corde, Hepate &c. modum neſcio, eum tamen inqviro & ſi inveniam in ſcrinio ejus, probabo ipſum. Præclarum inventum & inſtitutum vocat quidem *Th. Bartholin. (de Exper. Bilſian. Reſp. p.541.)*, pretioſam tamen nimis reputat juxtim hanc demon-

 ſtratio-

ſtrationem, ut omni Proſectorum ſtipendia ſuperet. Nec tutam eſſe hanc in demonſtratione valvularum, cum exſiccatæ diſpareant, & liquores immiſſos ubivis ſine impedimento admittant, inde nec in demonſtrationibus Meſoraicarum eidem fidem adhibet (*de Hep. defuncto p.573.*). Nec in exſiccato cadavere partium nativus color nec connexio, nec figura accurate conſervari & monſtrari tyroni Artis poſſunt (*Spicil. Lymph. 2. c. 7. p. 505.*)

§. 176.

Interim quomodo viſcera exemta Condiri, ut in iis vaſa, venæ & arteriæ demonſtrari queant, occupatur *Steph. Blancard.* (*c. l. §. 15. p. 16. ſq.*). Venas ut ab arteriis diſtingvat, his ceram rubram liquatam, illis nigram Syringâ injicit, (*§. 18. p. 18.*). Idem in pulmonis præparatione ſvaſit & præterea arteriæ bronchiali viridem ceram, Tracheæ albam ingerit, (*§. 22. p. 22.*). De muſculorum ſecundum Artem præparatione & conſervatione, ut demonſtrationibus inſerviant non ſpernenda (*§. 13. p. 13.*) in medium protulit. De *Fred. Ruyſch.* artificio *Gabr. Clauder.* (*c. l. p. 139.*). Præparatur etiam & aſſervatur in varios uſus Corium humanum, cujus præparationem concinnam promulgavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Hiſt. Anat. 87. p. 178.*). Pherecydem Philoſophum à Lacedemoniis necatum pellemq; Ejus à Regibus oraculi monitu aſſervatam *Plutarchus* (*in Pelopid. p. 529.*) retulit. De Oſſibus *ſupra* (*l. 1. Tit. 10. paſſim*) dictum, putredinem in hæc nil valere. Ad Sceletopœjam quæ exhibentur, varie præparantur & dealbantur, qua in operatione Simonis Pauli artificium celebrat *ſæpius celebratus Thom. Bartholin.* Paulinianam ad illum ſcriptam Epiſtolam divulgat, (*Act. Hafn. Med. Vol. 2. obſ. 18. p. 43.*). Ingenioſè & accuratè id etiam propoſuit *Mich. Lyſerus* (*l. 5. Cultr. Anatom. c. 1. & 2.*) Eſt autem Corium humanum inter coria fere & craſſum maximè, & ſplendore candidum, notavit (*l. 4. ſ. Melpom.*) *Herodotus.*

§. 177.

Durant ad tempus prædictæ Mumiæ. Corpus ſervatum & ad durationem curatum, quemadmodum in Ægypto faciunt, incredibile quoddam tempus fermè integrum manet, *Socrates ap. Platonem* (*in Phædone f. m. 204. a.*) diſcurrit; una tamen Mumia altera quo præſtantior, eò durabilior. Poſt duo millia annorum & ſupra anno 1490. Valentiæ urbe Hiſpaniæ cadaver *Adonizam Servi Salomonis* repertum fuiſſe, ſignificavit (*p. 8. m. m. c. 26.*) *Henric. Kornmann.* cum inſcriptione, de cujus veritate tamen non ſine causâ dubitat *J. M. Dillherr.* (*c. l. p. 56. ſq. & p. 462.*). Salita cadavera indurari, *Amaſis* cadaver *ap. Herodotum* (*l. 3. ſ. Thalia*) evincit, de quo iſta: ſimulatque in

ædes

ædes *Amasis* ingressus est *Cambyses*, imperavit cadaver *Amasis* è conditorio afferri: Deinde prolatum verberibus cædi ac vellicari & stimulis pungi, omni denique contumelia infestari. Quod facientes postquam defatigati erant, nam cadaver (utpote salitum) resistebat, nec quicquam omninò elidebatur, jussit cremari. Salita hujusmodi corpora tametsi certo tempore corruptioni resistant, tandem tamen diffluere, historia *ab Athanas. Kirchero* (*T.3. Oedip. Ægyptiac. Syntagm. 13. c. 2. f. 398. & l. 10. M. S. s. 4. c. 11. p. 244.*), è Cæsaris Baronii Annalibus excerpta, & *supra* (*§. 83.*) allegata, probare videtur. De *Cleopatræ* cadavere quod per centum & viginti quinque Olympiadas illæsum duravit, ex *Epistola Heraclii Imperatoris ad Sophoclem Philosophum, vid. cit. Kornmann.* (*p. 3. m. m. c. 21.*)

§. 178.

Si *illustrem Principem Radzivilium* (*Hierosolymit. Peregrinat. Epist. 3.*) & *Andr. Lacurram* (*in l. 1. Dioscor. c. 88.*) evolvas, eadem Memphiticis conditutis contigit perennitas. De *Ottone primo Imperatore*, cujus sepulchrum hodie extat Magdeburgi in crypta *Albert. Kranz.* (*l. 4. Saxon. c. 17. p. 89.*), ajunt, qui ætate nostra viderant, corpus ejus post annos supra quingentos ita balsamo stare firmatum, ut velut in sella sedeat illæsum. Ultra centum annos nobilis Venetus aromati satus integer adhuc visus, teste *Gabriele d' Æmiliane* (*p. 1. Itinerar. Epist. 4. p. 394.*)

§. 179.

Nostro more condita decem, aut duodecim annos vix superesse credidit *Rein. Solenander.* (*c. l.*). Bilsianas Mumias non ita perennaturas, divinabat *P. Barbette* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 3. Epist. 47. p. 195.*). Nunc namque valdè madent, nunc justò sicciores pulverescunt, quamdiu itaque sint duraturæ? E *Theveto* &, qui Eundem citat, *Ambros. Paræo* (*l. 11. Chirurg. c. 7. p. 270.*), hæc *Andr. Libavius* (*p. 3. Singular. l. 7. de Bitum. c. 16. p. 924.*), vera Mumia detrahitur ex monumentis & lapideis urnis, seu capsis defunctorum in Ægypto, quarum rimæ tantâ Arte nobilibus ad æternitatem aromatibus condita, ut quæ ipsis statim mortuis obvolutæ essent linteæ stolæ eæ integræ adhuc hodie visantur. Ipsa autem corpora adeò florida, ut vix tridui cadavera esse judicentur. Et tamen in illis cavernis & specubus subterraneis, è quibus illæ reconditæ eruuntur urnæ, nonnulla occurrere, ait, duorum millium annorum cadavera, quæ Venetias ex Ægypto & Syria deportari creduntur. *Martin. Crusius*, (*l. 8. p. 3. Annal. Svevic. c. 20.*), *pergit Libavius, annotat*, anno Salvatoris 1485. quinto lapide extra urbem Romam, ubi porta Appia, muliebre cadaver esse repertum in sepulchro mar-

marmoreo pulcherrimo plane integrum, idque virtute Balſami, Myrrhæ, Cedriniolei & aliorum liquorum, quibus munitum fuerat corpus duorum digitorum ſpiſſitudine. Fuiſſe eam fœminam eximiæ pulchritudinis, ſpeciem habentem ridentis; crines in nodum tortos, nexu collectos in occiput, aureâ infula caput tectum, aureo funiculo cinctum, aureum annulum in ſiniſtro digito annulari, oculos apertos, lineamenta corporis apparentia omnia corporis partes preſſas ſurrexiſſe. Creditum ex Epitaphio, fuiſſe *Juliam Priſcam Secundam, Q. Clodii F.* Forſan hæc relatio eadem cum illa, de *Tulliola Ciceronis Filia*, de qua *ſupra (l.1. Tit.1. §.5.)*, quod etiam recenti ſpecie, ſed inſcriptione nulla oculis uſurpaſſe *Alex. ab. Alexandr.* (*l. 3. Genial. dier. c. 2. f. 216. b.*) *aſſeverat*, corpus tamen hujus aëri expoſitum in cineres deſediſſe, *Zerbus* (*ſupra §.58.*) dixit. Quæ verò de Mumiis *Thevetus*, ea in nullo peregrinante aut ſcriptore me legiſſe ingenuè fateor. Repetit hæc ipſe *Th. Bartholin.* (*Orat.47. p.343.*). Cum igitur fidem plenariè non ſolverit *Bilſius* Balſamationis, hoc myſterium urnæ ferali inferre videtur, ut in mortales diſſolvatur cineres, ut judicat *Phil. Jac. Sachſius* (*Ocean. macro-microcoſm. §.7. p.8.*). Et *Bilſii* tentamenta, utcunque egregia, jam diu computruiſſe, *Ol. Borrichij* (*p.2. Hermet. Ægypt. c.8. §.11. p.210.*) aſſertio eſt; quod vero maduerint, modo in pulverem viſæ fuerint fatiſcere Lovanienſibus Profeſſoribus, id imputandum cenſuit *Tob. Andreæ* (*c. l. p.76.*), qui cadavera iſta, quæ ab illo, vi contractus cum Rege Hiſpanorum inito, acceperant, ſtudio in Bibliothecâ publicâ expoſuerant ſupra menſam denudata ad feneſtras non ritè contra aëris humidi ipſiusque nivis & pluviæ ingreſſum munitas. Hoc pacto enim aër humidus conclave illud perflans ipſaque pluvialis aqua intrans, prout libros non paucos computreſcere fecit, ita etiam cadaveribus iſtis labem quandam aſperſit: Cum tamen *Bilſius* illis ſatis inculcaſſet, debere ſicca conſervari. Fecerant autem hoc ſtudio, ut juſtam *Bilſium* calumniandi materiam habere viderentur, ſi, (quemadmodum eſt factum,) inde corruptionem aliquam ſuſciperent. Anteferunt *Fred. Ruyſchij, Profectoris Amſtelodamenſis famigeratiſſimi* Mumias Bilſianis *Eruditi Lipſienſes* (*Act. Erud. Ann.96. M. Jun. p. 270.*) dum pronunciant: Si *Bilſii* corpora condiendi ratio vel ex eo tantum celebritatem obtinuit, quod ſpecimen ejus ipſis diebus canicularibus fuerit exhibitum; artificium certè, quod *nobiliſſimus Fred. Ruyſchius* ultra biennium cadavera humana conſervavit, conſervataque anno ſuperiori cum publicè Sirio æſtuante, tum privatim, demonſtravit, tanto majoris habebitur, quanto præclariora, quæ ibidem recenſentur, ſimul ejus beneficio in lucem protracta, fuerunt. De duratione ſuarum Mumi-

miarum memoriæ prodidit quædam *Clauderus noster* (*M. C. D. 2. A. 8. obs. 215.*), quid his post mortem *Viri curiosissimi* acciderit, hactenus non rescivi. Cum *Blancardi* lixivium cum Bilsianâ conditurâ convenire, *è Thoma Bartholini* recensione modò allegata concludere liceat, Idem forsan fatum Blancardianas mansit, quod Bilsianis. De Hornianis nihil amplius Medicorum chorus fuit commentatus.

§. 180.

Quamvis mortuis potius, quam vivis, ad mentem *Clementis Alexandrini* (*l. 2. Pædagog. c. 8. p. m. 130.*), ungventa conveniant, corpusque ungventatum de ipsa putredine triumphum agere videatur, Heroës tamen quidam à ferali & Naturæ ipsi divinoque oraculo (*Genes. 3. v. 19.*) minime conformi pompâ & luxu generoso abhorruerunt animo. De *Gloriosissimo Imperatore Carolo V.* quæ *supra* (§. *17.*) ex Aliis allegavi, huc referenda. Eandem condituram cadaveris sui abhorruit, pomposumque luxum hunc calcavit *Christianus IV. Augustus Danorum Rex*, quod recensuit iterum *Thom. Barthol.* (*Resp. de Experim. Bilsian. p. 524.*). Eadem mens *Cyro Persarum Monarchæ*, qui ita *apud Xenophontem* (*l. 8. Cyropæd. p. m. 297.*) ad Filios: Meum corpus, ô carissimi Filii, neque in auro condite, neque in argento, neque in aliâ re prorsus ullâ, sed illud terræ reddite quam primum. Quid enim hac re beatius, quam terræ misceri, quæ pulchra & bona omnia gignit atque nutrit?

Nunqvam æmulatus sum cadaver sumptuosum,
Nam spatii non amplius occupat quam pauper.

Menandri vox est, *ap. Joh. Stobæum* (*Sermon. 122. p. 613.*)

§. 181.

Pulchrè etiam de hoc ritu Ægyptiorum à Christianis spreto, *Andr. Gryphius* (*c. l. p. 80.*): Gliscebat spes invicta reducis propediem vitæ vel in tenuissimum cinerem immutatos, superesse tamen, & ruptâ tumuli custodiâ, jam restitutos integritati ituros obviam haud segniter credebant. Inde eviluit illud decus morti quæsitum per lanienam ac eviscerationes, quas exigit pollinctor, habitumque immane & insigni de honestamento pietatis famam affectantibus Papæ alicujus aut victimarii instar sævire in cadaver. E Christiana submissione vetuit idcircò *S. Ephrem.* (*in suo Testamento*, quod narrat *Jacob. Gretser. l. 1. de Fun. Christian. c. 3. p. 12.*) corpus suum aromatis condiri.

§. 182.

Mumiarum vires in Medicina à multis magni æstimantur. Ad vulsa, contusa, intus rupta, percussu vexata & lapsu quoque ex alto, ad rejectiones

 san-

ſangvinis commendat *Alex. Benedict.* (*l. 15. de Curand. Morb. c. 4. p. 560.*). Alii in Epilepſia extollunt, in aliis morbis Alii. *Vid. Rhaſes* (*l. 3. ad Almanſ. c. 4. p. 84.*) *Petr. Andreas Matthiol.* (*comm. in Dioſcorid. l. 1. c. 85. p. 89.*) *Dan. Beckher.* (*c. l. p. 278.*). Apud Gallos tantæ exiſtimationis fuit Mumia, ut nunquam ea optimates carere voluerint, Referunt *Galliæ Regem Franciſcum I.* in baltheo ſemper geſtaſſe hunc averruncum, nullum caſum pertimeſcentem, ſi vel minimum ejus apud ſe haberet *Petr. Bellonius* (*c. l. p. 277.*) *Joh. Jonſton.* (*Thaumatogr. Nat. Cl. 4. c. 8. p. 135.*)

§. 183.

Spernunt contrà & rejiciunt id medicamenti genus varii. Monet Medicos *Leonh. Fuchſius* (*l. 1. Paradox. Med. c. 40. p. 75.*), ab illo ut abſtineant, ne vulgus officinas noſtras, in quibus ſanies cadaverum pro medicamento venditur, tanquam ipſiſſimas carnificinas ac vulturum potius, quam hominum tabernas abhorreat, fugiat & miſeris modis execretur. Quis enim, *pergit*, niſi ex Anthropophagorum ſit albo, remedium id non faſtidiat? Mirum eſt, corpora ſepulchris privata in corporibus noſtris invenire ſepulturam, prodigioſo invento *Alex. Benedict.* (*c. l.*) exclamat. Aſſurgit his *Benedict. Cerutus* (*in Franc. Calceolar. Muſ. ſ. 2. p. 179.*) & (*cit. loc.*) *Ambroſ. Pareus.* Nihil magis eſſe abominandum voluntariâ Anthropophagiâ, oſtendit (*l. 3. de Nat. & Mor. Anthropophag. c. 10. p. 129. c. 12. p. 137.*) *Petr. Petitus*, ubi concluſit: Tam abominanda eſt omnibus non efferati animi Anthropophagia; ut multis vel ejus umbrâ horrorem incutiat, qvi & ortum luis Venereæ ab Anthropophagiâ (*c. 16. p. 148.*) deduxit. Mumiarum autem in Medicina uſum inter Medicorum inventa Anthropophagiæ affinia, ante (*c. 5. p. 112.*) recenſuerat, quæque in contrarium adduci poſſunt examinavit, (*c. 17. p. 149.*) quique idcirco evolvi meretur. De *Plotino Pythagoreo* meminit, (*in Vit. Ejus*) *Porphyrius*, illum ita Apochen obſervaſſe, ut ne Theriacâ (propter carnem viperinam) aut Trochiſcis ex illâ paratis, quidem uſus fuerit, quantò minus funere condito, quod Mumiam appellamus. Ipſe hanc, ut relictis aliis medicamentis probatis in Praxi quadraginta annorum exhibere auſus fuerim, aut ab Aliis Medicis præſcriptam viderim non recordor, niſi forſan in compoſitis v. g. Pulvere contra caſum, Athanaſia magnâ, cujus tamen uſus rarus eſt, Eſſentia Traumaticâ, cui quidem nauſeabundum conciliat ſaporem &c. Aliquid humani paſſus eſt *Caſp. Hoffmann.* (*ſ. 1. Paralipom. Offic. c. 7. p. 514.*) dum ſcriptitat: A Saxonibus audivi, nullum apud ipſos convivium tranſigi poſſe, ſine Mumei, uti appellant. Sed hic *vir, alias ſagaciſſimus illuſtrisque judicii Philoſophus & Medicus*, Mumey Brunſvicenſium (Cereviſiam, *Braunſchweigiſche Mumme*) cum

cum Mumia officinarum, nescio quo errore confundit, quod etiam *Paul. Ammannus Noster (Manuduct. ad Mat. Med. s. 4. c. 1. n. 5. p. 157.)* animadvertit & notavit. Quo habitu fuerit corpus conditum in vivis dum fuit, qua morte, naturali an violenta sublatum, quibus morbis defunctum, quâ demum conditione, secundum quam variat conditura, cui maxima pars virtutum debetur, scire intererit; sed hoc penitus ignoramus. Vi interemta cadavera tantum utiliter adhiberi, *supra (§. 155.)* dicta firmant.

§. 184.

Decumanum igitur errorem erravit *Petr. Andr. Matthiol. (Comm. in Dioscor. l. 1. c. 85. p. 89.)* & *Joh. Guintherius, Andernacus, (Comment. 11. de Med. Vet. & Nov. p. 189.)*, quando nobiliorum Mumiarum defectum supplere satagit cadaveribus in nosodochiis, Aloë, Myrtha, Croco, & Oleo muscatæ, stillatitio imbuere jubet, sic, ut liquor ex carne humanâ extractus, processu temporis adjungatur. Nec vulgaris illa cura cum Pissasphalto & Asphalto celebrata, cum nobilium æquali ambulabit passu. Nobiliores viros præterea sæpissime horrendis morbis introire & potentes potenter tormenta pati, *Dan. Beckherus (c. l. p. 276.)* disserit. Nobilium corpora effodere capitale est, *J. C. Scaliger. (Exerc. 104. s. 9. p. 388.)*; nec eadem ad nos perferri, credidit *Joh. Schræder. (l. 5. Pharmacop. Cl. 1. c. 23. p. 295.)*, & si condituram ipsam exactè pensitas, Elixir proprietatis genuino modo paratum, hujus condituræ autoritatem infringet. Proinde nec *Schrædero* assentior, qui cadaveribus ab æstu Solis torrefactis, aut Mumiæ *Paracelsi* præ dubia illa Ægyptiaca priorem locum decernit, cum Mumia, ut dictum, carere possimus. Nec ab Ægyptiis, Judæis, Græcis, Romanis, quin & Christianis Mumias & funera medicata, ut Medicis usui sint & ægrotis, eadem mihi cum *Libavio (c. l.)* mens est. Curiosos igitur sine judicio tales rectè errorist postula *(l. 1. s. 1. Mus. c. 13. p. 30.) O Wormius.* Nec sine risu dimittendos censeo, qui cum *Serapione* Pissasphaltum Mumiam interpretantur, cum, *dictitante Scaligero (c. l.)*, cœlum terræ misceant. Pissasphaltum ideò ad picanda naves *(Vid. Libav. c. l. c. 14 p. 903. sq.)* & Asphaltum sive bitumen ad muros Babylonis redintegrandos (*Vid. Herodot. l. 1. f. m. 21. b.*) compingendosque lapides relegandum, cum utrumque à calore nostro subigi nequeat.

§. 185.

Addam adhuc è *Principe Radzivilio (c. l.)*, Turcas persvasum habere, Christianos Ethnicorum cadaveribus inhiare, ut ad Magiam illis abutantur. Verentur itaque, ne per incantationes aliquas damnum ipsis & eorum ditionibus facilè non recuperandum inferant, & Mumias efferri prohibent. Placet illud *Petr. Petiti (c. l. p. 151.)*: Homini mors requies & ultima linea rerum, nempe huma-

manarum, quibus moriens valedicit: Ideò enim defuncti dicuntur, qui ex hac vitâ migrarunt, quia omnibus vitæ & societatis officiis perfuncti sunt, nihilque amplius illis negotii esse potest cum viventibus; una igitur iis restat quies, quâ fruantur, non modo animis, sed & corporibus, utpote omni etiam ministerio, quod Animæ, quod & societati debebant, perfunctis, unde & ipsa defuncta dicuntur (*in 6. Æneid. v. 306.*)

Matres atque viri defunctaque corpora vitæ
Magnanimum heroum.

Non igitur illius sperati commodi causa amplius sollicitanda sunt, sed terræ, de qua sumta sunt, statim restituenda, in qua requiescant. Quies autem corporis defuncti est resolutio in propria Elementa. *Hactenus Petitus* Conf. *supra* (*l. 1. Tit. 3. §. 50. sq.*)

§. 186.

Unum adhuc, quod curiosam ventilationem meretur, de Mumiis superest, quando Nautæ certo se vidisse *Radzivilio* (*c. l. f. 233.*) asseverabant, quacunque in navi Mumia fuerit deportata, eam vel in maximum adduci periculum, vel certissimum naufragium subire. Veritatem hujus non solum, cum binas Mumias navi, inscio Navarcho, intulisset *Vir illustrissimus* cum periculo Naufragii expertus, sed etiam cum in mare illas abjecisset placatum Neptunum faventemque sensit Æolum. Presbyter etiam in eadem navi à spectrorum vexatione immunis egit.

§. 187.

Causam *Principi* percontanti hanc propalavere nautæ: Quandoquidem Mumiæ Ethnicorum sunt cadavera, in quibus Idola reconduntur: dubium non est, quin in cura & potestate Dæmonum, prout & animæ ipsorum, sunt constituta, qui nunquam ab eis etiamsi de loco in locum transferantur, recedere solent. Spectat huc de Cadavere *Pilati* relatio, quod cum Romani in Tiberim projecissent, subita oborta fuit tempestas, ac si Tiberis omnia inundare ac perdere vellet, moti hoc periculo Sacerdotes, ab his in altissimos Helvetiorum montes in stagnum bannitum & exorcisatum delatum est, quod è *Seb. Münstero Henr. Kornmann.* (*Templ. Nat. Consid. 13. Concl. 39. p. 201.*) prodidit: An fuerunt πεπισμένα; quærit (*c. l.*) *Casp. Hoffmann.*

§. 188.

Verisimilius putat *Joh. Bodinus* (*l. 2. Theatr. Nat. p. 172.*), Tempestatem propter ejus exsecrationem, qui sepulchrum violavit, contingere. Est enim ab antiquissima memoria, *subdit*, perceptum & cognitum, propter unius execra-

crationem tempeſtates ac procellas ventis conſpirantibus in mari excitari, atque ob id ſortem jacere conſueverunt, ut eum, in quem ſors cecidiſſet, demergerent, tunc repente venti remittebant. Exemplum *Jonæ (c. 1. v. 7. & 14.)* proſtat, idque probat. Apud *Virgilium (l. 1. Æneid. v. 45.)*

Pallasne exurere claſſem
Argivûm, atque ipſos poſuit ſubmergere ponto,
Unius obnoxam & furias Ajacis Oilei.

Addendum cenſeret forſan quiſpiam tritam illam maris & Cadaverum Antipathiam, dum dicunt: *Das Meer leide keine Toden.*

§. 189.

Rationes allegatæ, quod probare debent, neutiquam probant. Non nego *cum A. Gryphio (c. l. p. 113.)*, cadavera iſta Idolis illuſtria teterrimorum Geniorum curæ credita, haud tamen inde colligas: Ergò maria reſpuunt, aut mergunt ejuscemodi Mumiarum delatrices naves. Si Dæmon Cuſtos cadaveri quaſi additus, cur patitur effodi ſepulchreta, cur erui corpus ſandapila, cur efferri cryptis, quid obſtat, quo minus arceat tremore & ſtrepitu aggreſſores Conditorii? quid impedit, quo minus ſæviat in ipſos Pharmacorum Artifices, qui cadavera mutilant, deterunt & varios comminuunt in uſus. Nec ſemper ejusmodi tempeſtatibus naves obnoxias periclitari crebra apud Belgas, Gallos, Italos, Germanos evincunt iſta funera, unde illa, ſi aditum earundem mercium maria non pandunt? adeò ut raræ apud nos minimè exiſtant. (*A. Gryph. c. l. p. 6. & 7.) Conf. (c. l.) Caſp. Hoffmann.* Deinde ſi execrabilis & ſacer, qui ſepulchrum violat, (*Vid. l. 1. Tit. 3. §. 60.*), is certè obnoxius erit Anathemati, qui manus funeri injicit, haud qui Cairo aut aliunde emtum alias in orbis partes ſubductum transfert, (*A. Gryph. c. l. p. 114.*). Quot vexere maria impunè conjuratas in cœlum manus, quot impiatos quovis flagitio parricidas! Quot denique eorum, quibus Deus, jus, fas, avernus, nauci, ludibrio, nihili; Jonæ hiſtoria tam ſingularis, quæ huc non quadret.

§. 190.

Nec ſemper procelloſum, ſed etiam tranquillum mare reddere navibus concredita cadavera *Joh. Jacob. Sabrs Obſervatio.* (*Oſt-Indiſche Kriegsdienſt. c. 16. p. 150.*): *Auf der Reiſe nach Jambus, eine Stadt auf der Inſul Sumatra, ſtarb ein Ober-Kauffmann auf dem Schiffe, da wir etwann noch ein 60. Meilen darvon waren, den lieſſe der Schiffer ausnehmen, und den todten Cörper in eine Küſte einſalzen, in Hoffnung ihn ganz ans Land zu bringen, und da zu Jambus zu begraben, ſezte ihn zu dem Ende hinten auf die Campagne des Schiffs, darauf ſich*

solch eine Stille des Meers fande, daß wir ganzer 14. Tagen nicht 10. Meilen fortsegeln kunten, unser Wasser und Tranck ward inzwischen genau verzehret, und musten gewaltig Durst leiden, welches denn unter unsern Officierern grossen Deplaisir machte, und die Schiffer sagten: es müste die Ursache dieser extraordinar Stille der todte Cörper seyn. Sollten ihn deßwegen ins Meer sencken, unsere Reise zu beschleinigen. Da wir ihn dahin brachten, kam in einer halben Stunden darauf ein erwünschter Wind, daß wir in zwey Tagen in Jambus waren, und daher præsumirten, daß das Meer sowohl seine Todten haben wollte als die Erde.

§. 191.

Quod mare autem injecta cadavera ad littora pellat, causa est, secundum *Joh. Sperlingium* (*l. 4. Instit. Phys. c. 3. q. 10. p. 678.*), quod aqua expellat heterogenea. Ita & pisces, cum vivunt, undis innatant, cum mortui, supernatant, & ad ripas vergunt. Pariter sordes omnes hanc ob causam expelluntur, stramenta itidem & naufragorum reliquiæ. Vid. *Seneca.* (*l. 3. nat. Quæst. c. 26.*). Alias causas & forsan elegantiores à cadaverum levitate *è supra* (*l. 2. T. 7. §. 44. sq.*), dictis deducere erit facillimum. Nec sola levitas sufficiet, sed & renitentiæ defectus huic sociandus, quorsum & motus ventorum, quo fluctus ad littora propelluntur & aquæ undulatio spectat. In mare itaque projiciendis aurum alligabatur, ut ad littora rejectis pretio moti de sepultura illis prospicerent. Locum ex *Apollonii Tyrii historia* citat *J. H. Ursinus* (*Vol. 2. Annal. Sacror. l. 3. c. 16. p. 149.*). Abjicitur puella viva loculo inclusa in mare, addita auri vi non parva: Titulus inscriptus sic habebat: quicunque hunc loculum inveneris habes XX. auri sestertia, peto, ut X habeas, X funeri impendas.

§. 192.

Vana itaque, rectè *differente* iterum *A. Gryphio* (*c. l. p. 117.*) hæc religio, antiqua tamen, &, nisi me omnia fallunt, inde enata, quod cadaver humanum jam olim recusarunt Nautæ, istius commenti Autores, ut *recitat Andr. Libavius* (*p. 2. Singular. p. 194.*), & quidem adacti necessitate. Quis etenim ferat inter marini carceris, inter uliginem fœtoremque sentinarum insuper abominandos odores corporis in sua primordia se solventis? Accessit deinde temporum diuturnitate superstitio, creditumque æquori id dari, quod salubritati vectorum. Principum sanè & opulentiorum funera in dies huc illuc mari delata, quis non videt? Ridendum verò jure censeam, qui non credit alio putore fatiscere artus atque membra hominis olim lautioris ac remigis de Scalmo, vel mendicabuli de trivio. Quotus quisque verò eorum, qui maria sulcant, tempestates nunquam ha-

habuit adversas? hinc facilè factum cadaveri ut imputarent, quod ascribendum Aëri furentium ventorum, turbinumque procella commoto. Et hæc de incorruptibilitate cadaverum & Mumiis impræsentiarum dicta sufficiant, plura qui desiderat, adeat, præter citatos (§. 94.), *Struppium de Mumiis*, *Theophilum Raynaudum de Cadaverum incorruptibilitate*, *Melchiorem Sebizium*, *de conditura cadaverum*, quos equidem Autores ob raritatem eorundem perlustrare prohibitus sum. Possedit etiam de conditura funerum *Nicolai Reusneri scriptum Vir celeberrimus Georg. Hieron. Velschius*, quod doctissimis suis commentariis illustratum publico ne invideret, olim, dum viveret ad huc, non semel reverenter, sed frustra cum aliis curiosis sollicitavi.

§. 193.


Ut & rariorum comprimis Brutorum cadavera condirentur, apud gentes religio, apud nostros curiositas fecit. De Pane ex Simiarum genere exenterato & condito, quem insolitæ formæ ostentandæ gratia *Indorum Rex Constantio* Constantinopolim miserat, *Nicephorus Callistus* (*l. 9. c. 19. p. m. 418.*); Hippocentaurum melle conditum ex Ægypto allatum vidit (*l. 7. c. 3.*) *Plinius*. De Crocodilis apud Thebas & Myrios stagnum incolentibus sacris reputatis, Sale conditis & sacris in urnis sepultis *Herodotus* (*l. 2. s. Euterpe. f. m. 37.*), qui antè tradiderat (*f. 36. b.*) efferuntur feles mortuæ ad sacra tecta ubi salsæ sepeliuntur in urbe Bupasti. Diebus *Constantini* vivus Satyrus circumlatus, ostensus, ac deinde Sale conditus monstrabatur, quod *J. B. Helmont.* (*tr. demonstratur thesis n. 98. p. 543.*) prodidit. Contigit etiam, ut Medici bruta condirent experiundi gratia, ut de condituris inventis certiores fierent. Ita Beatus noster *D. G. Clauderus*, Amicus & collega honorandus Methodo conditoria (*§. 142.*) sine evisceratione & sectione quid valeret exploraturus balsamatos demonstravit, vitulum, Capram, Gallos, Gallinas, Carpiones, Ranas, Mures, Aves. Porculum marinum, (*Meerschwein*) *Tob. Andreæ* (*c. l. p. 33.*), viscera item, corda, Hepata, pulmones, renes Vituli, canis, Agni &c. curiose conditos oculis sistere non nauseabat. (*Vid. Ejusd. Methodus Balsam. c. 6. p. 155.*). De animalibus sacris conditis è *Diodoro* supra. De Mumia fœtus leporini in intestinis repertæ & explicati *Exc. Dn. D. Philipp. Jac. Hartmann. Amicus Summus* (*M. C. D. 2. A. 7. obs. 20. p. 45.*). Vernicem pro Piscibus vulgavit iterum *Clauderus*. (*M. C. D. 2. A. 8. obs. 205. p. 512.*), pro insectis *Joh. Dan. Geier*, *Archiater Regius*, *Patronus Noster* (*c. l. obs. 137. p. 297.*)

§. 194.

§. 194.

Animi Medicamentum ψυχῆς ἰατρεῖον, ui hoc Mantissæ demum loco subjungam, *Simandii, Ægyptiorem Regis*, de quo varia *Cl. Christoph. Cellar. Progr. 40. p. 281.*) Bibliothecæ foribus inscriptum, *referente è Diodore Siculo Hieron. Cardano* (*l. 7. de Var. Rer. c. 96. p. 1138.*), *Ottone Heurnio* (*in Chaldaic. p. 53.*) & *Joh. H. Ursino* (*V. 1. Annal. sacr. p. 467.*) legebatur. Rectius vertisse videtur *Justus Lipsius* (*Syntagm. 1. de Biblioth. c. 1. p. m. 1123.*) animi Medica officina, quam *censente laudato Cellario* (*c. l. p. 284.*) *Laur. Rhodomannus* etiam in animo habuit, sed verbo minus latino Medicatorum Animæ expressit. Sed & Balsamum desiderabunt Eruditi à corruptione Eos vindicans? Consilium præstò est *Augusti Thoneri* (*l. 6. Epist. Medic. 1. p. 271.*), ita ad *Matthiam Obemium* scribentis. Atramentum à literatis usurpatum est verum balsamum, quo illorum cadavera lita, odorata evadunt, & à corruptione ac putredine conservantur immunia, quin illud è tuo calamo Chartæ instillari sinas, etsi corpus tuum in loculo reconditum & sepultum, tamen fragrantiam longè lateque diffundet & memoria vigebit & perennabit in literario monumento.

Plura *Joh. Ristius* (*Vom aller Edelsten Naß der ganzen Welt. p. 165. sq.*)



LIB. III. TIT. III.

De

Cadaverum Petrefactione.

Summarium.

1. *PEtrefactio est corruptio.* 2. *Differentiæ petrefactorum.* 3. *Similitudinem formæ habentia vegetabilium.* 4. *Brutorum.* 5. *Ossa lapidea. Crania. Dentes &c. Specus Baumanniana, & quæ propè Elberodam.* 6. *Unicornu minerale sub variis figuris. Manus. Spina dorsi. Costæ. Bucardia.* 7. *Pedes. Enorchos. Hodenkiß. Penis & vulva. Moneta Danica.* 8. 9. *Humanas æmulantes statuæ variæ & Figuræ Monachorum.* 10. *Transmutationes variæ.* 11. *Verarum & falsarum differentia.* 12. *Figuræ naturales ex Auro.* 13. *Argento.* 14. *In vegetabilibus figuræ variæ.* 15. *Unde lapidum effigies an à Creatione. Astris. Dæmonibus subterraneis.* 16. *Causæ verisimiliores.* 17. *Hominis è lapidibus ortus.* 18. *Verior sententia.* 19. *Ethnicis non incognita.* 20. *Lapidum materia.* 21. *Assumta terrea, s. Tartarea in cibis. Tartari nomen à quibus primo introductum.* 22. *E terra juxta Paracelsum oritur.* 23. *Variæ Tartarorum differentiæ.* 24. *Vegetabilium sal essentiale.* 25. *A soli dispositione.* 26. *Terrea terrestria occultant.* 27. *Aquæ lapideo impraegnatæ seminio.* 28. 29. *Helmontius Paracelsum pungens seipsum vulnerat.* 30. *Tartarus cruoris quid Helmontio.* 31. *Velschii de Helmontio judicium.* 32. *Ossificatio in homine.* 33. *Varia exempla.* 34. *Ossa in Brutorum cordibus.* 35. *Cordis os an in homine?* 36. *ossa in aliis partibus.* 37. *In vasis.* 38. *Ossa saxa.* 39. *Fodinæ calculorum in homine. Collectores lapidum.* 40. *Cutanei lapides.* 41. *In omnibus partibus.* 42. *Tumore lapidicondi.* 43. *Calculi frontis. Palpebrarum. Brachii. Femoris*

moris. Spondylorum. 44. Arthriticorum. 45. Extra aut in cerebro. 46. Scheidii contradictiones. 47. Recentiorum historia. 48. Oculorum. 49. Nasi. 50. Aurium. 51. In & sub lingva. 52. In labiis. Scrofulæ Tartareæ. 53. Gutturis. 54. Maxillarum. Dentium. 55. Pulmonum. 56. Cordis. 57. Circa vasa. 58. Ventriculi. 59. Hepatis. 60. Fellis. 61.. Lineis. Pancreatis. 62. Peritonei. Umbilici. Inguinum. 63. Mesenterii. 64. Intestinorum. 65. Extra Renes. 66. In Renibus & vesica variarum figurarum. 67. Eorum magnitudo insignis. 68. Pondus. 69. Dolorum Calculi gravitas. 70. Numerus. 71. Singularis vesicæ constitutio. 72. Alia phænomena. 73. Silicea durities. 74. Coloris varietas. 75. Calculi in homine calculis & aliis rebus prægnantes. 76. Lapides in homine Bezoartici: 77. Varia in renibus & vesicâ concrementa lapidea. 78. Calculi in uretere. 79. Scroto. Vasis seminariis. Hæmorrhoidibus. Fistula ani. 80. Uteri: Ovarii. 81. Singulares. 82. Humores calculosi. Sanguis. 83. Lac. Semen. Pituita. Urina. 84. Lapides in brutis. Bufonius. 85. Arachnites. 86. Lapidefacta. Bovis cerebrum. Lacrymæ Cervi. 87. In corde cervi. Ventriculo. In utero cervæ. 88. Lapides Bezoartici. In cervi-capris. 89. In aliis brutis & homine. Magnitudo. Vires. 90. Pilarum in ventriculis brutorum historia. 91. Hippolithi. 92. Ægagropilæ. 93. Pilæ in aliis brutis. 94. In homine. 95. Pilæ marinæ. 96. Lapis Malacensis. Porcinus. 97. Varii in aliorum ventriculis lapides. 98. In aliis partibus. 99. Ponderosus in Equi vesica urinaria. 100. In lupi & aliarum vesica. Renibus, utero. 101. Exotici. 102. Omnes partes corporis petrefactæ. 103. Cerebri in Bove. 104. Oculi: Pulmones. Epar. Lien. 105. Venæ. Arteriæ. Uteres. Mesenterium. Perinæum. Pancreas. 106. Glandulæ conglobata. Renes. Testiculi. Vesica Urinalis. Uterus. 107. Partes externæ. 108. Ossa. 109. Ostentum Dolanum & lapidei fœtus historia. 110. Historici Medici. 111. Delineatio Bartholiniana. 112. Fœtus Mussipontanus. 113. Cadavera petrificata. 114. Fœtus humanus & leporinus. 115. Materia

ria lapidum in mirocosmo, juxta veteres. 116. *Efficiens.* 117. *Agricolæ sententia.* 118. *Aqua principium materiale.* 119. *Probant contenta homogenea.* 120. *Heterogenea.* 121. *Lapides lapidibus inclusi. Lapis enhydros.* 122. *Resolvuntur in aquam.* 123. *Alcabest exploditur.* 124. *Qualis aqua?* 125. *Calor & frigus an concurrant.* 126. *Spiritus an succus lapidificus.* 127. *Crystalli generatio.* 128. *Epicrisis.* 129. *Gluten ad lapidum compactionem.* 130. *Tincturæ minerales.* 131. *Macrocosmi & Microcosmi similitudo hic rejicitur.* 132. *Materia calculorum ex Hippocrate.* 133. *E Galeno.* 134. *Succus, f. Spiritus lapidificus &c.* 135. *Chemicorum Tartarus quid?* 136. *Alimenta.* 137. *Experimentum Beccherianum.* 138. *Terra invisibiliter rebus inest.* 139. *Lacticinia. Caseus. Conchylia. Testacea. Crustacea.* 140. *Panis.* 141. *Testæ ovorum num arenæ ab avibus ingestæ productum.* 142. *N. alius hujus ingestionis finis.* 143. *Unde ovi cortex.* 144. *Aquas incrustantes & cerevisiam inde coctam calculo favere.* 145. *Vina & quæ.* 146. *Calor non est efficiens.* 147. *Neque frigus.* 148. *Effigiens an sit causa interna? N.* 149. *absurdum Helmontianum.* 150. *Duelech Helmontiani parens Paracelsus, quid signet?* 151. *Mucilago à calculosis emicta.* 152. *Duelech non esse sortis calcineæ.* 153. *Coagulatio Duelech singularis.* 154. *Duelech uterus.* 155. *Analysis Helmontii.* 156. *Tachenii.* 157. *Fermentum rerum petrificum.* 158. *Velschii Crisis.* 159. *Animadversiones in Helmontii hypothesin.* 160. *Offa Helmontiana.* 161. *ad analysin Helmont. animadversiones.* 162. *Paracelsi ludus quid?* 163. *Nova conjectura.* 164. *Extemporaneus in urinâ calculus.* 165. *Uxoris Lothi Metamorphosis.* 166. *An statua, an moles?* 167. *Statua salis.* 168. *Salis species à pluvia non liquescens.* 169. *Locus num quid contulerit.* 170. *Quibusdam dicitur lapis.* 171. *Singularis opinio Hardtii.* 172. *Clerici.* 173. *Statuæ perennitas. Cur non omnibus visa.* 174. *Membris mutilata se ipsam restituit.* 175. *Menstrua patitur.* 176. *Griphus antiqvus.* 177. *Diversa Griphi explicatio.* 178. *Cir-*

cumstantiæ quædam. 179. *Dimidia inscriptionis Nioben.* 180. *Altera Lothi uxorem denotare dicitur.* 181. *Fabulæ gentilium.* 182. *Magorum conatus.* 183. *Petrefactio naturalis apparens.* 184. *Vera. Subjectum.* 185. *Mortua petrificantur, non viventia.* 186. *Bufones & pisces in Saxis.* 187. *Causæ putrefactionis, internæ & externæ.* 188. *Aër. Corallium. Uniones.* 189. *Lithogenesis in aëre.* 190. *Lapides aërei.* 191. *Ex elevatis vaporibus terreis non esse.* 192. *Spiritus integros greges petrificans.* 193. *Odor loci saxeus.* 194. *Exemplum insigne.* 195. *Spiritus petrificans in aqua.* 196. *Terræ vis lapidifica.* 197. *Spiritum petrificantem etiam cadaveris poros posse transire & transmutare.* 198. *Ratio è Cartesio.* 199. *Examinatur Lithopædium Senonense.* 200. *Fœtus Mussipontanus.* 201. *Dubia circa hunc.* 202. *Causæ supra & naturales an hic locum habeant?* 203. *Nostra conjectura.* 204. *Petrefactioni favent Animi affectus. Pavor.* 205. *Luctus ob mortem liberorum. Cymaras. Niobe.* 206. *Morbi.* 207. *Quidam hominem lapidem fieri, etiam ipsi Deo, impossibile putarunt.* 208. *Petrefacta an monstra.* 209. *Etiam in hominum simulacris petrefactis quosdam decipi.* 210. *Etiam Metalla in homine.*

§. 1.



ALius adhuc superest modus, quo Natura à corruptibilitate vindicare videtur cadavera, aut quasdam eorundem partes, quam lapidescentiam vocant, aut petrefactionem. Hic, quò admirabilior est, eò intricatior; quò rarior, eò abstrusior, ut merito ejusmodi corpus, aut partem petrefactam cotem ingeniorum nuncupare posses. Non ignoro cadavera, si lapideam induant duritiem transmutari & corrumpi, adeoque & vulgò putrefactionem cum combustione referri ad modos putrefactionis totalis, de quo *Mart. Schoock.* (*Phys. general. disp. 16. §. 23. p. 290.*). Si tamen corruptionem pro ea transmutatione, quâ putredinis via mixti compages dissolvitur in saniem & Terram accipias, quam evitat petrescens corpus, nullam mihi movebis litem.

§. 2.

§. 2.

Videntur autem quædam petrefacta & non sunt talia, similitudinemque formæ tantum habent, & à primo ortu lapides fuerunt. Sunt & alia, quæ verè lapidefacta non reputanda, cum sub crustâ lapidea tantum lateant. Sunt tandem vere talia, inque lapides transmutata, sive petrefacta.

§. 3.

In primâ classe non constituo in lapidibus Naturæ, ut produnt penicillo picta, de quibus pluribus egit *Athan. Kircherus* (*l. 8. M. S. s. 1. c. 9. p. 30. sq.*) & imaginum lapidibus impressarum disquisitionem peculiarem instituit (*ib. p. 40. sq.*) & quomodo naturam ars imitari possit, curiose demonstrat, (*p. 44.*) qui, si lubet, evolvatur. Adde prætereà, quæ ex aliis colligit *Phosphorus Noster splendidissimus* (*l. 1. Gammarol. c. 8. §. 6. & 7. p. 150. sq. & Epist. dissert. de mirand. Lap. Nat. p. 63.*) & *Edo Neuhus.* (*l. 2. Sacr. Fatid. c. 23. p. 393. sequ.*) Similitudinem formæ habentes lapides innuo, quales *Philippo Bonanno* memorantur (*p. 1. de Testac. c. 7. p. 47.*), è vegetabilium specie Cissites à Chamæcisso, seu Hedera, cujus foliis assimilatur, Rhodites à figura rosæ, sicut stilichetes aut stelechitis â stipite seu trunco, Amygdaloëdes à nucleo amygdalarum, Fungites à Fungis, Botroites ab incipiente botri similitudine, Sicytes à figura ficus. Plura *Conr. Gesnerus*, ubi tractat *de figuris lapidum*, cui junge *Anshelm. Boëtium* (*l. 2. de Lapid. c. 299. p. 262.*), qui etiam habet Pisolithum à piso, propter similitudinem in Thermis Carolinis hic reperitur, quem egregium dono *Dn. Andreæ Beccheri Pharmacopæi in Thermis Carolinis curiosi, Amici colendi possideo*, cujus etiam mentionem fecit *Joh. Matthesius*, (*Sarept. Conc. 3. p. 155.*), *Jacob. Mock.* (*p. 1. de Caus. Concret. & diss. p. 191.*) *O. Wormius* (*Mus. l. 1. S. 2. c. 6. p. 52.*) *Fidus Eckardus*, aut qui sub hoc nomine latere voluit, *J. C. Etnerus* (*Med. Maulaffe p. 539.*), lapidesque Piso vel Coriandro similes memorat *Ferrandus Imperatus* (*l. 24. hist. nat. c. 27. p. 761.*). Fungites ex Gotlandia habuit *Ol. Worm.* (*c. l. c. 12. p. 81.*) De caryophillis aromaticis *M. C.* (*D. 2. A. 3. obs. 189. p. 370.*)

§. 4.

Refero huc Bruta referentes lapides. Fuit, *Ol. Worm.* (*l. 1. Mus. s. 2. c. 3. p. 83.*), Columbam referens lapis, qui in Museo Regio Hafniensi adhuc extat, (*Vid. Olig. Jacobæi Mus. Reg. p. 1. s. 7. p. 37.*). Vidit *Joh. Gorop. Becanus* (*Niloscop. f. l. 3. C. A. p. 237.*) In Angliâ lapidem è summis montibus excisum, qui percam ad vivum exprimebat, ne minima quidem lineola ad perfectionem desiderata; in caverna Pools Hole, Figura Leonis conspicienda exhibetur,

tur, *Vid. Act. Erud.* (*Ann. 1701. p. 519.*). Echinitidis lapidis Echinum non spinosum marinum referentis meminit *Olig. Jacobæus* (*c. l.*). Arietis caput integrum à naturâ in petram elaboratum cornibus, fronte, auribus, maxillis & mento barbato, vel Jovi Hammoni invidendum, possedit *Calceolar.* (*vid. Mus. s. 3. p. 417.*). Eidem *Calceolario* in simiæ figuram naturaliter effictus, qui *teste Andrea Chioco* (*s. 3. Mus. Fr. Calceolar. p. 425.*) majorem sanè intuenti admirationem allaturus videbatur, quam ea naturalis & vivens simia *Scaligeri* (*Exerc. 213. p. 680.*). Lampetrarum & hirudinum forma obtinuit *laudatus Calceolar.* (*c. l. p. 426.*). De limacibus & serpentibus *Bohuls. Balbin.* (*l. 1. Miscell. Bohem. c. 51. p. 118.*). De lacertis & serpentibus saxeis *P. Albin.* (*Meisnisch. Berg-Chronic. p. 170.*)

Ossaque dissolvens cum corpore Tabificus seps.

In lapidem conversus ad rivum quendam montis pinniferi falsò dicti inventus, quod commemorat *Georg. Agricola* (*l. 7. de Nat. Fossil. p. 639.*). De Cancris saxeis *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 196. s. 9. p. 638.*). Habet & quædam (*in specim. Lithogr. Helv. & curios. recensuit. in act. Erud. Lips. 1705. p. 479.*) *Joh. Jacob. Scheuchzer.* Plura operosè collegit *Sachsius Noster* (*l. 1. Gammarol. c. 8. §. 11. p. 163.*)

§. 5.

Ossa etiam è terra eruuntur lapidea, quæ inter lapidefacta olim reputarunt. Hæc è terra nasci, invenirique lapides osseos è *Theophrasto* (περὶ λιθῶν) scripsit (*l. 36. c. 18.*) *Plinius*. Eneostos, aut Eneostes *Anshelmus Boët. à Boot* (*l. 2. de Gemm. 236. p. 207.*). Gesnerus osteolithos & ostoites vocat (*de fig. lap. c. 12.*) in museo suo cranium suturis distinctum se possedisse narrat *Joh. Dan. Horstius* (*obs. Anat. 2. p. 10.*). Juxta Sylvam Semanam ad radicem arcis Brunsvicensis *Scharzfeld*, vidit erui ossa, dentes, mandibulas varias ursarum, leonum, hominum & aliorum animantium æmulas, *pergit* (*c. l.*) *Idem*. De cranio ingenti hominis ibidem reperto *Fried. Lachmund.* (*Oryctograph. Hildeshem. s. 3. c. 21. p. 68.*). Calvariæ Saxeæ mentionem fecit *Bohusl. Balbin.* (*l. 1. Misc. Hist. Bohem. cap. 1. p. 119.*). *Add. Jacob. Gaffarell. p. 2. curios. inaudit. c. 3. n. 4. p. 84.*). Nos apud Autores legimus, si vera tradunt, memorat *Alex. ab Alexandro* (*l. 5. Genial. dier. c. 9. f. 265. b.*), in Chiorum lapidicinis diffisso Saxo caput effictum Panisci apparuisse. De dentibus digna est, quæ huc traducatur *Athanas. Kircheri* (*l. 8. M. S. s. 2. c. 4. p. 61.*) observatio, de Spelunca tribus fere passuum millibus Panormo dissita: Hanc ingressus *cum illustrissimo Marchione Carolo de Vintimaglia*, ostendit ipsi laudatus comes in sinistro antri pariete, longè lateque exporrectum

rectum mirum naturæ opus: Paries dentes referebat parvos, mediocres, maximos & excessivæ magnitudinis, eâ serie, qua natura maxillis animalium inserere solet, infixos, tantâ copiâ, ut centum carros inde onerari posse, facilè crediderim, tanta naturalium dentium similitudine, ut vix hos ab illis distingvere potueris; supra quidem candorem pellustrem, inferius verò radices monstrabant acutas, omnes tamen in lapidem solidum conversos. Tum ecce ad me, *vir Illustrissimus*, hi sunt dentes, quos nonnulli impostores hinc exemtos pro Gigantum aut Elephantorum dentibus (erant enim aliqui excessivæ, ut dixi, magnitudinis,) imperitæ plebi vendunt. Sed non stetit hic mira Naturæ industria, amplius discurrit, ulterius progressus in subterranei curriculi parietibus, nescio quæ humanorum membrorum lineamenta intuiti sumus, nunc enim tibiarum protuberabant formæ, vertebrarum genuumque vestigia, nullo tamen ordinis nexu spectabantur; videbantur quoque nonnulli tumores argillacei ingentes, qui excisi, ex una parte os genuum, ex altera concavitatem relinquebant, calvariæ haud absimilem; nihil tamen inter omnia osseæ substantiæ vestigia organizatum, uti sunt caput, manus, pedesque reperiebatur; unde luculenter admirabilem Naturæ in ossibus similibus saxis formandis industriam primò cognovi. *Hactenus Kircherus*. Habet & quædam *Petr. Borell.* (*Cent. 2. obs. 85. p. 176. sq.*). De Specu Baumannica ista *M. Frid. Hildebrand.* (*carmine de eadem v. 76. quod Hercyniæ curiosæ c. 1. p. 32. inseruit D. Georg. Henning. Behrens.*)

Credulus hic vulgus legit ossa, aut ossa Saxa,
Quæ lapides ego jactatos Epimethide dicam,
Quos invicta novi generis trahere insita formam
Durities vetuit, tantum ossibus illa remansit.

Et Joh. Ludwig Führer. (Eleg. de mirac. Andr. Baumann. v. 1. v. 6. ap. Eund. p. 33.)

Ossea Baumanni produxit Saxa barathrum,
Saxa Stagirites quæ neget esse sophus;
Saxa, fides cæci quibus allatrantibus Antrum
Dempta perit, latebræ, seu Polypheme tuæ.
Bubula credideris, vel dempta cadaveri equino,
Ne loquar humanis effigiata modis.
Vertebras, scapulas, craniorum fragmina, costas,
Mallas, dentes, articulosque pedum.
Cornuaque insolitæ nostro sub sole figuræ,
(Naturæ mirum est usque adeò ingenium!)

Spe-

Spectant huc de ſpecu prope Elberodam oppidum de lapidibus oſſeis, quæ habet *Mich. Neander* (*p.1. Phyſ. Philoſ. p. 124.*). Fodiuntur addo *ex Andrea Cæſalpino* (*l. 2. de Metall. c. 48. p. 142.*) prope oppidum *S. Johannis* in valle Arni oſſa lapidea ingentis ſtaturæ, unde putant fuiſſe ex Elephantibus *ab Annibale* ductis in Italiam. Extat humeri caput aut coxendicis, magnitudine, quam utraque ulna amplecti vix poſſit. Habet & quædam *Plin.* (*l. 36. c. 18.*).

§. 6.

Lapis in ſpecu Baumanniana linguæ bubulæ figura offenditur, quod iterum Behrens (*c. l. n. 1. p. 29.*) notat. De unicornu autem foſſili (*n. 2. p. 40.*) ſequentia: *Gedachter Einhorn iſt nicht einerley Geſtalt, denn bald ſiehet ſolches als wie ein Horn, Hirnſchädel, Kinbacken, Schulterblat oder Rückgrad aus; bald ſtellet daſſelbe eine Ribbe, Zahn, Schin- odor Hüfftbein, auch andere Knochen ſo von Menſchen und Thieren herkommen, für, auch wird welches angetroffen, das eine unförmige Maße oder ungeſtalter Klump iſt. u. ſ. w.* Manus ſaxeas humanas exacte referentes, nec non brachia humana in ipſius territorio creberrime effoſſas prope arcem Blanckenſtein Generoſiſſimus Comes *Hermanus de Hatzveld* oretenus & per literas poſt confirmavit, ſed & heroica liberalitate earundem tranſmiſſione Muſeum meum nobilitare dignatus eſt, *meminit. Phil. Jac. Sachſius* (*l. 1. Gammarol. c. 8. §. 9. p. 159.*). In littoribus Oſtro-Gothorum variæ ſaxorum figuræ, quaſi humana arte ſculptæ vel politæ forent, reperiuntur, recitat *O. Magnus* (*l. 2. Hiſt. de Gent. Sept. p. m. 83.*). Quidam formam capitis humani, manus, pedis habent, non tamen integro corpore compaginatam, ſed diſtinctione Naturæ taliter expoliti. *Eſt Clariſſimo Dn. Conerdingio* ſpina dorſi in ſaxo reperta, affabrè vertebris & ſpinoſis proceſſibus inſtructa, admiratione longè digniſſima, *inquit* (*c. l.*) *Joh. Dan. Horſtius.* Coſtas hujusmodi cum vertebris etiam in Muſæo *Dn. D. Auguſti Scheſſeri Halæ* me olim vidiſſe recordor. Apud *Cælſapinum* (*quod narrat. c. l.*) fuere fragmenta crurum intus ſpongioſa, exterius ſolida, colore Marmoris porphiridis nigriora, ſonora ut marmor. Proſtant & lapides forma cordis bubuli, bucardia dicta, de quibus *Fab. Columna*, (*de Purpur. c. 11. §. 4. p. 31.*). Picturam exhibent cum deſcriptione *Ferrandus Imperatus* (*l. 24. Hiſt Nat. c. 26. p. 750. ſq.*) & *O. Worm.* (*l. 1. Muſ. ſ. 2. c. 12. p. 80.*). Venetiis in Palatio *Joh. Franciſci Lauretani* hominum diverſas partes, capita, brachia, inguina, pedes petrefactos, ita loqui amat, invenit *Joh. Dan. Major.* (*de Calc. Sperling.*) crura & femora propalat *Andr. Libav.* (*p. 2. Singul. p. 264.*). Fragmenta

menta tibiarum & ossium *Anton. Deusing.* (*consid. fœt. Mussip. s. 3. n. 124. p. 44.*)

§. 7.

Lapides pedum formam exhibentes *à Wormio* (*c. l. c. 13. p. 82.*) delineatos his aggrego. Claudat hoc agmen Sceleton humani corporis in saxum (ut putatur) conversum ex palatio Pinciano, *Principis Ludovisii.* Si me ænea figura non fallit, ossium saxeorum fractorum, aut quoad figuras imperfectorum potius est, quam Sceleton, figura extat *ap. Athan. Kircher.* (*c. l. c. 2. p. 52.*) Add. *Alb. Tylkowsky* (*p. 3. Phys. Curios. p. 31.*) est, qui Testiculos exprimit, lapis, vulgo *Hodenkiff* vocatus (*Casp. Schwenkfeld l. 3. Fossil. Siles. p. 389.*) Enorchis *Anshelmo Boëtio de Boot* (*l. 2. de Gemm. c. 203. p. 189.*). De Priapolithis *Petr. Borell.* (*Cent. 3. obs. 85. p. 262.*) sequentia: Reperiuntur juxta Cassensem urbem lapides subalbi rotundi, & oblongi, figuram penis & quandoque vulvæ habentes, & aliquando, sed rarius, testiculis instructi sunt & balano, in medio vero eorum pecurrit vena Cristalli purissimi, adeò ut totus lapis ut cepa cuticulis variis constructus videatur, tantum ex ejus impuritatibus & excrementis ejectis constare, ni manifestè perciperetur, Lapides illos augeri non solum, sed & similes sibi procreare. Reperiuntur enim primò aciculæ magnitudine tantum, sed tamen non sunt crystallo destitutæ, reperiuntut etiam majores & usque ad crassitiem femoris saxis quandoque inclusi, sunt autem in monticulo, qui totus iis consitus est, adeò ut nulli illic lapides reperiantur. *Hæc Borellus.* Videas & qui muliebre pudendum figura exprimunt, unde & Hysterolithorum nomen ipsis evenit. Paucis describit *Ansh. Boët. de Boot.* (*l. 2. c. 225.*), *pluribus O. Wormius* (*c. l. p. 83.*). Eandem plane formam habere videtur *Sachsio Nostro* (*Diss. de Mir. Lap. Nat. p. 62.*), quæ moneta illa mirabilis *Margarethæ Daniæ, Norwegiæ & Sveciæ Reginæ* ab ipso A. 1649. Argentorati in rarioribus monetis refertissimo Antiquario *D. Joh. Jac. Luckii* visa, quod Reges Norwegiæ & Suecæ ferro superasset in opprobrium Sexus masculini argenteam monetam ex parte rotundam hysterolithon & pudendum muliebre exactè referentem fabricari (cudi) curasse referebatur. *Plinius* (*l. 37. c. 10.*) Diphrin describit, quem alii Diphiem & Diphiim nuncupant, eamque facit duplicem, candidam & nigram, genitales utriusque sexus distinguente linea.

§. 8.

Georg. Wernher. (*de Admir. Hung. Aqu. 76.*) recensuit, ad arcem Fug, in comitatu Neograd, specum esse, in quo supernè destillans humor continuò durescat, ut ibi videantur Saxa ex hac destillatione concreta, ceu hominum statuæ. Au-

diamus *Georg. Henning. Behrens* (*c. l. n. 1. p. 16.*) de ſpecu Baumanni ſequentia proferentem: *Nachdem die curieuſen Beſchauer in ein Gewölbe geſtiegen, das einer Capell ziemlich gleichet, allda ſtehet ein Tropffſtein, der ohngefehr 4. bis 5. Schuh hoch iſt, und ins gemein der Münch genennet wird, weil er natürlich wie ein geſchorner Münch gebildet iſt, und ſelbigen gar artig mit einer Platte und andern Zugehör praſentiret; zu beyden Seiten dieſes Münchs-Bildes finden ſich noch zwey andere Tropfſteine, die ſehr nahe bey denſelben und nur etwa zwey Ellen weit davon ſtehen, dieſelben ſind wie zwey menſchliche Bruſtbilder geſtaltet, und bedeuten des Münchs Aufwärter, werden auch mit dem jezt gedachten ſteinern Münch von etlichen für das Wahrzeichen gedachter Höhlen gehalten.* Succinit miranda obſervatione *Athanaſ. Kircherus* (*c. l. c. 1. p. 49.*) in Galliâ Narbonenſi Cadurei Crypta reperitur, ubi deſtillans lapidificus humor & in pavimentum usque cryptæ defluens, paulatim in altum excreſcens, duodecim veluti ſtatuas Monachorum in choro canentium efficit. Ita in Caverna Pools Hoole corporis humani figura ab Aqua deſtillante efficta cernitur, *Vid. Carol. Leigh.* (*Hiſt. Nat. Ceſtriæ ap. Aut. Act. Erud. Lipſ. A. 1701. p. 519.*)

§. 9.

Vidit ſilices in externam hominis figuram quaſi arte tornatos *Th. Bartholin. Cent. 3. Epiſt. 8. p. 31.*). Hominem ſilicerem mammas tenus in Muſeo ſuo habuit *O. Wormius*, deſcripſitque (*Hiſt. Nat. l. 1. §. 2. c. 13.*), exactè referentem caput, collum, humeros, pectoris ſumma, oculos & naſi protuberantiam ſcapulas ac colli muſculos. Alium lapidem mihi dedit Muſeo publico deſtinatum *amiciſſimus Collega & Affinis D. Henricus à Mœnichen, Medicus Regius*, memorat iterum *Th. Bartholin.* (*Vol. 1. Act. Hafn. obſ. 46. p. 83.*). Externo corrice homunculum exprimit, ſed in mediâ ſui cavitate piſciculi, ſ. halecis ſceleton exactè refert, lapidi innatum. Non procul â civitate Aquenſi Anno 1583. exciſum è rupe integri hominis lapidei ſceleton, cujus oſſa quidem è ſaxo friabili, at medullæ & cerebrum adeò dura fuerint, ut nec malleo ceſſerint, & admoto chalybe ignem ex iis elicere licuerit, è *Scriptore Gallico tradit Joh. Henric. Urſin.* (*l. 3. Annal. Sacr. c. 4. p. 268.*): Rupes in formâ Monachorum variis in locis oculis ſe objiciunt, v. g. in Sylva Hercyniæ, quarum altera *Hans Münch*, altera *Henning Münch* appellatur, quod *Martin. Zeiler.* (*Topogr. Brunſuic. p. 33.*) literis mandavit. Rupes in Norwegia propè inſulam Farenſem mons eſt eminens in Oceano, quem appellatione conformi navigantes Monachum vocant: Habet enim in ſuo naturali ſitu & inciſione partium, præſertim verticis cappam contextam, imo proprietatem, ut omnes in dira tempeſtate ad eum confugientes tutiſſimè

ſimè ſuſceptos conſoletur, *commentatur O. Magnus* (*l. 2. Epit. de Gent. Septentr. p.m. 42.*) in Inſula Melitenſi rupes maritima ſeorſim à monte dependens Monachum ſuſpenſum, qui vulgò *frate impiccato* dicitur, exprimit, quod *Ath. Kircher.* (*c. l. ſ. 1. c. 9. p. 40.*) narrat. Saxa quædam Ruſſiæ hominum, Camelorum & aliorum pecorum effigies repræſentant *Hieron. Hirnhaim.* (*Typh. Gener. Hum. c. c. 9. n. 12. p. 108.*) diſcurrit.

§. 10.

Refero huc, niſi omnipotentem Dei digitum in hanc ſcenam introducere velis, quod *Joh. Aventinus* (*l. 7. Hiſt. Bojor. f. 486.*) annotavit, Anno 1348. circa Noricum poſt terræ motum quinquaginta homines villicas mulgentes cum vaccis extinctas diriguiſſe & in ſtatuas ſalarias redactas. Hiſtoriam de Biedoblò Africæ mediterraneæ vico, quam *ab Havelo*, Vice Cancellario Melitenſi accepit *Kircherus* (*c. l. ſ. 2. c. 2. p. 53.*) à ſervâ autem Æthiopica *Hebelus*, inſerendam cenſeo, illum æſtivo tempore, nocte intempeſta cum incolis animalibus & arboribus & frumentis omnibus adſtrepentibus horrendum in modum ab æthere fragoribus, non ſine frequenti ſoli concuſſione momento in ſaxa obriguiſſe. Hariolor vi tempeſtatis abreptos in barathrum cum terra, & emerſiſſe tales ſtatuas. A fabulis minimè diſcrepare videatur prima Aventini relatio. Quorſum namque traducta fuit inſolita illa ſtatuarum turba, ut nemo hactenus eam in Noricis campis intueri poterit? Quis non ſeculum illud ſocordiæ & incurioſitatis circa tale prodigium incuſaret? Quis relationem ſervæ Æthiopicæ ſubleſtæ fidei non divinaret, cum quid peregrinantes Africanos altum de portento iſto, quod ſciam, ſit ſilentium. Circa Annum 1370. intra Ruſſiam & Tartariam in altitudine graduum 64. non procul à palude Kilaya Horta Baſchirdorum penitus in petras transmutata legitur, cum toto armento, curribus & Armamento. Dicunturque etiamnum hodie homines, cameli, equi, greges atque omne concomitans curruum & armamentorum genus, ſub dio concretum, horrendo ſpectaculo inſaxata ſtare tradidit *J. B. Helmont.* (*de Lithiaſ. c. 1. n. 18. p. 663.*) quæ forſan cum Hirnheimiana narratione (§. *præc.*) convenit. Si vera traditio, conjecturæque locus à mundi exordio in hæc tempora ſtetere hæ petræ, fortè ad mundi finem ſtaturæ. Interim nullius pietatis & veritatis homines illi narrationibus confictis peregrinantibus curioſis impoſuerunt.

§. 11.

Recte igitur monuit *Maximilian. Miſſon.* (*itin. per German. & Ital. p. 1. Epiſt. 14. p. 150.*) in his, de petrefactis recenſionibus, multa erronea, incerta & & fraudulenta recenſeri ab his, qui lucro pecuniæque inhiant. Notas igitur

tur quasdam propalarunt curiosiores Lyncei. De vegetabilibus ista *Georg. Agricola* (*l. 7. de Fossil. p. 539.*) Cum natura lapides arborum similes procreet, diligenter videndum est, an corticem & metullam aliaque habeant, quæ, si absunt, non stipites in lapides conversi sunt, sed natura fecit lapides stipitum simillimos. Argus igitur & in petrefactis animalibus & animalium partibus sit, curiositas requirere videtur. Est non leve argumentum fortuitò & casuali fluxu constituta esse similia phantasmata, ratiocinatur (*c. l. s. 1. p. 41.*) *Kircherus*, quod vix ulla ex iis, qua animalis figuram mentiuntur, forma perfecta sit, sed semper aliquid ad integram figuram constituendam requisitum, uti in capitibus vel oculus, vel nasus, vel os; in brachiis manus digitique, in tibiis pedes; (quod pictorum (addo statuariorum) industria ut plurimum emendat,) deesse comperiatur, ut non tam quid reverà sint, quam quid phantastica facultas, ea esse sibi imaginatur, judicemus quemadmodum paulo ante de nubibus, montibus, sputo, ceterisque rebus diximus. Ossa, quæ Natura producit, si confregeris, *docente Kirchero* (*c. l. p. 64.*) nulla in eis nec medulla, nec medullæ fistulosus meatus reperitur, quod fieri deberet, si hominum ossa forent. Addo his *Behrensium* (*c. l. p. 44.*): *Man kan an den vermeynten Knochen, sonderlich denenjenigen, so wie die Kinnbacken aussehen, solche wunderliche Apophyses oder Processus wahrnehmen, die wider die Osteologiam oder Anatomische Beschreibung derer Knochen lauffen, und niemahls ordinariè bey denen Menschen und Thier-Beinen zu finden, wie es denn ebenfals unter solchen unrechten Knochen dergleichen Stücke giebet, so gantz ungestalt, und mit keiner Figur eines rechten Beines überein kommen.*

§. 12.

Nihil in hac parte cedunt lapidibus metalla, quippe quæ & varias icones & imagunculas in terræ cavernis lapidum & petrarum scissuris recipiunt. Nec illud admiratione caret, *tradit Bohusl, Balbinus* (*c. l. c. 16. p. 45.*), quod sæpissime aurum vel argentum ac metalla cætera diversorum animantium figuras spontè naturæ exhibeant, & cum infectum Aurum vel Argentum effodere conantur, factum & formatum inveniunt. Non dicam de vineis in Hungaria & alibi, ubi vites uvas aureis acinis illustres, & folia aureis lineis nobilitata, quin & tota aurea emittunt. *Vid. J. Phil. Sachsius Noster* (*l. 1. Ampelograph. c. 5. p. 44. & seq.*) & quod *Joh. Joach. Becher.* (*p. 1. Metallurg. c. 1. p. 2.*) se observasse commemorat, eorum truncus aureis filis obvolvitur. Add. *Joh. Baptist. Fulgos.* (*l. 1. p. 6.*). *Jul. Cæs. Scaliger.* (*Exercit. 102. f. 1. p. 372.*). De virga aurea, quæ extra terram prominebat *Wencesl, Hageccius* (*Annal. Bohemic. p. 50.*). De alia virga & spica aurea ite-

iterum *Balbinus* (*l. c. p. 46.*), qui etiam de filis aureis noſtra ætate repertis. Scarabæus aureus, quamvis habitu Auri transmutatus aſſeratur *ab Eglino Iconio* (*Diſquiſ. de Helia Artiſta*) in eundem mihi venit cenſum. Tandem Giloviæ ſub Carolo IV. aureum Eqvulum eſſe repertum ſe aliquando legiſſe (*l. c. p. 45.*) citatus *Balbinus* annotat. In regione Hiſpaniola Cotay dicta inter Toſos & Rupium venas ſolidum purumque aurum invenitur, ſcripſit *Petr. Martyr.* (*l. 8. Oceanic. f. 61. b.*) ſcindendo ſaxa ſeqvuntur auri veſtigia. Eſſe arborem vivam Auri venam comperiunt. Quacunque patet iter è radice per apertas mollesque ſcatebras, ramos ad ſuperna ſupercilia montis emittit: neque unquam datur quieſcere, donec cœli auram aſſequatur: Formare ibi viſo aëris fulgore bactras & grumos pro fructu animadverterunt.

§. 13.

Ita & *teſte Georgio Agricola* (*l. 8. de Nat. Foſſil. p. 642. & in Bermanno p. 691.*) Argentum purum format natura in figuras modò Arborum, modò virgularum, nunc vero capillorum (Haar Silber) quo modo ſæpe reperitur condidisſimus glomus, qui totus è minimis argenti filis conſtet. Cuttenæ (in Bohemiâ) argentea virga *ab Antonio* reperta dedit originem, prodidit iterum (*c. l. & c. 17. p. 47.*) *Balbinus*. Monachum vocat *Joh. Matheſ.* (*Sarept Conc. 2. p. m. 67.*), *weil er über den Ort ſeine Kutten gedecket, inde nomen Cuttenberga* provenit. In Argenti fodinis Rudolphopolitanis inventum fruſtum (Argenti), quod crucem & Leonem ad vivum repræſentabat, *Joh. Jonſton.* (*Claſſ. 4. Thaumatogr. Nat. c. 27. p. 168.*) allegat. Sed *Jonſton. Mich. Gehlerum* (*Epiſt. 2. d. Gemm. Formicin.*) facit Autorem, qui tamen lectorem fallit, æquè ut (*l. de Conſtant. N. c. l. p. 59.*) dum diſſerit: Tacebo illud *Agricolæ*, (locus mihi hactenus non conſpectus,) vidimus parvam viri ſtatuam, qui infantem humeris ſuis ſuſtinebat ex Argento à Natura factam. Allegat & *Georg. Agricolam* (*l. 10. de Nat. Foſſil.*) *Andr. Libavius*) *p. 3. Singul. l. 5. de Succin. c. 35. p. 702.*), qui narrat, ſe vidiſſe parvam viri ſtatuam, qui infantem humeris ſuſtinuit ex Argento â naturâ factam non ab arte, effoſſam Snebergi, ſ. Nivemontii ex celeberrimo & fructuoſisſimo *D. Georgii* metallo. Sed & hic lectorem naſu ſuſpendit adunco. Non etenim id (*c. l.*) *apud Agricolam* invenies, ſed (*p. 659.*) beatæ virginis effigiei puerum in manibus geſtantis meminit, non ſtatuæ. Meretur hic inſeri *Wenceslai Hageccij* relatio de *Equo argenteo* (*c l. p. 127.*) Anno 952. *Dalymil richtete durch antreiben ſeines Weibes, welche eine Zauberin war, in einem Grunde eine Zeche an, alda wurde von ſeinen Bergleuthen ein ſtarcker Gang von Silber angetroffen, demſelben fuhren ſie nach, und funden einen groſſen Hauffen oder Klumpen Silber, gleich einem Roſſe,* wel-

welches sehr wunderbarlich selb wachsen und gediehen war, daß, wie man schreibet, Kein Meister in dem ganzen Lande gewesen, der ein solch Ross mit allem Fleisse hätte giessen können. Als dieses nun auf Befehl des Dalymils also mit grosser Mühe aus der Gruben gezogen, wurde es auf einen starcken Wagen geleget, und dem Herzoge auf Wischebrand gesandt. Herzog Boleslaus sahe es an, verwunderte sich sehr drüber, und, von grossen in diesem Lande unerhörten Wunders wegen, wollte Er, daß es andere Böhmen auch sehen sollten, lies es derowegen mitten im Schlosse auf einem sehr grossen Stein stellen, und sprach: Die Römer haben in ihrer Stadt von Kupffer gegossene caballos gehabt, die Böhmen aber habens von Silber. Und als dieses Ross durch der Werckleute Kunst, auf dem Stein gestellet worden, kamen ihrer viele die es mit Verwunderung anschaueten. Hæc ille, notavit id etiam (c. l. p. 45.) Balbinus.

§. 14.

Quod in saxorum mole & lapidum crustis natura meditatur, id curioso naturalium scrutatori in regno vegetabili non rarò obvenit. De Mandragorâ cum potius hominum, quam naturæ figmentum, impræsentiarum nil attinet dicere. Phaseolum Turcicum faciei humanæ imaginem referre *Hieron. Cardanus* (*l. 6. d. varietat. Rer. c. 22. p. 217.*) voluit. Myrtum hominis figuram exprimere, *è Theophrasto Sam. Bochartus* (*l. 1. Canaan c. 33. p. 654.*). Effigiem humanam in fungo exhibuit *Georg. Seger.* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 55. p. 113.*). In Rapa *P. J. Sachsius* (*ibid. A. 1. obs. 48. p. 139.*). Plantam aliam Anthropophoram orchidis speciem, quæ formam hominis nudi, capite, brachiis & pedibus, imò, quod mirum dictu, sexum perfectè mentitur vidit & recensuit *Athanas. Kircher.* (*l. 3. Mund. Magnet. p. 5. c. 2. p. 504.*). Conf. *Anonymus* (*Tr. Holländischer Löwe part. 9. circa finem.*). Nucem Indicam s. coccum minimam Cercopitheci faciem repræsentantem delineat *Georg. Segerus* (*M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 129. p. 172.*). Rapa prope Harlemum anno 1583. eruebatur humánam manum cum ungvibus, & distinctissimis digitorum lineamentis referens, cujus picturam apud *Cl. D. Baudarcium* vidit *Joh. Jonston.* (*de Nat. Constant. prop. 5. art. 2. p. 59.*). Raphanum ejusdem figuræ depictum dedit *illustris G. W. Wedelius* (*M. C. D. 1. A. 6. obs. 1. p. 1.*) Radicem Dauci sativi *D. Christian. Mencelius* (*c. l. A. 9. & 10. observ. 82. p. 218.*). Deprehendit *Th. Campanella* (*l. 4. de sens. Rer. c. 14. p. 324.*) apud Neocastrum Citria & Limones grandes, quorum alia formantur à naturâ instar manus hominum cum digitis & brachiali, prorsus & planta alia sicut cor, alia sicut veretrum cum præputio & testibus; alia ut cunnus omninò, ut videas ac mireris simul. Plura, DEO ANNUENTE, suggerent *de Plantis monstrosis commentarii.*

§. 15.

§. 15.

Sed è diverticulo in viam. Cauſas horum idolorum qui eruere geſtiunt in varia ſcinduntur agmina, variasque comminiſcuntur rationes. Sunt, qui à primâ creatione horum cauſam, à cauſa omnium cauſarum eminente deducunt. Et hæc ratio in petris varias ſtatuas repræſentantibus, extra terram, in terra & ſub terra in lapidibus & ſaxis monſtroſæ magnitudinis arbores, ſtatuas variis formis horrendas & admirandas exprimentibus militat. Refero huc ex *Joh. Aventino* modò (§. *10.*) datam hiſtoriam, ſi fabula non eſt, quod vereor, eò quod id miraculi genus ſe peregrinantibus hodiè non amplius objiciat, nec ab aliis Hiſtoricis Aventino coætaneis, aut qui poſt eum vixerunt in literas relatum & confirmatum fuerit. Spectant huc è Petris exciſæ ſtatuæ anthropomorphæ, quorum mentio non ita pridem (*§. 9.*) facta. Quis namque niſi Oreſtes homines aut homunculos, rupes & lapides perreptaſſe, ibidemque in lapides & ſilices condenſatos ſuſpicaretur? Geneſin harum Aſtrorum influxui tranſcribere placuit *Alberto Magno* (*l. 2. de Reb. Metall. & Lap. tr. 3. c. 2. p. m. 192.*). Quæ majori opere fabrefacta & accuratiori Naturæ ſtylo & penicillo ſculpta pictaque (addo efficta) ſunt, non niſi ad ſuperiorem (Aſtra) referri poſſunt cauſam, eamque, ut fit, ex prima derivatam, pronunciat (*Epiſt. 2. de Gemm. Formic.*) *Michaël Geblerus*. Tanta namque eſt Aſtrorum ſecundum diverſitatem motus & influentiæ vis, à multis usque ſeculis deducta, profitetur Idem, ut eam alii *cum Platone* animam quandam mundi, alii cœlum ſpiritus vivificum; nonnulli intelligentias Sphærarum motrices formas inferioribus largiri crediderint. Fortè hæc ad δαιδάλματα τὰ δαιμόνια non ineptè referuntur *addit Idem*. Suſpicantur aliqui, *ſcribit Andr. Libavius* (*p. 3. Singul. l. 5. de Succin. c. 35. p. 704.*) Genios ſubterraneos interdum ſtatuariorum pictorumque vices obire, ut poſteà fulciant ſuperſtitiones, aut excogitent novas. Ita Pygmæos ſubterraneos ollas foſſiles ſub terrâ parare imperitum Saxonicæ & Luſatiæ vulgus ſibi perſvaſit opinione. Toringi Nanos his ollis uſos, qui olim in Sebergo habitarint excavato, *Georg. Agricola* (*l. 7. de Nat. Foſſil. p. 639.*) tradidit, & ex eo forſan, aut poſt eum *Leonhard. Thurneuſer.* (*l. 7. Piſ. c. 84. p. 359.*) *Petr. Albin.* (*Meiſn. Berg-Chronick. Tit. 23. p. 177. ſq.*) *Caſp. Schwenckfeld.* (*l. 3. de Nat. Foſſil. Sileſ. p. 406.*) *Joh. Jonſton.* (*cl. 10. Thaumatogr. Nat. c. 4. art. 2. p. 458.*) *Joh. Dan. Major.* (*ad Fab. Columm. de Purpur. c. 1. §. 18. p. 22. & §. 21. p. 24.*)

§. 16.

Sed nihil nobis in hoc negotio cum cœlo, nihil cum barathro lapides cochleiformes ab anima ſua ſic effigiari, ut alii, qui formas ſtellarum, lingvarum,

Ro-

Rosarum, cornuum, dentium &c. habent, docuit *Petr. Borellus (Cent. 2. obs. 62. p. 159.)*, qui lapides & Metalla esse animata prius probare debuisset, & insimul attendere, animam consvetum corpus consvetâ figura semper donare. Rudiora lineamenta malim *cum Scaligero (l.c.p.371.)*, venarum subterranearum vel metalli vel lapidis reconditi difformitati acceptum ferre rectius sentit *Geblerus (c.l.)*, ut, temerè appositorum formam suscipiant, qua rimæ cedunt admissæ destillationi, qua novi humoris appulsus atque defluxus fit. Conf. *Nicol. Claud. Fabric. Peirescius ap. Petr. Gassend. (l. 4. de Vit. Peiresc. p.346.)*. Eleganter *ingeniosus Rob. Boyle (de orig. & virt. Gemmar. p.9.)*: Figuram cavitatis non tàm matricis, quam moduli vicem gerere, pronunciavit. Cucumeres & poma ex Agriculturæ præceptis ad quamlibet figuram ex vulgari natura tum evocari, tum confingi videmus. Vasculi formam, in quo inclusi fuerant, temerè suscipiunt fortuitam, sic invenies metalla. *J. C. Scaliger. (Exerc. 102. s. 1. v. 371.)*. Docuit id jam olim *Hippocrates (l. de genitura sect.3. op. p.14.) Petr. Aponus (in s. 20. probl. Aristot. 8. & 9. f. 174. b. sq.) Hier. Cardanus (l.18. de subtil. p. 935.) Petr. Andr. Matthiol. (in l. 2. Dioscor. c.127. p. 291.)*. De Citriis *ex Africano Constant. Imp. (l. 10. Geoponic. c. 9. p.m. 209.)*. De Cydoniis *(c.l. c.27. p. 217.)*. De pomis *Martin. Weinrich. (p. 1. de monstr. c. 15. f. 127. a.)*. Conf. & *J. B. Portam. (l.3. Mag. nat. c. 18. p.m. 158.) Joh. Jovian. Pontan. (l. 2. Hesper. v. 131.)*. Ita lapidem sabulosam s. Osteocollam figuram à loco, in quo generatur, accipere potissimum arbitratus est *Thom. Erastus (Epist. de lap. Sabulos. p. m. 140.)*. Exhibent etiam aliquando lapides instar argillosæ materiæ, mollitie ad id commoda, inde sinus tales vel tales nacti Formam concavitatis asciscunt. Et hoc felicius & citius cum lapides in principio molles notarit *G. Agricola (l. 7. de nat. Fossil. p. 630.)*. Unde silices inventi ramosi vid. *Mart. Ruland. (Lex. Chym. p. 173.) H. Volgnadius Noster (M. C. D. 1. A. 6. & 7. obs. 293. p. 352.)*. Arboresque lapideæ, de quibus *Georg. Agricola (l. c. p. 639.) Joh. Matthes. (Chronick. Joach. Vallens. de Anno 1557.)*. Comprimis si aqua stillatitia glacialis sinus istos adimpleat & in illis concrescat. Plura *Kircherus (l. 5. M. S. s. 2. c. 4. p. 64. sq.)*. Ex illa aqua stillatitia depluente absque hujusmodi cavitatum subsidio Stalactites in specu Baumanniana semina Fœniculi Anisi nucleosque Amygdalarum Saccharo obductos egregiè exprimens, ut Bellaria Tiburtina ex saxifico Agri Romani flumine depromta, de quibus *Fr. Leander Alberti (Descrittione di tutta Italia f. 148. b.) Petr. Andr. Matthiol. (in l. 5. Discor. præfat. p. 631.). Ulyss. Aldrovand. (l. 3. Mus. Metall. c. 3. p. 278.). Ol. Worm. (l. 1. Mus. s. 2. c. 6. p. 52.). Egregiè illud Vexir-Confect. D. Georg. Henning. Behrens (c.l. p. 19.), qui antea (p. 16.) & hoc singulare*

&

& verè admirandum annotavit. Unter vielen andern ist das daselbst befindliche Orgel-Werck (ex istiusmodi Stalactite) ein überaus herrliches, und schönes Kunststück der Natur, massen die Pfeiffen daran so naturell sind, daß sie auch von Künstlern verfertigten rechten Orgel-Pfeiffen nicht viel nachgeben werden. Plura & elegantiora (*in Descr. hujus speluncæ ap. Erud. Lips. Act. 1702. p. 306. sq.*) *Pl. Rev. Hermann von der Hard.* Ita & lapidem durum forma domunculæ ex Insulis Feroënsibus *Th. Bartholin.* (*Act. Hafn. V. 1. obs. 46. p. 84.*)

§. 17.

Probabilem petrefactionem corporis humani reddere videtur primus hominis ortus. Prima nobis nascendi initia lapides ederunt, si fabuloso credimus seculo, qui tanquam ossa terræ à Deucaleone post tergum jacti paulatim anima caluerunt. Ut repetant ortum, nonnullos in Lapidem accepimus conversos, disserit *Th. Bartholin.* (*cent. 2. hist. Anat. 100. p. 353.*). Crenam eò direxit *Juvenal.* (*Satyr. 1. v. 82.*), dum cecinit:

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem ascendit sortesque poposcit
Paulatimque anima caluerunt mollia saxa
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.

Ab hac lapidum jactatione *Apollodor.* (*l. 1. de Orig. Deor.*) existimat λαὸς, id est, populos dictos ἀπὸ τοῦ λάας, aut λᾶς, quod saxum denotat. Post Deucalionem secundi generis homines *festivus Lucianus* (*T. 2. Op. p. 660.*) tradidit ortos. *Add. Censorin.* (*l. de Die Natali*) ejusque commentatorem *Henr. Lindenbrogium.* Irridet meritò hanc fabulam *Arnob.* (*l. 5. adv. gent. p. 160.*), quamvis sacra huic adversari non videantur, quando DEUM *Abrahamo* (*Matth. 3. v. 9.*) è lapidibus liberos suscitare posse Salvator profitetur. Mitigavit tandem hoc figmentum *Paulus ap. Johannem Boccatium* (*c. 4. Geneal. Deor. c. 41. p. m. 104.*), quando id à *Barlaam* sic explicatum commemoravit. Dicebat namque se legisse *in Græcorum antiquissimis annalibus*, ob hoc diluvium territos homines & ad suprema usque montium effugisse atque intrasse cavernas & antra unà cum mulieribus suis expectaturos finem, & ad hos *Deucalionem* & *Pyrrham* cessantibus aquis in mœsto atque supplicum habitu accessisse, & *Deucalionem* hominibus (viris) & *Pyrrham* mulieribus non absque labore maximo svasisse, aquas cessasse, nec amplius fore timendum, & sic eos â verticibus montium, atque ex saxeis antris eis scil. ambobus præcedentibus in habitationes & tecta reduxisse. Mysticam significationem (*Amazonic. s. l. 8. orig. Antwerp. p. 904.*) inseruit *Joh. Gorop. Becanus.* Spectat huc *Helmontii* (*tr.*

(*tr. arbor vitæ p. 631.*) Discursus: *Paracelsus* totum lapidum acervum, mundumque universum, quandoque unicum fuisse lapidem autumat, aut univocum saltem liquorem petrosum, qui in pyritem, saxa, lapides, & sales distinctus vitalitatis indicia per multa reptilia dederit.

§. 18.

Verior & sacris literis conformior est sententia, quâ hominem è terra creatum omnipotentis Conditoris manu, credimus. *Liber Geneseos* (*c. 2. v. 7.*) id satis declarat, qui Protoplastum de Adamah, s. terra rubra conditum firmat. Quam terram selectam & in quintam quandam essentiam quasi redactam interpretatus est *Edmund. Dickinson.* (*Phys. vet. & Ver. c. 11. n. 6. p. 241.*) Adam non ex terra rudi conditus, sed terrâ rubrâ â DEO cultâ, balsamo cœlesti irroratâ, ut exinde velut nobilissima materia tanta formositate ornatus, velut supplementum naturæ, & Microcosmus, mundi heros, & naturæ Dominus â DEO proclamatus fuerit *Joh. Christoph. Steebius* (*Elix. Salis & vitæ. §. 3.*) profitetur, qui alibi (*Cœl. Sephirot. c. 6. s. 4. n. 1327. & 28. p. 116.* hanc terram rubram nullibi præter in Auro inveniri tradidit. Non scriptum est, quod glebam DEUS assumserit, sed Aphar Min Haadamah, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς. Non terram, sed pulverem, docuit *Andr. Libav.* (*l. 7. Hexaëm. f. 30. p. 632.*). Aquam Terræ superaddit *Francisc. Valles.* (*Sacr. Philos. c. 45. p. 260.*) Homo in principio factus est secundum corpoream molem ex terra & aquâ commistis, ut sc. fit lutum atque adeò ex limo Terræ, id est, ex terræ & aquæ mistura atque inde fluimus, illamque naturam nobiscum deferimus. Pulverem se vocat Paeter credentium *Abraham* (*Genes. c. 18. v. 27.*); Argillam *David Ps. 119. v. 73.*); lutum *Isaias* (*c. 64. v. 8.*), *DEUM* plasmatorem. Hic namque

Limavit per membra virum de pulvere factum,
Limus adhuc deformis erat; membratur in artus
Corporeos, species hominis cœlestis imago.
Conspicitur nova forma viri sine mente parumper
Spiritus infusus subitò per membra cucurrit.

Dracont. (*Hexaëm. v. 220.*). Inde corpus plasmatum fertur, & in Græco est ἔπλασεν.

§. 19.

Nec id Ethnicos latuisse videtur. Hi namque homines plasma *Promethei* è luto fabuloso Syrmate indutum orbi propalarunt. Pluribus hoc figmentum prosecutus est (*l. 2. c. 24. p. m. 100.*) *Joh. Boccatius.* Suam ut firmaret hypothesin

thesin *Franc. Vallesius (l.c.)* gentes, aut potius Poëtas id obumbrasse connubio *Pelei & Thetidis*, (πηλὸς enim lutum est,) adeoque luti & aquæ, quibus nuptiis dicebant omnes Deos interfuisse, præter Discordiam. Quia sc. virtutibus cœlestibus conjungentibus, & in concordiam trahentibus Elementa orta sunt omnia. Ex terra pluviis imprægnata, seu putri materia, concurrentes astrorum virtute instar fungorum hominum ortum delineavit *Plato (in Menexem.)*. *Empedocles* natos homines ex terra ait, ut Blitum, *Varro (ap. Nonium V. Blitum)* memorat. Aliam Empedoclis mentem promulgavit *Plutarchus (l. 5. de placit. Philos. c. 19.)*, *Empedocles* hominum mentem ex terra quasi prægnante passim edita in formam humanam coisse docuit, *teste Petr. Daniel. Huetio (l. 2. quæst. Alnet. c. 7. p. 148.)*, qui *Plutarchum (l. 5. de placit. Philos. c. 9.) cum Heinrico Lindenbrogio allegat (c. l.)*, de quo tamen *ap. Plutarchum (l. c.)* altum silentium, tametsi alibi *(l. 2. Sympos. probl. 3. p. m. 193.)* Animalia è terra primum orta, nulla factâ *Empedoclis* mentione fatetur. Homines igitur *Aristophani (in Avibus)* πλάσματα πηλȣ̃ plasmata luti. Terræ statuæ *Galeno (l. 3. de U. P. p. m. 385.)*, & *Ovidio (v. Metamorph. Fab. 7. v. 414.)*:

Inde genus durum sumus, experiensque laborum,
Et documenta damus, quâ simus origine nati.

§. 20.

Cum igitur lapides sint è terrâ, *juxta Georg. Agricol. (l. 1. de ort. & caus. subterr. p. 492.) Robert. Boyle (tr. de Gemm. p. 6.) Nicol. Stenon. (Myolog. p. 121.) J. P. Fabr. (l. 4. Panchym. s. 4. c. 1. p. 510.)*; E terra rudi & argillâ, ut vult *Fr. Baco Verulam. (Sylv. Sylv. Cent. 1. Exper. 83. col. 775.)*, aut luto tenaci, ut iterum *Georg. Agric. (c. l. p. 513.)*, aut limo, ut *Dan. Georg. Morhof. (Epist. de Transmut. Metall. p. 26.)*, aut pulvere terræ, *secundum Eundem (de Scyph. Vitr. rupt. p. 33.)* conjicere in proclivi erit, corpus humanum petrificationi ineptum omninò esse, idque eò magis, quò materia ista terrea non in substantia, sed resoluta, instar aquæ mucosæ viscosæque, qualis resoluti Tartari. Inde aquam mucilaginosam lapidum materiam adoptavit *Aur. Theophr. Paracels. (l. 1. de gener. rer. p. 885. de mod. pharmac. p. 772. l. 1. de morb. Tartar. tr. 1. not. in c. 5. p. 394.)* quam & Tartaream nuncupat *(ib. in not. ad c. 1. p. 392. & l. 2. tr. 5. c. 2. p. 409.)*. Bene inde *Anonymus (de L. P. in Mus. Hermet. p. 426.)*: Nulla terra in lapides convertitur, nisi ex pingvi viscosaque aliquâ terra & humiditate benè commista sit. Et Guram Lapidum Adipi similem ebuccinat *Joh. Rud. Glauber. (p. 2. op. mineral. p. 42.)*

§. 21.

Et hanc ad lapideam duritiem dispositionem à primo ortu, inspirata & ingesta augent & confirmant. Notum namque in aëre saxea undulare effluvia, de quibus *infra (§. 189.)* pluribus. Et indubium esculenta & potulenta in se habere terream substantiam, quæ Vulcani imperio non auscultat, & à plurimis Tartari nomine exprimitur. Εὕρημα illud est Paracelsicum. *Paracelsus* namque Tartari nomen Poëtis aliàs solenne primus in medicinam intulit. Tartarum ipsi vocatur, ut se explicat (*l. 1. de morb. Tartar. c. 1. p. 283.*): *daß er ein Oel, ein Wasser, eine Tinctur, ein Salem giebt, welches den Krancken gleichwie ein höllisch Feuer anzündt und brennt, denn Tartarum ist die Hölle.* Meritò ei nomen cum inferno, quod voracissimus sit, *scripsit ad Sachsium Nostrum* (*l. 2. Ampelogr. s. 9. c. 2. p. 585.*) *Magnif. Noster Argonauta.* Tartarum infernalem peccatum quidem excitavit, at Paracelsicum non videtur, suggillat *Paracelsum Andr. Libavius* (*in l. Mich. de Alchym. n. 24. p. 73.*). Est enim, *pergit*, naturalis quædam apocrisis è vino, æquè in Paradiso evasura ac post. Ab *Hippocrato* Tartarum vocari τὸ παχύτατον καὶ ἰλυωδέστατον crassissimum & turbidissimum σταθμωδέστατον ponderosissimum βαρύτατον gravissimum (*l. de Aër. loc. & aquis*) sunt qui autumant. (Vid. *Joh. Ludov. Müller. Diss. Inaug. de morb. Tartar. c. 1. p. 5.*). Trahunt huc τὰ πῶρος καλούμενα νοσήματα (*l. de morb. int. S. 5. op. p. 119.*), an rectè, Autorem evolventibus patebit. Apud vetustissimos Medicos non legitur: Apud Barbaros tamen Medicos id nominis ante *Paracelsum offendet, v. g. ap. Nicolaum Præpositum, Petrum Argillatam, Leonem de Prædapalea, Concoregium, Platearium, vid. Sachsius (c. l.)* sub Fecum vini nomine latuit. Poterit id colligi è *Dioscoride* (*l. 5. de mat. med. c. 132. p. m. 379.*). Locus insignis est apud *Galenum* (*l. 1. de Simpl. med. Facult. c. 17. p. m. 560.*). In omnibus liquoribus, quos exprimendis fructibus conficiunt, crassum defertur quippiam, quod temporis spatio subsidit. Fex vocatur in vino, in oleo autem Amurca. Sed & in omnibus aliis inest, quod illis proportione respondet, tametsi proprium nomen sortitum non sit, quod velut fex est in illis. Adde quæ de fece aceti consignavit *Plinius*, (*l. 21. c. 2.*), corticem vasculi vetustissimi vini vocabat *Cœlius Aurelian.* (*l. 2. Chronic. pass. c. 13. p. m. 61.*), bibendumque ejusdem pulverem in effluxione sangvinis svadebat. Tartari vini historiam à *Basilio Valentino Paracelsum mutuasse J. B. Helmont.* (*de Lithias. c. 4. n. 4. p. 677.*) autor est.

§. 22.

E terra autem Tartari scaturiginem deduxit *Paracelsus* (*c. l. p. 284.*): *Eine iegliche Feuchte von der Erden empfähet in ihr eine incorporirte Materiam, die in*

die Coagulation genaturet ist, als das gemeineste Exempel ausweiset. Der Wein kommt von der Erden, und bringt eine solche incorporirte Materiam mit sich, und so sie kommt in der Operation der Coagulirung, so scheidt sich das Coagulatum vom Wein, und hängt sich inwendig an das Faß, und das heißt Tartarum vini. Also ist auch im Wasser dergleichen ein Tartarum, der sich in subtil Wasser hindan scheidet, der heißt Tartarum aquæ. Also auch von der Milch, heisset Tartarum lactis; Also kommt auch ein Tartarum vom Safft des Obst, vom Safft der Kräuter, der heißt Tartarum Succorum, Herbarum &c. Also auch ein Tartarum aus den Leguminibus (& frumentis, ibid. c. 11. p. 350.) und aus alle dem das feucht ist, so wir essen und trincken. Et post (c. l. c. 3. p. 287.) Aus den Steinen kommt eine Materia heraus, und heißt liquor terræ. Welcher Liquor nachfolgend das Nutrimentum ist, aller wachsenden Dingen. Und so dieselben wachsende Dinge denselben Liquorem an sich ziehen, und der Archeus naturæ den Unflat nicht separiret, das ist, er scheidet den Tartarum nicht von dem Liquore, sondern läßts im Nutriment bleiben, und also kommt es in die wachsenden Dinge, und weiter von den wachsenden Dingen in den Menschen.

§. 23.

Distinxit autem Tartarum in internum s. Hominis, & extraneum s. Elementorum. *Es ist ein ander genus Tartari verhanden, der nichts äusserliches an ihm hat, das ist, es ist ein angebohrner Tartarus, der allein im Menschen wird, und wächßt ohne die äuserliche Hülff, und Hinzuthun. Und ist die Ursach, daß der Mensch ist Microcosmus, und hat sein eigenen angebohrnen Tartarum, gleich so wohl als Major Mundus. (ibid. c. 5. p. 291.). Die äusern Tartara kommen in uns durch Speise und Tranck, da sie in uns zu Tartara humana werden: und von wegen des Archei humani, (p. 290.).* Paucis hanc *Paracelsi* sententiam expressit (*tr. Tartar. histor. n. 8. p. 187.*) *J. B. Helmont.* Cum cibis ac potibus proditoriè hostes Tartari intrant, penetrant in profundum, commiscentur radicaliter & clauduntur sigillo occulto. Itaque sese vel à puro alimento intus separant aliqui statim: alii verò unà cum alimento manent, quo absumto, superstites coagulantur sub forma mucilaginis, luti s. boli, arenæ demum s. lapidis. Triplicem igitur Tartarum fecit *Gverner. Rolfinck,* salinum, argillosum, & fecalem (*Diss. Chym. 1. c. 1. p. 3.*). Alios quatuor genera constituere, *Dan. Sennert.* (*de Cons. Chym. c. Aristot. c. 16. p. 275.*) Viscosum, bolare, arenosum & calculosum, dictitat. Aliud autem plus salis, aliud minus continere: Unde etiam majores, aliud minores dolores concitare. Ad duo restrinxit Tartara vegetabilium;

unum vocat ſalinum & volubile, ſ. acetoſum, alterum argilloſum, ſ. arenoſum & indiſſolubile *Angel. Sala* (*S.1. Tartarol. c. 2. p. 9.*)

§. 24.

Ut de vegetabilibus ſaltem quædam in lucem afferam. Vinorum Apothecas recludere animus non eſt, cum eorum Tartarus quam maximè oculos feriat. Chemicorum ſaltem viſitabo ergaſteria, quorum opera in ſalibus parandis vertitur. Duplex autem è vegetabilibus parant ſal: Unum volatile vocant quidam, eſſentiale alii. Et hoc è ſuccis expreſſis herbarum, aut etiam eorum decoctis inſpiſſatis eliciunt & parant. Modum parandi ex ſcribere non vacat. Evolvatur *Philipp. Müller.* (*l. 4. Miracul. Chym. c. 4. p. 88.*), *Joh. Beguin.* (*l. 2. Tyrocin. Chym. c. 17. p. 49.*), Ejusque Commentator *Chriſt. Glückrad, qvem Joh. Hartmannum eſſe* non ſine cauſa voluit (*ap. Th. Bartholin. Ciſt. Med. Locul. 62. p. 625.*) *Joh. Rhodius*, ut etiam notas iſtas cum Beguini Tyrocinio eam ob cauſam operibus Hartmannianis inſertas deprehendas. *Petr. Poterius* (*l. 1. ſ. 8. Pharmac. Spagyr. c. 1. p. 493.*). *Daniel. Sennert.* (*l. 5. inſtit. Med. p. 3. ſ. 3. c. 15. p. 1422.*). *P. J. Faber* (*l. 2. Myrothec. Spagyr. c. 2. p. 539.*) *Hadrian. à Mynſicht.* (*ſ. 11. Armam. p. 204.*). Apparet illud in Herbis cumprimis acetoſis, v. g. Acetoſa vulgari & Hiſpanica, Acetoſella, quinimò ipſis vitis foliis. De Succo Cydoniorum obſervavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 5. hiſt. 22. p. 38. & Dn. D. Fr. Hoffmann. Pater* (*l. 4. Schrœd. ſ. 1. c. 126.*), quod æquè ac vinum lateribus vaſis affigat Chryſtallos. Idem in Succo pyrorum, & Berberum conſpicitur. Quid pulpa Tamarindorum, Meſpillorum, ſorbi torminalis, prunorum? præterquam Tartari indumentum? Quid Saccharum? Salis ſpeciem volebat *Archigenes apud Æginetam* (*l. 2. c. 54.*) & ἅλα ἰνδικὸν vocabat, *ὅμοιον τῇ συςάσει ἁλσὶ, καὶ θραυόμενον ὑπὸ τοῖς ὀδȣ̃σιν καθάπερ ἅλες*: Conſiſtentia ſali ſimile, ac dentibus etiam ſalis modo fragile *Diſcoridi* (*l. 2. c. 104. p. m. 122.*). *Add. Joh. Ant. Saracen. Schol. in h. l. p. 37.*) & *Joh. Heinrich Meibom.* (*de Cereviſia c. 22. n. 16.*). Quid Mel? quid Manna? ſi exactius examines, quam delicatum vegetabilium Tartarum. Saccharo quaſi obducta pruna, pyra & alios fructus deglubatos & exſiccatos cernimus. Id verò Tartarum eorum eſt ſub ſacchari larva tranſudans. Quocirca & Tartarum non ſoli viti, ſed & omnibus vegetabilium ſuccis ineſſe talem, qualis ineſt vinis, rectè concludit *Dav. Beckius* (*Experim. circa Rerum Natur. Princ. p. 11.*). Salia igitur eſſentialia propriè non ſalia eſſe, ſed Tartarum, exiſtimavit *Joh. Zwölffer.* (*Append. ad Animadv. in Auguſt. Pharmac. p. 67. & 68.*) & *Angelus Sala* (*ſ. 2. Tartarol. c. 4. p. 78.*) diverſitatem ſalium & Tartari demonſtrare rationibus, quamvis *Beckio judice* parum ſolidis, nititur.

titur. Et hoc cum ex salinis particulis cum terreis coëuntibus prosurgat, optime, profitente *Exc. G. Wolfg. Wedelio nostro* (*l. 2. Pharmacol. s. 4. c. 4. n. 6. p. 176.*). Lapideam feculentiam nominat *laudatus Fried. Hoffmann.* (*c. l. l. 1. c. 11. p. 17.*). Lapides & cortices fructuum non attingo, qui si calcinentur Alcali promunt, ut in succo uvarum & aliorum vegetabilium mechanica illa Naturæ instrumenta Alcali & Acidum s. aqua & ignis mutuo coagulata Tartari nomine salutantur. Vid. *iterum Beckius* (*c. l. p. 10.*)

§. 25.

A soli dispositione non rarò vitium sumunt vegetabilia. In multis Sveciæ locis etiam si ager admodum laboriosè colitur, & terra sive gleba benè maceretur, tamen quadriennii spatio magna agri pars lapidescit *Barthol. Kekermann.* (*l. 2. System. Phys. c. 13. p. 174.*) commemorat. Nocere igitur vina in terrâ limosa, argillosa, lapidosa quæ crescunt, mineralem margam, tophum aut aliud minerale admixtum habentia *Jul. Cæs. Benedictus* (*l. 9. Epist. med. 1.*) *scripsit.* Solo petroso gaudentes vineæ, nostris *die Kalckberge*, & vina *Kalckigte Weine* vocantur calculosis & Arthriticis maximè noxia. Sapienter igitur Diætetica Nephriticis alimenta in arenosis nata prohibet *Joh. Chrysost. Magnenus* (*Democr. Revivisc. Disp. 2. c. 4. propos. 35. p. 294.*), quod omnia è solo ubi oriuntur participent, ut patet in vinis, frumentis, ciceribus, quorum aliqui ratione soli vix arte ulla macerari unquam possunt, (*Sie bleiben gantz und kochen nicht weich*). Quapropter alimenta grumis lapidiformibus prædita, ut pyra, Cydonia &c. nephritici ne attingant, cautum est medicis legibus. Nam cum succo attraxerunt arenulas, aliaque insensibilia, quæ non satis edomita in corpore humano non parum pariunt incommodi, ex visco lapides fiunt, & ex insensibilibus particulis calculi sex & amplius unciarum. Hæc ille. Rectè proinde *Nard. Anton. Recchus* (*l. 8. Rer. Med. Nov. Hispan. c. 58. p. 302.*) Lapides in animantibus concrescere ex materia terrestri arenosa in alimentis, quibus vescitur corpus, latenter hærendo pronunciavit. Posset his enervari illud *Joh. B. Portæ* (*l. 6. Phytognom. c. 20. p. 396.*), Plantas super saxa crescentes, eaque frangentes, ut saxifragæ & petrifindulæ inde dicantur, ad frangendos in corporibus calculos valere. Sed de hoc forsan alibi fusius.

§. 26.

Quicquid igitur à terra germinat, terræ secum fert conditiones, cumque homo à cibus è terra germinantibus nutriatur, terræ varias species in se transmutat, eandem è Galenicis (ut & ex his quædam addam,) cum Paracelso tibiam inflat *Stephan. Roderic. Castrensis* (*l. 4. de Meteor. Microcosm. c. 15. p. 212.*).

212.). Quicquid gypseum è terra suxerunt plantæ, *pergit*, in hominis ventriculum ingressum nunquam in nutrimentum abit, id est, nunquam in substantiam nutrito similem mutari, sed semper suam retinere nobis extraneam naturam. Hæc mucilago gypsea parietibus vasorum humani corporis non aliter adhæret, quam Tartarum in doliis, non quidem, quia nimis glutinosa est, ut vulgus putat, sed quia facilè sua humiditate apud aridam substantiam retinetur. Possumus, *concludit*, substantiam istam, quæ simul cum cibo corpus nostrum ingreditur appellare gypseam, quia ex terra quasi gypsum quoddam separatur, appellamus & Tartarum, siquidem fex est, quæ in similitudinem Tartari vasis adhæret, non desunt, qui usneam dicant, (quod *Paracelsus* fecit,) quia non aliter exterius & interius corpori adjungitur, quam usnea plantis (aut lapidibus, ossibus, seu cranio humano,) quando etiam hæc usnea in parietibus domum tanquam lepra in parietibus Microcosmi jubetur mundari (*Levit. c. 14.*) Conf. *Dan. Sennert.* (*de Cons. & Dissens. Chym. c. Aristot. c. 16. p. 276.*). Confundit autem Tartarum acetosum cum limoso & Arenoso *Castrensis*, cum gypseum posterius saltim exprimat. Quomodo verò limosa & arenosa Tartara è vegetabilibus extrahantur *Angel. Sala* (*c. l. c. 5. p. 80. sq.*) promulgavit.

§. 27.

Ita aquas seminio lapideo impraegnatas non innoxie bibi, benè *J. B. Helmont.* (*de Lithias. c. 1. n. 18. p. 663.*) monuit, eò quod Archeum disponunt in saxeam indolem torminibus infestant, vitam abbreviant, enecantque præcordia, antequam bibendo transmutentur in saxum. In Monasterio rubro Zoniæ propè Bruxellam, ac templi sacrario spirant fontes aliquot, saxa qui parieti apponunt, contra adagium: Gutta cavat lapidem sæpe cadendo. Unco namque & securi frequenter saxa adnata decutiunt. Monachi autem queruntur, se strophas seu tormina pati, nisi semine dauci, cerevisiis incocto, utantur quotidiè. De Aquarum, quæ succum lapidescentem imbiberunt peste quædam habet *Georg. Agricola* (*l. 2. de Nat. Eorum, quæ effluunt è terra p. m. 541.*). In vesica bovina arenam quasi metallicam & lapillos anno 1664. in Hungariâ invenit David Spilenbergerus, quorum origo fortè ex aquâ metallicâ Spiritu lapidifico prægnante ebibita, aut ab herbis comestis minerali seminio gravidis, effatur *Sachsius* (*l. 1. Gammarol. c. 74. §. 8. p. 297.*). De fonte qui in Suburbio Clarimontis in Avernia reperitur; cujus aqua perlimpida est & statim congelatur in lapidem, unde mors subsequitur ex colico dolore hinc suborto, evolv. *Petr. Joh. Faber* (*l. 2. Hydrog. Spagyr. c. 14. 167.*). Movit hoc *Dn. D. Christianum Langium*, ut bona fide thermas Carolinas bibendai

das nemini ſvadere vellet, eò quod liquor ille Thermarum 24. horarum ſpatio omnia injecta lapideo involucro amiciat, adeoque timendum, ne vaſa Meſenterii candicantia aliorumque viſcerum tubuli tophaceâ hâc & à naturâ noſtrâ prorſus aliena materia infarciantur, (*de Therm. Carolin. c.5. n. 17. 21. & 22. p.250. ſq.*). In quo tamen à metu liberandos ægrotos cenſeo. Viſibilia Carolinarum contenta ab aqua non niſi aëre ejusdemque frigiditate ſeparantur. Dum verò bibuntur, calidiſſimæ bibuntur, corpusque ſubeunt calidum, in quo per breve temporis ſpatium morantur, in perpetuo motu oppidò per inferiora egeruntur. Quod ſi & hæc egeſtio differatur, evomuntur, imprimis in iis, quibus alvus aſtricta, teneriorque ſtomachus. Quod ſi quicquam de uſneâ iſtâ in ventriculi & inteſtinorum parietibus remaneat, à purgantibus in medio & fine curæ Thermalis adhibendis eliminatur. Illis verò qui debito calore calidam illam non abſorbuerunt, aut ſenio confecti, nativi caloris pauperiem ſentiunt, ſegnior evacuatio ſuccedit, torminibusque ventriculi & inteſtinorum tentantur, quos tamen non ſemel divina aſpirante gratia debitis medicaminibus reſtitui, & ut ſaniorem ſequerentur inpoſterum methodum, monui. *Conf. J. C. S.* (*Therm. Carolin. p. 40.*). Aberrat igitur *Andr. Libavius* quando (*in l. Michel. de Alchym. c. 24. p. 70.*) concludit: Ridiculum eſt, ſi Tartaria natura conſtat ex terra, Sale & Alumine, hæc omni cibo & potui, atque porro etiam corporibus, in quibus nunquam ſunt inventa, nec ulla unquam arte ex illis elicita, ex mera phantaſia communicare.

§. 28.

Paracelſo ut in multis, ita & in doctrina Tartari contradixit *J. B. Helmont.* (*tr. Tartari hiſtoria, Tartari vini hiſtoria, inventio Tartari in morbis temeraria, Alimenta Tartari inſontia, Tartarus non in potu*) qui, ſi libet, videatur, cuncta namque perſequi non ſedet animus, nec licet. Comprimis malè illum habet, quod ſcripſerit, terram poſt reatum tribulos atque ſpinas producere, quorum allegoriâ Tartarorum maledictio & ortus nobis deſignentur, (*tr. Tartari hiſt. n. 8. p. 187.*). *Helmont.* verò (*tr. Magnum oportet n. 25. p. 125.*) Reſiduitates poteſtatum vitæ mediæ tam in alimentis, quam excrementis ſunt ægritudinum ferè omnium occaſionale initium, & hactenus tribuli & ſpinæ. Objicit, Tartarus non fuit creatus à DEO, ergo non eſt ullatenus. Semina quidem tribulorum & ſpinarum Agricolis primis ſunt promiſſa, non quod exin per maledictionem nova creatura, ſingulis alimentis in tartarum eſſet transmutata aut immiſta, quæ ante lapſum non fuiſſet: nam maledictio peccatum prægreſſa eſſet, & pœna illata ante reatum: Aut ut ante elocutus eſt, Crea-

tor fecisset supplicium ante culpam & mortem in materia, (*tr. Alim. Tart. insont. n. 3. & 4. p. 195.*). Vellem, considerasset *Helmont*, quæ *alibi*: (*tr. Pharmacopol. & Disp. med. n. 44. p. 373.*), si benè investigetur, *inquit*, vix aliquid immune natura habet, quod suum toxium sibi clanculum admistum non habeat. Idcirco simplicium censum ingressi paucula reperimus insontia: imò si campos aspexeris, totus terræ globus non nisi unica & continċta aranearum tela est, (*n. 45.*). Et paulo post: (*n. 46.*) DEUS venena nobis noluit esse venena, aut nocua. Nec enim mortem fecit, nec medicamentum exterminii in terrâ: sed potius ut parvo nostri studio mutarentur in grandia amoris sui pignora, in usum mortalium, contra futuorum morborum sævitiem.

§. 29.

Addo & aliud Helmontianum (*tr. Tartar. non in potu n. 7. p. 203.*), si quid mali nunc fit, aut fiat inter digestiones id sanè non ex materiæ creatione, destinatione, proprietate efficiente & intentione finali Creatoris: sed nostri prorsus errore & naturæ corruptione defluit. Recepta nimirum peregrinorum importunitate, defectuosa, altilium transmutatione, aut non sat severâ nocuorum expulsione ejusmodi contingunt. Idem de Tartaro cum cibo & potu assumto poterit judicari. Si bene corpus habet, si viscerum digestiones ritè procedunt, & ille cum reliquis culinarum sordibus everretur, nec morbosus evadet. Ita inter excrementa retulit Tartarum, (*Supplem. de Font. Spadan. Paradox. 3. n. 11. p. 550.*). Est duplex excrementum in nobis: Unum nostrum, quod putredini & fœtori subjacet: aliud autem rerum, quod hostili coagulatione suam proditor perficit tragœdiam, generali etymo dicitur. Hic etiam (*c. l. Paradox. 5. n. 2. q. 553.*) Spadanas morbis convenire statuit, qui ex hoste Tartaro præter naturam intus recepto & coagulato conscendunt. Modò constante vitæ radice sufficienti, id est satis tempestivè hauriantur. *Franc. Osw. Grems. Helmontii Simia Martino Kergero* (*de Ferm. s. 2. c. 1. p. 115.*) vocatus, transmutatorum vitia in communi Tartarum vocari asseruit Medicis, (*l. 2. Arb. integr. & ruinos. hom. c. 1. §. 6. n. 3. p. 109.*). Hic Tartarus licet in aliis venis & glandulosis corporibus reperiatur, vel maximè tamen in Mesenterio, dictitat.

§. 30.

Tartari etiam cruoris mentionem fecit *Helmont.* (*tr. Tumul. Pest. p. 653.*). Primus ego quanquam Tartari causas morbificas expulerim, *judicat*, tamen ne videar cuncta ex animositate velle innovare, has sordes (sextæ digestionis) Tartarum cruoris hic vocabo: licet etymo improprio, veri nominis defectu.

Ex-

Excrementa ergò ejusmodi, ſive aliunde in habitum corporis ſint delata; ſeu demum proprio facultatum errore ſub transmutando facta, ſeu denique externorum violento imperio ibidem degenerata, Tartarum cruoris nuncupo. Non quod reverà ſint Tartari in materia ac modo Tartari vini: ſed quia ex bono alimento jam deturpato, quod anteà fecundum erat, æquè vitale, poſteà hoſtile evaſerit. Hæcque ideò præmonui, ut ſciatis Tartarum cruoris eſſe productum peſtis, illumque facilè fieri à cauſis efficientibus peſtiferis. Tartarum cruoris eſſe formam mucaginis, *paulò poſt (p. 855.)*. Conſideremus ſextæ digeſtionis mucilaginem excrementitiam (Tartarum cruoris) adhærere intra harundines (unico ſic etymo voco venas, arterias, inteſtina & canales quoslibet,) ſua primum qualitate inſontem: ſed hoſpitii jus quatenus indirectè advena eſt, violantem, ideoque per ſe parti inſidiantem &c. Eadem excerpta protulit *Grembſius (c. l. c. 5. n. 12. p. 438.) Add. P. J. Fabrum (Chirurg. Spagyr. ſ. 1. c. 3. p. 956. & c. 14. p. 977.)*

§. 31.

En Helmontii inconſtantiam! Audire etiam forſan juvabit *Magni Noſtri Georg. Hieron. Velſchii (Diſſ. 2. de Ægagrop. p. 20.)* Judicium: *Paracelſus (l. 2. de Tart. c. 4.)* Lithiaſin in ſtomacho, aliisque corporis partibus à Tartaro derivabat, quod mero nominis odio, & ludicrâ vocularum velitatione negatum ibat *J. B. Helmontius*, meliora certe ne quicquam ſubſtituens eandemque fabulam confictis in morbonia obſcuriſſimis aliis & nil quidquam ſignificantibus agebat. Si enim Duelech illius (etiam *Paracelſi eſt,*) tantopere decantatum penitius inſpiciatur, cum ipſo ſono Boëmici aut Polonici quid tinniat, ſi cum ſucco lapidifico idem conſtituatur, utraque pollice probare poterimus, quamvis naturam illius à propriâ forma dependentem, non minus quam iſtius ignorare cogamur, niſi quod utrique ſalini quippiam ineſſe nemo Naturæ conſultus & Chemiæ peritior diffiteatur. Quin ipſe *Paracelſus (Fragm. l. 1. de Tart. c. 1.)*: Duelech illud tophum interpretabatur, aut lapidem tophaceum, & *(tr. 4. c. 5.)* Spongioſum ac foraminulentum, à marmoreo & adamantino ſolido diverſum, pumicem appellabat. Neque abſurdum cenſendum, quod *(l. de Morb. Tart. c. 4.)* Strumas cartilagineæ naturæ ex Tartaro derivabat, ſimilitudine à fecibus vini in dolio concreſcentibus non ineptè deſumtâ, quando & noſtra ætate plures eruditorum ſangvinis Naturam cum vino, & excrementa illius cum Tartaro compararunt. *Hæc Velſchius.* Sed de Duelech infra plura, de Tartaro hic ſatis.

§. 32.

Multum lucis etiam petrifactioni affundit in corpore humano ossificatio. Exemplo sint ossa, quæ ex cartilagine, ut hæc ex mucagine, & mucago ex sero, oriunda sunt, informat *illustris G. W. Wedel.* (*Physiol. Reform. c. 8. p. 203.*). Ossa Syncipitis anteriore parte membrana primum in puerulis *scribit Andr. Laurentius* (*l. 2. Hist. Anat. c. 20. p. m. 126.*) deinde cartilaginea, tandem in adultis ossea evadunt. Non hoc in solo syncipitis osse, sed in toto corpore nobis observatum est, plurimas partes, quæ passim cartilagineæ dicuntur, primum membranas esse, ac paulatim abire in cartilaginis consistentiam, ante quam perveniant ad ossium soliditatem, *Th. Kerckring.* (*Osteo-Gen. c. 1. p. 213.*). Tendines vocavit *Nic. Steno* (*Myol. Specim. p. 74.*). Ossa in fœtu aliquandiu planè gelatinosa, aut viscosa sunt, & in vitulo, quem paulò ante, quam parte naturali excludi debebat, è vacca extraxerat *Clopton. Havers* (*Osteol. Nov. p. 27.*) in quo maxima ossium pars aliqua ex parte jam indurata erat, gelatinosam talem materiam inter partem ossis solidiorem & periosterum observavit. Cartilagines bene multæ in corpore nostro in ossa degenarant, imprimis in capite, uti hoc os occipitis & maxillæ inferioris abunde declarat; imo membranæ in ossa transeunt, uti istud os frontis ac pectoris demonstrat, memorat *D. Joh. Valentin. Scheid.* (*Diss. de duob. Offic. in Cerebr. hum. qu. 1. p. 5.*). Elegantia de ossium principio & augmento etiam habet *Marcell. Malpighius* (*p. 1. Anat. Plant. p. m. 36.*). In Cranio in concursu suturæ coronalis ac sagittalis rhomboideum foramen membranâ tectum in infantibus nuper natis visui se exhibet, quod fontanellam vulgò vocant, fontem pulsatilem folium & tirangularem lacunam, *Guerner. Rolfinck.* (*l. 2. Diss. Anat. c. 14. p. 274.*) mulierculæ *das Blätgen*, quæ in fœtu extra uteri claustra constitutò suam expectat ossificationem *Joh. Riolan.* (*l. 6. Anthropogr. c. 4. p. 646.*) retulit, *Zoroastri* palpitasse verticem, ut impositam manum repelleret, hinc astantes collegisse de futurâ prosperâ fortunâ studiis suis referenda. Illud verò rhomboideum foramen cum suturarum laxatione in fœtu partus facilitati obstetricari, nullum quidem est dubium. Membranam hanc in adultis adhuc moveri & palpitare advertit *Galen.* (*13. M. M. c. 22.*). Hanc fontanellæ partem in uxore prima etiam circa annum 26. non dum in os induruisse vidit *Casp. Bauhin.* (*l. 3. Theatr. Anat. c. 6. p. 280.*) & si quando in capite doleret, (dolebat autem freqventer,) locus hic dilatabatur & veluti foveam constituebat. Ita *Joh. Jansonio* annum ætatis 23. agenti cranium adhuc apertum, *autore Frid: Lachmund.* (*M. C. D. 1. A. 6. 7. obs. 180. p. 240.*), idem de quadragenario, *Th. Bartholin.* (*l. 4. Anat. Ref. c. 5.*) vidi & anum octuage-

agenariam ferè Ileburgi, quæ ſtato tempore Cephalalgia mirum in modum affligebatur, cranio minimè clauſo. In Fontanella fovea erat inſignis, caputque totum calvitie deturpatum, ut in illo *Lachmundi Janſonio* Fontanella tantum. Catellum habui 4. vel quinque annorum eo modo conſtitutum, qui è menſa cadens oppidò exanimabatur. Vidi & in Gallinis & Anſeribus mirum modum criſtatis, eo loco quo ſcapus extabat cranii modicam aperturam.

§. 33.

In capite inter duram & piam matrem ſex inventa oſſicula deſcripſit (*cent. 2. hiſt. 85. p. 323.*) *Th. Bartholin.* Repertum fuiſſe os mirum, multis cuſpidibus horridum in dura matre cerebri, unde dolores æger capitis diu paſſus fuerat, à Chirurgo audiit *Petr. Borell.* (*Cent. 4. obſ. 99. p. 353.*). Juxta Carotidis arteriæ in caput ingreſſum in calvariæ baſi ſe reperiſſe oſſiculum ſeminis citrulli magnitudine, *Joh. Riolan.* (*in l. Galen. de oſſ. ad Tyron. p. 483.*) notavit. Glandulæ pinealis oſſicula tria diſtincta ab aliis pro calculis habita, annotat *Fred. Ruyſch.* (*Theſaur. anat. p. 31.*). Squamam oſſeam tunicæ oculi duræ inhærentem deſcripſit *Gerh. Blaſius* (*obſ. med. 8. p. 78.*). Glandulam thymum maximè ſcirrhoſam deprehendit *Benj. Bened. Petermann.* (*D. 1. obſ. med. 8. p. 12.*) & in eâ diſſecta corpus oſſeum, cor minus repræſentans. In Menninge craſsâ varia oſſicula reperta, *ex Aliis allegat Gverner. Rolfinck* (*c. l. c. 21. p. 307.*), qui addit: Nos etiam circa craſſam mennyngem oſſicula parva lenti ſimilia obſervavimus, ſpinam oſſeam ſeu potius lapideam tricipitem Neptuni fuſcinam præſentantem inter duram & piam mennyngem in parte ſiniſtrâ propè falcem, *notavit Domin. Panarolus* (*Pentecoſt. 5. obſ. 14. p. 150.*). De oſsiculis circa falcem annatis obſervationem communicat *Guilhelm. van der Meer* (*ap. Joh. Neand. Tabacol. p. 233.*) *Add. Theophil. Bonnet.* (*l. 1. Sepulchret. ſ. 1. obſ. 113. p. 68.*), oſsiculum tale etiam *Excell. Dn. D. Joh. Chriſtian. Mackio, Phyſico & Prætori Nivemontano*, & mihi conſpectum Stolbergæ in Cadavere *Benckeri Chirurgiæ ſtudioſi.* De duobus oſsiculis in cerebro humano, (rectius falce,) mulieris Apoplexia extincta repertis hiſtoriam ſuggeſſit *Joh. Valentin. Scheid.* (*Diſput. de oſſic. in cerebro repert. p. 2.*). In ipsâ cerebri ſubſtantia os advertit *D. Vater* (*M. C. D. 3. A. 9. & 10. obſ. 165. p. 254.*). Aſperam arteriam in os tranſire aliquando, *Hieron. Cardanus* (*l. 14. de Rer. var. c. 76. p. 941.*) autor eſt. Conſtat, *ſcribit*, quendam bis ſuſpenſum ſervatum, miraculi ſpecies: inde cum tertio judicis ſolertia periiſſet, inventam oſſeam aſperam arteriam. Alius, qui diu ſuſpenſus Bononiæ jacuit, vivus inventus eſt, quod aſperam arteriam oſſeam haberet, *idem* (*l. 2. tr. 2. contradict. 7.*), ab aliis accepit. Ipſe *Reald. Columb.*

(*l. 1. de re Anat. c. 13. p. 79.*) de Larynge in doctrina ossium egit, eò quod hominis senis larynx, ossea sit, *Galenumque* exagitat, quod simias tantum secuerit, & *vesalium*, quod bruta. Laryngis & Arteriæ cartilagines in ossa spongiosa mutatas *Volcher. Coiter. (obs. anat.)*, se vidisse, asseruit. Arteriæ descendentis portio cum duobus cruralibus ramis spithamæ longitudine in os fistulosum conversa occurrit *Gvilielm. Harveo. (Exerc. de Circul. Sangv. 3. p. 218.)*. Si de parte Cartilaginea id prodiderunt contingere posse, concedo, si de tota aspera arteria, quatenus etiam membranosa, pernego, sic namque respiratio & vocis formatio sufflaminatæ fuissent, adeoque fine suo excidissent partis illius haud ignobilis actio. De osiculo retrò Laryngem nato *Sal. Reissel (M. C. D. 2. A. 2. p. 275.)*. Ossiculum è Sarcocele suppurata *Magn. Dn. D. Luc. Schrœck, (M. C. D. 2. A. 3. obs. 19. p. 660.)*. Ossiculum coralli forme ex steatomatico ulcere *Joh. Paul. Wurfbain. (c. l. obs. 142. p. 359.)*

§. 34.

Ossa in quorundam brutorum partibus dari aliquando, quamvis non omnibus, nemo è vecordium grege inficiabitur. Ex Elephanti corde à quopiam suorum familiarium os eximiæ magnitudinis exsectum, *Galenus (l. 7. de administr. anat. c. 10. p. m. 210.)*. De cervo id ab omnibus fere asseritur, (*vid. Theod. Craan. de Hom. c. 16. p. 147.*), idque contra venena maximi fit. Varias de eodem assertiones in fasciculum *collegit Zacut. Lusit. (l. 7. Hist. Med. Princ. 29. qv. 42. p. 900.) Joh. Andr. Graba Noster (Elaphograph. c. 18. p. 231.)*. In cervis junioribus non est, *Johanne Renovæo (l. 5. de mat. med. c. 29. p. 322.) teste*, sed cartilago tantum est, in annosorum cordibus autem aliquando reperibile, cordisque crux Eidem audit. Laudes ejus ebuccinarunt, quos citat laudatus *Graba (c. l. à p. 232. ad 243.)*. Add. *Petr. Andr. Matthiol. (in Dioscor. l. 2. c. 52. p. 219.) Casp. Bauhin. (c. 8. de Lapid. Bez. p. 52.) Caspar. Schwenckfeld. (l. 1. Theriotroph. Siles. p. 84.) Joh. Bauhin. (in cerv. excoriat.)*. De osse è corde Tauri ista *Schwenckfeld. (c. l. p. 72.)*, os è corde Tauri, *Kreuzlein aus Herzen*. Sæpè in corde boum maxime Taurorum cartilago, sive osiculum continetur, cervino non dissimile, quod Lanii Uratislavienses diligenter colligunt, & passim pro ossiculo è corde cervi pharmacopæis imperitis obtrudunt. Cavendum est, *monuit Matthiolus (c. l.)*, ne hujus loco se plasiarii bubulam tracheam arteriam accipiant in compositionibus, ut facere consveverunt. Ossa hyoidea in Pharmacopoliis vendi putabat *Vop. Fort. Plempius*, sed sunt hæc illis dissimilia quoad figuram, rectè decidit *Joh. Dan. Horstius (obs. anat. 8. p. 21.)*, qui subjungit; Ossicula de corde cervi in gravissimis morbis debellandis mihi præ-

præstant certum auxilium, in febribus, v. g. Pleuresi & difficultate partus, atque aliis, non tamen fido, nisi à fidis traditis, vix fido iis, qui passim prostant, cum non credam tot in orbe occisos esse cervos per lustrum, quot ossicula quotannis materialistæ soli Francofurtenses accipiunt. De Tauris & equis non dissona habet *Aristoteles* (*l. 3. de part. anim. c. 4.*)

§. 35.

An etiam in homine dabitur? ita visum *Galeno* (*l. 6. de U. P. p. 528.*), cujus etiam meminit alibi (*l. de oss. ad Tiron. c. 25.*), ut verò iste diligens Prosector semper sibi adversum habet *Andr. Vesalium*, ita & hic in eundem stringit calamum (*l. 1. de Fabr. corp. hum. c. 20. p. 260.*). Ego hactenus, *inquit*, uti in nullo corde, ita neque humano exquisitum os reperi, eaque sede, quâ *Galenus* cordis os constituit, Substantiam observo cartilagineam, quæ meâ quidem sententiâ nihil est aliud, quam magnæ arteriæ & venæ arterialis radices, à corde principium ducentes. Inter Galeni errores id etiam recensuit *Reald. Columbus* (*l. 1. de re Anat. c. 21. p. 122.*), cum nec in Simia etiam reperiatur, sed hujus loco membranas duas propè cartilagineas offendas, quæ inter arteriæ magnæ & venæ arterialis radices jacent. Cogitare verò debuissent Prosectores exercitatissimi, non omnibus ut brutis, ita & hominibus os nominatum inesse, sed annosis & decrepitis, & quod portio illa, quam conspexerunt, cartilaginea successu temporis facilè in os facessere possit. Ossa talia etiam deprehensa, prodidit *Cornel. Gemma* (*l. 1. Cosmocrit. c. 6. p. 101. & l. 2. Cyclognomonic. p. 75.*) *Gverner. Rolfinck.* (*Diss. de cord. c. 4. p. 28. & l. 6. dissert. Anat. c. 19. p. 1125.*) *J. D. Horst.* (*obs. Anat. c. 8. p. 18. sq.*). Et quamvis utplurimum circa arteriæ magnæ & venæ arterialis radices offendantur hujusmodi ossicula, tamen & in aliis locis deprehensa ab Autoribus leges, non una eademque figura. In medio cordis dissecto os tribus articulis constans cavumque & arenosa quâdam materiâ repletum invenit *Felix Platerus* (*l. 3. obs. med. p. 597.*). In principio venæ arteriosæ ossiculum annulare, cui tres valvulæ Sigmoides affixæ erant *Joh. Riolan.* (*c. l. p. 482.*). In cadavere *Urbani VIII. Pont. Rom. Joh. Trullus* in sinistro cordis ventriculo os triangulare literam T referens, testimonio *Th. Bartholin.* (*c. 2. hist. 45.*) reperit. In corde Phtisici ad radicem aortæ cartilago triquetra & propemodum cordis picti figuram repræsentans vel literæ V apparuit (*Id. Cent. 1. hist. 50. p. 77.*). Grani panici magnitudine *Jul. Aurantius* (*obs. Anat. 33.*). Quidni ergò in cordis basi illud ossiculum à Galeno commemoratum generabitur. Non sine stupore legitur observatio *Samuelis Spilembergeri* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 40. p. 72.*), cujus etiam mentionem fecit *Hieron. Hirnheim.* (*Typh.* gen.

gen. hum. c. 9. n. 42. p. 108.), de effigie humana in ossiculo cordis humani expresſâ. Uſum hujus in corde *Ariſtoteles & Galenus* patefacere non recuſarunt, quo ſucceſſu, dicere ſuperſedeo. Frequens id in ſenibus ſumma naturæ providentia, *judicat Th. Bartholin.* (*Cent. 2. hiſt. 45. p. 243.*), ut torpidus alioqui ſangvis velut ſtimulo addito ad motum incitetur. Id ſicubi reperitur præter naturam eſſe diſpendio potius ac damno animali, quam commodo, aut uſui rectius *Petr. Laurenberg.* (*Anatom. corp. hum. Exerc. 10. p. 397.*)

§. 36.

Vidit in nonnullis ſeptum, quo cordis ventriculi diſtingvuntur, Cartilagineum *Reald. Columb.* (*l. 15. de Re Anat. p. 489.*). Idem in pulmonibus oſſa non parva, in *Franciſco Capello ſpectavit* (*c. l. p. 488.*). In Balneatore Auguſtoburgenſi pulmones totos ferè cartilaginoſos offendi & demonſtravi magno circumſtantium ſtupore. In Diaphragmatis carnoſa parte, qua Hepati committebatur, os accreverat duriuſculum externâ cartilagine tectum, prodidit *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. Hiſt. 85. p. 323.*). Uteri cervix, *Cornel. Gemma* (*c. l. p. 105.*), imo uterus ipſe, *Andr. Cnœfel.* (*M. C. D. 1. A. 4. & 5. obſ. 97. p. 48.*). De oſſe cruci formi in liene invento *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obſ. 4. p. 8.*). Exoſtoſis deformia producit oſſa, quo ſpectat egregius *Dn. Præſidis Noſtri* (*M. C. D. 2. A. 4. obſ. 174. p. 341.*), de oſſium in corpore excreſcentia diſcurſus. Fungos oſſeos exoſtoſes illas olim (*M. C. D. 1. A. 6. & 7. obſ. 174. p. 237.*) vocavi. Oſſis tibiæ excreſcentiam tradidit *Corn. Stalpart von der Wiel* (*Cent. 1. obſ. med. rar. 114. p. 385.*), ita *Thomas Bartholin.* (*M. C. D. 1. A. 1. obſ. 37.*) Medullam Gallinæ oſſeam ſe obſervaſſe profitetur. Ovarium oſſeum in vetulis Anſeribus tuitus eſt *Andr. Libavius* (*l. 6. Hexaëm. p. 570*), ut in Anate ingluviem Cartilaginoſam ab atramento Pannificis, vitriolaceo ſæpius ingurgitato *Ipſe*.

§. 37.

Deprehenſæ etiam hujusmodi transmutationes & heterogeneitates in vaſis pulmonum cordis & aliorum viſcerum & partium. Arteriam notat oſſeam *Th. Willis* (*p. 1. Pharmac. rat. p. 337. & p. 2. de An. Brutor. c. 8. p. 360.*). Carotidem dextram plane oſſeam *Idem* (*Anat. Cerebr. c. 7. p. 57.*). Utramque internam Carotidem lamina oſſeâ obductam *Joh. Jac. Wepfer.* (*obſ. 2. Apopl. p. 11.*). In arteriæ venoſæ principio *Joh. Vesling.* (*ap. Joh. Rhod.* (*Cent. 3. obſ. 63. p. 154.*). Arteriæ magnæ truncum propè cor tàm durum oſſeumque, ut etiam mallei ictum eluderet Magnifico Noſtro Præſide teſte, publicè retulit *Anton. de Marchettis* (*M. C. D. 2. A. 3. obſ. 38. in Schol. p. 109. Add. D. Ejusd. Ann. 1. obſ. 90. p. 214.*). In egreſſu ex ventriculo Cordis *Gerhard. Blaſius* (*obſ. Med. 5. p. 77.*).

Arte-

Arteriam eandem adnatis internè ossibus asperam conspexit *Pythagoras Noster* (*Exerc. Anat. 38. p. 210.*). Aorta cum aliis vasis ossea deprehensa *in Wepfero* (*Vid. Man. Wepfer. M. C. D. 3. A. 3. App. p. 163.*). Arteria descendens *Joh. Dolæo* (*l. 6. Encyclop. Chirurg. c. 7. §. 1. p. 1507.*). *Joh. Scultet.* (*de Admir. Trichiaf. p. 83.*). *Phil. J. Sachsius* (*l. 2. Gammarol. s. 2. c. 7.*). Valvulæ cordis osseæ *M. C.* (*D. 1. A. 3. obs. 281. p. 498.*). Tales semilunares *Joh. Dan. Horstius* (*obs. Anat. 8. p. 19.*). Trachea per pulmonum substantiam distributa iterum *Blasius* (*c. l. obs. 6. p. 78.*). In arteria subclavia os inventum, *Idem* (*obs. 7. p. 83.*). In bove arteriæ in pulmonibus, *Nic. Grimm.* (*M. C. D. 2. A. 3. obs. 38. p. 103.*) lapideum ossiculum ad Aortæ initium, *Joh. Riolan.* (*ap. Th. Bartholin. l. 2. Anat. Ref. c. 7.*) animadvertit. Utramque arteriam cruralem cartilagineo-osseam, *Joh. Bapt. Contulus* (*V. Act. Erud. Lips. A. 99. p. 397.*). E tripode loqui videtur *Hier. Cardanus* (*l. 18. de Subtil. p. 928.*) dum inquit: omnis arteria sensibilis præter eam, quæ est in pulmonibus, os in corde habet, aliud sub cute. De ossiculis cum urina excretis, & à *Petro Borello* recensitis (*Cent. 2. obs. 5. p. 109.*) nil addo, quod ægro à globulo tormenti bellici os fuerit contusum.

§. 38.

Ossa ut saxa consideravit *Tertullian.* (*l. de Carne Christi p. m. 22.*), adeò ut illa etiam lapidea vocarit *Galenus* (*l. 1. de U. P. c. 17. p. 282. & l. 9. p. 643.*), idque forsan non immeritò, cum & in his medulla ut in ossibus contineatur, *Georg. Agricol.* (*in Bermann. p. 700.*). Ossa magnæ Parentis lapides dixit oraculum Delphicum, *teste Ovidio* (*l. 1. Metamorph. v. 383.*), prout id interpretatur (*v. 393.*)

Magna parens terra est: Lapides in corpore terræ
Ossa reor dici.

Add. *Anton. Muret.* (*l. 10. Var. Lect. c. 2. p. 255.*). Ossa temporum petrosa vocata, non solum quod rupium instar sint aspera, *Andr. Vesal. l. 1. de Hum. Corp. Fabr. c. 1. p. 5. & Casp. Bauhin. l. 3. Theatr. Anat. c. 6. p. m. 282.*), sed quod duriora præ reliquis, (*Joh. Vesling. Syntagm. Anat. c. 13. p. 107.*). Saxo itaque durissimo comparavit *Joh. van Horne* (*Microcosm. §. 47. p. 70.*). Utrumque optimè conjunxit *Guerner. Rolfinck.* (*l. 2. Dissert. Anat. c. 15. p. 278.*). Durioribus & ossa femoris adjungit *Th. Bartholin.* (*l. 4. Anat. Ref. c. 1. p. m. 474.*). De dentium duritie supra (*l. 1. Tit. 6. §. 7.*) quædam notata. Materiam dentis non mere osseam, sed inter os & petram mediam, seu neutram declaravit *J. B. Helmont.* (*de Lithiaf. c. 1. n. 13. p. 662.*). Animalis petra, distinxit idem (*tr. Tartar. non in potun. 4. p. 202.*). Duplicem substantiam dentibus tribuit *Clopton. Havers* (*Osteol. Nov. obs. de Dent. p. 92.*) lapideum & osseum. Sub cortice nempe lapideo os-

offea pars latet. Egregiè igitur in Metamorphosi *Atlantis* id obfervaffe videtur *Ovidius* (*l. 4. Metamorph. v. 662.*) dum cecinit:

Offa lapis fiunt.

Factum inde, ut multa officula lapidum nomine veniant in officinis Medicorum, *inquit Nobiliff. Polyhiftor. G. H. Velfchius* (*Diff. 1. de Ægagrop. p. 5.*). Tales è pifcium familia Percæ fuppeditant, & Cyprini, nec non Muftelæ fluviatiles, & alii, quos *Ph. Jac. Sachfius nofter* (*l. 1. Gammarol. c. 14. §. 17. p. 307.*) recenfuit.

§. 39.

Reperiuntur & aliæ fodinæ, f. officinæ, è quibus metalla & lapides eruuntur, non ad ædificandam; fed diruendam domum, perorat *Jac. Martini* (*Difp. 1. de Cognit. fui probl. 3. E.*). Tantus hic confpicitur cumulus in omnibus corporis humani, etiam brutorum, partibus & vifceribus, ut exinde rupes concinnari valeat, quod *egregium illum Anatomicum Fred. Ruyfchium* feciffe (*Thefaur. Anat. 1.*) *Eruditi Lipfienfes* (*A. E. A. 1701. p. 386.*) intimant. Quæ namque corporis humani pars eft? qui angulus? qui non calculorum & lapidum generationi favet, quafi natura humana Latomias etiam haberet, ut *Dominic. Panarol.* (*Pentecoft. 2. obf. 34. p. 51.*). Exempla ubivis proftant. Collegerunt potiora *Joh. Kentmann.* (*l. de Lapid.*) *Joh. Schenck.* (*in Lithogenef.*) *Joh. Lang.* (*l. 2. Epift. Med. 57. p. 835.*). E recentioribus *Dan. Sennert.* (*l. 2. Inftit. Med. 57. p. 2. c. 9. p. 228.*) *Zacut. Lufitan.* (*l. 1. Med. Princip. Hift. Dub. 44. p. 122.*). *Matth. Unzer.* (*l. 1. de Nephritid. c. 5. §. 6. p. 33. fq.*). *Athanaf. Kircher.* (*l. 8. M. S. f. 2. c. 3. p. 53.*) & *Sachfius Nofter* (*Epift. de Mirand. Lap. Nat. p. 97.*). *Cornel. Stalpart von der Wiel.* (*Cent. 1. obf. med. 12. in Schol. p. 53. fq.*), è quibus fingulas corporis partes examinaturus in gratiam Lectorum ea afferre, & à modernis obfervata his aggregare in animum induxi meum.

§. 40.

De lapidibus cutaneis cogitanti fuccurrit fudor ille arenularum *à Th. Bartholino* (*Cent. 1. obf. & Hift. Anat. 34. p. 54.*) commemoratus. Illuftris quidam vir Regius in Seelandia, Præfectus, *fcribit*, calculo & arthritidi fæpè obnoxius, fubinde in largiffimum fudorem folvitur, quo non ferum exfudat aut fuetos per poros liquores, fed manipulos arenularum, quas inductâ manu abftergit. Egregium fudoris ficci documentum (*Vid. l. 2. Tit. 6. §. 71.*). Sudorem arenofum *in Sperlingio Philofopho Wittebergenfi* etiam advertit *Conr. Victor. Schneider.* (*l. 3. de Cath. c. 3.*), qui addit: in hac civitate quidam degit, qui finito fudore arenulas manu detergit, & de cute vellit, quæ fplendidulæ volitant per

aërem.

aërem. Raram olim Hildesiæ observationem habuit *Dn. D. Justus Vestt* in viro quodam religioso, qui Hypochondriaco-Lithiacus sæpius sudavit per totum corpus arenam, *Joh. Ad. Kirchhoff. Diss. 1. Inaugur. de Calc. Ren. & Vesic. th. 1.*). Sudorem si in vitro lentè permiseris siccari, videbis lapides, *Paracelsus* (*T. 1. op. tr. 1. de Tartar. Annot. ad c. 3. p. 395.*) annotat. Calciformis materia in morientis facie *Vito Riedlino* (*Ann. 2. Lin. Med. p. 540.*) *visa.*

§. 41.

De calculis ferè omnium partium ista ad *Lazar. Riverium Herric. Rufus* (*obs. commun. 5. p. 670.*): Novimus virum, qui calculos & lapides majusculos in quavis corporis sui parte ostendit. Vidimus & sæpè tales tetigimus super carnes, musculos, membranas, nervos, ossa, indifferenter: ita ut aures, nasus, mammæ, cilia illis non careant. Protuberant namque manifestè, & tangentibus mobiles apparent, & si quando resolvantur in parte aliqua, in aliâ pullulant, & indies numero & magnitudine multiplicantur. Est & idem Nephriticus, quem dum aliquando invisimus, nobis super rotulam genu dextri humorem insignem ostendit ejusmodi variis & distinctis refertum, ac si in pera fuissent conclusi, strepitum edebant si moverentur. Calculos cutis poris infixos, *Leichdorn*, quasi leves spinas vocabat *Felix Plater.* (*tr. 3. Prax. l. 2. c. 15. p. 1002.*), qui & similem in cute callosa plantæ pedis exsectum narrat. De Lapillis in digitorum extremitatibus *Joh. Kentmann.* (*l. de Calc. c. 12.*). In indice spina ventosa affecto *Exc. Mich. Bernhard. Valentini* (*M. C. D. 2. A. 3. obs. 89. p. 190.*)

§. 42.

Tumorum lapidi condorum ex Antiquis *Galen.* (*l. 14. M. M. c. 12. & l. 2. de Art. curand. ad Glaucon. c. 6.*), & *Corn. Celsus* (*l. 7. de R. M. c. 6.*) meminerunt. In Atheromate circa temporalem musculum genitam vidit materiam lapidosam *Guilh. Fabr. Hildan.* (*Cent. 6. obs. Chirurg. 57. p. 572.*). Aliàs calculi descriptionem exhibet *Ol. Worm.* (*l. 1. Mus. f. 2. c. 11. p. 74.*). E colli tuberculo *Vit. Riedlin.* (*A. 6. Lin. Med. M. Dec. obs. 8. p. 1389.*). Ex abscessu in lumbis sponte aperto duos calculos cum pure egredientes conspexit *Domin. Panarol.* (*Pentecost. 5. obs. 42. p. 17.*) *Nicol. Tulpius* (*l. 4. obs. med. c. 21. p. 337.*) *Mich. Raph. Schmuzen à Poystorff.* (*Meth. cur. calc. c. 1. p. 16.*). Ex lumborum abscessu multos alius excrevit calculos, quod è *Jacobo Dalechampio* recitat *Ambros. Pareus* (*l. 24. Chirurg. c. 19. p. 568.*). Ex abscessu aquoso in genu *Idem* (*ibid. p. 569.*). Pus è genu podagrici exsiccatum in lapillos concrescebat, referente *J. Jacob. Hardero* (*Exerc. 2. p. 6.*), ut frustra quærat *J. B. Helmont.*

(*tr. volupe viv. morbus putatus n.32.p.313.*), an pus uspiam in cretam mutetur? De calculis è tumore Abdominis *Joh. Rhodius* (*cent.2. obs.99. p.105.*). Lapidem spongiosum trium unciarum pondere ex abscessu abdominis prodeuntem è schedis *D. Mich. Rötenbeccii* recensuit *Excell. noster Joh. Paul. Wurfbain.* (*M.C. D.2. A.2. obs.10. p.1360.*), ultra 600. lapilli ex ulcere in pube *Nicol. Blegny* (*Zod. Gall. Ann.1679. Mens. Jul. p.189.*). De calculis circiter bis centum ex Apostemate excretis historiam suggerit *Exc. Joh. Jenisius Noster, olim in alma Philuræa svavis Symmachus, nunc Collega venerandus* (*D.1. M. C. obs.189.p.243.*). Ab ulcere antiquo lapidem tophaceum durissimum nigrum Chirurgum extraxisse, & postmodum ulcus anteà incurabile facilè curasse *Petr. Borello autore* (*Cent.1. obs.4. p.8.*) cognovimus. De abscessibus, tumoribus & ulceribus lapidicondis è variis collecta plura dabit *P. J. Sachsius* (*M. C. D.1. A.1. Schol. ad. obs.66.p.165.*) *Felix Plater.* (*l.2. obs. Med.p.495. & l.3.p.663.*) *Bartholom. Turrianus* (*l.4. Consult. Med. c.6.*) *Marc. Aurel. Severin.* (*l.4. de recond. Abscess. Nat. c.28.p.259.*) *Add. M. C.* (*D.1. A.1.p.94. D.2. A.1. obs.121. p.232. & A.6. obs.32.p.85. & A.9. obs.137.p.238.*). Singulare quid est calculus è vulnere in ingvine *ap. cit. Plater.* (*tr.3. Prax. l.2. c.15.p.1003.*) prodiens.

§. 43.

Calculum frontis allegat *Th. Fien.* (*Chirurg.p.66.*) & *Vit. Riedlin.* (*Cent. obs. Med.4.p.7.*). E gena dextra, *Joh. Heinr. Meibom. in Jusjur. Hipp. c.16.n.2. p.152.*). E naso, *D. D. Clauder.* (*D.2. M.C. A.3. obs.79.p.176.*). Non huc referenda λιθίασις palpebrarum, cum sint ἴονθοι vari non lapides, ut censuit *Cl. Salmasius* (*Epist. ad Joh. Beverov. de Calc.p.60.*). Interim ex ora palpebrarum, ubi hordeolorum collectiones fiunt lapillum eximi jussimus tritico figura, colore, magnitudine parem, duritie superiorem, *Scaliger.* (*c.l.*) *notavit.* De Tophis palpebrarum *Aëtius tetrabibl.2.s.3. c.80.*). De lapide è junctura brachii dextri *M. R. Schmuzzen* (*c.l.p.13.*). De lapidibus è cubito prodeuntibus ex observatione Magni nostri *Joh. Georg. Volckameri Joh. Helwig.* (*obs. med.110. p.310.*). In humero *Petr. Borell.* (*Cent.1. obs.37. p.16.*) *Cornel. Stalp. von der Wiel* (*Cent.1. obs.12. Schol.p.56.*), in Mammis *H. Rufus* (*obs.5. ap. Laz. River. p.670.*), in Spondylis lapilli octodecim magnitudine quanta in tesseris visitur in muliere deprehensi, *Cæl. Lud. Rhodigin.* (*l.3. Lect. antiqv. c.112. col.129.*) meminit. Supra os sacrum inventum annotat *Gerbard. Blancken.* (*Catalog. antiqu. & nov. rer. Lugd. Batav. in anatom. publ. p.13.*). E Femore mulieris album magnitudine ovi gallinacei extractum *Marcell. Donat.* (*l.4. Hist. med. mirab. c.30.p.m.526.*) descripsit, quem ovum vocare *Marco Aur. Severino* (*l.3. de*

de recond. absceſſ. nat. c. 9. p. 108.) placuit. Παρόμφαλον definivit Tophi in umbilico generationem Autor (*Def. Med. Galen. aſcript. T. 8. op. Galen. p. m. 894.*). Exempla recitant *Marcell. Donat.* (*c. l.*) *Reald. Columb.* (*l. 15. de R. A. p. 491.*) *Carol. Joſ. Myller.* (*M. C. D. 2. A. 3. obſ. 328. p. 431.*). In ingvine *Cornel. Stalp. von der Wiel.* (*c. l. obſ. 90. p. 376. & obſ. 91. p. 379.*). Circa radicem penis *Joh. Burg.* (*M. C. c. l. obſ. 174. p. 340.*). De lapide Spongioſo ex abdomine *Dn. D. J. P. Wurfbain.* (*c. l. obſ. 183. p. 360.*) in Genu *Idem* (*c. l. obſ. 12. p. 61.*)

§. 44.

Dignum obſervatu reputat *Franc. Tidicæus* (*tr. 6. Microcoſm. p. 919.*) illud *Polemonis Sophiſtæ*; cui cum Articuli morbo arthritico lapideſcerent, Medicos admonuit, ut effoderent, & inciderent *Polemonis* Lapidicinam. Nodos *Arthritidis* calculos factos teſtatur αὐτόπτης *P. J. Faber.* (*ſ. 1. Chirurg. Spagyr. c. 6. p. 959.*). Inter ſingularia Podagræ habet *J. B. Helmont.* (*c. l. n. 4. p. 312.*), quod calculos, cretam, calcemve, alienis à Duelech initiis, & monſtrum petroſum, extra ſolitum locum & debitum, hominemque ſuis mutiloſum membris & truncum, à tam ſuperbâ ſtructura in monſtrum deformet. Quomodo autem generentur monſtra illa calx & creta (*n. 20. ſeq. p. 314.*) explicare conatur. Ad ovi magnitudinem tophos iſtos aliquando extraxit *Marc. Aurel. Severin.* (*p. 2. Chirurg. efficac. c. 132. & p. 132.*). Verum Gypſum in juncturis aliquando naſci, teſtimonium *Ant. Braſſavolæ* (*in ſ. 4. Aph. 79.*) evincit. Ultra bis mille tophos in duriſſimos lapides illicò concreſcentes in Arthritico obſervavit *P. Sanchius, referente J. N. Binningero* (*Cent. 1. obſ. med. 31. p. 33.*). Vidit ad Acidulos Schwalbacenſes egenum *Laur. Strausſius* (*in addit. ad l. 5. obſ. med. Schenck. p. 691.*), cui quotidiè tales è juncturis prodiere. Nobilis Bohemus per annos aliquot ſingulis fere menſibus ex utriusque manus articulis, interdum unius digiti, interdum plurium lapillos eruebat ſcalpello, nonnullos minores, aliquos fabæ magnitudinem exæquantes, eosque valdè duros, ſed in principio poroſiores, quod allegat *Joh. Sophron. à Kozack.* (*tr. de Sale. c. 6. ſ. 6. p. 242.*) *Johan. Kentmann.* (*c. l. Diſt. 12.*), civis cujusdam Rochlicienſis mentionem fecit, in cujus digitorum extremitatibus enati fuerunt lapilli duriſſimi colore niveo, quorum nonnulli magnitudinem granorum piperis æquarint. De calculo in digito *Exc. Mich. Bernh. Valentini* (*M. C. D. 2. A. 3. obſ. 90. p. 190.*). Præter citata Exempla collegerunt reliqua *Joh. Schenckius* (*c. l. & Lithogeneſ. c. 19. p. 88.*) *Joh. Kentmann.* (*c. l. c. 15.*) *Diomed. Cornar.* (*obſ. med. c. 1. p. 3.*) *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 108. ſ. 3. p. 413.*) *Marcell. Donat.* (*l. 4. Hiſt. med. mirab. c. 30.*) *Felic. Plater.*

ter. (*l. 2. obſ. med. p. 476.*) *Matth. Unzer.* (*l. 1. de Nephrit. c. 5. p. 36.*) *Conrad. Victor. Schneid.* (*l. d. Catharr. Special. p. 608.*) *Simon. Schulz.* (*M. C. D. 1. A. 2. obſ. 64. p. 121.*) *J. J. W. Dobrzensky* (*obſ. 65. p. 122.*). Quod ſi extremitates, ita materia podagrica prorſus repletæ, ut non tantum calcis ejicere poſſint, quantum morbus ad eas amandat, vertit ſe ad interiora materia, & mortem, ratiocinante *Theod. Kerkringio* (*Spicileg. obſ. med. 28. p. 66.*) accelerat.

§. 45.

An in Cerebro generari poſſit calculus? quærit *Hieron. Cardanus* (*in Hipp. l. de Alim. comm. tr. 41. lect. 41. p. 417.*) & reſpondet quod vix. Sed hoc Cardani decretum Experientia rubore notat. Inventi nempe ſub Cranio extra Cerebrum & in Cerebro non ſemel ab Anatomicis Lapides. Non huc refero lapidem ſub cranio magnitudine fabæ à Chirurgo repertum, iſte namque à tormento bellico fuerat intruſus, de quo *Petr. Borellus.* (*Cent. 2. obſ. 61. p. 158.*) ſupra piam matrem jacet aliquando Usnea (*Ein dünner Weinſtein*) docuit Paracelſus, qui & in vulneribus capitis ſæpe animadvertit lapillos albos Emplaſtris adhærentes (*T. 1. op. l. 1. de Tartar. tr. 1. annot. ad c. 3. p. 395.*). Materiam quandam lapideam craſſæ menyngi adnatam in fœmina nobiliſſima deprehendit *Cattier* (*obſ. med. 15. p. 45.*). Partem membranæ duræ ſub tempore Cancri teſtam referentem notavit *Chriſtoph. Gvarinon.* (*conſult. Med. 455. p. 517.*). Cranio aliquando calculos adhærere ſcripſit *Jac. Hollerius* (*l. 1. de Morb. Int. c. 48. in Schol. p. 517.*) *Guilh. Fabric. Hildanus* (*cent. 5. obſ. Chirurg. 1. p. 380.*) inter duram & piam matrem *Theoph. Bonett.* (*l. 1. Anat. Pract. ſ. 1. obſ. 109. p. 64.*). In capite (forſan Cerebro ſcribendum) lapides inventos *Ant. Braſſavolus* (*in l. 4. Aph. Hippocr. 79.*) *Cornel. Gemma.* (*l. 1. Coſmocrit. c. 6. p. 100. Joh. Commanus (de Lap. in hom.) Laurent. Joubert.* (*Apolog. pro Paradox. 7. Dec. 2. p. 69.*) qui & è *Leonhard. Botallo* (*l. de Catharro*) *addit*, aliquando quatuor in cerebro repertos. *Joh. Van. Horne* noſtrâ memoria atque etiam præſentia è cerebro *Adami Stuartij* varios extraxit calculos *Joh. Grœnveld* (*Diſſ. Litholog. Artic. 5. p. 4.*) retulit. Singularis ille mori figuram exactè referens, in quodam, qui ex mori eſu dolorem capitis contraxerat repertus, quem è *Kentmanno* (*c. l.*) allegant *Joh. Schenckius* (*lithogeneſ. c. 1. p. 22.*) & *Caſp. Schottus* (*l. 12. Phyſ. curioſ. c. 8. p. 1552.*), qualem etiam *Cornelius Gemma* (*c. l. p. 200.*) obtinuit. Sternutatione aliquando elidi *Mich. Raph. Schmuzen à Poytſtorff.* (*c. l. p. 17.*) expertus teſtatur.

§. 46.

Hiſtorias antiquiorum ſeculorum à Schenckiis collectas in dubium vocavit

cavit *Joh. Valent. Scheid.* (*c. l. qv. 3. p. 11.*), *Gemmæ* nimirum *Botalli*, *Brassavoli*, *Kentmanni*, *Holleri*, *Garneri*, *Thomæ à Veiga* rejicit, eosque negligentiores, nec sufficientes rei vocat testes. *Hollerius* quamvis hos se vidisse testetur, sed cum figuræ aut magnitudinis, aut coloris, aut substantiæ, aut loci cerebri vel capitis, in quo reperti sint, ne verbulo quidem meminerit, proinde ac cæteri. *Addit Hildanum* (*cent. 5. obs. 1. p. 380.*) historias *Kentmanni & Hollerii iisdem* de causis dubias pronunciasse. Ut de *Kentmanni* historiâ, quæ, prout manca, absolutior tamen aliis est, primum dicamus, *Pergit Scheidius*, multa sunt, quæ eam reddunt dubiam & incertam; saltem an calculus fuerit. Nam nec loci cerebri, ubi latuerit, nec substantiæ, nec aliorum momentorum nisi solius magnitudinis, figuræ atque coloris fit mentio. Hæc verò lapidem non probant, quod magnitudine atque figura fructui mori responderit, sicut nec color iste pullus aut cinereus, quo præditus fertur, lapidem demonstrant. Potius hæc ipsa declarant, tantum obiter fuisse spectatum. Accedit, ut quod adeò miram historiam reddit, ipsius quoque fidem faciat dubiam, nempe ex esu mori contractus capitis dolor, ejusque deinceps post mortem inventa causa mori speciem referens lapis. Quis enim hic causarum nexus est? Sicuti omnino videtur opus esse, causæ physicæ advocandæ sunt. Numquid phantasiæ istud tribuemus? nimirum quando adeò heterogenea atque heteroclita, ut ita loquamur, quando â prægnantibus, vi imaginationis, embryonibus imprimi in memoriam nobis revocamus. Profectò ejusmodi Phantasiæ effectus, quantum quidem constat hactenus observatus non fuit, & fortasse nunquam continget, licet imaginationi illa sua non satis in morbis vel procreandis, vel curandis admiranda vis minime denegetur. Putarem potius, ut fides historiæ ad minimum salvetur, cum ille putaticius lapis os non fuisse videatur, quod figura & color negant fuisse eum ejusmodi ferè corpus strumæ instar scirrhosum, quale *Platerus* (*l. 1. obs. p. 12. & p. 101.*) calculum appellare non audens bis observavit & descripsit, quod deinceps successu temporis resiccatum ulteriorem duritiem sicut in strumis sæpe fieri solet, adeptum fuit, ut pro calculo venditari potuerit: Imprimis ubi accurato examini, ut probabile est, minime fuit subjectum. Idem forsitan judicium, de illis quoque, quos supra *Gemmam* atque *Garnerum*, observasse recitavimus, calculis ferre licebit. De *Botalli* lapidibus, & ut recentiores, addam *Cattierii*, *Schellhammeri*, *Kerckringii* & *Academicorum N. C.* observationibus eadem prodidit, calculosque allegatos non calculos veros, sed osse fuisse, aut esse potuisse argutatur. Verum saxeos, bardos & stupidos Viros istos sui tem-

temporis celeberrimos extitisse, reputat *Scheidius*? Quomodo lapidem alio nomine circumscribere teneor, si lapidem dixero, si formam addo, magnitudinem, locum, quamvis non adeò distinctum? Pro osse habuit *Scheidius*, quid si regeram, illum substantiæ minime fecisse mentionem, ridebit, cum ossis denominatio eandem satis declaret, cur non ille rideatur, quando lapidis mentione lapidem declarari substantiam inficiatur. An cœcos judicat Medicos quod inter strumam scirrhosam & calculum distingvere non potuerit. Quam fragilis & rudis sit à posse ad esse Conclusio, novit Medicus & Mathematicus clarissimus. Ut igitur Hildanus non simpliciter omnibus observationibus de calculis in cerebro consignatis fidem omnem derogat, sed potius miratur, quomodo corpus adeo durum, solidum ac asperum, quale lapis est, per tot annos sine mortis periculo in cerebro delitescere potuerit? Concludit tamen, si rem diligenter indagemus, id nihilominus fieri potuisse, facile nobis fidem facient Anatomicæ dissectiones. Ita & *Scheidius* (*p. 25.*) conclusit: Licet non omnino calculum in cerebro generari posse negemus, quando tophi ad articulos partes nervosas; ac propterea cum cerebro communione gaudentes prognati, illius possibilem etiam in Cerebro generationem persuadere possunt, tamen, uti forsitan rarissima, ita quoque difficillima lapidis in Cerebro est generatio.

§. 47.

Ut etiam speciales circa Cerebri partes & loca afferam inventorum calculorum historias; Eas accipe. In Cerebri parte anteriore *Joh. Wierus* (*l. 4. de Dæm. Col. 486.*). Lapidem offendit circa carunculas (processus) mammillares *Matth. de Gradibus* (*in Rhas. c. 14.*). In dextro Cerebri ventriculo semistulti calculum colore albicantem, qui medica statura examinatus grana pendebat tredecim, *Theod. Kerckring.* (*c. l. obs. 35. p. 77.*). In Glandulâ pineali arenulas asperas, quarum aliquæ propter magnitudinem calculi nomen merebantur *Regnerus de Graaf.* (*M. C. D. 1. Ann. 1. obs. 127. p. 285.*). *Benjam. Bened. Petermann.* (*Dec. 1. obs. med. 1. p. 11.*). In eadem arenulas & calculum exiguum invenit *Franc. de le Boë Sylvius referente Th. Bartholino* (*Cent. 4. Epist. 57. p. 367. & l. 3. Anat. Reform. c. 6. p. m. 336.*). *Flor. Schylius* (*præfat. in Cartes. Hom.*). *Cornel. Stalpart von der Wiel.* (*Cent. 1. obs. med. 12. p. 53.*) *ubi in Scholio plura.* Immemor esse non potes, *scribit ad Amicum Anton. Nuck.* (*Adenogr. Curios. Epist. Anat. adj. p. 151.*), qui semel glandulam pinealem totam calculosam & 14. diversæ magnitudinis & formæ calculis imo duriusculis obsessam viderim & multis curiosis demonstraverim, quemadmodum & hodie adhuc cuivis petenti eosdem

exa-

examinandos concedo. Interim, quod forsan mirabere, hi du... viverent non minus ingeniosos observavi ac alios, quorum glandula naturaliter erat disposita. Lapillum ibidem repertum, qui plus quàm dimidium glandulæ occupabat, calculo probat suo. *Dn. D. Justus Vesti* in glandula pineali ter observavit aliquot lapillos in cadaveribus violenta morte extinctis, quod narrat *(c. l.) Joh. Adam Kirchhoff.* Tres lapillos *O. Borrichius* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 3. Epist. 85. p. 362.*). In continua Cephalalgia denato pinealis glandula tota petrosa magnitudine nucem avellanam adæquans testimonio *Joh. Baptistæ Contuli* (*de Lap. Podagr. & Chiragr. Vid. A.E. Lips. Ann. 1699. p. 397.*). Add. *Isbr. de Diemerbræck.* (*l. 3. Anat. c. 6. p. 313.*). *H. G. Herfeld* (*l. 2. Philos. Hom. c. 16. §. 386. p. 402.*). *David. Græbner.* (*Med. Vet. Restitut. c. 93. p. 493.*). Glandulam pinealem quasi duplicatam & in eâ duos calculos figura cubi minoris reperit *Benj. Bened. Petermann.* (*c. l. obs. 10. p. 16.*) in virgine, an & huic duplicata anima? Videant & cogitent igitur Cartesiani, quam male habitet ipsorum mens seu anima rationalis, suasque functiones exerceat in domo lapidea. *Cl. Sylvius, narrat O. Borrichius* (*ap. Th. Bartholin. V. 5. Act. Hafn. obs. 81. n. 6. p. 194.*) inventis in glandula pineali calculis, ut certe, me præsente, reperit freqventer, jocari solebat, convenire eos animæ Cartesianæ, ut illa his insidens tanquam è throno marmoreo jus dicat partibus subjectis, hosque à liquore salis, qui in capite est deducit. Epitaphio igitur condidit eandem *laudatus Nuckius* (*c. l. p. 153.*), quem, si volupe est, evolve.

§. 48.

Arenularum copiam per oculos expurgatarum allegat *Joh. Rud. Camerarius* (*Cent. 8. Memorab. med. §. 35. p. 569.*). Calculi sub oculo per os rejecti historiam texuit (*Pentecost. 1. obs. 38. p. 24.*) *Dominic. Panarolus.* Gypsea materia ex angulo oculi Ægylope affecti rejecta testatur *Blegny* (*Zodiac. Gall. Ann. 1679. M. S. obs. 2. p. 140.*). Lachrymas petrefactas recenset *Idem*, quas quidem rejecit *Abbas Burdelot*, (*c. l. p. 58.*), vindicat autem *M. D. S. Romain.* (*ibid. M. April. p. 87.*). Ex oculi globi alba sede tophulum minimum impactum aciculâ quidam sibi eximi curavit, *Plateroque* ostendit (*Vid. Plater. tr. 3. l. 2. Prax. Med. c. 15. p. 1002.*). In venis, à quibus oculi dependent, hospitari aliquando testimonio suo *(c. l.)* firmat *Paracelsus.* Stupendum videtur phænomenon, quod in Ephemeridibus Gallicis nobis exhibetur, nimirum arenam in oculos injectam esse, ex qua deinde à lachrymis in majorem molem adauctâ repetitis vicibus provenerint lapilli non contemnendæ magnitudinis, *judicat Joh. Muys* (*Podalir. Rediviv. p. 22.*). Humorem crystallinum induratum memorat

Nic. Steno (*Anat. Can. Carchar. cap. p. 104.*). Tartarum è viventis oculo effossum servavit *Carol. Drelincourt.* (*Prælud. Anat. p. 74.*). Lapidis magnitudine Fabæ minoris in principio Nervi Optici inventi meminit *Nicol. Blegny* (*c. l. M. April. p. 91.*). De lapillis fascinatione magica in sinistro oculo productis *Fried. Lachmund.* (*s. 3. Oryrctol. c. 22. p. 73.*). *Fel. Plater.* (*l. 3. obs. med. p. 664.*). De calculo & tofis palpebrarum egit *Aëtius* (*Tetrabibl. 2. Serm. 30. c. 80. col. m. 333.*)

§. 49.

In Narium tubulis hæsisse calculos non facilè leges, benè tamen per nares rejectos. In capite extra Cerebrum forsan circa cuneiformis ossis foramina primò hæsit calculus nucis castaneæ minoris magnitudine post continuum capitis dolorem è Naribus per palatum rejectus, descriptus à *Jacobo Eckholdo* (*ap. Gregor. Horst. l. 2. Epist. Med. s. 5. p. m. 461.*) & tales etiam Dactylorum magnitudine emunxit per Nares virgo Danica, memorante *Th. Bartholino* (*Cent. 1. Hist. Anat. 33. p. 54.*). Aliud *D. Joh. Fr. Khern.* (*M. C. D. 3. Ann. 5. & 6. obs. 46. p. 100.*). Propè basin Cerebri olfactus instrumenta impedientem planè calculum advertit *Georg. Garnerus* (*ap. Joh. Schenck. l. 1. obs. med. p. 181.*). Ex parte sinistrâ Nasi lapillum extraxit *Lachmundus Pater, notante Filio* (*c. l. p. 72.*). *Add. M. C. D. 2. A. 3. obs. p. 176.*). Nasi sordes, s. mucum tartareum in lapideam ferè duritiem annotavit *Heinric. ab Heer* (*obs. med. rar. 28.*)

§. 50.

Dubium videtur an in Aurium meatu ex sordibus possit generari calculus? quia ex antiquis Medicis solertissimis investigatoribus affectuum humani corporis non invenio, qui meminerit calculi Aurium, scribit *Jul. Casserius Placentinus* (*l. de Organ. Audit. c. 20. p. 90.*). Et subjicit: Recentiores noverunt, nec mirum, quia Artes per additamentum fiunt. At certò statuendum id rarissimè contingere, ac solum in iis, qui negligentia magna ducti expurgationi harum sordium operam dare noluerunt. Si ex flavâ bile in cysti fellis crassefacta calculi generantur, cur ab eadem materia non fiat in auribus. Cephalalgia lateris dextri circa os petrosum torquebatur uxor *Excell. Th. Bartholini*: Tandem ipsa cum Cerumine ex aure dextrâ extraxit arenulas ex Cerumine à calore indurato natas credere possumus, cum non rarò durius illud siccumq; excrementum extraxerim, addit ipse *Bartholin.* (*V. 2. Act. Hafn. obs. 45. p. 82.*). Aliquot calculos ex aure excretos annotat *Carol. Joh. Myller.* (*M. C. D. 2. A. 6. obs. 262. p. 326.*). Civis Chemnicensis, *Georg. Horrezky* βαρηκο⊙ negligens Ceruminis expurgator fortè fortuna calculum è Cerumine compactum ex aure

extra-

extraxit pisi forma & magnitudine, & maximam partem ante obitum auditum recuperavit. Videant igitur Circulatores, Empyrici quid veri subsit Formulæ illis solenni: Si surdo in aurem spiritum oris insufles, & ille calorem non sentit, malum desperatum & incurabile est.

§. 51.

Lapides in & sub Lingva quis quærit? Sub hac lapides generari posse, *Avenzoar.* (*l. 2. Theisir. tr. 2. c. 2.*) putavit. Historias consignarunt *Nicol. Florentin.* (*Serm. 4. tr. 1. c. 18. & Serm. 5. tr. 9. c. 12.*). *Anton. Guainer.* (*tr. de Calcul. Passion. c. 1.*). *Joh. Kentmann. & Corn. Gemma* (*c. l.*). *Jacob. Foroliv.* (*l. 4. Comment. in Aph. 79.*). *P. Forestus* (*l. 14. obs. med. 26. p. 127.*). *Hieron. Cardan.* (*in Hipp. l. de Aliment. tr. 4. Lect. 40. p. 410.*). *Bruno Seidel.* (*obs. med. à Th. Bartholin. Cultr. Anat. Mich. Lyser. addit. 3. p. 294.*). *Joh. Georg. Schenck.* (*Lithogenes. c. 4. p. 4.*). *Fel. Plater.* (*c. l. & l. 2. obs. Med. p. 368. & l. 3. p. 841.*). *Hieron. Montuus* (*l. 4. Anasc. Morb. c. 1.*). *Zacut. Lusit.* (*l. 1. Prax. admirand. p. 19.*). *Gerhard. Blasius* (*p. 6. obs. med. 14. p. 81.*). *Joh. Beverovic.* (*de Calc. Ren. & Vesic. c. 6.*). *Matth. Unzer.* (*l. 1. de Nephritid. c. 5. p. 34.*). *Estanov. ap. Lazar. River.* (*obs. commun. 5. p. 682.*). *Nicol. Tulpius* (*l. 2. obs. med. c. 25. p. 141.*) *Joh. Heinric. Meibom.* (*Comm. in jusjurand. Hipp. c. 16. n. 3. p. 152.*). *Petr. Borell.* (*Cent. 1. obs. 4. & Cent. 2. obs. 17. p. 117.*). *D. Simon. Schulzius* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 1. p. 1.*). *Sebast. Scheffer.* (*ibid. A. 4. in Analect. p. 299.*). Lapidis supra mucronem lingvæ enati mentionem fecit *Zacutus* (*l. 1. Hist. Med. Princ. obs. 49. p. 122.*). E carne glandulosâ, lingvæ subjecta, vidit natos & exemtos *Fr. Tidicæus* (*tr. 6. de Microcosm. p. 417.*). Vidit quoque in *Nobil. D. Gul. Polle* sub lingva in carne molli illi substrata genitum levem & tophaceum longiorem instar lapillorum in capitibus Asellorum mollium repertorum, qui sponte suâ decidebat triennii spatio, alio subnascente, *Fr. Lossius* (*l. 1. obs. 33. p. 90.*). De Tophis sub lingva, extat *Dn. D. J. Rüttorfferi* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 43. p. 73.*) observatio. *Joh. Georg. Volckamer, referente M. A. Severino* (*l. 4. de Recond. Abscess. c. 29. p. m. 259.*). Vidit lapillum nuclei dactylorum formam repræsentantem, quem dexterrimus & sagacissimus Anatomicus & peritissimus Chirurgus *Joh. Georg. Wirsung. Bavarus, Practicus Medicus Patavinus* fœminæ cuipiam Anno 1640. extraxerat ex angulo lingvæ subdito, secundum ductum ejusdem lingvæ locatum. Duos, unum magnitudine castaneæ, alterum amygdali extractum retulit *Heinrich von Roonhuysen* (*p. 1. obs. Chirurg. 29. p. 126.*) olivæ nucleo similem *Rich. Wiesemann.* (*l. 4. c. 8. obs. 8.*). Lapillum è Batrachio linguæ Lewardiæ extraxit *Steph. Blancard. Kunst- Kammer der Chirurgie l. 3. c. 10. p. 272.*). In

abſceſſu ſub lingua nomine Batrachio adeò induruerat humor, ut lapideſceret. Ac in pelvim injectus in ægri faciem reſiluerit, (*Guilh. Ballon. l. 1. Epid. & Ephem. p. 99.*)

§. 52.

In labio cancroſo inventus lapis (*Gerh. Blaſius p. 6. obſ. 15. p. 82.*). De lapidibus in palato, *Cæcil. Folius (ap. Th. Bartholin. cent. 1. Ep. 62. p. 155.*). Scrophulas tartareas obſervavit *Georg. Hieron. Velſchius (Diſſ. 2. de Ægagrop. p. 21*); in ſtrumis non rarò producitur vel Gypſum, vel verus calculus, *ſcripſit Nic. Tulpius (l. 1. obſ. med. c. 46. p. 92.*), petrefactos habet unquam ſatis *laudandus Velſchius (Diſſ. 1. de Ægagrop. p. 5.*)

§. 53.

Guttur rimanti facem præfert *Avicenna (l. 3. Canon. fen. 9. c. 9.*), hiſtoriam ſuggerit *Pomaret. (ap. River. obſ. commun. 7. p. 684.*). Tonſillarum & faucium, deſcripſerunt *Joh. Kentmann. (c. l.) Nicol. Florentin. (Sermon. 5. tr. 9. c. 12.) Joh. Langius (l. 2. Epiſt. med. 57. p. 826.*). Vidit calculos Tracheæ adhærentes ℥ß & ℥j. pendentes, ut dixiſſes totam tracheæ fiſtulam petrefactam, *Steph. Blancard. (cent. 1. Anat. Pract. rat. obſ. 23. p. 59.)*, & mortem à lapidibus aſperam Arteriam prementibus contigiſſe meminit *Theod. Kerckring. (Spicil. obſ. Anat. rar. 27. p. 61.*). Lapillum diuturnæ raucedinis cauſam aſperæ arteriæ inhærentem alibi (*M. C. D. 2. A. 8. obſ. 151. p. 318.)* pronunciavi, quo per tuſſim & illa oppidò excuſſa fuit. In extremis aſperæ arteriæ ramulis natum exhibet *Rembert. Dodoneus (Exempl. Med. obſ. c. 24. p. 42.*). Tartaream materiam thymum obſidentem propalavit *Frider. Hoffmann. Pater (Cardianaſtroph. adm. p. 6.)*

§. 54.

In Maxilla dextrâ natum lapidem exhibet *Joh. Schenck. (l. 1. obſ. Med. p. 196.*). Dentibus & ſui ſunt lapides & tophi, quos Græci πώρες appellant, atq; obſervatum eſt, *ſcribit Dan. Sennert. (l. 2. Med. Pract. part. 1. c. 10. p. 30.*), in quibusdam ita incrementum ſumſiſſe, & dentes materia iſta lapidea obductos fuiſſe, ut nulla dentium diſtinctio amplius appareret, ſed unius tantum oſſis ſpeciem præ ſe ferret, Idem *Euſtach. Rudius (l. de Dent. c. 29.*). Lapidem dentalem vocavit *J. B. Helmont. (tr. Alimenta Tartari inſontia n. 23. p. 200.*). Ne forſan Tartari nomen in exilium proſcriptum revocaret credo. Eundem denſata circa dentes colluvie adnaſci, ut in conchis marinis olim profitebatur *Alex. Benedictus (l. 5. de morb. corp. human. c. 2. p. 244.*). Propriam experientiam in propriis dentibus, allegat *Joh. Schenckius (l. 1. obſ. med. p. 204.)*

§. 55.

§. 55.

Quis verò calculorum in pulmonibus contentorum accuratum texet catalogum? Autores accipe. Sunt autem *Aristoteles (l.3. de part. anim. c.4.) Avicenna (l.3. Canon. fen. 20. c. 22.)*, qui pulmonalium lapillorum mentionem fecerunt. *Galenus (l.4. de loc. aff. c. 8.) Ægineta (l.3. c. 28. & 31.)* hæmoptoicum post diuturnam tussim in copioso sangvinis sputo 4. aut 5. lapides triplici aculeo tribulis aquaticis similes pondere 3. aut 4. ceratiorum eructasse. Adde his *Aretæum (l.1. c.12.) Trallian. (l.5. c.4.) Trincavell. (l. 10. c. 6.) Hieron. Cardan. (comm. in s. 4. Aph. Hipp. 79.) Joh. Wierus. (l.4. de præstig. Dæmon. c. 16. p. 446.) Joh. Kentmann. (c.l.) Ant. Beniven. (de abd. morb. caus. c. 24. p. 160.) Reiner. Solenander. (s. 5. Cons. Med. 26. p. 490.) Diomed. Cornar. (obs. med. 38.) J. C. Scaliger. (Exerc. 108. s. 3. p. 413.) Cornel. Gemma (c.l. p. 99.) P. Forestus (l.14. obs. 26. in Sch. & l. 24. obs. med. 28. p. 461.)*, & quos præterea ex antiquioribus *citat Joh. Schenck. (l. 2. obs. med. p. 227. & Lithogenes. c. 6. p. 26.) Leonh. Doldius (ap. Joh. Hornung. Cist. Med. Epist. 244. p. 437.) Fabr. Bartholett. (l.4. de Respir. c.3.) Dan. Sennert. (l.2. Med. Pract. p. 2. c. 7. p. 184.) Epiphan. Ferdinand. (Hist. Med. 88.) Zacut. Lusitan. (l.1. Prax. adm. obs. 103. p. 24. obs. 104. p. 25.) Joh. Fernel. (l.5. Pathol. c. 20. p. 280.) Martin. Pansa (Consil. Peripnevmon. qu. 17. p. 93.) Wolfg. Hœfer. (l. 2. Hercul. Med. c. 2.) Joh. Hiller. (Cent. 1. obs. & curat. Med. 37. p. 22.) Gvilh. Fabric. Hildan. (Cent. 2. obs. Chir. 29. p. 107. obs. 89. p. 186. & Cent. 6. obs. 22. p. 521.) Phil. Salmuth. (Cent. 1. obs. med. 7. p. 6.) Joh. Jac. Chiflet. (obs. 38.) P. Pawius (obs. anat. 9. p. 18.) Fr. Ign. Thiermaier. (l.1. Cons. Med. c. 11.) Dom. Panarol. (Pentecost. 2. obs. 22. p. 45.) Joh. Helwig. (obs. med. 65. p. 217.) Mich. Raph. Schmuzen à Poysttorff. (c.l. p. 18. P. Borellus (Cent. 1. obs. 67. p. 64.) J. B. Helmont. (tr. Asthma & Tussis n. 42. p. 293.) Isbrand. à Diemerbrœck (l.2. Anat. c. 13. p. 443.) Th. Bartholin. (cent. 1. hist. 33. p. 54. cent. 3. Epist. 80. p. 345. & s. 2. Diatr. de pulmon. p. 35.) Gerh. Blasius (p. 6. obs. 18. p. 83.) Conr. Victor. Schneider. (l. de Catharr. special. p. 608.) Joh. Helwich. (obs. med. 65. p. 65.) Illustr. Noster Luc. Schrœckius (schol. in h. l.) Frid. Lossius (l. 3. obs. med. 1.) G. H. Velcsh. (Decad. 4. Curat. 4. p. 177. & 180. M. C. D. 1. Ann. 1. observ. 158. p. 337.) Heinr. Brechtfeld. (ap. Th. Bartholin. V. 1. Act. Med. Hafn. obs. 99. p. 192.) Joh. Jac. Wenc. Dobrzensky (D. 1. A. 2. obs. 181. p. 278.) G. W. Wedel. (c. l. A. 3. obs. 16. p. 21.) Matth. Tiling. (c. l. A. 6. & 7. obs. 132. p. 176.) Fr. Huldenreich (c. l. obs. 221. p. 316.) Theod. Kerckring. (Spicil. obs. anat. 27. p. 64.) David Græbner. (Med. Vet. Restit. c. 5. p. 25.) Dn. D. Frid. Hoffmann. (Not. in Petr. Poter. cent. obs. c. 77. p. 99.) Corn. Stalpart. von der Wiel*

Wiel.(*Cent.1. obſ.28.p.116.*). *In* pulmonibus Friderici Electoris Saxoniæ lapides inventos, recenſuit *Theander Mart. Luther.*(*Tom.2. Altenburg. p.*903.) *Joh. Langius* (*c.l.p.*836.). Nucis juglandis magnitudine validisſimæ tunicæ incluſum invenit *Steph. Blancard.*(*cent.2. obſ.8. p.206.*). Membranam pulmones ambientem admodum aſperam & inæqualem innumeris protuberantiis ſ. tuberculis verrucis per quam ſimilibus ubique reſperſam, quibus apertis in iis Tartarum quendam gypſeum calcis inſtar friabilem per totam pulmonum ſubſtantiam ſparſum vidit *Fr. Loſſius* (*l.2. obſ. med.*3. *p.*107.). Loco pulmonis in latere dextro materiam calci ſimilem reperit *Ms. Mauche* (*vid. Nicol. Blegny Z. Gall. A.1679. p.117. & 1680. p.122.*). Tuſſim lapideam literis mandarunt *Fel. Platerus*(*tr.*3. *Prax. Med. l.2. c.15. p.1002.*) *Joh. Dolæus* (*l.*3. *Encyclop. Med. c.*13. §.10.*p.*592.) *Excell. Dom. D. Georg. Erneſt. Stahl, Fautor colendus, memorante Joh. Richtero*(*Diſſ. Med. Inaugur. de calce generat.* §.4. *p.5.*) *Joh. Franc.* (*M.C. D.*3. *A.*3. *obſ.*71.*p.88.*). Aſthma calculoſum *Bernh. Verzaſcha* (*cent. obſ. med.17. p.44.*). Calculum marmoreum ſtrictum ovi columbini magnitudine in gibbo dextra parte pulmonum cum alio in lobis illis propè arteriam aſperam hærente à fixo pectoris dolore conſumto deprehendit *Ioh. Bapt. Contulus* (*V. A. E. Lipſ. Ann.99.p.*397.). In lapicidarum pulmonibus magnam arenularum copiam conſpici *Isbr. à Diemerbræk* (*l.c.*) annotatum reliquit, & hos tuſſiculoſos easdem cum ſputo ejeciſſe non ſemel conſpexi.

§. 56.

Cor vitæ thalamum, regiam ſpirituum ſedem, Microcoſmi ſolem à calculoſa affectione immune proclamarunt, inter quos eſt *Vidus Vidius* (*c. de morb. cord.*) *ap. Gothofr. Mœbium* (*Med. Phyſiolog. c.12. p.*287.), id verò redarguunt, quæ de calculis cordis colligit *Joh. Schenckius* (*l.2. obſ. med. p.273.*) *I. G. Schenck.* (*lithogeneſ. c.7. p.13.*). Nuper (*ſcribit Th. Eraſtus ap. Laur. Scholz. Conſil. 103. col.276.*) in corde cujusdam, qui palpitatione cordis frequenter corripi ſolitus erat veluti lapillus niger repertus fuit. In Cardinalis Mazarini anno 1661. diſſecto cadavere cor inſolitæ magnitudinis tophaceâ quadam materiâ imprægnatum inventum fuit, notante *Frid. Hoffmanno* (*c.l.p.2.*) materiam ſabuloſam *Conrad. Vict. Schneider.* (*l.3. de Catharr. c.7. p.*236.). Quidam obſervarunt in corde callum inſtar calculi, commentatur *Iac. Hollerius* (*in ſ.6. aphor.18.*) *Ioh. Liebautius* (*p.*246.). Calculum ex Tartaro circa valvulas dextri ventriculi concretum minoris Caſtaneæ nucis obſervavit *Gregor. Horſt.* (*c.l. p.457.*). Non ſemel in corde lapides viſos, teſtatur *Petr. Borellus* (*Cent.1. obſ. 88. p. 87.*). In Principis Auerſpergi Conjuge *celeb. Phil. Iac.* *Sach-*

Sachsius (*M. C. D. 1. A. 1. in schol. ad obs. 44. p. 136.*) *de Hieron. Schreibero* è literis *Abra. Myrgelii J. G. Schenck.* (*c. l.*), in puellæ undecim annorum corde lapillam ponderis gr. XIV. colore autem & reliquo habitu referentem eum lapidem, quem inter medicamenta rariora ex India asportant, & Bezoarticum dicunt, advertit *Th. Kerckring.* (*c. l. obs. 78. p. 182.*). Mulierem quadrimestri Dysuria extinctam duos calculos in cordis parenchymate cum aliquot pustulis ostendisse dissectoribus *J. B. Helmont.* (*tr. Retenta pag. 495.*) *autor est.* In corde Maximiliani II. Imperatoris tres lapides observati, de quibus *Johan. Wierus* (*l. 4. de Præstig. Dæmon. c. 16.*), quem *citat Johan. Schenck.* (*l. 2. obs. med. p. 273.*). In dextro ventriculo etiam tres *Zacut. Lusit.* (*l. 2. Prax. admir. obs. 141. p. 37.*). In sectione nobilissimæ fœminæ ex familia antiquissima Rosenbergiorum oriundæ lapidem totam cavitatem cordis implentem (dextram, an sinistram, non addidit,) corpore incurvo, colore cineritio, in cujus apice duo veluti prominebant rostra conspexit *Bernh. Stiberus* (*ap. Gregor. Horst. c. l. p. 455.*), gemellam, si non eadem est, habet *Georg. Francus à Franckenau historiam* (*Lithol. Microc. in pect. §. 21.*) Lapidis instar corallii in Chiliarcha ex relatione *Angelocratoris* mentionem injicit Idem (*c. l. §. 22.*) Ferei coloris in corde *Hammonis Medici Turcici Cæsari Leonhard. Thurneiser.* (*p. 2. Onomast.*) sinistrum Ventriculum induratum Londini ab Eduardo Majo inventum *M. Aur. Severin. cit. Godofr. Mœbio* (*c. l. p. 253.*) testatus est. Quæ desunt, supplent *Joh. Wolff.* (*Cent. 16. Lect. Memor. f. 853.*) *Cornel. Gemma.* (*c. l. p. 100.*) *Jacob. Holler.* (*l. 1. de Morb. Int. c. 50. Casp. Hoffmann.* (*l. 3. Instit. Med. c. 123. p. 477. & Apolog. pro Galen. l. 3. p. 2. s. 5. c. 350.*) *Joh. Assuer. Ampsing.* (*de Calcul. c. 1. §. 4. & c. 13. §. 13.*). *Wolffgang. Hœfer.* (*l. 2. Herc. Med. c. 1. p. 28.*). *Joh. Dan. Horst.* (*manuduct. ad Med. p. 1. c. 7. p. 2. p. 158.*) *Athanas. Kircher.* (*l. 8. M. S. s. 2. c. 3. p. 53.*) *Nicol. Franchimont.* (*Lithol. Med. quam judice Franco Nostro c. l. §. 19. ex Th. Burnet. Thesaur. Med. Pract. l. 3. s. 3. p. 106. exscripsit*) *Theod. Craan.* (*diss. de Hom. c. 16. p. 147.*) *Gerhard. Blasius* (*p. 1. obs. 13. p. 80.*) *Transact. Angl.* (*Ann. 1665. p. 95.*) *Ph. J. Sachsius* (*Ocean. Macro-Microcosm. §. 37. p. 35.*)

§. 57.

Circa venam cavam tàm ascendentem, quam descendentem materiam gypseam pugni magnitudine offendit *Guilh. Fabr. Hildan.* (*cent. 2. obs. Chir. 44. p. 117.*) Saxeum crassamentum circa membranas sigmoëdes arteriæ aortæ depinxit *Corn. Gemma* (*c. l. p. 99. sq.*). Calculos in Arteriis descripsere *Joh. Fernel.* (*l. 5. Pathol. c. 12. p. 157.*) *Dan. Beckher.* (*l. 1. Microc. c. 15. p. 168.*). In arte-

arteriarum tunica interna *M. C.* (*D. 2. A. 5. obs. 86. p. 191.*). Circa basin arteriæ magnæ *Corn. Gemma* (*c. l.*). In ipsa arteria materiam arenaceam *Joh. Georg. Greissel.* (*M. C. D. 1. A. 1. obs. 74. p. 171.*) A bile tophos nigros *Joh. Fernel.* (*c. l.*) ad aortæ arteriæ initium *Joh. Riolan.* (*ap. Th. Bartholin. c. l.*) In aorta fistula lapidea. In Arteria propè venam cavam *Ath. Kircher.* (*c. l.*). In ramo Arteriæ aortæ, qui vergit ad glandulam Eustachii sinistro Reni impositam *Nic. Tulpius* (*l. 2. obs. cap. 25. p. 144.*). *Carol. Piso* (*obs. 101.*) in arteria venosâ ad foraminis ovalis vestigium lapidulum ductum exactè claudentem *Alex. Maurocord.* (*de Nat. & Us. pulm. c. 10. p. 88.*) oculis usurpavit. In arteria venosa & vena arteriosa *P. Marchettus* (*ap. Joh. Rhod. Cent. 3. obs. 4. p. 111.*). In venâ cavâ *Joh. Wierus* (*c. l. p. 445.*) *Reald. Columbus & Bonamicus* (*ap. C. V. Schneider. l. 3. de Catharr. c. 7. p. 147.*). In vena portæ & Hæmorrhoidibus *Columbus* (*l. 15. de R. A. p. 491.*). In Emulgentibus ad pugni magnitudinem in puero 9. annorum, teste *Henric. Mœnichenio.* (*obs. med. 20. pag. 259.*) *Carolus Lana Medicus Brixiensis.* In vena Thoracica externa *Nic. Tulpius* (*l. 4. obs. med. c. 22. p. 311.*)

§. 58.

Est & in ventriculo lapidicinæ locus. Historias ex Veteribus narrant *Nicol. Florentin.* (*Serm. 5. tr. 4. c. 53.*) *Gentilis in lib. 4. Avic. f. 1. tr. 2. c. de Febr. Sext.*) *Hieron. Cardar.* (*l. 2. contradict. 9. tr. 5. l. 2. de Subtil. p. 136.*) *Marcell. Donat.* (*l. 4. Hist. med. mir. c. 30. p. 520.*) *Joh. G. Schenck.* (*Lithogenes. c. 8. p. 35.*) *Conrad. Gesner.* (*p. 1. Foss. c. 12.*) *Corn. Gemma* (*c. l.*). Usnea stomachi lateribus adhæret *Paracelsus* (*d. 2. de Tartar. tr. 1. annot. ad. c. 1. p. 411.*) In Anatomia apud Venetos in cujusdam ventriculo tres lapides inventi, prodidit Idem (*ib. add. p. 397.*) Plures quam 30. calculos nunc majores, nunc minores fundo ac substantiæ ventriculi pertinacissimè adhærentes extraxit. *Joh. Bilgerus* (*ap. Greg. Horst. l. 1. Epist. Med. p. 11. p. 456.*). Simile retulit *Wolffg. Hœfer.* (*l. 3. Her. Med. c. 1. p. 120.*) *Steph. Blancard.* (*Cent. 1. obs. 72. p. 154.*) Talem & observavit Hydropicum *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Epist. 50. p. 207.*) in Æramentorum fusore, qui de Capitis & ventriculi doloribus inappetentiâ febrique continua conquestus, laterem quasi prædurum & excoctum in ventriculi fundo notavit *J. B. Contulus* (*Vid. Act. Erud. Lips. A. 99. p. 397.*). Quendam fabæ magnitudine lapillos vomuisse è *Guilh. Fabr. Hildano* (*cent. 6. obs. Chirurg. 22. p. 21.*) constat; alium nucis juglandis ex *Alex. Benedicto* (*l. 13. de Cur. Morb. c. 22. p. 476.*), gemellam (*è Laur. Scholz M. S.*) observationem recitat *P. J. Sachsius* (*Epist. de Mir. Lap. nat. p. 100. & l. 1. Gammar. c. 14. §. 3. p. 292.*)

p. 292.) cui & *Joh. Agricola non semel retulit se lapidem in ventriculo prognatum, & vomitu rejectum manibus palpasse. Add. Th. Bartholin.* (*c. l.*). *Simon. Schulz.* (*D. 1. A. 3. M. C. obs. 186. p. 142.*), vomitum lapidum in Arthritide, lege sis *M. C.* (*D. 3. A. 2. obs. 30. p. 39.*). In ventriculis tam duram vidit membranam effectam, ut testacei viderentur, *Christoph. Guarinon.* (*Consult. Med. 455. p. 516.*) Stomacho cujusdam Præsidis annatum sacculum lapidibus refertum, memorat *Joh. B. Helmont.* (*tr. Retenta p. 497.*)

§. 59.

De Hepaticis calculis jam olim quædam *Aristoteles* (*l. 3. de Part. Anim. c. 4.*) & varia ex antiquioribus iterum curioso suggerit *Joh. Schenck.* (*l. 3. obs. med. p. 412.*) & *J. G. Schenck.* (*Lithogenes. c. 9. p. 37.*). De lapiciditate in Epate commentatus est *Joh. Serapio* (*tr. 4. Pract. c. 2.*). Tradidere & quædam exempla *Ant. Benivenius* (*de Abd. Morb. caus. c. 3. edit. Dodon. p. 132. & c. 94. p. 231.*) *Casp. Peucer.* (*de Divinat. Gener. p. 530.*). *J. C. Scaliger.* (*c. l. p. 423.*). *Jacob. Comenicenus* (*ap. Petr. Andr. Mathiol. l. 5. Epist. Med. p. 323.*) & *ipse Matthiol.* (*c. l. p. 325.*). *Felix Plater.* (*l. 3. obs. med. p. 42.*). *Leonh. Doldius* (*ap. Jacob. Hornung Cist. Med. Epist. 244. p. 137.*). *Cæl. Rhodigin.* (*l. 4. Lect. Antiqu. c. 17. col. 204.*). *Gerh. Blasius* (*c. l. obs. 19. p. 84.*) *M. C.* (*D. 3. A. 3. obs. 72. p. 90.*) *D. Joh. Francus.* In Panniculo Epatis & ipsa substantia, grandes & magnos tuitus est *Joh. Wier.* (*l. 3. c. l. c. 15. p. 428.*). Fabæ majoris magnitudine & qui colore lapidem Bezoar referebat, habuit Aurifaber Pragensis, testimonio *Anshelm. Boëtii à Boot* (*l. 2. de Gemm. c. 349. p. 266.*). Tres in juvenis nobilis Hepate repertos, recensuit *Joh. Kentmann.* (*c. l.*), quorum unus dimidium ovum columbinum æquabat. Etiam tres in Alio *Guilh. Renodeus* (*l. 3. de Mat. Med. c. 23.*). Lapillos in Epate in febri lenta extinctis, communicat *J. B. Helmont.* (*tr. Ignotus Hydrops n. 11. p. 409.*), calculi lobo jecoris annati ovi columbini magnitudine mentionem injicit *Heinr. ab Heer* (*obs. rar. 1. p. 27.*) *Add. Paul. Sorbait* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 106 p. 179.*). Insignes Epatis calculos tradidit *Steph. Blancard.* (*Cent. 2. obs. 80. p. 289.*). Jecur viri, in quo natus lapis instar pilæ memorat *Gerb. Blancke* (*Catal. Antiqv. & Nov. quæ in Anat. publ. Lugd. Batav. servantur caps. L. n. 63. p. 28.*) *Add. Marcell. Malpighium* (*de Epat. Struct. c. 2. p. 12.*) Lapillos tesserarum figuram repræsentantes & instar marmoris variegatos quamplurimos è Chiliarchæ cujusdam uxoris Hepate post obitum exemtos vidit *Godofr. Mœbius* (*Fund. Med. Physiol. c. 14. p. 349.*). Calculos ex Abscessu circa Hepar tradidit *Fel. Plater.* (*l. 3. obs. p. 341.*). Innumerorum ex abscessu circa Hepar prodeuntium *Gottfrid Thilesius* (*D. 1. M. C. A. 1. obs. 105. p. 242.*).

Singularis est illa de duobus tumoribus saxeis, à suspensorio Epatis dependentibus, quorum alter librabat 16, alter 12. pondo in matrona Regiomontana (*ap. Th. Bartholin. Cent. 4. hist. An. 64. p. 364.*) *Christophori Tinctorii* relatio. Nec obliteranda illa J. C. *Scaligeri* (*c. l.*) annotatio, de atris in Senatoris Epate inventis lapidibus, qui in aquam injecti intumuere.

§. 60.

De lapidibus, qui in fellis reconditorio coagulantur, nullibi non plenæ sunt observationum Pandectæ. Largam horum messem *apud Schenckios* (*l. c. p. 419. & Lithogenes. c. 10. p. 43.*) invenies. Auxere post hos illam sequentes; ut Spicilegium ipsam messem superare videatur. Evolvatur *J. Langius* (*c. l.*) *Cornel. Gemma* (*c. l. p. 99.*). *Gabr. Fallopius* (*l. 4. obs. anat. c. 7. f. 158. a.*). *P. Forestus* (*l. 24. obs. m. 28. p. 40.*). *Reiner. Solenander* (*s. 5. Consil. 16. p. 493.*). *Georg. Fabric.* (*l. 3. Annal. Misn. p. 206.*). *Ulyss. Aldrovand.* (*Mus. Metall. p. 784.*). *Fel. Plater.* (*l. 3. obs. med. p. 840.*). *Joh. Fernel.* (*l. 5. Pathol. c. 12. p. 287. & l. 6. c. 5. p. 295.*). *Gregor. Horst.* (*l. 2. Epist. Med. s. 5. p. 458.*). *Ansh. Boëtius à Boot* (*c. l.*). *Guilh. Fabr. Hildan.* (*Cent. 1. obs. Chirurg. 60. p. 48. l. de Ichor. & Melicerid. c. 27. p. 886.*). *Dom. Panarol.* (*Pentecost. 5. obs. 22. p. 158.*). *Carol. Piso* (*l. 2. de Morb. à Colluv. Seros. Ort. p. 2. c. 4. obs. 17.*). *Petr. Borell.* (*cent. 1. obs. 4. p. 8. & cent. 3. obs. 22. p. 216.*). *Joh. Rhodius* (*Cent. 3. obs. 2. p. 107.*). *Guilh. Ballon.* (*l. 2. Ephem. & Epid. p. 253.*). *Joh. Riolan.* (*l. 2. Enchirid. Anat. c. 25.*). *Balthasar. Tim. à Güldenklee* (*l. 3. Cas. Med. 28. p. 145.*). *Francisc. Glisson.* (*Anat. Hepat. c. 7. p. 81.*). *Guilhelm. Staten* (*ap. Arnold. Sengverd. l. 5. Introd. ad Phys. c. 5. p. 426.*). *Joh. Dan. Horst. obs. Anat. 7. p. 17.*). *Andr. Cnœffel* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 207. p. 383.*). *Car. Rayger.* (*c. l. obs. 283. p. 498.*). *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. Hist. 54. p. 269. Cent. 2. Epist. 62. p. 253. & Cent. 3. Epist. 85. p. 362.*). *Nic. Guilh. Beckers* (*M. C. D. 1. A. 1. obs. 44. p. 135.*). *Sachs.* (*in Schol. ad cit. obs. p. 136. & de mirand. lap. nat. p. 102.*). *Joh. Vesling.* (*obs. & Epist. 47. p. 164.*). *Fr. Osw. Grembs.* (*l. 2. Arbor. Integr. & Ruinos. c. 1. §. 7. n. 39. p. 127.*). *G. H. Velsch.* (*Episagm. 65. p. 40.*). *Th. Willis* (*de Morb. Convulsiv. c. 12. p. 221.*). *P. Sorbait* (*tr. 6. Med. Pract. c. 5. p. 741.*). *Ioh. Grœn.* (*de Dupl. Bil. Vet. c. 11. §. 3. p. 143.*). *Ioh. Dolæus* (*l. 3. Encyclop. Med. c. 13. §. 10. p. 592.*). *Ioh. Tackius* (*Chrysogon. Animal. & Mineral. p. 30.*). *Fried. Lossius* (*c. l.*). *Fred. Ruysch.* (*obs. anat. 9. p. 54.*). *Fried. Huldenreich* (*M. C. A. 6. & 7. obs. 221. p. 322.*). Inter singularia reputanda magnitudo, quando lapidis pellucidi magnitudine avellanæ mentio facta *à Nicol. Blegny* (*Zod. Gall. Ann. 79. p. 117.*), ovi columbini, (*c. l. p. 84.*), ovi palumbini figura, M. *R. Schmuzen* (*c. l. p. 21.*), vesicula fellis matro-

næ

næ illustrissimæ longitudine ovi gallinacei, sed crassitie paulum minori à silice communi, quo plateæ civitatum sternuntur, materia nihil prorsus differens, nisi quod subflavesceret ac simul quendam virorem affectaret, *Bohusl. Balbin.* (*l.1. Misc. Bohem. R. c.34. p.84.*) ℥iij. *Seb. Scheffer.* (*M. C. D.2. A. 3. obs.152. p. 297.*) Folliculus Fellis pondere lapidis inclusi pendulus in substratum intestinum procubuerat, quod (mirum!) in offensi Fellis utero motu attriverat, *prodidit Ioh. Lang.* (*c. l. p. 836.*). Insignes fuere illi, quos descripsit *Hildanus* (*Cent. 4. obs. Chirurg. 44. p. 320.*), quorum primus ℥xiv; alter ℥iiiiß pendebat. In Muliere duos, unus gr. 48. alter 38. pendebat, non friabiles, sed Bezoarticos duritie æquantes (*Nova Lit. German. A. 1703. p. 156.*). Numerus præterea notabilis in vesica Fellis *Consiliarii Saxonici Schuderi* octo reperti, quorum maximus nucem juglandem, reliqui pisorum majorum magnitudinem æquabant (*Dn. D. Christian. Warliz. Mus. Curios. n. 4.*). Serenissimi Marchionis Brandenburgici vesicæ felleæ capsula calculas 16. continuit, *testimonio C. V. Schneideri* (*l. 3. de Catharr. c. 7. p. 235.*) 27. *Gregor. Queccius* (*ap. Ioh. Helwig. c. l.*). In Hydropico 32. *Cornel. Gemma* (*c. l. p. 99.*). In nobilissimo Domino 53. *Iac. Hollerius* (*Schol. ad l. 1. de Morb. Int. c. 48. p. 517.*). *In Cardinali de Wartenburg.* 67. *Ioh. Helwig.* (*obs. 81.*) 72. Calculos flavos fabarum minorum & pisorum formam æquantes in folliculo fellis & ductibus Cholodochis invenit *Steph. Blancard.* (*Cent. 1. obs. 47. p. 112*). Maximè numero memorabiles sunt *ap. Fel. Plater.* (*l. 3. obs. med. p. 841.*) trecentesimum excedentes. In ductu cholidocho tumorem & in eo calculum invenit *Benj. Bened. Peterm.* (*Dec. 1. obs. med. 9. p. 13.*). In *Ducissa de Anbringen* 136. *Dav. Reichius* (M. C. D. 2. *A. 10. Append. p. 74.*) In quodam viro magno 143. *Ioach. Camerar.* (*cit. Ioh. Friedelio Diss. de Calc. Ren. & Ves. c. 3.*). Totum fel lapidefactum *ap. Petr. Andr. Mathiol.* (*l. 5. Epist. p. 324. sq.*). Cylindri figura, iterum *Blancard.* (*Cent. 2. obs. 24. p. 236. & obs. 34. p. 251.*). Bilis Georgii Bohemiæ Regis in rubeum lapidem conversa fuit, notante *Joh. Caminiceno* (*ap. Mathiol. c. l.*) & *Joh. Muralto* (*Exerc. Anat. 8. p. 380.*). Nescio igitur, quid adegerit *D. Cornelium Physicum Danum Medicum*, quod adeò obstupescebat, cum in vesica fellis *Christierni II. Regis Daniæ* complures lapillos collectos videret, pronuncians, quod simile aliquod ante nec visum illi, nec auditum esset, prout in literas id retulit *Joh. Suaningius* (*l. 3. Hist. Vit. Christiern. II. c. 4. p. 502. sq.*). Plura collegit. *Ill. Præses* (*Schol. in Joh. Helbig. obs. 81. §. 57. p. 252.*)

§. 61.

Ut fellis passim obvii; ita Lienis rariores. Mentionem tamen eorum fecit

(*c. l.*) *Aristoteles. Thurneuseri*, *Hollerii*, *Fallopii compilavit nobilis ille observationum Eclogarius Joh. Schenckius* (*c. l. p. 426.*), queis, si lubet, junge *Nic. Fontan.* (*Exerc. 31. p. 92. sq.*) *Guilh. Fabric. Hildan.* (*cent. 1. obs. Chirurg. 60. p. 48. & cent. 4. obs. 40. p. 320. & tr. de Ichor. & Melicer. c. 27. p. 886.*) *Marcell. Malpigh.* (*T. 2. oper. p. 292.*), qui & in ovium Liene calculos concretos ex materia gypsea tradidit, (*de Lien. struct. c. 1. p. 167.*) *Dn. D. Israël. Med. Prof. Heidelb.* ostendit *Rosino Lentilio* calculos binos satis grandes colore fusco præditos, figurâ catulos parvos, quatuor prominentiis ceu pedibus & capite mentitos, pluribusque aliis sociatos, in liene vetulæ cujusdam repertos (*M. C. D. 2. A. 7. obs. 136. p. 262.*) *And. Cnœffelius* (*M. C. D. 1. A. 4. & 5. obs. 57. p. 48.*). Lienem quasi convolutum calculis plenum conspexit in cive Patavino, qui annis tribus in carcere detentus, tandem nigro arquato defunctus, sectioni publicæ adhibitus fuit, lienem præter cœtera minus crassum latumque & exiguum omninò reperimus, narrat *Andr. Vesal.* (*l. 5. de Hum. corp. fabric. c. 9. p. 360.*), & gibba ejus parte adipem adnatum instar candidissimi durissimique lapidis concretum. Substantia visceris huic erat arida & impense dura calculos è Liene ad vas breve & exinde in ventriculum (*credat qui volet*) rejectos habet *Heinr. Rufus* (*ap. Lazar. River. obs. commun. 6. p. m. 670.*). Quod ad Pancreas in viragine Hottentotica calculos in Pancreate observavit Chirurgus, teste *Wilhelm ten Ryne* (*de promont. Bonæ spei. c. 8. p. 34.*). Add. *Merclini* (*M. C. D. 1. A. 8. obs. 50. p. 78.*) observationem. Pancreas lapidosum intimat *Dominic. Panarol.* (*Pentec. 1. obs. 44. p. 27.*), explicat verò ita durum, ut lapidem æmularetur. Idem de momento (*Pentecost. 3. obs. 10. p. 48.*). Scirrhosum forsan utrumque extitit.

§. 62.

Qui de Peritonei calculis quædam annotarunt, vix sunt, præter illum *J. Theod. Mæren* (*M. C. D. 2. A. 4. obs. 128. p. 251.*), qui inter duplicaturam Peritonei offendit. Interim ex umbilico & per umbilicum prodiisse *Christoph. Roesler.* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 329. p. 542. & Carol. Joseph. Myller. D. 2. A. 7. obs. 228. p. 431.*) perhibent. *D. Tolet, Chirurgus Parisiensis*, retulit, (*J. Grœnevelt. Diss. Litholog. Artic. 5. p. 5.*), se vidisse virum, qui ante XX. annos calculum per umbilicum excreverat. Lapidem umbilico adhæsisse nucis avellanæ magnitudine testatum reliquit *ap. Joh. Rhodium* (*cent. 2. obs. 90. p. 104.*). Alium descripsit *Cæcil. Folius* (*ap. Th. Bartholin. l. 1. Anat. Ref. c. 27. p. m. 204. & cent. 1. Epist. 62. p. 155.*), quæ desunt, supplet *Joh. Schenckius* (*c. l. p. 514.*) & *Matth. Unzer.* (*l. 1. de Nephrit. c. 5. p. 35.*). In Ingvinibus lapidem notavit *Joh. Arculanus* (*in 9. Almans. c. 104. f. m. 186. b.*) Veronæ.

§. 63.

Qui de Mesenterii lapidibus ex antiquis Exempla annotarunt, recensuit sæpius nominatus *Joh. Schenkius* (*c.l.p.405.*). Habet & observationem *Petr. Forest.* (*l.24.obs.med.28.p.461.*). Materia gypsea in Mesenterio & circa venam portæ occurrit *G.F.Hildano* (*cent.2.obs. Chirurg.44.p.117.*). Talem à lapillis in venis meseraicis deduxit *Dan. Wincklerus* (*M.C.D.1. A.3. obs.307. p.528.*). Gemellam habet *Philipp. Ludovic. Ebenus* (*obs.50.p.56.*), de puella pro phtisicâ habitâ, in quâ pulmonibus insontibus, tres in mesenterio reperti calculi. De tribus fratribus idem habet *Joh. Henem.* (*ap. Theoph. Bonet. l.2. Anat. Pract. s.7. obs.131. p.615.*). Ingentium calculorum historiam texuit *G. Abr. Merclin.* (*c.l.*). Mesenterii glandulas materia argillacea impletas suggerit *Pompejus Sacchius* (*l.2. Method. nov. Febr. cur. c.3. n.12. p.90.*). Partem Mesenterii vidit osseam *Joh. Rhodius* (*cent.2. obs.96. p.103.*). Lapidosi Mesenterii historiam recensuit (*Pent.5. obs.29. p.256.*) *Dominic. Panarolus.*

§. 64.

Intestinorum calculos, s. calculorum per inferiora excretionem se neque vidisse, neque alium, qui viderit unquam audivisse, pronunciavit *Galenus* (*l.6. de loc. aff. c.1.*), qui tamen ante (*l.1. de loc. aff. c.5.*) scripserat, nonnullis placere, lapides etiam in colo nasci. In hunc locum procul dubio digitum intendit *Paulus* (*l.3. c.41.*), si rectè conjecturo. Quod si rem acu non tango, optimo jure (*l. 2. Epist. Med. 57. p. 838.*) *Joh. Langius Paulo* dicam scripsit: Quam vellem, *Paule* mi, nobis testimonii hujus locum *in Galeni libris* nominatim indicasses. Inconsulto id fecisse *Langium*, *David Græbner.* (*Med. vet. restit. c.9. p.79.*) judicat. Vox enim ἱσορεῖ, quâ *Ægineta* utitur, se non vidisse, sed aliorum relatu hanc observationem memoriæ tradidisse, indicat. Contrarium tenet *Hieron. Mercurial.* (*l.7. variar. lect. c.20. p.115.*), idque satis superque testatur larga *ap. Schenckios* (*l.3. obs. med. p.387. & Lithogen. c.13. p.55.*) observationum seges. Testimonio præterea suo & Experientiæ calculo in partes nostras veniunt *Avicenna* (*l.3. Canon. Fen.17. tr.3. c.6. f. m.* 344.) *Joh. Arculan.* (*c.l.*) *A. M. Brassavola* (*c.l.*) *Hier. Capivacc.* (*l.3. Pract. c.13.*) *Johan. Matth. Gradi* (*comm. in 9. Rhas. tr.3. c.14. p.327.*) *Victor. Trincavell.* (*l.10. de Rat. cur. aff. c.6. p.286.*) *Alex. Pedemontan.* (*Addit. ad Mes. c.3. summ.1. part.4.*) *Diomed. Cornar.* (*obs. med. c.2. p.4.*) *Joh. Crato* (*ap. Laurent. Scholz. Epist. med.140. col.245.*) *Corn. Gemma* (*c.l.*) *P. Forest.* (*c.l.*) *Joh. Fernel.* (*l.6. Pathol. c.9. p.303.*) *Horat. Augen.* (*comment. in art. cur. Galen. ad Glaucon.*) *Joh. Riolan. Pater.* (*l.2. Method. general. s.2. c.2.*) *Joh. Ingolstetter.* (*ap. Joh. Hor-*

nung Cist. Med. Ep. 229. p. 419.) *Hieron. Reusner.* (*Exerc. 5. de Scorbut. p. 339.*) *Joh. Faber.* (*ap. Gregor. Horst. l. 2. Epist. med. s. 5. p. 450. sq.*) *Joh. Matthæus* (*Relat. histor. Cas. 2. p. 129.*) *Hercul. Saxon. l. 3. Med. Pr. c. 25.*) *Guilhelm. Renodeus* (*l. 3. de mat. med. c. 23.*) *Franc. Valles.* (*comm. in l. 5. Epid. Hipp. hist. 25. col. 466.*) *Anut. Foës.* (*in l. cit. Hipp. p. 241.*) *Reald. Columb.* (*l. 15. de anat. p. 491.*) *Matthias Unzer.* (*l. 1. de Nephrit. c. 5. p. 35.*) *Heinric. Rufus.* (*ap. Laz. River. obs. commun. 4. p. 670.*) *Laz. Meyssoner.* (*Nov. & arcan. Doctr. Febr. p. 53.*) *Dominic. Panarol. & apud hunc Anton. Vitaglian.* (*Pentecost. 5. obs. 12. p. 140.*) *Fr. Glisson.* (*Anat. Hepat. c. 7. p. 82.*) *Th. Barthoc.* (*cent. 4. hist. 11. p. 230.*) *Heunius* (*ap. Eund. cent. 3. Ep. 59. p. 237.*) *Paul de Sorbait* (*c. l.*) *O. Borrichius* (*ap. Th. Barthol. Vol. 5. Act. Hafn. obs. 65. p. 159.*) *Fried. Lachmund* (*Adm. Fossil. S. 3. c. 22. p. 70.*) *Laur. Wolfstriegel* (*M. C. D. 1. Ann. 2. obs. 89. p. 163.*) *Simon. Schulz.* (*ib. obs. 136. p. 220.*) *Dn. D. Petr. Rommel.* (*D. 2. A. 8. obs. 184. p. 475.*). Singulares videntur globuli tartarei in intestinis diu latitantes, de quibus *Bernh. Stieberus* (*ap. Gregor. c. l. p. 455.*). Gemmas interius referentes luci exposuit *J. Henr. Brechtfeld.* (*ap. Th. Bartholin. V. 1. A. H. obs. 100. p. 193.*). Arenas per alvum mulier nephritica dejecit, *Ambros. Stegmann.* (*M. D. 3. A. 4. obs. 103. p. 227.*). Quidam lapidem passerino ovo non absimilem per alvum exclusit (*Mich. Raph. Schmuzen à Poystorff. c. l. p. 119.*). Nobilis Pragensis Colica, quæ tandem in Paralysin desiit, laborans, calculum per intestina ovi gallinacei magnitudine subrufum, nec adeò durum per alvum dejecit, *vid. Anshelm. Boët. à Boot.* (*c. l.*). Quidam ℥ij pondere ovi columbini instar Bezoar exactè referebat (*Joh. Dolæus. c. l.*). In intestino cœco reperit *Petr. Poterius* (*Cent. 1. Cur. 82. p. 103.*). In coli initio lapis niger videndum se stitit *Heinr. Smetio* (*l. 10. Miscell. med. p. 558.*). E vesicula fellis ad intestina aliquando delabi confirmant *Iac. Horst.* (*ap. Greg. Horst. c. l. p. 453.*) *O. Borrich.* (*c. l.*), quorum effatum propria experientiâ in Parochi cujusdam conjuge, matronâ piâ & honesta Ictero fere per annuum tempus tentatâ & defunctâ, quæ subinde per alvum calculos leves quidem, triquetros tamen castanearum colorem referentes, egessit, fulcire possum eum *Frid. Hoffmanno Patre* (*l. 4. Clav. Schrœd. s. 1. §. 129. p. 463.*). Facit huc, quod in poro bilario instar Coralli in bobus tempore quadragesimali sæpius conspexisse *Franc. Glisson.* (*c. l.*) testatur. De Pyloro intus & extus materia gypsea obducto *N. Blegny* (*Z. G. Ann. 1. M. F. obs. 3. p. 46.*). In Hæmorrhoidibus lapillus *Georgio Rietlino* (*obs. Chirurg. rar. 9. p. 8.*) conspectus.

§. 65.

De calculis Renum & vesicæ res adeo manifesta, ut multarum historiarum recensione in digeat. Sylvam harum, cui scire inter est,

est, dabit *Joh. Georg. Schenckius* (*Lithogen. c. 15. p. 72. sq.*). Singularia saltim quædam circa eosdem observata dare animus est. Vesiculam propè Renes succenturiato, lapidibus & aqua flavi coloris refertam proposuit *Casp. Theod. Bierling.* (*Adv. Cur. cent. obs. 27. p. 56.*). Renem crusta lapidea repræsentant *M. C. D. 1. A. 4. & 5. p. 45.*). Sub renis sinistri membrana calculum ovi gallinacei magnitudine in cavitatem renis desinentem invenit *Guerner. Rolfinck.* (*l. 1. Diss. Anat. c. 13. p. 181.*). In tubulis ureterum concrescere *Gothofr. Mœbius* (*Fund. Phys. med. c. 17. p. 441.*) *docuit.*

§. 66.

Πολυμορφοὶ sunt non rarò. Figuram solis repræsentarunt quidam *ap. Zacut.* (*l. 3. Prax. adm. obs. 138. p. 139.*); Lunæ, *Nicol. Chesneau* (*l. 3. obs. c. 10. obs. 1. p. 352.*); Pisorum *J. N. Pechlin.* (*l. 1. obs. med. 7. p. 13.*); olivæ *Hildan.* (*Cent. 3. obs. Chir. 68. p. 251.*); nucleis Dactylorum conformes sæpius oculis obvenerunt, passimque sunt obvii. Corallo nondum levigato soliditate similem è nobili sene mortuo extraxit *Calotus, referente Th. Jordano* (*Resp. ad. Decad. 2. Paradox. 7. Jouberti*). Figura Ureterum in tubulos expansorum, videbantur corallia marina flavo colore saturata *Guern. Rolfinck.* (*l. 3. Epitom. M. M. c. 19. p. 309.*). Alius meminit *Barth. Eustach.* (*l. de Renibus c. 44.*); Bicornis *Henric. ab. Heer.* (*obs. 1. p. 27.*) Quidam *à Nicolao Tulpio* (*l. 2. obs. c. 44. p. 176.*) observatus quadruplici ramo instar crucis per universum renem se dispergebat. Tricuspidem *Joh. Jac. Harder.* (*Exerc. 1. p. 2. & Exerc. 20. p. 114.*). Dentatum *J. Th. Schenck.* (*Exerc. Anat. 7. s. 2. c. 32. p. 551.*). Singularis figuræ depingere curavit *Mich. Rabp. Schmuzen* (*Meth. Cur. calc. c. 2. p. 302.*). Murices, s. tribulos referebant bini, quorum unus pentagonus, alter heptagonus *G. H. Velsch* (*Hecatost. 2. obs. 58. p. 32.*). Sceptrum Turcicum repræsentans in cujus summitate semiluna, *Joseph. Lanzon.* (*M. C. D. 2. A. 10. obs. 90. p. 161.*). Cariophyllum aromaticum, *Carol. Rayger.* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 285. p. 503.*). Cordis typum *Ambros. Pareus* (*c. l. p. 568.*) *Joh. Scultet.* (*obs. Chirurg. 66. p. 93.*) *Salom. Reiselius* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 191.*) *p. 362.*) *Sebast. Schefferus* (*M. C. D. 2. A. 3. obs. 152. p. 297.*). Rostri avis unus è Sperlingianis (*Vid. J. D. Major. Hist. Calcul. Sperling. fig. 3.*); Continens perfectè figuratum serpentem convolutum sine capite tamen, *Rob. Boyle* (*s. 2. de Gemm. p. 145.*). Capitis felini, in quo repertus serpens (*P. Borell. C. 2. obs. 22. p. 124.*); Næfrendis & Catuli *Pareus* (*c. l.*); Pulli anserini (*Cæso Grammius D. 1. M. C. A. 3. obs. 19. p. 24.*) Muris (*Jacob. Scherbius Disp. de Calc. Ren. §. 22.*) *Joh. Theod. Schenck. l. 1. Exerc. Anat. 7. c. 32. p. 550.*); Penis *D. Vit. Riedlin.* (*M. C. D. 3. A. 1. obs. 138. p. 219.*); Membri viri-

lis

lis cum glande præputio & scroto *Bernh. à Bernizz.* (*D. 1. M. C. A. 2. obs. 139. p. 223.*) *Joh. Nic. Pechlin.* (*c. l. obs. 17. p. 14.*); Infantis *Joh. Dolæus* (*M. C. D. 2. A. 6. obs. 75. p. 164.*) *D. Christian. Helbich.* (*M. C. D. 3. A. 4. obs. 33. p. 89.*) Plura *Thom. Bartholin.* (*cent. 1. hist. anat. 72. p. 122. cent. 3. hist. 34. p. 74. & hist. 35. p. 74.*). Inventus etiam fuit instar cochleæ lapidefactæ effigiatus & in medio quasi crystallum habuit, quod à semine ostreiformi vi lapidificæ juncto provenisse ridiculè judicat *Petr. Borellus* (*Cent. 2. obs. 62. p. 158. sq.*). De cochleæ testa pulchrè admodum elaborata, in cujus cavo erat materia mucosa & viscida, quantum ad consistentiam non multum absimili ipsi cochleæ cujusdam substantiæ coloris tamen sanguinei in rene mulieris, *evolv. Act. Erud. Lips.* (*ann. 86. M. Aug. p. 388.*); Calculi lanuginosi historiam condidit *O. Borrich.* (*ap. Th. Barthol. V. 2. A. H. obs. 55. p. 157.*); Membranæ propriæ inclusi *Jac. Holler.* (*l. 1. de Morb. Int. c. 49. p. 527.*); Lento humoris involucro circumvestiti, *Marcell. Donat.* (*l. 4. hist. med. mirab. c. 30. p. 503.*); membranis exactissimè involuti, *Joh. Conr. Peier.* (*Exerc. 1. p. 2.*)

§. 67.

Magnitudo aliquando admiranda. Nuclei pruni majoris historiam communicat *Th. Bartholin.* (*C. 3. Hist. 33. p. 70.*); olivæ magnitudine, *Gv. F. Hildan. Cent. 3. obs. 68. p. 251.*); Castaneæ, (*ib. obs. 40. p. 252.*); Ovi columbini, *Jacob Holler.* (*l. 1. de Morb. Int. c. 48. p. 517.*). *Joh. Kentmann.* (*c. l. c. 7.*); Gallinacei, *Phil. Salmuth.* (*Cent. 2. obs. 42. p. 10.*). *Dan. Sennert.* (*l. 3. med. Pr. p. 8. s. 1. c. 2. p. 850.*) *Th. Barthol.* (*C. 1. hist. 71. p. 121.*); anserini, *Phil. Salmuth.* (*C. 2. obs. 85. p. 101.*) *Henr. ab Heer* (*obs. 26. p. 295.*) *Nic. Chesneau* (*l. 3. c. 10. obs. 1. p. 354.*) *P. Borell.* (*Cent. 2. obs. 22. p. 124.*); pavonii, *Balth. Tim. à Güldenklee* (*l. 3. Cas. Med. 10. p. 178.*); Pugni, *Heinric. à Mœnichen* (*obs. 20. Lyser. Cultr. Anat. Annex. p. 253.*) *Anton. Nuck.* (*Adenogr. Curios. c. 7. p. 82.*); Capitis pueri annui, *Ol. Borrich.* (*ap. Th. Barthol. Cent. 4. Epist. 92. p. 528.*). Utramque Renis cavitatem calculo repletam & distentam pro urinæ tamen emittendæ via provida solersque natura in lateribus calculi orbitam quandam cavam, per quam urina ad ureteres & vesicam deferri posset, molita fuerat, tradidit αὐτόπτης *Phil. Salmuth.* (*Cent. 3. obs. 30. p. 124.*). Ingentis molis, delineat *laudatus à Berniz.* (*M. C. c. l. obs. 140. p. 224.*). *D. Petr. Rommel* (*M. C. D. 2. A. 8. obs. 88. p. 477.*) *Dn. Goodrick Chirurgus Edmundi-Burgensis* asseruit, se ex mortuo exemisse calculum magnitudine fermè æquantem caput infantis recens nati, nec multum ei dissimilem, (*Act. Philos. Anglic. 1667. M. Jun. n. 7. p. 385.*). Magnitudine capitis

pitis annui in Theatro Oxoniensi deprehendit *O. Borrich.* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 92. p. 528.*) §. 68.

De Vesicæ calculis nemo ambigit. Inauditum est, quando *Joh. Grenefeld* (*Diss. Litholog. p. 9.*) commemorat, calculos inter duplicaturam vesicæ circa insertionem ureterum hæsisse & ureteres pueruli calculosi quoad faciem externam intestinum quoddam tenue quoad colorem non minus, quam capacitatem retulisse, quod etiam excerpserunt *Dn. Lipsienses* (*Act. Erudit. Ann. 1685. M. M. p. 126.*). Pondus horum non raro examinatum & expressum annotari meretur. In vesica *D. Joh. Heurnii* calculi septem reperti, quorum singuli nucis juglandis forma ℥ij. pendebant, de quo *Petr. Pawius* (*obs. anat. 30. p. 44.*) ℨiiiß alius *ap. P. Forest.* (*l. 25. obs. med. 24. p. 537.*) ℥ß. *Sal. Reisel* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 192. p. 363.*). Maximus Sperlingianus accedebat ad pondus ℨv. medicarum & ultra (*J. D. Major. c. l.*). ℨvii *D. Vitus Rietlin.* (*M. C. D. 3. A. 5. & 6. obs. 243. p. 577.*). ℥i rene sinistro toto absumto toto absumto *Frid. Lossius* (*l. 3. obs. med. 52. p. 301.*). ℥iß *Steph. Blancard.* (*Cent. 1. obs. 44. p. 103.*) ℥iß ℨii *Christ. Warliz.* (*Mus. Curios. n. 4.*) ℥ij. *Joh. Ingolstet.* (*ap. Joh. Hornung. Cist. Med. Epist. 236. p. 427.*). *Steph. Blancard.* (*Cent. 2. obs. 34. p. 250.*) ℥ii. ℥i. *Phil. Hechsteter.* (*Decad. 10. obs. med. cas. 5. p. 411.*). *Hildan.* (*cent. Epist. 75. p. 1014.*) ℥ij. ℨii. *Diomed. Cornar.* (*obs. med. c. 16. p. 32.*) ℥iiß. *P. Forest.* (*c. l.*) ℥iij. *Diomed. Cornar.* (*c. l. c. 19. p. 34.*). *Nicol. Tulp.* (*l. 3. obs. med. c. 7. p. 200.*). *Job. Theod. Schenck.* (*c. l. p. 551.*) ℥ivß. *Is. Cattier.* (*obs. med. 3. p. 16.*) ℥v. ℨi. *Matth. Ramlov.* (*c. l. Specul. Acid. Wildung. c. 1. §. 21. p. 79.*) ℥vß. & ℥vi. *Joh. Scultetus* (*obs. Chir. 66. p. 93.*). *Casp. Caldera de Hæredia* (*Tribun. Med. l. 3. s. 2. c. 16. p. 224.*). *Th. Bartholin.* (*V. 4. A. H. obs. 83. p. 193.*) ℥vii. *P. Borell.* (*Cent. 2. obs. 62. p. 159.*). ℥viij. *Gregor. Horst.* (*c. l. p. 451.*). *Salmuth.* (*cent. 2. obs. 85. p. 101.*). *Philibert. Saracen.* (*ap. Hildan. cent. 2. obs. 66. p. 139.*). *Zacut.* (*l. 2. Prax. adm. obs. 70. p. 58.*). *Rob. Boyle* (*p. 2. de Util. Phil. Experiment. s. 1. Ex. 2. §. 18. p. 133.*). *Steph. Blancard.* (*cent. 2. Obs. 18. p. 225.*) ℥ix *P. Blandin.* (*ap. Hildan. cent. 4. obs. 50. p. 324.*). *Ambros. Pareus* (*l. 23. c. 19. p. 567.*) ℥x. *Joh. Faber* (*ap. Greg. Horst. c. l. p. 449.*). Talis & in Joh. Sauberto Theologo Norinbergensi inventus, quod *Joh. Helwich.* (*obs. med. 121. p. 331.*) & *G. H. Velsch.* (*c. l. Episagm. 61. p. 37.*) tradiderunt, quem tamen ad ℥xx. ascendisse narrat *Mich. Watson.* (*un. Sapient. s. 3. p. 2. c. 2. p. 375. & c. 5. p. 445.*) & *Dan. Hartnacc.* (*l. 9. Admir. Phys. c. 3. §. 7. p. 653.*), cujus diversitatis rationem nemo facilè divinabit, nisi recens exemtum ℥xx. ponderasse, tractu autem temporis exsiccatum vix dimidium pendere, quod in calculis Sperlingianis observavit *Exc. J. D. Major*, asseras aut

ſphalma typographicum erit *in Watſonio*, quem ſecutus eſt *Hartnaccius*, in concione funebri, (quæ in App. der Gemälde Poſtill legitur,) habentur ℥x. Juveni 30. annorum lapis è veſica extractus ℥xi. (*l. 3. de An. med. c. 15. p. 450.*). In Muſeo Collegii Rom. S. J. *teſte Georg. de Sepibus* (*deſcript. cit. Muſ. p. 2. c. 6. p. 35.*) extat globus abortivus, qui in petram coaluit cruſtatæ ſuperficiei, in veſica *P. Leonis Santii viri* omnigenâ ſcientiâ celeberrimi natus, eoque mortuo exciſus uti prodigioſæ magnitudinis, ſcilicet quod facile pugnum humanum expleat, ſic & duritiei incomparabilis. Calculus hic ℥xi circiter pendens hoc Epiphonemate: Doctum occidit Leonem. Meminit etiam hujus ipſe *Ath. Kircher.* (*l. 8. M. S. ſ. 2. c. 3. p. 54.*), ubi cauſam etiam refert, cur urinæ ductum non obſtruxerit, eo quod intra veſicæ latera pendebat. ℥xii. *Ambroſ. Pareus* (*c. l. p. 508.*). *J. N. Pechlin.* (*c. l. obſ. 2. p. 4.*) ℥xiv. in medio pervium deſcripſit *Frid. Loſſius* (*l. 1. obſ. 33. p. 91. & l. 3. obſ. 53. p. 302.*) gemellum pyriformem *Steph. Blancard.* (*cent. 1. obſ. 94. p. 185.*) ℥xv. *Phil. Ludov. Eben.* (*obſ. 46. p. 51.*) ℥xv. ʒiij. *Joh. Græneveld.* (*Diſſ. Litholog. Artic. 16. p. 34.*) ℥xxii. *Zacut. Luſ.* (*c. l.*) & qui apud *Guilh. Fabr. Hildan.* (*c. l. p. 325.*) depictus Saubertiano non cedere videtur. Calculum veſicæ ℥xxvß. pendentem habebat octuagenarius ſenex & nihil inde mali præter dolorem quendam gravativum in regione inguinali; quoniam aqua in veſicam translata per canalem artificioſè à natura in calculo efformatum ex ureteribus ſtatim ad cervicem veſicæ fluebat *Joh. Græneveld.* (*c. l. p. 60.*), cujus conformationem etiam exhibent *Act. Erud. Lipſ.* (*1685. M. Mart. p. 126.*). Habuit è diſſecto corpore *Anton. von der Linden* ℥xxxij. pondere duriſſimum compactum ſilicis colore triangularem, ex quo cum ferro, ut ex ſilice cliciebatur ignis. Conſpiciendus eſt quoque Londini calculus ℥xxxiv. pondere in veſica cujusdam Theologi notiſſimi à morte inventus memorat *Frid. Loſſius* (*l. 3. obſ. 53. p. 302.*). Ultimus hic eſt forſan prædicatoris prope Barclajam in Anglia ponderans libram Anglicanam & ʒii juxta *J. B. Helmont.* (*tr. de Lithiaſ. c. 3. n. 40. p. 676.*). In vitrario Bremenſi Anno 1572. lapidem $2\frac{3}{4}$ ℔ invenerunt Medici, *quod è Chronico Bremenſi MS. Mich. Watſon.* (*c. l. p. 445.*) & *Hartnacc.* (*l. c.*) citant. Hos ingentes licet, tamen ut urinæ exitus detur excavatos *D. Carol. Patin.* (*M. C. D. 2. A. 1. obſ. 19. p. 42.*) & *Frid. Loſſius obtulit.*

§. 69.

Non ſine cauſa idcircò judicavere Avi experimento aſperrimos eſſe cruciatus calculorum & ſtillicidium veſicæ, proximum ſtomachi, tertium eorum, qui capite doleret, pronunciat *Plinius* (*l. 25. c. 3. add. Hieron. Mercurial. l. 3. Var. Lection. c. 10. p. 162.*). Nobilis mulier de Raudis Hippolyta *teſte Hier. Car-*

Cardano (*p.* 3. *de Cauſ. Sign. & Loc. Morb. p.* 106.) faſſa eſt dolores iſtos extremos exiſtere, qui partus cruciatum ſuperarent. Inde *M. Lucæ Pollioni Diacono Lipſienſi ad D. Nicolaum* à dolorum calculi ℥iij. ponderantis immanitate extincto, ſequens poſuit Epitymbion *Tobias Clausnizer:*

Seht hier, ihr Sterblichen, nun ruh ich in der Erden,
Vor kont ich nicht auff ihr: mein Schmertze war zu groß;
Kan irgends eine Pein nur groß gemachet werden,
Die meine war ihr gleich; doch bin ich jezund loß.
Wann aber dort die Schaar der Märtyrer wird weiſen
Das Werckzeug ihrer Quaal, Schwerdt, Segen, Roſt und Rad,
Beil, Meſſer, ſiedend Oel und Feuer-glüend Eiſen,
Strick, Ketten, Band und Beil die der und jener hat
Um ſeinen Leib geführt, als groſſe Marter-Sachen
Damit ſie in der Welt, gequälet worden ſeyn;
So will ich mich getroſt zu dieſen Hauffen machen,
Was aber bring ich mit? den groſſen Blaſenſtein.

Quid dicendum de illo, mole ſuâ pariter ac figura, qua Elephantem quaſi repræſentat, maxime notabili, aureisque & ferreis punctulis conſpicuo calculo, qui dolendo omnibus probis fato funeſtus extitit *Theologo Incomparabili ac Vita Neſtorea digniſſimo Gottlob Frider. Seeligmanno*, cujus memoriam pereleganti carmine elegiaco conſecravit, & monſtroſi hujus aliorumque rariorum calculorum iconas dedit *M. Ludovic. Chriſtian. Crellius.*

§. 70.

Copia non rarò nos in ſtuporem conjicit. Duos apte connatos, adeoq; ſibi ſimiles, ut gemellos diceres, non ita pridem in venatore Saxonico primario Sibenlebenſi, amico colendo poſt mortem è veſica exſcidit affinis *Dn. D. J. G. Lucius*, quorum imaginem exhibent nova literaria Germaniæ (*A.* 1704. *M. Dec. p.* 449.), in veſicâ Cardinalis Franzoni tres calculi perquam ſcabri, alter rotundus, reliqui autem fermè ſemilunares omnes ſibi invicem combinati ac interiori veſicæ membranæ ſtrictè agglutinati cum prioribus libræ unius pondus attingebant, *Vid. J. B. Contulus* (*Act. Erud. Lipſ. A.* 99. *p.* 307.). Septem calculos libram ferè æquantes à *Steph. Blancard.* (*c.* 2. *obſ.* 96. *p.* 296.), legi annotatos. Puella Venetiis 24. diverſæ formæ & magnitudinis excrevit *Heinr. à Mœnichen* (*obſ.* 10. *p.* 246.), plus quam quadraginta *Ant. Muſ. Braſſavola* (*comm. in l.* 4. *Aph. Hipp.* 79.) 42. e veſica *Jacobi Whitackeri* agentis annum 67. extraxit *Joh. Grœneveld.* (*Diſſ. Lithol. art.* 13. *p.* 22.). Pl. Rey, quidam in vici-

ciniâ Vir quinquaginta intra horæ ſpatium cum urina excuſſos mihi transmiſit. In veſica *Dn. Peletier* plus quam octuaginta inveniebantur, (*Kenelm. Digby orat. de pulv. Sympath. p.m. 100.*). 96. è veſica adoleſcentis exemit *Goodrick ſupra memoratus* (*vid. Act. Angl. Philoſ. c. l.*), in veſica Conſiliarii Saxonici Schuderi 107. maximus ℥vj. pondere, cum 8. in veſicâ felleâ numero 115. ℥viij ʒii pendent (*Chriſt. Warliz l. c.*); innumeros Alius (*Iſaac Cattier. obſ. 1. p. 11.*). Anus ſeptuagenaria unico impetu minxit trecentos amplius calculos *Nic. Tulpius* (*l. 2. obſ. 47. p. 182.*). De mictu calculorum fractorum *Idem* (*l. 4. c. 36. p. 351.*). Fragmenta calculorum ad ℔vj quidam cum urina egeſſit. *Diomed. Cornar.* (*obſ. med. 17. p. 32.*). Mictus lapidoſi ab incantatione meminit *Heurnius* (*ap. Th. Bartholin. C. 3. Epiſt. 59. p. 237.*) ſimulati *Th. Bartholin.* (*l. c. Epiſt. 60. p. 240.*), imbrem calculorum urinoſum exhibet *J. N. Pechlin.* (*c. l. obſ. 8. p. 15.*). Excretionis copioſæ lapidum per anum *Joh. Faber* (*ap. Gregor. Horſt. l. c. p. 450. ſq.*), per anum & virgam *Joh. Arculan.* (*c. l. f. 178. b.*) per vomitum & virgam (*c. l.*) *Mœnichen.*

§. 71.

Veſica urinaria inverſa excreſcentiis ramoſis p. n. à calculi attritione productis aliquando eſt obſeſſa, atque inter hos cum calculi ſæpenumero latitent, contingere, ut dum eas forcipe extrahit Lithotomus, lethalia ſæpe ſymptomata oriantur, dictitat *Freder. Ruyſchius* (*Theſaur. Anat. 2. p. 31.*), cujus excerpta dant *A. E. L. 1702. M. Maj. p. 196.*). In mentem venit operatio olim in illuſtri Academiâ Saxonicâ facta. Feliciter veſicæ calculo exſecto, dum exploratorio inſtrumento duritiem adhuc ſentiunt, calculum adhuc ſubeſſe concludunt. Forcipe igitur duritiem iſtam dum apprehendunt, & vi extrahere nituntur ſub ipſa operatione æger in momento extingvitur; quod vir fide dignus mihique amiciſſimus tum præſens narravit & confirmavit.

§. 72.

Cæterum veſicæ aliquando agglutinari *J. N. Pechlin.* (*c. l. obſ. 2. p. 4.*) *Vit. Rietlin.* (*M. C. D. 3. A. 5. & 6. obſ. 243. p. 377.*), quamvis id inficietur *Fred. Ruyſchius* (*Theſaur. Anat. 2. p. 31. vid. Act. Erud. Lipſ. 1702. p. 196.*), etiam adnaſci calculos, in cadavere viri Brabantini compertur *Tulpius* (*c. l. c. 5. p. 197.*), cujus veſica continuit calculum membrana involutum, & fibris ſuis à ſtrictæ veſicæ tunicis alligatum, ut vix inde avelleretur ſine manifeſta dilaceratione. Duplicem hoc modo calculos effingere (*c. l.*) *Cattier* docuit, quod *Tulpii* (*l. 4. obſ. c. 47. p. 375.*) videtur confirmare obſervatio, idque etiam veſica duplicata *Iſaaci Caſauboni citatus Cattier* evincere conatur. Sed *Medicus Ano-*

nonymus Londinensis (*epist. de viri celeber. Isaaci Casauboni morbi mortisque causa à Joachimo Morsio Lugd. Batav. 1619. edit.*), omnia signa, quæ calculum in vesica attestabantur adfuisse, scribit, sed aperto abdomine pro calculo inventa est vesica monstrosæ conformationis ab utero matris. In dissectione cadaveris Bibliopolæ *Jean. de Preux* anno 1614. Vesicam urinariam velut in duas bursas distinctam deprehendit *P. Blandinus* (*ap. Hildan. c. l. p. 324.*) *Philippi Engelbrechti* insignis magnitudinis calculum huc referre videtur *J. G. Schenckius* (*Lithogenes. c. 15. p. 77.*). Contingere hinc etiam poterit, ut sono bombardæ simili aliquando excludantur, rupto sacculo isto aut vesicâ ascititiâ, ut in illa *ap. Joh. Theod. Schenck.* (*l. 1. Exerc. Anat. 7. s. 2. c. 32. p. 557.*) muliere.

§. 73.

Silicea horum durities etiam commemoranda. Omni silice duriorem vidit *Heinr. ab Heer.* (*c. l.*). Silicis adæquantes duritiem *Philibert. Sarracen.* (*ap. Hildan. Cent. 2. obs. 66. p. 139.*) percussi chalybe flammam vomebant, juxta *Dom. Panaról.* (*Pentecost. 2. obs. 34. p. 51.*). Tales in Musæo habuit *Th. Bartholin. cent. 4. Epist. 45. p. 259.*), & nobili cuidam quendam similem ovi gallinacei magnitudine exsectum conspexit. Cum inciderem aliquando in calculos è vesicis humanis exsectos, *scribit Rob. Boyle* (*Ex. de Atmosph. corp. consist. p. 25.*), eorum textura adeò erat compacta, ut non possem menstruis corrosivis sensibilem ullam in eorum uno solutionem efficere, quantumvis ad promovendam liquoris operationem partem ipsius in pulverem redegissem. Cogitent id thrasones, qui quemlibet Renum & vesicæ calculum medicamentis suis arcanis frangere aut resolvere gloriantur. Silicei à medicamentis quidem fracti historiam consignavit *Ol. Borrich.* (*ap. Th. Bartholin. V. 1. A. H. obs. 77. p. 147.*), an verò accuratè inspexerint hoc calculi genus, dubito, cum & lapides fragmenta repræsentantes in vesicâ à sabulo combinari possint, horumque forma sit dubia & incerta. A Sale calcis vivæ aliquando non corrumpi *Th. Bartholin.* (*cent. 4. Epist. 54. p. 339.*) recitat, nec ab ipso Philosophorum lapide, si audias *Borrichium* (*ap. Eund. c. l. Epist. 76. p. 451.*)

§. 74.

Color his diversus. *Joh. Petri Lotichii* Germana, *ipso testante* (*l. 1. obs. med. t. 8. obs. 2. p. 130.*) Calculum ovi columbini magnitudine è vesica excrevit, qui cortice candidus & friabilis, intus ceu nucleum exhibebat lapillum quendam colore nucem moschatam referentem. Excrevisse quendam calculum crystallinâ duritie & splendore tantaque magnitudine, ut pro sigillo potuisset usurpari, relatum fuit *Dn. D. Salomoni Reisselio* (*M. C. D. 1. A. 8. obs. 29. p. 54.*). Pellucidum *apud Dn. Roquetum Monspelii vidit O. Borrichius* (*Th.*

 Bar-

Bartholin. V. 5. A. H. obs. 84. p. 204.) ℥j pondere jaspidem referentis meminit *J. N. Binninger.* (*c. 2. obs. 34. p. 159.*). Ab humorum combinatorum colore & ipsi colorem asciscunt, quod in biliosis facilè advertere licet. Lapides carbones repræsentantes per lotium expulsos *testatur Domin. Panarol.* (*Pentecost. 5. obs. 6. p. 144.*) Sabulum nigricans in fœdâ scabie lepram æmulante, affectorum urina bis animadverti.

§. 75.

Lapides lapidibus prægnantes exhibet Macrocosmus, inter quos Ætites eminet. Ne inferior Macrocosmo Microcosmus existat, en nobilem *Ambrosii Parei* (*c. l.*) observationem. Cum Regi (Galliæ) Carolo lapides vesicæ ℥xij pendentes oblati essent, unum malleolo confregit, in eoque medio alius inventus est colore castaneo, cæteraque nuci mali Persici similis. Præterea observatum est aculeos & globulos sæpè extitisse basin calculi vesicæ *Anthon. Nuick* (*Adenogr. curios. c. 7. p. 80.*) festucam allegat *Borell.* (*Cent. 1. obs. 5. p. 9.*). Aciculam *Joh. Dolæus* (*M. C. D. 3. A. 5. & 6. obs. 253. p. 591.*). Calculum ad ovi magnitudinem circa acum osseam in vesicâ puellæ Venetæ collectum, publice in Theatro Patavino monstravit *Molinettus*, teste *Heinrico à Mœnichen* (*ap. Th. Bartholin. C. 2. Ep. Med. 87. p. 688.*) Add. *J. N. Binninger.* (*Cent. 1. obs. 20. p. 21.*) *Nobiliss. G. H. Velsch.* (*Episagm. 63. p. 38.*), circa acum sutoriam *Ambr. Pareus* (*l. 24. Chirurg. c. 19. p. 567.*), acum crinalem *Alex. Benedict. l. 2. de part. corp. hum. c. 9. p. 1196.*). Circa claviculam *Joh. Matthæus* (*Relat. Hist. cas. 1. p. 128.*) *Joh. Rud. Camerar.* (*c. 4. Syll. memor. n. 10. p. 428.*). Globulum plumbeum *G. F. Hild.* (*Cent. 3. obs. Chir. 67. de Lithotom. c. 3. p. 710.*) *Georg. Seger. ap. Th. Bartholin. Cent. 3. Epist. 35. p. 128.*) *J. N. Binninger.* (*Cent. 4. obs. med. 27. p. 401.*). Turundam *Anton. Nuick* (*c. l. p. 87.*), & *Nic. Tulpius* (*l. 3. obs. med. c. 9. p. 205.*). Uvam ante multum tempus comestam (aut potius deglutitam) lapide circumdatam exclusam meminit *Heinric. Petræus* (*Dissert. Harmon. 40. §. 23. p. 314.*) Pilos *Joh. Schenck.* (*l. 3. obs. med. p. 325.*) *O. Borrich.* (*ap. Th. Bartholin. V. 2. A. H. obs. 55. p. 158.*). Duas partes fistulæ Tabaci iterum *Nuick.* (*c. l. p. 82.*), nucleum lapideum *Petr. Borell.* (*c. 2. obs. 62. p. 158.*). Et tales bases etiam in Lapide Bezoardico ostendimus, in cujus cavitate aliquando palea conspicua tenuissima, *Garz. ab Orto* (*l. 1. Aromat. Hist. 45.*) *Joh. Fragosus* (*Hist. med. Ind. c. 10. f. 11. a.*), vel parvulum cinereum granulum, vel herba sicca conglobata *Andr. Chioc.* (*s. 3. Mus. Calceolar.*), vel bacillus *Anton. Nuick.* (*l. c. p. 83.*), qui & globulum ligneum vivi canis vesicæ vulneri intrusit & post aliquot septimanarum lapsus inspectâ vesica animalis globulum dictum exiguis calculis quasi totidem

cry-

cryſtallis eſſe incruſtatum comperit (*c. l. p. 79.*). Nucleus talis aut aliud naturæ corpus aliquod terreſtre plerumque adeſſe debuit, ejusmodi poris donatum & ſuperficie, cui particulæ ab ipſa urina ſecretæ adhærere & calculi incrementum promovere poſſent, concluſit (*p. 78.*). De ſtramine cani per penem in veſicam intruſo *Ioh. Dolæus* (*M. C. D. 3. A. 5. & 6. obſ. 253. p. 592.*), vel pilus *Iohan. Schrœder.* (*l. 5. Pharmac. cl. 1. ∫. 15. p. m. 277.*), quorum unum ſi in lapidis cavitate viſui ſe ſiſtat genuinum veri lapidis ſignum perhibetur. Vid. *id.* (*c. l.*) & *Frid. Hoffmann. Pater.* (*l. 5. Clav. Schrœd. ſ. 1. §. 11. p. 61.*). Lapidis Bezoartici monſtroſi in ſinu ſuo ſagittam ferream foventis, & Theſaurum Cæſareum exornantis deſcriptionem & iconem exhibet *Georg. Seb. Iung.* (*D. 1. M. C. A. 1. obſ. 115. p. 267.*). Et hoc approbare *Ioh. Fernelii* (*l. 3. Pathol. c. 13. p. 311.*) opinionem videtur, aſſerentis omnem calculum in Renibus formari, & poſtea ad veſicam devolvi, ubi cuticulatim augetur.

§. 76.

Lapidum Bezoarticorum adhuc infra (*§. 88.*) fiet mentio. Etiam lapides Bezoarticos aliquando in homine naſci, *Ol. Wormius* (*l. 1. Muſ. ſ. 2. c. 11. p. 74.*) tradidit, non aliter ut in veſicula fellis vaccæ *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. hiſt. 32. p. 224.*), aut in ſimiorum ventriculis *Jac. Bontius* (*l. 1. de Med. Ind. ſ. 10.*) in porcis, equis & aſinis, *G. F. Hildan.* (*cent. 4. obſ. Chirurg. 24. p. 307.*) De calculo Bezoartico ex Equi alvo excreto *Fred. Ruyſch.* (*Theſaur. Anat. 2. Repoſ. 6. Arcul. 8. p. 82.*) virtute etiam verè tales dici. Ambigit equidem *Caſp. à Rejes* (*camp. Elyſ. qu. 36. r. 52. p. 443.*), cum nil Bezoartico conforme præter colorem viderit, ſed experientiam habere videtur adverſam. Majori namque felicitate illis venenatas expurgari ideas non ſolum *cit. Bontius* docet (*c. l. ſ. 11.*), ſed & teſtimonio *O. Borrichii* (*ap. Bartholin. Cent. 4. Epiſt. 92. p. 522.*) *Illuſtris Robert. Boyle* adſtipulatur. Neque credibile videtur *laudato Bontio* (*in annot. ad Garz. ab Ort. p. 46.*), lapides in cavitatibus & ventribus brutorum repertos, uſui eſſe, humanos vero illo deſtitui. Cum quo ſentit *Carol. Rayger.* (*M. C. D. 1. A. 3. obſ. 283. p. 499.*

§. 77.

Fuere & alia in Renibus & veſica lapidea concrementa reperta. Cochlea putamen in Rene mulieris nobilis delineant *Dn. Lipſienſes* (*Act. Erudit. 1686. M. Aug. p. 387.*). Cochleæ in Veſica inventæ mentionem fecit *Philipp. Bomannus* (*p. 2. de Teſtac. probl. 13. p. 223.*). De Muricibus Bezahardicis è veſica juvenis excisis differuit *Georg. Hier. Velschius* (*Hecatoſt. 2. obſ. 58. p. 32.*) Exoticum planè quid eſt, quando fruſtula tubuli; per quem attrahitur fumus

Ta-

Tabaci in vesica hospitari animadversum. *D. Joh. Richier.* (*M. C. D. 2. A. 6. obs. 196. p. 393.*)

§. 78.

De Calculo Ureterem obdurante *Nic. Tulpius* (*l. 2. obs. c. 45. p. 177.*) *J. Nicol. Binninger.* (*cent. 5. obs. 48. p. 544.*); Ureteris capiti inhærente *Idem* (*cent. 3. obs. 87. p. 361.*) *Domin. Panarol.* (*Pentecost. 5. obs. 29. p. 161.*); Ureteri impacto (*c. l. obs. 85. p. 358.*), *Tulpius* (*l. 4. c. 34. p. 348.*) *Georg. Seger.* (*ap. Thom. Bartholin. C. 4. Epist. 5. p. 22.*) In urethrâ, sed perforato, adeoque sine mictionis impedimento gestato *G. F. Hild.* (*cent. 6. obs. Chirurg. 56. p. 571.*) Retulit *celeberrimus juxta ac Doctissimus Dn. D. Theod. de Mayerne Eques Auratus, Baro ab Aubone Serenissimi Angliæ Regis Archiater. Frid. Lossio* (*prout c. l. p. 90. prodidit*) se in Cadaveris humani dissectione, quam suis manibus fecerat Lutetiæ insolitam sibi & inauditam oblatam fuisse sterilitatis causam, calculum vid. exactissimè meatum illum claudentem, qui à prostratis in Urethram dehiscit, per quem è vasis varicosis semen vibrante ejaculatione expellitur. Habet etiam talem *Joh. Grœnevelt. c. l. post. script. p. 67.*)

§. 79.

Scroti etiam fuit aliquando civis & incola calculus. *Evolv. Guilbelm. Fabric. Hildan.* (*Cent. 6. obs. 57. p. 571.*) *Th. Bartholin.* (*V. 3. A. H. obs. 6. p. 11. cent. 4. hist. 49. p. 227.*) *Gerhard. Blasius* (*obs. Anat. Pract. p. 131. & p. 6. obs. Anat. 75. p. 89. sq.* M. *C. D. 1. A. 9. & 10. obs. 33. p. 91.*) Inter cutem scroti & musculos in peritonæo *Joh. Dolæus* (M. *C. D. 3. & 5. & 6. obs. 153. p. 591.*) *Joh. Theod. Schenck.* (*l. 1. Exerc. Anat. 7. s. 2. c. 32. p. 564.*) De calculo è Scroto suppurato prolapso *Th. Bartholin.* (*Cent. 4. hist. anat. 8. p. 227.*) Ad radicem penis, *Joh. Burgius* (M. *C. D. 2. A. 3. obs. 174. p. 340.*) Visus est in Perinæo tres & amplius pendens uncias *Frid. Lossius* (*l. 3. obs. med. 55. p. 305.*) Monspelii in Cadavere testiculos lapillis plenos notavit *Conrad. Gernerus* (*de Fossilib. c. 11.*) *Joh. Schenck.* (*l. 4. obs. p. 538.*) *Wilhelm. ten. Ryne* (*de Promont. Bon. Spei c. 8. p. 34.*). In Testibus fœminarum *Regner. de Graaf.* (*de Organ. mulier. 12. p. 178.*). In glanduloso corpore vesicæ adhærente *Schenck.* (*c. l. p. 531.*) In prostatis *Joh. Rhodius* (*cent. 3. obs. 27. p. 124.*). In rene succenturiato *Marcell. Donat.* (*l. 4. Hist. med. mirab. c. 30. p. 523.*) & *Gerh. Blasius* (*c. l. obs. 20. p. 84.*). Quod omnem superat fidem, dictitat *Steph. Rod. Castrens.* (*l. 4. de Meteor Microsm. c. 26. p. 216.*). In Theatro publico 1629. reperti in Cadavere lapides crystalli ciceris magnitudinem habentes, in vasis seminariis. *Add.* M. *B. Valentini* (M. *C. D. 2. A. 3. obs. 68.*). In Pene *Amat. Lusitan.* (*cent. 6. cur. 91. p. 311.*)

311.) *Nic. Fontan.* (*rar. obs. analect. c.28.*) *F. Plater.* (*l.3. obs. p.839.*) *Hildan.* (*Cent. 6. observ. 56. p. 570.*) *P. Borell.* (*cent. 4. obs. 84. p. 344.*) *Heinrich von Roonhuysen* (*p.1. obs. Chir. 27. p. 121.*). Ex pene pueri 25. lapides à Chirurgo Rogier exsecti, *Arnold. Senguerd.* (*l.5. Introd. ad Phys. c.5. p. 436.*); E pene juvenis unum exsecuit apud nos Chirurgus quondam dexterrimus *Theophil. Voigt.* E sene illustri *Henric. ab. Heer.* (*obs. rar. 7. p. 113.*). Lapillum ex Hæmorrhoësibus *Georg. Rietlin.* (*obs. Chirurg. rar. 9. p. 8.*) *Joh. Domin. Sala* retulit *Th. Bartholino* (*cent. 2. hist. anat. 3. p. 175.*). Calculum in musculo ani è fistula à se extractum esse per multos ibi annos latentem.

§. 80.

De Uterinorum calculorum existentiâ equidem fluctuantem *Hier. Mercurialem* (*l. 4. de* Morb. Mul. *c. 21.*) comperies, sed qui hanc sententiam postmodum (*l. 2. Var. lect. c. 20. p. 115.*) mutavit: Solertem in his historiis compilandis se exhibuit *Joh. Schenck.* (*l. 4. obs. 649.*) & *Joh. G. Schenck.* (*Lithogen. c. 16. p. 79.*) *Adde Akakiam* (*l.* 1. *de* M. M. *c. 20.*) *Aëtium* (*tetrabibl. 4. serm. 4. c. 98.*) *Wierum* (*c. l.*) *Diomed. Cornar.* (*obs. med. 26. p. 31.*) *Lud.* Mercat. (*l. 2. de* Mul. *Affect. c. 27. p. 969.*) *Joh. Theod. Schenck. Exerc. Anat. l. 1. s. 2. c. 32. p. 557.*). Narrat *Gothof. Mœbius* (Med. *Physiol. c. 20. p. 579.*), Comitissam quandam à Gleichen viduam tumorem uteri cum motu manifesto, ceu gravida esset, incurrisse, eoque non paucos in execrandam suspitionem conjecisse quasi nescio quem Messiam paritura esset. In demortuæ autem utero nil præter aliquot calculos fuisse repertos. Per ulcus vesicæ quædam infinitos lapillos contusi pumicis instar filamentis & membranulis colligatos & involutos in collum matricis excrevit; *teste Hildano* (*cent. 3. obs. 69. p. 252.*) credat qui volet. *Doct. Beale* Societatem Anglicam certiorem reddidit, qvod cum circa Paschatis tempus incisio in matricem alicujus fœminæ sit facta, extractus inde sit lapis, quem octo vel novem annos cum infandis doloribus portasset à quo tamen postea omnino convaluit. Lapis inventus quatuor ferè uncias gravis, pondus verò valdè posteà imminutum & pro lapide tantæ magnitudinis levissimus. *Vid. Ephem. Erud.* (*T. 2. p. 2. n. 40. p. 465.*) *Heinr. Oldenburg.* (*Act. Phil. Anglic. A. 1666. p. 261.*). Singularis plane est illa *Andr. Cnœfelii* (*M. C. D. 1. A. 4. obs. 65. p. 55.*). De lapide uteri in puella quinquenni observatio. De calculo Molæ juncto evolvatur *Nic. Fontan.* (*Analect. c. 5. qu. 5. & l. 2. de morb. mul. c. 10. p. 94.*) *Augustus, Daniæ Rex, Fridericus* III. Calculum *Th. Bartholino* (*Vid. cent. 3. Epist. 28. p. 103.*) ostendit, quem in Norwegia mulier per vulvam excrevit tanta præditum virtute, ut in manibus puerperæ detentus

tentus oborto in vola sudore potenter fœtum propellat. De uteri calculo è muliere gravida prosiliente *Joh. Helwig.* (*obs. med. 94. p. 317.*), ubi & *Scholium Schrœkianum* lustra, Magici aliquando exploduntur lapides cum aliis. Ita Constantiæ formosa quædam cujusdam civis famula à Dæmone compressa sæpius post insignes uterinos cruciatus adhibitis obstetricibus clavos ferreos, ligna, vitra confracta, crines, stuppam, lapides, ossa, ferrum, & hujusmodi per matricem excrevit innumera, testatur *Jacob. Ruffus* (*l. 5. de mulier. c. 6. p. 393.*). In meretrice ovarium dextrum capillis instar granorum milii turgidum conspiciebatur, *Benj. Bened. Petermann.* (*Dec. 2. obs. med. 9. p. 40.*)

§. 81.

Calculum uteri asperum verticillum propemodum æquantem, etiam annotavit *Hippocrates* (*l. 5. de morb. vulg. hist. 25.*), cui experientia propria motus assurgit *Anut. Fœsius* (*in not. ad h. l. p. 241.*), nec id impossibile judicat *Fr. Vallesius* (*comm. in h. l. col. 466.*) majores à nostris allegatos & notatos experieris. Calculum totam uteri caritatem replentem propalat *Steph. Blancard.* (*cent. 1. obs. 74. p. 157.*). Lapidem 4. ℔. multis eminentiis lapideis coloris fusci in matrona Regiomontana descripsit *Christoph. Tinctorius* (*ap. Th. Bartholin.* (*cent. 4. hist. 64. p. 364.*). Gemellum *Steph. Blancard.* (*cent. 2. obs. 80. p. 289.*). In vaginâ uteri calculos invenit *Regner. de Graaf.* (*de organ. mul. c. 7. p. 80.*) Secundinas offendit calculis stipatas *Vit. Rietlin.* (*Ann. 2. Lin. Med. p. 344.*). De calculis & arenulis in secundina humana copiosis *D. Theod. Zwinger.* (*M. C. D. 2. A. 9. obs. 137. p. 238.*) *Casp. Th. Bierling.* (*Cent. 1. Advers. c. 27. p. 56.*)

§. 82.

Nec in humorum seu fluidorum corporis nostri examine lapides exulare rescisces. Nullus ferè sangvis venæ sectione emissus erit, qui accuratè inspectus tartareum seu limosum quid in fundo vasculi sistet. Sal à sangvine divisum concrescit in sabulum, effatur *Paracelsus* (*tr. 1. de morb. è Tartar. c. 2. p. 490.*), quod & ab exaltatione trium substantiarum (*l. 2. Paramir. c. 2. p. 41. & l. 3. p. 66.*) deduxit. Hinc in omnibus venis oriri arenulas *Jacob. de Partibus* (*comment. ad Avic. l. 3. tr. 3. c. 17.*) opinatur, & *Matthæum de Gradib. ex Galen.* (*l. 3. Aph. 51. comm. 7.*) allegat, sed hanc esse mentem Galeni *C. V. Schneider.* (*l. 3. de Catharr. c. 7. p. 244.*), inficiatur. Arenas ex ustione sangvinis & in Hepate gigni, confirmat *Rhases* (*l. 9. ad Athanas. c. 14.*). Sangvinem arenosum observavit *Zacut.* (*l. 3. Prax. admir. observ. 54. p. 169.*). De arenulis cum sangvine exeuntibus *J. Lud. Hannemann. Noster* (*M. C. D. 2. A. 5. obs. 86. p. 191.*), ubi

confer

confer *Schrœckii Scholion.* In ſangvine leproſorum obſervatas arenulas, *Joh. Beltius* (*de Nat. Sangv. c. 3. ſ. 3. §. 14. p. 274.*) declarat. Forſan inde colatura ſangvinis emiſſi, quam collegium Medicum Lipſienſe in recognitione leproſi adhibuit. *Vid. Clar. Noſter Paul. Amman.* (*Med. Critic. caſ. 3. p. 8.*). Sangvis ſcorbuticorum haud raro fertilis arenis copioſis, ut Euphratis aqua, inquit *Gverner. Rolfinck* (*l. 8. Conſil. Med. 6. p. 753.*). Craſſam in ſangvine Saburram deprehendit *J. C. Scaliger.* (*c. l.*). Lapillos ſangvinis humani rhomboicos in pharmacopœa Sereniſſimi Magni Ducis Hetruriæ aſſervari *Carol. Fracaſſatus* (*Epiſt. de Lingva p. 197.*) aſſeruit. Venæ ſectione calculos emiſſos *Joh. Dolæus* (*l. 3. Encyclop. Med. c. 13. §. 20.*) autor eſt, & de lapillis cum ſangvine è vena proſilientibus *Joh. Georg. Greiſſelius* (*M. C. D. 1. A. 1. obſ. 65. p. 163.*) egit. Plura *Joh. Schenckius* (*l. 3. obſ. med. p. 416.*)

§. 83.

Lac in uberibus lapideſcere, ubi non emungitur, *Levin. Lemnius* (*l. 4. de occ. Nat. mirac. p. 407.*), quem etiam citat *Carol. Muſitan.* (*T. 2. Trutin. Phyſ. Chirurg. c. 46. p. 203.*), teſtatur. Tigridis lac in lapidem tophaceum coagulatum vidit *Phil. Jac. Sachſius* (*l. 1. Gammarol. c. 14. §. 5. p. 293.*). Calculos in corpore glanduloſo à ſemine retento derivat *Joh. Rhodius* (*cent. 3. obſ. 27. p. 124.*). Nihil novi, ſi cum urina ſabulum, arenulæ aut calculi mingantur. Id verò ſingulare nobilem illam Praxagoræ pituitam albuminis mollitie emictam transiiſſe in vitrum, quod propria fide *Scaliger* (*c. l.*) aſtruxit, & *J. N. Binninger.* (*cent. 1. obſ. med. 6. p. 9.*) Urinam poſt 5. vel 6. ſeptimanas cute denſâ ſubviridi opertam, ſed lapillis lucidiſſimis, triangularibus, quadrangularibus numeroſiſſimis inſtar Adamantum perſperſam reperit. Urinam emiſſam lapidefactam promulgavit *Ioh. Dolæus* (*c. l. p. 587.*). Ante hunc *Sim. Schulz* (*M. C. D. 1. A. 4. & 5. obſ. 136. p. 136.*) *Ioh. Dolæus* (*D. 3. A. 4. obſ. 64. p. 152.*). De lyncis urina, è qua Lyncurius iſta *Ovidius* (*l. 15. Metamorph. v. 413.*)

Victa racemifero Lyncas dedit India Baccho
E quibus ut memorat, quicquid veſica remiſit,
Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.

Idem Plinius (*l. 8. c. 38.*) ebuccinat. Sed hoc neutiquam experimentis factis correſpondere, *Ant. Muſa Braſſavol.* (*l. 10. de Nat. Simpl. c. p.*), & *Joh. Bradæus* (*l. 3. Miſcell. c. 10. ap. Jan. Gruter. p. 2. Theſ. Crit. p. 494.*) prodiderunt.

§. 84.

Brutis etiam lapides ſunt quàm maximè familiares, quod quidem non perſvaſum *Fr. Oſwaldo Grembſio* (*l. 11. arb. integr. & ruinoſ. hom. c. 7. §. 8. n. 14. p. 62.*)

p. 62.). Multa de his præter *Euseb. Nierenberg.* (*l. 9. hist. nat. c. 60.*) collegit Sachsii nostri industria (*l. 1. Gammarol. c. 14. §. 5. p. 293.*), ad quem lectorem remitto. Hypomnemata saltem quædam addo & Analecta. De lapide in capite serpentis in India veneni è vulnere Magnete *Heinr. Oldenburg.* (*Act. Phil. Angl. 1665. p. 77.*). De lapide Bufonio multa *laudatus Sachsius* (*c. l. §. 9. p. 297.*) Plura *Paulinus Noster* (*tr. Bufo s. 1. c. 3. §. 1. p. 20. sq.*), qui istum cum aliis cordatioribus Naturæ ferutatoribus pro nugis & fabula (*§. 2. p. 23.*) reputat. In Bufonis cerebro reperiri & se suamet & propria plerumque figura signare *Athan. Kircherus* (*l. 8. M. S. s. 2. c. 3. p. 54.*) autor est. *De Berchtoldi Grætteri anno* 1473. lapide ab *Andrea Libavio* (*p. 4. Singular. l. 2. Batrach. c. 23. p. 424.*) delineato quis mihi unquam persvaserit solidissimum lapidem pondere librarum quinque medicinalium unciis tribus minorem inventum in capite Bufonis ordinariè natum esse post prælium istud bufonium & serpentinum, decidit *Paulini.* Applicarem huc illud de jecore *Anserino Martialis* (*l. 13. Epigr. 56.*)

Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus,
Miratus dices, hoc rogo crevit ubi?

Fors est silex ne teruncio redimendus, si absit superstitio, concludit (*c. l. p. 419.*) *Andr. Libavius.* De insigni & genuino in ventre bufonis invento evolv. *Casp. Theophil. Bierling.* (*Thes. Theor. Pract. n. 3. §. 7. p. 31.*)

§. 85.

Arachnitem vix à quopiam scriptore memoratum reperies, præter *Dn. D. Joh. Francum*, qui hujus existentiam probaturus (*M. C. D. 2. A. 5. obs. 240. p. 262.*) aliquot experimenta in literas retulit. Ego, ut communis fert fabula, araneas maximas septennium capsulis aliquoties inclusi, sed septennio elapso nihil præter pulverem quendam ex arenarum cadaveribus relictum conspexi. Hinc eo libentius historiam de illo maximè notabilem à *Joh. Cunrado Dieterico* (*Antiqvit. Bibl. p. 423.*) descriptam hic inserere lubet: Anno 1660. feria secunda Pentecostes *Catharina Simonia Dn. Joh. Köppelii, Pharmacopœi Giesensis ancilla* mandato heræ suæ depromtura veru ex camini quadam parte obscuriore, sensit aliquid manui suæ adhærere, & in ea moveri. Dum ergo quid id esset anxia & curiosa dispicere cœpit, araneam satis ingentem in volâ manus volutari deprehendit. Perterrita itaque hinc inde manu se à venenato illo animali liberare volens cum frustra impendisset operam aranea arctius manui inhærente, atque ex volâ in manus superficiem exteriorem seu convexam gradiente ecce magnam aranea s. saniei s. excrementosi liquoris partem instar coagulati lactis excrevit, adeò ut totam manus superficiem inundarit. Illa, statim ad heram:

ram: Hem quàm fœdè me aranea illa conspurcavit: Hera: I citò atque libera te à saniè illa. Iverunt igitur ambæ in Atrium domus, & dum saburram illam ligno abstergere contendit ancilla, deprehendit materiam illam tenacius manui inhærentem, atque ab aëre promptè induratam, in medio verò illius massam cœruleam cum aliqua resistentia in terram decussam, qua per aquæ lotionem à reliquâ massa separatâ, invenerunt lapidem cœlestini planè coloris, quem tamen colorem amisit Arachnites ille post loturam exsiccatus. Ponderis fuit quindecim granorum, figuræ propemodum ovalis in superficie convexa politus instar Bezoartici: in pressiore verò ejus parte albis maculis & velut lactea via conspicuus, tanquam illius materiæ lacteæ aliqua pars nondum planè fuisset excocta, ut dubium esse possit, annon tota illa materia seu coagulum tandem in lapidem coagmentari potuisset, si modo araneæ corpus oneri ferundo par esse sustinuisset. Aranea verò deinceps celeri gressu tanquam edito partu, nescio quo abiit. Historia est verissima, subjungit Autor, nec quisquam velim sit, qui de eâ dubitet, cum his manibus meis lapidem eum sæpius tractarim. Cœlestinum illum lapidis colorem confirmare mihi videntur Experimenta, quando Araneæ aquæ injectæ eandem cœruleo tingunt colore. *Vid. Journal. de Scavan.* (*T. 9. Ephemer. 9. p. 110.*)

§. 86.

De insigni lapide supra cerebrum Bovis invento, *ap. Marcell. Malpighium* Bononiæ viso *Lucas Noster Schrœckius* (*in Joh. Helwich. obs. med. 147. p. 394.*). De calculo in cerebro *Dn. D. Christ. Mencelius* (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 32. p. 76.*). De lapillis in capite limacum cochleis carentium *Joh. Helwig.* (*obs. Med. 160. p. 418.*) De lapide è capite Draconis *Marsil. Ficin.* (*l. 3. de Vit. c. 15. p. 235.*). Lapidem Manati magnitudine ovi anserini à Cerebro Animalis Manati (*See-Kuh*) intimavit *Christian. Abrah. van Eyl.* (*Conference van den Niederland p. 121.*). Lapidem è cerebro vituli marini servat *Anat. Lugd. Batav. publ.* quod habet *Gerhard Blancken* (*Catalog. Antiqu. & Nov. Rer. Lugd. Batav. in Anat. publ. p. 11.*). Ad Cervum devolvor, cujus lacrymas in lapides in oculorum angulis indurari communis fert opinio. Dubitat *Petr. Andr. Mathiolus* (*in l. 5. Diosc. c. 73. p. 678.*). Scrupulum tamen eximunt *Avenzoar.* (*l. 1. tr. 13. c. 6.*). *Theomnestus* (*l. 1. Art. Veterinar.*). *J. C. Scaliger.* (*Exerc. 112. p. 422.*). *Casp. Bauhinus* (*tr. de Lap. Bezoar. c. 7. & 8. p. 32. sq.*). Digna, quæ hic legantur, illa *Hieron. Reusneri* (*Exerc. 5. de Scorbut. p. 314.*): Eandem, inquit, λήμην in Cervis deprehendimus, cui Natura proximè subter oculo oblongum folliculum, ossæ maxillæ illis dehiscente machinata est, in quo viscedine coagulata sua colligi

queat: Unde etiam eruitur βρωμῶδες ὂν, propemodum ut suum jugulatorum tergora, dum setæ diripiuntur fervente aquâ. Processu temporis εὐωδίαν acquirit adeò pertinacem, ut totum septennium (quod etiam expertus *Joh. Langius l. 2. Epist. med. 23. p. m. 105.*) illibata possit asservari. Lapides subter utrumque oculum cereos reperit *Joh. Georg. Sommer* (*M. C. D. 2. A. 9. obs. 15. p. 45.*) *Add. B. Abbatium* (*de Nat. Viper. c. 31. p. 173.*). *Gothofr. Mœbium* (*Diss. de Nat. Cerv.*). *Th. Bartholin.* (*Cent. 3. Epist. 8. p. 41. & Cent. 6. Hist. Anat. 93. p. 365.*). *Joh. A. Graham* (*Elaphogr. c. 16. p. 215.*). *J. Phil. Sachsium* (*de Mir. Lap. Nat. p. 59.*). Omnes verò antecellit *Casp. Bauhini* (*c. l.*) industria. Addo saltem è *Scaligero* lacrymam talem induratam ante Centesimum annum in Cervo nullam esse. Sed quis exacte ætatis annos Cervorum computabit, qua solertia percontabitur illos quispiam? Hujusmodi lacryma ex Cervo cæso ad me delata est, discurrit *Iob. Bodin.* (*l. 2. Theatr. Nat. p. 242.*). Vidi apud illustres personas comprimis mulierculas lacrymas hujusmodi, sed molles glandulosasque, ipsasque glandulas in canthis oculorum exsiccatas non semel pronunciavi. Nos videmus in nostris cervis penes oculos sæpe aliquid lapidescere, & materia illa coacta ossea quasi ex lacrymis procul dubio colligitur à venatoribus, suspicatur *Christoph. Encelius* (*l. 3. de Re Metall. c. 49. p. 236.*)

§. 87.

Etiam lapides cordis humani thalamis exemit *Cl. Joh. Henric. Hottinger* (*M. C. D. 3. A. 9. & 10. obs. 89. p. 164.*) è cervino corde exemtos vidi, fatetur *Th. Iordanus* (*tr. 3. de Phænom. Pest. c. 9. p. 604.*) ovi propè columbini magnitudine, laminis conflatos, & quod jucundum fuit aspectu, postquam comminutus fuit, repertum est ossiculum in meditullio simile cæteris ossibus corde prognatis, circa quod putamina hæc se aggregando amplificaverant, & hanc molem atque duritiem, calore cordis extorrente lapillum produxerant. Hunc etiam se vidisse gloriatur *Ulysses Aldrovandus* (*l. 1. de Quadrup. c. 21.*) scribit *Zacutus* (*l. 7. Med. Princ. Hist. 29. qu. 42. p. 900.*), quæ ipsa tamen gloriatio mihi inanis, & ex Jordano exscripta videtur, cum recensione & iisdem, quibus usus est *Iordanus*, verbis constet. Lapidis ex corde cervi Norwegici extracti ponderosioris, qui in Musæo Regis Daniæ suspensus asservatur, meminit *Th. Bartholin.* (*cent. 3. Epist. 8. p. 41. & Cent. 6. hist. anat. 93. p. 365.*). De corculo lapideo in cervo invento, quod depictum dedit *David. Reichius* (*M. C. D. 2. A. 10. in Append p. 73.*), quod potius ventriculi inquilinum reputat, cum Cor Cervi ferè adæquet; calculum tamen in corde capreoli inventum notavit αὐτόπτης *Theodor. à Marwiz.* (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 133. p. 336.*). Hunc verò

esse

esse genuinum sanguinis Tartari sabolem quivis facilè divinabit. Invenitur etiam aliquando in hujus ventriculo lapis, & horum catalogum mirè auxit serpens in ventriculo Cervi petrefactus, cujus petrefactionis rationem expendit solertissimus *Dn. D. Joh. Dan. Major.* (*Diss. Epist de Cancr. & lap. petrefact.*) *cum Exc. Sachsio* (*diss. de Mir. Lap. Nat. & l. 1. Gammarol. c. 8. §. 16. & sq. p. 177. sq.*) ubi & *Fr. Josephi Burrhi judicium* (§. 17.) recenset. Tophos & lapides in brutorum ventriculis inveniri novum non est, ut ex dicendis patebit: potius igitur ad lapides, quam lapidefacta referendus erit serpens, similitudine formæ non revera serpentis effigiem præferens. Detur antipathia ista inter serpentem & cervum tabulis superstitionum sine dubio inserenda, quod quidem à venatore refutatum perhibet *Graba* (*c. l. s. 3. c. 16. p. 219.*) talis tamen erit qualis inter ovem & lupum id est nulla. Et quomodo integrum deglutiit serpentem cervus, & procul dubio vivum, aut si pedibus contrivit & dentibus comminuit, quomodo in ventriculo coierunt rursus partes comminutæ, ut integrum serpentem referrent. Exsibilandum etiam curioso haud difficulter erit. De serpentis Regulo tanto viro indignum commentum. De Lapide in vulvâ cervæ reperibili *Sextus Philosophus Platonicus* (*l. de Med. ex Anim. desumt. c. 1.*) ista: Philacterium prægnanti est, & perficit, ut partum perferat, eaque ratio colligit (*egregiè sc.*) velocissimum esse illud animal, nec tamen abortum facere.

§. 88.

Lapis Bezoar animalis olim Cervi Caprarum, s. Capreoli Persici ut *Joh. Bodinus* (*c. l. p. 241.*) vocat, erat. Varia de hoc Animali consignavit *Casp. Bauhinus* (*c. l. c. 17. & sq. p. 97.*) Descripsit etiam *J. Alb. à Mandelsloh.* (*l. 1. Itin. Or. c. 12. p. 144.*) *Add. Ad. Olear.* (*in not.*) Cervos quosdam & Dorcades in novâ Hispaniâ hunc lapidem generare *Nard. Ant. Recchus* (*l. 9. Rer. Medic. nov. Hispan. c. 14. p. 325.*) prodidit, reperiri etiam in ovibus Peruinis, cornuum expertibus, quos Bicuinas vocant, prætereà in Teuthl Lalmac, ame, quæ caprarum mediocrium, paulove majori constant magnitudine. Deinde in quodam Damarum genere, quas Marcatl Chichiltic, aut Tema mac, ame appellant, nec non in ibicibus, in capreis etiam cornuum expertibus. Ut summatim dicam, vix est Cervorum caprearumque genus ullum, in cujus ventriculo, (aut potius pro ventriculo seu Rumine κοιλία *Aristoteli* (*l. 3. de part. Animal. c. 14.*) dicto, ventrem vertit *Theod. Gaza*, peram, s. penulam vocat *Marc. Aur. Severin. p. 4. Zootom. Democrit. p. 303. sacculoque eidem annato*) aliave interna parte suâ (Renes etiam voluit Eques Hispanus *ap. Joh. Fragos. Hist.*

Hist. Med. Ind. c. 10. f. 12. a. Cor & fellis vesiculam *Alii ap. Laur. Scholz. Epist. med. 191. col. 307.*) sponte ex ipsis alimoniæ excrementis Lapis hic, qui etiam in Tauris & Vaccis solet offendi, paulatim concrescat & generetur, multis sensim additis & cohærescentibus membranulis, quales sunt ceparum. Ideoque non nisi vetustissimis & senio penè confectis, scabiosisque addit *Laurent. Catelan.* (*tr. de Lap. Bezoar.*) lapides hi reperiuntur, nec ubique, sed certis statisque locis ubi ea suppetit materia, qua ratione fieri posset, ut apud Hispanos gentesve alias non ita facile offendantur *concludit Recchus.* Inseri hic meretur, quod habet *Phil. Baldæus* (*descript. Maldab. & Coromandel. c. 16. p. 97.*): *Dieser Stein enthält sich in einem Sack, der inwendig im Magen hanget, und aus harichten Fleisch bestehet einer guten Spannen lang, darinne die Steine gantz ordentlich, wie die Knöpffe an einem Wammest sitzen. Wie ein gewisser Portugiese davon schreibet.* Cum annis Caprarum crescere *Dan. Sennert.* (*l. 5. Epist. Phys. c. 4. p. 417.*) *annotat.*

§. 89.

Vidit & natos in simiorum ventriculis teretes ac longitudinem digiti aliquando excedentes omnium præstantissimos *Jacob. Bontius* (*l. 1. Med. Ind. f. 10.*) repetit *J. B. Tavernier.* (*l. 2. Itin. Ind. c. 24. p. 143.*). Generari etiam in Equis sunt qui putant & exemplorum bigam habet *Th. Jordan.* (*tr. 3. de Pest. Phænom. c. 9. p. 588.*). Quin & in homine supra (*§. 75.*) indicatum, sed simile non est idem. Refero huc ex *Nardo Ant. Reccho* (*c. l. p. 326.*): Non omnes hi lapides (Bezoartici) salubres sunt tuendæve sanitati, aut morbis profligandis apti, sed soli illi, qui de pastis herbis saluberrimis producuntur. Unde non solum difficile sit censere, an illæ facultates mirabiles, quæ de eo lapide nostrâ tempestate jactantur narrarique & prædicari cœperunt, veræ sint, sed etiam quinam sint eligendi, aut qui utiles, aut inutiles offendantur, quibus de rebus certò quid affirmari nequit. Magnitudo variat, ut & figura *Vid. Recchus* (*c. l. p. 326.*) Pondere ℥j vidit *Christian Scriver* (*cent. 3. Medit. 56. p. 560.*) ovi gallinacei magnitudine *O. Worm.* (*l. 1. Mus. s. 2. c. 19. p. 112.*). Rex Daniæ unum ovum Struthio-Cameli æquantem possedit *secundum Eundem* (*c. l. p. 110.*) ℥xviij *J. B. Tavernier.* (*l. 2. Itiner. Ind. c. 24. p. 143.*) Occidentalis capitis humani magnitudine, pondere $6\frac{3}{4}$ ℔ 3000. imperialium pretio describitur *à. Georg. Segero ap. Th. Bartholin. Cent. 2. Epist. 79. p. 656.*). Habuisse Imperatorem Rudolp. II. ovi anserini magnitudine, aut paulo majorem è quo cum poculum confici jussisset, in ipsius meditullio herbæ eximiè redolentes, circa quas crustæ & laminæ superinductæ à natura fuerant repertæ

tæ commemorat *Bootius à Boot* (*c. l. c. 191. p. 181.*). Ajunt meditullium aliquando concavum esse, vel in eo pulverem reperiri, eumque legitimi lapidis notam esse, *Bootius* (*c. l.*) pergit.

§. 90.

Mentio hic inserenda pilarum, quæ in ventriculis brutorum nidulantur. Distinxit illos commodè in pilosas & fibrosas *Magnif. Dn. D. Georg. Wolffg. Wedel.* (*M. C. D. 1. A. 10. obs. 169. p. 374.*). Coagulares, qui ex Chylo constare videntur adeoque graves pondere deprehenduntur, his addidit *G. H. Velschius* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 29. p. 45.*). Prioris generis in Cervo repertum (*c. l. & alibi D. 2. A. 2. obs. 110. p. 181.*) insimul publicat. In vitulorum, si Boum juniorum ventriculo nonnunquam & intestinis pila pugnum æquans reperitur, scribit *Casp. Bauhin.* (*c. l. c. 12. p. 64.*), quæ æqualiter orbiculata nigri & ferruginei coloris superficie levi splendente & pondere levissima: intrinsecus verò ex pilis densè compactis & arctissimè infarctis tota concreta conspicitur. Vitulinum proposuit *D. Henric. Vollgnad* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 110. p. 187.*). Vaccarum etiam à gramine comesto, & ruminatione nondum (perfectè) digesto, sed in formam rotundam (cum Chylo) compacta & coagulata, ut habet (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 18. p. 40.*) *Andr. Cleyer.* Extrahitur & Bazaharticus vaccarius lapis in urbe Sinensium Cingohev è ventriculo ovi anserini magnitudine, quem Nieuhoang, id est, flavedinem vaccæ nominant, eoq; contra Catharros utuntur, ut *Joh. Neuhoff* (*in Itiner. Sinens. p. 193. & 369.*) prodidit, qui Judicio Velschii vix aliud esse potest, quam qui è felle Tauri apud nos eruitur (*Diss. 2. de Ægagrop. p. 11.*). In grandioribus bobus ovum Bovis vocabat *Hieron. Cardan.* (*l. 7. de Subt. p. 375. Vid. & Ool. General. Diss. 2. §. 71. p. 60.*) quæ ipsa quidem appellatio, ut ridicula, explosa ab *Ulyss. Aldrovando* (*l. 1. de Quadrup. Bisulc. c. 1.*); verum (*c. l. Diss. de Ægagrop. 1. p. 6.*) *Cardanum* defendit & absolvit *Velschius.* De Bulitho insigni in Omaso deprehenso *Joh. Jac. Harder.* (*M. C. D. 2. A. 1. App.*). De vitulino historias pandit *Exc. Dn. D. Heinr. Volgnad* (*M. C. D. 1. A. 2. obs. 110. & in Schol. p. 398.*). Meminit ex Antiquis *Plin.* (*l. 11. c. 37.*) *Add. Joh. Wier.* (*l. 3. de Præstig. Dæm. c. 20.*). *Conr. Gesner.* (*l. de Fossil. f. 158.*), possedit *Casp. Bauhin.* (*c. l. & c. 12. p. 65.*), depinxit *Ferrand. Imperat.* (*l. 28. Hist. Nat. c. 1. p. 927.*) & *G. Hieron. Velschius* (*Diss. 2. de Ægagrop.*). De causis *Gualther. Charleton.* (*tr. de Lithias. c. 2.*) fuit sollicitus.

§. 91.

Hippolithorum historias suppeditant *Casp. Bauhin,* (*c. l. c. 14. p. 73.*) *Casp. Schwenckfeld* (*l. 1. Theriotroph. Siles. p. 90.*). *Joh. Dan. Horst,* (*Phys. Hippocr. Diss.*

Disp. 7. th. 8. p. 48.). *P. J. Sachs.* (*l. 1. Gammarol. c. 14. §. 11. p. 299.*) & inprimis *Summè venerandus Noster Præses* (*M. C. D. 1. A. 5. obs. 167. p. 215. sq.*). Undecim lapides in equi intestino colo, unus alterum in peculiari cellula & membranula quivis obvolutus, sequentes ad magnitudinem ovi gallinacei fermè accedentes, & ut lapides Bezoarticos deprehensos annotat *D. Ambros. Stegmann.* (*M. C. D. 3. A. 4. obs. 111. p. 237. add. Wedelii nostri observationem D. 1. A. 3. obs. 246. p. 438.*). Est & lapis ex Equo fero Lapis de Bombaco s. Mombaza Lusitanis dictus, in Centro pilosus, cujus descriptionem communicavit *D. Hermann. Nicol. Grimm.* (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 149. p. 368.*). In equo à fœno & paleâ inconsumptis *Joh. Matth. Faber* (*M. C. D. 2. A. 10. in App. Anat. Botan. Pil. marin. p. 206.*). De pilis in Equo pilosis *Joh. Jac. Wagner.* (*M. C. D. 2. A. 5. obs. 105. p. 211.*). Hippolithum hujusmodi 90. lothonum coloniensium, & alium minorem 45½ lothonum. *Elias Brackenhofer Vir Consularis Argentinensis* olim possidebat, quod *Bockenhofer.* (*Mus. Brackenhof. p. 13.*) testatur. Talis & Neoburgi durus 4. ℔. in Rarithecio curiosis monstratur, (*Maximil. Misson. Epist. 10. p. 91.*) qui tamen forsan propter pondus insigne inter coagulares numerandus.

§. 92.

Quod ad pilas fibrosas, Ægagropilæ in cavitate ventriculorum Rupicaprarum inveniuntur, de quibus ut solet, *Georg. Hier. Velschius* (*Dissertationibus duabus*) curiosè & eruditè egit. Mentionem earum etiam fecit *Joh. Jacob. Wagner.* (*Hist. Nat. Helvet. Curios. s. 4. Art. 2.*). Rupicaprarum interranea solerter scrutatus est *Joh. Jacob. Harder.* (*V. Ejus Succinct. de his diss. M. C. D. 2. A. 1. Append.*). Et quamvis hæ aliquando vocentur lapides, revera tamen non sunt; licentius igitur minusque accuratè id fit, cum vulgus quoque Germanorum vernacula sua lingua non lapidem (Gembsen-Stein), sed globum s. pilam (Gembsen-Kugel) appellat, quod *laudatus* (*c. l. p. 5.*) *Velschius* etiam suis inseruit, qui tamen non alia magis ratione, quam singulari materiæ dispositione à lapidibus differre (*c. l. p. 17.*) sensit. Non autem constat solo Deronico, ut vulgò, & cum eodem *Joh. Jac. Wagnero* (*ap. Joh. Conr. Peyer. l. 2. Merycol. c. 1. p. 104.*) persuasum, sed & aliis plantis alpinis, ut non semel *Velschius* (*c. l. p. 30. 31. 33. 37.*) asseruit. Quamvis in primo tantum aut secundo loculo, ruminantibus proprio, reperiantur, fuisse tamen, qui seriò affirmarent, in quarto quoq; ventriculo circa ipsum pylorum, quamvis minores, sibi tantum observatos, quod neque nos olim negavimus, neque nunc verò absimile videtur, fatetur *Idem* (*Diss. 2. p. 22.*), sed cum mobiles non sint Ægagropilæ fibrillæque solutæ in unius alteriusvè ventriculi loculo implicentur, implicatæque hæreant, & quasi

quasi agglutinentur avem hanc raram illic loci videre gestiebat *Harderus* (*c.l.*). Adulterare easdem avaritiam & nequitiam (*c.l.*) prodidit *Velschius*, adulteriorum notas adjicit. Ægagropilæ Badzaharticæ genuinam descriptionem erudito orbi communicavit *supra laudem nostram positus Dn. Præses* (*M. C. D. 2. Ann. 4. obs. 173. p. 339.*). De viribus Ægagropilarum multa suggerit *Velschius* (*c. l. Diss. 1. p. 50. & 69.*). Comprehendit etiam nonnulla (*Curat. Decade gemina Diss. 2. p. 55. sq. Confer. Curat. & Consil. Medic. Decades decem passim.*). Ad Febres adhiberi *D. Andr. Cleyer.* (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 18. p. 40.*) docuit. Nonnulli agyrtæ pro impenetrabilitate ab armis falso eas deprædicant, discurrit *laudatus Wagner* (*s. 4. Hist. Nat. Helvet. Curios. Art. 2. p. 184.*). Et vanitas facilè transparet, cum ne quidem Rupicapræ à globulis bombardarum immunes. Earundem virium esse herbam, qua comesta cervorum cutis bombardarum eludat globulos venatorum persuasio, quod *Wedel.* (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 159. p. 384.*) in literas retulit.

§. 93.

Posset & quem curiosa sollicitudo tenere, an aliis etiam brutis hujusmodi pilæ sint communes? Observationes id undiquaque persuadent. Pilam cervinam descripsit sæpius allegatus *Wedelius* (*M. C. D. 1. A. 10. obs. 169. p. 374.*) aliam iterum (*D. 2. A. 1. obs. 159. p. 382.*). Elegantissimam Ægagrelaphi Indici verbis & stylo delineatam dedit *Velschius* (*D. 1. A. 3. obs. 29. p. 45.*). Pilam ex ventriculo hirci castrati quadratam s. cubicam *Idem* (*Diss. 2. de Ægagrop. p. 11.*). Aliàs ex hœdis domesticis depromtas æri incisas ostendit olim *Wedelio* (*M. C. D. 1. A. 10. obs. 169. p. 374.*) *Bremæ D. Glandorpius Filius.*

§. 94.

In homine verò inveniri rarum. Prostat tamen apud *Peyer.* (*l. c. p. 104.*) sequens Wagneri relatio. Lanius Vitoduranus cum pedibus vitulinis vario modò præparatis præ cæteris cibis imprimis delectaretur, tandem de ventriculi summo dolore ac compressione conqueri cœpit, emetico autem sumto pilas aliquot pilosas, quarum maxima pomi mediocris erat magnitudine, evomuit, ac ita dolore liber evasit. Ubi mea fert sententia, *pergit Wagner*, eum pedes vitulinos minus rectè præparatos, & pilis comprimis inter ungulas adhuc refertas avidè ingessisse, qui deinde in ventriculo detenti & uniti sub pilarum forma tandem egesti fuerunt. Silentio nunc involvo, *concludit*, exempla illarum, quæ malacia affectæ capillos devorarunt, ac eos conglomeratos reddidere. Digitum absque dubio intendit *Wagner. in Joh. Schenckii* (*l. 3. obs. med. p. m. 320.*) observationem à *Joachimo Camerario* communicatam,

quæ ita habet: Puella quædam apud nos (Archiatri autem Norimbergensis munere fungebatur *Joach. Camerar.*) quatuor annorum proprios crines quoscunque vel corripere, vel digitis involvens evellere potuit, avidissimè devoravit: & quamvis parentes & alii diligenter hoc præcavere studuerint, tamen nunquam omninò à suo instituto penitus abduci potuit. Globulum è pilis felinis compactum, quendam rejecisse vomitu testem se sistit *Joh. Matth. Faber* (*c. l.*). De Pilosarum Pilarum vomitu nihil addidit. Alios contra quamvis pica capillorum minimè detenti, capillorum glomos evomuisse varia exempla collegit (*c. l. p.* 333. & 334.) iterum *Joh. Schenckius*. Spectant etiam ad hanc classem aliæ picantes virgines & fœminæ. Illud de cujusdam viri Principis pellice obticere non possum, *scribit* (*l. 2. Epist. med. 12. p. 608.*) *Joh. Langius*, quæ manè integros lini aut stuppæ manipulos, ut in Alpibus (*Murmelthier* vulgò dicitur) glis aut mus obesus plenis buccis devorabat. Memini; *narrat Schenckius*, (*c. l. p. 319.*) me visitasse puellam nobilem, quæ fila ex vestibus, quibus erant consutæ comedebat. De alia puella nobili, quæ stramen avidè masticare & devorare solebat, de muliere quæ fila s. duplarium, *Joh. Frid. Hildesii ap. Eundem* (*c. l. p. 320.*) prostant observationes. Cur autem in homine, & brutis, quibus simplices ventriculi rarius atque in ruminantium grege deprehendantur pilæ causa subest, quod in simplicioribus ventriculis non ita subsistere & conglobari possint, ut in loculis ruminantium variis, & ad conglomerationem ruminationem multum facere, nemo mecum dubitabit.

§. 95.

Cum etiam pilæ marinæ dentur, eæque præter herbaceas etiam pilosæ, quæsivit *curiosissimus Noster Joh. Matth. Faber* (*M. C. D. 2. A. 10. in pilæ marinæ Anatome Botanologica Append. p. 205.*), an phocæ, an Phocenæ sit soboles? An Equi marini excrementum, ut quidam autumarunt, sed cum æquè, ut pilæ marinæ à fluctibus marinis jactentur variè doctorum judicia, litem hanc difficulter posse decidi reputat (*c. l. p. 209.*) arbitraturque (α) peculiare animantis genus, quod peculiariter Arundinis s. Algæ frutice delectetur, eoque si non unicè saltem ut plurimum vescatur. Forsan enim pilarum Collectores, quas heterogeneis nimium scatere vident, abjiciunt, neque ad nos deferunt. (β) Masticatam plantam à fermento ventriculi sic confici, ut præter nerveas fibras minus alterabiles nihil remaneat. (γ) Has quoquè ipsa masticatione comminutas, eodem quasi colostro vel glutine subactas arctius, ut Castorum pili in formandis pileis intricantur; & tenacius invicem cohærere. (δ) A minima portio-

ne pugillari initium ſumere, ſenſimque accrementa conquirere, (ε) coarctatione ventriculi cogi & compilari invicem. (ζ) Novis aggeſtis adeò non diſſolvi vel dirimi, ut potius ea, perinde ac laneis veſtimentis feſtuca & quisquiliæ adhæreant, ſuæque maſſæ priori intruſa pertinaciter fixa maneant. *Hæc Faber.*

§. 96.

Celebritate ſua non caret lapis Hiſtricis ſ. porci ſpinoſi. Hujus locum natalem celebravit in Belgio *Reverhorſt* (*Diſſ. Anat. Med. de mot. Bilis circul.* §.57. *p.48.*), quem refutat *Exc. Michaël Bernh. Valentini* (*Diſſ.3. Polychreſt. Exotic.* §.5.*p.34.*). Lapis dicitur Malacenſis, quia animal illud in Malacca in Pam, aliis Pan, reperitur. Portugallis pedra de puerco, quamvis Hiſtricis ſpecies à porcina maximè abludat, atque Erinaceum potius accedat, ut rectè *Valentini* (*c.l.* §.2.*p.32.*). Spongioſus eſt lapis in veſica fellea generatus, tunica quadam obductus, quæ nihil aliud eſt, quam folium tenuisſimum, glutine quodam artificiosè adhærens, quod infuſione & maceratione in aquâ ſimplici aut alia deſtillata diſſolvitur, & ab eo ſeparatur. (*Id. ib.* §.6.*p.35.*). Mihi experimento eſt cognitum, *docet Steph. Rodric. Caſtrenſis* (*l.4. de Meteor. Microc. c.4. p.263.*), Stillatitias aquas non ita amaras ab infuſione lapidis evadere: forſitan quia ſunt ſubtiliores, quare non quod minus amaræ reddantur, ideò minus ex lapide ſuxiſſe exiſtimandum. Plura *laudatus Valentini* (*c.l.*), *&* *Caſp. Bauhinus* (*c.l.c.4.p.21.*). Porcinus noſter etiam cumprimis in Icteritia nomen meruit, & à quibusdam etiam in calculo celebratur. Bis vel ter à vulgaribus adhibitum recordor, ſed absque ſingulari levamine. Parvi pendit eundem *Otto Tachen.* (*Hipp. Chym. c.14.p.96.*), quem experimentis à ſe & aliis refutat *Joh. Zwelfer.* (*p.3. Refut. Tacken. c.14.p.103.*). Inter ſuccedanea habentur Bulithi in veſicula fellis deprehenſi, *à J. Bened. Sylvatico* Maſatii ab aliis verò Acherones *juxta Ulyſſ. Aldrovand.* (*Muſ. Metall. l.4. c.55. p.792. & 794.*) nuncupati. Cicerum forma & magnitudine deſcriptos dedit *Joh. Dan. Major.* (*in Anat. Kilonienſ. c.2.* §.*19.p.9.*). Majores tamen ex Aliis recenſuit *Valentini* (*c.l.c.4. p.43.*) Haraczi Turcis, quo nullum præſentius remedium adverſus icterum teſtimonio *Petri Bellonii* (*l.3. obſerv. c.46.p.479.*) norunt. Judæi conqueruntur plurimum de atra bile atque mœrore. Utuntur autem lapide, qui quandoque in bovis felle reperitur, *inquit J. B. Helmont.* (*Schol. humoriſt. paſſiv. decept. c.5.n.22.p.822.*). In Poloniâ olim innumeri boves exorta quadam peſte interierunt, in quorum cadaveribus diſſectis nihil fuit repertum, niſi quod veſicula fellea tota in lapidem converſa fuerit, *memorat Gothofred. Mœbius* (*Fund. Med. Phyſiol. c.15.p.371.*) Bos continuò paſtus gramine felle oppillatur Ga-

lenicis reposuit *Helmont.* (*c. l. & tr. Hydrops ignotus n.* 14. *p.* 409.). Ergò tantus Radicum graminis usus (in deoppilandis visceribus) in Apozematibus singulis totus est ridiculus. Lapides tamen istos à graminis succo resolvi comperit *Fr. Glissonius* (*Anat. Hep. c. 7. p. 82.*). Errhinon è lapide Fellis Tauri præscripsit *Joh. Crato* (*ap. Laurent. Scholz. Epist. Med.* 104. *col.* 183.), tanquam egregium commendat *Sam. Dale* (*Manuduct. ad Mat. Med. p. m. 559.*). Lentis magnitudine succo Betæ permixtus & naribus illitus Epilepticum Paroxysmum arcere dicitur *Avicenna ab Ulyss. Aldrovando* (*l. c. p.* 794.). De materia lapidea in poro biliario boum, vitulorum, ovium observatâ *Fred. Ruysch.* (*obs. anat. c. 28. p. 73.*)

§. 97.

Et hi sunt nobiliores in animalibus brutis calculi & pilæ, quarum usus aliquando in medicinis locum habet. Rariores & in quibus nulla medicis & ægrotis fiducia superaddere placet. Calculus in Gallinæ cerebro à *Joh. Conr. Peyero* (*Exerc. 27. p.* 146.) memoratur, quem è ventriculo eò delatum, quod non capio, opinatur. Lapidis è dentibus Elephantis *G. H. Velschius* (*Hecatost. 1. obs. 3. p. 5.*) mentionem fecit, ut illius, qui in maxillis Equorum crescere dicitur *Absyrtho* (*l. 1. Art. veterin. c. 8.*). Nidulatur aliquando in pulmonibus bubulis, juxta *Joh. Georg. Schenck.* (*Lithogenes. p. 92.*) & *Petr. Borell.* (*cent. 1. obs. 5. p. 9.*). Insignem inde in Hungaria Boum stragem ortam *M. Joh. Fridel.* (*Diss. de calc. Ren. & ves. c. 3.*) prodidit. Idem caninis pulmonibus contingere *Exc. nostri Christ. Franc. Paulini* (*s. 1. Cynogr. c. 3.* §. *19. p. 44.*), & *Cornel. Stalpart. von der Wiel* (*cent. 1. obs. med. rar. 28. p. 119.*) industriæ debemus. Quem in vesica canis Jenæ 1675. sesquilibram pendentem forma casei vulgaris invenit *Ros. Lentilius* (*M. C. D. 2. A. 7. obs. 136. p. 263.*), in meditullio suo alium elegantissimè efformatum minorem continere deprehendit. Lithargilos in ventriculo Lupi inventus undecim uncias pendens gyris & plicis intortus satis ostendit ex argilla, quam inediæ tempore fame & rabie impulsi vorant, sine dubio genitus, quod *Felix Plater.* (*obs. propr.*) recensuit, & *Joh. Georg. Schenck.* (*Hist. Monstror. in append. p. 130.*). Silices etiam aliquando in brutorum ventriculis videas eosque genuinos, quos non ibidem generatos, sed cum potu deglutitos credere par est. Talem vidi in Capreæ rumine animadversum. Reducendi huc puto crocodili calculos, de quibus sequentia *Paul. Casat.* (*Diss. 6. de igne p. 168.*). In Caymanni s. crocodili prægrandis lacertæ ventriculo reperies calculos fluviorum calculis similes, quos Indi & Hispani ad exterminandam febrim quartanam temporibus febrientis alligant. Plura infra (§. 109.).

Nar-

Narrat *Albert. M.* Gallum antiqvum in jecore lapidem habere, quem gestatum collo, sitim aufferre professus est *Hieron. Mercurial.* (*l.5. Lect. Patavin. c.9. p.293.*) Gallis namque è ventriculo Alectorium lapidem s. Gemmam extrahi, & tentum sub lingva sitim extingvere vel reprimere pronunciat (*l.3. de reb. metall. tr.2. c.1. p.121.*), & hoc ultimum expertum est, *addit.* Habet & quædam de lapide in jecore Galli *Hier. Cardan.* (*l.7. de subtil. p.374.*). De lapide in Epate porci *Petr. Apon.* (*in part. 10. probl. Arist. 43. f. 108. b.*). In ovium liene concretos calculos è gypsea materia animadvertit *Marcell. Malpihg.* (*de Visc. Struct. tr. de Lien. c.1. p.167.*). Ex umbilico porcorum *Vilbeuer.* (*p.3. Beschreib. fremder Material. p.171.*)

§. 98.

Lapillum ex omento Rupicapræ excisum communicat (*c.l.*) *Velschius.* Duos se possidere *celeb. Schrœkius Noster* (*M. C. D. 2. A. 1. obs. 32. in schol. p. 77.*) confirmat. Ex Rene vaccino lapillum extraxit *Andr. Libavius* (*ap. Joh. Hornung. Cist. Med. Epist. 78. p. 213.*), qui & satis magnum splendentemque Stafelsteinii apud Præfectum vidit. In vesica bovina arenam quasi metallicam & lapillos invenit *D. Dav. Spilenberger* perfectè rotundos & globosos splendentes, colore Auri mineram æmulantes. Origo hujus arenæ lapideæ fortè ex aquâ metallica spiritu lapidifico prægnante ebibita, aut ab herbis comestis minerali seminio gravidis judicat *Sachsius* (*c. l. §. 8. p. 297.*) Bulithum renalem ramosum tradidit (*M. C. D. 2. A. 5. obs. 104. p. 210.*) *Joh. Jac. Wagner.* De calculis renum & vesicæ in bobus multa egregia *Schrœkius Noster* (*D. 1. M. C. A. 5. obs. 168. p. 223.*). Lapidis in vesicâ porci mentionem injicit *Casp. Schwenckfeld.* (*l. 1. Theriotroph. Siles. p. 127.*). In canibus *Dn. D. G. W. Wedelius* (*M. C. D. 1. A. 3. obs. 23. p. 40.*) *D. Salom. Reiselius* (*M. C. D. 3. A. 5. & 6. obs. 260. p. 600.*) *Add. Arionem Nostrum* (*Cynogr. s. 1. c. 3. §. 9. p. 41.*). Vidi & tales Lipsiæ in Pinacotheca Laurentiana *n. 239.* De quibus & *Joh. Limberg.* (*Reise-Beschr. c. 279. p. 922.*). Notabilis est ille, de quo *D. Rœderus ad Dn. D. Rosinum Lentilium* scripsit, (*Vid. c. l. App. p. 99.*) *Dn. D. Faschium* in cane quodam reperisse calculum vesicæ ℔iß pondere, figura casei vulgaris rusticani Thuringiaci, cujus utrinque mucro s. cacumen est obtusum, Quarckäse vocant, albi cantissimum, qui in ventre suo alium elegantissimè formatum minorem, sed qui totius & integri calculi figuram exactissimè referret, continuit. Quomodo verò lapis alio gravidus generari potuit? contaris. Dicam brevibus, quod conjicio primus membranâ obductus fuit adeoque secundi quasi basis extitit. Vid. supra (§. 75.). Membranæ adhæsit iterum materia

teria tophacea & lapidea, novumque emerſit calculi productum, membranâq; à topho conſumtâ lapis prægnans evaſit.

§. 99.

Magnitudine canis iſtum licet grandum calculum ſupergreſſus ille Equi haud aliter ut eqvus canem. Singularis quidam in corpore Equi cujusdam Hiſpanici caſtrati 13. aut 14. annorum non ita pridem repertus eſt, *tradunt Ephemerides Eruditorum* (*T. 4. Ephemer. 4. p. m. 47.*). Pondus quatuor librarum erat cum quatuor & dimidia unciis figura rotunda & aliquantum plana; crasſities ſecundum diametrum maximam quinque, ſecundum verò minimam quatuor digitorum erat. Olivæ colorem habet ad fuſcum non nihil tendentem, maculis nonnullis, ſanguinis coagulati rubedinem referentibus, perſperſis, venis etiam & undulis albicantibus pariter atque nigricantibus circulariter radiat; & tandem adeò politus, ut objectorum reflectat imaginem. Membranæ pingvedine repletæ duobus in locis ſpinæ dorſi proxime Renes affixæ involutus fuit tum temporis, cum inveniretur. Duodecim jam horæ erant, & quod excurrit, cum Eqvus mortuus adeoque cadaver ejus frigefactum erat, cum lapis eximeretur, nihilominus tamen valde adhuc calidus erat, ita ut ultra ſex horas ab illo, quo exemtus erat tempore, calorem retinuerit. In cauſas caloris inquirit *Caſp. Theoph. Bierling.* (*c. l. §. 6. p. 31.*). Lapidem nigrum pondo unius libræ etiam ex Equi veſica exemtum vidit & annotavit *Joh. Lang.* (*l. 2. Epiſt. med. 57. p. 838.*)

§. 100.

In veſicâ lupi, qui naſcitur lapis, Syrites *Plinio* (*l. 11. c. 37.*) audit. De Gallina ſequentia *Joh. Jac. Harderus* (*Exerc. 49. p. 274.*). Haud ita pridem Gallinam, qvæ ſubito corruit, pingvem ſatis cultro ſubjeci, cujus interiora omnia quaſi pellicula gypſea obtecta erant: Ren ſiniſter deerat, protuberabat hujus loci ureter maximus ſero viſcido & coagulato perquam diſtentus, cujus medio circiter adhærebat calculus fabæ minoris figurâ & magnitudine: E rene dextro calculos exemi tres non ſine admiratione: Veſicula bilaria materia ſabuloſa itidem erat referta. Proclive eſt, ratiocinatur & reponit *Joh. Conr. Peierus* (*Exerc. 50. p. 276.*): Calculos innaſci animalibus glaream è trivio devorantibus. Forte ren ſiniſter calculoſa materia obſeſſus tandemque degenerans abiit in fecem, ac inſtar gypſi aqua temperati poſteà defluxit. Inde jam interranea omnia obduci aut incruſtari potuiſſe intelligitur. Cæterum in Renibus Gallinarum aliarum id genus volucrum præter ſenum, quod lotium conſtituit, ſeparatur etiam materia quædam gypſo vel calci diluto ſimiles

les è qua putamina ovorum similiter constare mihi videntur: quanquam haud ignorem Gallorum Renes ejusmodi Crassamentum lapidescens itidem secernere, quibus tamen ad testas ovorum formandas non est opus. Fieri itaque potuit, ut materies illa restagnans renem corrumperet, & posteà exundans vicinas partes inficeret. Lapidis in Castoreo mentionem fecit *O. Wormius* (*l. 1. Mus. s. 2. c. 11. p. 73.*). Alius in forma Lap. Bezoart ℥iiiß. pondere *Dn. D. Christian. Warliz* (*Mus. curios. n. 6.*). De lapide è vulva cervi supra (§. *87.*) è *Sexto Platonico* quædam huc referenda. Sed illum ex relatione aliorum his expressit (*l. 29. c. 19.*) *Plinius*: Tradunt cervas cum senserint se gravidas lapillum devorare, quem in excrementis repertum, aut in vulva (nam & ibi invenitur,) custodire partus adalligatum. Sed hic lapis non est è Cerva natus, sed saltem deglutitus. De viribus hujus non Entis magnifica jactari leges *ap. Joh. Georg. Agricolam (in Cerv. excoriat. c. 14. §. 13. p. 94.) Caspar. Bauhin. (c. l. c. 11. p. 63.) Joh. Schneider.* (*l. 5. Pharmac. Cl. 1. c. 17. p. 283.*) *& Alios.* De pumice, qui in vaccarum utero simili modo invenitur diximus in Natura Boum, *pergit* (*c. l.*) *Plinius*, cui hanc adlevit annotatiunculam *Jacob. Dalechamp.* (*p. 1273.*). De hac re agitur (*c. 45. l. 8.*) ibi autem nulla pumicis sit mentio. In parte musculi majoris glutiæ, duos silices oblongiores parum à se invicem distantes descripsit *Th. Bartholin.* (*cent. 2. hist. anat. 3. p. 174.*) *Confer. Joh. Georg. Schenck.* (*Lithogenes. Append. p. 96.*). Lapidem inter pellem & carnem in urso inventum descripsit *O Wormius* (*c. l.*).

§. 101.

Inveniuntur in ventriculo magni alicujus lacerti, vocati Caimanes *s. crocodili* (*Vid. supra §. 96.*) lapides, quartanas tollentes quandoque, si unus istorum applicetur unicuique temporum ægri, tradit *Joh. Fragosius* (*Hist. Medic. Ind. c. 10. f. 15. b.*). Egit de his etiam *Nicol. Monardes* (*de Simpl. Medic. ex Ind. p. 53.*), cujus verba retulit *Franc. Redi* (*Experim. natur. p. m. 110.*) viresque Lapidi ascriptas ridet (*p. 112.*), potuit fieri, addens, ut ego deceptus sim, & ut loco calculorum Crocodili mihi dono sint dati Lapilli fluviorum Arni & Minionis. In insula Cuba Mexico & Brasilla variisque Americæ septentrionalibus Meridionalibusque locis fœdum atque importunum aliquod genus lacertarum aquaticarum invenitur, Ingvane vulgo dictum, quæ lacertæ, *referente Guilhelmo Pisone*, lapidem minus durum stomacho generant, ovi gallinacei magnitudine; Alii tamen affirmant, eundem in cerebro generari. Eum non esse nisi congeriem plurium lapidum deglutitorum isti animali ad digestionem, comperit curiosus nobilis. Ex quodam excipiebat frustum rupis magni-

magnitudine caput ejus æquans: ex aliis exceperat 16. vel 20. lapides minores. Nemo ibi multum observat, quicquid dicat Monardus. Ita *Aubbes ap. Heinric. Oldenburg* (*Act. Phil. Angl. 1668. p. 581.*). Sed inutilem hunc expertus est *Idem* (*c. l. p. 102.*), inutilissimum verò quendam famosum lapidem in capite vel ventre serpentis cujusdam Africani in Mombaza Zangvebaris regione productum. Cujus tamen vires in partu præprimis difficili non sine summo præconio communicat *Idem* (*p. 106.*). De aliis lapidibus in capite certorum serpentum cobras de Cabelo dictorum egit *Idem* (*p. 4. & 5.*), quibus qui eas attulerant tres Patres Franciscani, talem & tantam & usque adeò miraculosam esse Sympathiam cum veneno, ut statim vulneri appropinquantes parvarum ventosarum instar se eidem tenacissimè applicarent, nec ante loco moverentur; quam omne venenum sugendo ebibissent, quo facto sponte soluti in terram caderent, relicto animali sano & immuni à mortifero, quo opprimebatur morbo, sed communibus desideriis minimè fortuna favit, (*p. 8.*). Factitios illos Lapides existere aliquando *Petr. Rommelius* (*M. C. D. 3. A. 4. obs. 20. p. 42.*) *Noster* nuper docuit.

§. 102.

Majori luce petrefactionis brutorum & hominum possibilitatem perfundunt partes quædam cum in viventibus, tum mortuis petrefactæ.

§. 103.

Admirabile omnibus videtur, scribit *Albert. M.* (*l. de Rebus metall. tr. 2. c. 9. p. m. 87.*), quod aliquando lapides inveniuntur intra & extra habentes effigies animalium. Extra enim habent lineamenta & quando franguntur inveniuntur in eis figuræ intestinorum. Et hujus causam dicit Avicenna esse, quod animalia secundum se tota aliquando mutantur in lapides. Memorari audivit *Jac. Tollius* (*Epist. Itinerar. 2. p. 49.*), quendam Principem (cujus nomen Ipsi exciderat, Holsatiæ verò Ducem suspicatur, *Henr. Christ. Hennin. Annot. ad h. l. p. 62.*), omnes humani corporis partes, etiam intestinas in saxum induratas possidere. Miraculo proximum cerebrum in bove Svecico, in prædio quodam Oxenstirniano, in Saxeam obriguisse duritiem, ad spirituum verò liberum transitum relicta fuisse hinc inde foraminula excavata, quod literis consignavit *Th. Bartholin.* (*Cent. 6. Hist. Anat. 91. p. 358.*). Cum de relationis veritate adhuc dubitaret, *Senatorum Regni Sveciæ Illustr. Dn. Sciringi Rosenhahn, Stenonis Bielcke* autoritate confirmatus, omnem deposuit dubitationem, prout (*Cent. 3. Epist. 8. p. 41. de Insol. Part. viis c. 11. p. 103.*) testatur. Notabilem observationem, huic ferè gemellam, Miscellaneis curiosis (*D. 1. A. 1. obs. 25. p. 92.*) inseruit *Joh. Theodor. Schenck.* Circa principium Anni 1670. in quodam vicino

Pa-

Patavii pago ad Monachos *D. Justinæ* spectante Bos quidam mactatus Cerebrum marmoream planè duritiem exhibuit, qui aliis bobus stupidiore capite semper pendulo & quasi nutante incessit, usque dum tandem planè marcescere incœperit, unde ipsum jugularunt, sed aperto corpore omnia membra salva invenerunt, dirupto autem Cranio stupiditatis istius causa reperta fuit. Cerebrum hoc in Monasterio dicto *D. Justinæ* jam asservatur. Eandem historiam *ad Sachsium Georg. Sebastian Jung. scripsit*, (*Vid. Schol. in h. l. p. 93.*). Repetiit *Joh. Jacob Wencesl. Dobrezensky de Nigroponte* (*c. l. obs. 130. p. 289.*). Edidisse de hoc libellum *D. Sebastian. Scarabizius Cœnobii D. Justinæ Medicus Ordinarius Patavii 1678.* scribitur *Magnif. nostro Schrœckio* (*Schol. ad Ioh. Helwigii obs. 147. p. 392.*) ubi & totam historiam excerptam dedit. Variare tamen in recensione quasdam circumstantias attentus Lector animadvertet. *Scarabicium* namque de affectibus capitis legentem publicè illud demonstrasse tradidit *Jungius*: Anatomiæ bovem subjecisse *Scarabicium* narravit *Dobrezensky*, Monacho verò in Cœnobio coqui vices sustinenti caput traditum ipse *Scarabicius* dictitat, qui nullo instrumento ferreo omni quidem conatu adhibito id dividere potuit. Malpighio Cerebrum illud ut exploraret fuisse transmissum *Sachsius* (*Append. ad D. 1. A. 1. p. 8.*), quod tamen inficiatur *Schrœckius* cum adhuc in Monasterio asservetur, & hujus ramusculi causam non improbabilem (*c. l. p. 394.*) edixit. Spectat huc elegans *Magnif. Ioh. Paul. Wurffbaini* (*M. C. D. 2. A. 2. obs. 137. p. 304.*) de cerebro humano post mortem in cochleas minutissimas albissimas lenticulares transmutato, historia.

§. 104.

Draconum in India oculorum pupillæ lapides sunt tanquam ignis, lucentes, *Philostratus* (*l. 3. de Vit. Apollon. p. m. 106.*) meminit. Totos Hyænæ oculos lapidescere legimus, scripsit *Christophorus Encelius* (*l. 3. de Re metall. c. 49. p. 235.*). Inde Gemmæ Hyeniæ *apud Plinium* (*l. 37. c. 10.*). Nihil verò est, nisi humor Crystallinus elegans & pellucidus, durusque, judicat *Th. Bartholin.* (*cent. 4. hist. 1. p. 210.*). De Gemma Chelonia Indicæ Testudinis oculo vel portentissima magorum mendaciis, iterum (*c. l.*) *Plinius*. De pulmonibus Lapidescentiæ proximis sequentem recitat *Helmont.* (*tr. Asthma & Tussis n. 42. p. 293.*). Dissecto in Presbyteri Pulmone invenitur sinistri lateris lobus posterior durus & è pumice lapidescens intusque quasi grumus per pulmonem occaluisset. Ubi autem aspera arteria in quatuor lobos dispergitur, grumi caseosi erant, inter cartilaginem & pumicem medii: pluresque ejusmodi lapilli sparsim per pulmonis regionem visi. *In Divo Ferdinando Imperatore* fere pulmo

totus erat gypſeus *Ioh. Crato* (*ap. Laurent. Scholz. Epiſt. med. 162. col. 273.*) ſcriptum reliquit. Pulmonem ſiniſtrum ſcirrhoſum & quaſi lapideum *Th. Willis* (*p. 2. Pharmac. rat. c. 7. p. 147.*). Epar quaſi lapidoſum tetigit *ap. Ioh. Schenck.* (*l. 1. obſ. p. 181.*) *Georg. Garnerius*, & in lapideam duritiem converſum *Petr. Foreſt.* (*l. 19. obſ. med. 14. p. 223.*). De Hepate Anſeris *Alex. de Inſula* (*Brev. rer. memor. n. 50. App. ad M. C. D. 2. A. 4. p. 211.*). Mactavit coqvus Anſerem pro fratribus & ecce totum ejus Hepar præter omnium expectationem planè fuit ſiliceum (non lapideum), ut etiam mallei percuſſiones elideret. Epatis humani partem anteriorem planè lapidefactam *Andr. Veſalius* (*Epiſt. de Rad. Chin.*) commemorat. Memini ego nonnullorum, ſcribit *Rembert. Dodoneus* (*in not. ad Beniven. c. 3. p. 133.*), qui ab ictero in Aſcitem delapſi erant jecinora vidiſſe adeò dura & lapillis undique plena, ut novacula ſcindi non potuerint. Carnem fumo induratam referebat lien *ap. Th. Bartholin.* (*cent. 4. hiſt. 60. p. 358.*) quaſi lapidoſum apparebat *Petr. Foreſto* (*l. 2. de Incert. Urin. judic. c. 3. n. 123. p. 199.*)

§. 105.

Arteriæ carotides induratæ ut in lapideam ſubſtantiam tranſiiſſe viderentur, illis tamen apertis earum lateribus materia calloſo-lapidea accreverat, *Regner. de Graaf.* (*M. C. D. 1. A. 1. obſ. 127. p. 186.*). De venæ pneumonicæ trunco lapideſcente *Th. VVillis* (*p. 2. Pharmac. rat. ſ. 1. c. 2.*) & *ex eo Theophil. Bonet.* (*l. 2. Anat. Pract. ſ. 1. obſ. 9. p. 388.*). Arteria magna infra & ſupra Renes quatuor digitos dura erat & vitri in modum frangibilis *Reiner. Solenand.* (*ſ. 5. Conſil. med. 16. p. 493.*) occurrit. Hypogaſtricæ Toloſanæ in lapidem induratæ è *Fr. Zanchez. narrat Matth. Tilingius* (*Exerc. Anat. de Tuba Uteri ſ. 1. §. 6. p. 37.*). Ureterem petrefactum habet *Steph. Blanckard.* (*p. 1. med. Pract. c. 62. p. 424.*). Meſenterii partem lapideam recenſuit *Ioh. Rhodius* (*cent. 2. obſ. 96. p. 103.*). Perinæum lapidoſum *Dominic. Panarolus* (*Pentecoſt. 5. obſ. 18. p. 261.*) Pancreas lapidoſum (*Pentecoſt. 1. obſ. 44. p. 27.*)

§. 106.

Glandulas conglobatas calculoſas & petrefactas exhibuit *Anton. Nuck.* (*Adenogr. curioſ. c. 2. p. 38.*). Loco caruncularum in renibus bovillis lapides *Th. Bartholin.* (*l. 1. Anat. Reform. c. 17. p. m. 117.*). Ren in Silicem verſus apud *Chriſt. Franc. Paulin.* (*D. 2. M. C. A. 6. App. obſ. Phyſ. med. 40. p. 48.* & *A. 4. App. Schol. ad Alex. de Inſul. Brev. rer. memorab. obſ. 50. p. 211.*). Ren mulieris exſectus plane lapideus *ap. Ioh. Doleum* (*l. 3. Encyclop. Med. c. 13. §. 10. p. 587.*). Renes Tartaro incruſtati *ap. Steph. Blancard.* (*cent. 1. obſ. 58. p. 133.*) petrefacti

(*c. l.*

(c. l. obſ. 45. p. 107.). De Rene ſiniſtro *Joh. Georg. Schenck.* (*Lithogen. c. 14.*). Ambo Renes in nobiliſſima fœmina Helena de Scalim in alabaſtrinam duritiem & ſoliditatem obriguerant, quod communicat *J. P. Sachſius* (*M. C. c. l. obſ. 27. p. 95. & Append. ad Gammarol. p. 900.*), qui iconem ad exornandam Lithologiam curioſam *Exc. Dn. D. J. D. Majori* transmiſit, prout in literis ad me datis ſcribebat. De Equi teſticulo idem *Petr. Andr. Matthiol.* (*Præfat. in l. 5. Dioſcorid. p. 631.*). Urinalem veſicam Nobilis cujusdam integram ferè in lapidem converſam deſcribit *Petr. Borell.* (*cent. 1. obſ. med. phyſ. 5. p. 9.*). Uterum cartilagineum delineat *Andr. Cnœfelius* (*M. C. D. 1. A. 4. & 5. obſ. 57. p. 48.*). Uterum ovis lapideſcentem *D. Georg. Hannæus, Collega venerandus* (*D. 2. A. 10. obſ. 149. p. 235.*)

§. 107.

Partes externas petrefactas etiam invenio aliquando ſecundum naturam, contra naturam aliquando conſtitutas. Brachium lapidem duritie referens indicat *Nicol. Cabeus* (*comm. in 4. Met. Ariſt. t. 20. qu. 2. f. 298.*). Scrofulas lapideſcentes cartilagineas *G. H. Velſchius* (*Diſſ. 1. de Ægagrop. p. 17.*) exhibuit. Mammam primum ſcirrhoſam, lapideam poſtmodum *Phil. Salmuth.* (*Cent. 2. obſ. med. 8. p. 63.*). Crus ſcirrhoſum planè & quaſi lapideum *Idem* (*Cent. 3. obſ. 72. p. 147.*). Scirrhos lapidoſos in Alio *P. J. Faber* (*Chirurg. Spagyr. S. 1. c. 6. p. 959.*). Tumores abdominis in ſaxa tranſientes *Joh. Heurnius* (*in 6. Hipp. Aph. 7. p. 424.*)

§. 108.

Oſſa in lapides fatiſcentia quis ignorat? Cranium humanum panem lignumque in mari repertum ſcio, *ſcribit Domin. Panarolus* (*Faſcic. Arcan. 1. p. 209.*), in Adamantem converſa. Cranii ſemilapidei Gigantei hiſtoriam evulgavit *Petr. Borell.* (*Cent. 3. obſ. 76. p. 256.*). In Muſæo Gvaldino Cranium humanum ſaxeum obvenit *Athanaſ. Kircher.* (*l. 8. M. S. c. 1. p. 49.*). Caput hominis petrefactum videndum præbuit *J. P. Sachſio* (*Epiſt. de mir. lap. nat. p. 85.*) Porticus Horti Piſani. Os tibiæ ſaxeum Lutetiæ vidit *P. Borellus* (*cent. 3. obſ. 76. p. 256.*). Os femoris Elephanti *Sachſius* (*Gammarol. l. 1. c. 8. §. 14. p. 175.*). Spectatur hic Romæ, *inquit Kircherus* (*c. l. S. 2. c. 2. p. 51.*) in Horti Ludoviſiani Palatio corpus humanum totum in ſaxum converſum, oſſibus adhuc integris, at lapideo Cortice obductis. Mutatis quibusdam ita eloquitur *Th. Bartholin.* (*Cent. 2. hiſt. anat. 100. p. 354.*). Vidimus Romæ in Palatio Ludoviſiorum hominem in ſubſtantiam lapideam concretum, cujus argumentum ipſa oſſa præbent & coſtæ, ſuam adhuc ſervantes formam. Extant etiam paſſim Oſſa Gigantum lapidefacta, de quibus infra pluribus.

Ossa humana lapidea Kuttenbergæ effossa *Bohusl. Balbin.* (*l. 1. Miscell. Hist. Boh. c. 49. p. 116.*) significat.

§. 109.

Claudius à S. Mauricio, Academiæ Dolanæ Professor, observavit & annotavit, se in sectione cujusdam mulieris 37. annorum uterum invenisse lapideum ponderis septem librarum, (*citat Matth. Unzer. l. 1. de Nephrit. c. 3. p. 20.*). Res plane stupenda, qua in muliere triginta septem annorum uterus visus est, totus cum vesica lapideus *à Claudio à S. Mauritio*, Academiæ Dolanæ Professore, anno 1592. d. 25. Januar. prout scripsit *Petr. Quencio*, qui observationem illam communicavit *Joh. Schenckio* (*l. 4. obs. med. p. 608.*) *Confer. Joh. Georg. Schenck. filium* (*Lithogenes. c. 16. p. 55.*) Anno 1582. res incidit, quo magis mira, eò minus fidei apud posteros habitura, nisi certissimis veritatis testimoniis niteretur, quam, quia pro comperta habemus, (*verba sunt gravissimi sui temporis Historici Jac. Augusti Thuani l. 76. hist. T. 2. p. 123.*), hoc loco, ne in dubium olim revocetur amplius, asseri officii nostri & instituti esse duxi. Mulier quædam Agendici senonum, quæ Celticæ nostræ metropolis est Archiepiscopali dignitate ornata, *Columba Charria* nomine, *Ludovico caritati* sartori nupta, qvum ad annum trigesimum octavum valetudine integra pervenisset, neque adhuc uterum gestasset, certissima habuit concepti fœtus indicia, menstruis purgationibus non jam ut anteà statis temporibus erumpentibus, & frequenti uteri motu jam manifesto, ac tumore lumborum & abdominis paulatim succrescente, mammisque lacte turgentibus; Tandem decurso statæ gestationis curriculo, graves puerperii labores, & alvi tormina experiri cœpit, urina ad aliquot dies suppressa, quæ posteà currente veluti alveo magnâ vi erupit, profuso illo ichore non tam ex vesicæ meatu, quam ex muliebribus loculis scaturiente, & tunica disrupta unà cum serosis recrementis sangvinis coacti quasi rhombus emersit. Ex eo mammæ concidere visæ, aut motus infantis aut ignavus, aut nullus, ac labores mulieris tolerabiliores fuere; quæ à ludibrio illius fœturæ totum triennium in lecto decubuit, semper de valetudine adversa, de duritie, de tumore, de torminibus alvi, ac de inutili illo pondere, quod per se mobile pro vario gestantis motu modò in hanc modò in illam partem procumbebat, quamdiu vixit, conquesta. Qvum videretur, ac vicinis, ut erat satis lepido ingenio, respondere solita erat, fore ut fœtus, quem utero gestabat, cum parentis exitio aliquando prodiret: Fato post vigesimum octavum gestationis illius annum functa, dissecto abdomine, uterus rugosus apparuit, & versicolor, tactu durus, ac veluti testaceus, sectoque rursus eo, vix tandem renitente ad novaculæ aciem

aciem portentosa mole gypsea eductus fœtus benè conformatis membris ac eodem prorsus, quo cæteri positu, de cætero penè lapideus; ita tamen ut ossa capitis quasi cornea interlucerent, partes autem internæ, viscera, cor cerebrum naturalem habitum servabant, nisi quod ultra modum induruerant, non tamen ut externæ. Hodie adhuc corpusculum illud Agendici à prætereuntibus miraculi instar visitur expers putredinis & teredinis.

§. 110.

Publico primum consecravit hanc observationem *Simon. Provancherius Lingonensis apud Senonas Medicus*, scripsitque Gallicè. Eundem partum, qui latinè & copiosè loqueretur ad exteros relegare decreverat cui physicas, sed è re natas exercitationes suas adjungere operæ pretium videbatur. Inter moras *Alibosius Hæduus, Augusto Dunensis, qui posteà Heinrici IV. Archiater fuit*, qui excudendam spectaculi effigiem curaverat, ejus historiam latinè exprimit. De quâ scribenda amicorum & maximè exterorum, ad quos, ut nominis, ita eruditionis suæ fama pervenit, literis frequenter urgebatur. Hic oratione gravi & veridicâ flagitantium votis respondit, ut

Mollis inobsequium facilisque rogantibus esset.

Historiæ de induratione fœtus in utero physica & problematica inquisitio accessit. Utraque mihi tantoperè placuit, ut in ea vertendâ gallicè meam operam requirere visa sit. -- Et quia in dubia & ancipiti re sic animus consistit, neminem mirari oportet, si in apertum campum descendam, & utraque lingua mearum exercitationum breviter & summatim adjiciam. Hæc *Simon Provancherius*, cujus & *Albosii* meditationes vide si lubet *ap. Ioh. Schenck.* (*l.4. obs.med.p.609.*) *Mauricium Cordæum* (*in l.1. Hipp. de morb. mul. comment.7. p.504.*) *Horat. Augenium* (*l.2. de partu. c.28. p.93.*) *Dan. Sennert.* (*l.4. Med. Pr.p.2.s.4.c.8.p.321.*) *Fortun. Licet.* (*l.2. de Monstr. c.45.p.151.*). Servatus, ut dixi, hic fœtus Agendici Senonum, hinc transiit anno 1628. *ad Parisiensem mercatorem Preteseigle*, curiosum rerum rariorum, apud quem vidit obstetrix *Loys. Bourgoise* (*tr. de offic. obstetric. p.102.*), hinc ab Aurifabro & gemmario Giliberto Vautron Venetias asportatus, ubi eadem facie integrum vidit & contrectavit *Th. Bartholin.* (*cent.2. hist.100. p.355.*). Tandem ex Italia migravit ad Serenissimum Regem Danorum Fridericum III. Errat proinde *celeb. Dn. D. Hermann. Conring.* quando (*ap. Laurent. Amuss. judic. Doct. de fœt. Mussip.p.4.*) Gottorpii in Principis cimeliis illud ipsum lapideum ἔμβρυον Gallis maximè celebratum reperiri credidit. Hujus Iconem Chalcographi opera in lucem produxit publicam *incomparabilis ille Polyhistor, Medicus & Anatomicus, Th. Bartholin.*

§. 111.

§. III.

Universum corpus justi fœtus magnitudinem, externaque formâ humanum fœtum accuratè exprimit. Ossa hinc inde denudata solida & dura. Interjectæ carnes velut gypseæ & induratæ calci similes. Cutis lacera, dura & nigricans, quæ partem abdominis thoracis & caput hinc inde tegit. Oculorum orbitæ vacuæ eminentibus ossibus Maxillæ superioris & inferioris pars dextra ablata & dentium alveoli vacui, uno solo relicto dente. Humeri os dextrum appensum corpori nudum, manu deficiente. Sinistrum bracchium à corpore solutum, digitos manus complicatos exhibet, Pedes leviter diducti, junctis digitis & concretis, relicto tamen illorum vestigio. Puellulam vocat laudatus *Bartholin.* (*c. l. p. 360.*). Hujus etiam mentionem fecit (*p. 1. Mus. Reg. s. 1. p. 1.*) *Oliger. Iacobæus.* Vidisse se hunc Parisiis 1609. (*in Chronic. ad annum 1531.*) affirmat *Aubertus Miræus.*

§. 112.

De fœtu saxeo non in utero, sed inter costas producto præcedenti anno in Germania jam libello explicato constat, *dictitat* (*l. 8. M. S. s. 2. c. 3. p. 54.*) *Athanas. Kircher.* Digitum absque dubio intendit in Lithopædium, quod præterlapsum seculum anno 1659. parturiit præcedenti sanè mirabilius quod extra uterum in abdomine repertum fuerit. Mulier Mussipontana ætatis annum sexagesimum prætervecta exili corpore & exigua admodum statura, jam pridem orbata conjuge, ex quo alias non semel prolem susceperat sex propè lustris cœlibem agebat vitam. Ast sexto Kalendarum Augusti nescio quo abrepta impetu sese è superioris cubiculi fenestra in subjectam planitiem hora ante meridiana sexta egit præcipitem, cum vix ullum antea dedisset prævium aut phantasiæ, aut rationis aberrantis argumentum. Ex tam violento casu graviter saucia duas circiter post horas extincta est. Sed quoniam dum in vivis ageret non raro apud Medicos conquesta fuerat, se lapideam utero gestare molem, (sentiebat enim tribus infra umbilicum digitis pondus, & permolestum & grave, ex quo & injussæ alvi dejectiones, & invitus plerumque Urinæ fluxus, imo & ipsius ani procidentia sequebatur,) placuit extispicio rem totam diligentius indagere. Itaque *Dn. Pillemont. Medicæ Facultatis Decanus & primarius in hac alma Universitate Pontimussanâ Professor*, demortuæ cadaver secari jussit, & resectis primum communibus abdominis integumentis adactoque ad omentum usque scalpello, emersit illico moles; quæ quadrimi infantis capiti magnitudine nihil cederet. Totam hanc molem natura in orbem ferè conglomeraverat, & durissimo involu-

volucro obtexerat, quod bubuli ventriculi tunicas colore referret & craſſitie. Bajulæ mulieris corpori quinque firmiſſimis retinaculis cohærebat, & quatuor quidem vincula ex totidem peritonæi lateribus orta pendulam molem fulciebant, quintum verò eandem tenuioribus inteſtinis incumbentem, iisdem etiam tenacius annectebat; ſ. id ad majorem firmitatem ita natura providerat, ſ. in obſervabili meatu Chyli inde refluentis aliqua portio per arcanas lactearum valvulas poſſet & latentis fœtus alimentum derivari. Stabulantem in medio fœtum facilè deprehendimus decuſſatis in crucis formam brachiis, & utraque tibia communem aliis in utero ſitum retinente. Illa tamen eadem membra, nullis diſtincta intervallis, ita cum reliquo corpore coaluerant, ut inſpicientium aciem oculosque propemodum ſubterfugerent: quamvis nec hanc, nec alias hujus corpuſculi partes ulla in re mancas aut mutilas ipſa formatrix vis reliquerit. Nam cerebri veram germanamque ſubſtantiam utraque tunica & inducta, inſuper cranii compago eaque duriſſima coërcebat: Claudebantur etiam ſub Epigaſtrio & Hypogaſtrio reliqua viſcera ad vitæ operationes neceſſaria, Cor nempe, pulmo, jecur, ventriculus, Lien, renes, Diaphragma, fellis folliculus, inteſtina, nec defuit etiam uterus, ſuis quoquoque omnibus numeris abſolutus, quoque uno indicio infantis ſexus innotuit. Servatur etiamnum apud me integer in domeſtica pharmacopœa, ſuperfuſo ſalis ſpiritu arcente putredinem. Neque verò illud prætermiſſum oportuit, quod jam aliquatenus lapideſcere inceperat, vultu præſertim in gypſeam quandam duritiem abeunte nec ultra eam magnitudinem excreverat, quam juxta conſvetas naturæ leges ſemeſtris fœtus aſſequitur. Cæterum uterus mulieris, quæ intra abdominis latebras hoc prodigium complexa tot annos geſtaverat tam illæſus intactusque repertus eſt, quam qui maximè nullo prorſus obductæ Cicatricis veſtigio. *Hactenus hiſtoriæ relatio, prout reſolutioni D. Laurentii Strauſii & conſiderationi Fœtus Muſſipontani D. Antonii Deuſingii (p. 13.) præfixa legitur.*

§. 113.

Cadavera tota ſæpè ſæpius vidimus petrificata ſcribit, *Honor. Maria Lautier* (*Diſſ. de Fœt. Muſſip. p. 33.*). In Crypta *S. Virginis Roſaliæ* in monte peregrino ipſum *ſanctæ Roſaliæ* corpus in lapidem converſum repererunt, *narrat Athan. Kircher.* (*c. l. ſ. 2. c. 1. p. 49.*). Martyris cadaver è Cœmeterio *Calixti* erutum lapidefactum è *Joh. Nardio* (*A. 1. Noct. Genial. 4. p. 269.*) allegat *Laurent. Strauſius* (*Reſolut. Caſ. de Fœt. Muſſipont. p. 7.*): Non procul à Tyburo eſt urbs in Sabinis alluit fluvius Anio, in cujus arena inveniuntur amygdala, Aniſum

ſum, fœniculum, & aliæ res in lapides verſæ, ut ipſemet vidit, refert *Jacob. Boiſard.*(*in Topograph. Romæ*), cum ea loca pertranſiret, prioribus annis interfectus quidam in Anienem projectus inventus eſt, qui arbori ad fluvium accreverat, illud cadaver adeò longum tempus incorruptum permanſit, ut in lapidem verſum fuerit. *E Boiſardo Henr. Kornmann.*(*p.3. de m. m. c. 36.*) de Lydiæ Metallurgis prodidit *Ariſtoteles* (*de mirabil. audit.*) illos obſtructo oſtio intercluſoque ſpiritu ſuffocatis poſt longi temporis intervallum in lapides mutatos cum vaſis, amphoris & liquore in illis contento fuiſſe extractos. Sic pariter hiſtoriæ commemorant, *docet Helmont.* (*tr. de Lithias. c.1. n.12. p. 662.*) in cryptis propè Pergamum aliquot cadavera illorum ſc. quos belli pavor in abdita compulerat, fuiſſe à ſuperficiè in Centrum usque petrificata.

§. 114.

De alio fœtu ſequentia iterum *Thuanus* (*c. l.*) reliquit. Fœtus, quem per quinquennium in utero illuſtriſſima fœmina Lutetiæ geſtarat, jam lapideſcere incipiebat. Perfectam petrificationem ſubiit in utero Lepuſculus, de quo his perorat *ſuavis Excell. D. Georgii Hunnæi ſuada* (*M. C. D. 2. A. 10. obſ. 148. p. 235.*): Capiebatur in venatu lepus pulpamentum daturus, ſed pedum velocitate ſupra mòdum pollens. E ventre fiſſo confeſtim protractus eſt, una cum exenteratis viſceribus, catulus leporinus ſiliceus planiſſime & tantæ magnitudinis, quantam vix abſolviſſet, ſi duos menſes extra clauſtra vixiſſet materna. Obſtupuit Venator ad obtulum inſolitum, atque novum heic mimum daturus Anatomicum ſaxo impoſitum lepuſculum ferreo quodam comminuebat volgiolo, ferociâ tanta, ut ſpargerentur per campum membra diſtracta. Sic lapis ſuper lapidem confractus! Ego hanc victimam lapideam incudi ſubductam Auro redemiſſem, ſi flectere temporius potuiſſem nimium feſtinantes popæ hujus manus, gratuitò malas.

§. 115.

Cauſas hujus miraculi traditurus Philoſophis auſcultandum cenſeo opinantibus, eodem modo in Microcoſmo produci calculos, quo in Macrocoſmo lapides. Ita materiæ calculo aptæ diſpoſitionem non diſſimilem requiri, dixit *Anshelm. Boët. à Boot.* (*l. 2. de Lap. & Gemm. c. 302. p. 269.*), ut lapidis fiat generatio in terra. Vid. quæ habet & citat *Chriſtoph. Nicolai* (*Judic. de Fœt. Muſſip. p. 28.*). De lapidum horum ortu variant Philoſophi æquè, ut de illorum Phyſici & Medici. Potiores in faſciculum compegit ex Antiquis, ſuique temporis naturæ ſcrutatoribus *Georgius Agricola* (*l. 4. de Ort. & Cauſ. Subterran. p. 512.*) *Ariſtoteles* ex exhalatione ſicca igneſcente fieri dixit lapidum genera

nera non liquescentia, unde quodammodo intelligimus exhalationem humidam esse materiam lapidum liquescentium, ex quibus metalla conflantur, ut ex *Aristotelis* sententia lapides non liquescentes fiant ex vapore; liquescentes, in quibus metallum inest, ex halitu. *Theophrastus* verò non lapides modo, sed terras etiam constare scribit ex pura & æquali materia, quæ confluxione s. percolatione facta sit, aliove modo excreta. Sed *Avicenna* materiam lapidum esse lutum lentum vel aquam. *Albertus M.* (*l. 1. de Rebus Mineral. & metall. c. 1. p. m. 11.*) affirmat, eam esse speciem quandam aut terræ, aut aquæ. Tot nobis, *concludit Agricola*, notæ sunt scriptorum sententiæ de materia lapidum.

§. 116.

De Efficiente ista (*c. l. p. 514.*) proposuit. *Aristoteli* calor ignis videtur esse, cum quo sentiunt Chymistæ quidam, ne ab artificio suo recedant; quod plurimum ignis vi efficit, frigore parum aut nihil. *Theophrastus* autem lapidum alios calore concrevisse censet, alios frigore. At *Avicenna Idem Philosophus & Idem Medicus* naturam efficiendi lapides habere putat calorem & vim quandam. Proximè verò *Albertus*, calorem ac frigus causas effectrices lapidum negavit esse, solamque illam vim aquæ insitam & innatam (virtutem loci vocat *l. c. c. 6. p. 43.*) aut etiam illi à stellis infusam (*l. c. c. 7. p. 45.*) asseruit materiam fingere atque formare. Hæc sunt de causis lapides efficientibus sententiæ. Chaldæos enim istos, qui omnia Astris tribuunt nunc omittam.

§. 117.

Suam verò de materia lapidum his explicat: Omnium lapidum materia primò est lutum: deinde succus, qui vehementi frigore congelascit: tum ramenta saxorum, posteà lapidescens succus. Qui etiam, cum effluxit in aërem, abit in lapidem: postremò omne id, quod habet foramina succi lapidescentis capacia. De causis efficientibus sequentia prostant (*p. 516.*): omissis primis & antecedentibus proximæ sunt calor & frigus: deinde quodammodo succus lapidescens. Nam lapides quos aqua humectando resolvit, eos calorem compegisse intelligimus; contra verò, qui calore ignis liquescunt, ut silices, eos frigore concrevisse. Concretio enim & ei adversæ affectiones, resolutio atque liquefactio oriuntur de causis inter se contrariis.

§. 118.

Ut aquam omnium rerum & universale semen reputarunt ex antiquissimis Philosophi, ut pluribus alibi (*Oolog. Gen. Diss. 2. n. 20. p. 69.*); ita sententiam hanc comprimis receperunt & interpolarunt præterito seculo non ultimæ caveæ Philosophi & Medici (*Vid. c. 1. §. 28. p. 74. sq.*). Igitur etiam ex Aqua Lapidum

dum natales derivare quidam ſunt auſi. Inter hos fuit olim *Paracelſus* (*l.2. de orig. morb. ex trib. prim. ſubſtant. c. 2. p. 41.*). Secuti hunc Chemici moderni, imprimis *J. P. Faber, J. B. Helmont, Rob. Boyle*, & qui hoc comprimis egit *Th. Schirlæus* (*Diſſert. Philoſ. de cauſ. probab. Lapid. in Macrocoſmo*). Et ideo fruſtra Thraſonem egit *Helmont.* (*tr. de Lithiaſ. c. 1. n. 3. p. 650.*) dum dictitat. Ad me usque neſcitum fuit cuncta corpora, quæ miſta creduntur, materialiter duntaxat ex ſola aqua eſſe, nullo excepto. Reſuſcitatam igitur ſaltem & abſumtam hanc doctrinam ab Helmontio tradidit *Th. Schirlæus* (*c. l. ſ. 3. n. 39. p. 34.*). Dum autem Aquam in medium producunt, non ſimplicem, Elementarem vulgò vocant, quæ tamen vix datur, ſed ſubtilem & mucilaginoſam intelligunt. Ita *Paracelſus* (*l. 1. de Nat. rer. p. 885.*): *Die Generation der gemeinen Steinen iſt aus der Subtiligkeit des Waſſers, aus einem mucilaginiſchen Mercurio, aus einem mucilaginiſchen Sulphure, und aus einem mucilaginiſchen Sale.* Aquam marinam vocat *J. P. Faber.* (*l. 2. Panchym. ſ. 7. c. 49. p. 581.*). Inde in medio mari emergunt ſaxa aut rupes. Aſſentior & ipſe *J. F. Becchero credenti* (*l. 2. Phyſ. ſubter. ſ. 3. c. 5. n. 8. p. 194. & ſupplim. 3. p. 75.*). Aquam nunquam terram fieri, niſi in quantum corpuſcula terrea ſecum vehant. Et omne quod fit ex ſuo ſemine fieri alibi (*Ool. general. diſſ. 2.*) pronunciavi: Hinc etiam *Helmont.* (*c. l.*) corpus mixtorum cogi cujusdam proprii atque ſpecifici ſeminis neceſſitate ad fines ſoli creatori cognitos à priori. Includitur nempè ſemen, ſive idea ſeminalis atque mineralis aquæ, quam nec egreditur unquam: ſed ſeipſum in iſtâ materiâ obſervat includitque, donec tandem ſub dierum maturitate inde fiat, quod natum eſt ex ea fieri. Icon ergò operativa in aquis ſenſibilem mox atque fermentaceum odorem ex monte ſiliceo ſuſcipit, (*n. 6. p. 651.*). Sabulum nempè quod vulgò *Keyberg vocant* (*tr. Terra n. 4. p. 44. tr. Aqua n. 5. p. 47.*). Sabulum bulliens maris interni (*d. Font. Spad. Parad. 1. n. 14. 16. p. 547.*). Semen per fermentum igitur acquiri (*tr. imago ferm. imprægn. maſſam ſemine. n. 33. p. 95.*), nihilque in aliud mutari absque fermento & ſemine (*n. 14. p. 92.*) profitetur. Fiunt ſemina (*commentatur c. l. n. 12.*) à conceptu generantis, facientis imaginem ſui per libidinem vel ab odore fermenti, quod materiam diſponit ad ideam rei poſſibilis.

§. 119.

Fluidum autem quid in principio extitiſſe corpora illa ſaxea, haud vanis conjecturis aſſequi & demonſtrari poterit. Stalactites ſtillando aquam poſt ſtillationem in extemporaneum concrementum ſaxeum abit. *Vid. ſupra* (*§. 16. ſq.*). Deprehendit in Rhodani fundo, quod aliàs æquabile & molliusculum obſervarat induruiſſe in globulos moleculasve, qualia ova ſunt, *Nic. Claud. Fabric.*

brić.

bric. Peiresc. ap. Petr. Gassend. (*l.* 1. *in Vit. Ej. p.* 27.). Probat id etiam Corallium, de quo infra (*§.* 188.). Maximè notabilè suggerit *Petr. Pelleprat.* (*content. American. Relat.*) *à Rob. Boyle* (*Hist. fluid. & firm. s.* 78. *p.* 157.) *citatus*. Propè magni fluminis Amazonum ostium reperitur genus quoddam argillæ viridis, quæ mollis est, quamdiu sub aqua delitescit, adeò ut quamvis ei effigiem possis imprimere, eique figuram dare, quam volueris, sed aëri exposita eo usque durescit, ut Adamantes non multum lapides inde ortos duritie excedant. Vidi, *addit*, secures ex hac gleba factas, quibus sylvestres Indi ad findendum ligna utebantur, eo tempore, quo nostratium usum adhuc ignorabant. Idem in Macrocosmi lapidicinis comparere nulli non compertum esse potest. Unicam satis memorabilem *Peirescii* hic inseram observationem. Meminerat, *scribit Petr. Gassend.* (*c. l. l.* 4. *p.* 252.), trium calculorum, quos Johannes Brunus Chirurgus sibi dederat recens ex vesica infantis eductos. Siquidem cum is, qui primum emerserat esset planè durus; qui secundò, mollis, qui tertiò, penè fluidus, omnes tamen paucis post diebus ejusdem fuere duritiei.

§. 120.

Et quidni heterogenea lapidibus impacta id seriò inculcant. Saxa sub terra non raro mollia inveniuntur, & partes lapideæ terræ inhærentes, ἔγγεα καὶ ζωόφυτα μέρη vocant Græci, longe molliores custodit calor, quam quæ sub dio sunt, scribit *Lud. Cœl. Rhodigin.* (*l.* 30. *lect. Antiqv. c.* 1. *col.* 1667.), qua ratione lapidarii artificis lapides adobruunt, quos excolere ingenio parant, veluti terræ caliditate quandam indipiscantur maturitatem, qvum hypæthri & subdiales frigoris vi obdurati artificio reluctentur. Ita in saxis varia invenias inclusa. Memini, *scribit illustris ille Anglus Rob. Boyle* (*Histor. fluid. & firm. s.* 1. *p. m.* 148.), Villicum quendam meum antehac mihi significasse, quod dum paulo prius unum ex muris meis, me absente, reparari curaret cœmentarius casu lapidem in ædificio adhibendum frangens, in eo (non sine admiratione) frustum ligni reperisset, quod pars rami alicujus arboris videbatur, proindeque deinceps solido isti operculo, in quo id invenit, inclusum fuerat. *Jovianus Pontanus, recitat Alex. ab Alexandr.* (*l.* 4. *Genial. dier. c.* 9. *f.* 265.), præsente me sermocinabatur se in promontorio Pausilipi juxta Neapolin vi tempestatis ingenti lapsu proruto montes vidisse in medio abscissi collis trabem ligneam, undique latere, montis duro lapide cinctam concrevisse & in unum corpus coaluisse. Ita paleas & muscas Crystalli oculis objiciunt inclusas, & lapis diffissus florem contentum petrificatumque exhibuit *Peirescio*, de quo *Petr. Gassend.* (*c. l.*). Legitur iterum *ap. Boyleum* (*c. l.*): Videbamus planum lapidem, in

quo ad vivum cælata erat pisciculi omnibus pinnis, squamis &c. instructi figura, qui affirmabatur fuisse in lapidis illius corpore inclusus, casuque detectus, quando forte lapis vehementiori ictu in latere percussus diffindebatur. De saxis magni ponderis in littore Anconitano egregia hæc annotavit *Joh. Goropius Becanus* (*l.3. orig. Antwerp. p.241.*): Rumpuntur hæc saxa majoribus malleis ferreis magna vi impactis, non quo intus, ut in Aquilæ lapide, alius calculus inveniatur, sed quo pisciculi delicatissimi extrahantur ejusdem generis cum solenibus, quas cappas longas Veneti appellant, sed eo delicatiores, quod non aquâ marina, sed rore quodam tenuissimo per lapidem imbibito, pascantur. Hi plures numero ad viginti, modo plures, modo pauciores, ita saxo includuntur, ut singulis suus sit nidus, ad magnitudinem & figuram piscis omnibus lineamentis respondens. Inter nidos saxeo interstitio relicto ex his veluti vaginulis rupto lapide eximuntur integri Solenes ad palatum & lumbos delicatiorum plurimum facturi. De Rana in lapide Aristophanicum suum κρεκεξ intonante, *Vid. Sachsius noster* (*l.1. Gammarol. c.8. §.5.p.148.*), Ubi plura collecta curiosa reperies. *Add. Hier. Hiernhaim.* (*de Typh. gen. hum. c.9.n.6.p.101.*). De vermibus in lapidibus & metallis *Ulyss. Aldrovandus* (*l.6. de insect. c.8.p.279.*) *Andr. Cæsalpin.* (*l.1. de Metall. c.1.p.5.*)

§. 121.

Ita lapides lapidibus includi non semel deprehesum. Notior est, quam ut multis id agam Ætites. Callimus huic qui includitur vocatur lapis. *Vid. Ansh.Bootius* (*l.c.c.200.p.188.*) *P. Borell.* (*cent.3. obs. 85.p.263.*) *Add. J. C. Scaliger.* (*Exerc. c.102. S.2.p.373.*). De lapidibus prægnantibus, quorum etiam è *Theophrasto* & *Mutiano* mentionem fecit *Plinius* (*l.36. c.18.*) egregia *Magnus ille Polyhistor. G.H. Velschius* (*M.C. D.1. A.3. obs.32. p.50.*). Dum condensatur lapis in exteriori tunica, in interiori potest liquidus, (forsan etiam mollis,) adhuc remanere, cum præsertim pars tenuis à frigore in Centrum cogatur: quæ temporis diuturnitate indurata, separatur ab exteriori adjacente consistentia, fitque lapis intra lapidem, ratiocinatur *Th. Campanella* (*Physiol. c.8. artic.3.p.75.*). Illustrant id in corticibus arefacta semina, amygdala, avellanæ &c. Dum corticibus quassatis sonant. In lapidibus, v.g. marmoris genere vidit *Alex. ab Alexandro* (*c.l.*) in Montibus Calabris longo à mari recessu, in quo multiplices conchas maris congestas & simul concretas cum ipso marmore in unum corpus coaluisse videres? De Adamante mirè splendido, non nativa vena aut rudi, sed absoluta artificis manu confecto & perpolito, mira cælatura & arte in medio marmore concreto à fabris invento *Idem* (*c.l.*), In Lapidibus mineralia inventa & Marchasitas pyri figura, juglandis magnitudine,

dine, haud aliter ut in mineris plumbi & Antimonii lapides albos *Inclytus ille Philosophus Rob. Boyle* (*Hist. fluid. & firm. s. 1. p. 149.*) fidem fecit. Inventa sunt præterea etiam fluida in lapidum durissimorum inanitatibus. In mari Erythræo dantur lapides, qui in cortice exteriori prius indurantur, in Centro autem molles adhuc apparent, ut ita in his petrificatio ut in aqua glacies contingat. *V. Monconnys itinerar. Ægypt. p. 258.*) Enhydros Lapis *à Plinio* absolutæ rotunditatis describitur in candore levis, sed ad motum fluctuat intus in eo veluti in ovis liquor. Guttulam aquæ in Crystallino lapide *Laurent. Pignor.* (*Epist. Symbol. 15.*) *Eman. König.* (*s. 3. Regn. miner. c. 6. p. 105.*) cum aliis notarunt. Monstrat *Claudius Menedryus* hic Romæ in suo Musæo Crystallum, cui aqua Hydrargyri ad instar à primordio coagulationis suæ inclusa per occultos meatus hinc inde diffluere non sine admiratione spectatur, *scribit Athan. Kircher.* (*l. 3. art. magnet. p. 5. c. 4. p. 315.*). Ostensum *Laudato Boyle* (*s. 1. de Orig. & virt. Gemmar. p. 47.*) fuit crystallum, in cujus medio conclusa erat gutta aquæ, quæ facilè motu suo observari poterat, crystallo imprimis situm mutante. Et nisi me memoria fallit, *subdit*, in quibusdam frustis Crystalli petrosi observavi aliqua, quæ videntur arguere interceptum fuisse aliquid in corpore Lapidis. In Gemma Indica Anglis Grisolez dicta cavitatem advertit Alius certum liquorem continentem, qui mutato situ hinc inde moveretur: gutta autem cum subsedisset æquare asserebat magnitudinem rotundæ margaritæ (*p. 48.*). In nobili Pinnacotheca septaliana oculis usurpavit Achetem *Nobiliss. O. Borrichius*, in cujus gremio adhuc volvebantur aliquot guttæ aquæ clarissimæ sursum deorsumque, quod cortex gemmæ ab omni parte clausus fuerit citius quam interiora ab intromisso aëre sibi apprimerentur. Similes ibidem visa crystallus, in cujus meditullio lympha purissima occurrebat, *V. Bartholin.* (*Act. Hafn. V. 5. obs. 183. p. 200.*). Quidam medio silicis, *profitetur Alex. ab Alexandr.* (*c. l.*), quæ nisi vi malleorum dirumpi haud facilè poterat oleum quasi in vase conclusum invenit immensi & aspectu jucundo, cui medica vis fuisse dicebatur: quo effuso manus sibi diu miro odore fragrarunt. Minera plumbi s. marchasita plumbea cum diffringeretur splendidus liquor emanavit, brevique temporis spatio coagulatus & soliditatem consecutus, *Th. Schirlæus* (*c. l. s. 5. n. 82. p. 60.*). Non raro continget, docet *Helmont.* (*tr. Magn. Oportet n. 39. p. 127.*), quod metallarius in fodinis saxa diffringens, dehiscat paries, & rimam det, unde tantillum aquæ subalbidæ, viridescentis manavit, quod mox concrevit instar saponis (Bur voco succum mineralem *tr. Element. 13. p. 43.* Enur Gas lapidum *Paracels. l. 3.*

Phil-

Phil. ad Atheniens. tit. 3. p. 18. Gur Alii die Berg Guhre) mutato deinceps pallore sub viridi flavescit, vel albescit, vel saturatius virideſcit.

§. 122.

Probant id demum ex ultima resolutione. Nostra mechanica (*infit Helmont. c. l. n. 11.*) mihi patefecit omne corpus (puta saxum) lapidem, gemmam, silicem, arenam, marcasitam, argillam, terram, lapides coctos, vitrum, calcem, sulphur, &c. transmutari in salem æquiponderantem suo corpori, unde factus est, & quod sal iste aliquoties cohobatus cum sale circulato Paracelsi suam omninò fixitatem amittat, tandem transmutetur in liquorem, qui etiam tandem in aquam insipidam transit, & quod aqua ista æquiponderet sali suo unde manavit. Succurrit huic calculo suo *Joh. Petr. Faber* (*l. 1. Panchym. c. 21. p. 48.*). Gemellum est *David. Beckii* (*Experim. circ. rer. nat. princ. p. 19.*) Experimentum, quod ita habet: Silex mediante menstruo quodam integris viribus separabili, ita solutus fuit, ut in aqua citra heterogenearum partium subsidentiam solvi potuerit, cujus rei oculatos possum adducere testes. Quod etiam sanctè affirmarunt *D. von der Becke & D. Röhrius Medici Hamburgenses*, quod cum aliis huic experimento instituto interfuissent *Joh. Andr. Stissero* (*specim. Actor. laborat. 2. c. 6.*). Et hæc quidem de materia lapidum sufficiant, pluribus hæc explicata & experimentis confirmata leges *ap. Rob. Boyle* (*c. l. de Orig. Gemm. s. 1. per totam, & hist. fluid. & firmit. c. l. & passim.*) *Th. Schirleum* (*c. l.*)

§. 123.

Producunt in hunc finem quidam è Chemicorum turba liquorem Alcahest, quem prodigiosum appellitat *Rob. Boyle* (*Hist. fluid. & firmit. s. 5. p. 132.*) & hunc Helmontium innuere (*tr. Pharmacopol. & Dispens. modern. n. 34. p. 371.*) *Francisc. Osw. Grembs* (*l. 3. Arb. integr. & ruinos. hom. c. 3. n. 23. p. 494.*) autumat, & in quod eundem digitum intendisse (*compl. atque mistion. Element. figm. n. 27. p. 83.*) puto. Secuti sunt Antesignanum milites gloriosi celebrioresque analytici, qui de eodem non parvos strepitus ediderunt, imo tantos, ut Tintinabulo *Boccalini* propemodum opus fuerit, cujus agitatione Parnasso pax publica compositaque redderetur, ut eleganter *elegantissimus Dn. D. Joh. Dan. Major.* (*in Genio Errant. c. 19. T. 2.*) jocatur. Immortalis liquor, & immutabilis aqua solvens audit *Helmontio* (*tr. Arcana Paracelsi p. 628.*), qui reducit omne corpus tangibile in liquorem sui concreti. Sciscitari igitur cum *G. W. Wedelio Nostro* (*l. 2. Pharmac. in Art. form. redact. s. 6. c. 9. p. 245.*) & *Joh. Kunckelio* (*obs. Chem. c. 7. p. 87.*) lubet, in

in quonam vase asservari possit universale hoc menstruum cum namque acidorum saltim spirituum vim sustinere vitrum non aptum sit, & ab Alcali facile in aquam reducatur *(Helm.tr.Terran. 16.p. 46.)*, qui non de hoc sollíciti vivamus? Si Arena & Terra originalis *(ibid. n. 15. p. 45.)*: Si cuncta Naturæ corpora (*tr. Progymnasma meteori n. 7.p. 55.*) hujus potestati subjacent, in quo demum vasculo condatur generosus ille liquor dicant Arcani possessores. In id igitur incumbe, *monet iterum Major (c.l. 11.c.)*, ut vasculum sat durabile invenias, quo Nectar illud *Minervæ* aut semidivinus ille liquor omnia solvens atque sic vitrum ipsum facilè penetrans citra jacturam sui ac vasculi cariem conservetur. Ipse de prodigiosi hujus liquoris virtute dubitare videtur *Rob. Boyl.(Hist. fluid. & firm.p.1.s. 12.p.22.)*, qui tamen *Helmontium* adeò fide dignum scriptorem etiam in nonnullis Experimentis improbabilibus se deprehendisse testatur, ut durum nonnihil existimet mendacium ipsi impingere, maximè in eo, quod ab experimento proprio tradit (*p. 1. Chymist. Scept. p.32.*). Placet ἐπίκρισις *Wedeliana* (*c.l.p.243.*), Plena de Alcahest Recentiorum sunt scripta, sed plena nomine, vacua re, laudibus plena, opere egena. Si elogia legere & virtutum encomia audire animus est, ubivis invenire ea facile est, si nosse intimius, fugit Dea, & nubes pro Junone obtruditur. Sufficiat dicere plurimos id non tam optare, quam affirmare, & Adeptos se profiteri, promos condos thesauri, & possessores sacri Eleusinii. Fœtum ideò vocat *Major (c.l. T. 4.b.)*, qui nescio an unquam adhuc verè in lucem editus. *Adde Ingeniosiss. Dn. D. Joh. Bohn.* (*Epist. de Alcal. & Acid. p. 37.*). Talem impostorem gloriosum se vidisse *Simon Pauli* (*Cl. 2. Quadripart. Botan. p. 16.*) annotat.

§. 124.

Apparet ex his Materiam lapidum esse aquam, sed quæ vi seminis Elementi simplicitatem exuit *juxta Helmont. (tr. compl. atque mist. Elem. figm. n. 1. p. 88.)* & Spiritui Gorgonico, s. lapidifico, s. Archeo invisibili (*de Lithias. c. 1. n. 6. p. 651.*) tanquam efficienti nupsit. Simile huic mihi videtur fermentum saxosum, semenque lapidificum, seminis isthæc idea & entelechia entis novi, seminalis nempe causa efficiens, etiam in non sensitivis suo fungitur munere, non secus ac si vita & sensu polleret, dictitat *Idem* (*c. l. n. 5. p. 650.*). Quæ Idea, *pergit*, auram sui Archei vestit, ejusque medio deinceps dispositio corporis & organa perficit, completque tandem, quæ in adumbratione seminalis suæ imaginis sunt designata ad fines soli Deo cognitos. Lapis lapidem non gignit, *opponit Joh. Bapt. du Hamel* (*l. 2. de Fossil. c. 6. p. 424.*) & vis illa seminaria om-

ninò comenticia est, & inutilis, cum solo calore vel frigore lapidum materies transmutari possit. Succum igitur lapidificum definit aquam saxeis ramentis prægnantem. Pro concessis sumit *Hamel*, quod ipsi probandum erat. Et quid succus lapideus? Nonne aqua semine lapidifico pollens? Aqua autem saxeis ramentis prægnans, jam proxima potentia saxum, aut lapis est. Nec lapidum semen sexuali conjugio, quam per ipsam fundi fracedinem, *judicante Helmontio (c. l. n. 15. p. 653.)*, propagatur. Et mineralia non minus quam reliqua alligantur suis causis constitutivis: adeoque procedunt ex necessitate & fluxu suorum seminum. Ideoque carere nequeunt triplici vitæ seminalis discrimine *(tr. Magn. Oportet n. 32. p. 126.)*. Est ergò prima seminis metallici (lapidifici) vita in Condo, seu promtuario loci, homini planè incognita. At ubi semen in lucem liquore vestitum prodit, & Gas incepit sulphur aquæ inquinare, vita est seminis media. Ultima verò cum jam indurescet *(ibid. n. 39. p. 127.)*

§. 125.

Insolens autem est illud *Hamelii* decretum: Solo calore vel frigore lapidum materiam transmutari posse. Quis è sanorum numero accidens producere substantiam asseruit? Hoccine est ad Proverbii sensum murem farina aspersum pro pistrini Domino agnoscere, & effectum causa sua nobiliorem proclamare? Advertit id etiam *Helmont. (de Lithias. c. 1. n. 2. p. 650.)*, quando de scholis: Eodem stupiditatis pede, quo cœperunt, pergunt dicere, saxa atq; lapides esse terram calore induratam ac velut arefactam. Quod per terram figuli probat, quæ calore solo lapidescit, ut volunt. De Murrha Gemma, è quâ vasa murrhina formantur, *Plinius (l. 37. c. 2.)*: Humorem putant sub terrâ calore densari. Caliditatem sive calorem segregare potius, quam congregare ex urina hominis cognosces, quando hujus contenta fundum petere à frigore, à calore autem disgregari advertes. Cumque coagulatio aquarum quietem Atomorum desideret, à calore illa minimè expectanda, dum particularum motum procurat, conservat & adauget. Exsiccationis quidem autor est calor, quod *P. J. Fabro (l. 2. Hydrogr. Spagyr. c. 14. p. 268.)* quidem concedo, concedo etiam, quod post desiccationem apparere faciat siccum illud naturale, quod salem dicimus, virtute cujus aqua in lapidea congelari possit. Id verò rarius fieri mechanica & ipsa natura satis evincit, in specubus aquas petrificas stillantibus. Explorata enim omnibus sensibus aqua Cryptarum fontanæ simillima deprehenditur, nil evidenter salinum linguæ offert, nil coloratum oculo, nil aspersum tactui, nil sulphureum nari, nil ultra solenne streperum auri-

auribus. Nec post dissipatum vi caloris humorem invenitur sedimentum aliud, quam quod aliæ dulces aquæ post se relinqvunt, expertus asserit *O. Borrichius* (*ap. Th. Bartholin. V. 5. A. H. obs. 82. n. 3. p. 187.*)

§. 126.

Multis ad salivam non est spiritus & succus lapidificus. Quis namq; semen animalium, aut plantarum succum & spiritum animalificum & plantificum unquam dixit, aut si diceret, risum Lectori non moveret? Risum igitur movit id nomen *Carolo Musitano* (*l. 3. Trutin. Med. c. 22. p. 716.*) non solum quia obscurum per æque obscurum exprimitur, sed & per incongruum. Quid est semen plantarum perfectum aliud quam planta? & animalium præterquam animal. Ita succus & spiritus lapidificus lapis. Nihil dicunt præter terminum, judicat *Joh. Jac. Waldschmid* (*in l. 2. Cas. med. Balth. Tim. à Güldenklee Cas. 37.*) *Add. Joh. Dolæum* (*l. 3. Encyclop. Med. c. 13. p. 590.*) & qui ex professo id egit *Gualter. Charleton* (*Diatr. Spiritus Gorgonius vi suâ saxipara exutus.*). Quod si quæras cujus prosapiæ sit ille spiritus succusque, salem in proscenium protrudunt Chemici, quem concretionis & coagulationis causam & materiam proclamant. Sal igitur fermentum lapidificum voluit *Georg. Hornius* (*Arca Mosis p. 211.*). Spiritus salinos habere facultatem condensandi, ita ut omnia reducat in substantiam solidam juxta seminia ibidem præexistentia, s. sit lignum, s. herba, s. lapis, cum Chemicis astruit *Steph. Rod. Castrens.* (*l. 4. de Met. Microc. c. 16. p. 218.*). Silices à Sale concrescere nemo dubitat, *inquit Illustris G. H. Velschius* (*Mictomimemat. 13. p. 7. App. M. C. D. 1. A. 5.*). Ex perittomate salino terrestri lapides generari *Joh. Schrœder* (*l. 3. Pharmac. Med. Chym. c. 4. p. 324.*). Sal nitrosum pro primâ saxorum materiâ agnovisse videtur *Helmont.* (*tr. Lithias. c. 1. n. 10. p. 657.*). Et nullam petrefactionem fieri sine certo quodam prædominio & activitate salis pronunciabat *Exc. Dn. D. Joh. Dan. Major* (*Diss. & Epist. de Serpent. & Cancr. Petref. §. 16. p. 13.*). Distinxit tamen *Dav. Beckius* (*c. l. Experim. Circ. Rer. Nat. Princ. p. 327. & 329.*). Acido nempe sali coagulationes deberi non Alcali. Quod si antiquitas dogmati pondus addere poterit, Hermetis Trismegisti Tabula Smaragdina fidem conciliabit sequenti decreto: Salis est, ut corporibus in mundum prodituris soliditatem coagulando præstet. Sal enim corpus est, Mercurius Spiritus, sulphur anima. Producunt in medium Sal Glauberi mirabile, quod non tantum Aquas quascunque pluviales vel destillatas brevi spatio in glaciem coagulare, sed & salientem fontem obdurare, vinum, acetum & cerevisiam, mel, aliosque liquores in durismam glacieique æmulam soli-

soliditatem compingere dicitur. *Vid. Ph. J. Sachsius* (*Ocean. Micro-Macroc. §. 52. p. 50.*). Descriptionem aliquam dedit *Eman. König* (*s. 4. Regn. Miner. p. 1. c. 3. p. 132.*). Sed cum dolosè huic multæ ab Authore ascribantur vires, teste *Val. Andr. Mollenbroccio* (*tr. de Arthritid. vag. Scorbut. c. 10. p. 144.*) neque Clarissimorum, neque nostræ (si genuinum parandi possidemus processum) experientiæ responderit effectus, nihil firmi de eo pronunciandum censeo. Plura de hâc Controversia disputata leges *ap. Dan. Sennert.* (*l. de Cons. & Diss. Arist. & Chym. c. 11. p. 172.*). Testas è sale nitroso gigni *Philipp. Bonann.* (*p. 1. de Testac. c. 6. p. 40.*) profitetur.

§. 127.

Contraria Murrhæ causa Crystallum fecit, *Plinius* (*c. l.*) testatur, gelu vehementiore concreto. Non alicubi certè reperitur, quam ubi maximè hybernæ nives rigent, glaciemque esse certum est, unde & Græci nomen dedere, *A-κρύος*, quod gelu, & *στέλλω*, contraho signat namque, deducunt. Inde Crystallus *Hesychio τὸ πεπηγὸς ὕδωρ ὑπὸ κρύους*, eumque propriè aquam frigore concretam exprimere. Inde crusta Latinorum. Hinc *κρύσταλλος ὕδατος Epiphanio* aqua glaciosa, ad differentiam *κρυστάλλου λίθου*. *Vid. Claud. Salmasius* (*in Solin. c. 15. p. 144.*). Veterem hanc traditionem firmant *Sebast. Basso* (*l. Meteor. intent. 4. Artic. 4. p. 614.*) *Seneca* (*l. 3. quæst. nat. c. 25.*) *Benedict. Cerut.* (*s. 3. Mus. Fr. Calceolor. p. 195. sq.*) & *Joh. Rudolph. Camerar.* (*cent. 8. syllog. memor. n. 38. p. 575.*). Succinit (*l. 1. Sylvar. 2. v. 126.*) *Papinius Statius*:

Raraque longævis nivibus crystalla gelari.

Confirmat id *Muraltus de Zurich.* (*ap. Henric. Oldenburg. Act. Philos. Angl. 1669. p. 250.*), dum memorat, in monte Helvetiæ *Gledscher* nivem in glaciem, glaciem in Crystallos transire. *Λίθῳ πεπυκασμένον ὕδωρ* egregiè egregio Epigrammate *à J. C. Scaligero* laudato (*Exerc. 119. s. 1. p. 435.*) *Planudes* circumscripsit. Perspicilla ex tali nive fabricata conspexit *Sebast. Wielandus* (*ap. Gregor. Horst. l. 2. Epist. med. s. 11. p. 507.*), & quidem Stuckardiæ (*ib. p. 511.*) In Islandiâ etiam glacies in lapidem formatur, quod è *Jacob. Zieglero* (*l. 2. de Island. c. 8.*) *Joh. Jonston.* (*cl. 2. Thaumatogr. Nat. c. 6. art. 3. p. 75.*) excerpsit. De Glacie inveteratâ Helveticâ hæc *Joh. Jac. Wagner.* (*Helvet. Curios. S. 1. artic. 5. p. 24.*) lectori suggerit: Glacies hæc inveterata (*der Gledscher*) naturam glaciei communis exuit, utpote quæ perennando duritiem crystallinam quodammodo induit, ita ut eis in locis à solis æstu nunquam consumatur, sed alia accedente nive in immensos cumulos excrescat, quod si contingat, ut nix à sole liquescat ab intenso frigore nocturno magis induratur, adeoque perennat.

Ita & cryſtallos illas, *Glettſcher* vocatas, tandem in aquam licet difficulter à calore reſolvi expertus *Joh. Stumphius* (*l.9. Chronic. Helvet. c. 12. f. 284. b.*). Favet huic ſententiæ ipſe *Th. Campanella* (*Phyſiol. c. 8. art. 4. p. 76.*)

§. 128.

Omnium optimè contrarium ſentientes philoſophari mihi videntur, inter quos *Solinus* (*Polyhiſt. c. 15.*), &, qui loco omnium eſſe poteſt, *Th. Browne* (*p. 2. Pſeudodox. Epid. l. 2. c. 1. p. 445.*). Invenitur in viſceribus terræ abditis, in petris abſconditis, etiam in lapidum meditulliis quorſum nec nives nec glaciata aqua pervenire queunt, *Evolv. Boyle* (*ſ. 1. de Gemm. p. 17.*). Non nego, in gelidisſimis locis Cryſtallos elaborari & inveniri, etiam *Joh. Schefferi* (*de Lappon. c. 3. p. 415.*) teſtimonio in Lapponia, ubi eum pyritis loco adhibent incolæ (*c. 17. p. 232.*), verum etiam in calidisſimis orbis partibus, Indiis, Africâ, Americâ, quin & ſub ipſo Torridæ zonæ tractu conſtitutis regionibus. Refert Hiſtoria Regni Chiles, *profitetur Athanaſ. Kircherus* (*M. S. l. 8. ſ. 1. c. 7. p. 19.*) eſſe in iis tractibus in profunda quadam valle, quam Andium juga diſterminant, in mediâ prægrandis fluminis Inſulâ ingentem rupem, totam cryſtallinam, in qua ab incolis paganis fanum integrum ſit mira arte exſculptum, ex omni parte diaphanum: pariter ex montibus Lunæ Africæ, Zonæ torridæ ſubditæ ingentem extrahi Cryſtalli copiam: quod & de Indiæ Orientalis Inſulis Zeilano, & Sumatra referunt Orientalis hiſtoriæ ſcriptores. Addidit Madagaſcar *Rob. Boyle* (*c. l. p. 89.*), & mechanicam in ſubſidium vocavit; demonſtrando quantitatem glaciei deprehendi leviorem æquali quantitati aquæ, *Confer Georg. Entium* (*Demonſtr. Circul. ſangv. c. 1. digreſſ. 2. p. 44.*). Falſiſſimum igitur Cryſtallos vehementiore fieri gelu ex nive vel glacie, *decernit Joh. Jac. Wagner.* (*c. l. ſ. 6. Artic. 2. p. 325.*). Lapidem tamen Cryſtallum aut Cryſtallo non abſimilem ex nivium liquefactarum, aut etiam glaciatarum aquis puriſſimis quin & ex nive ipſa & glacie vi ſpiritus coagulativi prognaſci aliquando, non irem inficias. Glacies nondum evecta ad lapidis duritiem, *philoſophatur Scaliger* (*c. l.*), adhuc aqua eſt: neque Cryſtalli quicquam, præter gradum concretionis, habet. Ubi verò eò usque provecta eſt, ut deſinat illud eſſe, cum lapidis forma commutat illam præparationem: neque negat ſe aliquando fuiſſe aquam, quæ poſteà lapidis & ſubierit formam & induerit. Puerilis igitur argumentatio eſt, Cryſtallus non liquatur ad calorem ſolis aut ignis, ut nix & glacies, ergò è nive aut glacie non conſtat. Ex illis conſtat, non ſolis, fuit nix aut glacies, ſed alia textura inſignitus concurrentibus aliis nix aut glacies amplius non eſt.

§. 129.

Gluten prætereà ad lapidum compactionem necessariò quidam introduxerunt, quo inclinare etiam videtur *Wolferd. Sengverd. (p. 3. Philos. nat. c. 13. n. 9, p. 250.)*, sed dum Aqua imperturbata ab aëre quiete fruitur facile mucilaginem concipiat adventitio non opus erit glutine, vellicat aurem *Helmont. (tr. Natura contrar. nescia. n. 38. p. 139.)* de vegetabilibus: In semine, *inquit*, vis est transmutativa aquæ existentis in terra horti; atque sic unica aqua illa transit in herbas mille, calidas, acres, amaras, acidas & frigidas. Idem in regno minerali contingere quis dubitabit? Præprimis minimè gluten aliquod fingendum, quo partes coalescant, monet *Ol. Borrich. (ap. Th. Bartholin. c. l. n. 4. p. 189.)*, cum omni glutine fortius sibi adhærescant partes æquales lævesque, quoties sibi duntaxat applicantur, juxta illud *Hippocratis (l. 2. de diæta)*. Concors concordi adhærescit, & Antiquorum illud: ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. Ita duo plana Adamantum, Chalybis, vitri, eboris, ebeni, si accuratissimè levigata sunt, prævia sola applicatione facierum cohærent tenacissimè. *Vid. Eundem Borrich. (de caus. divers. lingv. n. 19. p. 25.)*, ubi Experimenta *Ott. Gericii* Magdeburgensia in subsidium citat. Extant de hoc Experimenta *ap. Rob. Boyle (Hist. fluid. & firm. s. 6. p. 68.)*, sed hæc an nostro foro serviant commodè decernere religioni duco.

§. 130.

Nec sola aqua seminibus imprægnata scenam hanc ludit, sed & Tincturæ minerales in Gemmis & lapidibus pulchris, in turpibus autem, ut cum *Kirchero*, distingvam, & rudibus, limus cum aliis terris huic compinguntur, quæ ipsæ ut mucilaginosæ gluten illud tanquam inutile & superfluum exesse jubent. Ita videas conchas conchis accrescere, lapides varii generis lapidibus, saxis, sabulo, glareæ, arenis, mineris, aliquando compaginari, ita ut terrarum lapidum, arenarum &c. cumulus, non lapis dicendus veniat. Et in hac de compositione mirabili gluten requiri videtur, aut mucilago comprimis si in mari ea contigerit, aut in saxis sub dio jacentibus.

§. 131.

Quomodo ista de lapidum ortu διάσκεψις calculorum genesin illustret, primo intuitu non ita liquet, sed si accuratius in hanc inquiras & pensites exactius formam, non de nihilo erit iste labor. *Vid. Dan. Sennert. (l. 2. inst. Med. p. 2. c. 9. p. 253.)*. Non immerito autem in quosdam è Philosophis & Medicis, inter quos etiam *Petr. Mich. de Hæredia (T. 4. op. Med. l. 1. Vid. T. 2. p. 2. Eph. Erudit. 27. p. 313.)*. Paracelsistas comprimis & Chemicos Anatomiæ Es-

satæ

ſatæ ad nauſeam intentos invehitur *J. B. Helmont.* (*tr. inv. tartar. in morb. temer. n. 18. p. 192.*), qui ne de ſola generatione lapidum Macrocoſmus gloriaretur, Microcoſmo hanc lapidicinam contigiſſe fabulantur. Sit æterna, *inſit*, Domino meo laus & gloria in omni benedictione, qui nos non ad imaginem impuriſſimi mundi, ſed in typum divinæ ſuæ imaginis plasmavit in filios electionis & cohæredes, ſuæ idcircò gloriæ per gratiam adoptavit. Dolenda certè atque nimium miſeranda illius ſimilitudinis eſſet conditio, quæ nos ſubter legem omnium calamitatum hactenus ſubegiſſet, à creatione usque adeo & ante peccatum duntaxat, ut tam abjectæ rei ſculptrum eſſemus: quaſi mundus pro ſeipſo, non autem pro nobis, tanquam fine, conditus eſſet: nos autem pro mundo, cujus nimirum tantum icones eſſemus: Deberemus nimirum calculoſi fieri, ut ſaxa & rupes repræſentemus. Adeoque omnes omninò eſſemus calculoſi ex æquo, leproſi &c. Vel non omnes æqualiter Microcoſmi. Enimverò cum ſimus ex creatione, id quod ſumus, & calculus fieret, ut rupes repræſentemus: jam mors & morbus erant ante in nobis, quam eſſet prævaricatum. Faceſſant Hæreſes! Idem alibi (*tr. Tartar. non in potu n. 5. p. 203.*) docuit: Duelech poſt peccatum ex excremento morboſo, non autem intentione naturæ, neque ex materia petroſa aut Tartaroſa, ſed per accidens, errore videlicet facultatis morborum ſemen naſcitur, neceſſitate agentis connexi; Ex meritò igitur & congruè calculos inter partus Microcoſmi monſtroſos numeravit (*l. 1. Coſmocrit. c. 3. p. 39.*) *Corn. Gemma.*

§. 132.

Materiam calculorum noſtri corporis *jam ſupra* (§. 20. *ſq.*) innui, eamque ut plurimum in cibis & potulentis latere demonſtravi. Inclinant & in hanc ſententiam Veteres, dum materiam viſcoſam aut craſſam, aut ut ii, qui accuratius loqui volunt, feculentam, limoſam & lutoſam cenſuræ ſiſtunt publicæ, & quidem ſub fluidi ſ. humoris larva *Vid. Dan. Sennert.* (*l. c. p. 251.*) Viſcoſam, groſſam & terreſtrem humiditatem vocat *Albert. M.* (*l. 1. de Miner. Met. & Lapid. c. 1. p. 12.*). *Hippocrates* cum λιϑίασις ſit πάϑημα παιδικόν cauſam prodit lac impurum à pituitoſis alimentis (*l. 3. de Morb. p. m. 71.*). Lac calidum & pituitoſum (*l. de Aëre locis & aquis p. 69.*). Lac terreum (*l. 4. de Morb. p. 72.*). In adulcioribus voracitati puerorum cauſam aſcribit *Galenus* & quod calore polleant nativo (*P. 1. comm. in l. de Natur. hum. 3. t. 19.*). Terræ eſum produxit *Hipp.* (*l. 4. de Morb. p. 72.*), ſive eorum, quæ è terra oriuntur, ut expoſuit *Anut. Foëſius* (*in h. l. p. 278.*) damnat & aquarum variarum inter ſe diſſidentium uſum (*l. de Aëre locis & aquis p. 60.*) in quibus limus & arena

in

in vasis subsidet (*p. 69.*) non aliter, ut liquato recremento, eoque foras prodeunte ferrum subsidet, solidum densumque redditur (*l. 4. de Morb. p. 72.*) indeque claram mingunt calculosi. Pituitæ glutinum (*c. l.*) in Renibus in urinam induratur (*l. de Int. Affect. p. 100.*), ut & in vesica à vesicæ (*adde & Renum*) & totius caliditate, (*l. de Nat. Human. p. 9.*) *s. vesica ignea* (*l. de Aëre loc. & aqu. p. 69.*)

§. 133.

Hippocratem κατὰ πόδα sequitur Galenus, qui ex victu crasso (*l. 13. M. M. c. 16. l. 14. c. 26.*), ex crasso & lento humore in Renum ventribus exusto (*p. 2. in 6. Epid. comm. 3. tr. 5.*), ex succorum crassitie cum ardenti calore conjuncta (*l. 3. de Alim. facult. c. 17.*), purulento humore (*p. 2. in 6. Epid. comm. 3. t. 5.*) & sangvine, unde varius calculorum color, (*ibid.*) calculi natales deduxit. Inde crassitudo lotii, & si modicus saltem calor accedat, tophus, (*c. l. t. 15.*). Quamobrem & casei vetustioris, qui & viscididate & acrimonia calorem excitante excellit, esum prohibuit (*l. 3. de Alim. facult. c. 17. in 6. Epid. Hipp. s. 1. comm. 6.*) & exercitationem corporis viscidos attenuantem humores calculosis commendat. (*p. 2. in 6. Epid. comm. 3. tr. 5.*)

§. 134.

Præter externas & adventicias caloris, frigoris & siccitatis causas Alii succum (lapidescentem *Petr. Andr. Mathiol. præf. in l. 5. Dioscorid. p. 631.* Spiritum lapidificum etiam junxit *Lazar. River. l. 14. Med. Pract. c. 1. p. 412.*) Alii Lixivium, Alii sal, Alii Aquam congelativam, non solum ut materiam indurationis, sed etiam quodammodo effectricem & in ipsis indurantibus insitam fixamque delitescere existimant. *Vid. Maurit. Cordæus* (*in l. 1. Hippocr. de Muliebr. comm. 7.*). Et in naturâ quid inesse unde lapides generantur, & spontè sua ad coagulationem tendunt, suspicatur *Dan. Sennert.* (*l. c. p. 253.*), qui & ut ex interna Aquarum Thermalium & aliarum dispositione lapides generantur, eodem modo & calculos in corpore humano provenire astruit. (*l. 3. Med. Pract. p. 7. s. 1. c. 6. p. 598.*)

§. 135.

Chemicis materia calculi audit Tartarus, qui ut etiam è supra dictis elucet, in crescentium substantiis, juxta *Paracelf.* (*l. de Morb. Tartar. p. 428.*). Leffas itidem succum & coagulationem sua natura aptam, ut sal (*c. l. p. 299.*). Sal vocat *Henning. Scheunemann* (*Med. Reformat. c. 10.*), quod ex officio suo delapsum coagulationem patitur. Et omne feculentum & Scoriam, Tartarum, teste *J. P. Fabro* (*Chirurg. Spagyr. s. 1. c. 3. p. 956.*), vocant Chemici, ut igitur

Sal

Sal lapides Macrocosmi coagulare supra dictum: ita & Microcosmi calculos, multis placuit. Calculum igitur in homine à sale comesto etiam *G. W. Wedelius* (*Phys. Reform. c. 8. p. 198.*) & *Wolferd. Sengverd*, (*p. 1. Philos. nat. c. 20. p. 102. & P. 3. c. 13. p. 253.*) derivant, & comperimus in Animalibus & capris, quæ sale valdè delectantur murosque ob id lambunt, præsertim senescentibus, plerumque calculos generari, docet *Dan. Sennert.* (*l. 2. Inst. Med. p. 2. c. 9. p. 254.*). Spiritum præprimis salinum exosculantur Chemici eamque probabilissimam maximeque veritate naturali conspicuam hanc Hermeticorum sententiam *Heinr. Petræus* (*c. l. §. 19. p. 311.*) proclamavit.

§. 136.

Quando verò in alimentis præprimis calculi materiam quærunt Medici, id quod in his terreum, viscidum, & mucilaginosum latet, accusant. Lapides in animantibus concrescunt ex materia terrestri arenosa in alimentis, quibus vescuntur, hærente, *Nard. Anton. Recchus* (*l. 8. de Reb. Med. Nov. Hispan. c. 58. p. 302.*) statuit. Nec incongruè *Excell. Dn. D. J. D. Major* (*Hist. Calcul. Sperling. B.*) ratiocinatur: Sal & auram lapidificam hærere in ipsis, quæ nos rigant, venis, inter liquidos purpuræ sangvineæ fluctus, & ob inquinatas semel resoluto intra ventriculum petroso alimentorum sale, Chyli partes deferri per corpus sursum ac deorsum haud raro fomitem exitialis Tartari & saxeos catharros, quod exemplo Tophorum in aquis egregiè illustrat. Idem *alibi* (*tr. Genius errans c. 22. A. a. 4. a.*) calculos portiones fixiores alimentorum totidem, indigestim aliquandiu per corpus cum sangvine grassatas & relictas, dein in diversoriis variis à transfugo spiritu perquam verè pronunciavit. Calculum proinde constare materia terrea, ut consistentiam acquirat, & mucilaginosa, ut concrescere possit, communis sententia est. Solidatur fex ἀπὸ τῆς κολλῆς dictitat *Hipp.* (*l. 4. de Morb. p. 17.*). Mucilaginem calculosam vocat *Steph. Rod. Castrensis* (*l. 4. de Meteor. Microc. c. 16. p. 218.*). Terram sal, mucilaginem sulphur *Joh. Amos. Commenius* (*Phys. Reform. c. 4. §. 6. p. 44.*). Gluten excrementicium *J. B. Contul.* (*de glutin. in corp. human. prod. vid. Act. Erud. Lips. A. 98. p. 137.*). Analysi Chymica constare, duo esse, quæ calculum componunt, principia, sal acre, muriaticum sanguinis, & acido viscidam mucaginem primæ digestionis vitio factam *Georg. Baglivius* (*Diss. de Bilep. 243.*) edixit. Particulas arenosas & viscum nativum agglutinans *Joh. Chrysost. Magnen.* (*Democr. Rediviv. Diss. 2. c. 4. prop. 35. p. 293.*). Arenas seu terram ut crassitiem addat & quietum contactum, mucilaginem, ut implicationem arctiorem causetur.

§. 137.

Succurrit experimentum *Beccherianum* (*l. 1. Phys. Subt. S. 3. c. 2. n. 12. p. 144.*) quod ita habet: speciali experimento solius ignis & Aquæ communis ope durissimos quosque lapides in mucorem resolvo, qui destillatus subtilem spiritum exhibet, & oleum nullis laudibus sufficienter deprædicabile. Contigit quoque quod crystallum solveremus, solutionemque abstraheremus, invenimus in fundo totam crystalli solutionem, siccam pellucidissimam & consistentem instar gelatinæ tractabilem & malaxabilem ut Cera, ad ignem leviter ut borrax, sed non auram fusilem. Hæc de Macrocosmicis. De *Microcosmico Wolfg. Hœfer.* (*l. 3. Hercul. Med. c. 4. p. 170.*): Materiam tenacem, glutinosam pallidam copiosissimam per vesicam in Illustr. *Dn. D. Geier Domino* in Gleis ad Ybsam vidi. Hanc si in linteo suspenderis in lapidem ob copiam salis concrescet, quod ob mollitiem ejus materiæ non crederes.

§. 138.

Insunt autem terra, & ista mucilago rebus non semper visibiliter, sed etiam invisibiliter, quando minutiæ istæ mistæ sunt Aquæ. Commodum evenire posse, petrescentem liquorem ita commisceri & dilatari in Aquâ communi, ut ab ea distingvi neqneat à plerisque omnibus hominibus, neque semet prodere per effectus, donec vel per copiosam exhalationem aquæ communis, vel per peculiares quasdam prærogativas operandi in corporibus vires suas exerendi arripiat occasionem, autor est *Rob. Boyle* (*s. 2. de Orig. Gemmar. p. 171.*). Vidit Parisiis *Borellum* duos liquores limpidissimos confundere *Nicol. Steno* (*in Anal. Can. Carchar. p. 127.*), qui illicò concrescebant, ut everso vitro ne gutta quidem excideret Amstelodami *apud Bierium Medicum* vidit insignis ille *Polyhistor. G. D. Morhofius* lapillos pellucidos & elegantes, quos è liquore quodam, quem monstrabat, se parasse ajebat. Ponderosus erat ultra vulgaris aquæ indolem, claritate tamen & perspicuitate eam æquabat (*Epist. de Metall. transmut. p. 21.*). Duobus igitur modis solida in aqua delitescere, vel in forma pulverum, vel Elementorum *laudatus Steno* (*Specim. Myolog. p. 122.*) curiose explicavit.

§. 139.

Quæ igitur occulto invisibilique Elemento lapidum turgent Alimenta ex parte supra notata, quibus jungenda lacticinia bubula, de quibus *Galen.* (*l. 3. de Alim. Fac. c. 17.*), quod si etiam à nutrice calculosa nutriatur infans, quale exemplum communicat *Helmont.* (*tr. Tartarus non in potu n. 10. p. 230. & inf. nutrit. ad vit. long. p. 623.*), Male audit etiam caseus, Vid. *Joh. Tagaultius*

(ap-

(*ap. Laur. Scholz. Consil. 313.*). *Phil. Salmuth.* (*cent. 2. obs. 92. p. 106.*). Caseus difficulter concoquitur, *discurrit Joh. Grœnveld.* (*c. l. Act. 11. p. 16.*), ructus acidos & flatus copiosos generat, vix ostiola Chylo ex intestinis per lacteas venas trajiciendo data subintrat, obstructiones parit & sangvinem lentore imbuit, sale suo terreo calculum generat, non ratione visciditatis, ut concludit *Anshelm. Boët. à Boot* (*l. 2. de Lap. & Gemm. c. 302. p. 277.*), sed quia multum terrestris materiæ ex qua ossa & solidiores partes ali debent continet. Non de omni id præsumsit Galenus (*Vid.* §. 113.), sed de vetustiore & acri, alias *Zoroaster*, qui hoc solo 20. annos vixisse scribitur *Plinio* (*l. 11. c. 42.*) totus calculosus, quin & ipsum saxum evasisset. Quamvis & illum interdum solo lacte sex menses transegisse, ex *Aliis* recitat *Mercurialis* (*l. 2. var. lect. c. 26. p. 130.*). Audiamus de caseo *Euricium Cordum & Medicum & Poëtam inclytum* (*l. 11. Epigramm. f. 251. b.*)

Non Heraclitus, non Argus sit, neque Nestor,
Sic bonus & gratus caseus esse potest.

Interim *Paracelsus* (*in Fragm. med. p. 157.*), Tartarum lactis caseum appellat & cum delectatione vidit coagulatum caseolum versum in lapidem *Rob. Boyle* (*c. l. p. 138.*), ubi figura, magnitudo & color, vel ipsarum rugarum & cœrulei situs, (quem videbatur ante contraxisse, quam liquor (petrescens) cum invaderet) tàm pulchrè erant præservata, ut famelico sine dubio salivam movissent. Nec applausum merentur Conchylia, testacea, crustacea, cum succo saxoso constent, in locis saxosis habitent, saxeoque nutriantur alimento. Semina, s. ova conchulas saxeasque domunculas adjunctas habent, quæ cum corpusculis crescunt, non sine admiratione tuemur. Facilè igitur saxeam istam dispositionem Chylo imprimunt horum carnes, particularique petrefactioni favent.

§. 140.

Imprimis foro Medico hâc in causa sistit panem quotidianum *August. Hauptmann.* (*Diss. de Calc. Generat.*) non advertens, quod panis nomen ἀπὸ τῦ πᾶν derivet *Isidorus* (*l. 20. origin. c. 2.*), eò, quod tanquam ciborum firmamentum (*Fr. Baco de Verulam. Hist. vit. & mort. col. 542.*), quod cum omni ferè cibo opponantur, omne ferè animal illum appetat, illumque nemo fastidiat, nisi unus vel alter ex ægrotorum numero, aut ex sanorum grege vix tot sint, quot

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

In quem censum venit *apud Joh. Brayerium* (*l. 6. de Re Cibar. c. 1.*) puella 16. annorum, quæ neque panem neque alios cibos, præter serum lactis degustavit unquam. Ridiculum est, quod à DEO Pane sibi nomen conciliasse legatur

ap. Olaum Magnum (*l. 13. Hist. Septentr. p. 378.*). De pane verò non ut tali, ſed quatenus inter molendum à meta & catillo minutiæ abraduntur ſaxeæ, farinæ commiſcentur, & ita cum pane corpori inferuntur. Inde Noſtri in trivio: *Wir müſſen alle Mühlſteine verdauen.* Paucis mentem ſuam complexus eſt citatus *Hauptmann.* (*Gymnaſm. Inaugural. de Calc. Cur. th. 2.*), Calculum generandi anſam, ait, quæſivi in pane quotidiano, & eduliis reliquis potulentisq; petroſis, item ac potiſſimum in ſale abundante tanquam tam ſolutionis, quam coagulationis principio. Cauſam verò efficientem ipſi concoctionis fermento, acori nimirum, ventriculi & calori omnis generationis patrono aſſignavi. Sed in hoc ſecurum eſſe *Hauptmannum* jubeo, cum rarò à fermento ventriculi lapidum molarium in pane reliquiæ ſubigantur, ſed ſi majores cum Chyli recrementis per inferiora extrudantur, aut ſi pulveris inſtar, cum urina per veſicam. Fidem vix merebitur *Georg. Phil. Harsdorfferi* (*p. 3. Delic. Mathem. Philoſ. ſ. 10. probl. 12. p. 545.*) relatio de civibus obſeſſis in Sonſerra, quos panes ex aranea & ſaxis confeciſſe ferunt. Puerum calculos deglutiiſſe cibi loco, non credidit *Petr. Borellus* (*Cent. 1. Hiſt. 69. p. 65.*) nec ego, dum vivo, perſuadebor.

§. 141.

Regeris, ova ὀςρακόδερμα duram nanciſci teſtam à deglutitis ab Avibus arenis & lapidibus, quod voluit *Hauptmann.* (*Diſſ. de generat. Calcul. th. 29.*), cui ſe aggregat *Gothofr. Mœb.* (*Fund. Med. Phyſiol. c. 11. p. 164.*). Hæc verò ratio doctioribus minimè eſt ad ſalivam, nec experientiæ reſpondet. Per totum namque annum arenulas iſtas deglutiunt aves, illo etiam tempore, quo ova non pariunt. Devorant easdem & mares & fœminæ, cui fini verò mares, quibus nulla ova pariendi facultas? Idem contingit in pullis. Addit *Joh. Conrad. Peyer.* (*Ventric. Gallinac. Anat. p. 131.*), plures in Avium genere dantur, quæ tota vita ne lapillum quidem deguſtantes (id verò quomodo demonſtrabit?) ova nihilominus cortice ut Gallinarum tecta pariunt. Ægrotant ſi caveæ comprimis incluſæ illis non potiantur, & forſan etiam moriuntur. Quod ſi & excrementorum inſpectioni vacare tibi libeat, cortices ſeminum concoctorum attritionem expertos non inficiaberis.

§. 142.

Attritioni igitur ciborum crudorum ingeſtorum, cum dentibus deſtituantur, inſervire iſtos lapillos & arenulas devoratas, ut harum ope robuſtiſſimorum & craſſiſſimorum muſculorum ventriculi par, ceu duobus lapidibus molaribus binis invicem cardinibus colligatis cibaria molere & pinſere poſſint, vicem

cemque dentium molarium calculi suppleant. Vid. *Gvilh. Harveus* (*de Generat. Animal. c. Exerc. 7. p. 35.*) *Thom. Cornel. Consentin.* (*progymn. Phys. 6. p. 225.*) & *Franc. Redi* (*Experim. nat. p. 122.*). Confirmat id experimentum *Harvei* (*c. l. p. 26.*), si Falconibus, Aquilis aliisque avibus ex præda viventibus aurem propè admoveris, ventriculus dum jejunus est, manifestos intus strepitus lapillorum illuc ingestorum, invicemque collisorum percipies. Hoc modo, *pergit Idem*, ferrum, argentum, & lapillos attritos & propemodum absumtos in ventriculo Struthionis invenit, atque etiam in Cassoware, ideoque vulgò creditur eos ferrum concoquere, & eodem nutriri. *Joh. Alphons. Borell.* (*p. 2. de mot. Animal. prop. 189. & 191.*) memorat, se vesiculas vitreas solidissimas in ventriculos gallorum Indicorum impactas, die sequenti in pulverem redactas inter feces ipsorum reperisse manifesto indicio, non nisi vehementi attritu minimè verò resolutione per menstruum facta eas fuisse attritas fractasque. Plura collecta Experimenta *Melch. Fried. Geuder.* (*Diatr. de Ferment. s. 2. c. 1. p. 73.*) posteritati consecravit. Ingens lumen accendit *Thom. Corn. Consentin.* (*c. l.*). Gallo calicutano complura ærea atque argentea numismata in canalis formam convoluta ingessimus, quæ post decem dies in ejusdem ventriculo inventa sunt singula duodena ferè, ponderis parte deminuta. Erat autem exterior seu convexa illorum superficies insigniter attrita; at interior tamen seu concava omninò integra permanserat. Unde palam est, istiusmodi corpora in alitum ventriculis non liquescere aut dissolvi: sed collisu potius exteri atque comminui, *conclusit*. Lapillos cancrorum s. Astacorum è sale centrali balsamico originem ducere *Sachsius noster* (*l. 1. Gammarol. c. 14. §. 20. p. 314.*) augurabatur, in quem verò usum, nescio an à quoquam explicatum fuerit, an dentium, quibus ventriculi ostium armatum, dum novus conditur ventriculus novi dentes succrescunt, munere fungantur, ut in avibus lapilli, curiosi expendant. Ad novæ crustæ interim solidiorem consistentiam constituendam facere olim *laudatus Mœbius cum Wepfero ap. Sachsium* (*c. l. §. 21. p. 317. & c. 20. §. 14. p. 468.*) voluit, à quorum sententia, utpote verisimili non abhorruit *Georg. Hier. Velschius* (*Hecatost. 1. obs. 2. p. 5.*)

§. 143.

Id autem, è quo Cortex ovi paratur, *Joh. Petr. Fabro* (*l. 3. Panchym. s. 2. c. 7. p. 316.*) est crassior pars seminis, aut, ut rectius, *Harvei* (*c. l. Exerc. 11. p. 39.*), & qui eum sequitur, *Honorati Fabri* (*l. 1. de generat. animal. propos. 12. §. 7. p. 150.*) opinione, excrementum liquidum ex Avium Renibus cum Urina per Ureteres in communem cavitatem, s. cloacam delapsum. Illud autem ex parte etiam lapil-

pillorum attritorum minutiis deberi non penitus negarem, comprimis si copiose ingerantur, etiam copiosiori proventu excrementum illud gypseum ex accidenti augebitur, quod forsan Insulæ illius Scotiæ, Basse nuncupatæ, incolæ Aves declarant, & inter easdem Avis unicum tantum ovum pariens, idemque super cujusdam lapidis acuti, & cemento ejusmodi obducto fastigium tam firmiter collocans, eidemque agglutinans ut mater abire & redire salvo ovo possit, quod iterum *Harveus* (*c. l. p. 39.*) observavit. Non levia, sed aspera ovario elapsa ova tactui judicantur pariter ac visui, quod minutiis hisce lapillosis etiam imputandum arbitror.

§. 144.

Quod ad fluidorum assumtionem aquæ incrustantes non innoxiè bibi nisi calidæ ipsæ sint, calidæque bibantur, de quibus supra (§. 27.). Illæ verò quæ frigidæ scaturiunt, & in communem usum trahuntur noxa non carent. Tartareas easdem vocavit *Leonh. Thurneusser* (*l. 10. Pison. c. 29. p. 417.*). Unde etiam insignis pila capitis humani magnitudine in Equi ventriculo coagulabatur. Allegat etiam *Jacob. Maccius* (*p. 1. de caus. concret. & diff. in corp. hum. p. 136.*). Ex his cumprimis Alpinis potis gutturis tumores subnasci *Joh. Langius* (*l. 3. Epist. 4. p. 984.*), & *G. H. Velschius* (*Diss. 1. de Ægagrop. p. 17. & Diss. 2. p. 21.*). De aqua Jenensi *J. Theod. Schenck.* (*l. 1. Anat. Ex. 7. s. 2. c. 32. p. 547.*). De fonte insalubri in Monasterio rubeo Zoniæ prope Bruxellam *Helmont.* (*de Lithias. c. 1. n. 18. p. 653.*). Ex his coctæ cerevisiæ itidem insalubres non sine ratione censendæ. Cerevisia enim nihil aliud quam aqua frumenti & lupuli florum viribus imprægnata, malæ aquæ malas qualitates plurimas retinebit, nec omnes coctura aut fermentatio emendabit, *scribit Joh. Heinr. Meibom.* (*l. sing. de Cerevis. c. 27. n. 3.*). Potus Focha, ut habet *Andreas Bellunensis ap. Avicennam* (*Canon. Med. l. 2. Tr. 2. c. 272. f. 129. b.*), aut *Fockhan*, ut scribit *Vopisc. Fortunat. Plempius* (*c. l. c. 17. p. 280.*), quod est Zythum ex hordeo, interque cerevisias recensuit *Meibomius* (*c. l. c. 13. n. 1. sq. & c. 25. n. 14.*), renibus & vesicæ nocere dictitat, quinimò *alibi* (*l. de remov. nocum. in regim. Sanit. tr. 5. c. 18.*), lapidem Renum & vesicæ generare monet. Cerevisiam albam natura sua potum nocivum esse, dum post se multum fecis relinquit *Franc. Oswald. Grembs.* (*l. 3. Arb. integr. & ruinos. hom. c. 1. n. 28. p. 464.*). Cerevisiam lupulatam accusat *Joh. Grœnveld.* (*c. l. Art. 11. p. 117.*), quod ipsa alnus in labris amplis æneis cerevisiariis una cum lupulo cocta, atque ubi exemta fuerit per triennium glarea in cellis obruta in lapidem durum non injucundo spectaculo convertitur, è quo po-

tis-

tissimum Cotes fiunt, quibus ad acuenda instrumenta Anatomica utimur, quod *Conr. Gesnerum* animadvertisse *notat Idem.*

§. 145.

Vina in foro medico sæpius accusantur & malè audiunt. Imprimis ex his tartarea, & calce, ut loqvuntur, imprægnata. *Kalkigte Land-Weine.* Ab hoc autem acorem contrahunt, qui alcali urinæ in calculos coagulare perhibetur. *Vid. Dan. Beck.* (*Experim. circa ror. nat. princip. p.329.*). Experimenta Chymica id comprobant, scribit *Isaac. Cattier. obs. med. 1. p. 13.*), quibus videre est Spiritum Urinæ aut salis, aliis Spiritibus & oleis affusum ea in butyri vel ungventi formam coagulare, *Vid. & Matth. Unzer.* (*l. 1. de Nephritid. c. 23. p.129.*). Nigra comprimis vina crimen habere dicuntur *Galeno* (*6. Epidem. s. 4. comm. 10.*). Id verò minimè mirandum cum à copia & colore Tartari vina colorem habeant, qui feculentus & crassus nigra, si tenerior & subtilior rubra oculis & gutturi exhibet. Multum tamen hic valet naturalis dispositio & consvetudo. Ita *Joh. Bapt. Tavernier notat* (*l.5. itinerar. Persic. c. 15. p.266.*). Calculo non infestari vino utentes Persas; Armenos verò in Persia illud absorbentes ab eodem affligi. Jenense vinum benè defecatum & antiqvum super tabulam effusum calcem albissimam recedente humiditate post se relinquit, *Joh. Theod. Schenck.* (*l. 1. Exerc. Anat. 7. s. 2. c. 32. p. 542.*), cujus patrocinium suscepit *Gverner Rolfinck.* (*l. 2. ord. & Method. Med. Spec. comment. s. 3. c. 80.*). Vinum non nocere calculosis propter Tartarum, sed quia in uno vino plus Terræ volatilis continetur *Franc. Oswald. Grembsii* (*l. 2. Arb. integr. & ruinos. hom. c. 1. §. 7. n. 23. p. 126.*) assertum est.

§. 146.

Ut ad lapidum concrementum calorem & frigus introduxerunt Veteres, (*§. 115.*) ita & ad calculosum in corpore humano. In Renibus crassum glutinosumque succum materiam Calculi ebuccinavit *Galen.* (*l. 14. M. M. c. 4. add. 6. Epid. p. 3. t. 15.*). Calorem igitur efficientem proclamat non tamen semper exurentem, sed mediocriter excedentem. Ex calido intenso & efficaci necessario fieri calculorum generationem affirmat *Ludov. Mercat.* (*l. 4. de Intern. morb. curat. c. 10. p. 393. & c. 11. p. 399.*). In homine, qui ὀρθοστάδην ambulat serum sangvinis quasi ex alto in Renes defluens, ibi subsistit diutius, naturali calore densatur, & plerumque etiam adscititio, philosophatur *Cl. Salmasius* (*Ep. Respons. 1. ad Joh. Benerovic. p. 77.*), Vidi plerosque, *subdit*, qui calculum in renibus eo solo contraxerant, quod mensæ adsiderent obverso ad ignem tergo. Unde eos excalfactis vehementius Renibus, lapidi in his

con-

concrescendo causam dedisse constabat. Præterea & ipse decubitus in plumea culcitra, ac venibus calorem nativo majorem concilians, plurimis etiam causa calculi fuit, in illis partibus gignundo. Hanc caloris ἐνέργειαν ut probent quidam, declarare satagunt exemplo lixivii, è quo absumta per calorem aqua sal coquitur & Aquæ marinæ, quæ etiam calore solis & ignis in salem coagulatur. Verum exemplum hoc rectè declarandum est, probe monet *Dan. Sennert.* (*l.3. Med. Pract. p.7. s.1. c.6. p.800.*), Neque enim quod in salis artificiosa præparatione fit, hoc omne etiam in Renibus accidit, nec calore aquea pars planè absumi potest, crassâ relictâ, cum continuo è corpore serosa materia ad Renes derivetur, multo minus per assationem calculum in Renibus gigni credendum est, sicut ex Terra lapides coquuntur. Neque enim tantus in corpore nostro calor est, neque ita humidum omne, ut in laterum coctione, in Renibus absumi potest. Neque etiam aquæ absumtio principalis coagulationis causa est in salibus, (licet ad faciliorem coagulationem faciat) cum in ipsa aqua salem concrescere videamus.

§. 147.

Si à calore calculus, unde in renibus frigidis *juxta Hipp.* (*3. Aph. 31.*) quærit *Græneveld.* (*Diss. Litholog. Art. 6. p.7.*). Minimè hic licebit refugium quærere, quod intensus in calculosis percipiatur calor, cum ille calculum non præcedat, sed occasionaliter ab eo oriatur, prout videmus in digito calorem à spina infixa non autem spinam ibidem à calore fieri, ut *Idem* (*c.l. p.8. ubi plura*). *Adde Honorat. Maria Lautier* (*De Fæt. Mussipont. p.34.*) *Matth. Unzer.* (*c.l. c.5. p.28.*). Quod ad frigiditatem, nugas vocat *Hieron. Mercurialis* (*l. de Decorat. c.6. p.25.*), absurdissimum, *allegatus Lautier* (*c.l.*), frigidamque sententiam, *Henric. Petræus.* (*c.l. §.14. p.308.*), utut communissimam, frigus *monstret Matth. Unzer.* (*c.l. c.5. p. 26.*), quod in vivo corpore sit nunquam gelu, quod possit condensare. In vesica, *decernit Ludov. Mercatus* (*c.l. p.298.*) credibile non est, posse lapides à frigore externo concrescere, neque ab interno, nam partes viventis hominis tanto pollent calore, quantumvis natura frigidæ sint, ut non capiat intellectus id lege ulla fieri. Nam prius vesica corrugaretur frigiditate, & lapides laminosi non fierent, sed veluti in rebus externis integri, & unius compagis. Non igitur tantum unquam in (*Renibus &*) vesica dari potest, quod externo frigori congelanti respondeat, objicit etiam *Sennert.* (*c.l. p.8. s.1. c.2. p. 843.*). Paucis, tàm in frigidis, quam calidis aquis tophos subsidere & lapides enasci animadvertimus, frigusque

ad

ad partium quietem adeoque ad contensationem facere experientia docet. Sed id in Macrocosmicis magis valebit, quam microcosmicis.

§. 148.

Castigat & scholas, per ignem Philosophus, quod, ut dictum, calorem calculi Efficientem constituant, & lapidem calorem externum lecti &c. quam ipsius malè affecti visceris. In quo sub limine suum deserunt patronum (*Aristotelem*), qui efficientem negat internum in Physicis (*tr. de Lithias. c. 2. n. 2. p. 664.*), Sed in quo medico, ut injuriam scholis & Aristoteli manifestè illatam tribus tantum tangam, legerit, indicet quæso calorem lecti efficientis rationem primariò in calculi generatione obtinere. *Ipse alibi* (*c. l. c. 5. n. 31. p. 687.*) ad renum calorem saltem facere, si plumis tegatur & dorso incumbat æger scholas asserere dictitat, & lumbos calere, quia nascuntur calculi docet. Et quamvis *Helmontio* demus, quod efficiens seminalis causa (*tr. Caus. & init. natur. n. 11. p. 28.*), quodque semper generationis principium effectivum sit internum agens, internus patrator & generans (*c. l. n. 34. & 31.*) adeoque tota efficiens causa sit interna essentialis in naturâ, (*c. l. n. 10. p. 28.*): Non diffiteri tamen potest Causis Helmontianis materiæ & efficienti plerumque externam quandam excitantem associari. Valet illud Helmontianum in semine jam confecta perfectoque, & in eo quod ex eodem prodire debet, si verò seminis quatenus, ut loquuntur, in fieri est, rationem habeas, cur non efficientem externum admittat? Aliud igitur erit generatio seminis ipsius; & aliud generatio rei ex semine. In hoc semen efficientis & materiæ officium explet, ut olim (*Diss. de Gemell. & Part. numeros. c. 2. §. 6.*) demonstravi. Notat ea propter *Dan. Sennert.* (*l. 1. Epit. nat. scient. c. 4. p. 68.*) tres causas, formam, finem & efficientem in rebus physicis sæpè connecti, & in unam causam coire. Sed hæc alibi fusius discutiuntur.

§. 149.

Nec commodè objicere videbitur *Helmont* scholis, calorem internum visceris, ut efficientem causam ad generandum calculum concurrere, neque ad Philosophicam Ideam concludere, E. Efficiens est causa non externa, sed interna. Non consideravit causas internas hoc respectu saltem dici à scholis, quod corporis naturalis essentiam ingrediantur, idque constituant: Externas, quod illam non ingrediantur, sed extrinsece ad ejus productionem se applicent. Non enim corpus naturale ex efficiente, sed ab Eo, non ex fine, sed propter eum, rectè philosophatur *Joh. Sperling.* (*l. 1. Instit. Phys. c. 1. p. 35.*). Pueriliter igitur concludit: Calor in viscere latens est efficiens calculi. Ergò

gò efficiens est causa interna. Concludere sanè debuisset: Ergò calor visceris tanquam causa efficiens ingreditur essentiam calculi, & ob id est causa interna. Quid hoc est? Calor latet in viscere, E. est causa interna. Ita & argumentarer, sed satis ineptè, calor solaris latet in aëre, ergo est Causa interna. Interna esse potest absolute consideratus, quatenus est calor visceris, s. latet in viscere, ut in suo πȣ̃. Externa causa respectivè, si concursum tanquam Efficientis ad productionem calculi attendas. Omnium optime ratiocinabimur, si calorem Archeum vocemus, effectumque pro causa hic alligari concludamus. Ad rationis trutinam *Magnus G. W. Wedelius* (*s. 2. Path. Dogmat. Med. c. 4. p. 222.*), Duo sine dubio in calculorum γενέσει concurrunt, Mechanica communis calculorum reliquorum, eaque modificata vitali subjecto seu corpore, ejusque præside Archeo, quæ duo non sunt facilè divellenda; Id enim si sint, confusio præsto est. Non enim generantur calculi in corpore mortuo, sed vivo.

§. 150.

In hoc cum Helmontio congressu mentem ejus de generatione calculi, seu, ut vocat, Duelech, cum multa curiosa complectatur adumbrare satagam. Nomen ipsum patrem agnoscit *Paracelsum* ejusque mentionem fecit (*Fragm. Med. T. 1. Op. p. 155. & 167.*), ubi *Duffistein* interpretatur. *Add.* (*Chir. magn. l. de Lue Venere c. 7. p. 263.*) *Georg. Hieron. Velschio interprete* (*Diss. 2. de Ægagrop. p. 20.*), cum ipso sono Bohemici aut Polonici tinnit. *Vid. supra* (§. 31.) Forsan id nominis parturiit, quod inter duo lapidum genera medium quid sit. Innuere id videtur *Paracelsus ipse* (*l. de Morb. Tartar. c. 11. p. 300.*) dum scripsit: *So wissen, daß etliche Thier sind, die von eigner Natur zu Steinen gebohren sind, als Roch, der ist voller Steinen, sie sind aber nicht Tartara, sondern Duelech, das ist, ein Mittels zwischen Tartaro und den Steinen, ein besonders genus für sich selbst. Duelech ist Tartari Species, juxta Martin. Ruland.* (*Lex. Phil. & Med. pag. 191.*) in corpore humano, lapis spongiosus, periculum & dolorem maximum creans. Si cum succo lapidifico idem constituatur, utroque pollice probare poterimus, decernit (*c. l.*) *Velschius*, quamvis naturam illius à propria forma dependentem non minus, quam illius ignorare cogamur. *Duelech* forsan amplexus est *Helmont*, quod ex concursu duorum, spiritu nempè urinæ & terræ volatilis coaguletur, ut mox dicetur.

§. 151.

Mucilaginem, quam cum Urinâ mingunt calculosi, pro materia calculi non agnoscit *Helmont.* (*Lithias. c. 2. n. 3. p. 664.*), cum nunquam petrescat, nisi ex semi-

ſemine Duelech. Rationem ponit, quod calculo exſecto illa mucaginis ſaburra ceſſat. Jam ſi fuiſſet materia calculi, fieret ſane (*n. 4.*) vel ab ipſa veſica; vel à calculo, vel aliunde ad veſicam mitteretur. Si itaque miſſa fuit, aliunde utique exſecto Duelech adhuc patrari, mitti atque indies excerni deberet; cum ſectio & ablatio calculi ſaltem ſpectent veſicam: nullatenus autem partem diſſitam, parientem & mittentem continuas alioqui mucagines. Sin verò à calculo, vel à veſica demum ejusmodi muccago proceſſit, non erit ullatenus cauſa, ſed potius effectus calculi præſupponens præſentem calculum. Oblæditur nempè veſica in ſui digeſtione à tàm crudeli & moleſto hoſpite calculo: quapropter impatiens partem ſui alimenti indigeſtam continuò plorat, quia perficere atque promovere eam nequit: novamque ideò accerſit ſucceſſivè. Non eſt ergò iſta mucago materia calculi ex qua; ſed hujus lugubris effectus. Pituitam non eſſe (*c.l.*) *& alibi* (*tr. Alim. Tart. inſont. n. 28. p. 201.*). Mucilaginem hanc in partes Helmontii ſecedens *Laz. Riverius* (*l. 14. Prax. Med. c. 1. p. 412.*) materiæ, è quà fluxus mulierum albus comparet, & mucilaginoſam iſtam excretionem, è qua calculus componi dicitur, partim è veſica, partim è Renibus deducit. Nullam mucilaginem niſi ſemine petroſo gravidam lapideſcere, (*tr. invent. Tartar. in morb. temerar. n. 9. p. 191.*), & mucilaginem aſſociatam pulveri tophos facere (*de Lithiaſ. c. 3. n. 7. p. 669.*) monſtrat.

§. 152.

Duelech non eſſe ſortis calcineæ contra *Paracelſum* (*c.l. n. 14. p. 670.*) diſputat, (α) quia nobis deeſt gradus caloris calcinans, (β) quia omne Alcali potius petræ deſtructivum, quam coagulativum eſt, (γ) quia calx præſupponit ſaxum, ideoque Duelech eſſet calcinatum, antequam ſaxum foret, (δ) Ex partibus componentibus Duelech mox conſtabit, non eſſe poſſibilem calcem in eo, imò nec ipſum Duelech calcinari aut edere lixivium. Neque eſt Duelech (*pergit*) de naturâ cretæ podagricæ: quia creſcit in medio liquoris urinæ. Creta autem iſta coagulatur ex Synovia. Synovia ſemel acore infecta partes aqueæ difflantur reſiduum autem ſenſim areſcit, in ultimam tophi ſiccitatem ac duritiem. At Duelech in ultimam ſui duritiem unico venit inſtanti. Diſtat ergò Creta podagrica à Duelech tota Materia & Efficiente; Plura alibi (*tr. Tartar. non in potu n. 18. p. 205.*). Duelech demum aliis conſtare principiis, quam ſaxa mineralia pronunciat (*de Lithiaſ. c. 1. n. 17. p. 653. & c. 7. n. 28. p. 702.*)

§. 153.

Coagulationem autem *Duelech* ſingularem & anomalam planè vocat

(*c. l. c. 3. n. 9. p. 669.*), eò quod ſal urinarium humanum ſibi parem in toto univerſo non habeat (*n. 32. p. 674.*), idque deſtillatione urinæ Equinæ, quippe quæ coagulo caret (*n. 9. p. 669. & n. 42. p. 676.*) primum advertit. Contingit, juxta *Helmont.* (*c. l. c. 4. n. 1. p. 677.*), Spiritus Urinæ apprehendens terram volatilem procreatam ſemine ac fermento fracido & putreſcente (Renum vel alterius partis *Secund. Fried. Hoffmann. l. 1. Clav. Schrœd. ſ. 1. §. 23. p. 672.*), ſuſcitat occultum adhuc in potentia Vini ſpiritum (*de quo Th. Willis de Urin. c. 1. p. 324.*), urinæ incolam, quibus tanquam duobus ſexubus concurrentibus terreus quidam præfatus Spiritus imbibit prædictum (Spiritum Urinæ) unicum coagulatorem, cujus reciprocationis ergò oritur in agendo amborum connexio penitiſſima: quia congrediuntur Spiritu tenus per illorum minima, (oborta lucta permaneant ſe intimè, perque Atomos in ſe invicem agunt). Adeoq; coagulator coagulat (vi proprii ſalis *n. 7. p. 678.*), unico inſtanti Spiritum vini, potentialiter excitum in putreſcente fermento (ſtercoreo, quod in renibus *n. 30. p. 681. & c. 5. n. 12. p. 685.*), cui cum fracidâ maſſâ ſuam tribuit materiam, ſimul condenſantur in verum Duelech, monſtrum ſanè novum hoc aliquid, coagulum in media aqua: nec iterum ideo in aquam reſolubile. Pluribus in ſequentibus hanc theſin mechanico Spadanorum fontium exemplo illuſtrare contendit.

§. 154.

Quod ad uterum monſtroſæ hujus prolis (ut loqui amat *c. l. c. 6. n. 1. p. 688.*), ſeu loca in quibus fieri incipit, cum Urina in Hepate & Meſenterio jam ſit, *ſecundum Helmontii dictamen*, materialiter (latex nimirum, antequam ipſi fermentum ſtercoreum à Renibus imprimatur, *tr. latex humor negl. n. 9. p. 303. tr. Ignotus Hydrops n. 27. p. 414. & de Lithiaſ. c. 6. n. 21. p. 691.*), adeoq; urina ſit prius, quam ad Renem vel ad emulgentes venas deveniat, neceſſe eſt (*concludit*), & calculum quodammodo ante Renum hoſpitia præparari. Prætereà cum generatio Duelech cœterorum naturalium leges ſequatur, eandem inſtantaneam pronunciat, atque per conſequens illius diſpoſitionem præparativam ſive præparationem diſpoſitivam ſenſim introduci, (*n. 5.*). Accedit, quod Bolus (ſ. ſabulum rubrum cum urina emiſſum, tertiam quandoque matulæ partem oppleat, imo arena unico mictu ejecta ſubinde medietatem Renis adæquet; Suſpicatur igitur arenarum, boli & calculorum uterum non eſſe ſolos Renes, ſed hos per vaſa arterioſa, quibus lotium diſponitur ſua præparare producta plenamque quidditatem Duelech ibidem nanciſci. Centralem igi-

igitur unum facit (*n. 9. p. 689.*) ureteri conterminum, alterum anfractuosum per corpus Renis circumflexum.

§. 155.

De analysi Duelech Chymica ista expertus scribit: Exsectum Duelech destillavi per se, nec quicquam elicui præter spiritum fœtidum Urinæ, & flavam crystallum, simulque oleum, quale ex desiccata Urina trahitur, Quod autem in fundo mihi remansit, terra erat nigra, ambusta, friabilis insipida, (*c. l. c. 5. n. 9. p. 684.*). De urina verò ista subjungit (*n. 29. p. 687.*): Repeto hic, quod clarus ac stillaticius Urinæ meæ liquor secum asportaverit sursum per alembicum suam terram, quam ad latera vasis in verum Duelech confirmavit & affixit: quodque illa induratio facta sit à Spiritu Urinæ, qui quodlibet atque diversimode plura coagulat. Nam Spiritum vini condensabat in offam volatilem (albam mirè tamen fugacem atque subtilem (*c. 3. n. 5. p. 668.*). Sin verò reperit objectum fixum de natura salis, vertitur in salem, prout contingit spiritui vini à sale Tartari. Aut dum spiritus salis fontani combibitus à cognato sale, sal fit. Sin autem Spiritus Urinæ reperiat suam terram fixam, quam rodat, cùm illi deficiat objectum coagulabile imbibitur à terrâ, vel ab hâc subigitur: & coagulationis alioquin autor ibidem coagulatur passivè, sed ubi Spiritus Urinæ invenit volatile non coagulatum, coagulabile tamen (quia terreæ indolis) suum exserens coagulum constringit eandem aporrheam in terram: Consertisque viribus utrinque fit nova creatura, quæ est nativitas Duelech. *Add.* (*tr. Tart. non in potu n. 7. p. 203.*)

§. 156.

Otto Tachenius (*in Hippotr. Chym. c. 14. p. 92.*) Calculum sequenti modo mechanicè resolvere & iterum componere docet. Accipe calculum de vesica excisum, vel spontè de Renibus elapsum, drachma una vel altera sufficit. Hunc inde vitreæ retortæ novæ ac mundæ (calculus non sit in pulverem contritus, sed ea magnitudine, ut in collo Retortæ non adhæreat,) retortam pone in arenam, cui appone receptaculum mundum ac novum, urge moderato igne, & primo extillabit Alcali similis urinæ, nullius tamen odoris, in receptaculum & paulo post fixiorem partem ejusdem calculi sublimari in Retortæ collo videbis, ambo Spiritus liquidum & solidum misce, ac diligenter vasculo vitreo cera obdurato serva. In frigefacta Retorta reperies calculi frustula eadem forma, qua posita fuerint, adeò tamen levia & friabilia, ut si digito leviter saltem tangas, in pulverem concidant, sicut cadavera in subterranea Roma: quibus frustulis integris, si rursus affuderis alcali ex calculo reservatum, vel aliud urinæ, statim

indurefcit ut erat, pro ſigno, quo alcali, in dicto cadavere reperiat occultum acidum, quod illud abſorbeat: niſi enim acidum invenit, ſolus in aperto aëre non perſiſtit, ſed juxta ejus naturam in auras abiret. Hinc diſcitur, quod calculus non congelatur, neque in veſicâ, neque in Renibus, niſi ab urinæ alcali, aut alcali loci: & acido indebitè, impertinenter, aut per errorem ex ſtomacho delabente & ibidem degeneraro. *Hactenus Tachenius.* Aliam & fortè accuratiorem calculorum analyſin inſtituit *Joh. Conrad. Barchuſen* (*P. 1. Pyroſoph. l. 5. §. 7. p. 361.*), qui concludit terræ modicam portionem à ſale & oleo in lapidoſam ſubſtantiam transformari poſſe, ſpicula deinde ſalina intra olei & terræ poros occultari, ut quoad guſtum odoratumque ne veſtigium quidem eorum amplius ſupereſſe appareat.

§. 157.

Sunt & qui renibus fermentum petrificum ad Lithogeneſin inclinans aſſignant, quod nec *Helmontius* adverſatur, ubique fermenta locorum inculcans (*Vid. tr. Magnum oportet n. 38. p. 126.*). Diſpoſitionem à primo ortu talem in Renibus appellitant Dogmatici, indeque etiam calculum jure hæreditario acquiſitum deducunt. Renibus etiam fermentum ſtercoreum tribuit, *Helmont.* (*tr. latex hum. neglectus n. 10. p. 703.*). Et hæc fermenta localia *Eidem* (*tr. imago ferm. imprægn. maſſ. ſem. n. 8. p. 91.*) ſub odoris & fracedinis Idea viſceribus terræ & animalium impreſſa. Alcali loci *allegat* (*c. l. p. 94.*) *Tachenius.* Lotii veræ proprietates inducuntur ab odore, quem hauriunt urinæ à fermento rerum putrefactivo, quando verò hoc fermentum luxuriat, tum generantur calculi, unde quicunque putrefactivo fermento ditior, ille in calculum pronior evadit, *Franc. Oswald. Grembſ.* (*l. 1. arb. integr. & ruinoſ. c. 8. §. 9. n. 3. p. 98.*) diſſerit.

§. 158.

Hactenus quæ de Duelech propinat Experimenta & Ideas *Helmont.* Audiamus accuratum *Georg. Hier. Velſchii* (*c. l.*) judicium: In Praxi particulari Lithiaſin in ſtomacho aliisque corporis partibus à Tartaro derivabat, (*Paracelſus*) quod mero nominis odio, & ludicra vocularum velitatione negatum ibat *Joh. Bapt. Helmontius,* meliora certè nequicquam ſubſtituens, eandemque fabulam confictis in morbonia obſcuriſſimis aliis & nil quicquam ſignificantibus agebat. Si enim *Duelech* illius tantopere decantatum penitius inſpiciatur, ſi cum ſucco lapidifico idem conſtituatur, utroque pollicè probare poterimus, quamvis naturam illius à propria forma dependentem non minus, quam iſtius ignorare

rare cogamur. Nisi quod utrique salini quippiam inesse nemo Naturæ consultus & Chemiæ peritior diffiteatur.

§. 159.

Primum virgula sequiore notari meretur *Helmont*, qui haud obscurè contendit, in solâ urinâ humanâ coagulatorem illum spiritum reperiri, cum illum ex sale ammoniaco æquè eleganter conficere novimus, *discurrit Jac. Barner.* (*tr. Spirit. Vin. s. acid. p. 17.*). Spiritum vini rectificatissimum cum spiritu urinæ, & spiritu salis ammoniaci, (cum cineribus clavellatis, aut sale Tartari itidem probè rectificatis,) requisivit *Excell. Joh. Bohn.* (*Epist. de acid. & alcal. p. 26.*), spiritum cornu cervini satis rectificatum supplere spiritus urinæ locum posse *Rob. Boyle* (*hist. fluid. & firmitat. p. 2. s. 32. p. 101.*) expertus scit. Habet & quæ regerat Philosopho per ignem *Heinric. Martinius* (*Anat. Urin. Galeno-Spagyr. c. 14. p. 252.*): Constat, *opinatur*, cuivis per hanc *Helmontii* opinionem calculo eos saltem fore obnoxios, qui vino utuntur, eosque calculo carere nunquam posse, qui eo se liberalius ingurgitant: At contrarium non minus verum est, cum & abstemios ex calculo laborare contingat, & strenui Potatores sæpè immunes sint. Quomodo verò spiritum vini in urina *Helmont.* primus agnovit & solus, quem tota Chymicorum cohors hactenus pervidere non poterat? Sed nihil illi derogemus, & credamus ei tanquam Artifici: quomodo verò hi duo spiritus qui in urina coëxistunt & communi fruuntur contubernio, quomodo, inquam, in se mutuo armabuntur, ut coagulum efficiant mediis in undis quarum pars ipsi sunt? Nam quod coagulum efficiant, quando separati sunt & liberati à phlegmate, & in nobiliorem utrinque essentiam exaltati & rectificati, ut loqvuntur, id minus mirum est, quia in exaltatis activitas utrinque viget, quâ destituti sunt, quamdiu phlegmate implicantur, atque adhuc sunt in suis causis. Ad experimenta sine successu *à Rob. Boyle* (*tr de Inf. Experim. succ. p. 81.*) tentata provoco, usque dum repetitis & quidem operosis rectificationibus spiritus phlegmate liberavit, ubi demum Experimenta accuratiora *Helmontii* fidem absolverunt. Verum ut hoc ipsi largiamur, *pergit Martinius*, spiritus hos in urina coagulari posse, quomodo ergo non semper calculus generabitur, cum hi spiritus semper in urina cohabitent? Nam quod à scoria s. stercore liquido hanc coagulationem iimpediri statuit, id frivolum est, cum hæc ipsius scoria non minus fictitia sit quam spiritus vini in urina. Consonat *Mich. Frid. Geuder* (*s. 2. Diatr. de Ferment. c. 20. p. 215.*). Et quæ quæso sequela? Spiritus vini & urinæ summè rectificati in calculum aut simile quid calculo combinati facessunt: Ergò ex his coagulatur Renum & Vesicæ calculus.

culus. Unde aliarum partium calculi, quorsum spiritus isti non pertingunt? Si à spiritu salino & urinæ terra volatili potius ipsos Renes reliqvumque corpus lapideâ naturâ imbuerent, & in saxum mutarent, ut turmæ mutatæ leguntur, arguit *Joh. Grænveld* (*c. l. p. 9.*). Quando demum sapient incuriosi & inconsiderati isti Experimentatores, & ab Artis productis, ad naturæ opera argumentari desinent.

§. 160.

Multa concepta prout fieri debent, non prout sunt. Inde eitam Achillem quamvis proclamentur, sæpius pigmæi insultum non sustinent. Annotavit non inelegantem circumstantiam *accuratissimus D. Bohn.* (*c. l. p. 27.*). Ossæ istius coagulum si in loco tepidiore saltem per exiguum temporis momentum asservetur, mox instar Nivis liquescere, quin etiam si manu detineatur, *ut Joh. Barnerus* (*c. l. p. 22.*) expertus. Ut igitur in similitudinem nivis isti liquores coalescunt, (de quo *Boyle c. l. add. s. 51. p. 121.*); Ita etiam à calore dissolvuntur & diffluunt. Videtur præterea *laudato Boyle* (*c. l.*) ab urinæ sale, qua taliter texto, quam præcisè qua urinoso. Magni nominis Chymiatro *G. W. Wedelio* (*c. l. l. 2. s. 5. c. 2. n. 12. p. 203.*), Coagulatio ista ἀνύξως dicta judicatur, cum præcipitatio potius sit quædam, qua sal volatile latitans quasi & solutum prodti in conspectum, pergit *Idem* (*Pathol. Med. Dogmat. s. 2. c. 4. p. 222.*). Uti non omnis præcipitatio est coagulatio, ita neque omnis coagulatio apparens genuina & revera talis est, Neque illa sufficit pro demonstratione mechanica vel hujus morbi, vel aliorum, ut Catalepseos, ex hoc fundamento notionem eruit Sylvius. Satis est nobis, illo subruto fundamento reliqua quoque eidem superstructa destrui debere, uti sanè vel sola spiritus salis Ammoniaci vinosi ἐγχείρησις in contrarium militat.

§. 161.

Quod ad analysin *Duelech* Chymicam Helmontianam & Tachenianam, in mentem mihi revoco illud *Fried. Hoffmanni Patris* (*l. 5. Clav. Schrœd. s. 1. §. 24. p. 675.*) effatum; Longè aliud est ignis, aliud Archei productum. Optandum foret hanc mechanicam pyrotechnicam non minus in calculo adhuc in corpore existente ita demonstrari posse, atque jam extra corpus constituto. Audiamus Præceptorem olim optimum *Dn. D. Joh. Theod. Schenckium* (*l. 1. Exerc. Anat. 7. s. 2. c. 32. p. 553.*): Ex resolutione Spagyrica calculorum microcosmicorum, *inquit*, non unius principii materialis idea se manifestat, dummodo observes, quod non unico menstruo dissolvantur omnes, neque singulæ eorum partes uniformi materiæ solventis potentiæ pareant, neque eodem caloris

ris gradu indurentur, vel pari frigoris qualitate coëant, in humido liquescant, quin sulphureæ substantiæ quædam cum teruntur aut igniuntur, olent & flagrant, quorum omnium, quod citra ullam jactantiam affirmare possum, ipse experientiam feci.

§. 162.

Ludi apud *Paracelsum* (*l. de Morb. ex Tartar. tr. 2. c. 1. p. 488.*) semel tantum, si rectè memini, fit mentio, sed istiusmodi portentoso encomio, ut sufficiat omnes calculos conterere, contritosque expellere, vel solus, vel aliis mixtus, atque intra assumtus, vel extra in oleum conversus & illitus. Lapidem ex vesica excisum interpretatur *Mart. Ruland* (*in Lexic. p. 307.*) & qui Eundem κατὰ πόδα seqvitur, verius exscripsit *Guilh. Johnson.* (*in lex. Chem. p. 145.*), suffragatur *Otto Tachenius* (*Hipp. Chim. c. 15. p. 104.*). Verius pronunciat *rerum Chemicarum industrius explorator Andr. Cnœfelius* (*Vid. M. C. D. 1. A. 4. & 5. obs. 111. p. 118.*), hanc esse *Paracelsi* mentem neutiquam scripta ejusdem excutienti occurrere. *Helmont.* (*tr. de Lithias. c. 7. n. 22. p. 699.*) docet, Ludum dictum, non quod silex sit, & pueri cum illo ludant, sed quia ludus semper tali tesseræ aut cubi forma eruitur. Lapidem igitur siliceum fel terræ vocat (*c. l. c. 3. n. 28. p. 672.*). Lapidem pallescentem subinde crusta perspicua per commissuras obductum, magna sui parte in Clibano volatilem, saxifragorum apicem & calculosorum desiderium, reperitque illum ad ripam Scaldis prope *Antwerpiam* (*c. 7. n. 23. p. 700.*). Prodeat iterum in theatrum *Cnœfel.* (*c. l. p. 119.*), Certum est, *infit*, *Paracelsum*, nunquam scivisse lapidem Antwerpianum, sed si conjectandi locus datur, posset demonstrari, *Paracelsum*, si lapidem vesicæ noluisset per ludum intelligere, se saxifragium eo titulo donasse.

§. 163.

Hoc certum videtur, lapidem quendam ludi nomine *Paracelsum* signasse, inde illum terrere & calcinari jussit, ut ex eo oleum coquatur (*c. l.*). Si igitur divinationi aliquali locus relictus, inter lusus Naturæ circa lapides in Helvetia à *Joh. Jacob. Wagnero* (*s. 6. hist. nat. Helvet. Artic. 3. n. 5. p. 329.*) descriptas recensuit Tesseras lusorias lapideas *Steinerne Würffel.* Lapilli hi cubici, parvi albicantes, numeris suis exactè distincti circa oppidum Badam in pratis ac fossis mœniorum reperiuntur, qui ibidem nonnunquam à Talpis è terra extruduntur. Mirum sanè Naturæ sunt miraculum, *pergit*, si artem auxiliatricem non habuerint, soliusque naturæ soboles sint; quamvis & hæc polydædalus sit artifex, ubique mirabilis, ubique suspicienda in magnis & vilibus. *Steinerne Bader Würffel* nuncupat *Joh. Jacob Scheuchzer* (*p. 2. Phys. c. 31. n. 4. p. 212.*). *Welche,* ita

ita judicat, *nimmermehr sind ein Werck der Natur, und nothwendig von Menschen Verstand ausgesonnen, und mit Händen gemacht werden müssen, als diß leicht könte aus verschiedenen Proben dieser Würflen, ordentlicher Setzung ihrer Puncten, dem Umstand des Orts, wo man sie findet dargethan werden, wenn es die enge Einschränckung dieser Blätter würde zulassen.* Sed lapides tesseras repræsentantes à natura productas dari posse, quis inficiabitur? Cum alia mirabiliora & ingeniosiora prostent, ut etiam ex dictis (*Vid. §. 3. sq.*) constare poterit. An ars aliquando concurrat & puncta efformet, de eo non litigabo. Cum igitur in Helvetia effodiantur hujusmodi tesseræ, *Paracelsusque* fuerit *Helvetius*, non absurdus erit, *me* quidem *judice*, qui *Paracelsum* in hos lapides cogitationes intendisse, eosque Ludi nomine expressisse præsumat & credat.

§. 164.

Non prætereunda hic extemporanea calculi in urinâ concretio. Duos liquores limpidos mixtos aliquando in momento in lapidem concrevisse visos *supra* retuli; quorsum offa illa Helmontiana spectant. In Hypochondriaco urina si in vitro staret per noctem in lixivialem salem congelascere cœpit, ita ut cultro scindi non posset, *Joh. Peterson Hayn* (*M. C. D. 1. A. 1. obs. 63. p. 162.*) notavit. De urina post emissionem lapidescente *D. Simon Schultzius* (*M. C. D. 1. Ann. 4. & 5. obs. 126. p. 136.*) egit. Contigit Nicopiæ in Falstriâ in filiola bimula civis & coriarii, quæ cum aliquot diebus pessimè habuisset, doloremque ejulando prodidisset, ut cum urina emitteret materiam albam mucilaginosam, quæ statim ab aëre externo in subflavum oblongum riguit calculum, duritie quemvis alium æquantem, meminit *D. Joh. Heinr. Brechtfeld* (*ap. Thom. Barth. V. 3. Act. Hafn. obs. 70. p. 115.*). Plura de urina lapidefacta supra (*§. 83.*). In Venatore Electorali Saxonico Aulico principe vidi in Thermis Wolckensteinensibus materiam podagricam albæ instar offæ ex poro magno ad calcaneum exeuntem oppidò ab aëre in materiam albam cretaceam condensari, quod & in Consule quodam Chemnicensi animadverti.

§. 165.

Ad hominis demum & aliorum animalium integrorum petrefactionum, in quorum gratiam hæc omnia hactenus commentatus, & præfatus sum, causas descendo, & eas hyperphysicas & physicas constituo. E Hyperphysicis independentibus solus DEUS est, qui mirabilem suam omnipotentiam in uxoris Lothi transmutatione splendidè orbi incredulo exhibuit. Malorum Geniorum ministerio quidem usum Augustinus voluit, prout Eundem allegant *Laur. Vairus* (*l. 2. de Fascin. c. 12.*). *Laurent. Ananias* (*l. 4. de Nat. Dæmon. p. 167.*)

167.). *Heinr. Kornmann.* (*p. 1. de m. m. c. 4.*). *Add. Jacob. Sprenger* (*p. 1. Mall. Malefic. qu. 9. p. 123.*). Totam verò opus illud admirandum ſolius DEI extitiſſe Innocentius III. Papa (*l. 2. de Contemtu Mundi c. 25.*) dictitat. Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem â Domino de Cœlo. Noluit enim Dominus cuiquam Angelorum vel hominum executionem hujus pœnæ committere, ſed ſibi ipſi vindictam hujus ſceleris reſervavit; Secundum illud: Mea eſt ultio, & ego retribuam. Et ideò pluit Dominus à Domino videlicet à ſeipſo &c. Paulò poſt: uxorem quoque Loth, quia retro reſpexit in ſtatuam ſalis mutavit. Proponitur namque, non ut prodigium Diabolicum, ſed ut miraculum, quorum prima Deus immediate cauſa reputatur. *Vid. Fried. Balduin.* (*l. 3. caſ. conſcient. c. 2. qu. 4. p. 597.*). De iſta autem ſacræ literæ *Geneſ.* (*c. 19. v. 26.*) *lib. Sapient.* (*c. 10. v. 7.*) *Luc.* (*c. 17. v. 32.*) luculentum teſtimonium perhibent. Elegantiſſimis includit metris *Prudentius* (*Hamartigen. v. 726. ſqq.*)

Loth monitis ſapiens obtemperat: at levis uxor
Mobilitate animi, torſit muliebre retrorſus
Ingenium, Sodomisque ſuis revocabilis hæſit,
Hæc peccans ſibi ſola perit, ſolidata metallo
Diriguit fragili, ſaxumque liquabile facta.
Stat mulier ſicut ſteterat prius, omnia ſervans
Caute, ſigillati longum ſalis effigiata
Et decus & cultum, frontemque oculosque comamque
Et flexam in tergum faciem paulumque relata,
Mente retrò, antiquæ monumenta rigentia culpæ.

§. 166.

De iſta Metamorphoſi *Petr. Dan. Huetius* (*l. 2. Quæſt. Alnetan. c. 12. n. 9. p. 193.*) ſequentia reliquit. Illa uxoris Lothi transfiguratio, *inquit*, etſi mirabilis eſt, nihilo tamen magis impiorum cavillationibus patet, quam tota propemodum Græcorum Theologia, quæ hujusmodi mutationibus ferè conſtat. Eſt, *pergit*, in antiquitatibus Sinarum, Lutiemam egregia forma mulierem, viſa in cœlo leonini capitis forma in ſtatuam auream fuiſſe converſam. Sunt apud Siamenſes ænea quædam & lapidea ſimulacra, quæ homines quondam fuiſſe blaterant, in hanc formam vi divina mutatos. Nolo impræſentiarum contradictiones Atheorum computare, & ita ſcandala diſſeminare, ſed iſta ſcommata, cui debentur, Erebo potius devovere. Statua communiter audit, *Hieronymo*, ſtaticulum. Uſi hac voce etiam de ſtatua ſalis *Origenis Interpretes* (*in Geneſ.*

homil. 5.). Est autem staticulum, quicquid erectum statuitur *Claudio Salmasio* (*ad Solin. Polyhist. c. 5. p. 94.*) & *Thom. Bartholino* (*de Lat. Christ. apert. c. 7. p. 52.*). Ubi de crucis staticula multa. Cumulum tamen, acervum, aggerem, exponere Judæos vocem *Netzif*, quæ in Hebræo textu habetur *Sebastian. Münster.* (*in dictionar. p. 282.*) è Judæis probare contendit, cui subscribere videtur *Sever. Sulpitius* (*l. 1. Hist. Sacr. c. 6. p. m. 22.*) dum scribit: Mulier parum dicto audiens reflexit oculus statimque in molem conversa traditur. Sed nos ipsum scrutati fontem id observatu longe dignissimum deprehendimus, regerit *Joh. Saubert.* (*Diss. de Statua salis & Lothi ex Sodoma egressu c. 2. §. 14.*), Vocabulum *Netzif* quoties præter hunc locum in S. Codice occurrit denotare sive unum sive plura humana forma prædita subjecta, prorsus verò nunquam aliquid informe. Qui id etiam aliquibus Scripturæ locis firmat, poteritque, si lubet, evolvi.

§. 167.

Quod ad materiam στήλην ἁλός vertunt LXX. στήλην ἁλῶν scribit *Josephus* (*l. 1. Antiquit. Jud. c. 12.*) statuam salis aut salariam Latini. Megalander *Lutherus*: *Sein* (*Lots*) *Weib sahe hinder sich, und ward zur Salz-Seule.* Tricantur hic quidam, quod de fœmina ista dicatur:

Solidata metallo
Diriguit fragili, saxumque liquabile facta.

ut mustea *Prudentii* verba repetam. Vere namque sal saxum liquabile comprimis aëri, ventis, pluviæ & nivibus expositum, adeoque liquationi & corruptione facilè obnoxium. De statua istâ verò *Tertulianus aut Cyprianus*, aut quisquis tandem carminis de Sodoma Autor existit, (*Vid. Casp. Barthius l. 17. Adv. c. 19. col. 888.* qui illud *Tertulliano* quam *Cypriano* adscribere mavult,):

Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans
Durat adhuc nunquam pluviis nec diruta ventis.

Franc. igitur *Vatablus* statuam vertit perpetuam, cui è Politicis assurrexit *Joh. Bodinus* (*l. 2. Dæmonom. c. 2. p. 236. & l. 5. de Republ. c. 6. p. 615.*) secus sentientes insulsos appellitans, quod Hebræi firmissimas societates appellant fœdera salis seu sempiterna, cum nihil eorum, quæ concreta sunt Elementis sale incorruptius est, ut eodem sensu sacræ literæ statuam salis appellant, non quæ ex sale concrevit, sed quæ sempiterna sit futura. Sed hæc frustra dici, vox *Melach*, quæ in textu legitur, svadet, quippe quæ propriè salem denotare extra omnem controversiam est positum. Non ignoro in Sacris (*Num. c. 18. v. 19.*) juxta septuaginta viralem interpretationem διαθήκη ἁλὸς fœdus salis inve-

inveniri, quod *Lutherus einen unverweslichen Bund* pronunciat, qui tamen alibi (*2. Paralip. c. 13. v. 5.*) διαθήκην αἰώνιον *Einen Salzbund* reddidit. Sed quid hoc ad statuam salis? Principium petit. Pactum & statua multum distant. Fœdus salis non vertitur in salem, aut statuam salis, prout corpus humanum. Præterea ex alia ratione pactum salis dici posse innuit *Franc. Vellesius* (*de Sacr. Phil. c. 26. p. m. 119.*) & quidem pactum sacerdotii, quia à nulla oblatione aberat sal.

§. 168.

Detur & id sal nostrum culinarium aëre pluvio facilè liquari, non tamen negandum varias dari salis differentias, unumque sal alio compactius & durius apparere, ita, ut aquæ & imbrium impetum non reformidet. Hamanienses domos sale montibus suis exciso ceu lapide constituere *Plinius* (*l. 5. c. 5.*) autor est. Africa circa uticam construit acervos salis ad collium speciem: qui ubi sole Lunaque indurantur nullo humore liquescunt, vixque etiam ferro cæduntur. Et Carrhis Arabiæ oppido muros domosque massis salis faciunt, aqua ferruminantes Idem (*l. 31. c. 7.*) perhibuit. *Add. Isidor.* (*l. 17. c. 2.*) Ejusmodi salis statua utique potest & nimbos & hiemes tolerare, *judicat Georg. Stengel.* (*l. de Monstr. & Monstrosis c. 9. §. 6. p. 303.*). Præsertim si miraculo ut facta, ita & conservetur.

§. 169.

Quomodo autem in salis statuam corpus facesserit, quosdam sanè curiosos & sollicitos invenio. Si naturam loci spectemus eum ex omnium Historicorum monumentis sale refertissimum reperiemus. *Athan. Kircher.* (*l. 9. M. S. f. 1. c. 4. p. 322.*) dictitat, unde potius in istiusmodi mistum, quo campus Sodomæus redundabat, quam in saxum quoddam aliudve mistum, quo carebat, transformatam fuisse, verosimile est: Non solum urbes, sed & omnes circa regiones in mare mortuum & vallem salinariam DEUS convertit, ut *Innocent. III. Papa* (*c. l.*) monet. Tota regio devastata sal facta, אוּלְ־מַּהּ *Christ. Führer ab Haimendorff.* (*Itin. Orient. p. 231.*) testis est. Respexit huc *Psaltes* (*Ps. 107. v. 34.*) Redegit terram fructuosum in salsuginem. *Augustinus* (*aut quisquis autor est l. 1. de Mirab. Scriptur. loc. c. 11.*) naturaliter esse insitam salsedinem humano corpori, & ex hac causa lacrymas & sudores esse salsos. Exemplum de Uxore Lothi in statuam salis conversa fuisse quidem ex parte miraculum, ex aliquâ parte secundum naturam extitisse, monstravit *Andr. Chioc.* (*f. 5. Mus. Calceolar. p. 475.*); nam pars illa tenuissima salis, quæ carni inerat totum corpus infecit, judicio *Jul. Cæs. Baricelli* (*l. 2. de Hydronos. nat. c. 12. p. 169.*). Qui medi-

medium quid inter miraculum & actionem naturalem hanc Metamorphosin ebuccinant, quid proferant ipsi nesciunt, ut ipsa miraculi probat definitio. Contulisse huc operas suas fumum sulphureum ex Sodoma ardente ore facieque ad urbem conversa exceptus, *Th. Bartholin.* (*de Morb. Bibl. n.3. p.6.*) ratiocinatur, quemadmodum Puteolis vidimus in Antro sulphureo ex halitu forti enecatos canes. Sed hic nulla paritas. Enecatos vidit canes non transmutatos. Et quamvis non in urbem conversa facie respexerit *Lothus* cum filiabus, fumos tamen sulphureos fugere non potuit, ut non respiratione attraheret. Cur igitur hi transmutationem evaserunt. De salis in corpore humano præsentia ex lacrymis & sudore desumtum conclusum ficulneum est. Non hæc in corpore sano, sed morbido invenies. Refutant id Chemicorum fornaces & experimenta, qui ex Regno animali vix quicquam salis alcali fixi elici probant. (*Vid. Joh. Conrad. Barchusen l.1. Pyrosoph. s.1. c.4. Axiom. 12. p.21.*). Quid si, ut quibusdam placuit, ante incendium Titea aut Aretia (tale namque *uxori Lothi* ascripsere nomen) respexisset, & ita transmutata fuisset, aut talismodi mutationem in ipso oppido *Zoar* subiisset, quid hypothesium harum assertores reponerent? Paucis: ubi miraculum, frustra in causis indagandis sudat ingenium.

§. 170.

Ut ut verò hanc mutationem ita se habere plurimis è Theologis & Philologis persvasum sit, malunt tamen alii hanc statuam salinam, lapideâ in locum ejus substituta, diruere & pessundare. *Clemens Alexandrin.* (*Admonit. ad Gent. p.m. 49.*) sequentia profert: Annon quodammodo ut *Niobe*, vel ut magis mysticè ad vos loquar instar uxoris *Viri Hebræi* (eum *Loth* appellabant veteres) evasistis omni sensu vacui? Hanc mulierem factam esse lapidem accepimus, quod Sodoma amaret. *Lutherus noster* etiam, & qui hunc sequitur *Matthias Flacius* (*ille comm. in Genes. in h. l. Hic in Clave Scripturæ p.1. Tit. Sal.*), quasi divinatione conjecturali sequentia consignarunt: Potest fieri, ut Spiritus Sanctus appellet statuam salis, non quod reverà sal fuerit, sed quod similitudinem salis habuerit. Sal enim candidum est. Dubium est, commentatur *Flacius*, an reverâ merum sal facta sit, vel mutata in lapidem, qui ob similitudinem quandam salis habet nomen. *Confer. David. Rung.* (*comm. in Genes. in h. l.*). Rectius igitur statuam lapideam verti statuit è Medicis *D. Joh. Dan. Major.* (*Diss. Epist. de Canc. & Serpent. petref.* §. *26. p. 22.*). Placet *B. D. Augusti Pfeifferi* ἐπίκρισις (*Dub. S. S. vexat. Cent. 1. n. 48.*), Tali crisi, *conclu-*

dit

dit, adeò hic non est opus. Quod si enim materiam tàm disertè nominatam repudies, quam quæso cum ratione substitues?

Non facilè nosces, vitrum, lapis, anne metallum est
Succedens homini, nisi sal gustu indicet ipso.

Alcimus Avitus (l. 2. Carmin.) cecinit.

§. 171.

Ipsam Lothi uxorem morti solum datam, neutiquam verò in statuam salis mutatam *Pl. Rever. Hermann. von der Hard. (Ephem. Philol. Diss. 4. p. 70.)* conjicit. Quæ verò de statuâ *Ipsi* mens est? exploras. Audi *celeberrimi Viri* verba: Cum vox in Hebræo מלח sal & bitumen significet, uxor *Lothi* Sodomam repetit, & cœlestibus flammis inter fulgura & tonitrua correpta, cum urbe & gramine campi conflagrasse recensetur. Monumentum positum à Nepotibus ex Lothi filiabus, inde Mosis verbis statuam arte manuque suscitatam denotat. *Add. Ephem. Philolog. Vind. (p. 95.)*

§. 172.

Joh. Clericus (in Translat. Genes. c. Ejusd. Paraphr. & comment. Philolog.) peculiarem Dissertationem de primâ origine opinionis de Lothi uxore in statuam salis conversa exhibuit, in qua, ut *ex Actis Erudit. Lips. (A. 94. p. 107.)* constat, ex verbis Mosaicis vulgarem sententiam colligi non posse ostendit, cum duæ voces ambiguæ *Netzif* & *melahh* perperam intellectæ errorem pepererint. Illam non modo statuam aut columnam, sed & tralatitio sensu immotum quippiam & durum columnæ aut statuæ instar signare; hanc autem præter ordinariam salis significationem interdum etiam tempus diurnum notare. Satis fuisse uxorem *Lothi* cunctationis suæ pœnas morte dedisse; nec aliud quippiam minatum fuisse Angelum, (*v. 17.*), nec ut occideretur ullo miraculo opus fuisse. Cumque alii alios tradant hujus Metamorphoseos modos, multos eos absurdis aliis laborare ostendit. Quando autem opponitur Veterum sive Judæorum sive Christianorum auctoritas, ejus rationibus destitutæ, nullum esse pondus *ait*: posseque *Josephi* & aliorum testium oculatorum omnium testimonia hoc uno responso confutari, si dixeris omnes, qui se vidisse statuam salis scripserunt, à locorum incolis falli potuisse, qui aut lapidem, aut simile quid ostenderint, quod statuam esse *uxoris Lothi* narrarent. Unde enim, sibi verum narrari, potuissent cognoscere? Itaque multò prudentius acturos fuisse, si scripsissent, se vidisse columnam, statuam aut simile quippiam, quod ab incolis statua salis diceretur, sed verè ne esset, se nescire. Longè cordatiores & veri amantiores esse *Christophorum Furerum, Petrum Bellonium, Nic. Melch. Thevenotum*

notum, & *Nic. Christoph. Radzivilium*. qui nihil quicquam hâc de re in Itinerariis suis jactitarint. His addere non veretur *Hieronymum*, qui tot annis in Palæstina vixerit, & ejusmodi rerum non modicus fuerit jactator, nec tamen usquam salinæ statuæ (à se visæ, alias & hujus prout in sacris describitur, forsan sæpius) meminerit, quamvis de Sodomæ subversione, *Lotho*, imo etiam uxore verba fecerit. Hinc multo verisimilius esse, judicat, mulierem cum patria cœli & terræ ignibus arderet, cœlum fulminibus concuteretur, fragore horrendo tremeret sub vestigiis humus, & oculis suorum omnium, marito duntaxat & filiabus exceptis, obversaretur calamitas metu diriguisse, & cum nemo suppetias ferret, præ dolore animam efflâsse, aut dum non tantum oculos ad patrium solum retorsisset, sed etiam, Angelis abeuntibus, rediisset, ut propius incendium spectaret, vapore sulphuris aut bituminis suffocatam fuisse. Sufficiat has opiniones recensuisse, meum cum non sit in veritatem earum inquirere, curiosos *ad Casp. Calvörii Gloriam Mosis* (*Diss. 6. c. 2. p. 216. & §. 24. p. 232.*) *remitto*, qui *Hardtii & Clerici* divinationes excutere & oppugnare pluribus aggressus est. Negasse & alia jam suo tempore hanc transmutationem *Andreas Rivetus* (*in Genes. Exerc. 99.*) innuit, qui his opponit sequens: De rei possibilitate, ubi legitur de potentiæ divinæ effectu, nemo, nisi impius, litem movere potest.

§. 173.

Firmitatem prædictarum opinionum infringit statuæ perennitas, & quod mulieris retrorsum videntis figuram cum omnibus membris repræsentet adhuc exactè. *Vid. Cornel. à Lap.* (*c. l. p. 185.*). Stetit adhuc *Josephi* tempore, quod fatetur (*l. 5. Antiqv. Jud. c. 12.*), jam non caro corruptibilis, sed statua semper manens. Oculati testes citantur passim *Fr. Borcardus* (*delineat. Jerusal. & Sodom. c. 7. §. 34.*) *Breidenbach* (*Itinerar. Hierosol. c. 6.*). Invenerunt autem inter Engaddi montes & mare mortuum, *teste Christ. Adrichomio* (*Theatr. Terr. Sanct. p. 55.*). Vidit eam *Saligniacus* (*Itin. Hierosol. c. 5.*). Durare eam adhuc *anno 1557. Leonh. Rauwolff.* (*Itin. in Palæstin. p. 3. c. 21. p. m. 141.*) à peregrinantibus comperit, quamvis quod in hodiernum diem adhuc exstet *Nic. Christoph. Princeps Radzivilius*, (*in Itin. Epist. 2. p. m. 174.*) perneget. Diligenter, *inquit*, ex Arabe nostro cæterisque, qui loca habent explorata quæsivi, qui constanter affirmabant nil simile illic reperiri. Succurrit relatione *Anshelm. Monachus*, narrans: Multos Europæos suo tempore statuam quæsivisse, nec reperisse. Cur autem nonnullos peregrinantes fugerit illud salis staticulum, rationem assignat *Anshelmus Monachus*. In littore orientali maris mortui sita est Segor in parte Arabiæ, ubi est statua, in quam conversa est uxor Lothi: ad

quam

quam videndam periculosus est ascensus propter Madianitas ibidem commorantes; qui nemini parcunt; & sæpè, ut dicunt, mare crescit tantum ex tumefactione, quo cooperitur tota statua, & non videtur, aliquando tamen decrescit, quod videtur ad pectus & genua. *Hæc Monachus.*

§. 174.

Ne divini & verè illustris miraculi purpuræ desint laciniæ, en bigam fabularum assuerunt quidam ex fabularum Architectis. Audiamus *Tertulliani* (*de Sodoma*) carmen:

Ipsaque imago sui formam sine corpore servans
Durat adhuc. Etenim nuda statione sub æthrâ
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex se se suggestus vulnera complet.

Spectat huc *Rauwolfii* (*c. l.*) *relatio: Die Pilgrim schlagen zu Zeiten kleine Stücklein von der Salzseulen ab, und wird die gleichwohl ganz ohne einigen Abgang gefunden. Deßhalben sich hierüber etliche Pilgrim, so da für dem todten Meer zugezogen, nicht wenig verwundert. Damit sie aber dessen gewissen und satten Grund hätten, haben sie, sonderlich unter andern einer (wie ich von einem, der kürzlich da gewesen, berichtet worden), eine ganze Hand davon abgeschlagen, und die mit sich hingenommen. Als sie nun wieder zurück gezogen, haben sie mit Fleiß darnach gesehen, und befunden, daß sie wiederum ganz und der alten gleichförmig gewesen. Add. Joh. Bissel. (Dec. 2. Illustr. Ruin. 8. p. 583.) N. von Stammer. (Itiner. Terr. sanct. c. 5. p. 193.).* Genio poëtico indulgens *Prudentius* (*c. l. v. 836.*)

Liquitur illa quidem salsis sudoribus uda
Sed nulla ex fluido plenæ dispendia formæ
Sentit deliquio, quantumque armenta saporum
Attenuant saxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritamque cutem per damna reformat.

Quod dicunt de *Uxore Lothi*, quod lingendo ab animalibus minuatur, mendacium est, sed stat in statu in quo fuit, regeret *Antonius Martyr* (*in Itinerar.*). Et quis suspicabitur animalia inhabitare loca illa desolata, sterilia, omni ferè gramine & arboribus priva, & statuam à mari mortuo circumdatam lambendo atterere & minuere, quamvis id *R. Benjamin. Tudelensis* (*in itinerar.*) etiam asseruerit. Montium præterea salis subinde renascentium quidem meminerunt *Plinius* (*l. 31. c. 7.*), *Solinus* (*Polyhist. c. 31.*), *Strabo* (*l. 15. Geograph.*), *M. Cato*

(*l.3.origin. apud A. Gell. l. 2. Noct. Attic. c. 22. p. m. 66.*). Detur & hoc in ſtatua, quis verò partes mutilatas formabit, ut ut moles in earum locum apponatur ſalis? Vulnera illa poſſe ſuppleri allabente aqua, (maris mortui,) quam in ſui ſtatim Naturam convertit ſalina hæc minera, quo modo ſalinæ fodinæ creſcunt, conjicit *Th. Bartholin.* (*c. l. p. 8.*). Sed ne ſic ſcrupulus de partium mutilatarum formatione deſtruitur. Id verò iterum miraculosè contingere, qui eandem, ut Targum Hieroſolymitanum docet, (*vid. Joh. Mich. Dilherr. Tugend Schatz, Laſter Platz p. 1. n. 4. §. 80. p. 97.*), usque ad noviſſimum diem ſtaturam pronunciarunt.

§. 175.

Addidit *Irenæus* (*c. l.*) ſtatuam per naturalia ea, quæ ſunt conſvetudinis hominis oſtendere. *Ita Tertullian.* (*c. l.*)

Dicitur & vivens alio jam corpore ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſangvine menſes.

Sed alterum de menſibus in ſtatuâ fluentibus more mulierum non capio (*c. l.*) *judicat Bartholin.* niſi ſalis ſit quædam colliquatio ab externo aëre humido. Quis è pumice aquam expectet? qvis è corpore petræ aut ſalifacto ſangvinem? Novi ægrotantem mirabilibus doloribus afflictum riſum cohibere non potuiſſe, cum anus ut partes dolentes oleo laterino ungeret ſvaderet, quid hic non faceret etiam bipedum ſimpliciſſimus? Quod bitumen in aqua partes muliebres alluens aliquando tingat atro ſeu obſcuro ſangvinis colore, ut mendacem fluorem menſtruum ſiſtat ſtatua, non penitus negarem. A viris antiquitate reverendis parum verecundè id prolatum eſſe, decernit *Andr. Rivetus* (*c. l.*). Viri boni, *addit*, faciles præbebant fabulis aures, ubi probabilis allegoriæ ſuppeteret occaſio.

§. 176.

Miraculum hoc præſtantiſſima exercuit ingenia, ut Crenam in eo fatigarent induſtriè. Extat Gryphus antiqvus:

AM. PP. D. C. D. M. (*notat H. Kornmann. p. 8. d. m. m. c. 28. & Nicol. Bornaud. Comment. in hoc Epitaph. Vol. 3. Theatr. Chem p. 836.*)

Nec Vir, nec Mulier, nec Androgyna,
Nec Puella, nec Juvenis, nec Anus,
Nec caſta, nec meretrix, nec pudica,
Sed omnia.

Sub-

Sublata nec fame, nec ferro, nec veneno,
(*nec igne, nec peste addit H. Kornm.* (*c.l.*)
Sed omnibus.
Nec Cœlo, nec Aquis, nec Terris,
Sed ubique jacet.
LUCIUS AGATHO PRISCIUS.
Nec Maritus, nec Amator, nec Neceſſarius.
Neque mœrens, neque gaudens, neque flens
Hanc neque molem, neque Pyramides, neque Sepulchrum
Sed omnia.
Scit & neſcit, quid cui poſuerit,
Hoc eſt ſepulchrum intus cadaver non habens:
Hoc eſt cadaver ſepulchrum extra non habens:
Sed cadaver idem eſt, & ſepulchrum ſui.

§. 177.

Vetuſtiſſimum hunc griphum Alii aliter interpretantur, perorat *O. Borrich*, (*de ort, & progr. Chem. p. 106.*). *Michaël Angelus* de Aqua pluvia, *Agathias* de *Niobe* in lapidem converſâ, *Richardus* de anima rationali, *Joannes Turrius* de materia prima, *Gevartius* de Amore, *Zaccharias Pontinus* de tribus defunctis ſimul conjunctis, *Nicolaus Barnaudus* de lapide Philoſophico, qui & *Alium* illud de Eunucho explicaſſe (*c. l. p. 837.*) perhibuit. Suſpicati ſunt & animam hominis ſub iſto velo latitare. *Fortunius Licetus* de generatione, amicitia & privatione. Prolixe rem proſequitur *Licetus* (*l. Allegoria peripatetica Vid. Joh. Jonſium l. 3. de Scriptor. Philoſ. hiſtor. c. 20. p. 314.*). *JCtus* Flammam Chemici Mercurium, (*Jac. Spon. l. 1. Itiner. p. 15.*). Ego tamen, concludit *Borrich.* variis de cauſis vel *Michaëli Angelo* vel *Barnaudo* accederem, ut ingenioſiora, quorum magna pars demonſtrari poſſim coram aſſerentibus. Adde quæ ſuggerit *Gregor. Michaëlis* (*in not. ad Jac. Gaffarelli curioſitates n. 1. §. 1. p. 8.*) Aliam demum, *Anonymi Autoris* hiſtoricam relationem evulgavit *Franciſc. Maſtrius*, cujus recenſionem *vid. Act. Erud. Lipſ.* (*M. Febr. 1706. p. 90.*)

§. 178.

Bononiæ in Flaminia, regione Italiæ, extra urbem in villa quadam conſpici, *Henric. Kornmann.* (*c. l.*) annotat, Epitaphium antiqvum, quod multorum fatigavit ingenia, nuncupatur *Drexelio* (*Prodr. Ætern.* §. *11.*). Non eſſe veterem, ſed novam inſcriptionem à Sciolo confectam, neque Originale ejusdem Bononiæ conſpici, ſed Apographum, *Sponius* (*c. l.*) teſtimonio firmat.

 Irri-

Irritum igitur erit votum *Barnaudi* (*c. l.*), irritus conatus, dum ita ſcribit: Ego ſi Bononiæ eſſem auctor futurus Magiſtratui, ac Epiſcopo Romano Bononiæ præfecto, ut totum illud marmoreum ſepulchrum ejusque baſin & ambitum ita luſtraret, ut ne ejus quidem pars minima intacta, ut ita dicam, remaneret, ne ſi fortè quid reconditum in ſinu ſuo olim fuit, quod omnia redoleat, ſepultum diutius jaceat. Nec enim *pergit* cum hic OMNIA lego, in mentem venit *verè antiqui Romani Morieni Philoſophi* hiſtoria. Hic cum *Regi Kalidio* ſophorum medicinam pro ſua bonitate paraſſet, clanculum à Rege illo diſcedens, vas, in quo medicinam illam reliquerat hoc depinxit elogio; QUI OMNIA SECUM habet, nulla re indiget: Hoc Rex ille paulò poſt *Morieni* diſceſſum, cum animadvertiſſet, quod maximè quæritabat nactus eſt, OMNIA videlicet, quæ à vero Philoſophorum quæruntur, LAPIDEM nempe, quem Philoſophorum nominant. Verbo autem OMNIA Lapidem prædictum exprimi alibi (*Oolog. Special. Diſſ. 1. ſ. 2.*) ubi nomen ovi Philoſophici proſequor annotavi.

§. 179.

Si quid augurari licet, ænigmaticum hoc Epitaphium non ſimplex, ſed è duobus compoſitum videtur. Prius his verbis: Scit & neſcit quid cui poſuerit. Alterius verò initium illud *Agathiæ* eſt *Smyrnæi*, qui *Procopii* hiſtoriam ab Anno Juſtiniani Imp. 27. qui fuit a nato CHRISTO 554. usque ad finem Imperii Juſtiniani pertexuit, qui ita (*ap. Hier. Megiſer. l. 3. Anthol. Græco-Lat. c. 7. p. m. 192.*) *in Nioben.*

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν.
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον
Ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.

Auſonius (*Epigr. 57.*) ita vertit:

Habet ſepulchrum non id intus mortuum:
Habet nec ipſe mortuus, buſtum ſuper:
Sibi ſed eſt ipſe hic ſepulchrum & mortuus.

Vertit & *Angel. Politian.* (*Epigr. Græc. p. m. 38.*). *J. C. Scaliger.* (*T. 1. op. Poët. in Farrag. p. 152.*). *Caſpar Velius Urſinus ap. Hieron. Megiſer.* (*c. l.*) ubi & ipſe *Megiſerus.* Non diſplicet illud *Fauſti Sabæi* (*ap. Nicol. Reuſner. Ænigmatogr. p. 131.*)

Intus habet nullum quam perſpicis urna cadaver,
Imo Cadaver ineſt, non vacua urna, meum.

Quin

Quin ego nec sum istud, minus illud, at istud & illud,
Namque ubi facta fui saxea, utrumque fui.

Addo *Reusnerum* (*c. l. p. 189.*) omisisse lineas priores octo & initium tale fecisse: Lucius Agatho Priscius &c. Quare in tria Epitaphia illud dispescere quis posset. Priora sunt recentiora illo, quod in Nioben scripsit *Agathias.*

§. 180.

Partem ultimam *Uxori Lothi* transmutatæ applicuit *Joh. Lauterbachius* (*ap. Megiser. c. l. & Reusner. c. l. p. 160.*)

Quod spectas oculis Viator, hoc est
Sepulchrum, nec habet suum cadaver,
Quod spectas oculis Viator, hoc est
Cadaver nec habet suum sepulchrum
Sepulchrum tamen est & est cadaver.
Qui possit fieri, rogas? habeto:
Conjux facta Lothi salis columna.

Add. Cornel. à Lap. (*c. l. p. 105.*). Applicat & illud ad Samsonis ænigma (*Judic. c. 14. v. 14.*). *M. Joh. Ulderus Wildius* (*Diss. Philol. de Ænigm. Samson.*) Samsonis Leo erat cadaver sine sepulchro, eratque sepulchrum sine cadavere, nimirum Apes vivæ non mortuæ erant, eratque sibi cadaver & sepulchrum.

§. 181.

Quid hic Simia DEI? Scilicet & Gentilibus persvadere conatus est Deastros eorum eadem pollere potestate, ut viva bruta & homines in saxeam duritiem vertere possint. Non dicam de Phæacum navi, de quâ *Homer.* (*l. 13. Odyss. v. 163.*)

propè venit Neptunus,
Qui ipsam Lapidem fecit & radicavit infernè.

Scriptum reliquit *Julius Pollux* (*l. 5.*) canem æneum eximiæ pulchritudinis à *Vulcano* fuisse fabricatum, quem cum vivum fecisset posteà, *Jovi* largitus est: *Jupiter* illum dono dedit *Europæ*, illa *Procridi*, quæ *Cephalo*: atque is canis posteà fuit à *Jove*, in lapidem mutatus, recitat *Nat. Comes* (*l. 2. Mythol. c. 4. p. 149.*) *Mercurius Batti* perjura

pectora vertit
In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index,
Inque nihil meritò vetus est infamia saxo.

Ovidius (*l. 2. Metamorph. v. 705.*) *Add. Joh. Boccat.* (*l. 2. de Geneal. Deor. c. 12. p. 37.*). Sunt apud Sinenses æneæ quædam & lapidea simulacra, quæ homines

 quon-

quondam fuisse blaterant in hanc formam divinitus mutatos. Et sunt qui in Carnia humana Cadavera Dæmonis arte in statuas conversa dicant, memorat (*c. l.*) *Huetius*.

§. 182.

Idem sibi arrogant Maleficæ, Dæmonia mancipia. De locis Thessaliæ *Apulejus* (*l. 2. Metamorph. p. m. 125.*) ista: Nec fuit in ista civitate, quod aspiciens id esse crederem, quod esset, sed omnia prorsus ferali murmure in aliam effigiem translata, ut lapides quos offenderem de homine duratos, & aves quas audirem indidem plumatas & arbores, quæ pomerium ambirent, foliatas similiter, & fontanos latices de corporibus humanis fluxos crederem. Singularis plane est illa *Pamphilii Placentini* (eadem forsan cum illa *supra l. 2. Tit. 3. §. è Tassono adducta*) relatio quam ex Italico versam evulgavit *Rob. Boyle* (*p. 1. hist. fluid. & firmitat. s. 73. p. 152.*), Fœminam nempe quandam Venetiis ex esu pomi horrendis doloribus correptam, atque exinde viginti quatuor horarum spatio mortuam in lapidem valde durum conversam, huncque effectum pomo venenato, quod comederat tributum fuisse.

§. 183.

Quod si naturaliter petrescant corpora, aut partes animalium, duplici modo id contingit, vel apparenter saltem & impropriè; vel verè & propriè. Apparenter id fit, si ab ambiente fluido sive aër, sive aqua sit incrustentur sensim sensimque superficietenus primum usque dum tractu temporis consumtis partibus subjacentibus crusta succedat crustæ, corpusque non tam petra evadat, quam petra in corporis tabidi & absumti locum succedat. Illustrat id egregiè *O. Borrichii* (*ap. Th. Bartholin. Cent. 4. Epist. 92. p. 528.*) relatio, quæ hunc in modum habet, Extra urbem (Oxoniensem) per clivum rivulus decurrit crusta lapidea ramos arborum injectos obducens, neque enim quod aliis visum lignum vertit in lapidem, sed quod evidenter animadverti, ligna primum obtegit lapidea membrana, hinc ligno sensim putrescente & abeunte in limo similem massam lapidea illa crusta paulatim arctius coit, & cavum jam ante ligno oppletum sua mole infarcit. Intendit forsan in hunc rivulum etiam digitum *Fried. Lossius* (*l. 3. obs. med. c. 50. p. 294.*). Catalogo hujusmodi Aquarum incrustantium perficiendo operam locavit *Joh. Agricol.* (*l. de Fossil. p. 639.*). *Leonh. Thurneuss.* (*Pison. l. 7. c. 7. p. 303. & l. 10. c. 29. p. 417.*). *Th. Bartholin.* (*Diss. de Med. Dan. Domest. in addit. p. 520.*). *Noster P. J. Sachsius* (*Epist. de Mir. Lap. Natur. p. 70.*). *Thomas Schirlæus* (*c. l. s. 1. p. 16.*). *Henr. Christian. Hennin.* (*in Animadv. & Not. ad Jac. Toll. Epist. Itinerar. 2. p. 49.*). *Philipp. Bonann.* (*p. 1. de*

Testac.

Testac. c. 6. p. 40.). De Aqua propè Natisivan in via Persica *Joh. Bapt. Tavernier.* (*l. 1. Itin. Persic. c. 4. p. 16.*). Confer. supra (§. *24. & 144.*)

§. 184.

Quod ad subjectum petrificandum, illud esse non corpus aut partem vivam, sed mortuam, communis est assertio. Ita de Serpente in stomacho petrefacto *celeberr. Noster J. D. Major* (*Diss. Epist. de Cancr. & Serpent. petrefact.* §. *29. p. 24.*) disserit: verisimile est serpentem in stomacho Cervi prius petrefactum non fuisse, quam utrumque corruptum & putrefactum, quæ putrefactio activitatem salis non tàm fixi aut fusi, quam volatilis aut fluxi infert. Imo corruptio & mors necessariò præcessit, quia quemadmodum petrefactio tanquam species quietis in particulis fermentabilibus, & mors agilitati spirituum & vitæ contraria est, fermentationemque in animatis ac aliis corporibus vel impedit, vel certè non comitatur, usque adeò ut spiritus, vitæ satellites & promi condi non possint simul quiescere ac moveri. Contraria enim non habentur simul in eodem subjecto. Frigus igitur omnium partium quietem fermentationique inimicam declaravit *Joh. Conrad. Barchusen* (*l. 2. Pyrosoph. c. 1. Tit. 14. §. 5. p. 84.*). *Et acutissimi Judicii Philosophus Anglus Rob. Boyle* (*p. 2. de Fluidit. & Firmit. Corp. s. 3. p. 64.*) ad cujusvis corporis firmitudinem requisivit (α) partium componentium crassitiem, (β) contactum quietum, (γ) implicationem.

§. 185.

In vivente igitur adhuc corpore petrefactio & solida induratio non est expectanda. Lithogenesis non obstat, cum in illa calculus saltim generetur, partes autem corporis in dispositione quidem ad lapidefactionem possint esse, qualis etiam sine dubio in bove Svecico; cujus Cerebrum petrefactum post obitum inventum, (*Vid. supra* §. *103.*), quæ post mortem perfectionem acquisivit & in actum deducta fuit. Confirmat id suo modo extemporaneum calculi & aliorum humorum emissorum concrementum. Quæ de fonte Averniæ supra (§. *27.*) commemoravit *P. J. Faber*, quod si eundem sibi adacta potent bruta, ille protinus coaguletur in ventriculo in lapidem, unde mors coortis doloribus Colicis præsentanea seqvatur, non rejicio. Ovidianum autem illud de flumine Ciconum (*l. 15. Metam. v. 313.*):

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus,

Poëticum quid spirat. In Ciconum flumine *scribit Plinius* (*l. 2. c. 103.*) & in

Pi-

Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur, de viscerum noxa quam inferre cecinit *Naso*, nihil.

§. 186.

Mirabitur quis, qui fiat, quod Bufo vivus, ut quidem *Oswald. Grembs.* (*l. 1. Arb. Hom. integ. & ruinos. c. 7. §. 8. n. 22. p. 63.*) ab Aliis acceptum retulit, in aquis petrificantibus non petrificetur? rationem assignat, quod talem Archeum receperit ab ipsis saxis, & ita manet iste Spiritus, s. Archeus, inseparabilis à semine petroso, *Conf. Helmont.* (*de Lithias. c. 1. n. 14. p. 652.*), id quidem, quid sibi velit, exactè non capio. Hos verò etiam in saxis reperiri, etiam nasci, *ex Aliis Andr. Libavius* (*p. 4. Singular. l. 2. Batrach. c. 25. in Schol. p. 437.*) docuit. Cur verò non in ipsis saxis petrefiunt? Nil obstat, præter quam quod vivunt, vitalique spiritu movente petrificationis successum retundunt. Circa respirationem securos esse jubeo curiosos, cum tardum illud animal & frigidum potius transpiret, quam inspiret, indeque axungia Norwagica dorso bufonis illita oppidò poros obstruendo mortem infert, juxta *Sim. Pauli* (*Digress. de Febr. malign. §. 21. p. 33.*). De piscibus fossilibus ubivis axempla prostant, sunt tamen & hi aliquando saxorum incolæ. Tales in lapidibus Antwerpiensibus inveniri (*Joh. Gorop. Becan. Niloscop. p 239.*). In silicibus Leodiensibus (*Mart. Delrio l. 2. Disquis. Mag. qu. 14. p. m. 378.*) In Parisiensibus (*Helmont. tr. Tum. pest. p. 886.*), In Benthemicis (*Edo Neuhus. l. 2. Sacr. Fatid. c. 22. p. 394.*). *Add. Ambros. Pareum* (*l. 24. Chirurg. c. 2. p. 570.*) *Martin. Weinrich.* (*p. 1. de Monstr. c. 7. f. 58. a.*). Eos aliquando aquarum succi aut alimenti penuria emori, facilè concedo, *discurrit Georg. Stengel.* (*de Monstr. c. 2. §. 12. p. 66.*) & in lapides indurescere, quod etiam ipsis plantis fruticibus & herbis contingit ab arena interceptis paulatim lapidescente. Tales pisces, frutices, herbulas in saxis fissis propè Kelhemium in Bavaria inventas, mihi olim, *pergit*, in Rorensis Cœnobii Bibliotheca monstratas memini. Habent plura huc spectantia *Joh. Nardius de Serpente vivo marmori incluso* (*Ann. 1. Noct. Genial. 4. p. 266.*), *Joh. Dan. Horst.* (*obs. Anat. 2. p. 10.*) *J. D. Major.* (*de Cancr. & serp. petref. §. 58. p. 44.*) *Ph. J. Sachsius de Mir. Lap. nat. p. 92. & Gammarol. l. 1. c. 8. §. 4. p. 146.*) *Rob. Boyle* (*p. 2. de Gemm. p. 173.*)

§. 187.

Quod petrefactionem procurat, aut est in ipso corpore, aut extra illud. In ipso corpore fontium petrosorum potum insalubrem judicat *Helmont.* (*de Lithias. c. 1. n. 18. p. 663.*), quia archeum disponit in saxeam indolem, tormi-

nibus

nibus infestat, vitam abbreviat, enecatque ideo præcordia, antequam bibendo transmutentur in saxum. Istiusmodi aquæ & alia assumta & inspirita dispositivè tantum agunt in vivente corpore. Mihi circa emortua corpora locanti petrificans & cadaveris poros invadens partim in Aëre, partim in Aqua, partim in Terra & locis saxosis locari persvasum est.

§. 188.

Aërem condensationem adjuvare, exemplo Corallii, multis demonstrare placuit. Λιθοδένδρον illud, s. Herba lapidea, aut Lapis herbaceus *Helmontio* (*tr. de concept. p. 456.*) audit. Corallium, s. Corallus absque dubio de lignis generatur & Plantis, *Albert. M.* (*l. 1. de reb. mineral. & metal. c. 6. p. 42.*). Aliquando plantæ natæ in aquis & maribus ita sunt vicinæ lapidum naturis, quod ad modicum exsiccatæ in aëre lapidum formam assumunt, & hujusmodi signum est lapis, qui dicitur Caralius, qui absque dubio ex lignis generatur & plantis, *philosophatur* (*l. de incant. c. 12. p. 293.*) *Petr. Pomponatius.* Succinit *Ovid.* (*l. 4. Metam. v. 749.*)

Nunc quoque Coraliis eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant ut ab aëre, quodque
Vimen in æquore erat, fiat super æquore saxum.

Ante hunc eadem *Orpheus* (*si quidem autor est in Carm. de Corall. quod exhibet & explicat Joh. Gans.* (*Corall. Hist. c. 1. p. 5.*). Dignior est hæc *Ovidio & Orpheo* Poëtis, atque *Pomponatio & Alberto M.* Philosophis convenientior traditio. Non enim plantæ marinæ in saxosas plantas figurantur, alias non uniformi facie se conspiciendas sisterent, sed è proprio semine, quod baccas esse voluit *Plinius* (*l. 32. c. 2.*), easque ex relatione Siculorum candidas descripsit *Fr. Baco Verulam.* (*cent. 8. Sylv. n. 780. col. 916.*). Si namq; certo mense lapidea comprimantur virgulta aliquid lactei stillant, quod in petras decidens, iisque glutinis more adhærens, seminis vice fungitur, ut ex *J. B. Tavernier* (*l. 2. Itin. Ind. c. 23. p. 139.*) constat. Est proprium hujus plantæ, *decidit Georg. de Sepibus* (*p. 2. Musʃ. Coll. Rom. c. 8. p. 45.*), liquorem spermaticum ex se demittere, cujus guttæ in quodcunque obvium corpus ceciderint, ibidem novæ corallinæ plantæ sobolem nasci faciant. Didicit, *pergit*, hoc Naturæ Arcanum *Kircherus* ex Arabicis maris rubri urinatoribus, qui ibidem ad multos annos corallo ex imo maris extrahendo operam suam impenderant. *Nicol. Claud. Fabr. de Peireisc.* memorante *Petr. Gassendo* (*l. 4. de vit. Ej. p. m. 254.*), in expiscatione Coralliorum prope Tolonem nobilem Massiliæ portum observavit, quod Coralliorum plantæ avulsæ eductæque ne-

neque rubebant, neque tersæ erant, nisi detracto Cortice molles aliunde, tactuique cedentes ad ipsa cacumina, quæ rupta pressaque emittebant lac, ficuum instar, & compressione desinente apparebant interpunctæ tenuibus foraminibus, seu quasi vacuis venulis, quibus lac illud fuerat emissum. Gemella è Jesuita *P. Fournier* (*l. 4. Hydrogr. c. 27.*) allegavit *Illustr. Rob. Boyle* (*Hist. fluid. & firm. f. 68. p. 143.*), hisque egregia superaddidit alia testimonia. *Confer. Niderstedt.* (*l. 1. de Malt. vet. & nov. c. 6. p. 28.*). Quod de cortice scribunt, muscus marinus mihi videtur esse, qui non solum Corallis, sed & petris, Conchyliis aliisque marinis adhærere solet. Algas & frutices corneas his misceri, *Adam Olear.* (*in Not. ad Jürgen Andersen l. 2. Itin. c. 3. p. 68.*) intimat. Nec λιθοφύτω illo id solum præstat aër, sed & in aliis calculorum generibus. Lapides murarii è vena apud nos extracti tales sunt, quibus portiones vel cultris abradere consvevimus, in aëre verò suam demum acquirunt duritiem, qui ea propter à latomis recentes minori labore effinguntur. Calculi Renum & vesicæ aëri sæpius suam debent duritiem, & illi expositi pondere decrescunt suo. Ad cryptas in quibus stalactites stillat Te remitto. Maximè huc referri meretur illa *Anonymi* (*Ambassade de la Compagnie Orientale de Provinces unies vers l' Empereur de la Chine p. 621.*) observatio. In mari prope Insulam Aynan Chinæ vicinam inveniuntur cancri, qui se movent, qui comedunt, qui mordent in aqua more nostrorum, sed illicò moriuntur aquis extracti, & indurantur in lapides. In aqua mollis unio exemtus protinus durescit, *inquit Plinius* (*l. 9. c. 35.*). In Principio molles esse non inficior, ab aëre indurari nego. Generationem harum testarum similem fecit *Philipp. Bonann.* (*P. 3. de Testac. probl. 2. p. 182.*), quorum novum incrementum & nova acretio per novam incrustationem humoris coagulati Gallinæ loculis, quibus ova generantur innumera Indi conchylis matricem comparant & sic eniti Conchyle è labiis prodeuntes margaritas, ut maturas, & jam genetricis oscitantis alvo egredientes urinatores, teste *Petr. Martyre* (*Dec. 3. Ocean. l. 10. f. 65. a.*) reperiebant, Gemina his habet *laudatus Bonann.* (*c. l. p. 2. Cl. 2. p. 94.*). Et cum semper clausæ in fundo maris & tenebris versentur ostreæ, ut iterum docuit (*p. 3. probl. 2. p. 181.*), quis mollitiem eorum exploravit? & qui è rore provenire & gigni eosdem cum *Plinio* (*l. c.*) asserunt, erroris arguit. Quod si molliores cum Coralliis deprehendantur, maturitatis defectus allegandus.

§. 189.

In aëre aliquando quid λιθόγονον undulare pluviæ lapidum satis superque probant. Lapidatum de Cœlo Romæ, ut in Italia singulis penè annis *Livius* ad fasti-

fastidium repetit. Anno etiam 1510. in Lombardia lapides durissimos colore ferrugineo, odore sulphureos præcipitasse, unumq; 120. librarum Regi Galliæ ostensum, *Hier. Cardanus (l. 14. de Var. Rer. c. 72.)* retulit. *Add. Georg. Agricol. (l. 4. de Ort. Subterr. p. 512.)*. Imbres saxeos totas sæpè comminuisse *regiones*, *Arnob. (l. 1. adv. gent. p. 10.)* notat. Pluviæ gemmeæ *Bohusl. Balbin. (l. 1. Misc. Hist. Regn. Bohem. c. 50. p. 117.)* historiam texuit, ut & pluviæ lapidum in Fionia A. 1654. d. 30. Mart. *Th. Bartholin. (Cent. 4. hist. An. 49. p. 337.)*. In Gallia concitata tempestate saxea procella tectis arboribusque stratis multos homines exitio dedit, *narrat (l. 2. Sacr. Fatid. c. 8. p. 150.) Edo Neuhusius*. Magni etiam & ponderosi lapides ex aëre decussi. Saxeam pluviam se sustinuisse cum Comite, cujus pedibus in curru unus & alter lapis allidebatur, descripsit *M. Cyriac. Spangenbergius (Mansfeldische Chronick)*. Sub Principe Dimylo cecidisse de cœlo lapidem, *Anaxagoramque* tum dixisse cœlum omne ex lapidibus esse compositum, ac vehementi circuitu constare: aliàs continuò summa vi impetus lapsurum *Diog. Laërtius (l. 2. de Vit. Philos. p. m. 95.)* prodidit. Decidit ex cœlo, (quæ cummunis est opinio,) *refert Plutarchus (in Vit. Lysandri p. m. 96.)* ingens Lapis ad Ægos potamos, ostenditurque adhuc, & ab iis, qui Chersonesum habitant, colitur. Ferunt, *addit*, *Anaxagoram* prædixisse, quoniam cœlestia corpora mutuò essent connexa, fore ut agitatione eorum unum aliquando labefactum avulsumque decideret. Neque verò esse stellas in iis locis, ubi cernuntur; sed quia lapidea sunt & gravia corpora lucere ea refracto in ipsis æthere, circumagi autem constricta vertigine & vehementia motus cœlestis eumque motum compactorum corporum ita ab initio obtinuisse ne cœlum rueret: Frigidis istis & gravidis corporibus à se mutuo avulsis. *Hæc Plutarchus*. Anno ab urbe condita 402. saxea grando veris terram concussit lapidibus, (*Otto Frisingens l. 2. Chronic. c. 23. p. 27.*). In Gallia Provinciali A. 1639. 29. Nov. lapis 54. librarum de cœlo lapsus fertur *Th. Bartholino (c. l. p. 336.)*. Plura *Oolog. general. (Diss. 2. §. 81. p. 113.) & Jacob Mock, (p. 1. de Caus. Concret. & Dissol. p. 284.)*

§. 190.

Semen lapidum, s. petrificum cum consistat in solo odore saxeo, qui est incorporale atque invisibile fermentum *juxta Helmont. (c. l. c. 1. n. 13. p. 652.)* sub materia vaporosa & halituosa è terra aliquando in sublime aëris ferri nemo forsan dubitabit, cum & illud ex abysso, s. mari *Helmontii* interno ad superas terræ regiones sub hoc schemate ab Archeo minerali elevetur & coaguletur posteà. Hinc lapides aërei & procellæ & imbres saxei. Facessat igitur *Anaxoræ* fabula,

quæ vel *Heraclyto* risum extorqueret. Credamus (*infert. Libert. Fromont. l. 5. Meteorol. c. 6. art. 3. p. 401.*) posse in nubium fornacibus tàm citò ejusmodi corpora mixta ex vapore & exhalatione eum fermentante concoqui, quam Asparagi, ut dicebat *Augustus*, coqvuntur, unde inter fulminandum præsertim ab improba, subtili & penetrante flamma lateres illi confici solent, & sulphurei lapides. Statim tamen ac materia densari incipit, necesse est delabi & celerrimo naturæ opere absolvi in ipso casu. Adde, quæ recitat *Erasmus Francisci* (*Im Erd umgebenden Lufft-Kreiß Discurs. 9. p. 763.*). Meminit etiam singularis pluviæ silicum *M. Cyriac. Spangenberg* (*p. 1. Chron. Mansfeld c. 388. f. 467. a.*), qua silices summo impetu copiosè in aëra raptas arbores, ædes, armenta in campis, imò ipsos homines prostravit, quà pluvia & ipse cum *D. Burckardo Mitlobio*, in cujus crura duo lapides impegerunt, quos ipse asservavit *Spangenberg* in eodem cum eo curru vectus. An facilius fuit tantam silicum copiam per aërem aliunde deferri, an in aëre generari, non liquet.

§. 191.

In verò non credidit *Joh. Bodinus* (*l. 2. Theatr. Nat. p. 228.*). Dum infit: Quid natura tam alienum quam levissimo vapore metalla gravissima generari? aut quid naturæ minus conveniens quam lapides densissimos, frigidissimos & gravissimos ab expiratione tenuissima ac levissima constare? Neque enim vapor aut expiratio unquam esse potest, nisi in sublime feratur: Lapides autem ac metulla tum in aquis, tum in intimis terræ visceribus coalescunt. Et cum unaquæque res in ea ipsa dissolubilis sit, ex quibus coagmentatur, per naturam nullo modo fieri potest, ut ex vapore metalla concrescant, cum in fornacibus fusa, aut in vaporariis diuturno calore cocta ne minimum quidem vaporem expirare possint, hoc enim Chymistæ maximo cum suo detrimento jam pridem experti sunt: Multo minus lapides exhalatione concrescunt, cum in aquis, ubi nulla vis est exhalationum, quæ calida & sicca natura constant. Repetit hæc paulò post (*p. 258.*) eandemque sententiam calculo approbat suo (*l. 6. instit. Phys. c. 1. §. 2. p. 227.*) *Heinric. Kipping.* Sed hi viri boni non distinxerunt inter metallorum & lapidum generationem dum fit, & dum facta est. Priori modo ex halitu constare pluviarum portenta evincunt, quod ad posteriorem modum Metalla igne in vaporem resolvi posse Mercurius totus in fumum facessens, & quædam metalla impuriora, quæ crebra ignitione in fumum abeunt, ignitaque aquis immersa de pondere aliquid perdunt. Glebas metallicas intuentur, & his per minima ferè invisibilia ab Archeo minerali invisibili specie vaporis aut fumi sublimata metalla inesse perspicient.

§. 192.

§. 192.

Et hoc ipſo ſpiritu aëris cribrum, ut Ariſtophanes jocatur, adimplente, integras pecudum greges & armenta in ſaxeam ſubſtantiam ocyſſime mutata narravit *Hier. Ortelius* (*in Ruſſ. deſcript.*). Poterit & fulminibus miſceri & Effluviis in Terræ motu ex abyſſo emergentibus, ut ejus admiranda vi in ſtatuas lapideas obrigeſcant bruta & homines, ut ſupra ex *Aventino* (*§. 10.*) & Kirchero narratum. Idem fatum manet in antris & ſpeluncis terræ ſuffocatos.

§. 193.

Sanè nemo neſcire, nemo non admirari queit auram ſpiritumque è ſulphure & plumbo mercurium in affine metallum figere, novimusque ipſi, (*ſcribit Honorat. Maria Lautier. de Fœt. Muſſipont. p. 35.*). Spiritum ab auro viſibili vaporetenus avocare novimus, *pergit*, quo ſecreto, quanquam argenti illud referat ſpeciem & malleo adhuc ductile quoque ſit, ad leve tamen examen igne totum haud ſecus ac Mercurius currens avolet & evaneſcat. Quid miri igitur & lapideſcentes ſpiritus reperiri? *concludit.* Odore loci homines transmutari, *Helmontii* (*c. l. n. 13. p. 652.*) effatum eſt. Fracidus odor ſaxeus, è monte ſiliceo (*c. l. n. 6. p. 65.*), ſi in ſuccum vegetabilem terræ (quem Leffas *Paracelſus* vocat,) inciderit, oriuntur ſtrata lapidea ſubter terram, *pergit Idem* (*n. 16. p. 653.*). Homo puoque concluſus loco fracido, primum odore petroſo ſuffocatur, qui odor dein arterias & ſolida pervadens, transmutat cadaver, priusquam putreat, in petram. Idem antea (*n. 13. p. 652.*) docuerat; Semen petrificum, reſervata figura humana abſque intermedia putredine aut materiæ diſſolutione, totum per totum petrificat, tam oſſa ſc. quam cutim. Adeoque petroſum arripit quælibet, etiam procul à ſe aliena. Simili illud illuſtrat (*n. 16.*), ut fumus carnes ſale madentes compactasque à circumferentia ad Centrum usque penetrat, ac tingit, ſic & odor petroſus carnes.

§. 194.

Exemplum aliud ſuggerit (*n. 17. p. 633.*); Circa annum 1320. intra Ruſſiam & Tartariam, in altitudine graduum 64. non procul à palude Kitaya Horda Baſchirdorum penitus in petras mutata legitur (forſan *ap. Ortel. Vid. §. 192.*) cum toto armamento, curribus & armento. Dicunturque etiamnum hodie homines, Cameli, equi, greges atque omne concomitans curruum & armentorum genus ſubſidio concretum, horrendo ſpectaculo adhuc inſaxata ſtare. Quod ſi inde abſit miraculum, *judicat*, certè ille tractus non niſi petra eſt continua, rimis pervia, quam ſilente per multos dies vento, de-

pressaque supernè aura fortis odor saxabilis fracidus (qualis in Cuniculis sive fodinis aliquot spectatur enecans odor,) spirasse potuit suosque inambulones una necuisse nocte, qui tandem præ loci frigore, putredinem inhibente transmutavit creaturas, quas quidem ante necuerat. Non secus atque pergameni illi in Cryptis & Chirotheca in fonte.

§. 195.

Quod si Spiritus iste petrificans aquæ poros invadat, succum petrificantem sistit, ab ipsa aqua si oculos consulas, nihil differentem, & ut plurimum sua pellucidate ipsi conformem. Testari id poterit aqua stalactitem in momento producens, & pro ratione circumstantiarum, ut *ex supra* (§. 8.) allatis claret, decidendo varias, non rarò mirandas figuras exprimens. Quocirca *Nicol. Steno (de Solid. in solid. p. 122.)* duobus modis in aqua delitescere solida enunciavit, dum vel pulveres vel eorum elementa ibi delitescunt. Prior modus hic minimè in scenam vocandus. Nec ideò accuratè philosophatur *Joh. B. du Hamel, dum* (*l. 2. de Fossil. c. 6. p. 424.*) asseruit: Nec succus Lapidificus aliud est, quam aqua saxeis ramentis prægnans; hæc enim, *pergit*, ubi calcis mineras, præterfluit calceum pulverem secum vehit, qui sæpè in gypsum, vel in lapidem specularem abit, cum exuberans aqua vel percolata, vel calore difflata fuerit. Quam diu succus ille agitatur, speciem aquæ præ se fert, sed ubi consistit, lapidis duritiem statim contrahit. *Hæc ille*. Rectius Elementis lapidum imprægnata hic substituitur: Quod si illa poros subeat, fibrisque carneis, membranaceis & osseis se insinuet, mollitiem earum partium in saxeam vertit duritiem. Talis forsan Aqua Fluvii Uruguay in Paraquaria, quæ testantibus id *P. P. Antonio Sepp. & Anton. Böhmio* (*in Itinerar. p. 172.*), Ligna, limoniorum Cortices & carnem in saxum condensavit. Narrat *Aringhius* (*in Rom. subter. f. 202.*) de nonnullis sarcophagis, in Vaticano erutis, qui purissima aqua omni ex parte abundabant, ex qua defunctorum ossa, quovis Marmore duriora, evaserant.

§. 196.

An terræ etiam vis lapidifica insit, ut Medusæo quodam dominatu non fabuloso, sed vero omnia valeat in lapides transformare? disquirunt Curiosi. Id verò ex sua natura Terræ non competere, pariter ut aquæ, quatenus Elementa saxea aut spiritum petrificantem imbibit, asseritur. Semina in Terra lapidescere, si in terra flos salis lateat *Paracels.* (*l. de Meteor. p. 100.*). Stirpes cochleæ & alia, quia succo lapideo nutrita, in lapidem convertuntur, nutritum enim in nutrientis naturam verti, nec inauditum est, nec præter rationem, *Steph. Rod.*

Castrens

Castrens. (*l.4. de Met. Microc. c.16.p.219.*). Quin compertum est, metalla sub terra etiam in Monetam excusa prius à natura fuisse quandoque in lapideam substantiam versa, quæ suorum Principum adhuc retinent imagines, *Gerh. Dorneus* (*Conger. Paracels. doctrin. de transmut. Metall. Theatr. Chym. T.1. c.1. p.563.*) disserit. Add. *Philipp. Bonanni de Cochleis Terrigenis* (*p.1. de Testac. c.7. p.41. sq.*) prolixum discursum. Ipsam terram in scopulos & saxa migrare memorabile exemplum est in Sveciâ, suggerit *Barthol. Keckermann.* (*l.2. Syst. Phys. c.13. p.174.*). Ubi tempore Gothorum antequam nimirum ii effunderentur & migrarent in Italiam, Hispaniam & alia meridionalia, agri longè fertiliores fuerunt, quam nunc sunt, ita ut nunc sint durissimi scopuli & saxa ac lapides, ubi olim fertiles agri fuerint, id quod ajunt apparere ex sulcis, quorum vestigia remanserunt in ipsis scopulis & saxis. Quinimo adhuc hodie, *pergit*, in multis Sveciæ locis, etiamsi ager admodum laboriosè colatur, & terra sive gleba benè maceretur, tamen quadrienni spatio magna agri & glebarum pars lapidescit.

§. 197.

Quomodo verò, regeris, Aura, aut Spiritus ille petrificans occlusos à frigore cadaveris penetrabit poros, ejusque visceribus, ut insaxentur, Helmontii verbo utor, se insinuabit? Clausos esse cadaveris poros non nego, non ita tamen, ut omnis accessus aëri & spiritibus intercludatur. Odor sanè nauseabundus Cadaveris patentes pororum vias evincit, quin & salitæ carnes contrarium docent. Perosa permeare terram & aquam tophaceam *Georg. Agricol.* (*l.7. de Nat. Fossil. p.638.*) *Petr. Andr. Matthiol.* (*præf. in l.5. Dioscor. p.631.*) *Isbrandus à Diemerbræck.* (*l. Anat. c.13. p.443.*) calculo probant suo. Egregium de Marmore, lapidum durissimo, extat Experimentum, quo colorem sangvineum, eundemque indelebilem marmori candidissimo conciliari, posse virtuosis notum est, exercuitque, cum primò illud in Anglia propalaret *industrius vir Bordius Latomus, Oxoniensis, teste Joh. Christoph. Becmanno* (*Diss. de prodig. Sangvin. c.2. §.2. p.13.*). Liquorem vegetabilem casu in Anglia inventum, interiora marmoris pervadentem & tingentem *Georg. Dan. Morhoff.* (*Epist. de Metall. Transmut. p.27.*) scripsit. Alia etiam corpora poris Marmoris recipi præter unctuosa expertus sum, *scribit Rob. Hoock.* (*Micrograph. obs.15. p.97. ex versione laudati Becmanni c. l. p.14.*), invenique intense cœruleam tincturam, extractam spiritu Urinæ celerrimè ac facillimè marmore imbibi æquè ac variæ tincturæ Spiritus vini. Nec colores tantum, sed & imagines in marmore candido mollioris substantiæ pictæ totius lapidis soliditatem penetrare, ita ut sectus in quotcunque volueris partes semper ex utraque eandem tibi figuram exhibeat.

Equitem Vannium Romæ hanc artem magno pretio vendidisse, *Athan. Kircher.* (*l. 8. M. S. f. 1. p. 46.*). Experimentum se etiam fecisse *Idem* gloriatur cujus experimenti vanitas censuram Becmannianam subiit, (*c. l. §. 3. p. 15.*), quod fatum alia etiam Experimenta Kircheriana experientiæ minimè respondentia subiere. Ita de Auro Philosophorum materia quadam spirituali attenuato, extenso & penetrativo facto *concionatur Joh. Joach. Beccherus (Supplement. 1. in Phys. Subterr. c. 6. p. 135.)*, quod corpora quæcunque incredibili penetrantia, in minimis atomis penetret, ab hac penetrantia alteret, suamque vim stypticam figentem inducat sine reconcentratione, aut sui recorporatione. Quod si igitur dantur marmora & metalla durissima penetrantia, nemo facile controvertet, si in mollia & porosa corpora idem jus exerceant vapores exhalationes & aquæ spiritu petrificante gravidæ, neque illorum poris & fibris se insinuando petras faciant & saxa.

§. 198.

Quod si prætereà Cartesii complices in scenam hanc introducas, dicent, quod particulæ unius corporis non discrepent ullatenus à particulis alterius cujusvis, nisi quoad molem, texturam, figuram & proportionem, (*Vid. Bernhard. Connor. Evangel. Med. Artic. 7. p. 49.*). Possunt autem (comprimis concurrente superi Numinis potestate) cuilibet, vel minimæ materiæ, particulæ omnes figurarum species vel excavando insculpi, vel incudendo imprimi. Unde triangulus in cubum, cubus in conum, conus in rhomboidem figuram, Rhomboides in trapeziam, sphæricam, cylindricam, pyramidalem, stelliformem, ovalem, angvillarem & reliquas id genus figuras transmutari. Nec tantum innumeras figuras assumere possunt corporis alicujus particulæ, sed etiam innumeris modis sibi opponi & applicari possunt, quæ diversa particularum applicatio diversas texturas efformare apta est, & corpora diversæ naturæ & effectus constituere. Uti videmus quod aqua ex eodem fonte exhausta, & per hortum pro irrigandis plantarum radicibus aspersa in mille diversæ indolis fructus abit, (*Id. ibid. p. 50.*). Ex his inferre datur, (*pergit p. 51.*), quod quævis portio, imò particula Aëris, Aquæ, Terræ vel alterius simplicis aut mixti corporis multas, & dissimiles figuras assumere potest. Aliæ enim particulæ salinis cuspidibus acuminari; aliæ in sulphureos & lubricos villos excudi, aliæ in scabras & porosas terra figuras excavari; aliæ in leves & ovales aquæ formas tornari possunt, & juxta diversam earundem proportionem & contextum in vinum, in sangvinem, in panem, in Oleum, in serpentem, in pediculos, in humanum

manum corpus, corpus humanum in salem, (etiam saxum & petram,) & in innumeras alias formas, eversa figura & mole sine fine transmutari poterunt.

§. 199.

Lithopædium Agendici Senonum *supra (§. 109.)* deprehensum, quod hodiè in Musæo Regio Hafniensi adhuc conspicitur, si primam descriptionem examines secundum partes exteriores non perfectè petrefactum reputares, cum penè lapideum saltem declaretur, & idcirco remotis integumentis etiam viscera in conspectum venere, ultra modum indurata, non tamen ut externæ. Apertionis & denutationis viscerum non meminit, in externorum descriptione saltem occupatus, *Th. Bartholin. (cent. 2. hist. Anat. 100. p. 359.)*, ut ferè, an genuinum sit, facilè subdubitare liceat. Quin alibi (*Cent. 3. Epist. 8. p. 28.*) memorat: In Augusto Serenissimi Regis nostri Musæo, Lithopædium illud contrectantes, nullam interiorum fabricam potuimus scrutari, quia saxea soliditate universum corpus infantile induruerat. In nonnullis immutatus fuit fœtus & temporis diuturnitate, & itinerum varietate ipse fatetur. Quod si non membra distincta, quin & viscera exactè formata oculis stitisset illud Lithopædium suspicari quis potuisset calculum id uterinum extitisse, quales *supra* (*§. 80. 81.*) varii recensiti. De mola lapideâ in Equa inventa *Jacob. Mockius* (*p. 1. de Caus. concret. & dissol. p. 190.*), qui & (*parte 2,*) de molis fœminarum se tractaturum promisit, quo pro misso an steterit ignorare cogor, cum non nisi primam partem videri mihi licuerit. De monstro vitulino, cui & sternum etiam lapis perfectus erat, insidebat lapidi viginti libras & dimidiam pendenti quod recitat, *Henric. Oldenburg. (Act. Soc. Reg. in Angl. p. 7. & 14.)* & ex hoc *Ephemer. Erud. Gall.* (*Th. 2. p. 1. Ephemer. 3. p. 33. & Ephemer. 40. p. 464.*), sed unde fœdus apud Pareum (in mea edit. latina à *Petro Ufenbachio Francof. 1610.* non habetur; Gallicam puto citavit, *l. 25. c. 11. Thom. Bartholin. c. l. p. 359.*) hausisset odorem seminis petrifici? quærit *J. B. Helmont.* (*tr. de Lithias. c. 1. n. 26. p. 653.*). At non id accidit primum vi seminis petrosi respondet: Sed transplantatio facta est vi prægnantis, attentius admirantis sculptrum saxeum. Alioquin constituto fœtu, transmutatoque in saxum, deinceps inde odor saxeus dimanavit. Quo factum est, quod matris uterus fere totus, una cum fœtu illo petrificatus fuerit. Etenim ut fumus carnes sale madentes, compactasque à circumferentia ad Centrum usque penetrat ac tingit: Sic & odor petrosus carnes. *Hæc Helmont.* Quod si repetas cur fœtu

petrefacto, non idem subierit fatum prægnans mater? Id verò jam *supra* (*§.183.*) innui, non nisi mortua insaxari corpora, non viventia.

§. 200.

Quod ad fœtum Mussipontanum, aut ut quibusdam, imprimis *Arnoldo Senguerdio* ostentum vocatur Dolanum, fuere qui de rei veritate dubitarunt maximè. Petrificatio tamen incipiens Medicos non turbavit, ut fidem historiæ denegarent, quam quod extra uterum fœtum repertum assereret, cum extra uterum fieri non possit conceptio. Non igitur historiam, sed meram fabulam pronunciavit *Gvido Patin.* (*Vid. Judic. Celeberr. Viror. de Fœt. Mussip. à Strausio collecta p.3.*). Nec *Æsopi* fabulæ sunt præ isto commento, *addit*: Nec fraudem aut mendacium in hac fabula latere dubitat (*ap. Thom. Barth. cent.3. Ep.83.p.357.*). qui idcircò non vult pro hujus veritate vadimonium desere, (*c.l. Ep.84. p.388.*). Nil esse nisi suavem & lepidam fabulam à nescio quibus per otium ad ludendos medicos confictam narratum *O. Borrichio* (*ap. Eundem c.4. Ep.51. p. 230.*). In castris natam putat historiam, militari fide confirmatam, quæ infesta nonunquam commenta lucri loco secum adducere solet *Magnif. & Illustris noster Joh. Georg. Volcamer* (*ap. Laur. Strauf. c.l. p.21.*). Sed horum incredulitatem obtundit nobile testium par *Kenelmus Dygby & Joh. Henric. Pents à Pent.* (*c.l. p.2. & 3.*). Audiamus ipsum *Pentsium*. *Barbillotus* (*Pharmacop. apud Jesuitas Lutetiæ Parisiorum*) fœtum Mussipontanum in aqua salis spiritu vegetata, ne putredine exedatur, asservatum mihi videndum & tangendum pronuper exhibuit. Visus sum mihi oculis usurpare *Virbium* in Poëtarum spectaculis, vel constitutus in tristi cujusdam *Medeæ* culina, ubi mactati *Peliæ* membra ostentarentur. Vidi apprimè noscenda faciei lineamenta, auriculas, nasum, brachia, manus, digitulos, crura, pedes, unguiculas, qui rotundum ovi oblongum referebant, desinentes. Extremitates lapidescentis materiei duritiem tactui offerebant. Accuratè adeò omnia designabat, ut sexus fœminei in tam pusilo corpore notanda non negligeret. Accessit ante menses aliquot ad nos studiosus ex Electoratu Trevirensi ortus, *scripsit ad Strausium Joh. Theod. Schenck.* (*Vid. Strauf. Respons. ad Exam. pulv. Sympath. & Secundinas Mussip. Deusing. p. 236.*), qui aliquot per annos Mussiponti vixit, suisque oculis fœtum ipsum cum lapidescentibus suis involucris vidit, tetigit & palpavit.

§. 201.

Multa tamen, quamvis hæc ita se habeant, hunc fœtum suspectum reddere *Th. Barth.* (*cent.3. Ep.8. p.25.*) demonstravit. Author historiæ tacetur, cujus

cujus authoritati plurimum tribuimus, & idonei deficiunt testes. Neque mulieris ſaxagenariæ accurata expreſſa hiſtoria. Fœtus hiſtoria non recte deſcripta. Nec Symptomata allegata, quia contrarium potius ſvadent. Nec quâ parte abdominis hæſerit fœtus ſatis exprimitur. Mirum quomodo in fœtu petrefacto Cerebri apertio & viſcerum medii & infimi ventris inſpectio inſtituta & tamen integer adhuc ſervatur in Authoris Pharmacopœa. Putredinem ſalinus ſpiritus arcuit, quo lapideum corpus emerſit, quod in Lithopædio Senonenſi viſum. Mirum externa lapidea, interna cultro ſecta. Tumoris Anomali (Sarcoma) eſſe potuit, imitamentum illud hominis. Ætas mulieris ſi conſideretur, annum ſexageſimum prætervecta, ſi cœlebs tot annorum vita expendatur certè conceptui erit inidonea, ſed apta tumoribus ob menſtrui fluxus defectum & ſenilis colluviei collectionem. Ipſe locus accommodatus excipiendis ad abſceſſus anomalos impuritatibus. Quomodo inter Peritonæum ac inteſtina ſemen pervenerit, quis dicet? Sed conceptio tubaria fuit, *de qua fuſius alibi* (*Oolog. Special. Diſſ.3. Conf. Joh. Chriſtoph. Eiſenmenger* (*ap. Strauſſ. c.l.p.53.*). Conceptus interim in tuba uteri grandior factus canalem perrupit, (ſed in utero nulla cicatrix deprehenſa) in abdominis cavitatem fœtus deſcendit. Quod putredinem evaſit ſalinis ſpiritibus imputandum. Hæc *Th. Bartholin.* mens in breve Syrma contracta. Deſiderat etiam quædam in hiſtoria *Honorat. Maria Lautier.* (*c.l. p. 25.*), ut & *Mauritius Hoffmann.* (*ap. Strauſ. c.l.p.31.*) & *Joh. Theod. Schenck.* (*c.l.p.237*). Dubia etiam movit *Arnold. Senguerd.* (*Ep. ad Fort. Vopiſc. Plempium de Oſtento Dolano*), *quibus reſpondit Laur. Strauſſ.* (*c.l.*)

§. 202.

Fuere, qui ſuperiores & ſupra naturales cauſas in medium producere geſtiebant: Dici poſſet, *commentatur Joh. Mart. Weibelius* (*ap. Laur. Strauſſ. c.l. p.18.*), fœtum à Dæmone procreatum, aut à DEO in pœnam & vindictam alicujus manifeſti vel occulti, proprii vel alieni peccati, aut ſine tali cauſa ad portendendum aliquid, aut alias pro ſuo beneplacito ſubſecutam eſſe talem procreationem, aut per veneficium injectum, uti plurima ſunt exempla de variis animatis & inanimatis injectis bufonibus &c. quæ ſicuti factu non ſunt impoſſibilia, ita creditu non videntur adeò eſſe abſurda. Sed cum naturalis cauſa quærenda ſit, Diabolusque ex mente multorum mediis non niſi naturalibus agat, ut & venefici & ſagæ. (*Evolv. Strauſſ. in Epilog. p.47.*), probabiliorem ſententiam concludit *Maurit. Hoffm.* (*c.l.p.31.*) fœtum in utero materno formatum temporis progreſſu ex calculoſa matris diſpoſitione non adeò infrequenti petrificatum.

§. 203.

Quod si aliquid de meo addere licet, decernerem quod ad primum ostentum, cum lapides in utero concipi possint, ut demonstratum (§. *106.*) imò & uterus ipse in ponderosam lapideam molem transmutari, illa fœtus in petram metamorphosis non impossibilis videtur. Qvod ad alterum, cum non in utero, sed extra eundem inventus fuerit, an fœtus, an lapis in formam fœtus effictus dicendus sit. Non sint de nihilo è *Th. Bartholino* (§. *199.*) adducta. Repeto saltem seqventia: Mirum quomodo in fœtu petrefacto Cerebri apertio, & viscerum medii & infimi ventris inspectio instituta, & tamen integer adhuc servetur in autoris pharmacopoeâ. Si cultro aperiri & secari potuit, petrefactus perfectè haud fuit. Etsi hoc, una adhuc integer? Si vera relatio lapis à principio extitit, adeoque non erit pro fœtu transmutato s. lapidefacto, sed lapideo habendus, aut petrefactus fœtus proclamandus. Ad molem contulit materiæ calculosæ copia, quia dispositione ad calculum laboravit indubiè mater, figuram dedit matris imaginatio. Quod serpentem aut potius formam serpentis in Cervi ventriculo formavit, & constituit? (*Vid. supra* §. *87.*). Quod format in Antris & cryptis terræ tot tantaque similitudinem formæ referentia, petrosa corpora? id etiam naturale hoc patravit miraculum.

§. 204.

Restant adhuc causæ, quæ corpora ad petrefactionem disponere dicuntur. Præstantissimæ & maximè efficaces sunt animi affectus. Oriuntur lapides ex maximis animi affectibus, sed præcipue Cholera & Melancholia suggerit *Dominic. Panarol.* (*Arcanor. Fascic. 1. p. 209.*). Nos pluries hoc experti sumus, animi scil. perturbationes hujus morbi sæpe radices esse. Videas hic apud Poëtas egregias fictiones. Pavores hic locum inveniunt. Pastor viso *Cerbero* ab inferis ab *Hercule* tracto, nimio pavore in saxum versus è *Lutatio Veteri Poëtarum interprete* (*in l. 10. Metam.*) *Casp. Barthius* (*l. 3. Advers. c. 17. col. 398.*). *Nabal* pavore concussus, (aut avaritia, quod addidit, *Joh. Clericus* (*Diss. de Lothi Uxore. V. Act. Erud. Lips. Ann. 94. p. 108.*), quasi in lapidem obriguisse, in sacris perhibetur (*1. Samuel c. 25. v. 37.*)

§. 205.

Idem tristitia & luctus nimius patrat. In tristitia, *judicat Heinr. Gerritson Herfeld* (*l. 2. Philos. Hom. c. 16. n. 386. p. 402.*), secretio humorum non absolvitur, unde illorum coagulatio particulas lapidescentes, salinas nempè irretit, inque lapidem compingit. Exempla prostant. *Cynaram Assyriorum Regem* in

lapi-

lapidem versum flendo infortunia filiorum *Joh. Boccatius* (*l. 2. Geneal. Deor. c. 51. p. 47.*) prodidit. Et cui Niobe ignota esse poterit?

Cui duodecim liberi in domibus perierunt:
Sex quidem filiæ, sex autem filii pubescentes,
Hos quidem Apollo interfecit argenteo arcu
Iratus Niobæ: illas verò Diana sagittis gaudens
Quoniam Latonæ se æquiparaverat pulchrigenæ.
Dixit duos peperisse: ipsa autem pepererat multes,
Hi sanè & duo existentes omnes perdiderunt,
Quæ quidem novem dies jacebat in cæde: neque quis erat
Ad sepeliendum: populos enim lapides fecerat Saturnius,
Hos verò decimo die sepelierunt superbi.

Hæc Homerus (*Iliad. 23. v. 565.*). Habet & fabulam (*l. 6. Metamorph. v. 248. sq.*) divina eloquentia, *judicio Casp. Barthi* (*Tom. 2. in Stat. Animadv. p. 241.*) descripsit *Ovidius*. Causa fuit superbia & lingvæ in Deos Deasve petulantia. Quocirca

κακογλώσσοιο τύπος

Nonno (*l. 2. Dionys. v. 161.*) audit de numero liberorum *Niobes* dissidiæ sunt nugatoribus *Casp. Barthius* (*in 3. Thebaid. Stat. v. 198. p. 734.*) monuit. Mira & prope adeò ridicula diversitas fabulæ apud Græcos deprehenditur, super numero *Niobæ* filiorum, *commentatur* (*l. 20. c. 7.*) *A. Gellius*. Nam *Homerus* pueros puellasque ejus bis senos dicit fuisse; *Euripides* bis septenos; *Sappho* bis novenos, *Bacchilides & Pindarus* bis denos, quidam alii scriptores tres fuisse solos dixerunt: Add. *Hygin.* (*Fabul. 9. p. 17.*). Ex his Melibœam è filiabus & è filiis Amiclam, quod solæ Latonam fuerunt deprecatæ servatas fuisse, quidam narrant, quod minime approbat *Homerum* secutus *Pausanias* (*l. 2. s. Corinth. c. 2. p. 160.*) De hac (*l. 3. Tuscul. quæst. c. 26.*) *Cicero*: *Niobe* fingitur lapidea propter æternum, credo in luctu, silentium. Aliter *Palæphatus* (*de in Credib. c. 9. p. m. 64.*) & ex hoc forsan *Gilbertus Cognatus Cl. 2. Sylv. narrat. p. 62.*), id nempè à Poëtis fingi, quod ipsa post enectos liberos dolore immodico in petram diriguerit, suamque ipsius lapideam statuam super liberorum monumento posuerit. Positum id in Sipylo monte extabat. Ego *Nioben* ut viderem, *narrat Pausanias* (*in Attic. s. l. 1. c. 19. p. 17.*), in Sypilum montem ascendi. Silex & prærupta crepido imminet: quæ propè assistenti neque mulieris, neque lugentis formam ostentat: qui verò procul aspexerit, mulierem lacrymantem & mœrentem sibi videatur. *Praxitelem* fecisse id monumentum, Græcum testatur *Epigramma*, quod verterunt

Thomas Morus & *Guilielmus Lilius* (*Vid. Progymnasm. Th. Mori p. m. 178.*) *Ausonius* (*Epigr.*) liberius:

Vivebam sum facta silex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe
Reddidit Artificis manus omnia, sed sine sensu
Hunc ego cum læsi numina non habui.

Quo ipso carmine nihil se usquam legisse, aut etiam audisse elegantius, melius, absolutius *Marullus teste Petro Crinito* (*l. 11. de honest. Discipl. c. 4. p. 310.*) affirmabat. Vidisse etiam illud se *Palæphatus* (*c. l.*) profitetur. Vertit etiam è recentioribus *Bohusl. Balbin.* (*l. 6. Exam. Meliss. Epigr. 111. p. 182.*). Simulacrum illud illacrymari æstate anni dum fabulantur Poëtæ *à Nicod. Frischlino* (*in Callimach. Hymn. 2. annot. p. 200.*) allegati, vanitatem (*l. 8. s. Arcad. c. 2. p. 601.*) vocat *Pausanias.* Loquentem & Indos admonentem his *ap. Nonnum* (*l. 14. Dionysiac. v. 274.*) leges:

Ne pugnam intendite cum Diis pugnantem stulti Indi
Cum filio Jovis. Ne Bacchus minitantes vos bellum
Lapideos etiam faciat vos, ut Apollo
Lugentes formam æqualem meæ lapideæ formæ.

§. 206.

Referendi huc morbi, inprimis nodosa illa. Podagra *Joh. Lascaris nonagenarius ferè senex* articulari morbo defunctus, *Pauli Jovii testimonio à Tibaldeo hoc retulit* Epitaphium:

Lascaris, hic Grajum specimen; ne crede cadaver
Illius esse sub hoc marmore sed statuam.
Altera quippe fuit Niobe, dolor impius illam
Natorum; hunc podagræ transtulit in Lapidem.

(*Elog. Doct. Viror. n. 31. p. 75.*)

§. 207.

E recensitis patescit Palæphatum extra rationis circulum raptum, dum (*c. l.*) edixit: ὅς τις δὲ πείθεται ἐκ λίθυ γένεσθαι ἄνθρωπον ἢ ἐξ ἀνθρώπων λίθον εὐήθης ἐστί. Qui verò credit hominem ex lapide, aut vicissim lapidem ex hominibus posse fieri, næ ille insulsus est. De DEO nostro (*l. 11. D. U. P. p. m. 732.*) *Galenus.* Neque DEUS, si lapidem repentè velit facere hominem, efficere id poterit. Et *concludit* contra Mosaica effata, nos non ita sentimus, sed confirmamus quædam Naturam facere non posse, eaque DEUM ne aggredi quidem omninò, sed ex iis facere, quæ potest, quod melius est eligere. Obstant verba

verba *Salvatoris* (*Matth.3. v.9.*). Et si vidisset *Galenus* verbo aperire oculos cœcorum ab ortu, & mundari leprosos, mortuosque excitari etiam quadriduanos, & alia innumera DEI miracula, intellexisset, non difficulter credi posse etiam pilos in superciliis ex voluntate DEI enasci, & ex lapide fieri posse hominem vel bovem, eadem voluntate contra Naturæ potentiam à Domino Naturæ, id quod vel sine miraculosa experientia credere potuerunt Poëtæ ex lapidibus Pyrrhæ & Deucalionis homines producentes, & alia mirifica vulgo persvadentes, illud *Andr. Libavii* (*l.4. Hexaëm. n.9. p.244.*) commode hic adopto, *Galeno*que repono.

§. 208.

An petrificata animalia monstrorum ordini inserenda, quærit *Anton. Deusing.* (*Consid. Fœt. Mussip. s.1. n.5. p.15.*), idque negat & quidem rectè, cum Monstrum propriè sit corpus vivens à legitima & naturali membrorum conformatione multum degenerans, seu, sit opus Naturæ in viventis generatione plurimum ab Idea perfecta aberrantis. Ista verò ubi à solenni forma deviatio deest, qualis in Lithopædiis non fuit observata, monstri denominatio exulare debet.

§. 209.

Quod verò *supra* (*§. 11.*) cavendum monui, ne similitudine formæ in petrificatis nos decipi patiamur, id etiam hic repetendum censeo, cum varia corporum imitamenta naturalia pro legitimè petrificatis vulgò ebuccinentur, & habeantur. Talis est illa mercatoris anonymi, quæ habetur in Collectaneis Germanicis, *Tit. Asiatische und Africanische Denckwürdigkeiten*, *ubi* (*p.402.*) narrat, in Prato quodam Tezrimensi viri cum Asino coëuntis formam lapideam, in qua artus, os, oculos & cætera membra accuratissimè observare licuit, se vidisse, manifestumque illud divinæ iræ documentum Æthiopibus s. Arabibus in tam horrenda facinora pronis ob oculos positum esse. Subjungit & alia, sed quæ non oculis, sed auribus fert accepta. Si traditioni credulæ fides adhibenda, discurrit *Th. Bartholin.* (*de morb. Biblic. n.3. p.5.*), propè prædium Sebyense in Seelandia nostra simile spectaculum offertur. Nam ibidem ad littus stagni Tie series saxorum majorum conspicitur, quam pompam esse credunt nuptialem divina vindicta in petram conversam. Sed revera series est lapidum, qualis in monumentis Veterum Danorum frequens est, vocanturque vulgo monumenta Gigantum cum sepulturæ locum designent pro familia aliqua illustri, quibus alibi pro aris Deorum prægrandia saxa adducuntur.

§. 210.

Edmund Dickinson (*Phys. vet. & vera c. 11. n. 44. p. 284.*) naturam mineralem, penitius in humano corpore insitam haud obscurè colligi posse, asseverat à lapidibus ingeneratis in carne, Vesica, Renibus, Hepate, Spermaticis ac aliis plerisque partibus humani corporis, ut & è cretaceis istis aggeribus, quæ in juncturis nostris nimis frequenter accumulari solent. Præterea compertum est, *pergit* (*p. 285.*), à multis Philosophis, quibus viis ac rationibus è visceribus animalium prolici possint diversa metalla: ita etiam, ut nihil addant ad hoc efficiendum, nec ullas artes aut mechanicas rationes adhibeant, nisi quæ dispersam mineram colligant, aut quod dilatatum est in angustum cogant, sicut in crucibulo fundi possint. Sciunt etiam prout è carnibus & excrementis extrahantur naturæ metallicæ siccæ fixæque; Sic etiam ex humano sangvine prolici posse argentum vivum currens, idem omninò cum vulgari. Idem etiam *Joh. Joach. Becher.* (*Alph. Min. th. 12. p. 120.*), quosdam Mercurium vulgarem in sangvine & aqua communi & inter hos *Joh. Ott. Helwigium* quæsivisse & invenisse testatur. In urina Mercurium & vim Mercurificantem latere Idem (*Suppl. in Phys. Subt. 2. n. 271. p. 120.*) credit. Laudatus *Helwigius* etiam è saliva hunc prolici posse persvadere voluit, inde Vis aliena Tessæ *Ipsi* (*in introduct. ad ver. & inaudit. Phys.*) anagrammatica occultatione essentiam Salivæ designare non infimi subsellii Chemicii conjecturant.

LIB. III. TIT. IV.

De
Cadaverum Resuscitatione & Resurrectione.

Summarium.

1. R*Esuscitatio & Resurrectio Gentibus ridicula.* 2. *Epicuri & Senecæ Tragœdi sententia.* 3. *Plinii. Atheniensium. Aristotelis. Luciani.* 4. *Animæ origo secundum Veteres Ethnicos & Patres quosdam.* 5. *Pythagoræ μετεμψύχωσις.* 6. 7. *Stoicorum*

corum mens. 8. 9. Platonis annus maximus. 10. Aristoteles negavit Resurrectionem. 11. DEO resuscitationem denegarunt Gentiles ex defectu cognitionis DEI. 12. Solius DEI Omnipotentia. Catena Jovis aurea. de Diis Ethnicorum varia. 13. Remeatio rerum Stoica Senecæ Verbis. 14. Regenerationis mysterium è regno minerali. 15. E regno vegetabili. 16. 17. 18. Resuscitatio plantarum Chemica. Apparens. 19. 20. Vera. 21. E Regno animali. 22. Umbratilis resurrectio argumentum contra Atheos. 23. Deliramentum Paracelsi. 24. Phœnix. 25. Resurrectionis Symbolum. 26. Mors Phœnicis. 27. Resurrectionis possibilitatem in quantum crediderint Ethnici. 28. Papiliones & muscæ. 29. Hirundines. Ciconiæ. 30. 31. Utrarumque hybernacula. 32. Passer Vicilinus. 33. Pisces. Serpentes. Ranæ. 34. Insecta. 35. Scorpiones. 36. Locustæ. Angvillæ. Vipera. 37. Apes. 38. La Crotta di Cani. Lacus Agnanus. 39. Asini Pisces à Sanctis Germano, Francisco & Nicolao in vitam revocati. 40. Motus ossium sepultorum. Lucomorii. 41. Eris Armenii filius. Alii qui revixerunt. 42. Jonas. 43. Ludovicus de Civille. Locus Hippocratis. 44. Mercurius. 45. Æsculapius. Asclepiades. Orpheus. Simon Magus. 46. Ceremoniæ, verba mortuos suscitandi. 47. Remedia. 48. Glaucus, Hercules resuscitati. 49. Pomponatio naturalis videtur resurrectio. 50. Connori sententia. 51. 52. Modus applicandi rationes Connorianas impossibilis. 53. Corpus demum resurgit non anima. 54. Mutili quales sint resurrecturi. 55. Qua mole resurget corpus. 56. Quibus partibus. 57. Connor refutatur. 58. Locus è Tertulliano. Scherzero. 59. Sexus discrimen in Resurrectione. 60. Paracelsi vesania circa Adami genitalia, ungves, dentes, umbilicum. 61. Idem numero corpus resurget. Sexus. Statura. 62. Επίμετρον. *Autoris* ἐπιτύμβιον.

§. 1.



Esuscitationis & Resurrectionis mortuorum mentio Gentibus plurimis ridiculum nomen extitit. Illis comprimis, qui animam materialem, seu corpoream, cum corpore solvi & mortem omnia finire asseverabant, (*Vid. l. 2. Tit. 10. §. 16. sq.*). Audiamus è Latio *Catullum* (*Carm. 5.*)

Soles occidere & redire possunt,
Nobis cum semel occidit brevis lux
Nox est perpetua una dormienda.

Et è Græcis *Æschylum* (*in Eumenid.*)

Ἅπαξ θανόντος ἐκ ἔστιν ἀνάστασις.

Idem de gentilibus *Gentium Doctor Paulus* (*1. Thessal. c. 4. v. 13.*), dum eos μὴ ἔχοντας (ἀναστάσεως) ἐλπίδα astruit. Idcircò mors in inscriptionibus somnus æternalis perhibebatur, qualem *Phil. Camerar.* (*c. l. p. 452.*) evulgavit. Sepulchra etiam domus vocabantur æternæ, ut habent *Joh. Guther.* (*l. 2. de jur. Man. c. 20. p. 307.*), *Joh. Kirchmann.* (*l. 3. de Fun. Roman. c. 10. p. 257.*), quod quidem sine animi commotione nunquam se legisse *Martin. Opit.* (*T. 2. Poëmat. p. m. 35.*) profitetur. Notandum sanè est, commentatur *Phil. Camer.* (*p. 456.*), quod adhuc notæ in monumentis antiquissimis reperiantur, ex quibus apparet, qui immortalem animam esse vel crediderint, vel deriserint, passim enim conspiciuntur sculptæ in marmore & in ære absque ulla inscriptione portæ semiapertæ vel clausæ. Illis indicatum fuit, defunctis persvasum fuisse transitum ex hac vitâ ad alteram. His autem posteritati significare voluere cum corpore & animam interire. Hoc me admonuit Romæ quidam doctissimus & antiquitatis studiosissimus vir, cujus nomen de industria non exprimo. *Hæc Camerarius*, qui Romæ in Capitolio & alibi hujusmodi figuras oculis usurpavit.

§. 2.

Plane cum vulgô interdum & sapientes sententiam jungunt, scripsit *Tertullian.* (*l. de Resurr. Carn. p. m. 35.*). Nihil esse post mortem, *Epicuri* Schola est. Ait & *Seneca*, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. De *Epicuro Plutarch.* (*l. adv. Colot. p. m. 502*), animum perire dissolutum, prodidit. Ipse *Epicurus ap. Diog. Laërt.* (*l. 10. in vita Epicur. p. m. 749.*) *in Epist. ad Herodotum* scripsit: Qui incorpoream dicunt animam, desipiunt, qui illam ante ex levissimis atomis atque rotundissimis compositam astruxerat, eamque soluto toto conventu dispergi. Quæ autem hoc loco generatim de dispositione Animæ habet

habet *Epicurus* ex ſententia *Petri Gaſſendi* (*de Phyſiol. Epic. p.523.*), intelligi quoque ſpeciatim de humana poſſe videtur, maximeque quia eam mortalem ſtatuit. Unum, quod hic dicitur anima διασπείρεσθαι explicari ap. (*Sextum*) *Epicurum, Empiricum forſan*, (*l.1. adv. Phyſ.*) verbo σκιδνᾶσθαι, idquè *καπνοῦ δίκην*, inſtar fumi, *ſubjicit Gaſſendus*. Qua ſimilitudine quoquè uſus ante *Epicurum Cebes* fuerat, dum adverſus *Socratem ap. Platon.* (*in Phædon.*) diſſerens, opinionem retulerat vulgarem, juxta quam anima in ſuo diſceſſu egreſſuque à corpore avolat, non ſecus diſſipata ac flatus aut fumus. Trahit huc illud Epicuræorum *ex ſacris* (*l. Sapient. c. 2. v. 3.*) & Senecæ Tragœdi, quem dubio procul etiam intellexit *Tertullianus*, non Philoſophum, (*in Troad. A. 2. in choro*, qui totus ex mente Epicuræorum effictus, *v.389.*)

-- ut calidis fumus ab ignibus
Vaneſcit ſpatium perbreve ſordidus;
Ut nubes gravidas quas modo vidimus
Arctoi Boreæ diſſipat impetus;
Sic hic, quo regimur, Spiritus effluet
Poſt mortem nihil eſt, ipſaq; mors nihil
Velocis ſpatii meta noviſſima.

§. 3.

Deum non poſſe omnia, *Atheorum non infimus, Plinius* (*l. 2. c. 7.*) *differit*, adeoquè nec mortales æternitate donare, aut revocare defunctos. Puerilium deliramentorum, avidæquè nunquam deſinere mortalitatis commenta iſta explodit (*l. 7. p. 55.*). Similis, *pergit*, & de aſſervandis corporibus hominum ac reviviſcendi promiſſa *Democrito* vanitas, qui non revixit ipſe. Quæ (*malum*) iſta dementia eſt, iterari vitam morte? quæve genitis quies unquam, ſi in ſublimi ſenſus animæ manet, inter inferos umbræ. Perdit profectò iſta dulcedo credulitasquè præcipuum Naturæ bonum mortem, ac duplicat obitus, ſi dolore etiam poſt futuri æſtimatione evenit. Etenim ſi dulce vivere, cui poteſt eſſe vixiſſe. Chriſtiani, *differit ap. Minut. Felicem* (*in octav.*) *Cæcilius*, aniles fabulas aſtruunt, renaſci ſe ferunt poſt mortem, & cineres & favillas, & neſcio quâ fiduciâ mendaciis ſuis invicem credunt. Ita *Athenienſes Paulum* de Reſurrectione mortuorum verba facientem (*Actor. c.17. v.32.*) irridebant, & pro inſano habebat (*c.26. v.24. c.l.*) *Feſtus*. Trahunt huc, ſed inconſideratè, quidam (*vid. §.9.*) illam ſententiam *Ariſtotelis* (*l.2. de generat. & corrupt. c.11. t.69.*): Ἄνθρωποι καὶ ζῶα οὐκ ἀνακάμπτουσιν εἰς ἑαυτό. Homines & animalia non revertuntur in ſeipſa. Urgere aſſeruit ſequens (*t.70.*); ὅσων οὐσία φθαρτὴ, ἀνάγκη τῷ εἴδει ἀ-

 ριθμῷ

ἀριθμῷ δὲ μὴ ἀνακάμπτειν, illorum ſc. quorum ſubſtantia eſt corruptibilis, impoſſibile eſt eam & ſpecie & numero redire, *vid. Magnus Theolog. Joh. Ad. Scherzer. (Syſtem. Theolog. Def. 70. p. 573.).* Errorem Germanorum vocat *Lucan. (l. 1. Pharſal. v. 453.)*, quod vitam redituram crediderunt. Aſcribam locum ſatis memorabilem:

Populi quos deſpicit Arctos
Felices errore ſuo: quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum eſt rediture parcere vitæ.

§. 4.

Hippocrates (*l. de Morb. Sacr.*) ab aëre hominis ſapientiam dependere aſſeruit, quod non niſi ab anima rationali contingere poſſibile eſt. *Hipparchus* & *Heraclitus* ex igne, *Hippos* & *Thales* ex aqua, *Empedocles* & *Critias* ex ſangvine, *Epicurus* ex Atomis (*Vid. §. præced.*). *Critolaus* & *Peripatetici* ex quinta, neſcio quâ ſubſtantia. Spiritum *Stoici* prædicabant animam. *Zeno* conſitum ſpiritum. Et ex his corporalitatem animæ concluſit *Tertullian.* (*l. de Anim. Op. p. 642. ſq.*), *Gaſſendus* autem *Tertullianum* animam corpus eſſe credidiſſe ex ipſius ſcriptis (*tr. de Anim. c. 7. & de Carn. Chriſt. c. 11.*) ipſoque *Auguſtino* (*l. 10. ad Geneſ. ſec. lit.*) probat, (*c. l.*), ubi & è Sanctis Patribus nonnullos *Baſilium*, *Athanaſium*, *Hieronymum* & *Auguſtinum* nominat. Multum etiam ad materialitatem animarum propendet *Arnob.* (*l. 2. Adv. gent. p. m. 60. ſeq.*), qui etiam medietatem quandam & animarum ancipitem naturam introducere in animo habuit, (*p. 65.*), idque partim è Stoicorum Schola, partim è Scriptura perperam intellecta, *cenſente Deſiderio Heraldo* (*Animadv. in h. l. p. 83.*) hauſerat. *Add. Gebhard. Elmenhorſt.* (*obſ. ad Arnob. l. 2. p. 83.*). Eadem macula *Theandrum noſtrum* permerdare ſtutuit lutulentum *infruniti Jeſuitæ Jacobi Gretſeri os* (*l. 3. de Fun. Chriſtian. c. 10. p. 219.*) tribus rationibus, mendacibus, ficulneis, & vix puero elementario dignis, de quibus cum *Plautino Olympione* (*Caſin. act. 2. ſc. 5. v. 39.*) diceres:

Non ego iſtuc verbum emiſſem titivilitio.

Quod ſi igitur corporales erunt animæ, interibiles, ut *Arnobii* verbo utar, erunt, nec tandem reſurgent.

§. 5.

Satis eſt autem, (*pergit Tertullian. c. l.*), ſi non minor philoſophia *Pythagoræ & Empedocli.* Sed Platonici immortalem è contrario reclamant: imò adhuc

adhuc proximè etiam in corpora remeabilem affirmant, etſi non in eadem, etſi non in humana tantummodo, ut *Euphorbus* in *Pythagoram*, *Homerus* in *Pavum* recenſeantur. Certè recidivatum animæ corporalem pronunciaverunt, tolerabilius mutata, quam negata qualitate; pulſata ſalute, licet non addita veritate. Ita ſeculum reſurrectionem mortuorum, nec cum errat, ignorat. Digitum autem intendit *Tertullianus* in *μετεμψύχωσιν Pythagoræ*, qui immortales animas perſvaſus, quorſum poſt fata tenderent ex lumine naturæ elicere non potuit. Prolapſus igitur cum ſociennis & diſcipulis, inter quos *Empedocles* etiam extitit (*Diog. Laërt. l. 8. p. m. 599. & 601.*) ex obſcura quadam & informi notitiâ futuri olim corporum noſtrorum reditus ad vitam, ut *Dan. Huet. (l. 2. quæſt. Alnetan. c. 22. p. 292.)* autumat, quodque ex Ægyptiis hauſerat, (*Vid. Georg. Horn. l. 2. Hiſt. Philoſ. c. 10. p. 116.*), in monſtroſum & ridiculum *μετεμψυχώσεως* dogma, aſſerens, animam relicto uno corpore transmigrare in aliud & beneficio hujus transmigrationis in alio corpore velut reſurgere. Retulit autem *Laërtius (c. l. p. 569.)* ex *Heracliti Pontici* recenſione Pythagoram de ſe dicere ſolitum, quod fuiſſet aliquando *Æthalides*, ac *Mercurii* filius putatus eſſet, *Mercuriumque* monuiſſe illum, ut peteret, præter immortalitatem, quod vellet: petiiſſe igitur, ut vivens & vita functus omnium, quæ contingerent, memoriam haberet. Itaque in vita meminiſſe omnium. Eandemque memoriam & poſt mortem reſervaſſe, atque aliquando poſt in *Euphorbum* veniſſe, atque à *Menelao* fuiſſe vulneratum. *Euphorbus* autem dixit, ſe aliquando *Æthalidem* fuiſſe: atque à *Mercurio* pro munere accepiſſe, ut anima illius perpetuo errore vagaretur, & in quas vellet arbores & animantes commigraret, & quæ apud inferos anima omnia perpeſſa eſſet, ac cæteræ animæ quænam patiantur. Poſteà verò quàm *Euphorbus* diem obiit, ingreſſam in *Hermotimum* ipſius animam: qui & ipſe cum fidem vellet facere, *Branchidas* petiit, ingreſſus *Apollinis* fanum oſtendit Clypeum, quem illic *Menelaus* affixerat. Ait enim illum, quum ex Troja remeaſſet *Apollini* ſacraſſe ſcutum jam putrefactum ſolamque perdurare eburneam faciem. Ubi autem & *Hermotimus* vita functus eſt, rurſum in *Pyrrhum Delium piſcatorem* migraſſe, illumque omnia memoraſſe, ut primum *Æthalides* fuerit, poſtea *Euphorbus*, deinde *Hermotimus* ac poſtremò *Pyrrhus* effectus ſit, ac deinde poſt *Pyrrhum* factum eſſe *Pythagoram*, omniumque meminiſſe, quæ prædiximus. *Pythagoricas* inter fabulas decernit hanc *ipſe Ariſtot. (l. 1. de Anim. c. 3. t. 53.)*

§. 6.

Stoici elapſo illo Anno magno, aut potius maximo, homines poſt ἐκπύρωσιν redivivos proclamarunt. Quod ex *Seneca* (*l.* 5. *Epiſt.* 36. *p.m.* 59.) patere aſſerunt. Mors, *ſcribit*, quam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam, non eripit: Veniet iterum, qui nos in lucem reponet dies, quam multi recuſarent, niſi oblitos reduceret. Sed poſtea docebo, omnia quæ videntur perire, mutari. Æquo animo debet rediturus exire. Finito nempe anno Magno ſuccedente univerſi exuſtione omnia in priſtinum ſtatum reduci affirmabant. Stoici, *ap. Nemeſium* (*de Nat. Hom. c.* 38. *p.* 113.) ajunt, ſtellas errantes cum ad idem & in longitudine & in latitudine ſignum referuntur, in quo initio erant, cum primum mundus eſt conditus, certo temporum ambitu, conflagrationem & interitum rerum efficere, & de integro mundum eodem reſtitui. Quis vero ſit ille temporum ambitus, variant Philoſophi: Ex antiquis ſex opiniones recenſuit *Plutarch.* (*l.* 2. *de Placit. Philoſ. c.* 32.) *Cenſorin.* (*l. de Die Natali c.* 18. *p. m.* 130.) plures, ubi & aliorum periodos collegit *Henric. Lindenbrog.* (*in not. ad Cenſorin. p.* 136.), & qui omnium deſideria explevit *Celeb. Jac. Thomaſius* (*de Exuſt. Mund. Stoic. Diſſ.* 5. §. 7. *ſequ. p.* 63. *ſq.*)

§. 7.

Quod ad hominum reſtitutionem, advertit *ex Origen.* (*l.* 5. *contr. Celſ. p.* 244.) *laudatus Thomaſ.* (*Diſſ.* 10. §. 4. *p.* 156.), non una via procedere ſtoicos, ſed duplici. Unam rationem vocat craſſam, quæ absque ullo diſcrimine eadem omnia (mundana, adeoque & homines,) reducat. Hi, *ajunt*, in ſequenti periodo reverſurum *Socratem Sophroniſci filium* Athenienſem, qualis ſuperiore periodo fuerit, rurſumque *Phænaretem* è *Sophroniſci* conjugio illum progeniturum. Subtiliorem vocat alteram, quæ cum diſcrimine, & mutatione omnia reduci philoſophatur. Interpretatur de illa *Ejusdem Origenis* (*l.* 4. *p.* 208. *& ſq.*) effatum: Stoici ut medeantur abſurditati, neſcio quomodo per omnia ſimiles prioribus redire *ajunt*, cum temporum circulis, ut non *Socrates* naſcatur denuò, ſed omnia *Socrati* ſimilis, ducturus per omnia ſimilem priori *Xantippen*, accuſandus à per omnia ſimilibus *Anyto Melitoque*.

§. 8.

Amplexus eandem mentem *Plato*, de quo iſta *Fr. Toletus* (*in l.* 2. *Ariſtot. de Generat. & Corrupt. c.* 11. *qu.* 13. *f.* 338. *b.*). *Plato* exiſtimavit, poſſe idem numero redire poſt corruptionem, imo de facto rediturum. Dicebat enim, quod

quod absoluto motu octavo Sphæræ redibunt cuncta iterum, sicut erant ante: & sic redibunt eadem tempora, & iidem homines, & res & operationes: Durat autem iste motus 36. millibus annorum, vel secundum veriorem 49000. quod tempus vocabat annum maximum, quo finito, dicebat, reditura omnia, quia eadem rediturae erunt causæ. An vero hæc sit sententia *Platonis*, non omnino est constitutum, *judicat Toletus*, imo *Jamblichus* non admittit hoc in *Platone* & alii multi, de quo *vid. Marsil. Ficin. (l. 11. de Theol. Platon.)*. Nec *Platonis* meminit, ubi annum mundanum descripsit *Macrob. (l. 2. in Somn. Scipion. c. 11. p. m. 132.)* sequentem in modum; Stellæ omnes, *inquit*, & sidera, quæ infixa Cœlo videntur, quorum proprium motum nunquam visus humanus sentire vel deprehendere potest, moventur tamen; & præter cœli volubilitatem, qua semper trahuntur, suo quoque accessu, tàm sero promoventur, ut nullus hominum vita sit tam longa, quæ observatione continua factam de loco permutationem, in quo eas primum viderat, deprehendat: Mundani ergo anni finis est, cum stellæ omnes, omniaque sidera, quæ aplanes habet, ac certo loco ad eundem locum ita remeaverint, ut ne una quidem Cœli stella in alio loco sit, quam in quo fuit, cum aliæ omnes ex eo loco motæ sunt, ad quem reversæ anno suo finem dederunt: ita ut lumina quoque cum erraticis quinque in iisdem locis & partibus sint, in quibus incipiente mundano anno fuerunt. Hoc autem, ut physici volunt post annorum quindecim millia peracta contingit. Ergo sicut annus Lunæ mensis est, & annus Solis duodecim menses, & aliarum stellarum, hi sunt anni, quos supra retulimus (singulorum, seu luminum, seu stellarum emenso omni cœli circuitu à certo loco in eundem locum reditus annus suus est): Ita mundanum annum 15000. quales nunc computamus, efficiunt. Ille ergò verè annus vertens vocandus est, quem non Solis, id est, unius astri, reditu metiuntur; sed quem stellarum omnium, in quocunque cœlo sunt, ad eundem locum reditus sub eadem eadem cœli totius descriptione concludit. Unde & mundanus dicitur: quia mundus propriè cœlum vocatur.

§. 9.

Sententiam hanc declarat *Fr. Toletus (c. l. f. 339. a.)* impiam, quia est expressè contra fidem nostram, & idcircò *ab Augustino (l. 12. de Civit. DEI c. 13.)* rejecta. Deinde etiam rationi contrariari eandem differit. Primò, quia aufert libertatem hominis, dum dicit, quod redibunt homines patres & filii & alia, quæ absque necessitate esse non possunt: quis enim prohibebit, quo minus

nus in altero anno maximo iste non mutet statum, nisi ponatur necessitas? Clarius adhuc *disertissimus Thomas.* (*c. l. Diss. 10. §. 11. p. 158.*): Si amamus verum, sic arbitrii libertas occisissima est. Nam si cœlo centies ad idem punctum reverso centies quoque sive unus *Socrates*, sive centum tam similes inter se, quam *Sosiæ Mercurius* contrahent sponsalia *cum Xantippe*: quis non intelligit hunc actum non voluntati deberi, sed fati (Stoici) violentiæ? in quam quicunque vel semel inciderit, vel centies fuerit relapsus, aliter agere non possit. Prætereà, *pergit Toletus*, quia aufert hominum beatitudinem, quæcunque sit illa, dum dicit, animas redituras ad corpora: sunt etiam multa alia, & manifesta impossibilia. Sed hoc maximè notandum, *concludit*, quod post illum annum maximum, quamvis redibit ad principium ista Sphæra, non tamen orbes alii redibunt ad idem punctum, in quo erant, cum incepit octavæ motus prior: & sic non redibunt eædem causæ: in hoc autem multum deceptus fuit *Plato*, cujus errorem Astrologi certissimis computationibus compererunt, nec tamen etiam, si redirent omnes, ob id effectus essent iidem numero: deessent enim causæ particulares, à quibus pendet unitas numeralis effectuum. Hunc annum pariter *Aristotelem* in supra allegato loco (*§. 3.*) è Philosophia expunxisse vox ἀνακάμπτειν innuere videtur. Sed hæc nemini obtrudo.

§. 10.

Physice *Aristotelem* resurrectionem corporum negasse *Petr. Pomponat.* (*l. de incant. c. 8. p. 111. sq.*) & *Fortun. Licet.* (*l. 1. de Propens. Anim. ad corpus c. 27. p. 44.*) astruxit. Sanè ista *Aristotelis* hypothesi, quà animam rationalem in homine non habet pro forma informante, sed assistente, quæ speciem ipsi in animalium genere, si rem accuratè exputamus, non magis largiri potest, quam Nauta navi, efficitur, ut fundamenta fidei Christianæ de mortuorum resurrectione vocentur in dubium, *concludit Jac. Thomas.* (*Program. 67. p. 421. sq.*) cum manifestum sit, *Aristotelem* resurrectionem negasse, ideò certissimum est apud eum humanam animam esse mortalem: nisi figmentorum maximum opinionem *Averrhois* somniemus, videlicet unicam in omnibus hominibus animam, quod intelligibile est, ratiocinatur *Petr. Pomponat.* (*l. de Incant. c. 10. p. 215.*)

§. 11.

Quod vero etiam ipsi DEO Resuscitationem mortuorum, imprimis in pulverem & cineres resolutorum, adeoque penitus corruptorum denegarunt Gentiles, ex confusa & obscura essentiæ & potentiæ divinæ notitiâ profluxit. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam Deos esse-

esse inter alia sic colligimus, *scribit Seneca* (*Epist. 118. p. m. 295.*), quod omnibus de Diis opinio insita est; nec ulla gens usquam est adeò extra leges moresq; projecta, ut non aliquos Deos credat. Sed hæc notitia non sufficit cum quid sit DEUS ignorent. Nemo novit DEUM, *iterum profitetur* (*Epist. 31. p. m. 53.*) *Seneca*: Multi de illo male existimant & impune. Et alibi (*l. 7. nat. quæst. c. 31. p. 119.*). Quid sit hoc, sine quo nil est, scire non possumus: Et miramur, si quos igniculos parum novimus, cum maxima pars mundi DEUS lateat. Quare DEUM Gentiles non agnoscere (*ad Gal. 4. v. 8.*), imo plane absque DEO esse (*ad Ephes. c. 2. v. 12.*) *Paulus Gentium Doctor* docuit. Theologiam equidem gentilium cum nostrâ comparare ausus est, & utriusque cum altera conformitatem demonstrare *Dan. Huet.* (*l. 2. Quæst. Alnet. c. 1. p. 98. & c. 2. p. 102.*), sed quæ è Gentilium penu depromit, Christianorum sunt, neque in universum omnium sunt Gentilium, sed Philosophorum, qui cognitionem illam aut ex Hebræorum conversatione & dictis, aut libris sacris scriptisque Hebræorum hauserunt.

§. 12.

Cum igitur inter attributa divina apud Christianos non minimum sit omnipotentia, & *Augustinus* (*l. 21. de Civ. DEI c. 7. p. 622.*), quod in rebus miris, (inter quas etiam resurrectionem corporum mortuorum posuit,) summa credendi ratio sit omnipotentia Creatoris providè inculcet, pagani summam quidem potestatem, non tamen omnipotentiam Diis suis tribuerent, inter propositiones Christianorum risu & sibilo explodendas etiam Resuscitationem mortuorum numerarunt. Omnipotentiam equidem DEI Ethnicorum *è Proclo, Pythagora, Epicharmo* demonstrare satagit *Idem Huetius* (*c. l. n. 21. p. 115.*). Evolve Philosophorum de DEO diversimodè sentientium nubem *ap. Plutarchum*, (*l. 1. de Placit. Philos. c. 7.*), quem etiam citat *Huetius* & nil nisi tenebras plusquam Cimmerias, nebulosasque caligines offendes. Catenam etiam *Jovis* auream huc trahit *Huetius*, de qua sequentia (*l. 8. Iliad. v. 17.*) dum *Jovem* cæteros Deos alloquentem introduxit, *Homerus*:

Eia age, periculum facite, ut videatis omnes,
Catenam auream de Cœlo suspendentes
Omnes appendamini Dii Deaque omnes
Sed non traxeritis ex cœlo in terram
Jovem summum consiliarium, neque si valdè multum laboraveritis,
Sed quando jam & ego cupidus voluero trahere
Cum ipsa terra traxero ipsoque mari:

Catenam quidem dein ad verticem Olympi
Alligavero: illa verò suspensa omnia fuerint
Tantum ego superior cum Diis, superiorque sum hominibus

E dictis verò omnipotentiam quis aptè concludet? *In Versu præcedenti dixerat*:

εἰμὶ θεῶν κάρτιςος ἁπάντων

vertunt: *sum Deorum fortissimus omnium.*

& *Minerva Jovi* respondens *v.32.* refert:

Bene & nos scimus, quod tua potentia non cedat ulli.

Sed nec hoc infinitam potentiam arguit, sed potentiam eminentem. Et si *Jupiter* est omnipotens, cur πολυθεότητα introduxerunt? Si mortalium tanta multitudo, esse immortalium non minorem, (*l.1. de Nat. Deor.*) *Cicero* scripsit. Et eum mortales naturâ essent, inque numerum Deorum postmodum recepti, Deificati potius, quam DEI. Quod si tantus erat Deorum numerus, quantum habuerunt antiqui, atque inter hos mares & fœminæ, brevi futurum erat, ut tot Diis deficerent magistratus & imperia, & nisi otiosi ac desides vivere mallent cerdones & agricolas & Fabros Deos haberemus, *judicat Natal. Comes* (*l.1. Mythol. c.8. p.16.*). Nec hominibus tantum collata ista eminentia sed & brutis & plantis,

Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur.

Ægyptii, his *Porrum & cæpe nefas violare & frangere morsu,*
O sanctas Gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina!

exclamat Juvenalis (*Satyr.15. v.7.*). In Lapides impingunt effigiatos unctos & coronatos, *referente* (*in Octav. c.18. §.7.*) *Minucio Felice*, Ethnici. Et quamvis fuerunt ex illis, qui omnipotentiam DEI prodiderunt, ex ipsius naturæ lumine tamen non hauserant, sed conversatione cum DEI populo; cum & Philosophorum præstantissimi Creationem mundi ex nihilo solenni axiomate fulti risissent, & obelo notassent sarcastico, opponentes illud: Ex nihilo nihil fit. Nos igitur non ad solius naturæ considerationem alligati, *dictitat Joh. Pearson.* (*in Expos. Symbol. Apostol. Artic. 11. p.656.*), sed res vel possibiles, vel impossibiles Dei potentia mensurantes facilè demonstrabimus, nullam impossibilitatem implicare, ut mortuus resurgat, quem si lubet evolve. Discursus & demonstratio cum prolixa existat, eandem exscribere non vacat.

§. 13.

§. 13.

Remeationem rerum omnium Stoicam è natura demonstrare è quotidianis conabatur *Seneca* (*l.5. Epist.36. p. 59.*), dum scribit; observa orbem rerum in se remantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere ac resurgere. Æstas abit, sed alter annus illam adducit: hyems cecidit, referent illam sui menses. Solem nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. Stellarum iste discursus, quicquid præterierit, repetit: pars cœli levatur assidue, pars mergitur.

§. 14.

Quod si verò regenerationis mysterium oculis usurpare lubido sit, scintillæ quædam in tribus naturæ Regnis lustrandæ se objicient luculentius. In Regno minerali, metallorum fodinæ exhaustæ tractu temporis iterum aut metallicis seminibus imprægnantur, aut semina relicta matricique implicata nutrimentum arripiunt, & augmenta sumunt. In *Elva* parvâ in Tusco mari *Insula* ferro divite ferrum semel eductum à viginti annis denuò renascitur, *Ottonis Tachenii* (*Hipp. Med. Clav. c. 2. p. 41.*) *testimonio*. Plura habet *Athan. Kircher.* (*l. 4. M. S. c. 8. p. 215. sq. Conf. Special. Diss. 1. §. 1.*). Ita scoriæ imprægnantur, sive magneti insito nutrimentum novum ex aëre asciscenti (*Evolv. Oolog. Cur. Gener. Diss. 2. §. 81. p. 113. & §. 197. p. 207.*), id tribuas, sive seminibus latentibus inque aëre se explicantibus. E capite mortuo vitrioli quamvis per fortissimam & igne aperto celebratam destillationem omnes spiritus evocentur, tamen si libero aëri per aliquot menses exponatur, ità denuò animatur & imprægnatur, ut postmodum longe generosiores, efficaciores ac vehementiores spiritus exinde elici queant, *juxta Christian. Langii* (*Patholog. Animat. c. 15. §. 6. p. 175.*) & *Christian. Adolph. Balduini Nostri* (*tr. Aurum Auræ c. 2. p. 9.*) animadversionem, & quotidianæ experientiæ assensum. Vitriolum ex aëre Amstelodamensi extractum *à Theod. Kerckringio* vidit *Dan. G. Morhoff* (*Epist. de Metall. transmut. p. 29.*). Vitriolum in aëre augeri, elegantissima historia probatum dedit *Joël Langelott.* (*Epist. Dedic. Experim. Tilemann. præfix.*). De Nitro res est confecta. Idem in aëre locum invenit, de quo prolixe disseruit *Joh. Mayow*, *Anglus* (*tr. de Sal-Nitro & Spiritu Nitro-aëreo passim*) & *Guilh. Clarke* (*Nat. Hist. nitr. c. 2. p. 21.*) qui id multis probat. Idcircò & caput hujus mortuum auræ liberæ expositum nitro iterum imprægnatur, quod in officinis, in quibus Nitrum coquitur, videre licet. De Tartaro quamvis à vegetabili Regno, huc transferre observationem *Kenelm. Dygbæi* (*Orat. de Pulv. Symp. p. 98.*) forsan non injucundum erit. Hic extremo ignis gradu in igneam planè substantiam trans-

latus, plus novies aëris ad se attrahit, quam ponderat. Quod si enim libram unicam salis Tartari benè calcionati & combusti aëri exponatis, decem Olei Tartari libras vobis suppeditabit. Monstro simile est, quod præfatum *Ken. Dygbæum* autorem habet, experimentum, memorat *Ol. Borrich.* (*Diss. de Orig. & Progr. Chym. p. 149.*). Hic namque Arcevilensi, quam vocant, terra libero aëri expositâ, singulisque diebus aliquoties aqua pluvia humectata post primum mensem in eadem Vitriolum: secundo Sulphur: tertio plumbum: Stannum quarto: quinto Ferrum: Æs sexto mense reperit, in quo ramenta Argenti tenuia essent. Quod idem *D. de l' Oborie & D. Laques, Galliarum Regis Spagyricus* felicissimè tentarunt. Quomodo destructis corporibus metallorum vulgarium, imo & Auri & Argenti nova & meliora resurgere possint, per artem quædam sparsit *Joh. Takius* (*Phasid. Philos. 3. p. 56.*)

§. 15.

Si ad vegetabile Regnum oculorum applicueris aciem, à seminibus mortuis efflorescentibus, Resurrectionem carnis naturaliter depingi *ex Augustin.* (*l. 3. de Trinit. c. 6.*) probat *Phil. Bonanus* (*p. 1. de Testac. c. 8. p. 58.*), verbaque ejus his delineat: Admiratio non patitur, si segetes è mortuis seminibus quotidie efflorescant, ingens vero excitatur, si cadaver in tumulo reviviscat, non quia hoc fit verius, sed quia rarum. Ita ad Apostolos SERVATOR OPTIMUS (*Joh. c. 12. c. 24.*): Nisi granum frumenti dejectum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si verò mortuum fuerit, multum fructum affert. Et *Paulus* (*1. Corinth. c. 15. v. 36.*). Tu quod seminas non vivificatur, nisi mortuum fuerit. Allegat *Joh. Ernest. Burggrav.* (*Biclychn. Tit. cur. magn. & mum. Theophr. p. 123.*). Loca è Christianis Poëtis suggerit *Casp. Barth.* (*l. 44. Adv. c. 29. col. 2047.*). Tam possibile est corpus putrefactum & in nihilum (mitius hoc interpretandum,) reductum reviviscere, quam possibile est granum in terram projectum & putrefactum denuo in plantam aut herbam excrescere. Non ineptè autem reviviscendi & moriendi metaphora utitur *Apostolus*, quippe quod illa corporibus hominum magis quam ipsis seminibus convenit, commentatur *Georg. Weinrich.* (*comm. in 1. Epist. ad Cor. c. 15. p. 352.*). Resurrectio mortuorum non quidem natura nota est, in naturâ tamen adumbratur qvam plurimis similitudinibus. Simile ex Agriculturâ *1. Cor. 15, v. 15. Joh. 12. v. 24. Jesaiæ c. 26. v. 19. Frieder. Balduin.* (*comm. in 1. ad Corinth. 15. p. 548.*)

§. 16.

Spectat huc umbratilis illa plantarum resuscitatio à Chemicis promulgata; Per ignem Gehennæ, qui est liquor Alcahest *Paracelsi*, sciri potest, quantum alteru-

terutrius luminaris partem vegetabile (etiam incognitum, confusum ac situ obductum,) possideat non minus, quam quâ figurâ ornatum fuerit, *Helmont.* (*tr. Formar. ortus n. 89. p. 119.*). *Joseph. Quercetan.* (*in defens. contr. tr. 1. Anonym. c. 23. p. 231.*), quem *Chesneum* vocat è Gallica lingva *Jacob. Gaffarell.* (*p. 2. curios. inaudit. c. 5. §. 9. p. m. 98.*), historiam illam in triviis notam Medici Poloni, quem *Mich. Sendivogium* fuisse putat *Martin. Schoock.* (*Phys. general. Disp. 15. th. 24. p. 291.*). Habuit ille in phialis duodecim, quod recensuit *K. Digby* (*Orat. de vegetat. p. 61.*). Plures quam triginta annotat *Quercetan.* (*c. l.*), & ex Eodem *Gvern. Rolfinck.* (*l. 6. Chym. in Art. form. red. c. 3. p. 423.*), easque Hermetico sigillo obsignatas. Sed neque hæ quidem omnibus ferè plantis demonstrandis sufficerent, quod contra mentem *Quercetani* scripsit *cit. Gaffarell.* Servabat autem in his omnium penè plantarum hactenus cognitarum cineres, aut ut *Joh. Chrysost. Magnen.* (*in Democr. Reviviſc. Disp. 2. c. 2. p. 183.*) eloquitur, in phialarum fundo pulveres ex arte præparatos, florum animas in cineribus conservabat, vivebantque in suis urnis. Spectaculum hospitibus gratum exhibiturus accensam candelam detentæ in aëre phialæ, qua Rosæ cineres præparati asservabantur, certa distantia supponit, vix calor sese in vitrum insinuaverat, cum ecce tibi moveri corpusculorum pulverisque populos cinerem illum leniter agitari, dum tandem post horæ ferè intervallum totus iste pulvis collecto calore undiquaque cieri cœpit; sicut dum apes alvearia mutantes in aëris medio in nubem coactæ confuso volatu hinc & inde per sua castra volitant: tandem variis agitationibus, quasi sese Atomi ad unionem quæritarent, paulatim in rosam perfectissimam corpuscula illa coaluerunt, cui neque in foliis ordo neq; color, neque meditullium croceum deesse videbatur. Sed spectaculum remotâ candelâ statim esse desiit, recidentibus ad phialæ fundum Atomis, quæ caloris vi, in aëre detinebantur, ut quotidiè radiorum solarium beneficio festucis pulverique contingit, & unaquæque, quem in Rosâ nondum dissoluta locum occupaverat, eundem in hujuscemodi artificiosâ restitutione obtinebat. Hæc *Magnenus*, & *ex Eo Joh. Takins* (*Phas. Philos. 3. p. 43.*) & *D. Joh. Lud. Hanemann.* (*Phœnic. Botan. §. 15.*). *E Quercetano* allegarunt præterea experimentum illud varii, quos citat *Illustris Noster Georg. Franc. à Franckenau* (*Append. Progr. ad Flor. Franc. p. 29.*), quibus adde *Otton. Tachen.* (*Hipp. Chimic. c. 20. p. 158.*) *laudatus Hanemann.* (*c. l.*) *Joh. Beguin.* (*l. 1. Tyroc. Chym. c. 1. p. 7.*). Artis operâ ex plantæ cineribus plantam ipsam revocari, & ex favillis in folia & caulem redire vidimus, *testatur Th. Browne* (*Relig. Med. s. 47. p. 273.*). Vidisse se etiam Romæ *apud P. Athanasium Kircherum* ejusmodi plantam, (ut ille

ille referebat, si benè memini,) è cineribus resuscitatam. Puto herbas, ex quibus illa fuit, non fuisse combustas, aut in cineres redactas, sed solum exsiccatas & in pulverem, redacta s. Ejusmodi aliquid fieri posse ex urticis & aliis non est dubium, *commentatur* (*in Brown. h. l. p. 276.*) *L. M. Meltken*. Idem etiam Romæ *apud dictum Kircherum* se conspexisse retulit *D. Lunckerus*, cujus etiam possessorem *Rodogerum Timplerum prædicat Joh. Dan. Horstius* (*in App. ad Epist. Med. p. 60.*)

§. 17.

Ad lixivia Plantarum congelata etiam quidam provocant, figuras & umbras earundem in superficie oculis sistentia. Primus id prodidisse mihi videtur *Joh. Quercetanus*, ubi Experimentum *D. de Lagnes* (*l. 1. Pestil. Alexicac. p. 232. & l. 2. c. 5. p. 301.*) recensuit de urticæ lixivio, in quo aqua congelatâ mille urticarum figuras in illa cum radicibus, foliis, & truncis adeo perfectè descriptas & adumbratas, ut qui melius illas ad ungvem expressisset figurassetque vix pictor ullus reperiretur. Astruxit idem *Joh. Marcus Marci* (*l. 1. Id. c. 1. G. 4.*). Propriâ experientia id firmat *Digbæus* (*c. l. p. 65.*) Et *Joh. Tackius* (*c. l. p. 42.*), idem Francofurti ad Mœnum *Dn. D. Kornmannum* feliciter tentasse & perfecisse commemorat, cujus veritatem *D. Sebastianus Schefferus* simul comprobavit. *Marggravio* Lugduni Batavorum spectatam etiam *memorat Ol. Borrich.* (*l. 2. Hermet. Ægypt. c. 5. n. 8. p. 365.*). Ex Absinthii lixivio efflorescere observavit *J. D. Major.* (*Diss. Epist. de Cancr. & Serp. petref.* §. 38. *p. 31.*); imagines similes Abrotano, quas verò levi manus opera continuo mutare poterat in gemina brancam ursinam vel platanum utcunque mentientia. *Conf. Dn. D. Joh. Mich. Febr.* (*Hier. picr. qv. 2. p. 157.*). Brassicæ decoctæ aqua congelata brassicam, *teste Th. Bartholino* (*tr. de Niv. us. Med. c. 8. p. 57.*), spiritibus vegetabilibus à frigore condensatis, bis etiam in literas retulit *Nathanaël Highmor.* (*l. 1. Disquis. Anat. p. 4. c. 5. p. 105.*), in fundo decoctionis pro Clystere à Socero nostro hujusmodi plantæ Spirituales observatæ conspiciebantur, ubi in decoctione herbarum communium pro Clystere, malvæ scil. seu bis malvæ, violarum &c. percolata adhuc calida & in patella frigori nocturno exposita & in superficie superiori paulò conglaciata; crastino manè figuras & imagines perfectas, tam proportione, quam colore herbarum decoctarum invenit; quæ disrupta glacie, & aqua turbata statim disparuere.

§. 18.

Nec in decoctis saltem & lixiviis, sed & in vino congelato dispersos ramusculos cum foliis albicantibus vitem præsentantes offendit *D. Ehrenfried.*

Ha-

Hagendorn (*M. C. D. 2. A. 3. obs. 31. p. 90.*). Simili modo in Aqua lacrymantis vitis gelu constricta figuras pampinorum & uvarum præsentari, advertit *Exc. Noster. Henric. Volgnad.* (*M. C. D. 1. A. 4. & 5. obs. 172. p. 233.*), imo & in aquis destillatis oculis se objiciunt umbræ illæ plantarum minimè terribiles. Quod attinet suscitabilem vim formatricem, *scribit ad Joh. Schræder.* (*in Epist. ad illum data, prout l. 5. Pharmac. in Proœm. p. 266. narrat*), certè sæpeque *D. Georgius Maltherus, Med. Wezlar.* retulit, non semel se urticam vidisse in aqua (sine dubio urticæ destillata,) congelata. Vidit nucis figuram in oleo nucum exsiccato, & pomorum succus congelatus mali figuram etiam apud amicum exhibuit *Borello* (*Cent. 4. obs. 62. p. 326.*). Quando accuratius veras simplicium Essentias & Salia philosophica parare docuit *Phil. Müllerus* (*l. 4. Mirac. Chymic. c. 5. p. 91.*) addidit: Si omnia cum diligentia fiant; apparebit tibi in vitro quasi per halitum forma herbæ istius, ex qua essentiam elicere intendis. Si rubicundam absynthii, Essentiam per Cineres destilles in alembico videbis ideam absynthii *testatur Joh. Dan. Horst.* (*Diss. 6. Comp. Phys. Hippocr. th. 4. p. 40. & Epist. Med. 4. p. 32.*). Certa quadam operatione Sal Absynthii volatile elevatum Alembici lateribus adhærendo plantam suam dilucidè repræsentat, notat pariter (*c. l.*) *Schræderus.* *Add. Excell. Joh. Mich. Febr.* (*Hier. pict. c. 7. p. 45.*) *Joh. Joach. Beccher.* (*l. 1. Phys. subt. s. 3. c. 4. n. 2. p. 170.*). Idem observavit in Lavendulæ sale volatili *Exc. Noster. Hesperus* (*Diss. de Ærumn. Gigant. c. 4. §. 47. sq. & M. C. D. 1. A. 8. obs. 9. p. 11.*). Junge his quæ de Sale volatili cupressino & serpillino tradidit *Ol. Borrichius* (*ap. Thom. Bartholin. V. 1. Act. Hafn. obs. 42. p. 78. & l. 2. Hermet. Ægypt. c. 5. n. 8. p. 367.*)

§. 19.

Sed facessant larvæ & umbræ, veras plantas artificiosè paratas legimus ex cineribus, cujusque plantæ artificiosissimè elicitis: Rosam mediâ hyeme virescentem vegetantemque suis coloribus ornatam, tum reliquis, quæ nativæ solent referre, in conspectum producere potest præstantior artifex *Martin. Raland.* (*Progymnasm. Alchem. quæst. 16. p. 53.*). Rosam ex Cineribus ustis, solerti tamen & ingenioso artificio excultis, & elaboratis, quatuor & viginti horis natam, adultam perfectamque recensuit *Petr. Servius* (*de Ungvent. Armor. & Sympath. n. 67. in Theatr. Sympath. p. 547.*). Sales Herbarum præsertim calidarum, si certo quodam modo nobis cognito, seminentur alias producere speciei suæ herbas certum & multoties probatum astruit (*c. l.*) *Beguinus. Ich habe einen Apothecker zu Wien gesehen,* (*narrat Joh. Agricol. in Joh. Poppii tr. de Antim. p. 762.*), *welchen von Constantinopel etliche schöne Gewächse zukommen,*

men, unter andern auch noch gar ein zarter Zweig von den grossen Türckischen Castanien, der Zweig war aber unterweges verdorret, da hatte Er ihn zu einen schönen crystallischen Saltz gemacht, in die Erde gethan, und mit Giessen wohl gewartet, so ist wieder ein Kraut, wie der vorige gewesen, hervor kommen, und ich zweiffle nicht, er werde seine Stärcke auch erlanget haben, denn ich darüber weggezogen. De Cinere Herbæ Fœniculi terræ commisso idem *Febure (præf. in Chem.)*, deque sato cinere tritici *Honor. Fabri (l. 2. de Plant. Generat. prop. 103. p. 57.)* confirmat. Cineres plantarum, uti nos sæpè in Sale Absynthii expertæ fuimus, terræ virgini insiti intra breve tempus ejusdem speciei plantam, quæ in cineres resoluta fuerit, sunt exhibituri, consentit *Athan. Kirch. (l. 2. M. S. s. 4. c. 5. p. 437. Itin. Ecstat. 2. Dial. 2. c. 5. p. 610.) Add. J. Sigism. Elsholz (l. 1. Horticult. c. 5. p. 20.) Kenelm. Digby (de Vegetat. p. 70.) Marc. Marci (p. 3. Phil. vet. restit. subs. 4. p. 391.) Guido Brossensis (Brocensis aliis l. de Nat. Plant. c. 17.)* scribit *ad Theophil. Spizel. (in Epist. corp. glorios. præfix.) Heinr. Meibomius, Regius quondam Parisiis Botano-Chimycus* plantæ alicujus aquam, salem & Spiritum requirit, iisque commissis & terræ mandatis, debitoque calore fotis revocari, *scribit*, formam plantæ in istis partibus sopitam & latitantem denuoque vegetiorem crescere ac germinare. Illustrat & mirabiliorem reddit istam relationem *Joh. Dan. Horstius (c. l.) Guido Procensis* Lutetiæ Parisiorum brumæ diebus mediis trium horarum spatio offert seminatas & productas plantas ad mediocrem magnitudinem, instrumento, quod ipse solertissimè in locum caloris solaris tunc temporis & loci frigidè & impigrè satis operantis substituere novit. Semen pulverisatum Herbæ cujuscunque rori exponunt, atque cum plantas umbratiles, tum veras inde prodire jactitant. Talis fuit processus, quem *ex Ducis Mantuani Ferdinandi* Chirographo evulgavit *Joh. Baptista Spontanus (Con-echidne-logia s. de Pulv. Viper. Disc.) Ferdinandi* etiam *III. Cæsaris ap. Ath. Kircher. (c. l. p. 43.)*, hujusque simiam *Casp. Schottum (l. 12. Technic. Curios. c. 16. p. 885.) Archi-Duci Austriæ Maximiliano à Terentio* communicatus *ap. Francum à Franckenau (c. l. §. 35. p. 47.) Joh. Tackii (c. l. p. 46.) Hieron. Hirnhaim (Typh. Gen. hum. c. 9. n. 11. p. 105.)* deprehendit flores. Lil. Convall. in eorundem aceti destillatione in Cucurbitâ enatos, & C. C. in vitro productum perhibet *Febr. (c. l. qu. 2. p. 157.)* Prodigium vegetabile dici merebitur, dum *Andr. Libavius (l. 1. Syntagm. Chym. Arcan. Arcan. c. 22. in App. p. 48. & l. 4. Hexaëm. p. 357.)* allegat historiam, & plantulæ ideam, quæ A. C. 1608. mense Junio, ex aquâ destillata in vitro asservata mense Novembri *à Jeremia Cornario, Phil. & Med. Excell. Archiatro*

Bran-

Brandenburgico Culmbacensi communicata, cujus iconem & Epistolam de eadem *ad Libavium* scriptam dignam censuit, quæ magno ipsius Operi *(M. S. c. l. p. 437.)* inseratur *Athanas. Kircher*. Simile quod observasse *Dn. Frey*, *Doctorem Medicinæ Weisenburgicum celeberrimum* in Tulipâ *Joh. Tackius* (*c. l. p. 45.*) subdit.

§. 20.

De arcano Rosarum *Petr. Joh. Faber* (*Pallad. Spagyr. c. 3. p. 460.*) sequentia jactat: Eo ipso singulis mensibus habentur novæ & recentes rosæ odoriferæ, nec rosari ipsa, ipsomet hyemis tempore foliis privantur viridibus, mortuaque ferè reviviscunt, si tantillo hujus arcani pulvere in aqua rosacea, aut Spiritu Rosarum dissoluto irroretur radix ipsius rosarii, tunc illicò prodeunt folia alabastri, & tandem ipsæ Rosæ. Singulisque mensibus id fiet modo etiam mensibus iisdem tali madefiat arcano Rosarii radix. Spectat huc etiam modus, quo ligna resuscitare voluit *Paracels.* (*l. 6. de Nat. Rer. p. m. 897.*) & iterum componere, ita, ut viridescere incipiant. De *Medea Æsonem Senem* præterlapsæ juventutis vigori restituente, & idcircò in fervido aheno medicamen præparante *Ovidius* (*l. 7. Metamorph. Fab. 3. v. 276.*) hæc cecinit:

Arenti ramo jam pridem mitis olivæ
Omnia confudit, summisque immiscuit ima
Ecce vetus calido versatus stipes aheno
Fit viridis primo: nec longo tempore frondes
Induit; & subitò gravidis oneratur olivis.
At quocunque cavo spumas ejecit aheno
Ignis & in terram guttæ cecidere calentes;
Vernat humus, floresque & mollia pabula surgunt:

Aquam mirabilem è Bismutho in hunc finem communicat è *Jacob. Dobrezensky de Nigroponte* (*p. 3. Amœn. Philos. de Font. prop. 1.*) *Casp. Schottus* (*c. l. c. 18. p. 889.*), de cujus tamen efficacia maximè dubito; Plura alibi (*de Plant. Monstros.*)

§. 21.

Non verò in resuscitatione vegetabilium cum phantasticâ, tùm reali substitit Curiosorum industria: Sed etiam in Animalium mortuorum spectriformi præsentatione studium atque operam posuit indefessam. Attigi has umbras & phantasmata non sine delectamento *supra* (*l. 2. Tit. 10. §. 110. sq.*). Addo insuper & hoc è *Joh. Carol. Rosenberg.* (*p. 2. Rhodol. c. 33. p. 313.*). Qui in destillatione secundinæ microcosmicæ varia hominum, seu Isangelorum capita

paulatim emergentia, atque iterum in vitro evaneſcentia obſervavit. Sed & verè reproduci bruta è Cineribus de Cancris Experimentum recitat *Comes Kenelm. Digby (c. l. p. 69.)*. Ex combuſtæ Rubetæ cineribus, in Cucurbita Chymica vel fimo ſpecie putrefactionis procurata reſuſcitari congruit cum generatione ſerpentum *Paracelſica*, (*l. 6. de Nat. Rer. p. 897.*), ubi ſaltem poſterioris modi, dum ſerpens diſcinditur & in cucurbita in ventre equino putreſcit, meminit, & reſtauratione Phœnicis, ſi ulla eſt talis. Non libet aſſerere, nec pertinaciter inficiari, *diſſerit Andr. Libav.* (*p. 4. Singul. l. 2. Batrach. c. 17. p. 385.*). Ex Ranis combuſtis novas emergere Ranas, *Steph. Rod. Caſtrenſis* (*l. 4. de Met. Microc. c. 16. p. 222.*) protulit. Ex combuſtis Rubetis Rubetas, iterum *Libav.* (*l. c. c. 15. p. 363.*). Serpentem mortuum ſeminarium exiſtere aliis ſerpentibus, *refert. Sylv. Ratray.* (*de Cauſ. Symp. & Antip. p. m. 54.*), ubi & de Conchyliis. De Anguillis *Athanaſ. Kircher.* (*l. 9. M. S. ſ. 1. c. 6. Diſquiſ. 3. p. 140.*) ex pelle, qua quotannis exuuntur putrefacta, vel etiam ex ipſius pellis ad ſaxa detritæ ramentis ſine ſemine naſcuntur. Cujus veritatem experieris, ſi pellem Angvillæ minutim conciſam limoſo ſtagno injeceris: Nam intra menſtruum ſpatium novam Angvillarum pullulaginem reperies. *Hæc Kircher.* Præter tamen Experientiam de Senecta Angvillarum loqui *Kircherum*, *Chriſt. Franc. Noſter Paulini* (*de Angvill. ſ. 1. c. 3. §. 9. p. 82.*) judicat. Cautius *Plin.* (*l. 9. c. 5.*): Angvillæ atterunt ſe ſcopulis: ea ſtrigmenta viviſcunt: nec alia eſt eorum procreatio. Vermis exſiccatus & in pulverem redactus propinatus ei, qui vermes patitur, omnes interficit ejicitque è corpore, *Joh. B. Porta* (*l. 3. Phytogr. c. 2. p. 145.*) autor eſt. Hauſit id forſan è *Paracelſo* (*l. de Princip. ſ. de Myſt. Verm. c. 10. p. 1092.*). Docuit & *Jac. Th. Tabernæmontan.* (*l. 1. Herbar. c. 5.*): è Lumbricis & cum ſemine Santonici exhauſtis certo vermes generari: hancque fraudem & impoſturam Agyrtarum & Hiſtrionum execrandam & deteſtandam proclamat. Idcircò minus tutum, imò damnoſum potius reputat *Magnif. G. W. Wedel.* (*l. 2. Amœnit. Mat. Med. ſ. 2. c. 8. p. 369.*), cum (α) nulla ſit ratio, cur ſimile pellat ſimile, quod eſt contrarietatis potius, lupus lupum, cornix cornicem amat magis. (β.) Vermium ſemina ſunt admodum materialia & infinitis modis hinc propagabilia, hinc (γ) excretos vel maximè ab hoc putaticio remedio expulſivo Lumbricos non tàm in corpore præextitiſſe, quam generatos potius eſſe, vero eſt ſimilius. Confer *Henric. ab Heer* (*obſ. med. rar. 9.*). *Monconnyſium Athan. Kircher.* edocuit, muſcas ſiccatas in pulverem redactas, & poſtea aqua pluviali aſperſas ſolique expoſitas horæ unius ſpatio in muſcas iterum formari, (*Vid. Journal. des Savans T. 2. p. 1. Ephem. 29. p. 215.*)

p.215.). *Kircherus* alium tamen processum luci exposuit, (*l. 12. M, S. s. 2. c. 4. Exp. 1. p. 381.*)

§. 22.

Imaginem Resurrectionis in Chymicis operibus sisti, *Petr. Joh. Faber* (*Pallad. Spagyr. c. 7. p. 797.*) concludit, & florum umbratilium productionem à Conditore homini inditam, per quam naturæ Arcana detegerentur pronunciat *Joh. Marcus Marci* (*p. 3. Philos. Rest. Subs. 4. p. 293.*). Speciem corporis glorificandi umbratilem plantam præ se ferre, *Ken. Digby* (*c. l. p. 61.*) statuit. Luculentissimum argumentum, quo corporum nostrorum futuram resuscitationem humani imbecillitas intellectus aliquo modo per hujusmodi umbratilem similitudinem concipiat, succinit (*c. l. l. 12. s. 4. c. 5. Experim. 2. p. 437.*) *Athanas. Kircher.* Quæ cum ita sint, quis non gaudeat in nobis demortuis etiam futuræ Resurrectionis luculentissima vestigia reperiri? *quærit Dav. Beck.* (*c. l. p. 245.*). Non quod existimem, *pergit*, posse tantum summi opificis miraculum ex ullis causis naturalibus perfectè explicari aut perfici: Absit hoc: Sed ut veræ Philosophiæ naturalis hostes liquidò videant, quantus & quam mirabilis hujus cum Sacris sit consensus. Deinde Athei propriis sensibus convicti aliter ac solent, de futurâ corporum resurrectione sentire discant. Cum enim hi Scripturæ sacræ autoritati parum aut nihil tribuant, (quod dolendum sanè,) ac propterea ipsam resurrectionem nunquam fieri posse arbitrentur: obmutescent profectò, si ejus possibilitatem ac probabilitatem è causis naturalibus demonstrabilem oculis suis viderint.

§. 23.

Cum *Paracelsus* modum verè Paracelsicum de Ortu pulli ex ovo somniasset, (*l. 1. de Nat. Rer. p. 882.*), delirare incipit: *Es mag ein jeglicher Mensch unter seinen Achseln ein Ey ausbrüten als wohl eine Henne. Es ist dabey auch noch ein grössers zu wissen, nehmlich, so derselbige Vogel lebendig in einem versigillirten Cucurbiten zu Pulver und Aschen verbrandt mit dem dritten Grad des Feurs, nachmahls also verschlossen gepurificirt, in der höchsten Putrefaction in ventre equino zu mucilaginischen phlegma: So mag nun weiters dieselbige mucilaginisch Phlegma zum andernmahl ausgebrütet, und also ein renovirter und restaurirter Vogel werden, so diese mucilaginosische Phlegma wiederum in seine ersten Schalen und Häutlein verschlossen wird. Das heist die Todten wieder lebendig gemacht, die Wiedergeburth und Clarificirung, welches ein grosses und hohes Miracul der Natur ist. Und nach diesen Proceß mögen alle lebendige Vögel getödtet und wieder lebendig gemacht, renovirt und restauriret werden. Das ist auch das höchst und*

grœssest Magnale und Mysterium DEI, das höchste Geheimniß und Wunderwerck, das GOtt den tœdtlichen Menschen geoffenbahret hat.

§. 24.

Convenit his pullis & avibus magnam partem cum Phœnice orientis Ave, cautè, *juxta Casp. Barth.* (*Animadv. in l. Claudian. Epigram. quod est de Phœnice p. 973.*) à quibusdam nuncupata, cum Assyriam quidam, Arabem quidam, Judam alii faciant, ut iterum *è Barthio* (*c. l.*) patet. Ægypto sacram prodidit (*in Euterp. s. l. 2. p. m. 51.*) *Herodot.* Apud Arabes nasci & in Ægypto ex suo busto redigi in vitam, *Solinus* (*Polyph. c. 36.*) memorat. Quomodo nascitur apud Arabes, qui in Ægypto redigitur in vitam? Quærit (*c. l. Barthius*) quingentesimo quoque Anno in Ægyptum venire, reliqvum tempus in India circumvolare, *Philostrat.* (*l. 3. de Vit. Apollon. c. 14.*) ex Indorum testimonio annotavit. Adde *Petr. Texel.* (*l. 2. Phœnix vis. & audit. c. 1. §. 9. p. 142. & l. 3. c. 20. §. 1. p. 373.*). Quinquaginta annis hanc vivere, iterum *Herod.* (*c. l.*) *Ovidius* (*l. 15. Metamorph. v. 395.*) *Hieron.* (*Epist. ad Præsid.*) *Ambros.* (*l. de Fid. Resurrect.*). Quadraginta & quingentis, *Mela* (*l. 3. c. 8.*), *Solinus* (*c. l.*) Sexcentos *Philostratum* annos notasse, *Raph. Volatterran.* (*l. 25. Philol. f. 605.*), sed incongruè, cujus errori unius interpunctionis opera subvenire laborat *Jac. Thomas.* (*c. l. §. 35. p. 86.*), sexcentis sexaginta *Plinius* (*l. c.*), Mille *Martial.* (*l. 5. Epigr. 7.*)

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties secula vixit avis.

Mille & quadringentis sexaginta, *Tacitus* (*l. 6. Annal. c. 28.*) *Cheremon Ægyptius* sex annis & septem millibus, ut (*ad h. l. Martial. p. 365.*) commentatur *Matth. Rader.* Add. *Georg. Casp. Kirchmaj.* (*Diss. Zoolog. 3. c. 1. p. 63.*), *Petr. Texel.* (*c. l. l. 3. c. 18. §. 3. sq. p. 368.*): Quicquid sit, Poëtæ hæc quam Philosopho naturali digniora, ideò Phœnix vitæ longissimæ fuit Symbolum.

§. 25.

Et cum è cineribus suis se ipsam reseminare perhibeatur, corporum nostrorum Resurrectionis futuræ certum prostat argumentum reputata. Accipe plenissimum ac firmissimum hujus spei (Resurrectionis corporum) specimen, disserit *disertissimus Tertullian.* (*l. de Resurrect. c. 13. p. 43.*); siquidem animalis est res, & vitæ obnoxia ac morti: Illum dico Orientis alitem peculiarem de singularitate famosum, de posteritate monstrosum, qui semet ipsum libenter funerans, renovat, natali fine decedens atque succedens iterum Phœnix. Doceat nos Phœnix, *inquit* (*c. l.*) *D. Ambros. allegatus ab Andr. Rivino* (*ad Dracont. Hexaëm. l. 1. v. 534.*) exemplo suo Resurrectionem credere, qui sine rationis percepti-

ceptione ſibi inſignia reſurrectionis inſtaurat. Adde, quæ præterea prodidit *Joh. Pier. Valerian.* (*l. 20. Hieroglyph. p. 239.*) *Exc. Jac. Thomaſius* (*c. l. §. 199.*) & *Paul. Zacch.* (*l. 4. quæſt. Med. legal. Tit. 1. qv. 11. n. 4. p. 369.*) *Joh. Tack.* (*Phaſ. Philoſ. 3. p. 24.*)

§. 26.

Enim verò quod ad mortem Phœnicis attinet, commentatur *nunquam ſine laude allegandus Thomaſius* (*c. l. §. 11. p. 80.*), ſciendum, quæ de genere mortis huic avi ſubeundæ hodie maximè viget opinio, Phœnicem videlicet vivi-comburio interire, non ab Ægyptiis eam ad nos, ſed à Græcis perveniſſe. Nam ex Ægyptiorum doctrina quidvis hic potius, quam rogus, aut incendium memoratur. De hac Ægyptiorum doctrina *Plinius* (*c. l.*) locutus fertur. Seneſcentem Caſia thurisque ſurculis conſtituere nidum, replere odoribus & ſuper mori. Ex oſſibus deinde & medullis ejus naſci primò ceu vermiculum: inde fieri pullum, principioque juſta funeri priori reddere & totum deferre nidum propè *Panchajam* in Solis urbem & in arâ ibi deponere. Ita ſolus de mortis genere diſſenſus Græcum Phœnicem diſtinguet nobis ab Ægyptio. Illi enim conflagratio, huic mors naturalis (ita pleriſque viſum,) vitam intercidit, concludit bene *Thomaſius* (*c. l. §. 44. p. 88.*), cujus in hac materia induſtria & curioſitas, ne plura in medium producam, facit.

§. 27.

Chemicâ ſcientia non imbuti ad bruta & homines reſuſcitata confugiunt, colliguntque quidam inde Ethnicos ſcriptores Phyſicos Reſurrectionis poſſibilitatem crediditſſe. Ita *Plinius*, quamvis DEO impoſſibilem defunctorum reſtitutionem aſſerat, (*vid. ſupra §. 3.*), horum tamen, qui elati revixerunt hiſtoriam texuit (*l. 7. c. 52.*), & herbas allegat (*l. 25. c. 2.*), quibus ad vitam Draconis catulum & hominem revocatos antiqui prodiderunt, adeoque reſurrectionis in genere poſſibilitatem non penitus rejeciſſe videtur. Differentiæ hic locus eſt; corpus adhuc ſolidum, & non putrefactum reſurgere, aut reſuſcitari poſſe, Ethnicis non ita durum credere erat, atque in pulverem & cineres reſolutum adeoque penitus deſtructum. *Add. ſupra* (*§. 11.*). Ita hujusmodi hiſtoriarum hiſtoricorum gentilium libri referti deprehenduntur ab his, quibus iſta curæ, ut ex dicendis apparebit.

§. 28.

Hyeme papiliones & Muſcas mortuas deliteſcere, ſolari autem, aut alio calore reviviſcere nemini non notum. *Vid. Franc. Baco Verulam.* (*Sylv. Sylv. Cent. 8. n. 746. col. 957.*). Muſcis humore exanimatis *Plinio autore* (*l. 11. c. 26.*) vita

vita redit. *Add. Petr. Apon.* (*in f.10. probl. Arist. 68. f. 118. a.*). *P. J. Faber* (*l.3. Panchym. f.5. c.5. p.358. Pallad. Spagyr. c.2. p.751.*). *Fortun. Licet.* (*l.1. de Spont. viv. ort. c.39. & l.3. c.54.*). *Job. Amos. Comen. Phys. Ref. c.10. Opp. p.168.*). *Joh. Tack.* (*Phas. Philos. 3. p.39.*). *Henr. ab Heer.* (*obs. rarar. 9.*)

§. 29.

Idem de avibus & reptilibus quibusdam alii. Hirundines Autumno emori & Vere adventante reviviscere communis fert fama. Hinc resurrectionis imaginem hirundine se invenisse, proclamat *Georg. Pisides* (*Cosmurg. v. 1305.*)

> Ἄνθρωπε πιμᾶν τὴν ἀνάστασιν μάθε,
> Λαλὸν θεωρῶν ἐκ τάφου χελίδονα.
> *Discas homo fidem reviviscentiæ*
> *Videns loquacem de sepulchro hirundinem.*

Vertit *Pisidæ* pollicem premens (*c. l. p. 170.*) *Joh. Henr. Ursin.* Nec dissensit *Hieron. Elver.* (*Deambul. Vernal. n.76. p. 142.*). Meritò dici possunt (hirundines) imago resurrectionis nostrorum corporum. Hinc etiam primitiva Ecclesia usa est similitudine contra Ethnicos pro resurrectione mortuorum. In quem censum venit quibusdam:

> *Ciconia grata, peregrino hospita,*
> *Pietati cultrix, gracilipes, crotalistria,*
> *Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis.*

Quos versus elegantes vocat *Frid. Taubmann.* (*in Plaut. Turcul. a.3. f.2. p.1425.*) & *Petronio* ascripsit *Mich. Neander* (*p. 2. Phil. Phys. p. 397.*) & *Jacob. Dalechamp.* (*in Plin. l. 20. c. 13. p. 462.*), seducti forsan à *Cœl. Lud. Rhodig.* (*l.3. lect. antiqv. c.34. col. 1316.*) & *Petr. Crinito* (*l. 4. de honest. discipl. c. 13. p. 168.*). Sed *Petronium* evolventi *Publium* ille allegat. Quid si de *Publio Mimo* interpreteris? Conjicit *Franc. Daniel.* (*in not. ad h. l. p. m. 61.*), nec ineptè forsan, quamvis & *Decio Laberio* eos ascribant, qui in augendo *Basil. Fabri Latinitatis Thesauro* tempus posuerunt.

§. 30.

Retulit vetustas hirundines hybernacula transmigratione loca calida sibi quærere, de quibus & Milvis *vid. Aristot.* (*l. 8. Hist. animal. c. 16.*), qui & anteà (*c. l. c. 12.*), in genere de avibus id tradiderat. Cur autem in alias regiones transvolent Hirundines, causas egregiè exposuit *Job. Bodin.* (*l.3. Theatr. nat. p. 364.*). Cum hominem alimentis omninò inutiles sint, nec cibum hyeme reperire, nec avium rapacium cibo inservire (omnes enim incredibili celeritate transvolant,) post æstatis ac muscarum interitum, officio quod illis à conditore

tore præſcriptum erat perfunctæ, ne poſt æquinoctium autumnale flantibus coris intereant, ad oras maritimas gregatim feruntur. Huc reſpexiſſe *Jeremiam Prophetam (c. 8. v. 7.)* ſunt qui putant. Cum volatu inſectorum familia nutriantur, alia cauſa præterea his jungenda. Conſtat autem ſingulis annis ſingulas deplumari aves, ne ſcilicet plumæ & pennæ in immenſum augeantur volatuique officiant. Ne igitur iis deplumatis egeſtas mortem inferat torpore corripiuntur, quo correptæ nec famem ſentiunt, ac vaporum per poros vibratione cum plumis vires exſolvuntur emoriunturque. Digitum eò intendit *Claudian. (l. 1. in Eutrop. v. 117.)* dum cecinit:

Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.

Et Georg. Piſides (Coſmurg. v. 1296.)

Bruma reducta premitur & ſubducitur
Inque arboris ſibi fabricat trunco domum.
Ubi faſciis latet involuta ligneis
Veſtiſque tegmen exuit plumatilis,
Idemque vere mox redinduit novum
Velut ex ſuo redux ſepulchro mortuus.

vertit illos *Piſidæ* Jambos *Joh. Henr. Urſin. (l. 3. Annal. Sacror. c. 7. p. 170.)*

§. 31.

Latibula iſta in ædibus dum conglobantur in locis occultis inveniunt, aliquando in ſtagnorum profunditate, è qua non raro à piſcatoribus extractas Exemplis *à Mich. Neandro (p. 1. Phyſic. p. 415. ſq.)* collectis conſtat. Memini me plures quam quos medimnus caperet, hirundines arcte coacervatas, intra piſcinæ cannas ſub glacie prorſus ad ſenſum exanimes, pulſantes tamen, reperiſſe *Zach. Neucranz. (de abſtruſ. Reſpirat. negot. c. 10. §. 5.)* commemorat. *Conf. Henric. Oldenburg. (Act. Philoſ. Angl. A. 66. p. 288.)*, & ex eodem *Journal des Savans (Tom. 3. Ephem. 2. p. 23.) Athanaſ. Kircher. (l. 8. M. S. ſ. 4. c. 1. p. 92.)*. Diſtinxit inter Riparias, Murarias & Domeſticas *Celeb. Joh. Nicol. Pechlin. (de vit. ſub Aqv. c. 3. p. 36.)*. Ripariæ, *inquit*, vel ſcopulis adhæreſcunt, quales ipſe vidiſſe memini in littore maris mediterranei prope Terracinam; aut arenarum cuniculis affiguntur, quemadmodum in arenoſis Selandiæ Batavicæ collibus accidere intellexi; vel etiam volubili commercio per maris ſpecies errantes intercepto ſubitò aëre, vel denſato merguntur; id quod præ cæteris ſemper portentoſum viſum avicolas aëris hoſpitas adeò aquarum frui conſortio, ut poſt longiſſimi etiam temporis diluvium vivaces reſurgant, & deſertas ante auras æquali

vigore

vigore repetant. Agrestes vel cava vallium (ea enim potius, quam summa petunt, quod athmosphæra, quo terræ plano propior, hoc calidior,) aut deserta quærunt Sylvarum, ubi frigoris injurias temperant opaca; saltem ex natura aëris, cui asvetæ alia atque alia latibula. In nidis aliquando tanquam mortuas delitescere *Joh. Heidfeld* (*Sphing. Theol. Philos. c. 6. p. 161.*) annotat. Id verò à nostris quod non observatum, est quod maximè miror, quamvis id se comperisse *Hieron. Elver.* (*Deambul. vern. n. 76. p. 142.*) affirmet. A nostrorum hominum nonnullis narrari memini, commentatur *Casp. Barth.* (*in Claudian. l. 1. in Eutrop. v. 117. p. 1297.*), formas induere nescio quales pisciculorum, ita in ripis fluminum usque ad spirantem Favonium delitescere: Eo ver revehente sensim rursum implumescere & avium se choro | velut postliminiò restituere. Alii flumina quidem subire persvasum habent, sed in iis tuberculi, quadam imagine obvelatas latere, uligine obrutas, & in latebras ripestres correpere quam profundissimas; sæpius accidisse affirmantes, ut casu in locum igne calidum illatæ etiam media hyeme de veterno illo morticino subitò revixerint. Sed eorum fides sit penes autores, certè tamen homines quam pro talibus fingendis simpliciores. *Hac Barthius.* Alios qui concinunt scriptores, excerpsit *Cl. Jac. Thomas.* (*Diss. de Hibern. Hirund. §. 25. sq.*), unde liquido constat, *concludit Pechlin.* (*c. l. p. 38.*), nullum adeò esse avium s. religionem, s. naturalem ductum, qui eas in septentrionem evocet magis, quàm alias partes; ubiq; latent & hic & alibi, in calido perinde & frigido aëris tractu. Igitur verni temporis sub adventum in vitam videntur redire. Scilicet & Ciconiæ hyemali frigore in lacubus latere perhibentur. Ita *Bapt. Fulgosus* (*l. 1. Memor. c. 6. p. 55.*), quis fieri posse arbitretur? aut quas rationes afferre possit ejus rei, quæ à *Gervasio Tibellisio Arelatensis regni Marescallo ad Ottonem quartum* scripta: In lacu enim ejus regionis, *monuit*, quosdam piscationi operam dantes hyeme multas ciconias veluti mutuas rete in siccum traxisse; quæ tanquam simul junctæ mutuo rostra ano infixa habebant & calefactæ vivæ fuerunt inventæ. *Vid. Athan. Kircher.* (*l. 8. M. S. s. 4. c. 1. p. 94.*). In Lotharingia quoque juxta Methensem urbem in quodam alio lacu salutis anno 1467. permultæ aliæ Ciconiæ inventæ fuerunt, quæ in thermis calefactæ revixerunt. Quamvis & *Plinio* (*l. 10. c. 23.*) non dubium sit, è longinquo venire eas eodem, quo grues modo. Inde peregrina avis *Phædro* (*l. 1. Fab. 26.*). Nec est, quod quis è *Petro Bellonio* reponat (*l. 2. obs. c. 30. p. 259.*), in certam regionem Ægypti aves aquaticas hyeme commeare tantâ copiâ, ut agri & prata ab iis albescant, præsertim autem Ciconiis. Quæ namque sequela Ciconiæ in certa regione Ægypti in magna copia

copia reperiuntur, ergò ex Europa hyemali tempore ad ea loca commearunt. Quid obstat cur non indigenæ esse possint, perque totum annum ibidem habitare, cum Ranarum & Serpentum copia, ciconiarum esca, luxuriet. Gemella huic est illa *Casp. Schwenckfeld. (l. 4. Theriotroph. Siles. p. 256.)*: Ciconiæ hyeme loca calidiora quærunt Africæ & Indiæ, injurias frigoris fugientes. Quod & *Hollandi* testantur, qui cum ante quinquennium novas terras inquirerent, mense Januario in Insula quadam maris Indici Ciconias plurimas conspexerunt. Nec frigoris causa latibula quærere eas certum est, sed alimentorum inopiâ cum cicuratæ ciconiæ tota hyeme apud nos vivant, si brutorum extis & aliis cibis nutriantur.

§. 32.

Majus Naturæ miraculum est, quod fertur de passere, vicilino qui juxta Mexicum invenitur, profitetur *Hieron. Cardan. (l. 7. de Rer. Varietat. c. 369.)*. Hic ape magnâ haud major est, seu crabrone: pluma tamen vestitur, ut par est, tenuissima, rostro longo & gracili; alitur rore ac melle & florum succis. Octobri mense uno pede annixus ramusculo hæret usque ad Aprilem, loco tecto, atque ita mortuus velut jacet: cum redeunt flores, reviviscit: atque eâ de causa passerem resuscitatum vocant. Eadem de avicula Gaurnumbi ex Aliis *Erasm. Francisci (Dialog. 12. Die alleredelste Veränderung der gantzen Welt p. 153.)* *Francisc. Xymenes scribit, allegante Guilh. Pisone (l. 1. Hist. utr. Ind. Hist. med. c. 30.)*; aviculas quasdam à Mexicanis Huitzitzil appellari; testaturque eas non diutius vivere, quam durantibus floribus, iisque decidentibus rostello suo affigi arborum truncis, & sex menses ita immotas, s. mortuas, s. jejunas manere, donec pluviis redeuntibus Flora rursum campos vestiat. Non dubito, quin unica sit avis diversis nominibus expressa, in hoc solum differentes, quod una pedibus, altera rostro arbori se applicet, & ita emortua quasi pendeat. De iisdem verò argute *philosophatur J. N. Pechlin. (c. l. p. 47.)* Quod *Xymenes* florum defectu emori bestiolas *scribat*, leviter id quidem & minus accuratè; eadem enim athmosphæra supra proportionem tenuis & rara, quæ floribus succidum intervertit alimentum bestiolis istis suam ex parte lympham, qua liquoris constat ratio, & aëris emungit particulas. Sanè ex qua cœli temperie florum æstimatur figura, ex eadem aviculæ vitam pendere non immeritò dixeris. Credo summam aëris raritatem, nam proportio requiritur, in culpa esse, quod nec vesiculæ commode inflari, aut pectus illud musculis pro illa parvitate grave expandi satis, ipsumque adeò corpus sustineri

 fluidi

fluidi subtilis minietate, ut planius loquar, possit. Et hanc rationem cum in aliis Exemplis locum inveniat facilè, hic inserere operæ pretium duxi.

§. 33.

Pisces etiam suo elemento velut immori, *sæpius laudatus Pechlin. (c.l.c.4. p.50.)* abunde explicatum dedit. Idem de serpentibus, Ranis, & Bufonibus (*p.60. sq.*). De Ranis vulgò tradunt semestrem his esse vitam & post in limum resolvi, qui Vere repetente iterum in ranas facessit. Mirum *narrat Plinius (l.9. c.51.)*, semestri vita resolvuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis renascuntur, quæ fuere natæ perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eveniat. Concinit *Hieron. Cardan. (l. 1. de Sanit. Tuend. c.30 p.95.). Athan. Kircher. (l. 12. M. S. s.1. c. 9. p.365.)*, qui & novam Ranarum genesin exhibuit, *(ib. s.2. c.7. p.392.)*. Memini ego in itinere ex Neapoli Italica Dicæarchiam versus, Ranis pluisse, *perhibet Ælian. (l.2. de Animal. c.56. p.133.)* quarum anterior pars binis innixa pedibus repebat, posterior adhuc informis & tanquam è cœno humido coalita trahebatur.

Semina limus habet virides generantia ranas:
Et generat truncas pedibus, mox apta natando,
Crura dat, utque eadem sint longis saltibus apta;
Posterior partes superat mensura priores.

Cecinit (*l. 15. Metam. v.375.*) *Ovidius.* Junxit ranis serpentes *Joh. Marc. Marci (p.4. Philos. Restit. s.1. p.391.)* eosque in limum resolutos vim seminalem servare incorruptam, indeque Vere novo aliud sibi corpus architectari, scripsit.

§. 34.

Multa hic in medium afferunt de insectis. Insecta oleo inuncta emori, olim jam *Arist. (l. 8. hist. anim. c. 27.); Ælian. (l. 4. de Anim. c. 18.)* & *Plin. (l. 11. c. 19. & l. 12. c. 53.); Alex. Aphrodis. (s.1. probl. 64.); Galen. (l. 2. de Simpl. c.20.)* prodiderunt. Inde de Bombycibus *Marc. Hieron. Vida (l. 2. de Bombyc. v.91.)*

Præterea liquido respergi corpora olivo
Mors erit extemplo, ah miseris, lucemque relinquent.

Add. *Marcell. Malpigh. (de Bombyc. p.31.)*. Nec oleum id solum præstat, sed omnia pingvia. Ita, si muscæ venter butyro linatur, oppido exspirabit. Obstruuntur nempe comprimis ab oleo & pingvibus trachearum orificia & ideo suffocata intereunt insecta. *Add. Th. Williss. (de Anim. Brut. c.3. p.19.) J. N. Pechlin. (c.l. c.2. p.33.) Joh. Jac. Harder. (Apiar. obs.3. p. 8.)*, ut non immerito

ritò dubites, utrum cauda insecta respirent, quod *Guilh. Harveo* (*Exerc. 2. de Mot. Cord. & Circ. Sangv. p. 159.*), ut se experimentis quibusdam posse demonstrare arbitratus fuerit, placuit, erroremque veterum recoxit *Andr. Libav. (l. 6. Hexaëm. s. 16. p. 549.)*, non esse interceptionem respirationis, sed transspirationis: Apes tamen oleo madefactas, & emortuas aceto affuso in vitam redire, *Joh. Bapt. Porta* (*l. 5. Phytogn. c. 1. p. 305.*) astruxit, hausit id forsan è *Vincentio* (*l. 20. spec. hist. nat. c. 86.*), qui id se *Ambrosio* (*l. 5. Hexaëm. c. 22.*) debere fatetur, & qui etiam *Basilii* (*Hexaëm. Hom. 8. c. l. c. 74.*) adduxit: Apes oleo madefactæ pereunt meatibus obstructis, aceto autem statim affuso rursus reviviscunt transitibus reseratis. Add. *Andr. Libav.* (*c. l.*), quod si & celerrime capite illito exponantur soli, vitam recuperare *Philosophus* (*l. 8. hist. anim. c. 27.*) *prodidit.* Condunt autem cineribus calidis, aut potius iisdem asperguntur, aut solis aut ignis calori exponuntur. Sal ipsis præterea aspergere jubet *Paracels. (l. 5. de Nat. Rer. p. 897.)* & *Martin. Pansa* (*de Vit. Prorog. Part. Theor. Special. c. 1. f. 6. a.*), Spiritus interior ob humiditatem penetrantem quasi corrumpitur & enecatur, qui posteà, cum cinere conduntur hæc animalia, consumto humido cinerum calore, resuscitatur, *judicat* (*Prolegom. in l. de Insect. p. 7.*) *Ulysses Aldrovandus.*

§. 35.

Thelyphonon herba, ab aliis Scorpion vocatur, intimat *Plinius* (*l. 25. c. 20.*) propter similitudinem radicis, cujus tactu moriuntur Scorpiones. De Teliotrophio idem commemorat *Athan. Kircher.* (*l. 3. Mund. Magnet. p. 1. prælus. 2. p. 381.*), quod (in *Magnet. Regn. Nat. s. 1. c. 3. p. 15.*) repetit. Elleborum album contra resuscitare redidit, & quidem radicem ejusdem *Sylv. Ratray* (*Adit. ad Symp. & Antipat. p. 22.*). Succum Ellebori Albi habet *Franc. Redi.* (*de Insect. p. 141.*). Scorpionum genesin artificialem delineat iterum *laudatus Kircher.* (*l. 12. M. S. s. 2. c. 6. p. 387.*). Mori quadrantis horæ spatio, si singulis illorum supra dorsum tres aut quatuor guttæ olei olivarum instillentur (*Fr. Red. obs. de Viper. p. m. 97.*), ubi insimul miratur, quod *Albertus M.* (*l. 26. de Animal. f. 105. b.*) scripserit: Hoc quod vidi de hoc animali, est, quod cum mersissem in oleo olivæ 21. diebus vixit in vitro ambulans in fundo olei & 22. die mortuum fuit, & elevabantur ampullæ de juncturis annulorum ejus in omni parte in oleum. An hoc modo enecti resuscitari possint, cum ignarissimis scio.

§. 36.

Locustæ mortuæ reviviscere dicuntur, *Gerh. Joh. Vossius* (*l. 4. Idol. c. 97. p. 1638.*)

p.1638.) notat; Quod crederem, si Acridophagi populi in alata quædam pediculorum genera ante mortem resolvantur, quod ex aliis recitat *Hieron. Mercurial.* (*l.2. lect. Variar. c.20.p.116.*). Add. *G. H. Velsch.* (*l. de Ven. medinens. c. 2. p.43.*). *Dav. Beck.* (*Experim. circ. rer. nat. princ. p. 242.*). Ita Salmonem Angvillis ali, & has etiam ex intestinis affusâ aqua prodire seu generari, *Th. Bartholin.* (*Diss. 6. de Med. Dan. Domest. p.286.*) dixit observatum. De vipera *Georg. Stengel.* (*de Monstr. c. 2. §. 12. p. 66.*), seqventia retulit: Vidi ego præstantem Medicum, qui cum viperam triduo suspendisset, & suffocatam arbitrans, super infuso undique gypso, prosiliente bestiâ vivâ ac sibilante, ac carcerium suum quærente periclitatus est. Vidi & ipse viperam, *pergit*, è gypsato sepulchro redivivam.

§. 37.

De Apibus ista *Petr. Joh. Faber* (*l.3. Panchym. s.5. c.2. p.355. & c.5. p.358.*): Enascuntur apes ex se ipsis, ut ipse Phœnix, & Formicæ sibi tumulum & sepulturam ipsæmet conficiunt, dum ad senectutem vergunt, ex humiditate viscosa aëris sibi glomerant nescio quid, ovi simile, in quo includuntur & quasi sepeliuntur, juvenes verò illud ovum in cellulas & tuguriola deponunt, ibique calore & fotu Solis exsurgunt, novæ apes & recentes. Plura de Formicarum ovo *alibi* (*Oolog. General. Diss. 2. §. 9. p. 61.*). Curiosa habet de Apum Nymphis, ita namque vocat *Vir ingeniosus & judiciosus Joh. Svammerdamm* (*Hist. Insect. General. p. 92.*); deque Formicarum (*p. 176.*). Insecta in transmutationibus emori & resuscitari *Joh. Marc. Marci* (*p.3. Phil. Vet. Restit. subs. 3. p. 375.*) prodidit.

§. 38.

In Sicilia, referunt, aquæ vorticem esse, in quem mersæ aves reliquaque animantia suffocata vitæ restituantur, *Aristot.* (*de Mirab. Auscult. p.m. 1086.*) meminit. Ad *Agnanæ lacum* est Antrum, ubi ingressum animal quasi moritur: ad aquam verò delatum reviviscit, *scribit Th. Campanella* (*l. 4. de Sens. Rer. c.7. p. 64.*). Spelunca ista Antrum canis (*la Grotta de Cani*) inter Neapolim & Puteolos conspicienda versus septentrionem. In hanc quatuor cum dimidio passus longam duos circiter latam, altam verò dimidiam hominis staturam, occurrentis rustici manibus ereptum catellum hilarem & pulcherrimum pedibus alligatum dimidio solum corpore ingressus sodalitii nostri Hybernus quidam faciendi periculi gratia introduxit: Citius autem, quàm bis orando absolvi posset Oratio Dominica retractus canis Apoplexia vel Syncope affectus sine sensu & motu fixis & inversis oculis visus est; Verum vinculis suis solutus & vicini nec plus 12. passus distantis *Agnani lacus* aqua consper-

spersus, momento quasi ad vitam redire, latrare, saltitare & abblandiri nobis, non sine stupore, observatus est, ploranti rustico redditus, narrat *Joh. Nicol. Binninger* (*Cent. 1. obs. 22. p. 25.*). Alia experimenta recitant *Kircher.* (*l. 4. M. S. s. 1. c. 5. p. 191. sq.*). *Joh. Fabr. Lync.* (*Expos. ad Nard. Ant. Recch. Animal. nov. Hispan. p. 782.*). *Christ. Francisc. Paulin.* (*s. 2. Cynogr. membr. l. c. 3. §. 7. p. 90.*) *Joh. Beverovic.* (*p. 1. Thesaur. Sanitat. c. 2. p. 7.*). *Maximil. Misson.* (*p. 4. Itiner. Epist. 23. p. 384.*)

§. 39.

Nullum unquam animal à mortuis resuscitatum legimus, indicat *Henric. Cornel. Agrippa* (*de Vanit. Scient. c. 102.* quo ad Asini Encomium digreditur *p. m. 243.*), præter asinum illum, quem *B. Germanus Britonum Episcopus* in vitam revocavit, quo insigni miraculo ostensum videtur, asinum ipsum etiam post hanc vitam participare immortalitatis. Sed in trabalem errorem impegisse *Agrippam*, sequens *Th. Barthol.* (*de Peregrin. Med. p. 36.*) evincit narratio: In oppido & Castello (Apuliæ) *Paulo* maritima ascenditur per colliculum ad Monasterium *S. Francisci*, ubi *S. Franciscus de Paula* habitaverat. Ibidem fons est limpidus ejusdem nomine insignitus, in quo ad vitam dicitur revocasse pisces assatos ad se delatos, in cujus rei fidem servatur in templo patina, in qua cocti & resuscitati. Contrariatur Agrippæ non infimus sui ordinis socius, *H. Engelgrave* (*p. 2. Cœl. Empyr. p. 799.*) Asinina capita S. Nicolaus asinis restituit, è *F. Ant. Beatillo* (*in Vit. Ambr. Nolan.*) dum scripsit: Festivum & hoc, & inter miranda, quæ Myrensis Antistes (Nicolaus) patravit maximè ridiculum miraculum. Nolam ipse cum Diacono, asinis ambo insidentes, proficiscebatur, quo eodem tempore ad idem hospitium, alii quoque equis aut lectica vecti, divertebant. Quod ut vidit stabularius, hypocritam S. Nicolaum sugillavit, qui hac humilitatis specie se sanctum venditaret. Ut igitur illum, cum socio ultro perrecturum, equos sumere cogat, de nocte utrumque asinum capite obtruncat. Diaconus mane venit, ut asinos itineri pararet, & non nisi trunca capitibus videt cadavera. Accurrit ad D. Nicolaum, qui subridens, accipe, *inquit*, acum cum filo & assue capita cadaveribus, & divino auxilio ad vitam redibunt asini ac sibi nobisque restituentur. Jussa exequitur Diaconus, rejecta in angulum accipit capita, sed ut adhuc tenebræ erant, caput subnigri assuit albo, atque ita cum alieno capite uterque asinus revixit, mirante cum socio stabulario & veniam delicti postulante. Stupendum miraculum in asinis perpetratum marginale habet & sanè dignum quod Milesiis fabulis inseratur.

§. 140.

Motum ossium sepultorum è terra, in Ægypto etiam in Resurrectionis futuræ testimonium relatum comperio. Quid verò de isto sentiendum supra (*l. 2. Tit. 5.*) monitum. *Lucomorios* populos singulis annis à 27. Novembr. usq; ad 24. April. secedere sub terram, mori, & exacto prædicto tempore, reviviscere, & in auras prodire olim fama sparsa. Inter historicos, qui id in literas retulerunt, eminet *Guagninus (p. 2. Rer. Polon. p. 207.)*, è quo *Henric. Kornmann. (p. 2. m. m. c. 41.)*, *Strozz. Cigogna (l. 4. omnifar. Mag. c. 7. p. 535.)*. *Francisc. Citesi. (de Abstinent. Consol.)*. *Dan. Sennert. (l. 3. Med. Pract. p. 1. s. 2. c. 7. p. 77. sq.)*. *Erasm. Francisc. (p. 2. Theatr. p. 935.)*. Sed hos subterraneis hominibus accenseas, quos aëris & frigoris inclementia loca subterranea ad tempus petere cogit.

§. 41.

Propius ad scopum collimant observationes, quando quosdam spontè revixisse legimus; quosdam ab aliis resuscitatos. Prioris generis, quos elatos revixisse censuit *Plin. (l. 7. c. 52.)* *Eris, Armenii filius, natione Pamphylius*, multis acceptis vulneribus inter mortuos ad decimum diem usque relictus, deinde duodecimo ad sepulturam sublatus in rogo revixit, & mira quædam sibi visa, dum ex animis jaceret, narravit. Historiam vide sis *ap. Platon. (l. 10. de Republ. p. m. 528.)*. De hoc illud *Georg. Hornii (ad Sulpic. Sever. l. 1. hist. sacr. p. 219.)* addere lubet. Hautquaquam dubito, *scribit*, quin *Eris Armenius* sit ille miles Syrus, qui contactu ossium *Eliæ* suscitatus. Quis enim dubitet, famam de eo longè lateque sparsam ad Græcos pervenisse? quia autem Syria Aram, hinc ipsi eum fecere Armenium. *Clement. Alex. (l. 5. Stromat. p. m. 436.)* *Zoroaster* vocatur, ubi hæc leguntur verba: Hæc conscripsit *Zoroaster, Armenii filius, genere Pamphylius*, in bello mortuus cum essem apud inferos existens à Diis didici. Hunc *Zoroastrem* cum duodecimo die post mortem in rogo positus revixisse, ac fortasse quidem resurrectionem, fortasse autem & illæ tacitè significat, quod per 12. signa animæ viam capessunt ad assumtionem. *Vid. Petr. Dan. Huet. (Demonstr. Evang. p. 151. & p. 1041.)*, qui pro Armenio Armonium esse legendum è *Plutarcho & Ænea Gazæo* confirmare satagit. Nec *Platoni* adhibeo fidem, *judicat Anton. Santorell. (Post. Prax. c. 40. p. 134.)*. De *Ero Pamphilio*, sed illud confictum putat, ut aliquam proprio placito de egressu animæ à corpore, & ejusdem ad corpus regressu, astrueret fidem, aut non fuit ille miles motu omni & sensu destitutus. *Platonem* id confixisse, ut metu inferorum homines à peccando deterreret *Justinus Martyr. (in Paranes.)* su-

suspicatur. Spectat huc *Thespesii* historia *ap. Plutarch.* (*l. de Ser. Num. vind.*). De puero sepulchro mandando reviviscente *Joh. W. Valvasor* (*l. 11. Carinth. s. 5. p. 1. p. 717.*). Plura collegit *Th. Zwinger.* (*l. 18. Theatr. col. 850.*) *Illustr. Georg. Hieron. Velsch.* (*Cent. 1. obs. n. 100. p. 67.*), ubi etiam mulieris Coloniensis historiam versibus descriptam exhibet. Simile exemplum de virgine Bohemicâ annotavit *Bohusl. Balbin.* (*Dec. 1. Misc. Bohem. c. 18. §. 3. p. 215.*). De Artificis Conjuge Apoplexiâ tactâ nomine *Men vache Zupotiers*, idem suo tempore accidisse, testatur *Max. Misson.* (*p. 1. Itiner. Epist. 5. p. 51.*), dedi etiam quædam collecta *suprà* (*Diss. general. s. 1. de Cadav.* §. 12.). Inde cecinit *Manil.* (*l. 4. c. 1. v. 71.*):

Ex ipsis quidam elati rediere sepulcris
Atque his vita duplex, illis vix contigit una.

§. 42.

Quis dicitur ter inter mortuos numeratus in S. S.? quærit *Athanas.* (*Ad Antioch. qv. 64. T. 2. f. 291.*), & respondet, de *Jona* id manifestum est. Nam uti vetus fert fama hic viduæ fuerat filius, quem *Elias Propheta* ex morte in vitam revocavit: iterum in Ceto vita functus est, & tertium supremum obiit diem. Quod ad primum assertum, languidum applausum à Theologis nostris tulit, cum temporis ratio inter hunc & illum dissonet. Nam *Elias* Sareptanæ filium circiter A. M. 3040. resuscitavit, & anno 3056. *Joramo* imperante, in cœlos translatus est (*2. Reg. 2. v. 11.*). Cum Jonas 3119. sub *Jeroboamo II.* post annos fermè 80. vixerit. Quem errorem *B. noster Mart. Luther.* (*Præf. in Jonam*) jam tetigit. *Jonas* præterea Hebræus fuit, non gentilis, ut Sareptæ filius, & quomodo sub *Achab* est suscitatus; sub *Jeroboam* prophetatus. Vid. *Joh. Mercer.* (*Comment. in 5. Prophet. prior. minor. in Jon. c. 1. p. 408.*). Quod ad secundum, à Ceto absorptus est quidem *Jonas*, sed vivus. Egregiè *Paulin.* (*ad Cyther. v. 219.*)

Recurrere ad Jonam libet.
Commenta Domini mira: mersus æquore
Intactus undis fluctuat,
Vivus voratus, quique glutivit, manet
Vivente jejunus cibo.
Et præda cum sit esca non est bellua
Domoque ventris utitur.

Et paulò post: (*v. 230.*)

Corpus tenetur corpore ac mentis fuga
Terrena vincla non tenent:

In-

Inclusus alvo carcerem rumpit prece,
Auresque pertingit DEI.
Orationi liber & vinctus fugæ
Fide sua sese arguit.

Oratione nempe in alvo balenæ Numen læsum fatigat submissa voce, ut (*c.2. v.1.*) patet. Quid ultra?

In mare dejectum spatioso bellua rictu
Cepit, & innocuum vastâ ructavit ab alvo.

(*Claud. Mammert. contr. van. Poët. v. 104.*)

§. 43.

Ludovicus de Civille Nobilis Normannus, ter mortuus, ter sepultus, ter à morte surrexisse dicitur *Anshelm. Zieglero*, (*Labyrinth. der Zeit, n. 404. p. 826.*). Mulieres animas quatuor habere dicuntur, quod politico loquendi modo *Hipp.* (*l. 5. Epid. Hist. 42. p. m. 244.*), de quadam muliere loquens ait: ἐξέθανε πεντάκις, mortua est quinquies, ut è vita discessisse putaretur. Ita *Gvilh. Ballon.* (*l. 1. Epid. & Ephemer. p. 156.*). Lepidè hoc ipso perstrinxit *H. Cardan. J. C. Scaliger.* (*Exerc. 102. s. 5. p. 375.*). Cum tuum Magnetem, *animadvertit*, audio redivivum: venit in mentem verborum mihi, quæ sunt *in Epidemion quinto* scripta. *Janus* (forsan est *Mares ex Erypia*, qui tempore *Noachi* vixit, de quo ex *aliis Henric. Kornmann. p. 2. m. m. c. 8.*), ter à morte revixit, vixit annos centum & viginti, juxta *Ælian.* (*l. 9. var. histor. c. 16.*). Nihil *Cicero* (*quæst. Tusc.*), notat *Joach. Camerar.* (*ad h. l.*), ita hystericas bis vel ter mori vulgum adserere *Joh. Matthæus* (*qv. med. 4. p. 310.*) memorat.

§. 44.

Quod ad Resuscitatos, pagani varios sistunt. Mercurius animarum quæstor, ψυχῶν ταμίας, *Diogeni Laërtio* (*l. 8. de vit. Phil. p. 887.*). De illo *Virgil.* (*l. 4. Æneid. v. 242.*)

Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,
Dat somnos adimitque & lumina morte resignat.

Physicè hanc virgulam totamque historiam exposuit. *Joh. Boccat.* (*l. 2. de geneal. Deor. c. 7. p. 55. & c. 20. p. 67.*). Chymicè *O. Borrich.* (*de orig. & progr. Chem. p. 54. & l. 1. Hermet. c. 3. m. 18. p. 86.*). Magum fuisse *Prudent.* (*l. 1. in Symmach. v. 88.*) verisimile est, inde canit:

Magnus habetur
Ille Deus, cujus dedit experientia fures:

Nec

Nec non Thessalicæ doctissimus ille Magiæ
Traditur extinctas sumta moderamine virgæ
In lucem revocasse animas, cocythia lethi
Jura resignasse sursum revolantibus umbris.

Paulò post: (*v.96.sq.*)

Murmure nam magico tenues excire figuras
Atque sepulchrales scite incantate favillas.

§. 45.

Æsculapius resuscitavit *Glaucum, Andropedem, Tyndarum, Hymenæum, Hippolitum, Capaneum &c. Andr. Tiraquell.* (*de Nobilit. c.31.*), *Kornmann.* (*p.2. c.6.& 7.*), *Joh. Tack.* (*Phasid. phil.3. p.58.*), *Joh. Nic. Pechlin.* (*de vit. sub. Aqu. c.7. p.83.*), quem *Jupiter* ob inventam hanc artem fulmine confecit, (*Natal. Com. l.4. Mythol. c.11.p.368. Th. Barthol. de Luc. c.6. p.47.*). *Asclepiades* cum occurisset ignoto funeri relatum hominem à rogo servabat, teste *Plinio* (*l.26. c.3.*). De *Orpheo* historia in vulgus nota.

Hic sensum scopulis, & sylvis addidit aures,
Et Diti lacrymas & morti denique finem.

(*Manil. l.5. Astrom. c.1. v.297.*) *Euridicem* nempe Conjugem Cytharæ modulamine ad superos reduxit. Allusi ad illud *Timoth. Polus.* (*l.1. Epigr.103.*), quando de *Eva* cecinit:

Duxit ab infernis Orpheus Citharysta maritam,
Duxit ad infernos Eva marita Virum.

Inter minutula retulit, quæ fecit *ap. Lucian.* (*T.2. op. in Philopseud. p.335.*) Hyperboccus quidam, quo pacto amores immiserit ac dæmones exegerit, mortuosque marcidos in vitam revocarit. Puellam ab Apollonio à morte excitatam *Philostrat.* (*l.4.vit. Apoll. c.16.*) prodidit. Simonem Magum idem præstitisse, ex aliis *Joh. Bodin.* (*l.2. Dæmonom. c.6.*) profitetur. Plura paucis *Petr. Dan. Huet.* (*l.2. quæst. Alnet. c.12. n.30. p.230.*)

§. 46.

Hujus certitudinem, ut firment, ceremonias, verba, quin & remedia mortuos in vitam revocantia in medium afferre non verentur. Ceremoniæ & Sacrificia circa umbrarum eductionem huc referenda ex *supra* (*l.2. Tit.10.*) datis. Verba, soni inconditi, & murmura sunt, Magis maximè solennia. Lepida est illa ad *Zachliam Ægyptii Prophetam apud Mandaurensem Philosophum* (*l.2. Metam. p.m. 213.*) oratio & compellatio, Miserere sacerdos: miserere per cœlestia sidera, per inferna numina, per naturalia elementa; per

nocturna ſilentia, & adepta Coptica, per incrementa Nilotica & arcana Memphitica, & ſiſtra Phariaca; da brevem dolis uſuram, & in æternum conditis oculis modicam lucem infunde. Propheta ſic propitiatus herbulam quampiam ter ob os, & aliam pectori ejus imponit. Tunc orientem obverſus & incrementa Solis auguſti tacitus imprecatus venerabili ſcena facies & ſtudia præſentium ad miraculum tantum certatim advexit. Jam tumore pectus extolli, jam ſalubris vena pulſari, jam ſpiritu corpus impleri, & aſſurgit cadaver & profatur adoleſcens.

§. 47.

Herbas tales dari, quibus umbræ evocentur & mortui reſuſcitentur, veteribus perſvaſum. Sic dicunt Synochitide umbras inferiorum evocatas teneri, *recenſet Henr. Kornmann. (l. 2. m. m. c. 22.) herba Xanthus (l. 1. hiſt.)* tradit occiſum Draconis catulum revocatum ad vitam à parente herba, quam balin, Halin alii nominant, eademque *Thylonem*, quem Draco occiderat reſtitutum ſaluti *Plin. (l. 25. c. 3.)* memorat, & *ſubjungit*, Juba in Arabia herba ad vitam revocatum hominem tradit. Agliophotidi id dant quidam, de quo ſilent *Ælian. (l. 14. de Animal. c. 27.) & Plin. (l. 14. c. 17.)*, qui nomen evolventes noctu lucem ſpargere ſolum contendunt. Add. *Conrad. Geſner. (l. de Herb. Noctu Lucent.)*. Sic Diadotos lapis ejus fertur eſſe virtutis; annectit *Kornmann. (c. l. è M. S. de Gemm. & Lap. pretioſ.)*, ſi apponatur mortuo vel attactu ſolum, mortuum reſuſcitare ad vitam, ſed mortuus non loquitur, nec pedes figere poteſt.

§. 48.

Glaucus poto melle reſurrexit, in proverbio eſt. Rationem quidam dant hunc in modum, commentatur *Eraſm. (in Adag. p. 592.)*, Glaucus quidam poto melle ob bilem pene exanimatus eſt. Ad hunc multis accurrentibus Medicis polydos herba, quam Draconem vocant, eum reſtituit. Quomodo hæc conſonant, poto melle mortuus eſt Glaucus & revixit? Melle poto mortuus herba adhibita reſuſcitatus. Mortuus quomodo mel deglutiet? Quod ſi de Glauco Minois & Paſiphaës filio id interpretari vellet, hic melle non revixit, ſed in dolium melle plenum cecidit & ſuffocatus interiit, herba tamen à ſerpente allata ſpiritum recepit. *Vid. Hygin. (Fab. 136. p. 153.) Palæphat. (Incredib. c. 27.)*. De herba cujus tactu piſces mortui vitam receperunt poſtliminio, ipſeque *Glaucus* immortalis factus, evolvatur *Nat. Comes (l. 8. Mythol. c. 5. p. 830.)*. Cæterum & *Æſculapium Glaucum* vitæ redonaſſe, *modo (§. 48.)* dictum. *Herculem* Coturnicis odore recreatum vitæ uſuram recepiſſe, ſcomma puto. Narrant ſiquidem Adagiorum ſcriptores, & inter hos *Eraſmus (c. l. p. 590.)*

590.) *ex Athenæo* (*l.9. Dipnosoph.*) *Herculem Jovis* & *Asteriæ* filium in *Libiam* proficiscentem à Typhone fuisse interemtum: revocatum autem in vitam odore coturnicis, (quæ ipsi in deliciis fuit, cum viva incenderetur), illi ab *Jolao* admotæ, & ob eam causam *Phœnices Herculi* coturnices sacrificare.

§. 49.

Patere è dictis poterit non omnes omninò è gentium contubernio æstimasse, resurrectionem mortuorum esse impossibilem, sed eam fieri subsidiis naturalibus verbisque inconditis, murmure magico, & aliis adhibitis ceremoniis; Quod verò naturaliter eam posse contingere voluerint, in eo miris modis decepti sunt. Jactarunt inter Philosophos Christianos *Petr. Pomponatius* (*l. de Incant. c.10.p.174.* & *p.199.*), qui Necromantiam fortasse ex artificio, f. hominum ingenio fieri posse per virtutem herbarum lapidum, vel horum similium non quidem affirmat: Multa tamen esse possibilia, quæ quoniam nobis nota, non sunt, ea negamus: Talia enim non nisi impossibilia videntur. Audiamus *Eundem* iterum (*c. l.p.215.*): Num quid resurrectio salvari possit per naturalem causam? *quærit,* & *reponit,* mihi videtur, quod ponentes animam immortalem, naturalis est resurrectio, & arte procurari potest. Unde videmus *Platonem, Zoroastrem* & omnes Magos resurrectionem potuisse, ut *Marsilius Ficin. de eis* (*c.2.4.* & *12.* Theologiæ *Platonis*) refert. Quare non inconvenit, hos aliquem excitare posse hominem à mortuis. *Hæc Pomponatius.*

§. 50.

E Recentioribus *Bernhard. Connor.* (*Evang. Med. f. Med. Mystic. Art.13.p.84.*) distinxit inter corpora ante biduum, vel triduum, & ante bis mille annos extincta: Qui ante triduum mortui sunt, *scribit*, alio modo reviviscere debent, acsi illi ante plura secula obierunt. Prioris generis corpora vel patibulo suspensa sunt, vel in aquis immersa, vel subitâ morte, Syncope nempe, vel Apoplexia correpta, vel vulnere confossa, vel morbo quodam interno, in cruoris massa, vel in spiritibus sæviente, extincta sunt. Qui in furca suffocatur, vel in aqua immergitur, perit, quia defectu respirationis sanguis in pulmonibus stagnans ad Cerebrum ascendere & spiritus animales, quibus imprægnatur in glandulosa Cerebri filtra exonerare non potest; qui spiritus vitam, motum nempè & sensum omnibus corporis partibus largiuntur, renovata postero post obitum die respiratione, & indito torpescentibus humoribus fermentationis & circuitus motu, spiritus animales in debita copia secernentur in Cerebro & vitalis motus munia restaurabunt, quoniam solidæ partes adhuc integræ sunt, & putredine nondum eliquatæ. Qui syncope vel Apoplexia corripitur, mori-

ritur, quia Cordis & ſpirituum animalium motus ceſſat, renovato utriusque motu exanime corpus reviviſcet. Qui lethali vulnere effoſſus eſt, occidit, quia ab effuſo nimio cruore ſpiritus & vires proſternuntur: ſangvis effuſus, vel alius in venas remiſſus, & in priſtinum motum clauſo vulnere concitatus exangve corpus ad vitam reſtituet. Qui morbo interno elanguet, ex defectu inteſtini & circularis motus in ſanguine tanquam conſumto τῦ βιολιχνὺ pabulo extingvitur, qui motus perit, vel quia ſalina, ſeu fermentativa ſanguinis principia, præ nimio motu, uti in febribus, attrita, vappeſcunt, aut evolant, vel è redundante colluvie ſeroſa nimis diluta ſunt, vel nimis fixa, aut ab affuſo acido veneno, vel à ſæviente frigore coagulata ſunt. Si alimenta ſanguinis evolarunt, iterum coacervari poſſunt. Si nimio phlegmate diſſoluta, ſerum evacuari poteſt. Si concreta vel conglaciata ſit coccinei laticis maſſa, attenuari, rarefieri & fermentari poteſt. Sic quomodocumque humanum corpus pereat, poſt biduum aut triduum à morte, nondum reſoluta partium ſolidarum textura priſtinum humorum motum & vitam recuperare poteſt. *Hactenus Connor*, qui *Autor* quia non in omnium manibus, verba ejus, prout jacent, apponere commodum duxi.

§. 51.

Rationes *Authoris* nulla noto animadverſione, modum tamen applicandi edoceret vellem. Si viventi adhuc, aut agoniſanti Conſilium præſcribere debuiſſet, id optimè hoc ipſo præſtitiſſet, mortuo vero ante biduum vel triduum corpori quomodo hoc applicabitur, cum anima exceſſerit, corpus refrixerit, machinæ corporeæ motus feriatur, nec videam, quomodo animâ abſente fluiditatem ſuam obtinere poſſint humores, & in iis nidulantes ſpiritus, ſeu æthereæ portiones undulare. Nec ipſa anima ſemel ſeparata corpus mortuum ſubire, cum ſemel ſublata ejus cum corpore conjugatione, cadaver ſit, maneatque corpus humanum, adeoque ſoli corruptioni & putredini poſt devovendum. Verè *Connor* (*c. l. artic. 5. p. 31.*), etiamſi vulgò exiſtimemus, quod corpora omnia à ſe invicem moveantur, à DEO tamen ſolo verè immediatè & unicè moventur. Anteceſſorem habet *Renat. Carteſium* (*p. 2. princip. Philoſ. n. 36. p. 31.*), qui & cauſam univerſalem & primariam motus DEUM ipſum conſtituit. Motus eſt à vita, vita à DEO, philoſophatur *Joh. Joach. Beccher.* (*Phyſ. ſubt. ſupplem. 2. n. 3. p. 2.*). Indidit hunc corporibus pro eorundem conſtitutione, eorundemque principio ſeminali, ut *Th. Schirlæus* (*de Lap. in Macroc. & Microcoſm. præf. ad Lect. p. 12.*). Et ſi motus impedimenta non ab anima, ſed ab organis variè affectis proveniunt, ut cum *Joh. Marc.*

Marci

Marci (p. 1. Othosoph. c. 12. p. 20.) multi è Recentioribus volunt, idque in corpore adhuc vivente, quomodo ille producetur in corpore mortuo rigido & frigido? quin & post biduum aut triduum in putridorum censum relato.

§. 52.

Et quiin laqueo stangulatis vitam sperabit, quispiam, quibus vi vita excussa est? In aliis morbis quibusdam lente vita aliquando excutitur occultatur, aliquando, ut in semimortis clarum evadit. Sed hæc non est vera mors animæque & corporis dijugatio, sed spiritus & animæ Ecclipsis, & hæc veræ resuscitationis titulum non meretur, inque Apoplecticis, Syncopticis & uterinâ passione correptis aliquando deprehenditur. Quod si in vulneratis Spiritus & sanguinem profusum alieno sanguine reparare quis conaretur, sangvis in corpore extremè frigido quomodo servabit motum suum, ut frigiditate ejus motus non interpelletur, sed ejus circulo corpus calorem postliminio recuperet & actiones corporis restauret? Quodsi vas magnum internum in corpore atque viscus ipsum læsum fuerit, quomodo læsionem obdurabit quispiam, ne per hanc injectus sangvis in corporis cavitatem frusta elabatur? Reliqvum attingere non placet, cum eorum impossibilitas vel spontè pelluceat.

§. 53.

Durum autem *Connoro (p. 92.)* videtur, quod possit idem homo renasci sine eodem corporre. Si quid enim in redivivo homine resurgit, corpus necessariò esse debet. Anima namque rationalis resurgere non potest, quia à corporis mancipio soluta, eadem semper incorrupta & immutata existit. Resurgit igitur, quod cecidit, nempè corpus. Corpus autem ex quavis materia construere, non est extinctum corpus resuscitare, sed novum & alienum corpus formare, *(p. 93.)*. Corpus igitur *juxta Eundem (p. 89.)* debet esse una eademque numero materia, debet esse una eademque terræ, aquæ, salis & sulphuris proportio, etiamsi necesse non sit, ut eadem sit, quæ olim, ipsorum quantitas. Debent hæ partes servare eundem situm, quem anteà habuerunt. Opus est præstereà, ut partes, quæ nunc salinæ, sulphureæ, aqueæ & terreæ eadem sint, quæ olim fuerunt salinæ, sulphureæ, aqueæ & terreæ. Ex defectu enim harum conditionum etiamsi eadem omnino sit materia idem numero non erit corpus. Ita asserunt è Theologis nostratibus animas non resurrecturas, cum non ceciderint, immortalesque sint, sed solum corpus. Identitatem vero Resurgentium corporum præbent ex voce ipsa. Quod non idem est cum eo quod cecidit, id non resurgit. Uti, quod nunquam valuit, non

reconvalescit, ita quod nunquam vixit, non reviviscit: quod nunquam stetit & cecidit, non resurget, seu iterum surget. Vid. *B. Johann. Adam. Scherzer.* (*Defin. Theol. Loc. 20. §. 4. p. 579.*) *Theophil. Spizel.* (*Consid. Corp. glorios. §. 6. p. 9. & n. 13. p. 30.*)

§. 54.

Quod etiam identitas numerica in mutilis naturâ & imperfectis v. g. in his, qui absque brachiis, manibus, pedibus & digitis, forsan & naso, auribus & oculis prognati obtineat, ita ut tales sint mutili, ob dictam causam, resurgant, disquirendum. Si materia à materia partium deficientium restauranda, impossibile quid videtur, cum absentia partis & materiæ obsentiam inferat. An igitur talis in vita temporali mutilus integro corpore omnibusque partibus absoluto, quoad partes integras, s. præsentes dicetur resuscitatus, quoad deficientes vero creatus, curiosum est problema. Interim audiamus *laudatum Scherzer.* (*c. l. p. 581.*), quod identitas illa numerica debeat etiam relinquere corpora imperfecta, quæ hic fuerunt mutila, (seu propterea ἄπȣς non posit resurgere binis pedibus, ne fiat numero diversus,) temerè asseras. Nam complementum illud debetur homini ex integritate primâ & conditione corporis organici ab ipso Creatore instituta. Nec perfectio superveniens eidem numericam identitatem tollit: Sicuti propter manum amputatam *Petrus* non fit numero diversus à se ipso. Sed hæc potius perfectionem, quam materiam numericam, è qua perficiendum corpus mutilum natura respiciunt. Nec militat illud *Georg. Stengelii* (*de Monstr, c. 17. §. 10. p. 614.*), qui infantes & pygmæos in staturâ perfectâ uti & Gigantes ea magnitudine, qua ferè CHRISTUS fuit, dixit resurrecturos, & necesse esse arguit Gigantibus aliquid de materiâ demi, & infantibus & pumilis aliquid addi, quod identitati ac veritati ejusdem hominis officit: sicut neque in iis, qui ab aliis hominibus devorati sunt; quorum proinde materia à pluribus animabus fuit informata, & jam adhunc, jam ad illum hominem pertinebat. Nihil inquam, *pergit*, officit, quia præter alias rationes *à S. Thoma* (*in Suppl. qu. 8. ad. 3,*) assignatas, sufficit tantum materiæ tunc virtute suppleri aliunde, quantum opus est ad perfectionem quantitatis. Nec per hoc aliquid præjudicatur identitati in numero, sicut nec præjudicatur per hoc, quod partes secundum materiam fluunt & refluunt, *ait Doctor.*

§. 55.

Addit *Connor* (*p. 101.*), ut idem numero corpus humanum denuò redintegretur, non opus est, ut tota eadem materia moles & quantitas & idem elementarium partium numerus iterum sibi adoptetur & resurgat; sed sufficit, ut

carun-

earundem partium tanta quantitas invicem admisceatur, quanta requiritur organico corpori conficiendo; ut enim idem sit corpus organicum, non necesse est, ut habeat easdem omninò dimensiones, aut molem, aut pondus; sed ut habeat eandem materiam cum eadem organorum fabricâ, situ & numero: Et paulo post, (*p. 107.*), παλιγγένετοι homines, neque in eodem statu penitus, in quo mortui sunt, neque cum trigenarii hominis mole aut magnitudine resurgent. Sed judicare fas est, quod corpus redivivum omni superflua spoliabitur materia, & tanta duntaxat constabit materiæ copia, quanta requiritur muniis animæ & corporis obeundis. Hujus igitur ego sum sententiæ, quod mortui renascentur cum eodem corpore, & cum eadem materiæ quantitate, cum qua primo nati sunt, imò forsan & cum qua in utero generati sunt. Major enim non requiritur materiæ quantitas, ut anima corpori reuniatur, quam necessaria olim fuit, ut in prima generatione ipsi associetur. Hæc ille, sed non è tripode. Sic namque totum perfectumque corpus non resurgeret, si aliquid materiæ relinquatur, aut pereat. Nec totus homo ad normam justitiæ divinæ, aut ad gloriam, aut ad ignominiam resurgeret. Et quid opus est in re verâ, absconditâ quamvis tricari, & quod omnipotentiæ divinæ est, solum ad leges naturales velle reducere. Qui totum custodit, ne pereat, etiam particulas ab interitu vindicabit. Nec verè erit corpus numericum, si non eadem mole, pondere, iisdemque dimensionibus gaudeat, prout quidem *Connoro* videtur, cujus assertioni temeræ & sine ratione propalatæ puram putamque negationem oppono. Non satis intelligi potest, replico è *Spizelio (c. l. n. 33. p. 85.)*, quomodo servetur corporis identitas, si materia, quæ partem essentialem constituit, subito tantoperè varietur, & addatur peregrinæ, quæque sub ista forma nunquam fuerit. Priori certè non tàm accederet eamque augeret, quam omnino consumeret aut absorberet.

§. 56.

Nec hominem cum omnibus partibus resurgere, prodidit prætereà (*p. 109.*), sed tantum cum iis partibus, quæ ad vitam constituendam & conservandam omninò necessaria sunt. Vita hominis in sensu & motu voluntario consistit, & vita corporis humani in respirationis, cordis, sangvinis & fluidi nervei motu in voluntario sita est. Unde construi iterum debent omnes partes, quæ utrique motui & sensui producendo inserviebant; uti quinque sensus organa, Musculi omnes, partes quibus musculi affiguntur, & quæ totam corporis fabricam fulcri instar sustentabant, qualia sunt ossa & ligamenta. Cor quoque arteriæ, venæ, nervi, cerebrum & tegumenta construi iterum debent. Reliqua

autem

autem organa, præter recensitas jam, sine quibus vivere non possumus, partes in redivivo corpore superflua forent. Uti sunt partes omnes, quæ præparando chylo & secernendis à sangvine humoribus destinatæ sunt. Tunc enim non opus erit alimentis; Unde opus non erit digestione aut sangvinis reparatione; ac proinde nulla fiet humorum recrementitiorum, aut excrementitiorum à sangvine secretio aut filtratio. Cum enim hominis redivivi sangvis ab alimentis non reparetur, si fieret humorum ab ipso secretio, tota ipsius massa cito exhauriretur; hinc sequitur, quod non est necesse, ut cum corpore ad vitam reduce pharynx, œsophagus, stomachus, intestina, Mesenterium, Pancreas, Jecur, Lien, Renes, Vesica, partes genitales utriusque sexus, Thymus, parotides, amygdalæ, glandulæ ullæ, (præter cerebrum,) aut filtra, adeps, lymphæ ductus, aut ulla vasa excretoria, præter nervos redintegrentur. Hæ enim omnes partes in redivivo corpore nulli omninò inservirent usui. Neque partibus respirationi dicatis opus erit, quia regenerati homines nulla indigebunt respiratione. Nullum enim tunc fiet spirituum & sangvinis dispendium, neque partium solidarum à sanguine nutritio; sed una eademque, quæ renata est: sangvinis, spirituum & partium solidarum materiæ quantitas, incorrupta semper & in perpetuum immutata perdurabit. Quare Larynx, Trachea, Arteria, Pulmones, Diaphragma, Costæ, Pleura, omnes respirationis musculi erunt inutilia (*p. 111. 112.*)

§. 57.

Eludit rationis acumen, quod tantoperè sequitur *Connor*, ipsa ratio. Repeto, si non omnes partes corporis humani resurgent, non totus homo, non totum corpus resuscitabitur. Corpus resuscitatum non erit numericum cum mortuo. Ad usum non est respiciendum, cum ad hunc non resuscitentur corpora, sed respectu bonorum ad gloriam, reproborum respectu ad ignominiam. Respirationis organa exesse jubet, qui respirationem paulò ante (*p. 109. vid. §. præc.*) admiserat. Celebrabunt in vita æterna DEUM cum Angelis; impii ejulabunt, tormentisque expositi blasphemabunt divinam majestatem, utrumque organa respirationis requirit, nec sola lingva sufficit, cur igitur Laringem, Tracheam, Arteriam, Pulmones, Diaphragma, Costas & Pleuram, omnesque respirationis musculos in exilium proscribit? Laus vocalis beatis (*Apocal. c. 7. v. 12. c. 5. v. 9. & c. 15. v. 3.*) ipsis tribuitur, nec ullo argumento nos ibi mutos pisces fore ostendi potest, judicat *Venerandus Scherzer*. (*Def. Theol. Loc. 23. §. 8. p. 635.*)

§. 58.

Neç novum id eſt *Connoris* commentum, cum jam *Tertulliani* tempore fuerint, qui ſi non ipſam reſurrectionem tollere, multarum tamen partium ſuperfluitatem, utpote non neceſſariam exſculpebant. Recitat horum objectiones *Diſertus Pater* (*l. de Reſurrect. c. 60.*), & confutat ſimul acutè. Quo, *inquiunt*, ſpelunca hæç oris, & dentium ſtatio, & gulæ lapſus, & compitum ſtomachi, & alvi gurges, & inteſtinorum perplexa proceritas, cum eſui & potui locus non erit? &c. Quibus egregiè regerit. Licet (partes vel membra corporis) officiis liberentur, ſed judiciis retinentur, ut quis referat per corpus, prout geſſit. Salvum enim hominem tribunal DEI exigit: Salvum verò ſine membris non licet eſſe, ex quorum non officiis, ſed ſubſtantiis conſtat. *Origenis* diſcipuli catholicos ſimplices & Piliſiotas vocarunt, eò quod crederent noſtra hæc corpora cum his ſuis membris, adeoque pilis & capillis reſurrectura, quæ *Origines* ex *Platone* docuerat transformanda eſſe in lucidos & aëreos globos, *B. Scherzer.* (*c. l. Loc. 20. §. 1. p. 573.*) iterum annotat. Sed & ungves & capillos reſurgentibus eſſe reddendos, quia capilli quoque & ungves dati ſunt in ornamentum hominis, rectè *Georg. Stengel.* (*c. l. §. 9. p. 613.*). Addit quod capilli & ungves licet ex abundantia cibi generentur, non ſolum ornatum habeant in hac vita, ſed etiam ſua non careant utilitate, atque idcircò ad ſecundariam pertineant corporis perfectionem. (*p. 614.*)

§. 59.

Sexus diſcrimina in regenitis beatis quidam irrident, omnes comprimis viros futuros aſſerunt, adeoque & hoc corporis identitatem tollere geſtiunt. Mentionem horum fecit (*l. 12. de Civ. DEI c. 17.*) *Auguſtin. Scotus* (*in 2. Diſt. 20.*) omnes fœminas, exceptâ unâ DEI matre virgine, in ſexu virili reſurrecturas ob fœminæ præ mare imperfectionem. Reſpondet *Scoto* iterum *Stengel.* (*c. l. §. 14. p. 623.*), *Scotus* ſi in ſexu fœmineo agnoſcit imperfectionem, atque idcircò reliquas fœminas putat in viros commutandas, cur eam imperfectionem ſoli DEI-paræ attribuit? quæ, ut in hac virtute omnium perfectiſſima fuit fœminarum; cur tunc ſola illis cedet ſexus imperfectione? Alii adverſarii, qui neque hanc virginem excipiunt, quæ probabiliſſimè cum corpore in cœlum eſt asſumta, non debent eam invocantes dicere, Sancta Maria, ſed ſancte Maria ora pro nobis, abſurdum eſt, ſiquidem virum fœminino genere ſalutare. Eſt igitur, *concludit*, & manet, manebitque *Maria* & fœmina, & virgo, & DEI-Mater. Certè multis non ſolum DEI mater, verum etiam aliæ ſanctæ, ut *S. Agatha*, *S. Agnes*, & aliæ Divæ non mutato, ſed ſuo ſexu apparuerunt.

§. 60.

Conformis hæc est traditio cum *Paracelsi* Vesania (*T. 2. op. l. Azoth. s. de Ligno & Linea Vitæ p. 533.*) dum scribit: *Adam hat für den Fall keine Virgam Naturæ gehabt,* (*Paracelsus* negat *Adamum* ante *Evam* habuisse, pontificalia, *jocatur Andr. Libav. l. 7. Hexaëm. §. 33. p. 434.*) *darum sich auch Eva an dem Adam nicht vergafft hätte. Denn wie der Adam jezt erscheinet, membro virili, so ist an dem Adam ein Monstrosich Zeichen.* Est post (*ib. p. 543.*), *Die Nägel seynd dem Adam vor dem Fall nicht gegeben gewesen, und auch Zähne nicht also auff solche Art, wie sie jezt erscheinen, und zertheilet, sondern gantz: Es seynd nur zwey Beine oben und unten gewesen.* Qui & paulo ante professus : (*p. 342.*) *Adam hat nicht eine Nabelschnur gehabt, wie jetzo wir Menschen haben. Ursach ist das gewesen, daß ihr alle wohl wisset, daß Adam von keinem Weibe ist gebohren worden, sondern geschaffen, der formiret ist worden durch und aus der Wurzel Matricis Macrocosmi.* Post lapsum Protoplastos genitalia accepisse, *Idem* (*c. l. p. 537.*) monstrosè, non aliter, ut viro scrophula crescit in collo. Summa in Creatorem audacia! qui totum corpus *Adami* è limo terræ producere potuit, cur non & membra genitalia, ungves, & dentes distinctos, quin & umbilicum, cum in sua perfectione constitutum corpus tale quidem dici vix potuisset, nisi omnibus partibus æquè antè lapsum, ac post lapsum instructum fuisset. Expressè DEUS marem & fœminam fecisse ante lapsum (*Genes. 1. v. 27.*) dicitur, si hoc etiam distinctionis gratia partes genitales obtinuerunt. Somnia sunt forsan è Rabbinorum Mephiti, non porta eburnea prodeuntia. Librum idcircò Azoth maximè in DEUM impium, pestilentissimum, horribilium mendaciorum profanationumque divinorum operum plenissimum proclamavit *Andr. Libav.* (*l. 3. Comment. Meta M. p. 86.*)

§. 61.

Cum igitur corpus redivivum, *concludit Connor.* (*c. l. p. 112.*), non tantum tota post ortum advena materia, sed etiam ab omnibus feculentis partibus expurgatum, & superfluis organis, tanquam exuviis, spoliatum ad minimam molem reducetur & volumen; nec desinet esse totum corpus humanum, quia omnibus partibus in hoc statu ad vitam necessariis constabit. Homines igitur, qui cum naturali seu ponderoso & crassiori corpore olim obierunt, cum spirituali quodam Microsomate seu, pusillo corpusculo, passerum forsan & muscarum instar, leves maximè, agiles & summe mobiles renascentur. Hæc verò opi-

opinio numericam regenitorum identitatem, *ab ipso Connoro supra (§. 54. & 55.)* inculcatam, neutiquam involuit. Etsi gloriosum corpus materia omni, quam in vita possedit, destituitur, Corpus non erit gloriosum, sed anima tantum gloriosa: Corpus non resurget; si non cum omnibus, quas in vita obtinuit, partibus perfectus homo non resurget, nec resurget, quod cecidit. Rectius *Prudent. (Extrem. Apotheos. de Resurr.)*

Nec me vel dente vel ungve
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulchri.

Quod ad sexum, quamvis illud discrimen displiceat *Hugoni Grotio (Comment. in Matth. c. 22.)*, tamen hunc è Glossa textus refellit *Theophil. Spizel. (Consid. Corp. glorios. §. 34. p. 89.)*. CHRISTUS enim dum ait, neque nubent, neque nubentur, apertè sexus differentiam indicat, neque enim nubent sc. mulieres, neque nubentur sc. viri. Egregiè *Augustin. (l. 22. de Civit. DEI c. 17.)*: Qui ergò utrumque sexum instituit, utrumque restituet, nuptias Dominus negavit in Resurrectione, non fœminas. De resuscitandorum corporum statura. Diversam ferè resuscitandorum staturam, quia diversa fuerit viventium, rectè concludi, docuit *Spizelius (c. l. §. 33. p. 85.)*. Non enim satis intelligi potest, quomodo servetur corporis identitas, si materia, quæ partem essentialem constituit subitò tantoperè varietur, & addatur peregrinæ, quæque sub ista forma nunquam fuerit. Priori certè non tàm accederet, eamque augeret, quam omninò consumeret aut absorberet. Brevibus: Fluctus in simpulo movet *Connor*, nodumque quærit in Scirpo.

§. 62.

Hæc sunt quæ de Resurrectione è scriniis suis communicare, & quibus his de miraculis mortuorum commentariis colophonem imponere placuit Beato Autori. Neque pluribus ego hanc materiam proseqvendam reor, cum ad Theologos spectet hic fidei Christianæ Articulus, qui *Joann. Gerhardi* testimonio (*de Resurr. §. 36.*), semper fuit σημεῖον ἀντιλεγόμενον non solum Gentilibus extra Ecclesiam, sed etiam Epicuræis & Hæreticis in Ecclesia. Præ Aliis evolvi meretur Varniaci flos inclutus ille Roseti (Elogio Ittigiano) *Joannes Fechtius (Exerc. 1. de Resurrect. Carn.)* ubi egregia ad hoc institutum pertinentia offendet Lector Benevolus. Epimetri saltem loco sit *Tertulliani* enuntiatum, ut in certitudine & veritate Resurrectionis desinat, qui in ejusdem ridiculo contemtu Gentium incepit Titulus, (*vid. §. 1.*). Ita verò Patrum disertissimus toties in hoc Opere citatus librum suum de Resurrectione exorditur: Fiducia Christia-

norum, Resurrectio mortuorum, illâ, credentes sumus, hoc credere Veritas cogit: Veritatem DEUS aperit. Et in hac certissimæ Resurrectionis fiduciâ animam sanctissimo Creatori placide reddidit Beatus Autor, Parens desideratissimus, nullumque nisi hoc Cippo inscribi jussit ἐπιτύμβιον.

Credo Resurrectionem carnis & vitam æternam.

CHRISTO FORTUNANTI GLORIA!

INDEX I.
DISSERTATIONUM,

INDEX II.
LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

ubi observandum: Numeros Commate distinctos paginam, §. ceteros, parenthesi ( ) vero inclusos Dissertationes Procemiales evolvendas significare; & cum præter opinionem quaternio (M) paginas præcedentis numeret, illas Romanis notis indicare voluimus.

INDEX III.
AUTORUM,

Ubi præterea notandum, * Autorum vel Elogia, vel Judicia de iisdem indicare.

A.

Bisse-

Brown

C.

D.

Divers.

E.

Epi-

F.

Fres-

von

Hero-

Hu-

Klo-

Lycost-

Man-

Nice-

Redi

Rüt-

T.

U.

Villa-

W.

Balth.

X.

Z.

INDEX IV.
RERUM ET VERBORUM.

A.

 ducat

Affe-

Bapti-

Exem-

C.

Ca-

S. Ca-

Cla-

 sit,

Varias

Cumi-

D.

F.

Ficu-

G.

H.

Homi-

I.

garſti-

Opium

N.

 tio-

 sol-

P.

ribus

Q.

Sunt

tuo-

Sie-

Ti-

Va-

Ven-

do-

Vul-

FINIS.

OBSERVANDA.

(p. 9. l. 8.) leg. *Num.* (p. 103. l. 29.) leg. *rogo.* (p. 123. l. 30.) del. *hoc* & ita leg. *latinos T. interpolasse.* (p. 128. l. 23.) in fine add. *ordinatus.* p. 57. l. 2. leg. *inducendi.* p. 58. l. 26. leg. *mutare.* p. 59. l. 10. leg. *tingentibus.* l. 13. leg. *pulvere.* l. 18. leg. *§. 89.* p. 60. l. 3. leg. *nigredine.* p. 63. l. 13. 14. fortè leg. *conceptus tempore illos ostensos feminæ*, (del. *quos*). p. 65. l. 4. addat. post partus *simul.* p. 70. l. 8. leg. *sabulte eos.* p. 72. l. 10. leg. *opertos.* p. 75. l. 16. pro è leg. *&.* p. 81. l. 20. leg. *Hem!* p. 82. l. 3. fortè leg. cur non hominum omnes, ut animalium &c. l. 33. leg. *diffugiunt.* p. 86. l. 11. forte addend. *pilos*, post voc. posse. l. 13. forte add. *lanæ* post, longitudinem. p. 88. l. 9. leg. *salivam.* p. 89. l. 5. forsan add. *nares*, post, fabricatæ. p. 91. l. 13. ab init. add. *re.* p. 92. l. 9. post actu, leg. *se*, pro sive. p. 108. l. 16. leg. *Frisingensem.* l. 17. 18. Oedipus suppleat. p. 120. l. 27. leg. *quoquam.* p. 112. l. ult. add. *egressae.* p. 151. l. 29. leg. *Frons* p. 158. l. 5. à fin. leg. *alii.* p. 162. l. 27. forte leg. *Cymini.* p. 167. l. 12. add. ab init. *tum.* p. 176. lin. penult. leg. *frigore.* p. 177. l. 20. leg. *Aquilæ.* p. 194. l. 21. leg. *Duritie.* p. 203. l. 6. leg. *sollicite.* p. 224. l. 30. leg. *serum.* p. 258. l. 11. leg. *Huic.* p. 266. l. antepen. leg. *pastinacæ.* p. 280. l. 17. leg. *muto.* p. 308. l. 9. & 312. l. 26. leg. *Scarificatio.* p. 324. l. 6. leg. *siti.* p. 330. l. 30. leg. *§. 33.* p. 336. l. 19. forte leg. *verticem.* p. 379. l. 21. leg. *trudinandum.* p. 391. l. 30. vocula *quod* postponatur voci Wratislaus, commaque *quod* antecedens prius, deleatur. p. 392. l. 28. del. *à* post, crimine. p. 401. l. 23. pro & leg. *nec* p. 414. l. 33. leg. *aërii.* p. 431. l. 22. leg. *obloqui.* p. 453. l. 18. leg. *recidivatum.* p. 454. l. penult. leg. *evitandam.* p. 459. l. 31. 32. leg. *concitasse.* p. 469. l. 20. leg. *in mensam*, pro immensam, p. 476. l. 2. pro febris leg. *fibris.* l. 4. del. *a.* in considerataæ. p. 479. l. 1. del. *& periri.* p. 486. l. 1. leg. *laptdea.* l. 3. *Augustini.* p. 487. l. 26. leg. *deludit.* p. 499. l. 28. leg. *statuæ.* p. 521. l. 24. add. *historiam.* l. penult. leg. *fricaret.* p. 522. l. 4. leg. *illis.* p. 525. l. 31. del. *cum.* p. 544. l. 14. leg. *in.* pro id. p. 556. l. 33. leg. *elucescet.* p. 608. l. 15. 16. leg. *nam sanguinis.* pro non sanguinis. l. 16. leg. *judica.* p. 625. l. 28. leg. *scarificatis.* p. 634. l. 11. leg. *hodiernum.* p. 646. l. antep. leg. *quot.* p. 674. l. 13. leg. *exanimati.* l. 7. leg. *intactum.* p. 658. l. 1. 2. leg. *rejicit.* pro relicet, p. 662. l. 1. del. *enum.* p. 678. l. pen. leg. *causas.* p. 698. l. 25. leg. *ὀξλιγγος.* p. 721. l. 22. leg. *ratiocinabatur.* p. 759. l. 30. leg. *arte.* p. 776. l. 3. add. *non*, post voc. mortem. p. 784. l. 4. leg. *multis probare.* 746. l. 6. leg. *quæ mactari.* p. 747. l. 18. del. *per sibi.* p. 789. l. 7. leg. *motus.* p. 797. l. 18. leg. *obversantibus.* p. 813. l. 1. del. *figura.* p. 842. l. 6. leg. *genitalia.* p. 854. l. 13. leg. *acrem.* p. 860. l. 18. leg. *pessum.* p. 878. l. 17. *aliquibus* l. 5. leg. *homines & animalia.* p. 970. l. 14. leg. & ex eo p. 1016. l. 29. leg. *ab* p. 1043. l. 16. leg. *Intirere.* p. 1058. l. 19. leg. *siliceum.* p. 1088. l. 25. leg. *Statera.* p. 1092. l. 9. leg. *nunquam.* p. 1102. l. ult. leg. *minus indigea* p. 1108. l. 31. leg. *compertum.* p. 1114. l. 8. leg. *lapillis.* l. 15. leg. *cavitatem.* p. 1133. l. 23. leg. *in mare.* p. 1135. l. 33. leg *Strauss.* p. 1160. l. 2. leg. *renibus.* p. 1162. l. 13. leg. *id enim si fit.* p. 1164. l. 12. leg. *permeant.* p. 1168. l. 9. leg. *proclament.* l. 10. 11. leg. *Offa.* p. 1170. l. 15. leg. *Offa ..... spectat.* p. 1176. l. 9. leg. *Calamitatis.* p. 1187. l. ult. leg. *Anaxagoræ.* p. 1188. l. 16. leg. *Id.* p. 1205. l. 23. leg. *Illius.*

Hæc sunto, quæ forsan accuratius pensitanda, pro habitu emendanda, ceteraque, si qua reperiantur levissima, benevole condonanda.